OPERA
MEDICA

HORST

II

1661

GREGORII HORSTII

τοῦ μακαρίτου

OPERUM MEDICORUM

TOMUS SECUNDUS,

IN QUO

OBSERVATIONES ET EPISTOLÆ MEDICINALES,

Quartâ hac Editione in Ordinem Redactæ & Auctæ.

Curâ

JO. DANIELIS HORSTII, Phil. & Med. D. in Academia Gissena Professoris Primarii & Archiatri Hasso-Darmstatini.

GOUDÆ,
Sumptibus GULIELMI vander HOEVE.
Anno M. DC. LXI.

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AUTHORITATE AMPLISSIMIS, AC PRUDENTISSIMIS

V I R I S

DNN. DUUMVIRIS, CONSULIBUS, AC SENATORIBUS INCLYTÆ AC LIBERÆ IMPERIALIS REIPUBLICÆ ULMENSIS,

Dnn. Fautoribus ac Mecœnatibus pl. honorandis.

Sal. & Obſerv.

D*UPLEX cauſa eſt, quod* Vobis Viri Magnifici, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Prudentiſſimi, Fautores & Mecœnates pl. colendi, *Volumen hoc inſcribatur.* Una *quidem, quia* Veſtrum *jam eſt, olim nempe ante annos triginta quinque ab Authore* Vobis *ſacratum.* Altera, *quod hâc occaſione Authoris liberis liceat* Vobis *prolixas habere gratias pro concatenatis beneficiis, quibus poſt obitum Patris pluſquam prolixè eos præter meritum proſecuti eſtis. DEUS TER OPT. MAX. ex alto* Vobis *porrò benedicat, totamque Rempublicam Veſtram protegat ac ab omni malo defendat. Darmbſtadii Kalend. Sept. Anno Salutis M. DC. LX.*

V. V. Magnif. Nobil. & Amplit.

Obſervantiſſ.

JO. DANIEL HORSTIUS D.

PRÆFATIO AUTHORIS
AD LECTOREM BENEVOLUM.

NOTUM est illud *Solonis* : γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος: *Senesco semper multa addiscens.* Hoc est, quo *Plato in Dialogo de Philos.* repetit & ad studium Sapientiæ accommodat: quid aliud, inquit, est Philosophia, quam id facere, quod dixit *Solon?* dixit autem, *discendi aßiduè multa senecta venit.* Nos idipsum jure, meritòque de veris Medicis dicimus, quorum artem *Hippocrates* seriò longam pronunciat, ut nunquam non ad extremam usque senectutem habeant, quod addiscere pôssint. Quanquam enim non negamus, quin aliæ disciplinæ suas difficultates obtineant, cum animus noster ad res cognoscendas, juxta *Philosophum*, sit instar tabulæ rasæ, cui nihil actu inscriptum, omnia tamen, sed non absque labore & exercitatione continuatâ, inscribi possint; maximè tamen idipsum in Arte Medicâ verificatur. Sit sanè, Medicinam non propriè dictam Scientiam, sed Artem esse, quod non Scientificum, sed Operationis Subjectum habeat, non tamen absque ratione cæterarum Artium omnium Nobilissima dicitur. Hinc ejus cognitio latissimè sese extendit, plurimarumque rerum inquisitionem perfectissimam requirit. Sive enim *Subjectum Operationis*, Hominem videlicet, cui sanitatis præsens defendenda, & absens restituenda venit, seu *materiam per quam* idipsum perficiendum, perpendas, nusquam non latè patens Speculationis campus sese offert. *Subjectum Operationis* est illa materia, in quâ sanitas defendenda vel restituenda, scilicet ipse Homo, cujus cognitione perfectissimâ qui destituitur, næ illum fallere, frequenter fallique oportet. *Materia per quam* sanitas conservatur atque defenditur, illa designat omnia, quæ quâcunque ratione corpus nostrum in statu secundum naturam defendere & conservare, nec non in statu præter naturam alterare, corrigere, & ad sanitatem convenientem reducere nata sunt.

Ea verò, mehercle, quanta sunt! enim herbarum indagare vires abditissimas, stirpium qualitates excutere, quadrupedum, volatilium & piscium naturam investigare, metallorum & mineralium facultates utiles à noxiis distinguere, aëris ambientis operationes diversas ac varias justo tempore & modo adhibere, & denique, ut paucis multa dicam, noxia præcavere, salutaria verò in omnibus eligere, nonne summæ difficultatis & laboris ac periculosæ sæpius plenum opus aleæ? Quid enim, quæso, in tota rerum Universitate relinquitur, quod sub Medici considerationem non cadat, cum nihil in Mundo contineatur, cujus cognitionem Ars Medica non requirat? De corporibus cœlestibus fortè dubitas: sed suspicari desine: neque enim hæc etiam penitus à Medico negliguntur. Cum enim ad morborum curationem conferat, ortus & occasus, variosque positus & mutationes siderum scire, utpote quorum vis & potentia in hisce inferioribus rebus luce meridianâ clarior, quis nisi talpâ cæcior, non videt, Medicum harum rerum ignarum esse minimè posse? expressis verbis idipsum *Hippocrates lib. de aëre, aq. & loc.* inculcat, ubi dicit: *maximè autem observare oportet magnas temporum mutationes, ut neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque uramus, quæ circa ventrem, priusquam prætereant dies decem, aut plures & non pauciores: periculosißima sunt ambo Solstitia,*

maximè

maximè verò æstivum; periculosum etiam Æquinoctium, maximè verò Autumnale. Oportet autem & Astrorum ortus considerare, præcipuè Canis, deindè Arcturi & Plejadum occasum, morbi enim in his maximè judicantur, &c. Ex quibus omnibus luce meridianâ clarius apparet, artis Medicæ patentem esse campum, ad cujus cognitionem exactam hominis ætatem vix ac ne vix quidem sufficere posse.

Non Ergò mirum, quod Medicus verus, cui cordi est illud S. Scripturæ, maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, cum *Solone* rectè dicat, γηράσκω δ' ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος, quâ ratione noster *Hippocrates in Epistola ad Democritum* confitetur se jam Senem ad Medicinæ finem nondum pervenisse. Quod cum ita sit, totis viribus eò allaborandum, ut *nulla dies abeat, quin linea ducta supersit*, quò diligentiâ, nec non observationum assiduitate, recompensemus aliquo modo, quod vitæ brevitati deest. Hoc est quod me movit hactenus, ut licet quinquagesimum annum Dei gratiâ jam excesserim, quin nihilominus, quantum per occupationes Vocationis fieri potest, quotidiè discere cupiam, id quod ex annotatione Casuum singularium satis sufficienterque patet.

Quandoquidem autem Modum hunc annotationum mearum Medicinæ Cultoribus haud ingratum fuisse certior factus sum, ideoque toties ab Amicis rogatus easdem in publicum edere intermittere nolui. Non quidem diffiteor, quin à multis multa partim hîc, partim illîc, desiderari queant: minimè tamen dubito, quin bonis, intentionem meam perpendentibus, abundè satisfiat. Unà etiam cum meis, hinc & indè communicatas Amicorum quorundam Observationes singulares & Consultationes in medium adduxi, non aliam ob causam, quam ut hâc ratione φιλιάτρων expectationi, nec non Authorum honori satisfacerem. Interea Lector idipsum boni consulat, nobisque faveat, & ex voto valeat. Ex Museo prid. Cal. Novembr. Anno M. DC. XXVIII.

EPIGRAMMATA

In Obſervationes Medicinales

GREGOR. HORSTI, D.

Reipubl. Ulmenſis Archiatri, & ibidem Collegii Medici Directoris.

ARTIS *Apollineæ Myſta ô Clariſſime, & ULMæ*
Hippocrates, HORSTI, *latè dominantis ad* ISTRUM,
Quando minus rectè, ſciteque vigentibus annis,
Dumque virent genua, utimur, & peccamus in horas,
Non ſolùm elixis aſſa, & conchylia turdis
Miſcemus; carnes cum piſcibus uſque vorantes
Ventriculos oneramus, Iacchi albi atque rubelli
Potu diſtenti, pergræcamurque profundas
In noctes, vim naturæ inferimus violentam,
Quîs ſanos, validos, florentes lædimus artus,
Membrifragam & Podagram nobis inducimus ultro:
Verum etiam inter nos violantur Sabbatha ſancta,
Pejerat impunis populus, ſimulacra coluntur,
Pauperibusque eleemoſyna, ſua jura, negantur,
Dum cædes, dormit LEX *ah! Cornelia, fiunt,*
Machatur vulgum, dum tu LEX JULIA *ſtertis,*
Et fraudes verſutiloquæ palmaria habentur.
Cætera quî referam, paſſim quæ prava geruntur!
Pallenteis ideò Morbos, *ſævosque dolores*
(Quos, mihi ſi centum linguæ ſint, oraque centum,
Enumerem nunquam, liquidò neque dixero cauſas)
Immittit JUSTUM NUMEN, *(fandi atque nefandi*
Quod memor eſt ſemper,) miſeris mortalibus ægris.
Hinc meritò luimus miſerandæ crimina culpæ.
Proſternunt porrò morbi vel corpora tota,
Affiguntque homines lectis: vel viſcera torrent,
Vel caput adfligunt, aut pectus, vel latus arctè
Pungunt: inducunt manibus pedibusque tremorem.
Hos equidem humani capitales corporis hoſteis
HORSTIUS *hoc* OPERE *æterno cis pellere doctis*
Præceptis docet, ac præſcribit Pharmaca fida.
Nam Pater omnipotens, Moderator & Arbiter ævi
Primo à Principio, vaſtum cùm conderet orbem,
Radices, herbas, flores produxit in auras,
Omnia quîs impugnemus mala ſontica recto
Uſu, quem longis firmavit JATRICA *ab olim*
Temporibus, divina ſcientia, quæ Medicorum eſt.
O admirandam Bonitatem NUMINIS, *æthrâ*
Quod ſublime ſedet, donatque hæc munera tanta,
Pharmaca, radices, flores, ſuccoſque ſalubres!
Dat Medicos doctos, gnaros, gnavosque mederi!
Quos inter, ſupraque alios ſuper eminet auctor
Hic, obſervator curarum pervigil; hasque
Nempe bono generis noſtri, producit in auras.
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt
O Horſti: & cunctis ſæclis Medicina vigebit,
Fama loquetur anus famam & tua facta perenne.

GEORG. REMUS JCtus, Conſiliar. Noricus, & Acad. Altorfinæ Cancellarius.

ALIUD.

SCRIBIMUS *indocti & docti medicamina paſſim*
Et qui non didicit, porrigit Helleborum,
Sic nempe incauto dominatur opinio Mundo,
Et ſpeciem veri ſubdolus error habet.
Sed fama eſt fallax, Fortuna eſt lubrica: Solâ
Perpetua & conſtans Gloria ab Arte venit.
Pæoniis longè Celeberrime laudibus, HORSTI,
Hac macte; hanc ſcriptis perge merere tuis.
Sic quando vanos premet alta oblivio libros,
Te celebrem Medicum poſthuma fama feret.

DANIEL SENNERTUS, Phil. & Med. D. Facultatiſque Medicæ Prof. & Senior Wittebergæ.

Cla-

Clarissimorum Virorum

MONITORIA AD EDENDAS HAS OBSERVATIONES,

Ut &

JUDICIA SUPER HIS, ALIISQUE AUTORIS SCRIPTIS.

AD AUTOREM.

OBSERVATIONES tuas brevi divulgandas plures cum desiderio expectant, in quas proximis nundinis Bibliopolæ nostri Francofurti diligenter inquirent. Argent. 6. Id Jun. 1625.

Ioh. Rudolph. Salzman. D. & Prof. in Acad. Argentinensi.

Ad eundem.

EGo institutum tuum de editione Observationum Medicarum summopere probo, Deumque precor, eas tibi & corporis, & mentis vires largiatur, quò posteritati scriptis & inventis tuis plurimùm prodesse possis. Argen. 12. Jan. 1625.

Melchior Sebizius, Iunior, Med. D. & Professor ibidem.

Ad eundem.

OBservationes tuas experimentis refertas, nec non Epistolas Medicinales ego libenter viderem: quæso enitere, ut publicam lucem videant, quo iisdem quoque frui queam, &c. Onolsbachii, 10. Martii, 1624.

Tobias Knoblochius, Phil. & Med. D. & Phys. Onolsbacensis.

Ad eundem.

SOccasionem scribendi, Vir Clariss. &c. præbuit titulus Observationum tuarum. Quantum gaudii ex istius lectione acceperim, datâ operâ jam reticeo. DEUS faxit, ut observationes istæ, de quibus Reip. literariæ summoperè gratulor, futuris Nundinis Francofurtensibus feliciter prodeant. Videris in his edendis imitari Galenum, qui non solum suis amicis, ut gratificaretur; sed etiam sibi ipsi ad oblivionem senii suos conscripsit Commentarios. Hoc ipsum, quantum te novi, etiam verè dicere possum, te non popularis auræ studio incensum hoc negotium suscepisse, sed ut universis Medicinæ sacris initiatis his ipsis annotatis tuis inservires, simulque tibi ad oblivionem senii reponeres, &c. Campoduni 24. Febr. An. 1625.

Ioh. Bilger, Med. D. & Physicus ibidem Ord.

Ad eundem.

SI liceat mihi, Clariss. & Ampliss. Vir, animi mei sensus penitus promere. Epistolarum Medicinalium volumen publico mox daturus es, ut audio. Euge, quantum omnes nos, quibus vera eruditio Medica cordi est, demereberis! felici prodeat auspicio, ut omnia, quæ jam in publicum emisisti. Quod si animum tuum ad edendas observationes Medicas, quas in diuturna praxei tua congessisti, appelleres, næ maximo beneficio totam Germaniam nostram (de exteris nunc sileo) tibi obstringeres, atque adeò tuam gloriam, nomenque clarissimum latissimè diffunderes. Preces meas (simul enim ut id facias animitus oro) apud te pondus habere sinas, si quantùm te veneror, tantùm me diligis, &c. Ysnæ, XII. Cal. Martii. 1624.

Marcus Widemannus, Phil. & Med. D. Physicus Imperialis Reip. Ysnensis.

Ad eundem.

PRo transmissis disputationibus de Febribus maximas ago gratias, rogans, ut pro singulari tui Genii ductu singulares observationes continues, & publici quoque juris facias. Certè enim illæ post tuas exercitationes Nobiles de Natura humana, Pathologicas, Therapeuticas, &c. à quam plurimis expectantur. DEUS largiatur T. E. commodum valetudinis statum, quò reliquis, quos adhuc minatur, ingenii fructibus nos beare queat. Soltquellæ veteres Marchiæ Brandenburgicæ, 20. Martii, 1620.

Christophorus Witke, Phil. & Med. D. & Reip. Soltquellensis Medicus.

Ad

Ad eundem.

SEd relictis his, propius ad Ex. T. Vir πολυμαθέστατε, accedo, eandem aliorum etiam meorum condiscipulorum nomine supplex orans, ne desideratissimas observationes suas singulares diutius in tenebris latere, sed absolutas lucem aspicere, earundemque Machaonis arti operam navantes, in dulce studiorum suorum levamen, vel potius adjuvamen, participes fieri patiatur: sic Excel. T. cunctos benevolentia sibi magis devinciet, quos jam dudum totos obæratos, addictosque possidet, &c. Patavii 10. Aug. Anno 1623.

Ludovicus Hornicaus, P. Laur. C. Med. Cand.

TUæ Excellentiæ literas (Vir ob scripta de omnibus optimè merentia famigerabilis, doctrinâque excellentissime) animo sane alacri accepi, easque non sine summâ scriptoris reverentia, reputatas diligenter tandem perlegi. In quibus singularem tuam, erga me indignissimum, benevolentiam, fraternamque ergà literatos charitatem & amorem, stylo elegantiâ refertissimo, argutiâque calami eruditione atque scientiâ pleni, luculenter explicasti. Imò ex dubio profundissimo lætus emersi, insperato gaudio perfusus, dum ex illorum testimonio scripta mea, à tantæ singularitatis atque eminentiæ Viro approbata esse intellexi, quæ quidem alioquin, rudia, & inculta fere existimavi, Quæ (inquam) mundo promulgare & vulgo publicare errandi timor mediu prohibebat, ea quidem Tuæ Excellentiæ consensu atque aliorum literatorum applausu confirmata (omni formidine seposita) in publicum provenisse me minimè jam pudet, pigetve. In eo verè plus ultrâ, quod laudibus tantis eum ornare & cumulare videtur Tua Excellent. qui ingenuè se ab iis longissimè abesse fatetur, cum tales siquidem honores scientiâ dignioribus, meisque in Philosophia majoribus debeantur, &c. Opus meum Microsomicum (ad voluntatem Dominationis tuæ) Nundinis hisce vernalibus lucem videbit. Faxit Deus gloriosus, ut oculis tuis, atque aliorum, tibi doctrinâ ac scientia similium, alicujus momenti opus, aut publicatione dignum videatur: me jubet enim inscitia mei (quam scio non esse exiguam) in anxia ambiguitate hæsitare. At pennæ meæ audaciam, tua, tibique similium administrabit approbatio. Quod autem ad viros istos, tibi olim domesticos, & in Medicina candidatos, Dn. M. Andr. Schillingium, & D. Petr. Fuhrmannum attinet, (quos Dominatio vestra mihi commendare voluit) gratissimas ego T. Excel. gratias habeo pro ipsorum cognitione atque societate gratâ, quos seriò literatissimos, moribus omnimodò ornatos, honestate & modestia imbutos agnosco, quibus equidem uti internam animi mei voluntatem patefacere non potui, sic quod in mea tenuitate erat, ipsis explicare, ac omni fidelis amici in re qualibet officio fungi, ipsorum, imo verò & præcipuè vestra me urgebat humanitas. Prosperitas sit Dominationis vestræ comes, salusque vitæ Balsamum. Raptim Londino, 15. Febr. 1618.

Robertus Flud, aliâs de Fluctibus, Armig. & D. Medicus, Collegiique Londinensis in Anglia Socius.

S. Diutiusculè est, Vir Clarissime Dn. & amice honorande, cum non salutamus nos invicem literis: utrius nostrûm culpâ sit factum, nescio. Ego ut redirem ad officium, occasionem sumere volui ab hac, quam vides disputatione. Cum enim in explicandis lib. Galeni de V.P. versarer, viderem que tribui Aristoteli tàm ineptam de Usu cerebri sententiam; collatis verò locis ipsis longè aliud sese mihi offerret: cœpi cogitare de defensione Philosophi. Eam in rem, cum offenderem unum atque alterum ὁμόψηφον, confirmatior factus, concepi has de Usu cerebri secundum Aristotelem theses. Has inscribere tibi volui, non aliam ob causam, quam ibi dico. Valdè enim quam vellem eximi Genium Naturæ suspicione illâ, in quam immerentissimum illum duxit Galen. & in quâ detinent, gravantque amplius Argenterius, Laurentius, alii. Tu, nisi grave est, examina rationum momenta & dic sincerè, à qua parte stare tibi libeat? Equidem, si rectè assecutus sum mentem tuam in lib. de Nat. hum. existimo, non fore te admodum difficilem, vel ideò, quia video, te in aliis etiam perculsum aureo veritatis jubare, deserto Galeno, sequi Aristotelem. Non certè; quia Aristoteles id docuit, sed quia rerum natura id cogit nos facere. Nempe ita philosophari nos æquum est, nullius juratos in verba Magistri. Tu benè vale, & factum hoc meum Dedicationis benignè accipe. Scribo Altorfii, 23. Martii 1617.

Casparus Hoffmannus, D. in Acad. Noricâ Profess.

S. P. Noli quæso mirari, Vir Clarissime, si ignotus ego ad te scribo, notum mihi non facie, sed famâ, doctrinâ, eruditione, quæ præ aliis in te sunt eximiæ, incitatus: tum & rem medicam juvandi, expoliendique magno studio, dexteritate, fide, addo & humanitate, quæ etiam in te esse perhibetur singularis: ut si peccem, veniam pro eâ impetraturum me sperem, idque ut fiat etiam atque etiam te vehementer oro. Et ne multa temerè effundam, verbo dico, AMO TE, & scripta tua, & magni æstimo, quæ ad meas hactenus pervenire manus. Pluribus id testarer quidem, ex merito, nisi verendum, ne ad aucupandam gratiam tuam id facere viderer. Præstiti autem abundè coram Jacobo Bornitio, Reipubl. nostræ Syndico, cum quo summâ mihi intercedit necessitudo, cognato tuo. Quod si ergò rem mihi gratam facere voles, & me amicitiâ tuâ dignum censes, ad eam quæso me admitte; Sin minus, in eorum numero habe, qui te amant, tuique ingenii dona magni æstimant, semperque ex merito sunt æstimaturi.

Clariss. ICtus Iacobus Bornitius, post Sac. Cas. Maj. Rudolphi II. Consiliarius.

maturi. Vale. Dabam Suidnicii, XIV. Calend. Julias. Anno CIↃ IↃ CVII.

Tobias Fischerus, Med. D. & Phys. Reipubl. Suidnicensis in Silesia.

S. P. Literæ tuæ, Vir Clarissime & Excellentissime, amice intime, multumque honorande, unà cum tractatu tuo Scorbutico novissimè mihi redditæ, fuerunt duplici nomine gratissimæ, tum quod peracto feliciter itinere longo, laborioso ac difficili, brumali hoc tempore, salvum & incolumem tuis teipsum reddideris: tum etiam; quod pro singulari tua humanitate & benevolentia amicitiæ nostræ hîc contractæ haud immemor amicâ salute dignum me judicaveris, munus insuper veræ ac constantis amicitiæ symbolum ad me transmiseris. Quia verò sine ullo meo merito eâ humanitate & liberalitate ergà me es usus, doleo quod nihil jam occurrat, quod rependere possim, præter gratiarum actionem. Totus tamen in posterum in id incumbam, ut intelligas nihil mihi antiquum magis, quàm cum viris Clariss. politioris literaturæ & eruditionis summæ, inter quos scripta tua docta, acuta & perspicua te celebrem reddunt, frequenter literas permutare, scripto, ubi sese occasio obtulerit, de variis conferre, iisque pro ingenii & virium tenuitate satisfacere, & ad obsequia promptum & paratum me demonstrare. Illustris illius personæ, cujus nomen reticendum, affectum, quo ante quadriennium miserè conflictata & excruciata fuit, breviter & summatim à te propositum sub finem tractatus tui de scorbuto, legi: novum sanè, ac inauditum apud nos morbi genus, quod me nondum observasse fateor, atque utinam longe exulent ejusmodi affectus, cùm infinitus penè sit aliorum domesticorum, qui naturæ nostræ bellum indixerunt, eique subindè vim inferunt, numerus, quod debellare & expugnare sub veri Archiatri & naturæ ipsius vexillis studemus & contendimus. Pleniorem & ampliorem ejus descriptionem unâ cum remediis appropriatis & Illustriss. patienti præscriptis à te expectabam: verum quòd eam cum aliis observationibus medicis publici juris propediem sis facturus, spero me ex earum lectione multum fructus & utilitatis excepturum. Perge verò tu, Vir Clariss. & Excel. artem nostram egregiis & accuratis tuis scriptis ditare, illustrare, exornare: erit illud tibi honorificum, omnibus φιλιατροῖς utile, gratumque admodum: hàc ratione insuper suavem nominis tui relinques odorem & vitâ hâc miserâ & ærumnosâ cum cœlesti & beatâ permutatâ, maximum tui apud omnes erit desiderium. Hisce vale, Vir Clariss. & me tui amantiss. amare perge. Montbeligardi, 22 Decembr. 1618.

Vide hunc casum lib. 1. de febr. observ. 18.

Daniel du Vernoy, Med. D. & Archiater Wirtenberg. Montisbeligardensis.

S. Libenti animo, lætisque oculis Epistolam tuam vidi ac legi, Clariss. & Excell. Vir, amice ac fautor plurimum colende, in quâ gratias mihi agis pro levi quodam officio, & vix nomine isto digno, hîc in causa N. rogatu tuo à me præstito. Sanè ejusmodi gratiarum actione vix opus, si me ac indolem meam nosses, quippe à natura ita factum, ut in alterius gratiam ac commodum libenter me impendam, animumque ad studia, voluntatem, seu obsequia Amicorum, cupidè flectam. Amicorum, inquam, inter quos te facilè primum nunc habeo, & nuper inveni, id quod sanè gaudeo, & ob id de tàm insigni amicitiâ non parum mihi gratulor. Et quid ni gratuler? Scio enim te non solum, quod Homerus de Ulysse fatetur, παντοίης ἀρετῇσι κεκασμένον, id est, omni virtutum genere esse ornatum, sed etiam singulari quâdam prudentia, & admirabili variarum artium ac linguarum exoticarum cognitione & scientiâ instructum ac decoratum, quæ utraque ita clarè in te refulgent,

——— ut ea nec ventura silebunt
Lustra, nec ignotâ rapiet sub nube vetustas.

Magno itaque honori mihi duco, literarium istum tuum affatum: quo primus fores quasi aperuisti ad amicitiam tuam, & prima, ut ita dicam ejus semina sparsisti & jecisti, quæ ut firmas agant radices, progressuque temporis magis ac magis adolescant, & in legitimam quasi arborem excrescant, Superûm Numen rogo, &c. Benè vale. Scribebam Halæ-Saxonum, 25. April. 1615.

Matthias Untzerus, Med. D. & Phys. Ord. Halæ-Saxon.

S. Gratæ mihi fuerunt literæ tuæ, Clarissime & Excellentissime Vir, Dn. & amice honorande, tum quod constantis tui in me amoris, de quo nunquam dubitavi, testes essent, tum quod de bona fortuna tua, & nova provincia dignitatis plena referrent: tum denique alia nunciarent publica, privataque, nimirum de incremento Academiæ vestræ, Orthodoxam Ecclesiæ doctrinam foventis, & propugnantis, de successu operarum tuarum, & de *Jungermanni* istius, planè nati ad Botanicen, commoditate. Gratias itaque tibi ago pro sinceritate affectus erga me tui: Academiæ autem vestræ, & tibi & Jungermanno, cui salutem adscribo, ex animo gratulor, atque ut istam prosperitatem publicè, privatimque Deus fortunet ex animo precor: De munere autem tuo tam præclaro, lucubrationibus scilicet tuis, & accuratè elaborata de Scorbuto Disputatione, malo tacere, quam pauca dicere. Placet enim mihi quod his ipsis utilissimis laboribus excitare voluisti tum Medicinæ Candidatos, tum è Medicis etiam nonnullos ad accuratius & penitius considerandam tum Scorbuti, tum etiam aliorum affectuum naturam, &c. Placet etiam vehementer, quod cum vulgaribus remediis Chymica conjungere voluisti, quibus profectò in hac effœta mundi senecta & hominum intemperantia carere non possumus. Fortasse plura occurrent mihi prædicatione digna, cum per otium istas lucubrationes evolvam. Jam enim obiter & per transennam quædam inspexi, &c. Remitto pro-

Commendatur usus Chymiatriæ.

programma, adjectis quibusdam aliis, quæ pro humanitate atque candore tuo boni consules. Bene vale. Jenæ 26. Martii 1609.

Zacharias Brendelius, Senior, Phil. & Med. D. ac Professor in Academ. Ienensi.

S. Serius ego literis tuis respondeo, Clariss. atque Excellentiss. mi Domine Horsti, amice singulariter honorande. Redditæ mihi namque & illæ serò sunt, aliàs profectò non tam diu scribendi vices istas protulissem. Sed & maturius id facere vetare aliquo modo videbantur occupationes, cum meæ, quas mihi nuptiarum filiæ meæ primogeniæ apparatus, tum tuæ, quas tibi, nova illa & honesta Professionis tuæ, conditio cumulatim aggregavit. De qua ex animo tibi verè gratulor, & ut tibi in decus & honorem, literari æque Reipubl. commodum atque incrementum illa cedat, Deum unicè precor. Cæterùm ad problemata tua me converto Medica, quæ Deus bone! quam ad gustum & salivam meam: novit ille, me non fallere, etsi hoc velim vel auribus tuis, vel gratiæ aucupandæ dare, non propitium eum mihi optem. Miror & summi facio, ut & quæ hactenus à te profecta sunt omnia, quæ sane etiam ætas & usus magis, magisque confirmabit, ut te singulari fato ad illustrandum hocce modo artem nostram Medicam excitatum esse certo mihi persuadeam. Et semper mihi placuêre illi, qui principia Hippocratica cum Hermeticis conjunxere, ut qui aliter etiam faciendum sentiat, eum ego nihil sapere censeam. Quæso te, nec curam hanc pone, sed quod facis, strenue in opere hoc perge, &c. Sed finem facio, & te cum tuis diu valere opto. Dab. Suidnicii Silesiorum 3. Non. Martias, anno Epoches Christianæ M. DC. IX.

Hippocratica cum Hermeticis esse jungenda.

Tobias Fischerus, D. & Med. Reipubl. Suidnicensis in Silesia.

S. Constantia tua, in excolenda amicitia semel inter nos contracta, Excellentissime & Clarissime Dn. Doctor Gregori, sicut apud me laudem meretur summam: ita eandem ego, si negligenter tractarem, ingratissimus videri possem, tantique viri complexu verè indignus. Quapropter faciendum mihi minimè puto, ut sine meis tabellarium ad vos reverti patiar, & pro pio voto de felici præsentis anni auspicio atque felicissimo successu gratias non agam. Ago igitur quas possum maximas, atque ex animo precor Deum opt. max. non tantum hoc anno tibi præsentem, & omnium rerum tuarum Directorem: verum etiam in posterum per totum vitæ curriculum, προστάτην omnium tuorum conatuum, actionum & meditationum, ut omnes concedant in laudem sacrosanctæ Trinitatis, & in emolumentum proprium, utilitatemque proximi. Deinde cum animus sit, in Academia, hoc est, in conversatione doctissimorum hominum, vitam transigere, plurimisque prodesse velle: etiam ad eam rem honesta Professionis Medicæ conditio ultro tibi offeratur; tantam felicitatem tibi gratulor. Elegisti profectò vitæ genus, quod ego inter optima recensendum & numerandum puto, in quo desiderium illud cuivis homini innatum, quam facilimè consequi atque explere potes atque alios de rebus optimis docere atque informare. Hanc itaque felicitatem tibi perpetuam esse volo. Cæterum pro doctissimis tuis lucubrationibus transmissis habeo gratiam, quas diligenter & cum desiderario legam. Tibi quod remittam, Clarissime Vir, habeo nihil, præter semina pauca, quæ Magnificus D. D. Oberndorferus, amicus noster communis, communicavit, quæ una cum literis ejusdem ad te datis accipe, & æqui bonique consule. Hisce bene vale, Vir excellentissime. Dabam Ratisbonæ 3. Martii 1607.

Commendatio vitæ Academicæ.

Martinus Sollfleis, D. & Reipubl. Ratisbonensis Physicus Ordinarius.

S. Quod hactenus ad binas tuas literas, tibi Vir Clarissime atque Excellentissime, fautor & amice semper observande, non respondi, ex unicâ hâc causa factum fuit, quod notum illud negotium minus expeditum, &c. Jam quod superest, problemata Decadum quinque priorum, à T. Excel. nuper edita, non tam libenter accepi, quam legi, & ex iis eruditos tuos & laudabiles conatus multis commendavi, quanquam (quod ajunt) vino vendibili non opus sit suspensâ hederâ, meâque commendatione nil egeant, Utinam integra centuria ejusmodi quæstionum, quod polliceris brevi in lucem prodiret. Video enim hâc ratione studium Medicinæ aliàs difficillimum & satis intricatum facilimâ methodo & parvo labore ab exercitatis Medicinæ Studiosis intelligi ac comprehendi posse, quod olim mihi studioso contingere non potuit. Perge igitùr, mi amicissime Dn. Doctor, & quocunque studio juvare potes (potes autem quam plurimum) artem Medicam verè divinam & laudabilem juva, nec dubita, quin à multis præclaris & doctis viris in multis regionibus nunquam intermorituram gloriam & favorem exinde sis deportaturus. Hisce certè T. Ex. sibi persuadeat velim, me etiam in posterum quocunque voluerit tempore omnia facturum, expediturumque. Interim valeas & me ames, quem valere & amare cupio æternum. Dabantur raptim Misenæ 22. Maji, Anno 1608.

Commendatio problematum Medicorum.

Georgius Beltzerus D. Medicus & Physicus Ordinarius Reipubl. Misenensis.

OBservationes tuas completas maximè desidero. Gratulabor autem rei nostræ Medicæ de hoc tuo labore, qui nil nisi communem salutem, & publicum commodum spirare poterit. Non enim arcanâ vel crepas, vel planè abscondis, ut multi argenti extenebronides, & fatuosi Midæ, sed Methodo instendum, naturamque

râmque unice obſervandam eſſe mones, ſimul quæ comperta habes, candidè communicas, quod ſi omnes facerent, melius de Medicis quidam ſentirent, qui à nugivendulis pſeudochymico-Medicis decepti pecuniæ & valetudinis jacturam patiuntur & per eſſentias proprietatis impropriè curantur, vel potius jugulantur.

Chriſtophorus Witke, Phil. & Med. D. & Phyſicus Soltquellenſis.

CÆterùm quam avidè mecum multi promiſſam Obſervationum & Epiſtolarum Medicarum continuationem, & alios, quos domi ſecum fovet Ex. V. tractatus expectent, non eſt, quod multis ego minimus exaggerem. Id jam ante Ex. v. ex aliis perſpectum erit abundè. Præter quod ſuo jure debentur uſuræ publicæ: ut quem Academiæ diſerto more & ore rotundo loquentem audire non amplius poſſint, ſaltem ſcribendo docentem omnis Medica percipiat, & fructum inde ſuum liguriat Reſpublica, &c. Eſslingæ 4. Octob. 1626.

Ioann. Erhardus Cellius, D. Reipubl. Eßlingenſis Phyſicus.

MAgnoperè gaviſus ſum, ubi inter libros ſequentibus nundinis prodituros reperiſſem continuationem Obſervationum tuarum, Muſas & Meditrinam teſtor, ut ego cum deſiderio tua deſidero, queis, neſcio, an melius quid in praxi verſantibus contingere poſſit aliud. Quapropter te impendiò non poſſum non obteſtari, moram omnem præcidas, atque theſaurum illum Medicum communi bono quamprimum aperias. Grata is manu accipietur ab Æſculapii nepotibus, atque (quod feliciter ominor) æternum relinquet, tàm animis, quàm ſcriptis eruditiorum autori ſuo virtutis, Honoriſque trophæum, &c.

Ioh. Philippus Lottichius, Phil. & Med. D. ac Profeſſ. in Academ. Reindelenſi.

IPſas Obſervationes & problemata tua, cum Epiſtolica ventilatione Medica, quod attinet, eorum legendorum relegendorumque nulla capit, neque capiet me ſatietas. Nihil hîc de vulgo. Singularia multa: arguta, & acuta quoque. Sed & ingeniorum jucunda varietas: omnium vero ſumma utilitas. DEUS te nobis ſervet ſoſpitem, &c.

Ioh. Plachetius, Phil. & Med. D. & Aula Wirtembergicæ Medicus.

PRoblemata tua quando lucem, & nos ipſa videbimus? prodeant hortor, mi Horſti, perge te & ævum illuſtrare, & fugitivum jam penè è Germaniâ Apollinem, aut certè per bellum jacentem, ſiſtere & excitare.

Samuel Cloſſaus, Philoſ. & Med. D. & Phyſicus Metenſis.

INDEX
OBSERVATIONUM MEDICARUM
SINGULARIUM.

LIBER I.
De Febribus.

LIBER II.
De Morbis Capitis.

XVIII. Me-

LIBER III.

De Morbis Pectoris.

LIBER IV.

De Morbis infimi Ventris.

 IX. *Ru-*

LIBER V.
De Morbis Mulierum.

XXXI. *Si-*

XV. *Tumor*

OBSERVATIONUM MEDICARUM SINGULARIUM
LIBER PRIMUS DE
FEBRIBUS.

OBSERVATIO I.
Diaria ex æstu Solis.

IUVENIS *quidam Studiosus Witebergæ prælectiones nostras philosophicas anno sexcentesimo tertio frequentans, 22. annorum, temperamento calido humido præditus, in canicularibus sub solis ardore per diem integrum iter faciens, vesperi febricitat, absque praeunte horrore, calor actu mitis & halituosus deprehenditur, lotium parumper tinctum, aliâs maximè naturale, pulsus à naturali statu, præterquam quod diastole major, non different.*

RESOLUTIO.

Cognitio febris Diariæ. FEBRIS *Diaria* colligitur, quia invasio adest *absq; horrore* vel concussione, quod non fit, ubi succis interius putrescentibus paroxysmus febrilis incipit: *causâ agente primitivâ*, quod maximè diariarum proprium, unde hic rariùs à causâ morbi indicatio sumitur: *Calor actu mitis est & halituosus*, qualis in iratis vel etiam vino ebriis observari solet, spirituosâ scil. substantiâ in corpore effervescente, ut caput quasi deuri videretur, vasis in facie intumescentibus & oculis rubentibus: *Vrina naturalis*; quatenus nihil putredinis in venoso genere: *parumper tincta*, propter laboriosam commotionem itineris: *Pulsus naturalis, & in distensione major*, propter indigentiam majoris refrigerationis, absente copiâ fuliginum, quod aliâs compressionem auget. His positis subsequentes oriuntur indicationes.

Indicationes Curativæ. 1. FEBRIS *Diaria ex æstu solis*, in temperamento calido humido, indicat sudorem promovendum sub febris inclinationem, ut calor præter naturam spirituosæ substantiæ per habitum corporis introductus dissipetur, ac instans putredo succorum inhibeatur. 2. *Relicta intemperies* calida sicca victum modicè refrigerantem ac humectantem, & balneum indicat. Huic ergo rectè circa febris inclinationem sudorem imperavimus, quo confertim fluente, febris soluta fuit totaliter, quam ob causam ptisanæ cremore, vitellis ovorum ac brodiis carnium contusarum sequenti die nutrivimus, ac absolutâ concoctione Balneum aquæ dulcis temperatè calidæ concessimus.

OBSERVATIO II.
Diaria ex frigore externo cutis poros obstruente.

CVm *Anno 1609. mense Febr. ad illustriss. meum Grunbergæ tunc temporis commorantem abirem, iter eques in intenso frigore faciens, vesperi ad aulam perveniens, anxietatem pectoris, animiq; deliquium incipiens sentio, febrilemq; calorem deprehendo, quam ob causam ad hospitium properans, panem cum vino sumens, ad lectum me confero: calor præternaturalis adest blandus, cutis sensim uda redditur, pulsus à naturali non differt, nisi celeritate distensionis.*

RESOLUTIO.

Indicationes Curativæ. FEBRIM *ex refrigeratione cutis Ephemeram* hîc spero, quam ob causam *cutis poros obstructos resolvendos, retentas fuliginosas exhalationes vi transpirationis & sudoris evacuandas, &, ne putrida subsequatur, prospiciendum esse duxi.* Hinc ad sudorem inclinante febrili calore me totum disposui, inprimis cum udum calorem sudoris nuncium deprehenderem, ut ita *pectoris anxietatem animiq; deliquium* ob denegatam eventilationem oborta, præcaverem. Expeditis subsequenti die negotiis, quæ ratio officii requirebat, domum repetii, & *nauseam*, superabundantis materiæ circa primam regionem signum, deprehendens, *concurrente simul urinâ tinctâ*, propter metum febris putridæ, lenitivum premitto, quod ℞. Elect. de Tamarind. & Passul.

& Passul. cum tinctura fol. senæ extractis ℥ß. Elect. caryocost. descript. Gal. ʒ ij. cum Sacchato F. bolus. Mox die subseq. venam incido, ac sudore tandem sequente, quod reliquum erat, discutio.

OBSERVATIO III.

Diaria ex bubone circa inguina.

ANno 1617. 24. *Martij Studiosus Danus, Iohannes Musenius, annorum 20. eusarcus, & constitutione calidus & humidus, de febri conqueritur, unà cum dore glandularum circa pubem inflammatarum: urina sanorum similima: pulsus itidem celer aliquantulum, & calor corporis mitis ferè concurrunt, præsenti simul alvi per dies aliquot obstructione.*

RESOLVTIO.

Cognitio morbi.

CUm inflammatio glandularum circa pubem febrim præcesserit, colligo, *febrim à caliditate bubonis productam diariam* adesse, cujus generatio fit, quando per modum attractionis (non transmissionis, quatenus febrim generatam interdum talis inflammatio excipit) bubo genitus calefactione continuâ cordis spiritus alterat, ut consequenter febris oriatur. Hinc præsens *alvi obstructio sui contrarium indicabat*, quam ob causam præscripsimus, sub inclinationem febris ejusmodi lenitivum. ℞. Decoct. prunorum & passul. ℥ iij. Syr. Rof. solut. ℥j. Mannæ Calabt. ʒvj. Cremoris Tartari ℈ j.s. M. Fiat potio. Post cujus usum aliquoties depositis alvi retentis, somnus subsequutus est amicus, quem largus sudor febrim dissipans excipit, tumore circa glandulas prædictas à natura sensim dissoluto.

Indicationes.

OBSERVATIO IV.

Tertiana exquisita intermittens per Crisin finita.

ADolescens 21. *ann. calidus siccus, laboribus studiorum diligenter incumbens, in canicularibus incidit in febrim cum rigore, calore præternaturali multo & acri, pulsu veloce, magno, vehemente & frequenti, sine aqualitate, urinâ subflavâ, quæ quarto die coctionis signum exhibebat, supervenientibus bilioso vomitu post rigorem, dolore dorsi, gravitate hypogastrii, & intermissione febris totali.*

RESOLVTIO.

Tertianæ exquisitæ cognitio.

CUm æger hic difficulter paroxysmum pateretur, præsentibus tamen signis potius salutarem, quàm malignum affectum indicantibus, statim colligimus adesse *febrim tertianam exquisitam* à bile putrescente productam, quam innuit *rigor in principio*, aliis febribus aliàs non familiaris, *calor* itidem *multis & acris*, cùm propter humoris peccantis tenuitatem & intensionem, citò febrilis caliditas intendatur & promptè per omne corpus penetret, unde *pulsus prædictus* oritur, ipsaque *urina* caloris & bilis superabundantis notam exhibet, quam ob causam *bylis vomitio* frequens post rigorem, commotâ bile in paroxysmo, supervenit, unà cum *dolore dorsi, & gravitate hypochondrii*, eò scilicet commotâ materiâ, cum *signis coctionis in urinâ*, quod crisin futuram, ejusque modum, scilicet per urinam, die critico bono prænunciabat. *Hîc bilis superabundans indicabat sui evacuationem: calor præter naturalis alterandus, & signa futuram Crisin indicantia circa dies criticos, naturam minimè irritandam medicamentis innuebant.* Ergò secundâ die juxta primam indicationem potionem ad bilis evacuationem hoc modo præscripsimus. ℞. Rad. Cich. ʒij. Polypod. ℥ß. Fol. senæ f. f. ʒiij. Sem. fœnic. ʒj. Passul. minor. ʒvj. F. decoctum in f. q. Aq. pluvialis destillatæ vel sero lactis destillato: col. ℥iv. In colatura infunde per noctem Rhab. ʒjß. Cinnam. ℈j. manè coletur cum expressione; colati post subsidentiam sume ℥ijß. Syr. Rof. solut. ℥j. M. F. haustus. Hoc modo bile evacuatâ pro caloris alteratione sub vesperam horâ 3. concessimus Julap. sequens, quod ℞. Syr. acetos. Citri. ℥j. de succo acetosæ. de succo Endiv. an. ℥ß. Aq. Acetosæ ℥jv. Spirit. Vitrioli gutt. vij. M. His peractis 3. & 5. paroxysmus rediit, sed apparentibus coctionis signis in urinis, spem de futurâ crisi die 7. concipimus, indicante modum ejus *dolore dorsi & hypogastrii gravitate*, quam ob causam solis alterantibus contentus fui, victo tenuissimo prescripto, ubi natura predicto per copiosam urinam, quod supererat, criticè evacuavit, febri non redeunte.

Indicationes.

Materiæ auxiliorum.

Solutio morbi per Crisin.

OBSERVATIO V.

Tertiana exquisita intermittens cum insigni dolore & pruritu cutis.

CVm *Anno 1597. Studiorum gratiâ Helmstadii apud Dominum Patruum Iacobum Horstium, piæ memoriæ, Medicum peritissimum, viverem, ex vicinâ quâdam Vrbe, vir consularis opem Medicam ipsius implorabat, qui febri prehensus, præter signa tertianis exquisitis propria, tàm ipsius paroxysmi tempore, quàm die intermissionis, intolerabile vago dolore, prurituque cutis afficiebatur, cum exanthematibus, partim rubris, partim albis, ac si virgis casus esset, quam ob causam suspicionem veneni assumpti, sed falsò, concipit.*

RESOLVTIO.

Signa febris tertianæ.

SIgna, quæ *pulsus, urina, rigor invasionis tempore*, & alia subministrabant, *febrim tertianam exquisitam* monstrabant: Superveniens autem *dolor vagus, & pruritus corporis, cum exanthematibus rubris & albicantibus*, materiam biliosam effervescentem ac turgentem innuebant. Ergo *bilis in toto superabundans sui evacuationem indicabat*, idque præcedente potione digestivâ, quæ mox exhibebatur vesperi, ac ℞. Aq. Acetosæ ℥j. Borrag: fumi terræ an ℥j. Syr. de succo acetosæ ℥j. de Syr. Borrag. ℥ß. M. quâ præmissâ, die subsequente, quæ intermittens erat, potio purgans usurpatur, quæ ℞. Decoct. phlegmag. cholag. ℥jv. Mannæ ℥j. Syr.

Symptomatarum superveniens.

Indicationes curādi.

Syr. Rof. folut. ℥ß. M. Hisce turgentes humores sistebantur, ut adhibitis paucis aliis ad reliquias bilis discutiendas, & febrilem calorem alterandum, brevi sanitatis restitutio sequeretur.

Cautio quoad turgẽtes humores in febrib.

NOTANDUM verò turgentium humorum impetum in febribus minimè negligendum juxta Hippocr. Aphor. ubi inprimis eò respiciendum, ut observemus, quò natura vergat: Si enim unà cum febri vagi dolores magis ad alvum inclinare videantur, ut interdum excernendi conatus sese offerat, natura per clysterem juvanda: Si versus superiora vergat, & nauseam pariat, vomitorium adsit, mediocre tamen, ne, quod aliàs in motu, magis perturbetur.

OBSERVATIO VI.

Tertiana alia ejusdem ferè tenoris.

VIr Consularis Dn. Vitus Martalles, anno ætatis 60. sub finem Martij 1625. in similia symptomata tertianam febrim causoden indicantia, subitaque quoque pruritu totius corporis, pustulisque elevatis undique prorumpentibus.

Vocatus ob alvi constipationem protinus clysterem ordino, qui

℞. Rad. Cich.
acetos. 6 ℥ ß.
Ital. mat.
Alth. ana Mj.
Acetos.
Endiv. 6. ana. Mß.
Scord. Mj. ß.
Fol. sen. s. s. ʒ vj.
Hord. mund. Mß.
Sem. Lini.
Fœnugr. 6. ʒiij.
Fœnic. ʒß.
Fic. n. 6.
Passul. min. ℥j.
Incisa & contusa coq. in s. q. aq. ad ℥.
Col. ℔j. adde
El. hier. picr. ʒj.
Rosar. Mes. ℥ß.
Ol. Violar. ℥ij.
Camem. ℥j.
Mellis Rof. col. ℥j.
Vit. Ov. n. j.
f. Enem.

Hoc modo satis laxatis primis vijs, cum alteratione fervoris interioris, naturam adjuvare conati sumus diaphoretico per exhibitionem Lap. Bezoart. cum Pulv. rubr. pannon. qua ratione sudore sufficienter provocato, pruritus in pustulosa cute pedetentim remisit, ulterioris alterationis gratia præscripta potiuncula pro 2. vicibus.

℞. Rad. Cichor.
Acetos. 6 ℥ß.
C. C. usti pp. ʒvj.
Sem. Citri.
Anisi 6 ʒ ß.
Passul. min. ℥ vj.
F. decort. in s. q. aq. ad 3.
Col. ℥viiij.
adde
Syr. Bysant. s.
Oxys. comp. 6 ℥jß.
Spir. vitriol. ℈ß.
M.

Item ℞. Sem. Papav. alb. ʒß.
Amygd. dulc. ex cort. ℥j.
Aq. Ciot.
Acetos. 6 ℔ß.
Card. ben. ℥iij.
F. Emuls. Col. adde
C. C. usti pp. ʒj ß.
Corall. rubr. pp.
Marg. pp. 6 ʒ ß.
Conf. manus Christ. prælat. ℥j.
Sach. cand. ℥ß.
Aq. cin. cochl. j. M.

Exterius ℞. Unguent. Alab. ʒij.
Land. op. cum mag. gr. iij.
Ol. Rof. q. s. pro somn. conc.

Hisce Dei gratia brevi rectissime convaluit.

OBSERVATIO VII.

Alia ejusdem ferè tenoris.

VIrgo consistentis ætatis Regina Rokebrotin sub initium Decembr. 1628. in horrorem atq; calorem cum compressione circa stomachum incidit, ubi protinus undique per totum corpus pruritus atque pustulæ, quasi urticis ad modum cæsa fuerit, erumpunt.

Benè sperare laborantem jubeo, nec non confestim puto. Rubrum Pannon. cum Terr. Sigill. & C.C. in aq. fum. & fl. sambuc. exhibeo, quo semel adhuc iterato, disparuerunt exanthemata, victu simul effervescentiam bilis alterante, denique Cholagogo ex Syr. de Manu. Rosat. solut. cum extr. Rhab, imperato. Supervenientibus inter & naturaliter fluentibus mensibus plenariè pristinæ sanitati Dei gratiâ & naturæ beneficio restitutus fueram.

OBSERVATIO VIII.

Alia non absimilis.

ILlustrissima Princeps, Landgrafii Leuctenbergici conjux, juvencula, postquam per septimanas duas thermis Dalphingensibus usa esset, 23. Maij 1629. hic Vlmæ non tantum subitaneam nauseam sentit, sed concurrente lassitudine spontanea, siti vehementi torquetur, undique toto corpore pustuloso pruritu colorato, quasi morbillis laboraret.

Vocatus 24. Maij protinus pronuncio febrim adesse biliosam, cujus ratione naturâ robustior acrimoniam biliosi sanguinis abundantis versus cutim expellat, quam ob causam laborantem bono animo esse jubeo, facto prognostico, quod adhibendis adhibitis intra triduum restitutio fieri possit. Protinus igitur ordino bolum purgantem ex El. de Tam. ℥iij. Can. Cost. ʒij. Extr. Rhab. ℈j. Cum sach. f. bolus, quo adhibito mox vomitus sinceræ bilis sequitur superius & inferius subsequente levamine exoptato. Sitis causa decoctum rad. acetos. cum C. C. Sacch. cand. & aliis præscribitur addito Syrupo violato, acetos. Citr. & Spir. Salis. Nox subsequitur quieta, quam ob causam diaphoreticum exhibetur ex Lap. Bezoar cum Magist. Perlarum & C.C. phil. præp. in aq. Veron. & fumar. sudore largo profluente, simulque non tantum intemperie & siti correcto, sed maculis penitus disparentibus.

OBSERVATIO IX.

Tertiana Exquisita in corpore plethorico.

VIR Nobilis ac strenuus in inferiori Hassia, Iohann. Schwertzel à Willingshausen, ætatis ann. 32. constitutione corporis plethoricus, carnosus & quadratus, incidit in febrim cum vomitione bilis, ac insigni rigore, quæ per integram noctem protrahitur: vocatus anno 1617. Mense Majo, die 28. à Meridie, qui ipsi intermittens erat, accedens, eundem penitus à febre liberum, aliquo modo tamen debilitatum deprehendo, cum urinâ flavâ, quæ post coagulationem tartarem febrilem rubrum deponebat.

RESOLUTIO.

Determinatio morbi.

CONSIDERATIS signis *febrim tertianam exquisitam intermittentem* esse judicabam, eamque ultra 7. paroxysmum extendi non posse dixi, modò nullus error committatur. Hinc ergò *bilem alterandam & evacuandam* esse statui, *venæsectionem quoque* corporis constitutio plethorica non negligendam indicabat:

Curativæ intentiones.

imminens præterea minorum vasorum obstructio, sui reclusionem requirebat, & *massa sanguinea ad putredinem prompta* per alterantia corrigenda, & per *sudorifera* purificanda veniebat. Ergò mox intermittente die, circa vesperam, stomacho vacuo, pro evacuatione lenitiva sequentem exhibeo bolum. ℞. Elect. de Tamar. d.n.℥ß. Caryocost. ʒij ß. M. cum Succharo f. bolus. Quo sumpto brodij pisorum haustum pro abstersione superbibit, ac leniter aliquoties evacuatus, quietam noctem transigit, manè paroxysmo leviori redeunte. Hinc naturæ commisso negotio die sequente, prid. fc. Calend. Junij, venæ sectionem instituimus, cum successu, & in urinâ signis mutatis ad statum meliorem, febris totalem intermissionem speramus, ordinatis simul ijs, quæ alterant & putredini resistunt, ut fuit Pulvis de C.C. U. præparato & terrâ sigillatâ an. ʒß. cum haustu Aq. Fumariæ, duabus vicibus pro sudore movendo sumtus, & quotidianus usus brodij rad. Cichorij, earumque conservæ, quibus, sublatâ causâ febrili per evacuationem & venæ sectionem, quod superfuit, resolutum ac discussum fuit.

OBSERVATIO X.

Tertiana Exquisita Causodes, per alvi dejectionem Criticam finita.

CUm Anno 1613. circa Maij tempus quibusdam Illustribus personis in thermis Embsensibus curandæ valetudinis gratiâ præessem, ipseq; balneo thermarum, unà cum aliis uterer, nescio quam calidam intemperiem, usu thermarum contractam, subsequenti mense sentire capi, quam ob causam usum medicamentorum, ob iter cum Illustrissimo ad Comitia Ratisbonensia circa solstitium æstivum suscipiendum, negligens, in prædicto itinere, cùm calor æstatis intensior esset, in febrim incido, cùm præeunte rigore vehementi, subsequenti mox intensissimo calore, anxietate maxima, cum membrorum hinc & inde jactatione variâ, insigni pervigiliâ conjunctâ, quam tandem ad diem naturalem ferè extensam totalis intermissio excepit, eodem modo circa 3. febri redeunte.

RESOLUTIO.

Occasio febris tertianæ causodis.

OB inordinatum thermarum usum, animi potius, quàm sanitatis gratiâ, cum alijs institutum, internorumque medicamentorum neglectum, bilem copiosiùs collectam fuisse verno tempore facilè patet, quapropter *febris interna causa* manifesta redditur, inprimis in constitutione calidâ, vigente ætate. Quanquam verò

Tertiana Causodes quomodo cognoscatur.

invasio tertianam exquisitam testaretur, nihilominus excessus symptomatum, calor intensissimus & intolerabilis anxietas, cum totali tamen intermissione *febrim tertianam causodem* à Galeno dictam, quam etiam *Hipp. lib. de Affect.* innuit, demonstrabant. *Hinc bilem turgentem* mox evacuandam, *totum corpus à plethora* liberandum, *& intemperiem calidam, unà cum putredine malignâ*, promptè corrigendam duxi.

Indicationes Curativa.

Cum autem ob conjunctas vomitiones & nauseam vix quicquam de communibus medicamentis cholagogis retinere possem, pro præparatione circa vesperam secundi paroxysmi (citiùs enim propter continuationem itineris ad usum medicamentorum pervenire non poteram) sequentem Syrupum sumpsi. ℞. Syr. granat. Acid. ℥ij. Spiritus Vitrioli gutt. vij. Aq. Acetosæ, ℥ß. M. quo sumpto vomitiones sistebantur, bilis effervescens temperabatur, & evaporationes ad caput somnum impedientes supprimebantur. Sequente die, qui febris intermittens erat, Tartari vitriolati ʒj. cum gr. ij. diagryd. in aliquot Cochlearibus vini absynthij calidi hausi, cujus operatione bilis evacuatio egregia fuit subsequuta. Redeunte febre, die morbi 5. mitiori quidem, circa paroxysmi tertii declinationem, ob vires maximè debilitatas, sorbitionem hordei decorticati sumens Hippocr. imitabar, qui citato l. hoc ipsum consulit, & ob sitis vehementiam cerevisiam,

qui

cui recens malum citrium infusum erat, unà cum pane trito bibebam, consuetudini fidens, qui cerevisiâ ab ineunte ætate educatus fueram. Cùm autem propter plenitudinem moderandam sollicitus essem. die paroxysmi tertio venæ sectionem institui, idque cum successu signis concoctionis sese offerentibus, quam ob causam spem bonam de quarto paroxysmo non futuro suscipiebam. Quid fit? Naturâ ab onere ulteriori liberatâ sub noctem diarrhæam producit biliosam criticam, cum facilitate & robore virium, quâ vel vicesies alvum biliosis excretis dejiciens, sanitati, Dei gratiâ ab acuto morbo restituebar, corroborantibus tantum & vires, & malignam putredinem respicientibus in convalescentiâ utens.

Solutio morbi per crisin.

OBSERVATIO XI.

Tertiana exquisita cum insigni amaritudine oris.

CUm patruus meus p. m. Iacob. Horstius, Med. Professor in Acad. Juliâ, aliquando in visitando Pharmacopolio plurimùm occupatus esset, in rigorem magnum incidebat, tum calore excedente, & insigni oris amaritie, ita ut sitiens etiam admodum, nihilominus, propter saporem infectum, à potulentis abhorreret: protracta febris invasio tandem in totalem intermissionem desinit, ipsâ tamen oris amaritie remanente.

RESOLUTIO.

PRæter ea quæ hîc tertianam exquisitam testantur, adsunt etiam signa particularia, bilem non tantùm copiâ superabundantem in toto, sed etiam maximè linguæ tunicæ infusam demonstrantia. Hinc ergò *febris non solum respicienda veniebat, sed etiam humor biliosus amaritie suâ molestus, ejusmodi evacuationem indicabat*, quæ ex remotioribus partibus traheret, non neglectis iis, quæ bilem ejusmodi temperare soleant; quod medicamentis digestivis, refrigerantibus ac humectantibus fieri potest. Unde die intermittente pro bilis evacuatione bolus sequens fuit usurpatus. ℞. Elect. Lenit. ℥ß. de succo Rosf. ʒij. cum saccharo, F. bolus. Hæc medicamenti forma præ liquidioribus hîc arridebat, propterea, quod ex longinquo magis attrahat, quam ob causam alij ad pilularum etiam usum accedunt, ubi calor vehementior remisit, verbi gratiâ

Symptomatis urgentis ratio.

Indicationes.

Materia auxiliorum.

℞. Massæ pilul. de Rhabarb.
Cochiar. Aurear. an. ℈j.
Aq. Borrag. q. s. F. pil. nro. xv.

Hoc modo purgatâ bile die 3. paroxysmus rediit, quâ Naturæ commisso negotio nihil, præter alterantia, fuit adhibitum, inprimis Julapium: quod

℞. Julap. Viol. ℥ij.
Rosf. ℥j ß.
Aq. Borrag. ℥j.
Spir. Vitrioli gutt. vj. M.

Cum autem & quarto die, qui intermittens erat, oris amarities maneret, potio bilem alterans hoc modo continuata fuit:

℞. Aq. Borrag.
Acetosæ,
Lactucæ ana ℥j.
Syr. de succo granat. acid. ℥j.
Borrag. ℥ß. M.

De hinc die 6. sumpsit æger potionem purgantem, ex decocto phlegmacholagogo ℥iij. Mannæ Calabrinæ ℥j. quâ satis operante circa vesperam lambit julapiū sequens, quod

℞. Julap. viol. ℥ij.
Rosf. ℥j ß.
Aq. Borrag. ℥j.

His usurpatis ultimus paroxysmus prehendit, qui insigni sudore finitur, remanente tamen per dies aliquot amaritie oris satis molestâ, donec cibis sorbilibus atq; refrigerantibus bilis residua omninò temperaretur ac dissiparetur.

OBSERVATIO XII.

Tertiana Notha tandem usu acidularum expugnata.

VIr juvenis Nobilis, Albertus à Creutzen, Eques Borussus, 25. annorum, naturâ biliosus, ob sedentariam vitam ac studiorum continuationem otiosus, hoc verno tempore anno 1618. incidit in febrim cum horrore, vomitu biliosorū tenacium ac pituitosorum excretorum permistorum, calore totius corporis non admodum acri, capitis dolore tensivo, urinâ subflavâ, crudâ q; subsequente totali febris intermissione, cum paroxysmus ferè ultra horas 12. protractus esset.

RESOLUTIO.

CUM præsens æger bilem per se, ac pituitam per accidens, ob vitæ genus sedentarium collegisset, *febrim tertianam notham* ob causas dictas patiebatur; *verno tempore*, quod ad ejusmodi morbum in disposito subjecto sat accommodatum est, ob pituitosas collectiones per hyemem præcedentem auctas, & post unà cum bile ebulliente pultrescentes. Invasit *cum horrore*, quatenus bilis cum pituitâ permixtâ non tàm acriter sensiles partes afficit, ut in tertianâ exquisitâ, *cum vomitu biliosi & pituitosi humoris permisti*, quod materiam peccantem, inprimisque circa viscera coctionis abundantem innuebat. Cum *calore non admodum acri*, scil. qualis in exquisita aliàs occurrit, ob exhalationes febriles permistis humoribus contrariis magis temperatas: cum capitis *dolore tensivo*, propter exhalationes febriles pituitosos humores in capite solventes: cum *urinâ subflavâ, crudâque*, obstructiones circa mesenterium & reliqua viscera concoctionis à materiâ tenaciori denotante: cum *pulsu celeri*, non tamen ita aucto, quemadmodum in exquisita: *paroxysmo ultra 12. horas protracto*, quod etiam in exquisitâ fieri non solet.

Febris tertiana notha occasio.

Hîc bilis & pituita cum crudis obstructionibus præparationem & evacuationem indicabant, adhibitis primò iis, quæ materiam circa ventriculum, & proximas

Curatio.

vias abundantem per vomitum aut alvum leniter dejiciunt, *subsequentibus deinde non tàm respectu febris* refrigerantibus ac humectantibus pro alteratione, quod curativa indicatio vult, quàm attenuantibus, incidentibus & quodammodo calefacientibus, *respectu causa*, quæ in crudis obstructionibus, à permistis humoribus prodeuntibus, consistit, ut eò felicius evacuatio consequenter ex cholagogis & phlegmagogis institui queat. Mox ergo die intermittente decocti phlegma: Cholagogi ℥iij. cum ℥j. Syr. rof. solut. pro leniendâ alvo exhibuimus: dehinc tertio die propter futurum paroxysmum inediam imperavimus, atq; in ipsâ accessione post horas aliquot Julapium sequens pro refectione concessimus, quod ℞. Aq. Endiviæ, Fragor. an. ℥v. Syr. acetos. s. de succo End. an. ℥j. Spir. vitrioli, gutt. viij. M. Paroxysmo finito digestivam potionem ejusmodi ad duas vices ordinavimus,

Materia medica.

℞. Rad. Cichor. ℥ß.
Petrosel.
Glyzyrrh. rasæ an ℥ij.
Herb. centaur. min.
Card. bened. an Mß.
Passul. minorum ℥ß.
Sem. Anisi ʒj. F. decoctum in s. q. seri lactis caprini. cola ℥vij. adde Syr. de Cichor. cum Rhab. ℥ij. Cremoris Tartar. opt. dissoluti ℈ij. M. Signetur digestiv tranckllein auf zweymal. Hic digestivo præmisso purgans ejusmodi fuit adhibitum, quod bilem & pituitam peccantem traheret; v. gr. ℞. Diaturbith cum Rhabarb. ℈iijß. Cremoris Tartar. ℈ß. Cum brodio pisorum jejuno stomacho die intermittente sumatur. His & similibus aliquoties iteratis leviores paroxysmos reddidimus, subinde tamen febri redeunte, quam ob causam, nec viscera diuturnitate morbi maximè debilitarentur, interdum corroborantibus iisdem succurrere voluimus, exhibitis interdum Morsulis de Citro, qui ex succo & corticibus conficiuntur, interdum sequentes ordinavimus, qui ℞. Spec. aromat. ros. ℈j. diarrhod. abb. diamarg. frigid. an ℈ij. Ol. fœnic. destill. gutt. vj. sacchari in Aq. ros. & cinam. an q. s. soluti. ℥iij. ß. F. confectio in Morsulis. Interim Majo appropinquante Schwalbacensium acidularum usum æger expetebat, quam ob causam eò sese conferens, primò pro Evacuatione ℥s. Mors. purg. d. n. sumens, probè die intermittente fuit evacuatus: dein sequenti die, paroxysmum per horas duas in lecto patiens, sitibundus tandem acidularum aquarum lib. j. ß. sensim pro siti restinguenda bibit, atque mox benè coopertus sudare incipit, brevi paroxysmo in totalem intermissionem desinente. Pòst, acidularum usum continuando, sensimque ad majorem dosin ascendendo, semel atque iterum aliquid invasionis febrilis tempore paroxysmi sensit, ubi semper, declinante febre portionem acidularum convenientem assumendo, sudorem provocavit, quâ ratione, nullis aliis remediis adhibitis, febris totaliter intermisit, vires languentes redierunt, ac pristina sanitas restituta fuit.

Usus acidularum.

OBSERVATIO XIII.

Tertiana notha in Puerpera, tandem in ventris tumorem & abscessum circa inguina desinens.

Sub finem Februarij Anno 1618. Puerpera honesta Dn. Casparis Heyl, Præfecti Solmensis Laubachij conjux, annorum circiter 24. constitutionis tenerioris ac macilentæ, incidit in febrim lentam, tertiâ quâque die exacerbatam, cum dejecto appetitu, calore absumente, totius lassitudine, urinâ spiceâ, pulsu exili & celeri: quæ febrilis dispositio protracta tandem, lactis generatione, propter infantem demortuum, cessante, desinit in ventris tumorem, cum dolore circa partem dextram, cum cruris istius impotentiâ, quo tumore ventris resoluto, circa inguina dextrâ parte abscessus ad exulcerationem perveniens, sequitur.

RESOLVTIO.

FEBRIM *tertianam notham*, ex pituitosis magis, quàm biliosis humoribus provenientem testatur *lenta febris, cum dejecto appetitu*, propter ventriculi cruditates simul collectas: *cum calore absumente*, propter nutritivæ facultatis læsionem in corpore aliàs macilento, & propter præcedentem fœtus gestationem, ac partus labores debilitato: *cum totius lassitudine* propter facultatem gravatam ob materiæ peccantis copiam; *cum urina spicea*, quæ cruditatis ac bilis non perfectè secretæ signum, & morbum diuturnum innuit: *cum pulsu exili*, propter corporis teneram constitutionem, arteriarumque parvitatem; *& celeri*, propter usum auctum, ob vitalis facultatis debilitatem & oppressionem. *Hæc febrilis affectio* protrahebatur, tàm causæ morbificæ ratione, quæ mixta & pituitosa erat, difficilioris motus, & expulsionis, quàm propter imbecillitatem subjecti laborantis, cujus ratione materia lactis p. n. degenerans morbum fovebat, ac tandem, accedentibus medicamentis diversis, crisi imperfectâ, cum & purgationes puerperii justo modo sese non habuerint, nec monstruorum evacuatio procurari posset, *tumor ventris insignis*, ex utràque parte sub umbilico, *cum dolore*, sese offerebat, materiâ scilicet eò vi facultatis expultricis, tanquam per vias consuetas, translatâ, *non sine dolore*, propter membranosas partes ligamentorum uteri, quâ de causâ non tantum *paralysis notha cruris dextri*, sed tandem etiam *suppuratio* circa prędictam abdominis partem subsequuta fuit. *Hic morbus diuturnus* futurus, *& virium imbecillitas* sensim & partitis vicibus naturæ succurrendum indicabant: *materia febrilis* alteranda & evacuanda erat: *tumor ventris* attenuantia, resolventia, ac tandem maturantia requirebat; *febrilis calor* per temperata refrigerantia sui alterationem, *& vires* sui corroborationem innuebant. Juxta prædictas indicationes primò nodulum laxativum hoc modo præscripsimus circa 26. Febr. qui

Determinatio morbi.

Indicationes Curativæ.

℞ Rad. Cichor. ℥ß.
Glyzyrrh.
Petrosel. an ʒij.

Passul.

Paſſul. minorum ℥j.
Fol. Senæ. ſ.ſ. ʒvj.
Agarici Trochiſc. ℥ß.
Rhabarb. ʒj.
Herbæ Meliſſæ.
Flor. Chamom. an Mß.
Sem. Fœnic. ʒj.
Macis.
Cinnam. an ℈j ß.

Inciſa & contuſa ad nodulum pro dimidiâ menſurâ vini tenuioris: ſtet per horas 24. dein utatur per aliquot dies tempore matutino hauſtu pleniori. Hoc infuſo leniter purgata, ſubinde tempore paroxyſmi pro viribus reficiendis Syrupis de Agreſta, de Corticibus Citri, Morſulisq; ex Citri ſucco & corticibus confectis uſa fuit, ac tandem, diſſipandæ materiæ peccantis causâ, ſudorem habuit, aſſumpta ʒj. cornu cervi uſti præparati, cum cochlearibus aliquot Aq. Florum ſambuci. Medicamentis his Præmiſſis, febrilis diſpoſitio levior reddita fuit, quam ob cauſam aliquandiu ab uſu medicamentorum feriari placuit, naturæ interim negotio commiſſo. *Menſtruo ſpatio elapſo* tumor ventris ſub umbilico cum dolore & imbecillitate dextri cruris, cum denegatis evacuationibus menſtruis, quæ viciſſim adeſſe debebant, cum ſignis imbecillitatis in facultate naturali, vitali & animali ſeſe oſtendebant, quam ob cauſam *primas vias leniter* viciſſim evacuandas, *materiam peccantem* emolliendam, ac ſenſim partitis vicibus promovendam, *naturam* corroborandam, *ac dolori* ſuccurrendum eſſe duxi. His per dies paucos continuatis, primò mannam exhibuimus cum brodio prunorum, ad cujus uſum benè habuit, ac dein recentem nodulum ad vinum laxativum per dies aliquot ordinavimus. Quo facto pro emolliendâ materiâ peccante balneum præſcripſimus ex radicibus & herbis Altheæ, malvæ, Rad. liliorum alborum, herb. viol. brancæ urſinæ, chamæm. Romani. melioti; ebuli cum rad. Flor. ſambuci, Rad. helleb. aſari. ſummit. & baccis Juniperi decoctum, quo utebatur ſingulis diebus bis, aſſumpto ante balneum ℈j. de pulv. ſeq. cum Aq. pulegii, qui ℞. Sem. Apii. Fœnic. Aniſi. Petroſ. Cardam. min. Fol. ruthæ an ʒj. Boracis ʒß. F. pulvis per cibrum. Quanquam verò ab alio medico bonâ intentione hic pulvis ad menſes promovendos ſuaderetur, fruſtrà tamen fuit in hoc corpore, cùm materia crudior hoc ipſo tantum exacerbaretur, quam ob cauſam pulvere poſtpoſito, ſpiritum Ebuli cum Ol. Tartari ad jucundam aciditatem temperatum quantitate Cochlearis j. ante balneum ordinavimus, ut non tàm menſes movendos, quàm materiam crudam & flatulentam incidendam & reſolvendam reſpiceremus, quod ut eò felicius aſſequeremur, matutino tempore duabus horis antè balneum Cremoris Tartari ʒß. cum Brodio Rad. Petroſel. conceſſimus. A balneo corroborationis ergò Cochl. ij. Aq. Arant. cum cortic. deſtillatæ bono cum ſucceſſu exhibuimus, atque ita continuando eò uſque perventum fuit, ut materia verſus exteriora magis magisque colligeretur. Quo autem ſuperſtes *febrilis calor* magis temperaretur, *ventriculus* corroboraretur, & *peccans materia* promoveretur, idcirco Schwalbacenſium acidularum uſum per undecim milliariũ diſtantiam allatarum per 14. dies conceſſimus, ita ut non tantùm pro ſiti reſtinguendâ, ſed etiam matutino tempore pro ſudore promovendo portionem biberet, ſenſim ad dimidiam usq; menſuram ſeu libras ij. aſcendendo, quo ipſo vires maximè colligebat, materiâ peccante interim ad abſceſſum vergente, quam ob cauſam pro maturanda materia ſequens Emplaſtrum quotidie fuit adhibitum. ℞. Mucilag. ſem. Lini. fœnugr. rad. Alth. an ℥viij. Ol. Chamom. ℔ß. Farinæ fabar. ℥iiij. Ol. Aniſi, communis ℥j. Styracis liquidæ ℥jß. opopon. ℥j. cum Reſina & Tereb. q.s. F. Emplaſtrum molle. Hoc ipſo maturatus abſceſſus maximam puris albicantis tenuioris materiam aliquandiu effudit, ac poſt, more conſueto, per ſe ferè conſolidatus fuit, integrâ, Dei gratiâ, ſanitate ſubſequente, crurisq; paralyſi ſpeuriâ ſenſim remittente, quæ omnia citiùs ad perfectionem veniſſent, ſi thermarum Embſenſium uſus pro complemento ſuperadditus fuiſſet.

Occaſio novarum indicationũ.

Uſus acidularum.

Abſceſſus generatus maturatur.

OBSERVATIO XIV.

Semitertiana febris.

VIR Juvenis ætatis 17. annorum, Theologiæ Studioſus Conradus Gualtperius, conſtitutione corporis plethoricus & carnoſus, circa 10. Septembr. anno 1617. incidit in febrim continuò affligentem, quæ cum horrore incipiebat, concurrente dolore capitis inſigni, tuſſi gravante, lipothymiis inſtantibus, æſtu corporis jàm excedente, jàm remittente, in ejusq; locum horrore ſuccedente, quod maximè ſecundâ die conſpicuum erat, ubi matutino tempore paroxyſmus vehemens ſeſe oſtendebat, cum horore magno recurrens, ac tandem ſubſequenti calore æſtuante remittens, ut æger mediocriter haberet usq; ad tertiam pomeridianam, ubi rurſus frigus potius, quam horror, ſubſequenti febrilis caloris continuatione, ſentiebatur.

RESOLUTIO.

SEMITERTIANAM hîc futuram ſuſpicabamur, ut pote cum illi proprium ſit, ut invaſiones tertianis exquiſitis non abſimiles, & maxima ex parte graviores, extendantur, ita tamen ut plerumque cum refrigeratione ſtatu nondum completo rurſus acceſſiones infeſtent. Prout autem ſemitertianæ grave minantur periculum, ita minimè febrim hanc negligendam eſſe dixi. Prehendit autem *conſtitutionem juvenilem*, quatenus illi proprium quaſi dicitur, quod maximè virilem ſexum, eumque florentis ætatis invadat, cùm originem ex bilioſis humoribus facilè mobilibus habeat, *idq; tempore autumnali*, cauſa prædictâ, per æſtatem præcedentem copioſè collecta, magis abundat; *cum horrore*, quatenus ſola bilis non peccat, ſed humoris pituitoſi ſeparatim putreſcentis copia ſimul adeſt; *cum dolore capitis*, ob exhalationes febriles, propter materiæ mobilitatem ſenſilibus capitis partibus

Cognitio Semitertianæ.

partibus communicatas: *cum tussi*, tam propter resolutas pituitosas materias à capite defluentes, quam propter pectoris angustiam in corpore plethorico, juvante caloris intensione; *Cum lipothymiis*, ab oppressione facultatis vitalis in corpore pleno, peccante materiâ ad partes principes ruente; *cum æstu*, jam excedente jam remittente, propter diversam materiam peccantem, tàm biliosam, quæ quasi exquisitam tertianam, quàm pituitosam, quæ quasi quotidianam producere videbatur, *diversis temporibus unâ eâdemq; die*, propter materiæ diversitatem in vadentes. *Hâc motus materia peccantis periculosus omni ingenio sistendus; plenitudo respectu subjecti laborantis minuenda; peccans materia alteranda, & per loca conferentia evacuanda, & natura corroboranda veniebat.* Mox ergo primâ die propter virium lapsum, alterantia præscribo, quæ febrilem æstum temperant, & mobilitatem humorum biliosorum quodam modo sistunt, syrupum videlicet acetositatis citri, de Agresta, Rob. Berberorum, de papavere erratico, &c. interdum etiam emulsiones ex sem: Papaveris albi, quatuor frigidis majoribus, cum confectione manus Christi perlata, beneficio aquæ cichorei extractas, pro siti compescendâ, concedo. Die secundâ plenitudinis respectu post aliqualem remissionem febrilis accessionis, circa meridiem, venæ sectionem impero, & pro siti restinguenda mensuram dimidiam aquæ fontanæ cum sacchar. Cand. albi ℥j decoctam & post citreo malo inciso atq; injecto conditam permitto: tussi verò urgenti syrupum pectoralem ordino, qui collectas materias ad expulsionem promoveat, & ulteriores affluxus sistat, pectusq; ab acrimonia leniat, qui ℞ Syr. de hispidula ℥jß. Papaver. errat. Violarum an. ℥j. M. cum cochleari Aq. Veronicæ. His nocte subsequenti liber fuit ægrotus ab invasione febris, humoribus quiescentibus; quam ob causam matutino tempore subsequenti, pro evacuatione peccantis materiæ, purgans electuarium ad bilem, & pituitam hoc modo præscripsi. ℞. Elect. de succo Rof. ℥jß. Caryocostini. ʒj. de Tamarindis cum extract. fol. senæ ʒiij cum saccharo F. Bolus. Evacuatus hoc modo die quarto pro dissipandâ materiâ morbificâ sudorem habuit, assumptis granis vj. Lapidis Bezoartici orientalis, cum aliquot Cochlearibus Aq. Cardui benedicti, & pro superstite calore viscerum temperando decoctionem Rad. Cichorei per biduum bibit, victu interim conveniente & corroborante utens, qui σὺν Θεῷ brevi convaluit.

Indicationes.

Materia medica.

OBSERVATIO XV.

Quartana exquisita cum malignitate conjuncta, superveniente colicâ gravissimâ vomitu periculosissimo soluta.

C*VM annô 1612. vir honestus Daniel Stamm, quæstor Giessensis, annorum 50. naturâ plenioris habitus, & vitæ sedentariæ deditus, circa finem æstatis rigorem non adeo vehementem, nec pungentem seu mordentem, sed refrigerando potius dorsum afficientem sentiret, consilij medici gratiâ me vocat, qui calorem prædicto rigore succedentem non adeo ferventem deprehendo, cum urinâ tenui subruffâ, pulsu inæquali raro ac tardo, procedente tempore totali intermissione ad diem quartum interveniente, symptomatis febris continua tempore paroxysmi, contagio in domesticos, colicâ tandem gravissimâ, & vomitu periculosissimo succedentibus.*

RESOLVTIO.

QUARTANIS hoc tempore grassantibus, mox in principio *quartanam febrim futuram*, eámque *diuturnam & periculosam*, in obæsa corporis constitutione, & ætate ad senilem declinante, suspicio erat, *anni tempore* conspirante, quod *rigor non adeò vehemens dorsum afficiens* innuebat, cujus origo ab humore, mordente quidem evaporationibus suis partes sensiles, non tamen ejusmodi tenui & maximè mobili, ut in tertiana, qui dorsi partes membranosas à fonte caloris remotiores diutius afficit: *Calor quoque subsequens non adeò fervens* alterum pathognomicum signum constituebat, cum *urina tenui*, quod cruditatem significabat, & *subruffa*, majorem peccantis materiæ adustionem innuente: *pulsus inæqualis* erat, quod febribus maximè proprium, *rarus ac tardus*, propter peccantis humoris immobiliatem atque cruditatem. His observatis *totalis intermissio ad quartam* succedebat, ubi morbus ingravescens malignitatis symptomata exhibebat, quod tunc temporis in aliis etiam observabatur videlicet *delirium in paroxysmo*, propter evaporationes melancholicas cum bile permixtas & cerebrum afficientes, *virium lapsus insignis*, *anxietas maxima*, & similia, quibus correctis quartana antiquum obtinebat; tandem *colica gravissima* succedente, per imperfectam crisin ad intestina translatâ materiâ, atque ultimò *vomitu insigni* materiâ residuâ evacuatâ. Quanquam verò & *morbi ratione, & respectu laborantis subjecti*, chronicus & periculo non vacans affectus hic meritò statuebatur, naturæ tamen nihilominus juxta canones subsequentes succurrendum fuit: *Mox enim sanguinis abundantia in corpore pleno sui evacuationem, peccans materia morbifica propter cruditatem sensim alterandum & evacuandum esse, maligna symptomata per bezoartica natura succurendum, vires diuturnitate morbi labentes reficiendum, colica gravissima & vomitus periculosissimus convenientia remedia dolorem lenientia & expulsionem juvantia indicabant.*

Quartana febris theoria.

Indicationes. Curativæ.

HINC *statim in principio* post primum paroxysmum lenitivum præmisi, quod

℞. Elect. lenitivi ℥ß.
Confect. hamech. min. ʒij ß.
Cremoris Tartari ℈j.
M.F. bolus.

SEQUENTI die Venæ sectionem institui. *Porrò peccantis materia causâ*, partitis vicibus potionem præparantem singulis diebus bis ℥iiij. adsumpsit, quæ

℞. Rad. polypod. quer.
Glycyrrhizæ an ℥ß.

Cort.

Cort. Rad. Tamarisc. ℥ij.
Herb. fumariæ.
Scolopendr.
Card. bened. an Mj.
Fol. senæ s. s. ℥vj.
Epithymi ʒij.
Prunorum Damasc. N. xv.
Sem. Fœn. ʒij.
F. decoct. in s. q. seri lactis caprini ad 3. Colentur ℔ ij. clarificetur & dulcoretur pauco sacchari.

HAC per biduum præmissâ, jam ℥j. Magisterii Tartari Vitriolati, jam ʒiij. Confect. Hamech. cum prædictæ potionis haustu permixtas, pro evacuatione præscripsimus, idque potissimùm singulis mensib.

Tertiò malignitatem non neglеximus, subinde Bezoarticis præscriptis, ut sunt Syr. Acetos. citri. Granatorum acidorum. Morsuli de citro, Lapis itidem Bezoar. pro sudore movendo, diebus intermittentibus, gran. vj. sumptus, & procedente tempore, quodammodo coctionis signis in urina conspicuis, Theriacæ ℥j cum vino Absynthii, paucis horis ante paroxysmum exhibitâ.

Victum quartò tenuem quidem ratione morbi, sed *reficientem & facilis alterationis* ratione virium concessimus, cum morbus ad biennium protraheretur.

Tandem colicam gravissimam sub finem Februar. Anno 1614. obortam ex imperfecta crisi fieri colligebam, ideoque naturam juvandam censui, ne sub doloribus vires succumberent, quare Terebinth. ℥ß. cum Ol. Amygda. dulc. ℥jß. in Aqua Malvæ, mox nocturno tempore exhibeo, exterius sacculis ex Chamæmelo & similibus appositis, quibus dolor, alvo lenitâ sedabatur, fluctuante adhuc in abdomine materiâ, quam ob causam manè talem præscribo potionem:

℞. Rad. Helenij ℥ij.
Fl. Chamæmeli Mj.
Fol. senæ. s. s. ʒiij.
Sem. Anisi.
Fœnic.
Macis an ℥ß.
F. decoctum in s. q. vini ad tertias.
Colentur ℥iijß. adde
Syr. diasereos ℥j.
Elect. Caryocost. ℥ij.
M. F. haustus.

Quo assumpto, bilis æruginosa, cum nigricante materia permixta, copiosè fuit evacuata, morbo sensibiliter remittente, *donec ultimò* superstes & ex imbecillitate concoctionum de novo collecta materia *vomitum* proritabat *periculosum*, ubi materia corrupta, fæcum cerevisiæ instar, copiosè cum impetu dejiciebatur, cum tanta vehementiâ, ut oculorum operatio, cæcitate quasi introductâ, sæpius per horæ quadrantem deesset: hoc vomitu desinente, somnus virium restaurator aderat, morbi materiâ jam expugnatâ, quamobrem ab eo tempore ad convalescentiæ statum æger perveniebat, *imbecillitate superstite per scabiem humidam extremarum partium* aliquot mensibus subsequentibus, vi recollectarum virium expulsâ, tabe quoque totum corpus occupante sensim ad statum naturæ convenientem mutatâ.

Ejusmodi Cœcitas, cujus mentio hic fit, per aliquot septimanas prehendit superioribus annis Georgij Ridel, ord. Chirurg. filiorum duorum annorum, febri maligna laborantem, non quidem per vices, sed continuo durans, donec febrili ardore remittente resolutus pituitosus humor ab humido cerebro nervos opticos obstruens consumeretur, ita ut nihil quicquam amplius conqueratur. Sic etiam anno 1631. Capitaneus Straub gravi colica decumbens in convulsiones incidebat, remanente cœcitate, quæ vesicatoriis in manibus & pedibus adhibitis tandem sua sponte cessabat.

OBSERVATIO XVI.

Quartana notha simplex, tandem in duplicem mutata.

ILlustris adolescens Albertus Otto, Comes Solmensis in Laubach, Anno 1619. sub initium, urinam crudam sabulosam reddens, frequenter difficultatem circa stomachi regionem patitur, ita ut pronus in lipothymiam esset, quibus accidentibus interdum ad tempus remittentibus, interdum vicissim ex acerbatis, tandem sub initium Augusti, paroxysmo febrili prehenditur, præeunte rigore vehementiori, qui in exquisita Quartana solet observari, calore quoque magis intenso subsequenti, cum urina subrussa, sabulosa, pulsúque inæquali, minus raro, contractionis q; velocioris. Hoc ad horas 8. vel 9. perdurante, totalis intermissio ad quartam usque diem sequebatur, subinde quartanæ typum servante febri, quæ tandem duplex reddita, sub initium Octobris circa brumam totaliter remisit, stomachi inflatione, inæquali temperie totius quartâ die, tandèmque cutis pruritu cum exanthematibus seu pustulis rubris exteriùs succedentibus.

RESOLUTIO.

QUemadmodum *Quartana* suâ naturâ chronicus est morbus, ita necessariò sequitur antecedentis causæ ratione, pedetentim illius materiam in corpore colligi, quod etiam in hoc subjecto laborante satis manifestum erat, ex indulgentia victu pleniori cruditatibus sensim collectis, quæ temperamento corporis calidiori magis adustæ, quod etiam *sabulum urinæ* confirmabat, *difficultatem frequenter circa stomachi regionem* excitabant, scilicet in hypochondriorum venis minoribus, imo in ipsis etiam ventriculi plicis collectæ, certísque temporibus ebullientes & evaporationibus suis orificio stomachi vellicato *lipothymiam incipientem* stomachicam producentes, donec tandem radicatæ satis, & per subsequentem æstatem magis torrefactæ, bileq; permistæ *quartanam spuriam seu notham* produceret, quam testabatur *rigor vehementior*, quatenus unà bilis quoque permiscebatur, cum

Occasio Quartanæ in hoc Subjecto.

Quartanæ nothæ signa.

cum atrabilariis humoribus: *calor intensior*, ex eadem causa, cum *urina subrussa, sabulosa*, putredinem bilis permistæ cum crudis aliis humoribus subinnuens; *pulsus inæqualis, minus rarus*, quàm in quartana exquisita esse consuevit, *contractionis velocioris*, copia peccantis materiæ quoad extensionem facultate impeditâ: *paroxysmus ad 8. vel 9. horas perdurans*, quatenus in hac brevior, quam in exquisita solet observari. Quanquam verò convenientia remedia non negligerentur, nihilominus tamen, cum intermittentibus diebus genio suo non parum indulgeret patiens, tandem *duplex* reddebatur *quartana*, subinde per congestionem ex imbecilliori concoctione de novo collecta materia, quæ tamen, adhibitis adhibendis, circa *solstitium humile seu brumam totaliter intermittebat*, quatenus in chronicis circa magnas cæli immutationes, ut sunt æquinoctia & solstitia, sensibiles alterationes corporibus humanis accidere solent; *stomachi inflatione, cum inæquali intemperie die quartâ*, propter febris reliquias consuetâ die effervescentes; *tandemq́ cutis pruritu cum exanthematib. seu pustulis subsequentibus*, vi naturæ vicissim roboratæ, tanquàm superfluum quid expellentis. *Hîc in principio lenitivis potissimùm primas vias sensim eluendas* esse duxi, qua de causa, cum admodum delicatus esset æger, Syrupum laxativum præscripsi, qui ℞. Syr. Rosat. solut. ℥ij. Elect. Rosat. Mes. ʒjs. Cremoris Tartar. ℈ß. Aq. Cinam. Cochl. j. Misc. F. haustus. Hoc modo leniter evacuatis viis primis, corroborantia propter stomachi debilitatem, & instantes lypothymias ordinavi, nimirum Rotulas, quæ ℞. Sp. Diambr. Dianisi an ʒj. Extr. Card. ben. ℈j. Ol. Fœnic. gut. iij. Sacch. ℥iiij. Aq. Menth. q. s. Fiat conf. in Rotulis. Potus erat vinum tenue, cui infundantur radices helenii, passulæ minores, Sem. Anisi, Fœnic. &c. Procedente tempore circa medium Augusti, vinum laxativum suadebam, quod ℞. Rad. polypod. ʒiij. Pæon. Scorzon. an ʒij. Eryngii, Capparor. ana ℥ß. Herb. Scolopen. Ceterach. Marrub. alb. Scordii an Ms. Fol. Senæ. s. s. ℥j. Rhabarbari ʒij. Mechoacæ Hermodactyl. an ʒjs. Sem. Cic. rub. ʒvj. Fœnic. ʒj. Fl. Sambuci Ms. Galangæ. Zedoariæ an. ʒß. Passul. min. ʒx. F. Infusio in ℔. iiij. vini tenuioris per 24. horas. Hujus vini laxativi ℔ß. sumatur post jusculum brodij carnis horis matutinis, die paroxysmum præcedenti: priusquam verò sequenti die paroxysmus invadat, horis circiter quatuor, ʒß. Theriacæ optimè cum Conf. fumariæ ʒij. permisceatur, & addita Aq. fumariæ q. s. pro sudore promovendo bibatur. Die paroxysmum sequenti, fiat alteratio per subsequens electuarium, quod ℞. Conf. Borrag. Rad. Cichor. ana ʒij. Cort. Citri cond. ʒj. Chalyb. præpar. ʒß. Syr. de fumaria q. s. M. pro Elect. pro duabus dosibus, manè vesperique tribus horis ante cibum. His usurpatis & aliquoties reiteratis, paroxysmi febriles reddebantur, qui tamen sub initium Octob. duplices fiebant, ob causam superius dictam, quocirca vocatus iterum 11. Octobr. potionem purgantem exhibeo, quæ ℞. Fol. Sen. s. s. ʒijß. Rhabar. ʒj. Agarici. ʒß. Galangæ, Zinzib. ana ℈ß. Passul. min. ℥ß. F. infusio per noctem in sero lactis caprini, manè leviter ebulliat, colentur absque express. ℥ij. adde Elect. Rosat. Mes. ʒj. Syr. Ros. solut. Diasereos an. ℥ß. Misce, Fiat haustus. Hac feliciter operante, subsequenti 12. Oct. sudorem movi per Ther. ℈j. cum Lap. Bezoard. gr. iij in Aq. Card. ben. Coch. aliquot dissolutis: à meridie, ut & die sequenti pro corroboratione Morsulos concessi, qui ℞. Sp. Diarrh. Ab. ʒj. Diagalangæ ʒß. Caryophyl. Nucis Mosch. grosso modo incis. ʒis. Citr. conditi incisi ʒij Conf. Alker. ʒj. Sacchar. in Aq. Borrag. solut. ℥vj. F. conf. in mors. Porrò 14. & 15. digestionem instituebam, per ʒß. Cremoris Tartari quotidie bis in decoctione raparum sumpti, mox etiam 16. Oct. prædictam potionem purgantem adhuc semel ordinabam, ac 17. Oct. vicissim sudorem provocabam, lapidis Bezoar. gr. iij. in Aq. Theriac. sequentis Coch. iij. assumptis. ℞. Rad. Helen. Angel. an. ℥ij. Her. Card. ben. Fumar. Marrub. an. Mj. Sem. Card. ben. gran. Juniperi an. ℥ß. Fl. Beton. Chamæmeli ana Ms. Coq. in Vino & Aqua an. ad 3. colentur ℔ ij. adde Theriacæ Ven. ℥ß. Rob. Sambuci ℥j. pone ad digest. per 24. hor. post destill. per B. M. His in Novembr. quoque repetitis circa brumam utraque Quartana laborantem reliquit, nisi quod die quartâ stomachi quandam inflationem & intemperiem adhuc deprehenderet, quam ob causam Conf. stomachicam ordinavimus interius, quæ ℞. Sp. Arom. Ros. ʒj. Extr. Mælisse Card. ben. ana ℈ß. Ol. Fœnic. gutt. iij. Sacch. in Aq. Menthæ solut. ℥iij. F. Conf. in Rotul. Exterius linimentum usurpetur ad regionem mucronatæ cartilaginis, quod ℞. Ol. Mastichini. de absynth. an. ℥j. Nucis Mosch. per express. ʒj. Pul. Caryophyll. Menthæ siccæ ana ℈j. Balsami Peruviani ℈ß. ceræ parum F. linimentum.

Curatio.

Observatio singularis in quartana.

Tandem post mensem unum atque alterum generosus adolescens in pruritum totius incidit, cum pustulis rubris intumescentibus, quæ omnia tàm ex reliquiis quartanæ, quàm ex congestione debilioris naturæ concoquentis fieri putabam, qua de causa sequentem potiunculam ordino quæ

℞. Fol. Sen. s. s. ʒij.
Rhabarb. ʒj.
Passul. min. ℥ß.
Polypodii.
Liquir. an. ʒv.
Sem. Fœnic. ʒß.
Infunde per noctem in sero lactis caprini.
Manè leviter ebulliant.
Colentur ℥ij. adde Syr. Rosat. solut. ℥j.
Crem. Tartari ℈ß. Misce.

Post hujus usum ex habitu corporis materiam peccantem discutiendam esse censeo per sudorifera, quam ob causam semel atque iterum pul. Cornu Cer. usti præp. ʒß. cum gr. iiij. Lapid. Bezoar. in Aqua Flor. Sambuci præscribo, quibus tandem perfectæ sanitati generosus æger, DEI gratiâ, fuit restitutus. Plura de difficili & diuturno morbo videas libr. 7. Histor. Medic. Mirabil. à nobis Marcello Donate addito, capite 6.

OBSER-

OBSERVATIO XVII.

Quotidiana ex præcedentibus viscerum obſtructionibus orta.

Nobiliſſima Matrona, Iohannis Georgii à Trobe in valle Buſſicano conjux, annor. circiter triginta, conſtitutione corporis phlegmatica, cum per hyemale tempus difficultatem circa præcordia, inprimis in ſcalis aſcendendis ſenſiſſet, circa principium Martij Anno 1614. incidit in febrim cum frigore, ſine rigore, animi deliquio ſubinde ſeſe offerente, cum dormiendi neceſſitate, appetitu dejecto; vocatus poſt paroxyſmum quartum, urinam ſub auream, ſed craſſam deprehendo, ut & acceſſionem in octodecim horas usq; protractam, ac ſemper circa veſperam quotidiè redeuntem.

RESOLUTIO.

Dari febrim quotidianam.

QUanquam *rara febris quotidiana* invenitur, quo commoti quidam omninò eam negant, & ad tertianam duplicem reducunt; eandem tamen dari, veriſimilius eſt rationi, & experientiâ confirmatur.

Occaſio generationis quotidianæ.

Talis etiam fuit præſens morbus in Matrona Nobiliſſima *conſtitutionis phlegmaticæ*, quæ aliàs huic morbo dicitur obnoxia, cum rectè ſtatuat Galenus, ſe nunquam juvenem bilioſum florentis ætatis quotidianâ laborantem invenisse, quatenus pueris voracibus, ſenibus & mulieribus familiaris eſt. Incidit autem poſt *hyemale tempus*, adauctis per hyemem pituitoſis humoribus, qui primò per tempus aliquot *pectoris difficultatem* introduxerunt, ob compreſſionem diaphragmatis, inprimis tunc temporis ubi muſculi, dorſum in aſcenſione ſcalarum inclinantes, vehementius agendo majorem influxum ſpirituum requirunt, qui propter materiam ejusmodi impeditur, unde muſculorum motus difficilior: *circa Martium*, ubi humores latentes ebulliunt & efferveſcunt, putredinis notis ſeſe offerentibus: *in febrim cum frigore ſine rigore*, quod huic febri propter materiam pituitoſam, vi caloris putridi quidem ſolutam, in ſe tamen frigidam, proprium eſt: *animi deliquio ſuccedente*, quod fit propter vehementem pituitæ commotionem, quæ, ſeſe in ventriculum & jecur effundens, motum ſpirituum ſiſtit: *cum dormiendi neceſſitate*, quatenus in paroxyſmo vapores ex pituita excalefacta prodeuntes ad cerebrum aſcendunt: *cum dejecto appetitu*, ſuffocatione quaſi caloris nativi ventriculi orificio languente: *cum urina ſub aurea & craſſa*, ſcilicet poſt quartum paroxyſmum, quæ alias circa initium tenuis & alba eſt, & procedente tempore propter calorem auctum magis tingitur: *cum paroxyſmo protracto ad horas* 18. propter tardum motum materiæ peccantis, quæ in meatibus diutius hæret, unde febris Græcis ἀμφημέρινα, hoc eſt, utriusque diei & noctis particeps vocatur: ac *ſemper circa veſperam quotidie repetente*, quo ipſo differt à tertiana duplici, cujus quælibet febris peculiare ſuum principium obſervat. Hoc modo morbo cognito, eò allaborandum eſſe duximus, ut reſpectu cauſæ peccantis, *præmiſſâ lenitivâ potione materia pituitoſa incidatur, attenuetur*

Curationis intentiones.

& abſtergatur; dein præparatione factâ per phlegmagoga purgetur: tandem vires languentes ex obſtructione foveantur & excitentur, ac ultimò ventriculi imbecillitas corrigatur. Hinc ergo victûs ratione tenui præſcriptâ, primò lenitivum pro primis viis expurgandis conceſſimus, nimirum brodium gallinæ decoctionis Paſſularum, cum ℥j. Cremoris tartari: dein ſubſequentibus diebus potionem incidentem, attenuantem & præparantem hoc modo præſcripſimus. ℞. Rad. Glycyr. raſæ ℥ß. Cichor. ℥j. Paſſul. min. ℥vj. Her. Beton. Centaur. min. Agrim. ana Mj. Fl. Cham. Mß. Sem. Aniſi, Fœnic. ana ʒiß. Tart. albi ℥ß. F. decoctio in ſ. q. ſeri lactis deſtill. Colentur ℥ix. adde Oxymellis ſquillitici ℥jß. M. pro tribus doſibus. Hoc modo præp. materiâ, dilutum Agarici commendavimus pro evacuatione humoris pituitoſi, quod ℞. Agarici Elect. ʒij. Zingib. ℈j. Cremor. Tart. ℈ß. Macerentur in Vini Odorif. ℥ij. Aq. Abſynth. Fœnic. ana ℥j. Manè colentur & exprimantur, ſubtile à craſſo ſeparatum cum Elect. Caryocoſtini ʒis. Miſceatur & F. hauſtus. His evacuantibus exhibitis & ad vires excitandas, & pro ulteriori materiæ diſſipatione primò *venæſectionem* inſtituimus, in *pauca quantitate*, quo calor nativus languidus propter oppreſſionem excitaretur, ac dein *ſudorifera* præſcripſimus, *frictiones* itidem corporis ac *balnea* reſolventia, non neglectis iis, quæ ad ſtomachi corroborationem faciunt, ut ſunt vinum abſynthii in febris declinatione. Syrup. itid. de Mentha. Cochl. quantitate frequenter ventriculo vacuo ſumptus. Exterius Ol. Abſynt. Maſtichin. cum Balſ. Peruv. permixtum. Sacculum etiam ex Mentha, Roſis. Abſynth. Roremarino, Corian. Fœnic. Nuce Moſch. Caryoph. & ſimilibus. præſcripſimus. Tandem febri remiſsâ pro ulteriori præſervatione, pilularum Angelicarum uſum, (prout Francofurti habentur) ex Aloë cum ſuccis recentibus deputata conceſſimus ut alternis diebus, ſcrupulum dimidium paulò ante cœnam ſumeret, utpote quæ naturis pituitoſis optimè conveniunt.

Uſus pilularum Angelicarum in quotidiana.

OBSERVATIO XVIII.

Febris continua cum convulſionibus ſuccedentibus in metu variolarum.

PUella Illuſtriſſima annor. 14. cum aliquandiu neutrali conſtitutione fuiſſet affecta, præſente ſæpius appetitu præter naturam, calcis videlicet, cretæ, terræq; fornacum, ad 19. Septembris in febrim, cum ſumma virium jactura & metu variolarum, quæ tunc temp. nimirum Anno 1614. epidemiæ erant, incidit. Hic medicamentis præſcriptis, tàm febrim, quàm variolas latentes reſpiciendas eſſe putavimus, quibus imperfectè prodeuntibus, primò partium quarundam paralyſis ac dein graves convulſiones, principibus facultatibus nondū læſis, ſeſe offerebant, ubi prædicto ſymptomatum gravium periculo, Deò juvante, nihilominus reſtitutio ſanitatis perfecta per ea, quæ naturam roborant & peccantem materiam reſolvunt, feliciter abſoluta fuit.

RESOLUTIO.

Cùm vocatus 23. Septembris *ex pulsu aliisq; signis* vehementiam febris, viriùmque debilitatem cognovissem, ac simul isti loco tùnc temporis, inprimisque sanguine junctis, variolarum affectum epidemium intellexissem, unà cum febri variolarum materiam commoveri posse suspicabar, quam ob causam communicato consilio cum alio Medico præsente, *tàm ad febrim, quàm ad variolarum expulsionem* in curatione respiciendum esse duxi. Hinc illa præscripta fuerunt, quibus *alvus leniretur*, subsequentibus iis, quæ *putredini resistunt*, *& materiam peccantem beneficio sudoris & occultæ transpirationis à centro ad circumferentiam commovent.* Prius tentavimus enemate præscripto, quod ℞. Rad. Altheæ. Lilior. alb. ana ℥iij. Fol. Maluæ Bismalvæ. Mercurialis. Brancæ Ursinæ. Violarum an. Mß. Fl. Chamæmel. Meliloti. an. pj. Sem. Lini, Fœnigræci. an. ʒij. Caricarum pinguium numero viij. Coque in s. q. Aq. ad 2. ℞ Colat. ℥ix. Flor. cassiæ ʒvj. Elect. Diaphœn. ʒij. Ol. Chamæmelini, Mellis rosati colati an. ℥j. Salis communis ℈ij. M. Hujus usum dejectio sat copiosa, sed excretorum non admodum alteratorum, ob virtutem concoctricem cum aliis quoque debilitatem valdè, subsequebatur. Posterius absolvere conabamur exhibitione lapidis Bezoartici selectissimi, cujus gr. vij. cum Aq. Card. bened. præscripsimus, ubi non quidem sudor, ob imbecillitatem naturæ, vestigia tamen variolarum sese exhibebant. Quò magis ergo natura juvaretur in expulsione, 26. Septembris vicissim potiunculam expellentem præscripsimus, quæ ℞. Terræ Sigill. ʒß. Lap. Bezoar. opt. gr. vj. Aq. Fumar. ℥ijß. Aceti Sambuc. ʒij. M. F. haustus. Post cujus usum exanthemata magis magisque apparuerunt, sed numero pauca, albicantia, & aliquâ ex parte ad livorem inclinantia, *quod naturæ decumbentis potius, quàm expellentis* signum rectissimè statuitur. Remanente nihilominus febri, circa vesperam plerumque satis exacerbatâ, propter sitim urgentem decoctum Rad. Cichorei & Julapium ex Aq. Borrag. Acetosæ & Fumar. cum Syr. Acetos. Citri commistum concessimus, ubi diebus succedentibus *imbecillitas paralytica* jàm in dextro latere, tàm in brachiis quàm in pedibus successit, non perpetua & continua, sed per tempus aliquot horarum, jàm in hac, jàm in alia parte permanens. *Paralysin hanc non veram, sed notham* esse statim assero, similem cùm eâ quę febrib. acutis, rarò licet, supervenire soleat, ubi malignitas per habitum musculosum perfectè non discutitur. Huic symptomati, cum non aliter, quàm externis penitus omissis in principio, per sudorifera & malignitati resistentia succurrendum fit, idcirco in hoc laborante difficilimum hunc affectum prædiximus, propterea quod à malignâ variolarum materiâ non perfectè expulsâ suam originem habere videretur, quam ob causam graviora nobis expectanda statuimus. Dum hoc modo spem inter atque metum hæremus, naturæ rursus, propter alvum segniorem, per infusum lenitivum succurrimus, & peccantem materiam in primis viis collectam evacuare studemus, exhibito haustu subsequentis vini laxativi. ℞. Fol. Senæ s. s. ℥ß. Rhabarb. ʒjß. Agarici ʒij. Rad. Cichorei, Liquiritiæ ana ʒv. Fl. Persicorum ʒvj. Borragin. pj. ß. Sem. Anisi, Fœniculi ana ʒj. Macis. Galangæ ana ℈ij. Incisa & contusa infundantur per viginti quatuor horas in dimidiâ mensurâ vini temperati, cujus haustu assumpto 29. Septembr. ter alvum deposuit, & melius habere visa fuit: levatâ quodammodo naturâ ab onere, quo antea, propter obstructionem alvi, premebatur. *Imbecillitas extremorum* remansit nihilominus usque ad 30. Septembr. ubi circa vesperam *Spasmus* successit, quo non tantum (cerebro & sensuum externorum organis illæsis) universa spina dorsalis cum colli vertebris, sed etiam brachia, manus atque pedes diversimodè convellebantur, non sine maximis ægrotantis doloribus & astantium commiseratione. Etsi vero satis atrox hoc malum esset, tantum tamen adhuc naturæ robur erat, ut malignitatem omnem ab animalis facultatis fonte, nimirum à cerebro ad spinam & extrema ablegaret. Cum autem, juxta *Aretæum*, præsens Medicus sæpius nil quicquam opis & remedii in hoc casu præstare possit, pro leniendo symptomate nihilominus aliquid tentandum esse statuimus, institutâ primum causæ symptomatis inquisitione diligenti. Recollectis igitur Classicorum Autorum de causis convulsionum decretis, statim occurrebat *Hipp. Aphorismus lib. 6. Numero 39. Convulsionem omnem vel ab inanitione, vel à repletione* deducendam esse: at præsens symptoma nulli prædictarum causarum commonè poterat accommodari, qua propter *Avicennæ* decretum nobis in mentem veniebat, dum inquit, *lib. 3. fen. 2. capite 5, quandoque fit spasmus, qui ad materiam non proportionatur, eveniens causâ rei nocentis, à quâ nervi fugiunt & ad expellendam ipsam congregantur: & causa ista aut est dolor, aut ex causâ dolorem faciente: & multoties ex humore calido mordicativo, aut qualitate venenosa perveniente ad cerebrum & ad nervos, sicuti accidit ei, quem pupugit scorpio super nervos.* Hactenus *Avicenna* qui præter spasmum à repletione, vel inanitione, juxta communem Dd. opinionem, obortum, tertium ponit, nimirum *Spasmum non proportionatum ad materiam*, quod scilicet (ut habet *Fuchsius lib. 1. Meth. Med. capite 30.*) non accidat ob materiam, quæ implere possit nervosas partes, neque ob inanitionem materiæ, sed à qualitate quâdam, alteratis per continuationem partibus; aut à substantiâ vel spirituali veluti aura, vel fluida materia, ad nervorum principium delata, sicut contigit iis, qui à scorpione vel aliâ venenatâ ferâ icti sunt. Etsi verò quodammodo, non tamen penitus hoc genus convulsionis ægrotanti poterat accommodari, quâ de causâ penitiùs inquirẽdo succurrit nobis in *Heurn. lib. de morb. capitis 25. cap.* quod etiam ab orgasmo concitatæ materiæ causa mali in partem nervosam sese effundere possit, ita ut ea propter in phlegmonem & convulsionem cùm tensione abripiatur. Hoc ipsum experientiâ edocti, tàm per epidemiam convulsionem malignam, quę superioribus lustris Hassiam ac vicinas regiones horribiliter

Intentio Curativa duplex.

Prognosis.

Paralysis spuria succedens.

Morbus convulsivus superveniens.

Inquiritur causa convulsivi hujus affectus.

ter adflixit, quam ab aliquibus ægris ab eo tempore apud nos, & in vicinia recidivam passis, ac ope nostrâ per gratiam divinam restitutis, confirmare cogebamur.

Determinatio causa convulsivi motus in hoc subjecto.

Eò igitur res recidit, *in ægrotante nostrâ convulsionem illi similem adfuisse*, quæ scilicet suam originem habet à peccante malignâ variolarum materia, imperfectè à centro ad circumferentiam expulsâ, & per consequens in habitu musculoso & nervoso restitante, & malignitate & mordacitate spasmum ejusmodi producente. Cum autem causam antecedentem, scilicet materiam peccantem ob diuturnam cachexiam in visceribus concoctionis hærentem, & præter naturalem appetitum cretæ, terræ fornacum & similium causantem, quod aliâs Methodus requirebat, aggredi non possemus, ideò de symptomatis, paroxysmo leniendo, & causâ conjuncta dissipanda, solliciti fuimus, facto prognostico juxta *Hippocr: Vltra quartum diem paroxysmi vehementiam extendi non posse*, quamvis recidiva, debilior tamen, sæpius reditura sit, nisi, quod Deus clementer avertit, Epilepsia, adeóque totalis quoque convulsio subsequeretur. Ordinavimus igitur pro inunctione spinæ ejusmodi *linimentũ* mox primâ nocte, quod

Medicamenta lenientia convulsiones.

℞. Ol. Chamæmelini ℥ß.
Lumbricorum.
Rutacei ana ʒvj.
Nucis Moschat. per express. ʒß. M.

Partibus convulsis adhibuimus lenem extensionem & fomentationem cum Aqua Apoplectica pretiosa cum castoreo destillata, commista cum Aq. Hirundinum, quâ fomentatione & aspersione sæpius paroxysmus ad miraculum remisit. Cæterùm inunctionem dorsi 2. Octobr. *fortiori linimento* continuandam esse duximus, quod ℞. Ol. Amygdal. dulc. Vulpin. ana ℥j. Castorei ʒiij. Flor. Chamæmel. Rorismarin. Major. an. pj. Aq. Apoplect. cum Castoreo ℥ij. Coq. lento igne ad Aq. consumpt. coletur, & adde Ol. Terebin. ʒjß. M. Interim corroborantia non negleximus, ordinando brodia restaurantia ex succo carnium, ac *Rotulas atq; Morsulos* capiti & cordi maximè dicatos. Fuit ergo *confectio in Rotulis* hujusmodi, ℞. Spec. Diambræ Diarrhod. Abb. an. ℈ß. Succini albi preparati ℈j. Margarit. præpar. ʒß. Ol. Nuc. Moschat. per destill. gutt. v. Sacchari in Aq. fl. tiliæ soluti ℥ij. F. confectio in Rotulis. *Morsulos* cordis gratiâ propter calorem febrilem tales concessimus, qui fiunt ex succo & corticibus Citri, addito pauxillo Margar. præp. & Sacch in Aq. Ros. f. q. soluti. q. s.

Cum autem juxta prædictionem nostram parum adhuc exacerbatio symptomatis remitteret, ad ulteriorem materiæ malignæ dissipationem & nervorum corroborationem *cataplasma* ad integram spinam ordinavimus, quod ℞. Sem. Lini. Fœnugr. an ℔ß. Flor. Chamæmel. Fol. Salviæ an. Mij. Castorei ʒij. Coq. in Aq. & Vino æquis portionibus. Adde Ol. Rutacei. Adipis Humanæ an ℥ß. M. F. cataplasma, quod frequenter calidum applicabatur. Hoc cataplasmate adhibito tertio Octob. circa noctem exoptata remissio convulsionum succedebat, ita ut ægra ferè totâ nocte quiesceret. Quarto Octobris circa matutinam tertiam *celeritas pulsus* cum quodam calore aderat, qui circa auroram remittebat, à subitâ fortassis mutatione, quâ natura seipsam recolligebat, & ab internis ad externa, quod noxium erat, propellebat. Renovatum igitur & continuatum fuit *cataplasma spinæ*, nec convulsiones admodum hoc die, nisi leviores & per intervalla tantum in dextro brachio cum dolore conjunctæ conspiciebantur. His per triduum quievimus, & naturæ tantum semel atque iterum per infusum laxativum, adhibitis simul suppositoriis, pro alvo segniori stimulandâ, succurrimus. Interim extrema propter vehementiam præcedentium convulsionum quasi paralytica conspiciebantur, quam ob causam 8. Octob. sequens *Linimentum* ordinavimus. ℞. Rad. Pœoniæ, Galang. an. ʒiij. Summit. Salvia Hyssopi. Betonicæ an. pj. Flor. Chamæmeli. Pœoniæ an. pß. Fol. Origani. Rutæ recent. incisæ an. Mß. Baccarum Lauri, Juniperi. an. ʒij. Castorei ʒj. incisa & contusa coq. in Ol. comm. rec. ℔ß. vin. vet. ℥iij. Coq. ad vini consumpt. Coletur & expresso adde Ol. Nucis Moschat. per express. ʒij. Ol. Succini. Rorismarini an. ʒj. M. Hoc linimentum per dies aliquot cum fructu continuavimus, non neglectis interrim corroborantibus internis & externis, præcedentibus dievus præscriptis, donec 12. Octobr. materiæ peccantis majorem dissipationem intendentes de Lapid. Bezoar. gr. vij. cum Aq. veronicæ diligenter præparatæ ℥ij. cum successu exhibuimus. Hinc rursus naturalis somnus, alimentorum appetitus, concoctionum signa & alia convalescentiam indicantia sese obtulerunt, unde victu conveniente naturæ succurrendum, & toti spinæ plurimum debilitatę pro corroborandis nervosis & musculosis partibus *Oxycroceum Emplastrum* ritè præparatum adhibendum esse duximus: cujus usu benè habuit, & sensim robur musculorum & nervorum vicissim rediit, quanquam articulorum imbecillitas aliqua per totam hyemem superstes esset, qua de causâ vere subsequente *thermas Embsenses* confidenter suasimus, quibus ex præscripto, tali naturæ convenienti, diligenter in nostrâ præsentiâ per tres septimanas adhibitis, (præmissâ primum domi lenitivâ evacuatione per vinum laxativum ad quatriduum usurpandum, quod ℞. Rad. Helenii, Fœnic. Pimpinell. an. ℥ß. Glycyrrh. Polypod. ana ʒvj. Mechoacan. ʒij. Fol. Senæ s. s. ʒj. Agarici ℥ß. Rhabarb. ʒjß. Salviæ, Rorismar. ana ʒj. Sem. Anisi, Fœniculi, ana ʒß. Macis. Zingiberis, Cinamom. ana ℈j. Misce, fiat sacculus pro mensura vini) Illustrissima puella perfectæ sanitati restituta, lætabunda patrios lares repetiit, & ab eo tempore hucusque nil quicquam sinistrè passa, Deo Opt. Max. Archiatro summo pro restitutione gratias agit immortales.

OBSERVATIO XIX.

Febris continua cum succedente paralytica affectione.

THeologus celebris, *D. Cunradus Dietericus*, vocatus *Superintendens Vlmensis*, *constitutione corporis* plethor-

plethoricus & quadratus, annorum circiter 40. cum studiis propter assumendos honores doctorales diligentius incubuisset, 20. Iunij. Anno 1614. incidit in calorem febrilem, qui acrimoniâ tangentem manum afficiebat: pulsus quoad contractionem velocior, quoad distensionem tardior, quem etiam respiratio imitari videbatur, urina rubra, crassa, sedimento carens, sitis mediocris, capitis gravitas & somnus interruptus aderat, mox dextri pedis, deinde sinistri, manuumque ambarum impotentiâ ad motum dolorificâ succedente.

RESOLVTIO.

Morbi determinatio juxta causam proximam. Febrim *continuam*, ex bile & quodammodo pituita permixtis humoribus in vasis cordi vicinis putrescentibus, hîc statuebamus, cujus generatio facilis fuit in *corpore plethorico & quadrato nimis lucubrationibus*, bile incalescente, & *propter corporis constitutionem* putridis exhalationibus retentis, adjuvante *anni tempore*, calorem externum augente. Dico quod in calorem febrilem inciderit, scilicet *sine praeunte rigore vel horrore*, quod continuis familiare, materia videlicet in vasis magnis remanente, & rarius ad circumferentiam particulariter expulsâ: : *eumq; acrem*, propter excedentem bilem; *pulsus velox contractione* fuit, quatenus virtus vitalis fuligines maximo conatu pellit, & in extensione propter materiam peccantem gravatur, quod ex eadem causa respirationis variationem similem introducit; *Vrina rubra, crassa* fuit, indicans ichorum Sanguinis magnam perturbationem, ubi timendum ne facilè peccans materia in partem aliquam nobilem ruat; *sitis mediocris*, quod mixta materia biliosa sit, & potius aliò quàm ad ventriculũ vergat; *capitis gravitas*, fluxionibus pituitosis vi caloris febrilis in capite solutis, unde & somnus interruptus originem suam habuit; *mox paralysi extremorum dolorificâ succedente*, quatenus eò materia peccans vi robustioris naturæ depulsa fuit, quæ tamen totaliter vi sudoris & occultæ transpirationis propter corporis habitum quadratum resolvi non potuit. *Indicationes Curativæ.* *Hic corporis constitutio plethorica & carnosa post lenientem evacuationem sanguinis missionem indicabat: materia biliosa putrescens cum pituitâ permixta resolventia, attenuantia & putredini resistentia requirebat: præparata materia per cholagoga quodammodo cum plegmagogis permixta vacuanda: viribus prospiciendum, & natura in expulsione ad circumferentiam per sudorifera dicatâ specialiter articulis, juvanda erat.* Ergo *quoad primum*, cum alvus obstructa esset, mox in principio Mannæ ℥ij. cum Syr. de Spina Cervina ℥j. in brodio prunorum exhibuimus ac sequenti die venam aperuimus. Etsi vero febrilia symptomata gravia sanguine mediocriter detracto lenirentur, subitò tamen articulorum dolore præeunte, *paralysis spuria* successit, ut primò dextro pede & paulò post aliis etiam extremis ad motum omnino inhabilis æger redderetur. Cum autem hæc *spuria paralysis* ab imperfecta materiæ peccantis translatione vi roboris naturæ fieret, cerebro nullatenus affecto; eò allaborandum duxi, ut naturam in expellendo juvarem externis remediis penitus interdictis. Quod ut eò felicius procederet, ante omnia interius humores figendos & alterandos atque evacuandos esse duxi. Hinc primò Conf. ex rad. Cichorei confectam, potiunculam ex Aq. Cichorei cum Syr. acetositatis Citri, conservamque Rosarum cum Spiritu Vitrioli ad aciditatem reductam, partitis vicibus concessi per diem ac noctem: mox infusum Rhabarbari & agarici cum passulis minoribus & Rad. Cichorei pro convenienti dosi purgationis ergò adhibui, quibus peractis ad paralyticam affectionem respiciendum esse putavi pro ulteriori dissipatione materiæ talia præscribendo sudorifera, quæ non tantùm putredini resisterent, sed maximè quoque suâ proprietate articulis convenirent, quam ob causam Lapidis Bezoar. gr. v. cum ʒß. Cornu Cervi usti præparati in unciis duabus Aq. Veronicæ cum ℥j. Aq. sambuci miscui, & pro sudore exhibui, quibus per triduum iteratis, tenui victu interim concesso & vino laxativo de Rhabarbaro cum agarico & similibus tempore prandii continuato, feliciter paralyseos symptoma remisit, perfectè per sudorem & habitum corporis materiâ resolutâ.

OBSERVATIO XX.

Febris continua cum doloribus vagis articulorum.

Vir quidam honestus, Illustrissimi Nostri officiarius, Caspar von Ulm / *Armamentarij præfectus, ætatis circiter 50. annorum, corpulentus & carnosus, 22. Martij anno 1615. incidit in febrim continuam, ac primâ septimana medicamentorum usum negligens, tandem vagos articulorum dolores patitur, ita ut jam pes, jam manus, jam dextrum, jam sinistrum latus doloribus subitò obortis ac non diu durantibus, cum impotentiâ membrorum motui destinatorum afficeretur.*

RESOLVTIO.

Ex continuatione caloris, aliisque symptomatibus, *febrim continuam biliosam* hîc adesse satis apparebat, ubi neglectis medicamentis materia turgens à loco ad locum movebatur, & in partibus sensibilibus *dolorem*, atque in articulis *impotentiam* ad motum. *Occasio symptomatis urgentis.* *Quanquam vero periculo non carebat ægrotans*, cum in tali casu timendum, ne turgens ejusmodi materia partem aliquam principem occupet, ibique sedem suam, cum vitæ decrimento, figat, naturæ tamen viribus utcumque constantibus in homine aliàs robusto, primò bilem evacuo bolo, qui *Prognosis.* *Curativa.* ℞. Elect. de Tamarindis cum extr. fol. Senæ d. n. ℥ß. de Succo Rof. ʒiij. Cremoris Tartari. ℈ß. M. cum Saccharo, fiat bolus: quo facto die sequenti *venæ-sectionem* instituo, tàm quod corporis constitutio sanguinis abundantiam exhiberet, quàm quod ejusmodi sanguinis diminutione caloris febrilis remissionem, putredinis inhibitionem, & humorum turgentium correctionem spераremus, non neglectis interim iis, quæ vires corroborant & putredini resistunt, ut sunt leviter refri-

refrigerantia, cum incidendi, penetrandi, & resolvendi qualitate prædita, nimirum Syr. Acetos. Citri, Granatorum acidorum, Violarum cum Spiritu Vitrioli temperatus. Cons. Ros. Vitriolat. Decoctum Rad. Acetosæ Citro recenti & Sacch. candiæ conditum, &c. Hoc modo materiæ turgentis impetu correcto, quod in habitu musculoso per congestionem & affluxum collectum erat, per diaphoretica discutiendũ & resolvendum esse duxi, quam ob causam diversa sudorifera præscripsi, nimirum Elect. de succo Ebuli ℥ß. cum ℥ij. Aq. Veronicæ. Item pulv. Cornu cervi usti præparati ʒj. cum Aq. Veronicæ cum Vino destillatæ ℥iß. & procedente tempore Theriacam Andromachi ʒj. quantitate cum Aq. Cardui benedicti dissolutam febri declinante concessi, quibus diversis temporibus exhibitis, victu interim refrigerante & humectante respectu febris non neglecto, pristinæ sanitati DEI gratiâ laborans restitutus fuit.

Observatio alia.

SIMILEM casum 18. Martij Anno 1617. in Muliere honestâ conjuge Joh. Eberhard. Glockengiessers Laubachii habui, quæ ætatis florentis, corpulenta & sanguinea erat, ad quam vocatus signa febris continuæ conspiciebam, unà cum dolorib. vagis articulorum, qui & ægrotantem & maritum atque astantes maximè sollicitos reddebant. *Mox ergo per vena sectionem* (cum pro alvo solvenda ante meum accessum domesticum purgans sumpsisset) sanguinem minuendum esse duxi, quod plethora & turgens materia sanguinis biliosa indicabat: *deinde præter ea, quæ febrilem calorem temperabant, putredini resistebant & viribus prospiciebant, per biduum matutino tempore sudoriferum exhibui*, Lapid. videlicet Bezoar. gr. v. cum ℥ij. Rob. Sambuci permista, Aq. Sambuci ℥ij. superadditis, quibus brevi, cum Deo, febris & symptomata prædicta remiserunt.

Observatio talis symptomatis in intermittentibus.

Colophonidis loco notandum in hac observatione, quod etiam in *intermittentibus*, ex fundamento non curatis, tale symptoma non rarò soleat relinqui, quod anno 1616. 10. April in *virgini Moniali Monasterij Altenburg*. observavimus, quæ per 3. septimanas intermittente tertianâ laboraverat, quâ suâ sponte remittente paulo post recidivam gravem patiebatur, cum tantis externarum partium vagis doloribus, ut impotentia manuum pedumq; sæpius concurreret, cui aliter etiam succurrere non potuimus, quam præmissis evacuantibus, & mensium excretionibus promotis, convenientia sudorifera præscribendo, quib. brevi quoq; pristino vigori sanitatis restituebatur.

OBSERVATIO XXI.

Febris continua cum sopore periculoso.

IUvenis Nobilis, *Wolffgang ab Ende, natione Misnicus, constitutione corporis biliosus & sanguineus, præeunte frequenti crapula ex vino, circa Mensem Decembris an. 1614. incidit in febrim, quæ primò lentè invadebat, cum urina ruffa tenui, ventriculi nauseâ, bilis cum pituitosis ichoribus permixta vomitionibus, totiusq́ corporis lassitudine, quæ symptomata præcedente tempore erescebant, secum soporem præter naturam, corporis atrophiam ac facultatis animalis maximam debilitatem adducentia, quæ omnia post 20. pectoris difficultate succedente remiserunt.*

RESOLUTIO.

Morbi cognitio.

FEbris hæc ad *quotidianam continuam* quodammodo accedere videbatur, propterea quod ex bile cum pituitâ putrescente suam haberet originem, non *sine malignitate*, quâ principio vitali maximè insidiabatur: *Occasio morbi.* Occasionem præbebat in *corpore disposito*, bile & sanguine redundante, *crapula præcedens ex vino*, quatenus vinum copiosè sumptum, bilem non tantùm exacerbare, sed etiam crudos frigidosque succos generare potest; *Unà cum anni constitutione*, cujus temperies circa totum Autumnum ac initium hyemis maximè Austrina erat, unde plures febricitantes similibus symptomatis afficiebantur: erat autem in initio *lenta febris*, quatenus bilis exacerbatio per admistionem pituitæ remittebatur; *cum Urina ruffa tenui*, propter calorem jecoris & internarum partium exuperantem, materiâ adhuc existente; *ventriculi nauseâ & vomitionibus*, ob redundantes cruditates, non tantùm invasis majoribus venosoq; genere, sed etiam circa primas vias; *totiusque corporis lassitudine* & propter naturam gravatam à copiâ materiæ, & propter Spiritus animales ob exhalationes putridas impuriores redditos. Hæc symptomata procedente tempore *crescebant*, propterea quòd magis magisque vi caloris febrilis materia peccans putrefieret; secumque *soporem præter naturam*, exhalationibus putridis & narcoticis continuò cerebrum afficientibus ejusque collectos pituitosos humores solventibus; *atrophiam* nutritivâ propter materiam peccantem gravatâ, caloreque nativo quodammodo suffocato; *& facultatis animalis debilitatem* adducebant, quatenus, distributione spirituum animalium in cerebro per somnum præter naturam impeditâ, sensus & motus languere coguntur. *Omnia verò post 20. remittebant, imperfectâ scil. crisi subortâ*, cujus ratione peccans materia, vi naturæ concoctricis, resoluta, subitò ad pectus per defluxionem transferebatur, unde pectoris difficultas periculosa, cum instante suffocatione, succedebat.

Indicationes Curativæ.

Hinc materia contumax sui præparationem & evacuationẽ partitis vicib. indicabat: sanguis abundans viriũ suffocationem juvans evacuandus: alvus segnior stimulanda: maligna putredo inhibenda: soporis causa dissipanda, & materia imperfectè per defluxiones ad pectus translata lenienda maturanda & educenda veniebat.

Ergò mox secundâ die, cum aliâ ob præcedentes vomitiones via facta esset, Magist. Tartari Vitriolati ʒj. cum gr. v. diagridii in haustu vini Absynthii concessi, post cujus usum materia versus superiora vergens, ter vel quater satis evacuata fuit, vomitionibus difficilibus interim remittentibus. Tertiâ die venæ sectionem institui, quâ non parùm natura levata videbatur. Cum autem urina parum adhuc materiæ coctionem innuere videretur,

per biduum digestivum exhibuimus, manè vesperique, quod ℞. Decoct. Rad. Cichorei cum Passulis in sero ℥x. Syr. Bysantini simpl. Oxymellis squilitici an. ʒjß. Spiritus Vitrioli gutt. x. Misce. pro 4. dosibus. Hoc præmisso rursus Mechoacannæ opt. ʒj. cum Magist. Tartari Vitriolati ℈j. & gr. ij. Diagridij pro evacuatione exhibuimus, quò satis copiosè materia per alvum deposita fuit, ita ut ventriculus mediocriter haberet; pro appetitu excitando bolo ex conf. Rof. cum Spir. Vitrioli permisto sæpius exhibito. Porro, ne somnus præternaturalis, ad quem æger inclinabat, periculum gravius causaret, *alvum quotidie stimulandam* esse duximus, cum aliâs segnior esset ad expellendum, parum scilicet naturâ animadvertente propter ἀναισθησίαν; idcirco eandem jam enemate acri, jam suppositoriis ex spec. hieræ simpl. in extremitate cum pauxillo Diagridii confectis, per dies subsequentes laxare conati sumus. *Malignam putredinem* corrigere tentavimus per exhibitionem citri recentis cum Saccharo præparati, Syr. itidem acetositatis citri, Lapid. Bezoar. aliquoties gr. v. cum pauxillo Cornu cervini in Aq. Veronicæ exhibito, decoctione quoque Rad. Cichorei cum Passulis & cort. citri præparatâ, cui postea Cornu cerv. ustum quantitate ℥ß. ad mensuram dimidiam pro potu contra sitim infusum fuit. Porrò *soporis causa dissipanda* fuit, quo fine Castoreum, Rad. Pyrethri; Rutam, serpillum, & Abrotanum in aceto decoximus, & cum spongia humectata frequenter naribus ad excitandum ægrum adhibuimus: Pro faciei detersione Rad. Fœniculi cum calendula, verbena, & betonica in aq. & aceto decoximus ac spongia nova frequenter adhiberi jussimus, cumq; parum adhuc grave symptoma remitteret, *vesicatorium nostrum Emplastrum de Catharidib.* ad cervicem ex utraque parte derivationis gratiâ, per noctem apposuimus, quo convenienter operante; sopor sensim remisit, donec circa 20. materia copiosè ad pectus translata videbatur, difficultate respirationis & tussi subsequentibus, ubi præsens remedium fuit Balsamus Sulphuris Terebinthinatus, seuRubinus Sulphuris quatuor vel quinque guttis in ℥jß. Syrupi Jujubini dissolutus & lambendo frequenter sumptus. Ab hoc tempore sensim æger convalescebat *intumescentibus interim pedibus*, ob concoctricis debilitatem, quæ alimenta assumpta perfectè non concoquebat; ubi tumorem per suffumigia pulvere nostro contra defluxiones carbonib. injecto discussimus, donec tandem circa 30. per aliquot dies, quod residuum erat & à morbo & propter imbecillitatem virium alvi dejectione spontaneâ purgaretur, & æger DEI gratiâ pristino vigori sanitatis restitueretur.

Observatio alia. Similem casum eodem tempore in *Matrona honesta* 33. *Annorum*, *D. Cambergeri Consiliarij Nassovici p. m. vidua relicta*, *Fridbergæ* habuimus, quæ in febrim acutam malignam incidit, tertio morbi die *fluxu menstruo symptomatico superveniente*, quê *maxima debilitas & sopor præter naturam* excipiebat. Vocatus ergo die morbi undecima, clysterem suadeo, cum per quinque dies obstructa fuisset, quo cum semel tantum alvus leniretur, aliud lenitivum die 13. superaddendum censui, quo facto, Bezoarticis contra malignitatem pugnandam, & à cerebro, quantum fieri potuit, frictionibus, ligaturis, odoramentis resolventibus, vesicatoriis, derivationis gratiâ, adhibitis, &c. narcoticas exhalationes revellendas esse duxi, viribus interim non neglectis. Etsi vero juxta præscriptum consilium ægra convalesceret, malignitas tamen in adstantes agere non desiit, ita ut ex liberis ejusdem duo simili affectu prehensi post meum abitum vitam cum morte mutarent.

OBSERVATIO XXII.

Febris continua cum vigiliis excedentibus.

Nobilis adolescens Bohemus annorũ 16. ex Myskiorum familia, constitutione corporis calidus siccus, tempore canicularium an. 1610. Illustrissimo Nostro serviens, in itinere Coloniensi incidit in febr. in continuam, cui non parum occasionis præbuerat aëris externi intemperies calida sicca, vini q́ generosioris usus, cui ex patria primò veniens non admodum adsuetus erat. Hic tertiâ morbi die, Coloniam veniens, meum implorabat auxilium, totus febrili calore squalidus ac exustus quasi, somno penitus destitutus, & ad delirium inclinans.

RESOLVTIO.

Quemadmodum ex vaporosis exhalationibus interdum *somnus præter naturam* oritur, ita frequenter in biliosis & malignis febribus ex incendio & acribus fumis *excedens vigilia* suam generationem obtinet, quod etiam huic ægrotanti accidebat, ubi symptoma hoc tàm grave erat, ut ad se curationem omnem traheret, cum propter dissipationem spirituum vita maximè periclitaretur. *Unde fic excessus vigiliarum in febri.* Præscriptis igitur emulsionibus ex semine papav. alvi, quatuor frigidorum majorum cum Aq. refrigerantibus & cordialibus, ordinatis etiam balneis pedum ex herbis refrigerantibus, ut flor. rosarum, lactuca, Nymphæa, fol. vitium, salicis, cap. papaveris &c. Imò & frictionibus brachiorum ac ligaturis, halitus cerebrum occupantes revellere, & somnum producere conati sumus, sed frustrà magis ac magis ad delirium, totalemque virium resolutionem ægro tendente. Hanc ob causam ad usum *Laudani Opiati* accessimus, cujus gr. iij. cum Syr. papav. errat: dissolut. exhibuimus; quo assumpto paulo post æger in somnum decubuit, integrâ nocte quiescens, quem matutino tempore suscitatum corroborantibus, & victu maximè humectante, & temperatè refrigerante reficiendum esse statui, donec paulùm viribus collectis, quod residuum erat, de morbificâ materiâ, per convenientia medicamenta tolleretur.

OBSERVATIO XXIII.

Febris continua cum Ictero ante 7. superveniente.

Generosus Baro N. à Stahrnbergk, adolescens calidus & siccus, 16. Aug. an. 1617. Giessa Studiorum gratiâ

gratiâ vivens in febrim continuam incidit, qui quartâ die colore icterico superveniente tingitur, & nihilominus paucis adhibitis remediis brevi convalescit.

RESOLUTIO.

Quomodo Icterus ante 7. bonum signum esse possit.

QUanquam juxta *Hipp. Aphorismum Icterus, ante septimum, in febribus malum signum* statuatur, propterea quod bilis ejusmodi tàm brevi tempore maturari nequeat, ut criticè expellatur, adeò ut signum hoc sit naturæ succumbentis, ob copiam materiæ symptomaticè biliosis humoribus ad cutim ruentibus: non tamen hoc ita perpetuum est, quin interdum fieri possit, ut ope medicamentorum à natura sæpius ante 7. materia peccans ad partes externas propellatur, quod etiam hîc factum fuit. Cum enim ex signis pateret, *bilem hîc copiosè collectam* vi vehementioris exercitii tempore æstatis admodum incaluisse, & proptergravitatem symptomatum hinc & inde moveri, quod *bilis vomitus, dolor capitis subitaneus, instans lipothymia, virium animalium debilitas* & alia testabantur; Idcirco statim alvo obstructâ sequens purgans exhibuimus, quod ℞. Syr. Rós. solut. ℥ij. Elect. de succo Ros. ʒjß. Misce. quo satis evacuatus, die sequenti Lap. Bezoar gr. v. cum Aq. Cardui ben. sumpsit, sudore confertim profluente. Hoc facto *calorem febrilem* ac bilem *effervescentem* ulterius usu Syrupi sequentis temperare conati sumus, qui ℞. Syr. Acetos. Citri. Violarum ana ℥ij. Spir. Vitrioli ℈ß. Aq. Acetosæ ℥j. Misce. Concessimus etiam circa vesperam emulsionem, quæ ℞. Sem. Papav. albi ʒj. F. emulsio cum Aq. Acetosæ, Cichorei an. ℥iij. Borraginis ℥jß. Coletur & adde Aq. Cinam. ʒß. Confect. manus Christi cum Perlis ʒvj. Misce. Victum imperavimus humectantem & refrigerantem, cum amica adstrictione pro ventriculo corroborando, nimirum pullos gallinaceos cum Acetosa decoctos; assatos itidem pullos cum succo Citri & arantiorum, spinachiam quoque, lactucam, acetosam, cum chærefolio & fœnicul. decoctam, & in pulmenti forma cum butyro præparatam &c. His natura corroborata bilem à partibus nobilioribus ad ignobiliores ablegare conata fuit, subitò *colore icterico circa 4. morbi suborto,* quod roboris naturalis signum esse statui, propterea quòd cum remissione gravium symptomatum fieret. Hinc ergo quinto die rursùs Rhab. ʒjß. in brodio prunorum infusam horis 24. & deinde leviter ebulliendo per linteum colatum exhibui, quo bilis superstes eò melius ablegaretur, interim per decoctum Rad. Cichorei cum passulis quotidie bis usurpatum naturæ prospiciens, ne de novo materia peccans cumularetur, unde paucis ejusmodi remediis æger brevi convaluit.

Cognitio.

Dictæ.

OBSERVATIO XXIV.

Febris continua cum pleuritide spuria, per tumorem dextri pedis soluta.

N*Obilis Danus Vincentius Wibe, constitutione corporis calidus & siccus, ætatis circiter 20. annorum, anno 1617. septimo Februarij incidit in febrim continuam, cum dolore thoracis extensivo & pulsatorio, tussi primò sicca, dein etiam humida affligente: respiratio aderat difficilis, inprimis expirando magis gravans: pulsus non admodum durus, sed inæqualis erat: tandem cessante pectoris dolore, febrique remittente, tumor dextri pedis cum inflammatione, succedenteq; suppuratione sequitur.*

RESOLUTIO.

F*Ebrim continuam* æstus febrilis continuò affligens cum reliquis signis hîc testabatur, quæ cum *biliosum corpus hyberno tempore* prehenderet, mirum non erat, quòd propter difficiliorem transpirationem peccans materia perfectè non expelleretur, adjuvante simul pituitosâ fluxione, quæ defluens à capite, pectoris affectum augebat. *Dolor ergo thoracis tensivus & pulsatorius* nothàm vel spuriam pleuritidem conjunctam innuebat, quatenus materia bilis, cum affluentibus pituitosis humoribus permixta, musculos pectoris intercostales externos afficiebat, & inflammationi causam præbebat; unde *tussis primò sicca*, gravata videlicet expultrice thoracis, quæ materiam externè latitantem expellere non poterat; *dein etiam humida*, vi caloris febrilis resoluta materiâ à capite ad pectoris etiam cavitatem defluente: *hinc & respiratio difficilis,* imprimus in expirando, quando scilicet contractione musculorum externorum thorax contrahitur, quod absque dolore, propter materiam inflammationis, fieri non potest: *pulsus non admodum durus* erat, quod aliàs in vera pleuritide propter membranam inflammatam fieri solet, sed *inæqualis*; prout in febrib. moris est.

Signa nothæ pleuritidis.

Hic præter ea, quæ febrim respiciebant, materia peccans pectus gravans revulsionem, respectu affluentium, & resolventia atq; emollientia, respectu affluxorum humorum indicabat, ubi ratione doloris urgentis anodyna non negligenda veniebant.

Indicationes.

Hinc statim per Cassiæ recenter extr. ʒvj. cum Rhabar. tenuissimè incisi ʒj. laborantem purgavimus, revulsionis gratiâ subsequenti die venæsectione brachii dextri institutâ, quibus peractis tam pro calore febrili temperando, quam pro pectore leniendo jam *Emulsiones* ex Amygdalis dulcibus, seminibus Melonum, papaveris albi, cum aquis pectoralibus temperatis, addito Sacharo Candiæ & confectione Manus Christi perlatæ, præparatis jam *Syrupis* de jujubis violarum, de hispidula & similes præscripsimus. Verùm cùm peccans materia ob pituitæ admistionem crudior videretur, præparationem ejusmodi *Digestivo* tentavimus, quod ℞. Rad. Cichorei ℥ß. Fœnicul. Glycyrrhizæ an. ʒiij. Herb. Marrubii albi M ß. Sem. Fœniculi, ʒjß. Passul. minorum ℥ß. jujubarum. Sebesten. an. num. vij. Coq. in s. q. seri lactis caprini ad tertias, Colentur ℥xvj. Clarificetur & Sacharo Candiæ dulcoretur. De quo decocto per biduum manè & vesperi ʒiiij. sorbendo sumebat, ac semel adhuc die tertio evacuabatur. Dehinc interius *Sudoriferum* ad

2. vices per biduum matutino tempore usurpandum præscripsimus, quod ℞. Pulv. Cardui benedict. ℥ß. Cornu cervi usti præparati ʒjß. cum Aq. Veronicæ Misceatur, & parte dimidiâ sumatur. Ut autem hoc modo peccans materia magis dissipetur, exterius *Emplastum de Meliloto* pro maturatione & resolutione cum inunctione olei amygdalarum dulcium & pinguedinis humanæ frequenter apposuimus. Dum hoc modo pro diversis intentionibus varia medicamenta præscribuntur, en! subitò circa 14. morbi, febri remissâ, doloreque pectoris & aliis accidentibus quietis, *dolor insignis pedem dextrum prehendit, cum tumore & inflammatione*, quod cum naturæ robur adesset, graviaque morbi symptomata remitterent, *crisi imperfectâ* fieri censui, præsertim in *die critico bono*, quam ob causam vim expultricem non impediendam esse putavi. Cum autem collecta materia nec per suffumigia, nec per mediocria resolventia dissipare posset, eam ad suppurationem promovendam esse statui, qua propter maturantibus Cataplasmatis adhibitis magna, puris copia, diversis in locis, aperto tumore promanavit, donec tandem satis purificatâ parte consolidatio subsequeretur, ubi duritiem circa articulum infimi pedis remanentem, nullis inunctionibus & emollientibus remediis cedentem, verno tempore per usum *thermarum Embsensium* resolvi posse speramus qua propter eò misso ægro voti penitùs compotes facti sumus.

Critica translatio materiæ.

Observatio alia.

Similem ferè Crisin imperfectam An. 1609. Pastor in Kirtorff., Dn. M. Joh. Dietericus patiebatur, qui laborans per mensem gravi continuâ Tertianâ tandem tumore sinistri pedis usque ad genu dolorifico prehenditur: hic, absente medico, consilio adstantium inunctionem repellentem, & Cataplasma ex farina seminis lini post expressionem olei residui mox in principio adhibet, quo ipso naturam in expellendo perturbat, ut materiâ peccante, pòst admodum impactâ, per semestre vix variis etiam ac diversis resolventibus & emollientibus resolvi potuerit, donec tandem viribus recollectis ipsa natura sensim superfluam materiam, frequentibus adhibitis balneis emollientibus & discutientibus, absumeret.

OBSERVATIO XXV.

Febris continua cum singultu.

Nobilium quorundam præceptor S.S. Theologiæ Studiosus M. Hermannus Hülshovius, Westphalus cum Anno 1614. Mense Augusto discipulum febri acutâ laborantem per septimanam unam atq; alteram, pro ut officij ratio requirebat, fideliter, noctu dieque tractasset, ipsemet etiam in continuam incidit, quâ legitimè curatâ, tandem febri declinante, singultus periculosus sequitur.

RESOLUTIO.

Singultum *hunc* ob corrupti humoris acrimoniam & malignitatem in ventriculi tunicis residuam fieri statim collegi, quam ob causam pro ejusmodi materiæ evacuatione Tartari vitriolati ℈iiij. cum vino Absynthij præscripsi, quo laudabiliter operante, sed nec dum expultrice stimulatâ quiescente, Julapium Foresti in hoc casu commendatum ordinavi, quod, ℞. *Hordei mundi.* Mj. *Sem. Anisi, Anethi, Fœniculi ana* ʒj. *Flor. cordial.* pj. *Sem. 4. frigid major, Papaver. albi, ana* ʒj. *Portulacæ, Lactucæ, ana* ʒß. *Liquir. rasæ.* ʒiij. *Coq. in Aq. com. pro* ℔j. *Coletur & aromatisetur cum spec. diatrag. frig. diarrhod. Abbat. diatrion santal ana* ℈j. *Addendo Syr. Violarum* ℥jß. *Acetos. Citri, ex infusione Rosarum, ana* ℥j. *Misce.* De quo sæpius haustum concessimus donec ad usum *Laudani Opiati* accederemus, cujus grani iij. cum ʒß. Theriacæ, & ʒj. conservæ Rosarum permista dedimus, quo ipso ad miraculum usque periculosum symptoma cessavit, nullis mediis præterea, quàm reficientibus alimentis adhibitis. *Simile symptoma* in Legato Argentinensium in Comitiis proximis Imperii Ratisbonæ febricitante notavimus, Anno 1613. qui morbo magis magisque crescente, nec in declinatione, sed in principio singultu suborto, viribus exhaustus naturæ debitum solvere cogebatur.

Indicationes curati...

Appendix

Dum hæc recolligo, succurrit exemplum honesti civis Ulmensis, hac æstate 1623. sub finem Augusti continuâ graviter laborantis, cui, inclinante morbo, singultus per aliquot dies ægrum crucians successit, qui per decoctionem *Sem. Anethi, fœnic. &c. cum Mithridatij portiuncula* permistam; post evacuationem præmissam, ab hoc symptomate liberatus fuit.

OBSERVATIO XXVI.

Febris continua cum supervenientibus mensibus.

Nobilissima Matrona 30. annorum Ioh. Hermanni Schencken in Schweinsburgk conjunx, constitutione corporis macilenta, calida & sicca, fluxionibus tamen capitis obnoxia, circa 17. Ian. 1618. in febrim continuam incidit, cum dolore pungente lateris sinistri, & dolore gravativo lumborum, tussi, capitisque dolore vehementi, & circa quartum morbi menstrua evacuatione superveniente.

RESOLUTIO.

Vocatus quartâ die morbi *febrim continuam* adesse conspiciebam, eamque *periculosam* tempore hyemis, in constitutione corporis debiliori, *cum pungente lateris dolore*, propter materiam à capite eò decumbentem, & pleuritidem spuriam producentem; *& dolore gravativo lumborum*, propterea quòd in magnis vasorum divaricationibus infimi ventris sanguis putrescens copiâ suâ noxius esset; *tussi*, propter gravatum pectus à defluxu acrioris materiæ; *capitisque dolore vehementi*, propter resolutam à calore febrili commotámque materiam in membranis cerebri; *menstruâque evacuatione superveniente*, vi materiæ copiosæ naturâ stimulatâ.

Morbi determinatio.

Hic

Indicationes curativæ.

Hic 1. alvum apertam retinendam, 2. Fluxum menstruum non impediendum, 3. Putredini sanguinis resistendum, 4. Tussim leniendam, & 5. vires corroborandas esse statui, præsertim cùm ante meum adventum venæsectio & purgatio præcessissent.

Ad 1. Fiat vinum passularum ex vino tenuiori: Mannæ ℥jß. dissolvatur in brodio prun: brodium gallinæ cum decocto ficuum pinguium & passularum: suppositoria cum spec: Hieræ s. fiant: pro potu utatur acidulis salsis de **Niderseltero**/ quibus vis aperiendi & laxandi inest.

Ad 2. Fiat decoctum hordei simplex cum Sacchoro candiæ dulcoratum, cui infundatur nodulus ex Mace, Cinam, Croco, &c.

Ad 3. utatur C. C. U. præp. ʒj. cum Aq. Card. ben. manè, diversis diebus pro sudore provocando: sæpius etiam de Syr. Acetos. Citri, vel citreis malis recentibus aliquid usurpet.

Ad 4. Lambat. Syr. Papav. Errat. vel etiam pro expectoratione sequentem, qui ℞. Syr. de Hispid. ℥ij. Jujub. ℥j. M. Item Loch Sani ℥ß. dissolvatur in brodio gallinæ, in quo hord. excorticat. decoctum sit, & sorbendo sumatur. Pro suspensione catharri fiat sacculus capitalis, qui ℞. Sem. Nigel. ʒj. ß. Carv. Fœnicul. ana ʒjß. Mast. Thur. ana ʒj. Flor. Ros. rubr. Fol. Beton. verbenæ ana Mß. F. Pulvis grossus pro sacculo interpastato.

Exterius pectus Oleo Amygdal. dulcium cum pinguedine humana permisto inungatur.

Ad 5. victus ratio sit facilis concoctionis & benè nutriens, (in consideratione virium debilium & consumptione corporis) nimirum succus carnium ex capone cum Aq. Ros. pauco Cinam. & Mace confectus: brodium carnis cum ovis dissolutis: brodium contusionis gallinæ cùm conserva rosarum & acetosæ decoctum, &c. Hoc consilio præscripto laborans intra 20. convalescit, ubi propter imbecillitatem concoctionis residuâ quâdam materiâ collectâ, laxativo nodulo per dies aliquot cum fructu utitur.

OBSERVATIO XXVII.

Febris ardens maligna cum hæmorrhagia Symptomatica.

Morbi determinatio.

CUm Anno 1610. mensibus æstivis in Alsatia motus bellici continuarentur, circa tempus autumnale milites redeuntes maximè febri continuâ (communiter morbum Ungaricum vocant) afficiebantur, occasionem præbente vino generosissimo, quo tunc Alsatia abundabat, quod homines ex inferiori Saxonia & Hassia plenioribus haustibus assueti, non pitissando, sed plenis buccis hauriendo, ad satietatem quotidie sat abundanter, aëre æstivo calidissimo, sumpserant. Hinc multi semimortui redibant (aliis febribus ardentibus peremptis) inter quos etiam levis armaturæ miles, qui hic apud viduam quandam divertens, intervenientib. popularibus suis, meam implorabat opem. Huic calor intensissimus continuò aderat, cum siti plurimum excedente, pervigliâ perpetuâ, colore faciei squalido, summâque virium anxietate, parum à naturali statu urinâ declinante. Quod verò maximè urgebat, hæmorrhagia erat narium, quæ variis ac diversis adhibitis remediis vix corrigi potuit.

RESOLUTIO.

Febris ardentis cognitio.

CAusos hîc aderat, seu *febris ardens maligna*, cum tertianâ continuâ conveniens, cujus occasio erat *vini generosioris* frequens ingurgitatio, *in homine juvene*, cujus corpus δυσδιαφόρητον, compactum sc. *tempore æstatis* intensissimi caloris: *sitis plus solito major erat*, propter vehementiam caloris viscera concoctionis exurentis: *per vigilia perpetua*, propter acres exhalationes motum spirituum animalium perturbantes: *cum colore faciei squalido* germani **Todfarbe** vocant, propter adustionem succorum nutrientium, unde partes faciei carnosiores succulentâ materiâ nutritionis destituuntur: *summaq; virium anxietate*, propter malignam putredinem principes facultates afficientem: *Urina parum à naturali statu declinante*, quod in acutis malignitatis signum est, parum sc. vel nihil mutatis vitalis & animalis facultatis gravibus symptomatis, etiamsi naturalis officium suum præstare videatur, cum vivificum conservationis nostræ principium, spirituosus videlicet sanguis, hic maximè præter naturam afficiatur. Quod verò plurimum urgebat, *hæmorrhagia erat*, fluxus scilicet sanguinis è naribus symptomaticus, qui fiebat propter materiæ peccantis acrimoniam, & vires maximè dejiciebat. Hîc fluxus periculum innuebat, propterea quòd non criticâ motione fieret: non tamen omnino desperandum duximus, cum sæpius etiam evacuationes symptomaticæ per accidens naturam juvent, materiam peccantem minuendo; virtutémque vitalem suffocatam quodam modo liberando.

Urgens symptoma.

Indicationes.

Hinc in præsenti casu ante omnia malignitati resistendum esse duxi, correctis etiam interim gravibus diversis symptomatis, inprimisq; sanguinis fluxu continuo.

Præscripsimus ergo mox pulveris rubei Pannonici ʒj. cum Aq. Cardui benedicti (cum alvus laxa esset) pro sudore movendo contra malignitatem, quo proveniente, post abstersionem interius emulsionem Sem. Papav. alb. cum Amygdal. dulc. in Aq. Cichor & Acetos. cum confect. manus Christi præparatam concessimus; exterius & pro somno conciliando, & sanguinis fluxu sistendo, Epithema capitis, quod ℞. *Sem. Papav. albi* ℥jß. *4. frig. major. ana* ʒjß. *Cort. thuris* ʒj. *cum Aq. Lactucæ, Nymphea, Verbenæ & similibus, F. emulsio cui adde, Aceti Rosacei* ℥ß. *Misce.* Et sine colatura tepidè applicetur. His parum proficientibus, adhuc semel sudorem provocabimus, ac tandem propter turgentem materiam malignam Laudani Opiati gr. iij. cum conserva Rosarum exhibuimus, quinquies humorum & ægrotantis restitutio sequebatur, qui sanus abiens hospitio malignitatem relinquebat, ita ut paulo post vidua hospita, cum aliquot liberis eodem morbo infecta, medicaminum usum negligens, vitam cum morte mutaret.

OBSERVATIO XXVIII.

Febris ardens maligna cum linguæ inflammatione vehementi.

Cùm anno M. DC. V. in Austria superiori Medicinam facerem, ad nobilem matronam mense Augusto vocabar, quæ annorum circiter 25. calidæ siccæ constitutionis febri ardentissimâ & continuâ decumbebat: sitis aderat immensa: cibos aversabatur: succedebat anxietas, vigilia, dolor capitis, & linguæ inflammatio, cum nigredine & scabritie.

RESOLUTIO.

Morbus determinatur. Febrim *ardentem* prædicta signa, *malignamq́;* plures ex domesticis in eadem domo laborantes indicabant, ubi *propter febriles expirationes continuò communicatas cordi, cerebroq́;* maxima anxietas, vigilia, dolorque capitis oriebantur, quibus *linguæ inflammatio & scabrities atq́; nigredo* jungebatur, quatenus halitus febriles fauces & linguam adurebant, ipsiusque nativâ humiditate absumptâ, propter acres fluxiones à capite, viscosum excrementum ibidem coagulabant.

Indicationes. *Hic ergo materia biliosa putrescens alteranda & evacuanda, putredo inhibenda, Vires corroborandæ & symptomata vehementiora lenienda videbantur.* Ergo cùm alvus officii immemor esset, per lenitivum laxabatur. Secundâ die mediana brachii vena secatur, pro materiæ peccantis diminutione & alteratione, simúlque virium gratiâ confectio manus Christi cum perlis & speciebus diarrhodon conceditur.

Tertiâ die pro alteranda & evacuanda materia peccante sequens potio præscribitur: ℞. *Rad. Cichorei* ℥ß. *Herb. Endiviæ, Acetosæ, Lactucæ ana* Mjs. *Sem. Anisi* ʒj. 4. *frigid. major. ana* ʒß. *Fol. Senæ* s. f. ʒvj. *Passul. min.* Mjs. *Coq. in* s. q. *aq. ad* 3. *colentur* ℥viij.

In colatura per noctem infunde Rhabarbari Elect. ʒj. spicæ Ind. gr. v. Hujus colaturæ ℞. ℥iij. *Syr. rosat. solut.* ℥j. *de succo granat.* ℥ß. *Misce, fiat haustus.*

Quartâ die præbetur bis in die sequens potio confortans & putredini resistens: ℞. *Syr. Acetos. Citri* ℥j. *Aq. Acetosæ* ℥iij. *Spiritus Vitriol. gutt.* vij. *Misce.*

Quintâ reiteratur potio purgans. Sextâ & Septimâ matutino tempore pro sudore provocando pulveris Rub. Pannonici ʒj. cum Aq. Card. benedicti & Chamæmeli sumitur. *Pro symptomatum vehementiâ* corrigenda, quo ad linguæ inflammationem hunc gargarismum ordino, qui ℞. *Herb. Prunellæ, Plantaginis, Lactucæ ana* Mis. *Fl. Balaust.* ʒij. *Malvæ arboresc.* Ms. *coq. in s. q. Aq. ad.* 3. *colentur* ℥xv. *adde Rob. Nucum* ℥j. *Lapid. Prunellæ* ʒij. *f. gargarismus.* Victus ratio frigida humida conceditur: potus est decoctum Cornu Cervini &c.

OBSERVATIO XXIX.

Febris continua cum subsequenti paralysi linguæ.

Puer annorum duodecim, Molitoris cujusdam filius Ulmæ, sub finem Septemb. anno 1622. incidit in febrim continuam, cum tussi & alvi obstructionibus, quam tandem non tantum totius atrophia, sed etiam linguæ paralysis excipiebat, ita ut sermonis usu penitus destitueretur.

RESOLUTIO.

Febrim *continuam* hîc testabantur signa concomitantia, quæ non difficulter ex præcedentibus colliguntur: aderat autem *tussis*, ob materiæ catarrhalis resolutionem, quæ ἀθρόως ad pectus defluebat, & *alvi obstructio*, propter bilem, excretricem facultatem aliàs extimulantem, aliò translatam, adjuvante simul intemperie febrili calidâ siccâ, cujus vi *totum corpus*, etiam aliàs rarum, *consumebatur*, unde totius ἀτροφία, seu tabes. *Hîc ante omnia alvi obstructionem solvendam, putredini sanguinis resistendum, intemperiem corrigendam & tussim leniendam esse putavimus.* *Indicationes.* Mox igitur Syrupum laxativum ordinavimus, qui ℞. *Syr. Ros. solut.* ℥ij. *de Man. laxat.* ℥ß. *decoct. fl. & fruct. cum fol. Senaparum, f. haustus.* Post alvi laxationem pulverem sudoriferum ordinavimus ad 2. vices, ex Cornu C. U. præp. cum pul. Rub. pann. an. ʒß. in Aqua Cardui bened. propinandum, quò putredo sanguinis eò magis inhiberetur. Intemperiei corrigendæ causâ decoctum Rad. Acetosæ, cum Cornu Cervino, concessimus, cum Sacch. candiæ propter tussim, parumper dulcoratum; ut & Syrupum Acetositat. Citri, cum Syr. Violar. permistum, conservam Ros. Violar. & similia. Cæterùm, urgenti tussi per Syr. Jujubinum, cum Syr. Violar. permistum, succurrimus; interdum etiam inspissandi catarrhi gratiâ vespertino tempore Syrupo Flor. papaveris erratici præscripto. Cum autem hoc modo morbus principalis expugnatus ferè, *linguæ paralysis* successit, ut omninò sermonis usus puero interciperetur, quod propter catarrhum ad linguæ nervos decumbentem fieri conijciebam, quâ de causâ febrilibus symptomatis jam remissis, per appropriata calidiora symptomata succurrendum esse statui, non tantum balsamum capitalem ordinando, qui ℞. *Olei Nucis Mosch. per express.* ʒj. *Balsam. Rutæ Rorismar. Majoranæ ana* ℈ß. *Misce*, fiat Balsamus, quo frequenter vertex, tempora & nares inunguntur; sed simul etiam gargarismum sequentem præscribendo, qui ℞. *Aq. Salviæ, Lil. Convall. ana* ℥vj. *Spir. Ceras. nigror.* ℥is. *Mithrid.* ʒis. *M.* *Symptoma singulare.* Exterius etiam sacculum ex Sem. Nigellæ, Mastiche, Nuce Mosch. fl. Lavendulæ, Majoranæ & similibus concessimus, non neglectâ interim convenienti victus ratione reficiente, qualis in convalescentibus requiritur, quibus observatis, sensim vires recollectæ, rarumque symptoma prędictum consumptâ materiâ nervos obstruente, correctum fuit.

Simi-

Observatio similis.

Similis casus aliquando, per literas ad me Anno 1614. perscriptas, meminit *Vir Clariss. & Excellentiss. Dn. Tobias Tandlerus Med D. & Professſ. Wittebergensis.* p. m. quem hîc etiam annectere placuit. Puer, inquit, 12. circiter annor. febri primum tertianâ decubuit: sed Medici curâ neglectâ, transiit illa in continuam: pro cujus etiam amolitione pauca à me fuerunt petita, quæ tamen non suffecerunt. Morbo ita protracto, supervenit tandem *linguæ paralysis*, ut per 14. dies loqui non potuerit, febre tamen adhuc durante & in hecticam abeunte. Tandem paralysis illa linguæ iterum paulò ante mortem solvebatur, sed hecticâ consumptus obiit. Huic puero forsan ab initio facilè consuli potuisset: sed ut moris est, si uno remedio morbus non cedit, potius ad Empirica muliercularum, quam alia Medicorum auxilia confugium suscipitur. Cum autem puer ex febre intermittente lentâ in continuam, & post in hecticam transierit, ac tandem usu Theriacæ illitæ loquelam recuperarit, ideò ab humoribus frigidis defluentibus & nervorum obstructionem causantibus malum obortum esse videtur. Sed rationibus quidem de casibus hujusmodi concertare licet; arcana naturæ semper assequi non licet. Hactenus ille.

OBSERVATIO XXX.

Febris continua cum petechiis.

Illustrissima matrona sub initium Martij, Anno 1621. in febrim continuam incidit, quam primis diebus maculæ pulicares quasi comitantur, lingua etiam inflammatur, unà cum periculosâ virium jacturâ.

RESOLVTIO.

Febrim hanc periculosam non immeritò judicabat præsens Medicus, *Vir Clariss. Dn. D. Georgius Faber*, Castri Fridbergensis ordinarius, amicus & affinis meus honorandus, qua de causa pro communicatione consilii me sibi adjungere voluit. Vocatus igitur, unà cum eodem *febrim continuam, eamq; malignam* adesse statui, quod symptomatum consuetorum præsentia, eorumque vehementia satis confirmabant, imprimis id ipsum etiam *pulicares maculæ, seu petethiæ, primis diebus apparentes* testabantur, scilicet non criticè, post materiæ peccantis coctionem, sed symptomaticè expulsæ, malignitatis naturam extimulantis indicio; cum *linguæ inflammatione*, propter viscerum incendium; *viriumque periculosâ jacturâ*, malignam sanguineæ massæ putredinem innuente, quod *urina flammea, perturbata simul* etiam confirmabat.

Determinatio morbi.

Indicationes.

Hîc alvum leniendam; 2. ardorem internum temperandum: 3. viribus prospiciendum: 4. & malignitatem omni ingenio corrigendam esse duximus. Mox ergo *juxta primam intentionem* lenem evacuationem exhibuimus ex Manna, cum Syrupo Rosato solutos. q. in decoctione prunorum dissolutis.

Cum autem *inflammatio linguæ* gravius affligeret, venæ sectionem derivationis gratiâ sub eadem admisimus, adhibitis insuper aliis, quæ symptomati huic alias prospicere solent, de quibus in præcedentibus *Ardoris interni* temperandi causa, decoctionem Rad. Scorzoneræ recentis, cum Rad. Acetosæ, Cornu Cervino, Sem. Citri, Napi &c. concessimus, vel per se, vel cum Syr. Acetos. Citri, granat. conserva Rosarum & Violarum Vitriolatis, permistam. *Viribus insuper* prospiciendam esse putavimus per brodium decoctionis gallinæ, diplomate factum, additis Aq. Rosar. Borrag. & aliis cordialibus: per aquam corroborantem, quæ fiebat ex Aq. Rosar. Borrag. Buglossæ conf. manus Christi perlata, Succo Citri, Granat. & similibus. *Malignitati* vero maximè resistendum esse putavimus, qua de causa Bezoartica sudorifera most post alvum lenitam aliquoties exhibuimus, nimirum Lap. Bezoartici selecti gr. vj. cum Aquæ Card. ben. & scordii haustu præscriptis, quibus repetitis & sudoribus confertim fluentibus, maculæ quidem disparuerunt, summa tamen virium jactura nihilominus remanente, qua de causa non tantum illa, quæ putredini, malignitatique resistunt, diligenter continuavimus, ubi inter cætera quoque maximè conveniebat conserva radicum scorzoneræ recenter concinnata, sed etiam Emplast. vesicatorium de Cantharidibus ad utrumque carpum applicavimus, quo feliciter operante, cute pro fundius ulcerata, sensibiliter vires partium principalium reficiebantur, malignis evaporationibus versus exteriora commotis, ut sensim postea patiens Illustrissima pristinæ sanitati restitueretur. Quamvis autem non essemus nescii, quod vesicatoriorum usus in febribus malignis à multis vocetur in dubium, nihilominus tamen experientiâ edocti, non sine ratione, remedium in hoc casu conveniens esse judicavimus, propterea quod maximus internus æstus hîc deprehenderetur, exterioribus interdum perfrigeratis, quodque propter malignas evaporationes sanguinis æstuantis symptomata gravia principum partium imminerent. At in tali casu commodè per vesicatoria versus exteriora fit revulsio, qua in parte medicus naturam imitatur, quæ exanthemata, bubones & carbunculos in pestilentialibus febribus ad partes externas etiam transferre solet. Sed hæc obiter: qui plura desiderat, *Her. Saxon. Massariam, Columbum, Angelutium, Indiam, Roboretum & alios, diversas inter se opiniones foventes, videat.*

Usus vesicatorii in maligna febri.

Ratio vesicatorii exhibiti.

OBSERVATIO XXXI.

Febris Petechialis Maligna Lethalis.

Anno 1634. 5. Novembr. die mihi natali, conjux mea dilectissima Hedwiges Stammia, cujus memoria sit in benedictione, primoquidem horrorem & lassitudinem totius patiebatur, mox aliis symptomatibus supervenientibus. Protinus ergo malignitatis indiciis perterritus, cum aliàs lues pestifera passim plures invaderet, & eadem die Lanij cujusdam vidua cum urina filij peste laborantis in hypocaustum ad eandem accessisset,

fiſſet, ac inde non parum perterrita fuiſſet, eâdem veſpera Elix: peſtil. Croll. gutt. 20. cum liquore appropriato propino, ſudore ſubſequente, quod medicamentum poſt mediam noctem reitero. VI. Novembr. purgans ex laxat. min. comp. & Diagrid. Sulph. præp. exhibeo, cujus operatione ter quaterque ſubnigra excreta ſubſequuntur. Veſperi ſudoriferum iterum propino, ſed nox gravior, ac pulſus varius ac interceptus erat, adjuvante conſternatione propter incendium proximioris pagi Offenhauſen, quem hoſtis incinerabat. Cum autem corpulenta & plethorica eſſet 7. Novembr. V. S. inſtituebam, idque cum ſucceſſu, pulſu ab intermiſſione mutato. Circa veſperam Enema adhibebam, quod etiamſi vix per horæ quadrantem retineret, materiam tamen fœtidam, fæculentum & inſtar fermenti bullientem ſubnigram educebat ſat copioſam. Nox ſubſecuta fuit mediocris, cum ſudore poſt uſum Elix. reiteratum. 8. Nov. clyſterem ante mer. cum ſucceſſu injeci: poſt meridiem vero ſudorem habuit, exhibito ſudorif. ex gr. XIV. Bezoar. or. cum aq. Card. Theriac. ℥j Syr. acetoſ. Citri ℥ß. Subſecuta fuit nox inquietior. Quare 9. Novembr. Magiſt. Ialap. præbui, cujus beneficio fœtidæ fermentantis ſubnigræ copioſæ materiæ evacuatio peracta. Poſt meridiem malignitati reſiſtendo hora 4. Bezoart. ſolaris gr. XII. propinavi, cujus uſum ſudor ſubſequebatur, undiq; petechiis rubicundis toto corpore colorato. X. Novembr. nox præcedens gravior, ſuperveniente matutino tempore fluxu ſanguinis narium ſymptomatico. Reitero igitur Bezoart. ſolare gr. XII. cum aqua corroborante, ſuccedente ſudore, majorique macularum eruptione. Hora 10. 6. cucurbitulas cum ſcarificatione ad dorſum infigo & hora 12. clyſterem reitero. Circa veſperam ad ſomnum provocandum amygdulatum, & epithema emulſionis Sem. Pap. cum nucl. perſic. adhibeo XI. Novemb. nox præceſſit levior, cum excretione alvi ſpontanea ad 7. vel 8. vices. Reitero hora 5. Elix. peſt. ſubſeq. ſudore difficili, nec non gravi nocte, cum narium ſtillicidio hæmorrh. XI. Nov. manè pulverem cordialem exhibeo de ſpic. diabiacynth. Auguſt. cum Marg. & Bezoar in Aq. Corrob. & Cord. Sax, à meridie reitero. Contra ſitim decocto Rad. Cich. Subſequitur ſomnus interruptus cum madore, & pulſus aliqua mutatione. Sub initium noctis iterum cordiale repeto: delirium leve uſque ad mediam noctem, ubi epithema ſomniferum adhibeo, ſomno interrupto ſubſeq. XIII. Mane hora 7. repeto pulver. cordialem, & poſt hora 9. enema, præp. triduanam alvi obſtructionem. Veſperi ſyrupos alterantes, ex tinct. Roſ. cum aliis. Nox ſubſequitur gravis cum pulſus variatione & delirio: poſt mediam noctem quietior redditur. Semel atque iterum hauſtum alterantem bibit. XIV. Manè cum alterantibus pergo: delirium remittit, quieta redditur. Circa veſperam vires pedetentim labuntur, ſuperveniente ſopore, quem per noctem continuat, donec matutino tempore preces inter & gemitus noſtros expiraret.

OBSERVATIO XXXII.

Febris continua cum alvi fluxu.

Nobilis & honeſta fœmina, quadraginta circiter annorum, poſtquam filiolæ, graviter febri continuâ decumbenti, die noctúque per ſeptimanas aliquot inſerviiſſet, in ſimilem morbum incidit, cum alvi obſtructione, quem paulò poſt fluxus alvi ſymptomaticus, pervigilia, lingua ſiccitas, & inflammatio, viriúmque lapſus inſignis, ſequebantur.

RESOLVTIO.

Quanquam Epidemia ferè eſſet hoc anno 1623. ſub finem, *febris continua*, ita ut ſub initium hyemis plures eâdem corriperentur, non tamen admodum gravia ſymptomata, quod aliâs fieri ſolet, eandem in plerisque comitabantur, cum putredo ſanguinis ut plurimùm tantum incipiens eſſet, qua de cauſa quàm plurimos breviſſimè, DEI gratiâ, reſtituimus, præmiſſis cholagogis & phlegmagogis purgantibus (interdum cum ſanguinis diminutione, ſæpius etiam ſine eadem) per ea, quæ intemperiem corrigunt, & malignitatem per habitum corporis vi ſudoris diſcutiunt. At reſpectu præſentis ſubjecti laborantis cura reddebatur laborioſa magis, propterea quòd *natura debilior eſſet*: hinc *fluxus alvi ſymptomaticus* jungebatur, ab imbecillitate retentricis & peccantis materiæ, circa primas vias putreſcentis malignitate ſtimulante proveniens: aderat & *pervigilia*, vaporibus calidis vi febrilis æſtus & commotione bilioſæ materiæ cerebro communicatis, unde *lingua quoque ſiccitas & inflammatio*, quam catarrhus ob reſolutionem à capite defluens ad fauces augebat: *virium tandem languor etiam* totum corpus occupabat, quod ejuſmodi febribus proprium. Hîc ſtatim ab initio, viribus utcunque conſtantibus, 1. *peccantem materiam evacuandam*: 2. *intemperiem febrilem corrigendam*: 3. *malignitati reſiſtendum*: 4. *& ſymptomatibus ſuccurrendum eſſe ſtatui.* *Indicationes.*

Pro 1. Clyſterem ordinavi, qui ℞. *Rad. Cich.* ʒvj. *Althea*, ℥ß. *Herb. Maloæ, Althea, parietariæ, Meliloti, ana* Mj. *Flor. Chamamel.* Ms. *Fol. Sena*, ʒiij. *Paſſul. minor.* ℥ß. *Ficuum ping. num.* vj. *Sem. Fœniculi*, ʒj. *Lini* ʒiij. *F. decoct. in ſ. q. aqua ad* 3. *coletur* ℔ j. *adde Mellis Roſati* ℥ß. *Electu. Hieræ ſ.* ℥is. *Ol. violar. Chamamel. ana* ℥is. *vitell. ovor. num.* j. *Salis* ʒß. *M. F. Enema.* Præmiſſo clyſtere, die ſubſequenti potionem laxativam ſubjecimus, quæ ℞. *Syr. Roſat. Solut. de Manna laxat. ana* ℥j. *Extract. Rhabarbar.* ℈j. *Electu. Roſat.* Mes. ʒijs. *decoct. flor. & frut. cum Fol. Sena. q. ſ. fiat hauſtus ad* ℥iijs.

Pro 2. quo ad intemperiem pro potu contra ſitim ordinavimus decoctum ſequens: ℞. *Rad. Acetoſa* ℥ß. *Cornu Cervi Vſti. præpar.* ʒvj. *Sem. Citri* ʒj. *Sacchar. Cand. alb.* ℥ij. *Fiat. decoct. in* ℔iiij. *Aq. ad tertias.* Item Syrupus ſequens per ſe, & unà cum prædicta decoctione ſumendus: ℞. *Syr. Acetoſ. Citri. Gran. Acidor. ana* ℥is. *Violar. Papav. erratic. ana* ℥j. *Spirit. Vitriol. guttas* viij.

Aqua

Aqua Acetosæ ℥ß. *Misce*. Tandem etiam decoctum Rad. Cichorei hoc fine concessimus, ut etiam emulsiones ex Semine Melon. Cucum. Cucurbit. Papav. albi, cum Cornu Cervi præparato, Corall. præpar. & similibus.

Pro 3. mox post alvum laxatam pulverem sudoriferum primis diebus exhibuimus, qui ℞. *Pulv. Rub. Pann.* ℨß. *Cornu cervi usti præpar.* ℈j. *Lap. Bezoar. Oriental. gr.* iiij. *M. detur in aqua Card. ben.*

Hoc aliquoties cum successu repetito juxta quartam intentionem, interim symptomata gravia minimè negligenda esse duximus, ubi primò sese obtulit *fluxus alvi symptomaticus*, cujus gratiâ clysterem refrigerantem, putredini resistentem & abstergentem ordinavimus, qui ℞. *Rad. Acetosæ, Cichorei, Scorzoneræ, ana* ℥ß. *Her. Scordij, Pentaphylli, Acetosæ, ana* Mj. *Flor. Rosar. rubr. Ms. Sem.* 4. *frig. major. Portulacæ, Plantag. ana* ℨj. *Hordei mundi*, Mj. *F. decoct. in s. q. aq. ad tertias, colatur* ℔j. *adde Mellis Rosat.* ℥js. *Olei Cydon.* ℨj. *vitell. ovorum numero* ij. *Misce Fiat Enema.*

Post abstersionem putrescentis & fœtidę materiæ, magis astringendum & corroborandum erat, qua de causa præcedentia in aqua chalybeata decocta fuerunt, addito etiam sævo hircino, & oleo mastichino. Interius autem Syrupum stomachalem ordinavimus, qui ℞. *Syr. corallini, Myrtini, an.* ℥is, *Vini Cydon. Gran. an,* ℥ß. *Misce.* Imò pro potu quoque decoctioni præcedenti conservam rosarum infudimus, quam cum expressione colatam pro lubitu bibebat. Deinde virium gratiâ, Julapium sequens præscriptum fuit, quod ℞. *Aq. Ceras. nigr.* ℥ij. *Borrag. Meliss. ana* ℥j. *Syr. Acetos. Citri. Granat. dulc. ana* ℥ß. *de cynamomo* ℨij. *vini cydonior.* ℨj. *Spir. Vitriol. gutt.* vj. *M.* Item pulv. corrobor. sæpius ℈js. quantitate sumemus, qui ℞. *Magisterij Corall. rubr.* ℨj. *Cornu cervi usti præpar.* ℨß. *Lap. Bezoar.* ℈ß. *Sacchar. Conf. Manus Christi Perlata* ℨij. *M. F. pulvis.* Item aqua corroborans, quæ ℞. *Aq. Meliss. Borrag. ana* ℥vj. *Ceras. Nigr.* ℥j. *Cin.* ℥j. *Corall. rubr. præp.* ℨß. *Marg. præp.* ℈ß. *Conf. Man. Christi perl.* ℨj. *Vini Cydon.* ℥ß. *M.*

Exterius ad regionem pulsuum fiant sacculi, qui cum aqua sequenti applicentur. ℞. *Herb. Melissæ, ana Ms. Flor. Borrag. Violar. Buglossæ, ana p. s. Cort. Citr.* ℨjs. *Macis, Nucis Mosch. Caryoph. ana* ℨß. *Fiant sacculi pulsibus applicandi*, qui in aqua sequenti tepida humectentur. ℞. *Aq. Ceras. nigr. Acetos. Borrag. ana* ℥js. *Acet. Rosat. M.* Tandem *pervigiliæ causâ*, Semen Papav. albi majori quantitate cum emulsione Sem. frigidorum permiscuimus, illiusque pleniorem haustum vesperi concessimus, exterius ad tempora linimento adhibito, quod ℞. *Vng. Alabastrini*, ℨj. *Ol. Papav. expreß.* ℨß. *Opij gr.* ij. *M.* Sicut etiam eodem fine sequens Epithema cum successu fuit adhibitum. ℞. *Semen Papav. alb.* ℨj. *Nucleor. Persicorum*, ℥ß. *Aq. verbenæ* ℥is. *Nymphææ, Solani ana* ℥j. *F. Emulsio. Coletur & adde Nitri præp.* ℈ß. *Misce.* Insuper & lotio pedum profuit, quæ sequentis erat descriptionis: ℞. *Her. Lactucæ, Solani, Acetosæ, Verbenæ, Anethi, ana* Mij. *fol. Vitis, Salicum, ana* Mij. *Flor. Chamamel. Betonicæ, Rosar. an. Mss. cap. pap. N. xx. Incisa coquantur pro lotione pedum.*

Ultimò, *propter linguæ siccitatem & incipientem inflammationem*, collutionem oris sequentem ordinavimus, unà cum Syrupo violarum, diamoton, Rob. nucum, succo cancrorum fluviatilium, aquâ rosarum extracto, mucilagine sem. cydon. cum aqua rosarum extracta, & similibus. ℞. *Aq. Prunellæ, Plantag. Fl. Ligustri ana* ℥ij. *Salviæ* ℥j. *Rob. nucum, mellis rosati, ana* ℨiij. *Nitri pp.* ℈j. M.

His Dei gratiâ pedetentim sanitati pristinæ patiens restituta fuit, ubi tandem principali morbo separato, symptomatisque remittentibus, appetitu redeunte; propter concoctionis imbecillitatem, de novo superfluitas circa primam regionem colligebatur, capite aliàs etiam debiliori non parùm gravato, qua de causa pro reliquiis, ex congestione, propter imbecilliorem concoctionem, collectis, sequens vinum laxativum, sed aquâ decoctionis radicis Acetos. & Cornu cervin. parte dimidiâ dilutum, per dies aliquot exhibui, quod ℞. *Rad. Cichorei* ℨvj. *Scorzonere, Fœniculi, an.* ℨiij. *Pæoniæ,* ℨis. *Herb. Acetos.* Mj. *Cardui benedict., Absynth. ana* Mj. *Fol. Senæ s. s.* ℥iij. *Rhab.* ℨijs. *Agar.* ℨjß. *Sem. Cartham. excort.* ℨij. *Fœnic. Anis. an.* ℈j. *Injub. Sebest. ana numero* iiij. *Passul. min.* ℥ß. *Sarsafras* ℈ß. *Galangæ* ℈j. *Incisa dentur in nodulo ex serico albo ad vini & aquæ decoctionem Rad. Acetosæ, ana* ℔ij. Capitis gratiâ Cucupham ordinavimus, quę ℞. *Herb. Salviæ. Rorismarini, verbenæ, ana* pij. *Flor, Rosarum rub. Balaust. ana* piij. *Mastichin. Elect. succini alb. ana* ℨß. *Nucis Mosch.* ℨj. *Semen Nigellæ,* ℨjs. *F. pulvis grossus pro cucupha capitali ex serico rubro.*

OBSERVATIO XXXIII.

Febris militaris, seu morbus Ungaricus sub initium Anni 1622. variis Symptomatibus multos in Hassia invadens.

Ex *Germanico consilio, Giessæ tunc temporis in gratiam plebejorum & militum conscripto, translata.*

Febris militaris quid sit.

Morbus Epidemius, pro tempore plures invadens, nihil aliud est, quàm febris continua, maligna, contagiosa, quæ suam originem habet ex pituitosis ac biliosis humoribus, circa primas vias, ventriculum scilicet, intestina, mesenterium, vicinásque partes, cumulatis ac putrescentibus, unde consequenter sanguis in jecore, totóque corpore febrilem alterationem nanciscitur. Hinc in principio morbi præsentis *horror*, more febris invadentis, sentitur, *unà cum tremore, dolore ꝗ; comprimente capitis & artuum*, quatenus exhalationes tenaciores, à peccante materia provenientes, difficilioris discussionis; *sæpius etiam ipsius pectoris, ut ægrotantes καρδιαλγίᾳ simul afficiantur*, partim propter orificium stomachi superius ebulliente materiâ stimulatum, partim etiam propter affluxum humoris ad pectoris cavitatem, qui

Causa interna.

Signorum deductio ex suis causis.

qui non rarò *pleuritides spurias* in hoc ipso morbo producit. Æstivo tempore, concurrente aëris calore ambientis, frequenter *deliria* conjunguntur: pro tempore parum delirant, quanquam sensus interni nihilominus perturbentur, ita ut *tinnitus aurium, ipsiusq; auditus difficultas* frequens sit, quod accidit propter copiam fluxionum phlegmaticarum, ab exhalationibus febrilibus resolutarum, quæ hinc & inde commotæ, quibusdam soporem, aliis *pervigiliam* excitant. *Dejectus est appetitus ad cibum*, ea propter quòd circa ventriculum & primas vias materia peccans cumulata sit, unde non difficulter concluditur, corpora pro tempore plurimùm ad hunc morbum disposita reperiri, cum aër ambiens udus & humidus æstatis, autumníque præcedentis, ad phlegmatis generationem occasionem præbuerit. *Frequentius autem hoc tempore hyemali* morbus hic invadit, quàm hactenus, ea propter quod intensius atque diuturnius frigus potorum cutis obstructione fuligines una retineat, & ad putrefactionem succorum internè collectorum inserviat. Ut plurimum verò præ cæteris *milites* invadit, qui vitâ inordinatâ prædictam causam antecedentem sibimet ipsis conciliant, dum pro re nata benè maléque vivere coguntur. Ob incendium internum *sitis* oritur, quamvis quidam potum non appetant, propterea quod cor potius in his, per aëris frigidioris attractionem, temperari velit, ita ut stomachi calor minus observetur. Sæpius (ut alia symptomata non attingam) *inflammatio linguæ, sauciumque succedit, unâ cum excoriatione & exulceratione superveniente*, ubi non tantum æstu febrili partes prædictæ torrentur, sed etiam defluxionibus à capite simul inficiuntur. Quomodo verò morbus hic præcaveri, curatíque possit, brevissimis subjicio.

Occasio morbi respectu temporis.

De præservatione.

Quo ad præservationem, quantum fieri potest, vitanda est conversatio eorum, qui hoc morbo afficiuntur, utpote cum contagiosus sit, potissimùm exhalationibus putridis corpora disposita propter causas dictas alterans, qua ratione quotidianâ experientiâ confirmatur, quomodo dictus affectus ab uno ad alterum propagetur, & hinc inde non domus tantum integras, sed pagos & oppida suâ malignitate invadat. Qui autem vel propter Christianam charitatem, vel etiam officii ratione cum ægrotantibus ejusmodi conversari cogitur, aut alias etiam præservationem requirit, sequentia diligenter observet. Cum præsumatur pro tempore dispositio ad hunc morbum, cacochymiâ circa primas vias obortâ, necessarium erit, ut quivis superfluorum evacuationem instituat, ubi in absentia Medici sequens vinum laxativum parari potest, quod ℞. *Fol. Senę s. s.* ℥*is. Agarici* ℥ß. *Rhabarb.* ʒ*is. Rad. Cichorei, liquir. Rasa ana* ℥ß. *Scord. Prasii, ana Mj. sem. Card. ben.* ʒ*ij. Fœnic.* ʒ*is. Macis* ʒ*j. zedo.* ʒß. *Incisa & contusa infunde in* lb. *iij. Vini, stent per 24. horas*, postea ad jentaculum haustus plenior pro evacuatione per dies aliquot usurpetur, prandio subsequente temperato, cibísque mollioribus ac facilioris concoctionis constante. Hoc modo peccans materia circa ventrem infimum evacuatur pedetentim, absque vehementiori commotione, quod aliàs in fortioribus purgantibus timendum. Jentaculum verò sit temperatum, ovi scilicet sorbilis, vel aliquot cochlearium brodij gallinacei, ne quis jentaculum aulicum intelligat, quod plerumque stomacho pleno, capitéque semiebrio finitur. Qui plethorâ vel sanguinis abundantiâ laborant, commodè quoque præmissâ lenitivâ purgatione venæsectionem administrant, quo sanguis eventiletur, & eò citius postea, quod inimicum est, exhalare queat. Imò cùm corruptæ serositates in habitu corporis abundantes nec purgatione, nec Venæsectione totaliter expellantur, sudorifera convenientia erunt, assumptâ singulis septimanis bis ʒß. Rob. Sambuci, cum ℈j. Mithridatii, in Aq. flo. Sambuci: queîs potius pulvis arridet, ij. pulveris Card. ben. ʒj. vel C.C. U. pp. vel terræ sigillatæ ʒjs. in aqua Card. ben. vel fumariæ, vel scabiosæ jejuno stomacho bibant.

Purgatio.

Venæsectio.

Sudorifera.

Diæta.

Quo ad alimenta panis sem. carvi, anisi, fœniculi condiatur, quibus etiam carnes atromatisentur, additis simul mace croco, &c. Quibus vinum in promptu, illi sub initium mensæ tali medicato utantur. ℞. *Vini mensuras tres vel quatuor, adde Rad. Helenij* ℥*j. Marrubij albi, Card. ben. Melissæ, ana Miij. Zedoariæ* ℥ß. *Sem. Fœnic.* ℥ß. *infundantur in urceo Husano*, singulari vi conservandi, respectu contentorum prædito (quales hîc in Hassia frequenter habentur) per viginti quatuor horas. Qui verò propter penuriam his difficilimis temporibus vino carere coguntur, cerevisiam ejusmodi medicatam conficiant. Quodsi Scordium & Scorzoneræ radix prædictis addatur, potus eò magis alexipharmacus reddetur.

Pauperes, quibus quotidianus potus aqua tantummodo, hordei Mj. decoquant, & primâ decoctione remotâ, de novo mensuram unam atque alteram affundant, addito cochleari pulv. Cornu cerv. pp. cujus copia cuique pauperi facilimè suppeteret, si Principes, Comites, alíique Magnates id ipsum communicarent, quâ ratione subditis etiam, qui sæpius die, noctuque venationibus inservire coguntur, aliquid utilitatis ex ferarum captura, sanitatis recuperandæ causâ, foret expectandum. Ditiores huic decocto Syrupum Acetos. Citri vel similem addere poterunt. Qui cum ægris conversantur sæpius aliquid Zedoariæ, Macis Acetos. per noctem maceratæ & vicissim exiccatæ, Theriacæ, Mithridatij, masticare poterunt; Plebeis Rob. Juniperinum quoque convenit. Fumus etiam aëris purificandi gratia, ex incensione baccarum & ligni juniperi, ex succino, Thure, vel etiam pulverib. pro fumo, tempore infectionis ordinatis, accendi poterit. *Quoad curationem*, necessarium est, ut mox ab initio invasionis evacuatio, potissimùm phlegmagoga contentorum circa primas vias instituatur, cum incipiens putrefactio sedem hanc occupet, ubi Medicus præsens cuilibet naturæ medicamentum conveniens ordinabit. In absentia Medici commune purgans usurpetur ab adulto, quod ℞. *Pul. Mechoacæ opt.* ʒj. *Cremoris Tartari*, ʒß. fiat pulvis cum brodio

De curatione.

brodio pisorum assumendus. Ubi inclinatio ad vomitum est, materiâ circa ventriculum fluctuante, pro robustioribus conficiatur pulvis hoc modo: ℞. *Spec. diaturb. cum Rhabarb.* ℈j. *Radic. asari recenter pulverisati gr.* xv. *Misce & in haustu cerevisiæ vel brodij prunorum exhibeantur.* Queîs usus Electuariorum placet, illis ejusmodi medicamentum exhibeatur. ℞. *Cassiæ recenter extract.* ʒvj. *Agar. trochiscati* ℈j. *Cremoris Tartari* ℈ß. *Aq. Cinam. parum pro mistione, fiat cum Sacch. bolus.* Hoc modo primis viis evacuatis, fiat sequenti die venæsectio, quando plethora jungitur: imò absente quoque plethorâ, sanguinem minuendum esse censemus, sed cum moderatione, non tàm evacuationis, quàm eventationis gratiâ, ne citò nimis putridis exhalationibus cor opprimatur. Mox his peractis omni ingenio malignitati resistendum, & crudæ, serosæque superfluitates putrescentes dissolvendi veniunt, quod sudoriferis appropriatis absolvitur, ubi communiter pul. Cornu Cerv. U. præparat. ℈js. cum Aq. Veronic. seu Card. ben. vel terræ sigill. Sil. quantitas eadem cum fructu sumitur. Qui pharmacopoliis viciniores sunt, sequenti potiuncula sudorifera utantur, quæ ℞. *Rad. Scorzoner Fœniculi ana* ʒß. *Herb. Scordij, Cardui benedicti ana* Mß. *Sem. Cardui benedicti, Citri, ana* ʒß. *Coquantur in aqua Cardui bened. & Cichor. an q. s. Colentur* ℥iij. *adde Syr. Acetos. Citri,* ʒß. *Mithridat.* ℈ß. *Misce.* Multi commendant in hoc casu pulverem sequentem: ℞. *Zingiber.* ʒß. *Camphoræ* ℈j. *Sacch. Cand.* ʒiij. *Misce fiat pulvis*, de quo ℈j. in prædictis aquis exhibeatur, quod hoc hyemali tempore non dissuaderem, ubi magis ex phlegmaticis, quam biliosis humoribus affectus hic ortum suum habet. Sunt qui sequens remedium hîc etiam admodum extollunt, nimirum: *Albumen unius ovi, cum* ℈j *croci pulverisati, additis cochlearibus tribus spiritus vini; optimè misceatur*, per linteum exprimatur, & additis camphoræ gr. ij. ad sudorem provocandum ebibatur, quod æstivo tempore, præsertim ab iis, qui admodum æstuant, loco spiritus vini cum aqua quadam cordiali permutari potest. Non autem sufficit ejusmodi sudoris provocatio semel facta, sed necessum est, ut per aliquot dies reiteratio fiat. Cùm autem sudor exiccet, eò respiciendum, ut interim alvus etiam non obstruatur, ubi vinum laxativum, aquâ tamen dilutum, vel etiam hydromel tenuius laxativum, ordinari poterit; vel observentur illa, quæ postea sub finem dicentur.

Symptomata quomodo tractanda.

Quoad accidentia, paucis de quibusdam solummodo tractandum erit. Priusquam frigus intensius oriretur, multos hic morbus *cum totius intumescentia* prehendebat, quemadmodum ejusmodi laborantium multos habui, quod accidebat eam ob causam, quia tunc temporis cutis & substantia carnosa mollis & porosa, non difficulter superfluas, serositates & exhalationes in sese recipiebat, quæ postmodum per sudores dissipabantur. Postquam verò frigus hybernum intensius continuaret, ejusmodi intumescentia non amplius observata fuit, sed ejus loco *membrorum horror & tremor dolorificus* successit, ex causa superius dicta, cui per sudoriferum appropriatum, ut est aqua veronicæ cum vino destillata, succurrendum erat. Quo si *compressivus pectoris dolor* jungeretur, prædictis medicamentis aqua scabiosæ addatur, *Speuria pleuritis* præter dicta pectoralia, sputum promoventia, ut & externa media, sacculum scilicet ex summ. meliloti, Fl. Chamæmeli, herba Prasii, Sem. Lini, Fœnugræci, &c. in vino decoctum, & parti dolenti appositum; Item inunctionem ex oleo Amygdal. dulc. & similibus. *In faucium & linguæ inflammatione & excoriatione* fiat gargarismus. ℞. *Herb. Prunellarum, flor. Ros. rub. an.* Mj. *decoquantur in decoct. hordei: coletur & adde nitri præparati ad* ℔j. *decocti* ʒj. Hoc usurpato pro detersione & mundificatione, subsequantur Syr. Viol. Rob. Nuc. diamoton. Mel rosatum, &c. *Nimiam linguæ siccitatem & scabritiem* optimè lenit mucilago, Sem. Cydonior. aquâ rosarum extracta, sicut etiam succus cancrorum fluviatilium, cum aqua prædicta per expressionem extractus. *Ubi pervigilia*, propter exhalationes febriles caput afficientes, unà cum *capitis dolore*, concurrit, fiat Epithema, quod ℞. *Sem. Papav. alb.* ʒß. *Aq. Rosar. Verbenæ, ana* ℔s. contundantur & exteriùs tepidè applicentur: Item fiat balneum pedum ex flor. Chamæmeli, cum aliquot manipulis cinerum, decoctum. Ubi excedit hoc symptoma, *laudanum oppiatum* sæpius cum fructu exhibetur, sed non absque consilio Medici præsentis. Aliis *inclinatio ad somnum præter naturam adest*, ubi manuum pedumque extrema, rutâ cum aceto contusâ, commodum fricantur: acetum quoque rutaceum manibus frequenter applicatur; vel ℞. *Rutæ recent.* Ms. *Rorismarini, Majoranæ, an.* pj. *Cort. Citri, Macis, ana* ʒj. *Camphoræ* ℈ß. Nodulo comprehendantur, in aceto rosaceo humectentur, ac frequenter naribus ac temporibus applicentur. Huc etiam pertinet Epithema, quo quidam in omnibus capitis affectib. utuntur, quamvis idipsum in doloribus biliosis noxium sit, quod fit ex sem. Sinap. Mj. cum s. q. aq. Puleg. & Beton. contuso, quod iis etiam convenit, quibus *difficultas auditus, auriumque tinnitus* accidit. His etiam vapor decoctionis subsequentis per infundibulum susceptus auxiliatur: ℞. *Rad. Asari* Mj. *Her. Serpilli, Majoranæ, Salviæ, ana* Mjs. *Castorei* ʒj. *Myrrhæ* ʒs. *Sem. Fœniculi* ʒß. *coq. in Vino, tecto vase.* Quod si *parotides, vel tumores post aures* appareant, non repellantur, sed emolliantur inunctione olei chamæmelini, & appositione cataplasmatis, quod ex mica panis albi, cum vitello ovorum, & pauxillo croci, per decoctionem in lacte fiat. Contra *lipothymiam & cordis anxietatem* frequenter aliquid Syruporum Acetos. Citri, de Cortic. Citri, Granatorum & similium, vel per se, vel cum aquis cordialibus dilutum, usurpetur; ut etiam conserva rosarum, cum pul. cornu cervini, & syrupis prædictis permista. Spiritus vitrioli ritè paratus ad jucundam aciditatem præcedentibus commodè additur.

Morsuli de citro, ex succo & corticibus parati, huc etiam pertinent. Singularis etiam observationis est in hoc

hoc morbo, si macis aceto maceretur, & vicissim exiccetur, ac postea cum aliis cordialib. misceatur, v. gr. ℞. *Macis prædicto modo præparat.* ℨß. *conf. Rof. Borrag. ana* ℥ß. *Misce*, & absente calore vehementiore, utere. Quoad extrema Rosaceum in æstu excedente, & Rutaceum acetum hoc tempore hyberno convenit, ubi sacculi quoque fieri possunt ex Ruta, scordio, baccis Juniperi, Mace, &c. qui præcedentibus humectati pulsibus applicentur. Ditiores extractum cordiale Noribergensium usurpent, regioni pulsus atque cordis idipsum linteis humectatis applicando,

Victus ratio. Quoad Diætam, vitentur illa, quæ sunt difficilis concoctionis, cúmque aliàs dejectus appetitus & nausea alimentorum adsit, parum interest, etiamsi primis diebus victus sit tenuissimus, ubi aliquid facilioris digestionis exhiberi potest, ut sunt in his locis brodia cerevisiæ cum butyro recenti, hordei excorticati, jusculacarnis, gallinarum, ova sorbilia, spinachia, cheræfolium, ad molitiem cocta. Carnes juvencorum, vitulorum, vervecum conceduntur, quanquam ægrotantes ab his admodum abhorreant. Potus sit aqua hordei, verbi gratiâ: ℞. *Hordei* Mj. *abjectâ primâ decoctione vicissim coq. & adde sub finem coctionis rad. liquiritiæ rasæ* ℨij. *Passul. minor. Cornu C. usti prap. an.* ʒß. *coletur & ad sitim compescendam bibatur.*

Hujus loco commodè quoque sequens aqua præparatur: ℞. *Rad. Acetosæ* ℥is. *Passul. minor.* ℨß. *Cort. Citri* ʒj. *Cornu cervi usti præp.* ℨß. *coq. in mens. iij. aq. ad* 3. *Cerevisia benè depurata consuetis etiam permittitur, admisto cornu cervino præparato.* Quibus in promptu est Terra nostra sigillata Hassiaca, quæ in viciniacirca Laubach / Hungen & Nidda copiosè per annos aliquot effoditur, illi eâdem, loce Cornu cerv. utantur, Silesiacam officinæ pharmaceuticæ subministrant. Ditiores, & pharmacopoliis viciniores, Emulsiones corroborantes, aquas cord. & Julapia jucunda sibi comparare poterunt. Ex citro recenti sequens aqua jucunda quoque paratur. ℞ *Sacchari* ℥j. *C.C. usti præpar.* ℨß. *Aqua mens. js. coquatur, & post coctionem adde pomum citrium incisum.* Ubi temporis & loci ratio patitur, ut ægrotantes acidularum Swalbacensium vel Wildungensium participes esse possint, iisdem in hoc casu etiam benè consulitur: nota verò quòd ab acidulis Wetteraviæ sit abstinendum, donec evacuatio per purgationem, venæsectionem & sudorifera sit peracta, cum aliàs novas obstructiones in minorib. venis excitent. A vino abstineant usque ad morbi declinationem, ubi in consuetis aquâ dilutum pro stomachi corroboratione concedi potest. Quoad alvi laxationem quotidiè eò allaborandum, ut defectus hac in parte non succedat, qui præcaveri potest Mannæ ℥is. in brod. prun. dissol. vel ℥ß. fol. Senæ, cum pauxillo zingiberis, in eodem brodio decoquatur, & vacuo stomacho bibatur. Quod *si fluxus alvi seu Diarrhæa* jungantur, non statim ab initio sistendum & astringendum erit, nisi vires inde succumbere videantur, ubi Rob. ℨj. cum haustu decoctionis hordei tosti præberi poterit. *Pro stomachi confortatione* Syr. Acetos. Cit. Cydoniorum. Rob. Ribes, conserva Rosar. tunicæ coronariæ, cydoniâ condita: sicut etiam succus pyrorum inspissatus, vel per se, vel cum decocto hordei more Julapii permistus, convenit. Cerasa subacida siccata plurimùm etiam proderunt, ubi simplici decocto hordei ferventi adhuc à coctione infunduntur. Quo ad aëris ambientis qualitates necessarium est, ut hyberno hoc tempore laborantes in hypocaustis calefactis sese contineant, ne natura, quo ad dissipationem malignitatis per sudorem & occultam transpirationem non impediatur, ubi tamen sit modus in rebus, quò calor cordis moderato suo refrigerio non destituatur. Cum verò necessarium omnino sit, ut aër in loco decumbentium sæpissimè renovetur, idcirco tempore hoc hyberno fumus excitetur ligno, baccisque Juniperinis, sicut etiam aceto Rut. candentibus laterib. affuso, cujus loco tempore æstatis acetum rosaceum usurpari poterit. Ditiores in officinis pharmaceuticis pastillos & trochiscos pro fumo convenientes inveniunt. Hæc sunt illa, quæ in gratiam pauperum & indigentium ægrorum militum, hinc & inde in vicinia decumbentium consignare volui, potissimùm talia remedia præ cæteris eligens, quæ sine labore, minimoque sumptu comparari possunt. DEUS benedictione suâ adsit, & pœnas ulteriores clementer avertat, Signatum Giessæ Hassorum, 21. Jan. 1622.

OBSERVATIO XXXIV.

Febris hectica cum putrida conjuncta.

QVidam Theologiæ Studiosus M. Ioh. Phyldius Vesellanus, in vicinia penes virum honestum instituendorum filiorum gratiâ vivens, anno 1613. incidit in febrim putridam intermittentem circa tempus autumnale, quâ minus ritè curatâ, paucis empiricis medicamentis adhibitis, febris quidem remisit, remanente tamen imbecillitate stomachi, dejecto appetitu, calore absumente, quæ omnia exacerbabantur, atque tandem tabem totius corporis, noctes insomnes, tussim molestissimam, excreationem viscidam, pulsum durum, celerem, urinam subrubicundam, tenuem, quæ in frigido coagulata tartarum febris putridæ deponebat, cum calore hectico adducebant.

RESOLVTIO.

Noxa ex sudoriferis calidis in principio febrium. QUod frequenter apud plebeios accidit, ut in febribus intermittentibus putridis verâ curationis methodo neglectâ statim ad ea confugiant, quæ motum materiæ morbificæ sistunt, adeoque paroxysmorum invasionem impediunt, qualia sunt, non præmissis universalibus, *potissimùm diaphoretica*, nimirum Spiritus vini cum granis piperis, pulvis card. ben. & similia, sicut & ea, quæ *exterius motum caloris inhibent*, nimirum pulsibus ac temporibus populeum cum telis aranearum tempore paroxysmi, additâ bombacis portiunculâ, appositum; illud etiam hîc factum fuerat, unde febriles paroxysmi quidem *Noxa epithematum refrigerantium.*

remi-

remiserant, sed non sine gravi virium jacturâ. Quamvis enim prædicta remedia suum locum habeant interdum, ubi præmissis universalibus materia pauca dissipanda venit per diaphoretica, vel etiam vehemens paroxysmorum ardor per externa refrigerantia pulsibus apposita temperandus est, quâ ratione populeum cum telis aranearum prædict. modo usurpatum commodum in tertiana cocta solet adhiberi: maximam tamen noxam introducunt, ubi purgationes & venæsectiones necessariæ negliguntur.

Quando præcedentia conveniant.

Determinatio morbi.

Hinc in præsenti casu *putridam febrem excipiebat hectica*, propter materiam morbificam tenuioribus partibus resolutis magis impactam lentéque febrili calore partes solidas occupante: *cum imbecillitate stomachi*, quatenus intemperies jecoris invalescebat, consequenter ventriculi concoctione diminutâ, tàm respectu caloris nativi sensim in hecticum mutati, quam quod alimentum reliquæ partes non desiderarent, adeoque cruditas eò magis augeretur, unde *dejectus appetitus & calor absumens totum*, quam oculi concavi, tempora collapsa, carnosarumque partium tabes excipiebat: *noctes etiam insomnes* accedebant, propterea, quod propter nutritionis defectum convenientibus ex concoctionibus evaporationibus cerebrum destitueretur, omnibus potius ad siccitatem inclinantibus: *tussis* aderat molestissima cum *screatu viscidæ materiæ*, propter imbecillitatem nutritivæ copiosis collectis defluxionibus à capite ad pectus, quæ per calorem absumptis tenuioribus partibus viscidítatem induebant, difficultatémque pectoris & tussim molestissimam producebant: *pulsus durus*, propter arterias exiccatas, *celer* scilicet respectu compressionis, facultate vitali plurimum gravata: *Vrina subrubicunda tenuis*, inflammationis jecoris adhuc præsentis & concoctionis debilitatæ soboles; *cum tartaro deposito rubicundo* post coagulationem, putredinem circa viscera concoctionis innuente: imò *calor* observabatur *hecticus*, nimirum per totum corpus æqualiter fundebatur, minimè de eò conquerente laborante, cum intemperies æqualiter afficeret totum ratione hecticæ, nisi quod interdum propter putridam conjunctam fierat *exacerbatio*, quam tamen sudore finitam *squalidus calor* nihilominus rursus excipiebat, qui primò quidem *blandè*, mox tamen *acris ac rodens cute tensâ* quasi manui occurrebat, absumpto scilicet vivifico humido, partibus solidis impressus, *& post cibum magis* efflorescens, propter tenuiores alimenti partes promptè (calcis instar affusâ aquâ affumantis) absorbtas. Vocatus igitur 28. Jan. 1614. homini juveni pro virili succurrendum esse duxi, quanquam res ipsa periculi plena esset. Ut ergo consilio meo non deessem, *primò ad focum mali respiciendum esse duxi, nimirum, ut non negligatur materia peccans, jecur, venas q; minores ibidem obstruens, & putrescentes halitus in totum transmittens: dein tussis leniatur, & materia pectus gravans attenuetur & expectoretur: tertiò calor absumens temperetur, & vires victu humectante, & refrigerante corrigantur: tandem pervigilia succurratur.*

Indicationes.

Pro primò: Fiat decoctum ex Rad. Cichorei cum passulis in brodio carnis vel gallinæ, colati ℞. ℥iij, *adde Syr. de Cichor. cum Rhab.* ʒß. *M.* & per aliquot dies manè exhibeatur: pòst singulis septimanis in prædicti jusculi haustu Rhabarbari tenuissimè incisi ʒj. vacuo stomacho præbeatur, ut peccans bilis sensim ex mesenterio & jecore depellatur.

Pro secundo: ℞. Loch sani & experti ℥j. Syr. viol. ℥jß. lambendo usurpetur sæpius, ut & confectiones diaireos simplicis & diatragacanthi frigidi; interdum ubi propter materiam viscidam difficultas respirationis periculosa videtur, cum Syr. violarum aliquot guttis Rubinus Sulphuris misceatur, & lambendo cochlearis dimidii quantitate sumatur.

Pro tertio: Fiat Emulsio pro siti, quæ ℞. *Amygdal. dulcium* ℥ß. *Sem. Melon.* ʒj. *Papav. albi* ʒj. *Cum* ℔j. *Aq. Cichor. F. emulsio. coletur & cum Saccharo Candiæ dulcoretur.* Pultes etiam ex amygdalis dulcibus, ex oryza cum brodio carnis vervecinæ, juscula cerevisiæ cum pane & butyro, addito vitello juscula ex aqua Rosarum & vini partibus æqualibus, cum vitello ovi & Saccharo, brodia contusarum carnium & gallinarum, & similes cibi conficiantur; quò etiam pertinet ptisana, seu hordei excorticati decoctum in brodio carnis, funduli pisces cum butyro cocti, brodia piscium saxatilium, cancri fluviatiles lacte nutriti, quorum caudas in lacte maceratas cum aqua & butyro decoquunt, spinachia itidem, beta, lactuca, acetosa, cheræ folium cum butyro pultis instar decocta, &c. pro potu conficiatur vinum passulatum ex vino tenui aquoso, item serum lactis caprini cum radicibus helenii, propter affectum pectoris, decoctum.

Pro quarto: Fiat decoctum pro balneo pedum ex floribus & herba chamæmeli, verbenæ, fol. vitis, salicis, cap. papaver. &c. Exterius emulsio sem. papav. albi cum Aq. Verben. Rosarum & pauxillo aceto rosaceo facta, temporibus & fronti instar epithematis applicetur. His ordinatis aliquandiu se sustentavit æger, tandem nihilominus à morbi gravitate superatus, circa vernum tempus adveniens, naturæ debitum solvit.

OBSERVATIO XXXV.

Febris hectica simplex incipiens.

Vir juvenis 28. annorum circiter, Iohan. Eberhard Glockengiesser, Laubaci Solmensium, constitutione corporis nativâ cholericus, calidus & siccus, adeóque macilentus, sensim incidit in corporis absumptionem: in consilium vocor sub initium anni 1619, calorem deprehendo squalidum, indolentem, æqualem, ægro vix sensibilem, dejectum appetitum, inprimis carnis nauseam, pulsum parvum, durumque, quotidianas alvi dejectiones difficiles, urinam tenuem, subinde fluxionibus capitis & pectoris difficultate sese offerente.

RESOLVTIO.

Hecticam febrim hic plurimùm timendum statuebamus, inprimis in corpore disposito, cum constitutio corporis

Occasio morbi.

corporis *calida sicca* maximè sit his affectionibus obnoxia; Confirmabar in opinione mea per signa subsequentia, quatenus aderat *Calor squalidus*, ob siccitatem excedentem conjunctam, qui differt eam ob causam à *suavitate* diariarum, & ab *acrimonia* putridarum: *indolens, æqualis & ægro vix sensibilis*, propter æqualem intemperiem partium solidarum, quæ naturalis quasi tori redditur, nisi quod subinde post alimentorum assumptionem levem mutationem exhibeat, ut præcedenti observatione monuimus, *dejectus appetitus inprimisq; carnis nausea*, visceribus concoctionis, inprimisque jecore calore præter naturam æqualiter impresso: *pulsus parvus*, propter exhalationis febrilis inopiam; *durus*, ex arteriarum constitutione: *alvi dejectiones defficiles*, hectico calore contentorum humiditatem admodum absumente, relictis consequenter excretorum partibus induratis & exiccatis: *Vrina tenuis*, ob calidam siccam jecoris, vicinarumque partium concoquentium temperiem: *cum fluxionibus capitis & pectoris*, quod fit ea ratione, quatenus cerebri contenta propter nativi caloris imbecillitatem in crudas fluxiones degenerant.

Cæterùm ex collatione morbi cum subjecto laborante febrim hecticam incipientem pronunciabam, qua de causa potissimùm eò respiciendum esse duxi, quò calida sicca intemperies corrigatur, victu benè nutriente, & modicè refrigerante humectante præscripto, non neglectis medicamentis iis, quæ calorem conceptum sensim temperare possent.

Indicationes. Curativæ.

Pro primo, sit victus ratio talis: cibus sit euchymus, humectans & refrigerans, utpote ptisana seu hordei excorticati decoctum in brodio carnis vitulinæ factum, emulsio seminum frigidorum cum decocto hordei & passularum facta, succus item carnium sequenti modo factus, ℞. *Ex femore vervecis* ℔ij. *Caponem integrum in frusta concisum, Passularum Corinth.* ℥ij. *Macis* ʒj. *Aq. Endiviæ. Vini Rhenani an.* ℥viij. *Coq. in Canthare impositio in ahenum aquâ ferventi repletum:* ubi ossa à carnibus decedunt, succum exprime, repone, & sæpius loco jusculi cum pane albo cochlearia duo vel tria exhibe. *Lactis* etiam usus hîc meritò commendatur cum Galeno, ubi nos hodie, cum asininum hîc non in usu, caprinum commendamus, recens mulctum & pauxillo Sacch. Cand. conditum, frequenter jejuno stomacho sumptum. Ex *piscibus* conveniunt percæ, lucii juniores, funduli, auratæ & similes saxatiles, cum butyro cocti: *Ova* itidem tremula, cancrorum caudæ ad mollitiem coctæ. Ex *carnibus* conveniunt porcelli, gallinarum, vervecum, vitulorum, lepusculorum, agnorum & similium, inprimis ubi eum lactuca, borragine, acetosa, conserva rosarum & aliis convenientibus præparatur: *pultes* etiam fiant ex amygdalis, ex oryza, cum carnibus gallinarum, paucoq; Sacchara & lacte caprillo. *Potus* sit vinum passulatum tenue, rarius cerevisia, præsertim in his locis, quæ aliàs hecticis in conveniens non est, ubi ritè præparata satis deferbuit, & lupuli qualitatem ferè deposuit.

Pro secundo, medicamenta paucissima sine siccitate refrigerantia, sineq; caliditate madefacientia conveniunt. Sic adhibeatur interdum Enema, quod ℞. *Decoct. capitis & pedum vituli* ℥x. *Cassiæ* ℥j. & *Extract. mucilag. Sem. psillii & Malvæ* ℥jß. *Butyriq; recentis* ℥iij. Interius per os frequenter jejuno stomacho tribus horis ante pastum haustus integer decoctionis sequentis sumatur: ℞. *Decoct. carnis vitulinæ seu vervecinæ q. s. adde Rad. Cichor. Passular. minor. ana F. sufficiens decoctio ad mollitiem radicum.* Hujus loco non negligat etiam sequens decoctum Gallinæ junioris, quam reple ℥vj. Cons. rosar. recentis cum Cons. Acetosæ ℥iij. & spec. Diarrhod. ʒij. permixtæ eamq; ad mollitiem in s. q. Aq. coq. post per setaceum trajice, & loco jusculi ventre vacuo frequenter quantitate coch. vj. vel. vij. utere, quod eò magis convenit, quando sequentis conditi aliquid præmittitur. ℞. *Cons. fl. violar. bugloss. an.* ℥j. *caul. lactuc. condit.* ℥ß. *Sem. Melon. excort.* ʒij. *spec. diaireos simp. Diapenid. ana* ʒj. *Syr. de portulaca succo q. s. F. Elect. molle.* Cum hoc modo naturæ succurrere conamur in simili casu, dubium non est, quin in principio sufficienter febris ejusmodi præcaveri queat.

OBSERVATIO XXXVI.

Febris lenta, cum diarrhæa biliosa ad hecticam inclinans.

ILlustrissima Matrona annorum 34. duodecim liberorum mater, anno 1616. sub initium, partui vicina, incidit in diarrhœam biliosam, cum siti, anxietate, urina biliosa turbida, pulsu febrili, dejectoq; appetitu, quibus omnibus continuantibus, ob intermissionem Medicamentorum, febrilis exacerbatio circa tertium primò, mox etiam continuò deprehenditur, cum dolore capitis, omniumq; virium absumptione, subortis, propter acres fluxiones & caloris exhalationes intensiores, aphthis in ore molestissimis, ita ut nihil aliud præter febrim hecticam sensim totum corpus absumentem expectaretur, quam tamen instantem, propter capitis imbecillitatem, apoplecticus affectus præveniebat.

RESOLVTIO.

COmplicatus hîc aderat affectus, ubi primò *diarrhæa biliosa* sese offerebat, ex putrescentibus biliosis humoribus in venis mesenterii, vicinisque minus nobilibus partibus, qui promptè tempore gestationis fœtus hîc colligebantur, propterea quod ægra de coctionibus imbecillioribus conquerens, omnem convenientium medicamentorum usum negligeret, persuasa nil quicquam prægnantibus exhibendum. Subsequebatur *sitis*, propter putrescentis materiæ calidas expirationes, jecori, stomachoque communicatas, accedente simul humiditatis absumptione, tàm propter fœtum attrahentem, quàm propter diarrhœam absumentum: *anxitas*, propter cordis affectionem febrilem, aliàs etiam infimo ventre diaphragma, spiritaliaque membra reliqua comprimente: *Vrina biliosa turbida*, propter expultricem depravatam, quæ peccantis materiæ malignitate stimu-

Determinatio morbi complicati.

ſtimulata citius, quam coctio quædam perfici poſſet, egerebat, ſerò putredinis affectione communicatâ, quod eò promptius fieri poterat, propter locum affectum ſero transvehendo dicatum: *pulſus febrilis*, propter communicationem putridarum exhalationum, quæ febrim lentam producebant, in remotiori ſcilicet à corde loco ſuam originem habentem: *dejectus appetitus*, læsâ concoctrice jecoris, quam excipit appetitus dejectus, tàm propter alienum calorem, hîc propter viciniam communicatum, quàm propter denegatam ſuctionem, qua venæ ſ.n. chylum in ventriculo coctum aliàs confertim abſumunt, adeoque famis cauſam antecedentem conſtituunt.

Prognoſis. Quanquam verò DEI gratiâ prædictis affectibus facillimè ſuccurri potuiſſet, quemadmodum ſemel evacuatione peccantis materiæ putreſcentis in primis viis circa meſenterium per Mannæ uſum, ſubſequente Enemate & abſtergente & corroborante (jam feliciter filio ſatis robuſto in lucem edito) non parum juvabatur, tàm diarrhœa, quàm aliis gravibus ſymptomatibus remittentibus circa principium Martii: recidiva tamen, propter fomitem peccantis materiæ reſiduum, naturæque debilitatem, maximè timenda veniebat, ut conſequenter neglectis etiam remediis primò *circa tertium febrilis exacerbatio*, mox *etiam continuò* deprehenderetur, ob efferveſcentiam peccantis materiæ febri primò biliosâ intermittente, mox etiam lentâ continuâ, febrilibus fumis, cordi perenni quodam fluxu communicatis, obortâ: *cum dolore capitis*, fumis ejusmodi putridis capitis partes ſenſiles afficientibus, fluxionesque mordaces ibidem producentibus: *omniumq; virium abſumptione*, intemperie calidâ ſiccâ, ſolidis etiam partibus æqualiter communicatâ, ita ut hecticæ febris indicia non parum ſeſe proderent; *ſubortis aphthis*, ſeu ulcuſculis oris moleſtiſſimis ex dicta cauſa, *tandemq; ſubitò capitis affectu apoplecticoſuperveniente*, viribus videlicet morbi diuturnitate collapſis, tandem capitis fluxionibus prævalentibus. In hoc toto ſymptomatum gravium concurſu, neglectis ferè per totum puerperij tempus omni remidiorum genere, circa finem Aprilis ægra maximè periclitabatur, quam ob cauſam celebrioribus aliis Medicis convocatis communi conſilio ſtatuebatur, aut hecticam periculoſam, aut ſubitam capitis affectionem expectandam eſſe.

Indicationes. *Quantum igitur pro diſpoſitione ſubjecti laborantis fieri potuit, eò reſpiciendum eſſe duximus, ut præſcribantur illa, quæ primò vim alterandi poſſident, quatenus calorem febrilem temperant, meatus venarum meſeraicarum aperiunt & peccantem materiam in venis prædictis latentem ad exitum præparant: ſecundò evacuantia in hoc caſu convenientia: tertiò: corroborantia, tàm quoad victus rationem, quàm quoad medicamenta: & quartò tandem ea, quæ gravia quædam accidentia corrigerent.*

Pro primo. Fiat brodium alterans hoc modo. ℞. *Gallinam, purificetur & repleatur cum Acetoſa, Bugloſſa, Borragine, Ruta muraria, Rad. Petroſelini ana* Mß. *Pæoniæ* ʒj. *Schorzaneræ recentis* ℥ß. *inciſa & contuſa coq. cum gallina ad ſufficientiam, de quo brod. quotidie bis* ℥iij. *vel* ℥iiij. *cum* ℈j. *Cremoris tartari exhibeantur.* Fiat liquor ſtillatitius lactis caprilli. ℞. *Borrag. Bugloſſ. cum florib. Endiviæ, Lactucæ, Betonicæ, Fol. vitis tenuium ana* Miij. *Conſ. Roſ. rubr.* ℥ij. *adde Lactis caprini q.s. F. deſtillatio per balneum, de quo deſtillato loco prioris cochl. v. vel vj. cum conſ. Manus Chriſti perlata, Spiritu vitrioli rectificato condita ſumantur.* Fiat emulſio ex decoct. hordei, paſſularum & panis albi, ita ut hoc decocto emulgeantur Amygdal. dulc. ℥j. Sem. Melon. cucumer. una cum corticibus, ad pleniorem abſterſionem ana ʒjß. poſt colaturam adde Margar. præparat. ſeu Eſſentiæ Marg. ab omni acrimonia liberæ ℈j. Hæc & ſimilia alternatim pro primâ intentione ſumantur.

Pro ſecundo. Alvus leniatur & abſtergatur Enemate, quod ℞. *Decoct. brodii Gallinæ mediocriter ſalſæ* ℔j. *coque in eâ Fl. violarum* Mjß. *Chamamel. Mercurialis, Malvæ ana* Mß. *Colentur* ℥x. *adde Ol. Amygdal. dulcium* ℥j. *Sacch. Thom.* ℥jß. *Miſce.*

Serum laxativum fiat hoc modo. ℞. *Acetoſæ cum Rad.* Mj. *Rad. Aſparagi, Petroſel. ana* ℥ß. *Fumariæ recent.* Mß. *Fol. ſenæ ſ.ſ.* ℥ß. *Mechoacæ* ʒjß. *Turbith.* ʒß. *Sacchari cand. alb.* ℥ß. *Infunde per noctem in* ℔j. *ſeri lactis caprini: manè leviter ebulliat, coletur & uſurpetur vacuo ſtomacho pro 2. vicibus.*

Item Rhabarb. opt. ʒj. *infunde in vini & aq. bugloſſæ partibus æqualibus per 24. horas, in cujus liquore colato diſſolvatur Mannæ* ℥j. M. F. *hauſtus.*

Item *Extr. Rhabarb.* ʒß. *diacathol.* ℈j. M. *pro bolo, vel cum Aq. bugloſſæ diſſolvatur.*

Item *Syr. diaſereos* ℥jß. *cum Aq. hederæ terreſtris, fumariæ, vel fl. acaciæ diſſolvatur, & cum Extr. Mechoacæ* ℈j. *miſceatur.*

Pro tertio: tàm victus ratione, quàm pharmaciâ vires reſpiciendas eſſe duximus: hinc victum facilis concoctionis, reficientem, & modicè quoque febriles exhalationes alterantem, obſtructionesque aperientem ſuaſimus, quantum quidem pro ratione dejecti appetitus fieri potuit, verbi gratiâ, non negligantur brodia caponum, gallinarum & carnis bovinæ junioris per contuſionem facta, & interdum cum amygdalis & piſtaceis præparata, colatáque panatellæ ex alvo pane cum decoctione caponis extractæ: ſuccus femoris vervecini inter aſſationem per inciſſionem collectus, & cum aliis brodiis poſtea permiſtus: ptiſana cum decoctione brodii gallinæ, parumper ad aciditatem cremore tartari condita, pultes amygdalarum cum vino, aq. Roſarum & Sacchаro præparatæ: ex ſolidioribus etiam cibis multa præſcribebantur, ſed fruſtrà, cum patiens nil quicquam eorum aſſumere poſſet. Pro potu vinum tenue oligophorum cum ſucco citri temperatum, vel cum acidulis Schwalbacenſibus permiſtum concedebatur. Ex medicamentis corroborantibus pro corde conſultum videbatur, ut præſcriberetur Aqua perlata, quæ ℞. *Aq. Roſ. primulæ veris, Borrag. Bugloſſ. an.* ℥v. *Confect. manus Chr. cum perlis* ℥ß.

Magist. perlar. ℈ʒß. *Misce.* Vel Aqua confortans, quæ ℞. *Aq. Buglos.* ℥ij. *Carfunculi aureæ* ℥j. *Syr. conser. Nucis Indi, vel cort. Citri. vel Lact. Hispan. vel Mivæ Cydonior.* ℥jß. *Spirit. vitr. seu Tinctura Corall. gutt. iiij. Misce.* & pro corroboratione cochleare unum interdum sumatur. De conservis, conditis, electuariis, pulveribus & Trageis *dulciora* non competunt, propter nauseam in tali causus à dulcibus; *acidiora* non fert os aphthis affectum; *aromatica* matricis ad suffocationem inclinatio respuit. Exterius *regioni cordis* inungatur linimentum, quod ℞. *Vnguenti Ros. Mes. loti cum Aq. Ros.* ℥ß. *Ol. stillat. Cinam. gutt. ij. cort. Citri gutt. iiij. Spec. cord. temperat. gr. vj. Misce. Pro cerebri corroboratione* fiat Emplastrum ex succino, Myrrha, Nigellæ semine, pulverisatis & cum oleo rosato permistis, quod linteo extensum, & calefactum vertici apponatur. Item ol. succini guttis aliquot matutino tempore cervici & temporibus illinatur: vesperi ejus loco Ol. Nucis Mosch. per expressionem usurpetur.

Pro quarto: tandem propter accidentia gravia meritò solliciti eramus: hinc *pectoris difficultatem*, respiciendo præscripsimus Emulsionem perlatam, quæ ℞. *Lactis sulphur.* ʒj. *Emuls. sem. melon. factum cum Aq. Tussilaginis* ℥ij. *Ros. opt.* ℥j. *Solut. corall. perlar. an.* ℈j. *Aq. cinam. tenuioris. Manus Christi perlatæ an.* ʒij. *M.* Decoctum sequens pro potu, quod ℞. *Rad. Taraxaci vel Cichor.* ℥j. *Glycyrrh. Rasæ.* ℥ß. *Passul. enucleatarum* ℥ij. *Hordei mundi conquassati Mj. Injubarum sebesten. ana numero* xx. *Capill. veneris Mj. Flor. Viol. Mß. Ros. rubr. pj. Sem. Anisi, Petrosel. ana* ℥jß. *Endiviæ, Cinamom. ana* ʒij. *Sacchar. optimi* ℥ij. *F. decoct. in Aq. fontana* ℔xvj. *ut maneant* ℔xiiij. *Vbi refrixerit sponte, coletur. Loch etiam de Passul. Quercetani huc meritò refertur.*

Pro capitis gravissimis symptomatis præcavendis nodulus ad odoratum fiebat ex Herb. Majoranæ, Rorismar. cum florib. Cort. Citri ana ʒj. Nucis Mosch. Macis ana ʒß. Nigellæ ʒjß. Campho gr. ij. Item *pro præcavendis articulorum convulsionibus*, quæ sæpius incipere videbantur ex capitis imbecillitate, Aq. Apoplecticâ cum castoreo, aquæ Hirundinum permistâ, cum infusione noduli præcedentis, addito castoreo, linteis madefactis in ea, spinam dorsalem, articulosque fricare suasimus. *Pro matricis suffocatione cum lipothymia sese ostentante* nodulum pro odoratu ex Rad. Pœoniæ, Castoreo, corticibusque citri confectum, & in aceto liliorum convallium humectatum concessimus, emplastrúmque matricale pro sedandis uteri suffocationibus accommodatum præscripsimus. *Pro aphthis oris* temperandis, Diamoron & Mel rosatum cum paucissimis guttis Spiritus vitrioli permistum præmisso gargarismo ex Aq. Prunellæ. fol. querc. & Plantaginis pauxillo nitri præparati adjecto commendavimus, interim etiam mucilagine sem. cydoniorum cum Aq. fol. ligustri extracta frequenter adhibitâ. Verùm ut sæpius doctâ plus valet arte malum, sic etiam hîc agendi occasio præter lapsa videbatur, præscriptis remediis ad usum non pervenientibus, ita ut circa principium Maij subito præeunte quasi mentis perturbatione per noctem præcedentem matutino tempore Paralysis dimidii lateris dextri, cum læsione vocis articulatæ sequeretur, cui symptomati per usum Aquæ aureæ mox succurrimus, ut brevi temporis spacio pòst, sermonis operatio per aliquot horas vicissim unà cùm intellectus operatione constante sese exereret, donec tandem somno quasi oppressâ ægrotante, sine sensu motuque facultatibus animalibus primò deficientibus, sensim calore cordis superstite dissipato, placidè vitam finiret.

Concurrentes hîc mecum erant Viri Excellentissimi & clarissimi, Dn. D. *Zachar. Brendelius, Senior, Archiater Saxon. & Profess. in Acad. Ienens. Dn. D. Abrahamus Schopfius, Archiatur Wurtembergicus. Dn. D. Iohan. Hartmannus Beier, & Dn. D. Petrus Uffenbachius, Physici Reip. Francofurtensis meritissimi,* fautores & amici mei plurimùm colensti, quos DEUS ter-opt. max. diutissimè Reipubl. salvos & incolumes adhuc tueatur.

Cum ad casum prædictæ observationis, tam meo, quam Clariss. & Excellent. Dn. D. Petri Uffenbachij tanquam assistentium Medicorum nomine propositum, habitâ Consultatione, Clarissimi Excellentißimiq; Medici subsequentes, doctißima sua consilia; in gratiam Illustrißimæ Dn. patientis scripto conferrent, nolui intermittere, quin eadem ex M S. Germanicis translata publici boni gratiâ Studiosis Medicinæ communicarem, non dubitans, quin tantorum virorum judicia suo tempore cuilibet plurimum inservire poßint.

CONSILIUM I.

Viri Clariß. & Excellentiß. Dn. Zachariæ Brendelii, Senioris, Medic. D. & Profeß. in Academia Ienensi meritissimi.

Illustrissimæ & Celsissimæ principis ac Dn. Dn. N. N. præsentem affectum quod concernit, meo quidem judicio principaliter eò laborandum est, uti residua febrilis dispositio, quam urina & pulsus indicant, totaliter auferatur; ne calor ille præternaturalis corpus porrò consumat, & in febrem tandem hecticâ deducat. Hoc fieret, si obstructio venarum meseraicarum, hepati alimentum subministrantium, & reliquarum in infimo ventre solveretur, & materia putrida leniter & leviter educeretur, ventriculus ac hepar, causæ efficientes & receptacula putredinis istius, corrigerentur & corroborarentur. Cui sanè fini varia medicamenta, & inprimis serum caprinum cum radicibus Petroselini coctum, & subsequens lenis evacuatio, qualiscunque sit, atque tandem pro confortatione tinctura corallorum ordinata & præscripta fuere. Et quamvis loco seri caprini, spiritus vitrioli

vitrioli ex marte præparatus, Cl. Dn. D. Horstio à me transmissus, vel acidularum usus potuisset adhiberi, tamen Illustriss. Princeps, illa ipsa ob pustulas oris difficulter admisisset. Quoniam autem interea fluxus ventris biliosus, de novo rediit, pro confortando ventriculo & hepate, atque mitigando ventris profluvio, dicta modò corallorum Tinctura fuit ordinata, quia vero profluvium illud Symptomaticum extitit, non à virtute seu robore naturæ, sed superflua potius vitiosa materia proveniens, omninò necessarium esse statuo, ad prædictum scopum sive intentionem (prout præsentibus Dn. Medicis visum fuerit) medicamenta dirigere, quę vel priora superius enumerata essent, vel si fieri posset, loco seri caprini, materia decocti aperitivi alterantis, in jusculo gallinæ, vel spiritus transmissi guttulæ iij. pro una vice in Syrupo de suc. violar. recent. singulis diebus bis exhiberentur, usq; dum pulsus & urina evidenter mutarentur. Potum abs me præscriptum & adjunctum vel non prorsus absimilem, in istiusmodi affectionibus, sæpissimè valdè proficuum expertus sum, qui Illustriss. Princip. etiam hanc ob causam prodesset, quia interdum tussi, & molestiâ sive angustiâ pectoris laborat, de quo hora matutina 6. & pomeridiana 3. potiunculam tepidam, tum in principio prandii & cænæ, pro primo haustu frigido ℥iiij. vel iiij. assumere posset: cui sanè fini, & pro contemperando calore, unguentum dorsale, prout ordinatum, manè & vesperi, cum aqua hepatica ex succo cichorei vel taraxaconis modico aceto & speciebus diatrion santal. ut & aquâ cordialis ex refrigerantibus, & partim humectantibus atque corroborantibus aquis destillatis, ac speciebus Diamargarit. frigid. recens dispensatis utiliter adhiberentur. Possent etiam, requirente necessitate Magist. Perlar. & Balne. aqu. dulcis, cremor ptisanæ, vel lac caprinum propinari: & pro nutrimento gelatinæ, destillata &c. parari: de pustulis oris multa hîc monere supervacaneum censeo. Quod si autem (quod Deus avertat) profluvium perseveraret, & augeretur, pro abstersione, brodium ex Cicer. rubr. vel sero caprino, cum radicibus petroselini, & tandem, priusquam vires debilitarentur, Laudani opiati ij. vel ad summum iij. gr. optimè & diligentissimè præparati, cum conserva Rosar. antiquâ exhiberi possent. Etsi præter spem tussis (quod Deus prohibeat) rediret, & continuaret, quam primum fieri posset, lac perlar. citra præjudicium à me præscriptum, exhibendum foret, de quo singulis horis matutinis & vespertinis duo cochlearia cum expectorantibus (Lohoch præsertim de passulis Quercetani) commodissimè exhiberentur. Hæcce breviter juxta promissum, salvo aliorum præsentium Medicorum judicio, cui hoc exiguum meum lubens submitto, consignare, & post discessum meum transmittere volui: Deum optimum Maximum ex animo rogans, Illustrissimam Princip. clementer pristino sanitatis vigori restituere, eamque cum Illustriss. & Celsiss. Principe ac Dn. Dn. N.N. marito desideratissimo, ac Illustriss. progenie, ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ & Scholarum commodum, subditorum incrementum quàm diutissimè conservare velit, &c.

Sequuntur Medicam. præscripta.

℞. *Radic. Taraxac vel Cichor.* ℥j
Glycirrhiz. ras. ℥j.
Passul. enucleat. ℥ij.
*Hor. mund. conquassat. M*ij.
Iujubar.
Sebesten. an. n. XX.
*Capillor. Vener. M*j.
*Flor. Violar. M*ß.
Ros. rub. p. j.
Sem. Anisi
Petroselin. an. ʒiß.
Endiviæ.
Cinamomi sel. an. ʒij.
Sacchar opt. & albiss.

Incidantur incidenda, & conquassantur conquassanda F. decoctio in aq. fontan. ℔ XVI. ad consumpt. ℔ II. ut maneant ℔ XIV. Ubi refrixerint spontè, colentur. Colatura ponatur in loco subterraneo frigido.

℞. *Lactis Sulphuræ* ʒj.
Emulsion. sem. Melon.
Fac. cum aq. Tussilagin. ℥ij.
Aq. rosar. fragrantiss. ℥j.
Solut. corall.
perlar. an ℈.
Aq. cinamom tenuioris
Man. Christ. perlat. an. ʒij.
Fl. art. emulsio Detur.
In fictili, vel vitro.

CONSILIUM II.

Viri Clariss. & Excellentiss. Dn. Abrahami Schopfii, Med. D. Consiliarii & Archiatri Wirtembergici.

Quandoquidem in Illustriss. & Celsiss. principis ac Dn. Dn. N.N. Dn. meæ Clementissimæ affectu nimis diuturno, tàm ante, quam post partum, multivarius medicamentorum usus, ob certas causas minus commodus, atque eidem hactenus ob insolitam remediorum nauseam adversus fuit, ita ut præsentes Illustriss. Dn. patientis ordinaris, tùm etiam aliunde advocati Medici, optimè deliberatis suis indicationibus & intentionibus, scopo sanitatis præfixo, ejusdemque voto, debitâ animi submissione concepto, appropriata remedia accommodare non potuerint: nihilominus tamen summâ fide & industrâ ad evacuandam malignam & putridam materiam febrilem, avertenda varia & periculosa symptomata, & corroborandas corporis vires, præsentissima remedia selegerunt, & exhibuerunt: quibus etiam sedulò administratis, quoniam ob diuturnam superfluæ biliosæ & pituitosæ materiæ collectionem ac retentionem, perniciosa corruptio & putredo, radices altiores egerat, nihilominus recidivæ & periculosæ mutationes cum ingenti virium dejectione supervenêre, quæ malignis exhalationibus Naturalem facultatem concoctionum valdè debilitârunt,

litarunt, Spir. animales & vitalia elementa acriter infecerunt, uti effectus & motus materiæ majorem partem, ex propriâ suâ effervescentiâ, pravis evaporationibus, & consumptione virium originem traxerit, ad quem sanè malignitatis gradum & exaltationem nunquam pervenisset, si præservativis locus & occasio non defuissent. Cujus intermissionis causa Illustriss. Dn. patienti nullo modo propterea imputatur: multis siquidem muliebrium affectuum experientiâ non contemnendis matronis, non à se ipsis, sed à quibusdam Medicæ rei peritis persuasum est, tempore impraegnationis, purgantibus medicamentis exiguum, vel prorsus nullum esse locum relictum, & apud easdem more receptum est, in puerperiis, tempori & occasioni inservire, de quo tamen hic pluribus non agendum, sed multò magis præsens status considerandus, & quibus mediis ad meliorem deducendus, vires reparandæ, & futuræ difficultates præcavendæ, diligenter deliberandum.

Non solum vero ex descripta & transmissa relatione, sed præsenti etiam cum Adstantibus Dn. Medicis habitâ conversatione, manifestum est, quod ex supradicta materia, tanquam causa afficiente & peccante, febris putrida continua, insignis malignitatis, cum siti, diminuto, & ferè prostrato appetitu fluxu ventris sed moderato, matricis commotione, excoriatione linguæ & faucium, magna lassitudine, & virium subitaneo lapsu conjuncta, jam præsens sit.

Hinc methodi ratio requirit, ut variis medicamentis ipsa mali scaturigo obturetur, & symptomata avertantur, deinde à præsentibus Dn. Medicis instituta obstructionis internæ solutio, præparatio febrilis & putrescentis materiæ ad evacuationem, contemperatio caloris, correctio malignitatis, & ipsa denique purgatio in effectum deducantur: præterea facultates Naturalis, Vitalis & Animalis, potissimum locomotiva, (tremor enim ostendit etiam animalem per se debilitatam) iterum corroborentur & erigantur. Utrum autem intentiones has simus consecuturi, & quid impræsentiarum sperandum, aliquo modo, ipsius morbi, & virium facultatis naturalis Vitalis & animalis collatio instituta nos edocet. Morbus jam est in statu, diuturnus & confirmatus, altasque radices egit, non tantum in venis meseraicis, sed & in venis & meatibus juxta matricem, atque in universum venosum genus immigravit, hinc ex tertiana simplici, & intermittente tertiana, jam in continuam febrem degeneravit, quæ ob arteriarum communionem, etiam cordis substantiam alteravit usque adeò, uti, nisi maturè diligentissimè præcaveamus, in febrem hecticam transitum minitetur: ex enim retentione longiore materiæ & obstructione venarũ, partes concoctioni inservientes valdè labefactatæ fuerunt, materia computrescere cepit. Inde putridæ evaporationes & exhalationes ad ventriculum, Spiritus naturales, uti etiam in hepate & venis, in operationibus suis debilitant, appetitum depravant, ad uterum, ascensum & suffocationem, ad cor, palpitationem, & in arteriis temporum, pulsationem, ad cerebrum, locomotivam facultatem infirmant, ita ut corpus, si commoveatur, perturbationes cerebri & debilitates approximent: moto enim corpore, etiam humores moventur, & exhalationes magis hinc inde diffunduntur: imò, ut quod res est, dicam, Cacochymica dispositio jam primas obtinet, quæ icteritiam & hydropem minatur, nisi vires restaurantibus & alterantibus præsidiis, ad evacuationem protinus nos accingamus. Adest quidem aliqualis remissio caloris & sitis, nec palpitatio cordis continua est, assumit iterum atque digerit Illustriss. Dn. patiens juscula alimentaria & medicata, etiam urinâ in melius mutatâ. Quod si pedetentim symptomata remitterent, & vires quotidie vel tantillum augerentur, bona spes restitutionis foret, præsertim si in assumptione & usu medicamentorum obsequium totale consequeretur: ad cujus explicationem jam accedimus. Triplicia autem sunt præsidia, quibus in morborum curationibus omnes & singuli utimur, Chirurgicum, Pharmaceuticum, & Diæteticum. De primo nihil est quod nobis promittamus, quia illud ipsum nec vires, nec præsens morbi status admittunt: quod si autem ex consilio Dn. Medicorum Venæsectio justo & legitimo tempore fuisset adhibita, magnum sanè incrementum sanitati Dn. patientis præbuisset.

Secundum, pharmaceuticum nempè, quod attinet, ad præparationem, contemperationem atque correctionem putridæ & vitiosæ materiæ febrilis (in quo potissima curæ ratio consistit, ut ab ipsa natura salvis viribus & integris eò melius vincatur) optimè accommodatum est jus alteratum.

Petroselino
Acetosa
Buglossa
Capillo ven.

Quod efficacius operaretur, si in eodem vel de sequenti mixturâ,

Succino præparato
Cornu cervi usto loto
Ex Margaritis præparatis
Magisterio Tartari.
Et salis gemmæ.

Scrupulus semis pro una dosi exhiberetur, vel quo minus Illustriss. Dn. patiens offenderetur, quia dictis modò pulveribus jam ex parte usa est, si tantum Tartari & salis gemmæ iiij. gr. in dicto jusculo dissolverentur, & horis matutinis ac vespertinis propinarentur. Ante somnum, ad contemperationem caloris febrilis, solutionem & mundificationem, uti etiam nutritionem, & conciliationem somni uti posset emulsione.

Amygdal.
Ex sem. 4. frigid. major.
Sem. Lactucæ.

Cum brodio caponis expressâ, in quâ Syrupus Violar. dissolveretur, addito Margaritar. præpar. ℈j. quod si Aq. Cinamom. aliquot guttæ adderentur, ventriculo magis esset usui.

Quod

Quod si, uti speramus felici usu & diligenti continuatione dictorum remediorum scopum intentionis nostræ attingimus, optimam occasionem, ipsam materiam vitiosam educendi habebimus: quò autem medicamentum sit tutum, naturæ gratum, & in minimâ dosi, pro liquore potiunculæ loco exhiberemus præstantissimum illud destillatum.

Balsami analeptic gravidar.
Vt & Aq. stomach. Donzellini.
In quibus infunderemus
Myrobalanor. Citrinor. cortic.
Rhaponticum verum
Radicem Mechoaca;
In infusi ℥jß. Dissolv.
Mannæ electæ ℥j.
Extract. Diacartam. ℈j.
Vel quantum Medicis præsentibus pro re natâ consultum videbitur.

Istiusmodi jusculis interpolatis alterantibus, exigente necessitate denuò instaremus.

Quod si hoc modo materia morbifica fuerit ablata, tunc etiam corroborantia facultatem effectum suum consequentur, quamvis toto morbi cursu eadem apprimè necessaria sint, propter virium debilitatem: hinc etiam quovis tempore administrentur, ubi varia, ad præcavendam nauseam Illustriss. Dn. patientis, dari possunt.

Interdum
Solutio Corallor. & Margarit.
Cum aceto destillato parata, & quatuor
Conservis cordial. clarificata
ad gratum saporem,
Interdum Aq. Aur. Carbuncul.
Buglossæ aqu.
Condit. Nuc. Mosch. Indic.
Spirit. Vitrioli
Interdum Balsam. infantium.
Conditura cort. Citri
Et Spiritus Vitrioli.

Quod si per acetosa, nausea ventriculi tolleretur & melior appetitus medicamentorum succresceret, utendum.

Conservis 4. Cordial.
Cum speciebus cordialib.
Diarrhod.
Diatrionsantal.
Syr. Acetos. Citri &
Granator.

Deinde etiam ex prædictis speciebus

Corall. præparat.
Margarit. præpar.
Hyacinth. præpar.
Smaragd. præpar.
Lapide Bezoartico.

Cum saccharo rosato tabulato, Morsulis ex succo Citri, Ribes & Berber. contusis Tragæam parare & exhibere possemus. Inprimis autem scopo nostro tertium præsidium, Diæteticum nempè quadrabit, quod dudum quidem à præsentibus Dn. Medicis quàm diligentissimè fuit conceptum & præscriptum. Hic prorsus non dubitamus, quin acidulæ Sualbacenses, vino vet. generoso permixtæ Illustriss. Dn. patienti maximè conducibiles & salutares sint futuræ. Quod si enim accedente benedictione divinâ dictis modo & conscriptis mediis evacuationem causæ morbificæ & restitutionem virium adsecuti ex parte fuerimus, usum acidulatum Sualbacensium ad plenariam restitutionem, & sanitatem omnimodam recuperandam maximè idoneum & utilem futurum statuimus. Præsenti autem curationi varia insuper & utilissima remedia externa sunt destinata. Videlicet cordi linimentum, naribus nodulus contra suffocat matricis, Aphthis gargarismi, quibus tamen pro tempore Dei gratia non valdè indigemus, quia symptomata omnia mitiora sunt, inprimis vero oris, linguæ & faucium excoriatio ad consolidationem jam vergens, cum mucilag. sem. cotoneor. Aq. fl. ligustri extractâ, interdum mitiganda erit. Quæ omnia & singula ad Illustriss. Dn. patientis perfectam atque exoptatam sanitatem recuperandam, debitâ & devotâ animi submissione consignata sunt. Cælestis Archiater præscriptis à nobis medicamentis ex alto benedicat, & faxit, ut votis nostris eventus exactissimè respondeat. Amen.

CONSILIUM III.

Viri Clariss. & Excellentiss. Dn. Iohan. Hartmanni Bejeri, Archiatri Moguntinensis & Francofurtensis.

IN morbo, Illustrissimæ Principissæ N. N. Dn. meæ Clementiss. potissimum dispiciendum, quo modo febrili calori adventitio, ablatione causæ efficientis ejusdem, bilis nempè & pituitæ in venis meseraicis & infimo ventre, tùm etiam confortatione membrorum, à febre lenta continuâ inflammatorum & multipliciter debilitatorum, in posterum sit occursandum: eo potissimum modo, ut facultatis vitalis sustentatio, quæ variis Symptomatibus & defectu alimenti, in morbo tam diuturno extremè labefactata est, prorogetur, & prægressæ uterinæ affectionis, atque etiam profluvii sive diarrhϾ recidiva præcludatur. Cum autem ad illud ipsum debito modo perficiendum, medicamentorum varietas quidem requiratur, sed ejusdem legitimam administrationem, Illustriss. Dn. patiens pro tempore admittere nequeat; magis necessaria quantum fieri poterit, contrahere & exhibere necessum erit: quorum potissimum tria sunt genera: alterantia primo, quæ calorem febrilem vel temperant, vel obstructiones venularum & meatuum aperiunt, causam materialem resolvunt, & ad evacuationem præparant: deinde ipsa evacuantia & purgantia media: tandem roborantia, non tam cibus & potus, quàm confortantia interna & externa. Quamvis autem ab Adstantibus Dn. Medicis dicta remedia hactenus summâ curâ & industria sint proposita, & occasione ferente adhibita, ita ut in iisdem nihil addendum vel demendum, nihil

emendandum vel derogandum habeam, pauculas tamen subsequentes remediorum formulas ex mandato & voluntate Illustrissimi principis consignare, & debitâ submissione reliquorum judiciis, conjungere volui ac debui: omnia tamen & singula CL. Dn. Medicorum, curationem dirigentium, arbitrio & emendationi amicè submittens.

I. Alterantia & præparantia.

Gallinâ exenterata & ritè præparata impleatur sequentibus:

℞. *Herb. Acetosæ*
Buglossæ
Borragin.
Capill. ven.
Rad. petrosel. incis. an. M ß.
Pæoniæ incis. ℨj.
Scorzoner. rec. vel arid. ℨij.
Implentur hisce gallina, & probe dec. omnia, *ad perfectam gallinæ consumpt.*

Hoc brodio singulis horis matutinis & vespertinis utatur: cui ad majorem saporis jucunditatem, & fortiorem penetrationem, cremor Tartari commisceatur. Et ne brodium hoc quotidie repetitum ingratum reddatur, vel nauseam pariat, aqua seq. destillata ejusdem brodii loco propinetur

℞. *Flor. Borragin.*
Bugloss.
Endiviæ
Lactucæ
Betonicæ
Vitium tener.
Incidantur atque cum conserv. Rosar. Rub. & lacte caprin. recent. in balneo destillentur.

Hujus aquæ singul. vicibus v. aut vj. cochlearia cum Tabul. Man. Christ. perlat. ℨiij. pulveris. & spiritu vitrioli pro acciditate, manè tepida & vesperi frigida, loco supra dicti brodii alterantis exhibeantur. Hisce mediis sequens emulsio alterationis & nutritionis loco conjungenda esset.

℞. *Hordei excortic. & crassiuscul. contus.*
Passul. minor mundat.
Panis siligin frustul. q. v.
Decoquantur aqua communi tamdiu donec succus probe sit expressus & aqua calorem lacteum imbibat.
℞. *Hujus decocti medicè refrig.* ℔j.
Amygd. dulc. excort. ℥j.
Sem. cucurbit.
Melon.
Cucumer. cum corticib.
ad plenior. abstersionem. a. ℨj.
Contund. & affundatur in contusione. sensim. aq. Ros. q. s.
In fine aliquid Margarit. præpar. sive Essent. Marg. præp. & ab omni acrimonia liberæ, addatur.

Hæc emulsio de die & nocte cum supradictis brodiis alternativè exhibeatur.

II. Evacuantia humores Biliosos & pituitosos.

Præmissæ & factæ humorum vitiosorum, cum venarum atq; meatuum aliquali præparationi, evacuatio causarum morbificarum leniter & paulatim subjungatur, atque per vires & ἐπίκρασιν instituatur, summa adhibitâ curâ & moderatione, ne profluvium antegressum resuscitetur, & vires corporis inantè satis attritæ irreparabiliter debilitentur, ad quod sanè sequens potiuncula valdè conduceret:

℞. *Rhabarb.* ℈ij. *vel* ℨj.
Infundatur in decocto florum & Fruct. Cordial, vel in vini & aq. Buglos. a. p. aequal. per 24. horas.
Colentur & exprimantur, in colatura.
Vel expresso liquore dissolv.
Mannæ elect. ℥j.
Vel sequens detur:
℞. *Extract. Rhabarb.* ℨß.
Diacathol. rec. parat. ℈j.
Involv. in placentula panis azymi, & deglut. vel si Deglutitio molestior. cum aq. bugloss.
Dissolut. exhibeatur.
℞. *Syr. Diasereos Andernaci, aut*
De Cichoreo cum Rhab. aut
Rosar. incarn. laxat.
Separat. vel conjunct. pro dosi ℥iß.
Cum aq. heder. terrestr. fumar.
Vel fl. acac. diluantur.

Sumat manè, & 3. horis à cibo abstineat.

III. Roborantia internæ.

Pro tempore quoad alimenta vix aliud quid præter liquidiora poterit ordinari, nimirum brodia caponum, gallinarum & carnium: expressa itidem ex contusione carnium prædictarum cum ossibus, sæpius cum excorticatis amygdalis & pistaceis apparata: Panatellæ ex brodiis prædictis cum pane albo confectæ: succus itidem ex assatâ carne vervecinâ per incisionem collectus & cum jusculis aliis permistus: destillatum caponis: ptisana ex hordeo excorticato cum jusculis gallinaceis confecta, avenata: amydalata: pultes ex vino aqua rosar. Sacchara cum vitellis ovorum præparatæ. Quod si quid solidioris cibi placuerit ægrotanti, satis superque variatio eorundem hactenus à Dn. D. Horstio præscripta fuit.

Potum quod concernit, quia ob calores febriles vinum minus concessum est per se, cum succo Citri misceatur & passulis additis minoribus temperetur, vel posthac acidulis Sualbacensibus probe & copiosè diluatur. Cordialia sint Aq. perlar. cum aqua destillat. Rosar. primul. Veris, Borrag. Buglos. an. p. æqual. & Margarit. præparat. sive Tab. man. Christ. perlat. lege artis. Vel

℞. *Aq. Bugloss. cochl. iiij.*
Carbunculi cochl. ij.
Brod. Nuc. indic. vel. cort. Citr.
Vel lactuc. Hispan.
Vel Rib. vel. succ. citonior.
Pro arbitrio Medici ij. vel iij.

Cochlear.

Cochlear. cum ſpirit. Vitrioli,
Vel tinctur. Corall. commixta.

Cujus pro reparatione virium, præſertim poſt ſomnum, Cochlear. unum porrigatur.

Ex confortantibus, conſervis, conditis, electuariis, pulveribus & tragæis hactenus dulciora minus grata extiterunt, acidiora ob exulcerationem oris omiſſa, odorata verò ob matricis ſuffocationem non admiſſa fuêre: ceſſante tamen iſto Symptomate, temperatæ & refrigerantis facultatis remedia commodè uſurpari poterunt, præſertim condita & tragæa, Exempli gratiâ.

℞. *Spec. Diambra.*
Arom. Roſat. an. ℈ß.
Tabul. perlat. ℥ij.
Foli auri Num. ij.
F. pulvis ſubtiliſſimus.

Cujus uſus cum pane albo toſto, vino albo & aq. Bugloſs. madefacto: ſed & pulvis Marchionis dictus continuandus.

Roborantia externa.

Quoniam ſuffocationes hyſtericæ per aliquot dies intermiſere, unguentum cordiale, regioni cordis & pulſuum adhiberi poſſet, quod tale eſt:

℞. *Vnguent. Roſ. Meſ. aq. Roſ. lot.* ℥ß.
Ol. ſtillat. cinam. gr. iij.
Ol. ſtillat. cort. Citri g. iij.
Spec. cordial. temperat. gr. vj.

Item ephithemata ex aquis Cordialib. non adſtringent: Buglos. Borravin. Roſar. Card. bened. cum ſpecieb. cordial. temperat. Frictiones extremorum ſiccæ, præſertim à ſomno: item frictiones manuum cum uſitat. aqu. apoplectica amara manè & veſperi præſertim, ſi manus videantur obrigeſcere: pulſibus cortic. citri recent. alligentur. Pro odoramento globulus ex caſtor. pulveris. Rad. Pæon. & Cort. Citri in aceto Lilior, convall. vel menthæ irrorat. paretur. Pro confortando & exſiccando cerebro ſuccinum pulveriſat. Maſtich. Sem. Nigellæ cum Ol. Roſac. in formâ cataplaſmatis commiſta, & linteo inducta, imponantur vertici. Manè itidem olei ſuccini gut. ij. occiput, & tempora illinantur, veſperi autem dicta loca Ol. Nuc. Moſchatæ inungantur, omnia ſalvo præſentium Dn. Medicorum judicio.

Deus ſalutis auctor, omnia & ſingula propoſita remedia proſperet, quot Illuſtriſſima principiſſa brevi convaleſcat, & vivat diu quam feliciſſimè.

CONSILIUM IV.

Narratio hiſtorica caſus hujus generatim in prædicta obſervatione determinati, diligenter annotata à

Gregorio Horſtio, D.

Illuſtriſſimæ & Celſiſſimæ principis ac Dn. Dn. N. N. beatiſſimæ memoriæ, morbus, ab initio hujus anni duravit, quem tamen per aliquot menſes præcedentis anni, neutralis diſpoſitio præceſſit, ita ut interdum ægrè haberet, quæ tandem in ventris grofluvium degeneravit, & à principio anni hujus, quotidie ſatis graviter afflixit, cui ſanè maturius occurrendi occaſione Celſitudo ipſius ob appropinquantis partus tempus deſtituebatur, nihilominus tamen hoc ipſo valdè infirmari cæpit, in tantum quidem, ut & matri & proli periculum ex difficili partu, morbus minitaretur. Deus autem omnipotens, 28. Febr. eam à fætu feliciter liberans, filiolo ſano & benè habito donavit, exinde purgamenta uteri, poſt partum ad biduum conſpecta fuêre durante tamen interim, & ne quicquam remittente diarrhæa. Etiamſi verò tum temporis Dn. D. Uffenbachius præſtò eſſet, tamen & ego 7. Martij Gieſſâ Clementiſſimè evocabar, quo mandato accepto, & è veſtigio equo celeri conſcenſo, 8. Martij, ad veſperam feliciter appuli, ubi ex omnibus circumſtantiis extemplò apparebat, diuturnam diarrhæam bilioſam, ex corruptâ & putreſcente bile in venis meſaraicis, hepati & lieni communicatis, generatam & collectam adeſſe, hinc Symptomata febrilia, ſitis, calor, anxietas, urina bilioſa, craſſa, pulſus febrilis, dejectus appetitus, ingens laſſitudo totius corporis, & propter aſcendentes vapores, gravedo capitis cum tinnitu & pulſatione (deſtillationibus enim aliàs obnoxia erat) ſeſe manifeſtabant. Hinc 9. ſtatim Martij concluſum, ante omnia acrem iſtam bilem leni aliquo purgante evacuandam, & in expulſione laboranti naturæ ſuccurrendum, id quod Illuſtriſs. principi renunciatum, & ab eadem facilè approbatum. Proinde Mannæ ſelectæ ℥iß. in juſculo porrecta (quia Rhabarbarum & ſimilia vehementer averſabatur) quo ipſo peccans materia bilioſa putrida tàm feliciter evacuata, uti fluxus bilioſus ſenſim remitteret, præſertim quia clyſtere abſtergente & corroborante poſtera die utebatur, perſeverabant quidem interea Symptomata ſuperius enumerata, ſed ob puerperium præſens occurrere iiſdem minus conſultum erat.

Inſeq. Martij 18. Manna iterum fuit exhibita cujus beneficio fluxus omninò deſiit, ſymptomatibus poſtridie nihilominus, ſine omni tamen horrore & rigore præſentibus, quibus etiamſi varia remedia opponerentur, ſucceſſu tamen optato carebant, quod de conſuetudine dudum recepta, non ſolum prudentiores matronæ, ſed & ipſi interdum Medici puerperis nulla ferè medicamenta exhibere ſoleant: hinc calori febrili contemperando, præter ſuccum citri cum aquis cordialibus: & corroborandis viribus, atque præcavendis gravioribus Symptomatibus, præter pulverem cordialem ex cornucervi uſto, cum margaritis & corallis atque lapide Bezoartico, planè nihil propinavimus: ad oris humectationem aqua prunellæ, rotulis nitri contemperata, adhibebatur, & quia de doloribus capitis Illuſtriſſima multum conquerebatur, eidem ſuccurrendo ſequens nodulus paratus fuit.

℞. *Majorana.*
Flor. Anthos ana ℈is.
Nuc. Moſchat.

Macis.
Sem. gellæ an. ℈j.
Camphor. gr. j.
Pulverasentur crassiuncule, & involvantur linteolo pro odoramento.

Nodulus iste reprimendis evaporationibus & exsiccandis defluxionibus singulare præsidium extitit, unde sæpius cum fructu reiteratus.

Postquam igitur res bene & mediocriter sese haberent, 26. Martij, reditum ad meos aliquot dierum, impetravi mihi vero 27. Martij, D. D. Uffenbachius iterum successit, quo præsente 29. Martij gravis denuò matricis commotio subsecuta, quæ caput per se satis debilitatum non mediocriter affecit, uti in istiusmodi gravioribus matricis suffocationibus fieri consuevit, cui opitulando emplastrum matricale protinus fuit applicatum, & consentiente Dn. Dn. Bejero (qui die Lunæ in feriis paschat. advocabatur) bilis corrupta Rhabarbarij incisi ʒj. in jusculo exhibiti (cui Dn. patiens ægrè consentiebat) rursum expurgata, ex quo cessantibus Symptomatibus natura refocillata aliquanto melius habere cepit. Cum autem ad mandatum Illustriss. 5. Aprilis, iterum advenissem, vires magis magisque collapsas deprehendi: ex consilio itaque prædictorum Dn. Medicorum ad reditum meum clementer iterum dimissorum, pro præservatione & confortatione capitis pulvis Marchionis fuit propinatus, pro reparatione virium matricis vitio languentium, cerotum matricale impositum, & ejusdem loco interdum sacculus ex Melissa, naribus nodulis ex castoreo, & ruta, in aceto maceratis, factus, adhibitus, quibus præsidiis vires paulatim reficiebantur: & quia exinde diarrhæa sive fluxus biliosus remiserat, eò magis evaporatio corruptæ materiæ ad superiora vergebat: hinc destillationes capitis exortæ, quæ primo tussim satis molestam excitabant, quam trochiscis, Syrupis, & aliis appropriatis sedare volebamus, sed parcè iisdem Dn. patiens utebatur, tussis tamen paulatim tandem evanuit, & urina ad statum meliorem deducta, concoctione alimentorum meliori adjuvante. Quia vero obstructio Illustrissi. Dn. patientem valdè affligebat, die 15. ægrè persuasa de novo Mannæ ℥ij. assumpsit in jusculo gallinæ: sic evacuata melius habuit, adeo quidem, ut insequentibus diebus, parum aut nihil molesti, præter ingentem virium deminutionem sentiret, & oris excoriationem, ab acribus destillationibus, tum depravato appetitu, puerperis & gravidis admodum familiari, & Zingibere ac Zedoria inscio Medico sæpius assumptis, causatam, cui tamen præter Diamoron acidum nihil oppositum, cum alia ob dolores non admitteret, qui quantumvis periculi expertes essent, loqui tamen & comedere Dn. patientem vetabant. Cum itaque hoc ipso tempore Dn. D. Brendelius, cum Illustrissima Saxonie Ducissa adventasset, ejusdem etiam consilio Illustriss. nostra uti decrevit, qui ab illo tempore, usque ad discessum Illustriss. Ducissæ mihi adjungebatur. Communicato ergò consilio conclusum est, in consideratione principalis affectus, obstructionem alvi, quantum fieri posset, primario præcavendam, cui fini sequens serum caprinum laxativum ordinabatur.

℞. *Herb. Acetos. cum Radic.* Mj.
Fumariæ rec. p. j.
Rad. Asparagi
Petroselini an. ℥ß.
Fol. senæ ʒij.
Mechoacæ ʒjß.
Turbit. ʒß.
Incis. & contusis affundatur seri caprin. lib. j.
Addita sacchari cand. ℥ß. *stent in infusione per noctem, & manè leviter ebulliant.*

Hæc 2. vicibus assumenda parabantur quidem, sed Illustriss. ut iisdem uteretur, adduci non poterat, hinc obstructio alvi à 15. Aprilis per totam septimanam continuata, etiamsi cætera mediocriter valeret, & cum præsentibus Illustriss. principibus tempus terendo, medicamentorũ usum differret, interea spasmus quidam brachiorum & manuum interdum superveniebat, non sine evidenti animi deliquio, cui avertendo Aqua Apolectica adhibita, quæ brachiis etiam, manibus, occipiti & spinæ dorsi applicata, cui nodulus ex subsequen. paratus injiciebatur:

℞. *Castorei* ʒj.
Myrrhæ ʒjß.
Salviæ
Flor. Anthos an. parum.
Camphor. gr. ij.

Pro corroborandis viribus, & propulsando calore febrili consumente, probantur lac Amygd. Aq. parlar. Decoct. capon, cum mac. & man. Chr. tabulis in duplici vase sine liquore alio cocta, & carnibus ab ossibus decidentibus per inclinationem sine expressione effusa & similia, nihil tamen his ipsis, quod mirandum & dolendum, effectum, dum præter jusculum gallinac. vix quidpiam Illustriss. admitteret. Externis tamen, sive topicis medicamentis facilè locum dabat, utpote unguento cordiali præscripto, & frictioni plantarum pedum linteis aceto rosaceo madefactis, in quo prius ruta, baccæ juniperinæ, Nux mosch. Macis, caryophil. castor, fuerant macerata per noctem. Et quoniam viribus tantoperè prostratis metuendum, ne perseverante diuturnâ istâ obstructione, biliosa materia in infimo ventre, & venis meseraicis denuo collecta majus malum daret, & graviora symptomata produceret, Illustriss. 20. Aprilis in applicationem sequentis tandem consensit enematis:

℞. *Iur. Gallin. modic. salit.*
Cui incoxerint
Flor. violar. Mjß.
Chamomil.
Mercurial.
Malvæ an. Mjß.
℞. *Colaturæ* ℥x. *Adde*
Ol. Violar. ℥ij.
Amygdal. dulc. ℥j.
Sacchar. Thomæ. ʒjß.
F. enema.

Quo

Quo injecto, alvus soluta induratam & adustam biliosam materiam ejecit. Inseq. die dominica fluxus bilis putrescentis, & interea coacervatæ supervenit, colore & fætore priorem repræsentans, sed & urina iterum biliosa, & pulsus febrilis extitit, ex prædictæ vitiosæ materiæ commotione. Pro abstersione itaque & mitigatione interni caloris, seri caprini liquor stillatitius, singulis diebus Illustriss. bis assumendus, fuit propositus, in quo radic. petroselin. probè coctæ essent, qui tamen non admissus, frustrà fuit, repugnante nimirum ægra. Et licet Dn. D. Brendelii eadem mecum fuerit sententia, (quod præcedens consilium ipsius docet) materiam in venis meseraicis putrescentem omninò præparandam, dissolvendam, & consequenter mitioribus aliquot purgationibus evacuandam, ventriculum & partes principales corroborandas, medicamentorum tamen usu penitus ferè abstinendum fuit, quibus intermissis, vires dietim imminutæ, & capitis affectiones magis magisque adauctæ fuerunt, ita ut post discessum D. D. Brendelii, Dn. D. Schopfium, ab Illustriss. principe Stutgardiâ evocatum, admodum sollicitè expectarem, & Illustriss. Celsitudinem ipsius per Strenuum Dn. N. N. Aulæ Magistrum submissione debitâ rogarem, uti Dn. D. Bejerum, & Dn. D. Uffenbachium, itidem Francofordiâ advocari clementer mandaret, me enim valdè vereri, ne Illustriss. & dilectissimæ conjugis suæ morbus, vel in diuturnam & incurabilem consumptionem hecticam, vel capitis affectus difficiliores, & subitaneas mutationes tandem devolveretur, id quod Dn. D. Uffenbachio etiam literis transmissis communicabam. Die itaque Saturni D. D. Uffenbachius, die Solis D.D. Bejerus, & die Lunæ D.D. Schopfius advenêre. Habitâ consultatione intentiones Dn. D. Bejeri, meis correspondentes, per omnia adprobatæ fuêre: Et quandoquidem status morbi nullum ferè medicamentum admittebat, communi consilio ordinatum fuit hoc brodium alterans:

℞. *Iuris gallin.* ℔j.
In quo radic. petrosel.
probè incoct. cui addantur
Acetosæ
Capill. ven.
Borragin. q. s.
Per lint. transcol. & singul. dieb. bis exhibeatur, addito crem. tart. quo felicius penetret.

Cum autem interea vires indies decrescerent, Aq. perlat. & seq. confortans per corroborat: exhibita.

℞. *Aq. carbunculi aurea cochl.* iij.
Borraginis cochl. iiij.
Suc. Nuc. Indic. condit. cochl. iß.
Commisceantur.

Quemadmodum autem Illustriss. princeps toto morbi tempore, suam, divinæ voluntati subjiciebat: ita seriò diem Martis suum esse, sibique liberum volebat, quo DEO OPT. MAX. reconciliari & sacrosancto corporis ac sanguinis Christi Sacramento frui posset, cujus etiam, verâ cum pœnitentiâ, constanti peccatorum confessione, & firmâ in Christi meritum fide particeps facta est. Quo sacro peracto, Medicos præsentes ad sese accersiri jussit, & Dn. D. Schopfii, qui prima vice eam accedebat, consilium promptissimè audivit.

Postquam vero nos dimisisset, collegialiter, amicè & apertè in cænaculo majore consultavimus, exinde etiam Dn. D. Schopfius, & Dn. D. Bejerus, quia dimissionem uterque enixe petebat, sententiam suam semel prolatam, etiam scriptam exhibuêre, pro informatione mei, & D. D. Uffenbachii, quæ præcedentibus annexa.

Quid vero à nobis omnibus & singulis conclusum fuerit, ex superioribus & huic conjunctis consiliis manifestum est. Collabentibus autem inseq. die sensim viribus, ita uti brodium confortativum, ne dum medicamenta, difficilius quam antea admitteret, de successu remediorum, ob detritas naturæ vires, planè desperabamus. Cum itaque Illustriss. princeps, summâ cum devotione concionem consolatione plenissimam audivisset, eâdem finitâ, cooperante Spiritu sancto, animosiorem sese præstitit, & potiunculam brodii alterantis suâ manu prehendit, ubi sanè imbecillitas in ipsa apprehensione tanta apparuit, ut poculum brodii manu tenere infirmâ nequiverit. Horâ pomeridianâ tertiâ denuò potiunculam Magisterio perlarum permistam propinavi, quam difficilimè assumpsit, ut inde summa imbecillitas deprehenderetur. Nox insequens inquieta & turbulenta fuit, ita uti in ipso somno quiritari quasi putaretur, quod plerumque gravissimorum capitis symptomatum prodromus esse consuevit, quorum etiam metus apud nos non exiguus versabatur, quibus præcavendis & reprimendis cataplasma ex nigellâ & aliis ad suturam sagittalem capiti impositum. Die porrò 2. Maij, quæ Jovis erat, extremè debilis extitit, articulatè tamen loquebatur, usque ad 7. horam ferè, qua officium lingua paulatim denegabat, quod D. D. Uffenbachius advertens tempestivè significabat: mox itaque cum concionatore aulico, Dn.D. Schopfius & ego accessimus, Illustrissima vero ardentibus DEUM gemitibus invocabat, O MI DEUS, MI DEUS! sæpius ingeminans, simulque Dn. Superintendentem præsentem expetebat; qui statim advolans, variis preculis consolatione plenissimis eandem erigebat, quas etiam lingua balbutiente imitata exprimebat: sensim itaque paralysis dextri lateris obrepsit, adeò quidem, ut dexter oculus cum manu & pede motum amitteret, & paulatim postea visu ac auditu privaretur. Et licet prorsus nulla convalescentiæ spes superesset, Medici tamen præsentes de restitutione loquelæ, mediis convenientibus adhibitis, non dubitabant, hinc Dn. D. Schopfius ex tempore Aq. auream vitæ præstantissimam, ex aromatibus & appropriatis capitalibus destillatam, communicavit, cujus cochlear. dimidium, cum supradictâ aquâ confortativâ commistum, Illustriss. principi infusum, inde clamore paululum emisso, loquela ex parte revocabatur. Hæc aq. vitæ etiam per se, in linteolis madefactis, vertici imposita, & semel atque iterum propinata fuit, quibus peractis immobilis, tanquam dormiret, ad meridiem usque quievit,

ex quo visus, auditus, & intellectus postliminio quasi rediêre, inprimis autem loquela in tantum restituta, uti disertis verbis affirmare quid, aut negare, imò expressè interdum proferre verba posset, majorem tamen partem, nec secus ac si placidissimo teneretur somno, quievit, usque ad vesperam, & insequente totâ nocte, qua prorsus nihil amplius assumebat, quamvis non absque gravi ratione aquis confortantibus abstinebamus, ne fortassis materiam peccantem nimio corroborantium usu excitaremus, quod in istiusmodi casibus usu venire solet, & convulsionibus epilepticis viam sternere consuevit. Cumque tandem hora matutina tertia instaret, facultates animales, quoad visum, auditum, loquelam, sensum & motum, penitus deficiebant, nisi quod sinistri brachii & pedis exiguus quidam motus interdum observaretur, pulsus autem fortior cum calore insolito totius corporis, & plus justo intensiore, deprehenderetur: sed significabamus illudipsum extremum naturæ conatum esse, & brevi calorem istum resolutionem omnimodam cerebri inducturum, quod eventus esse comprobavit, ita ut circiter septimam ronchus cum difficilima respiratione ingrueret, quæ tamen iterum remisêre aliquantulum, ita ut absque omni sensu & motu totâ die Veneris decumberet, ubi quidem interdum pulsus intermissio perfecta, sed calor usque ad vesperam superstes vigebat, eodemque tempore etiam vitales vires deficere cepêre, ita ut non tantum inæqualitas & defectus pulsuum, sed mira etiam variatio deprehenderetur, quod in morientibus contingere solet.

Atque ita Illustrissima & Celsissima princeps die 4. Maij, circa horam tertiam matutinam, paulatim consumptis viribus cordis, placidissimè, absque omni motu & metu, inter ardentissimas preces & amarissimas lacrimas astantium, in verâ & salvifica fide Jesu Christi Salvatoris unici, obdormivit. DEUS TER. OPT. MAX. in magna illa judicii die eam lætissimè resuscitare, & unà nobiscum ad æternas beatorum sedes introducere clementissimè dignetur. Amen.

APPENDIX

Exponens Quæstionem

An V.S. conveniat in Febribus Malignis.

Licet meam sententiam, quam triginta annorum spacio in innumeris hoc morbo correptis ægrotantibus diversis in locis probatam veramq; expertus sum, breviter quidē, sed fundamentaliter in Tractatu de morbo Ungarico Germanico idiomate conscripto deciderim, nihilominus tamen, quoniam non pauci hujus aut illius Scriptoris adducti rationibus, venæsectionem planè suspectam reddunt, pauca adhuc hac de re coronidis loco adjungere operæ pretium duxi. Primò igitur, quod tàm veterum quàm recentiorum Autorum classicorum testimonia & autoritatem attinet, probatu longè facillimum esset, Hippocratem & Galenum in malignis febribus venæsectionem semper & magnoperè quidem commendasse (neque enim est, ut quis ubi persuadeat, morbum hunc admodum recentem, veteribusque incognitum esse, quamvis pro temporis ratione, regionem naturarum, aliarumque circumstantiarum diversitate diversis stipatus symptomatibus in scenam prodierit) quorum etiam vestigia Græci Medicorum principes, Aëtius nempè, Paulus, Aegineta Actuarius, Oribasius, ut & Arabes, Avicenna, Averrhoës, Avenzoar, Rhases &c. diligenter premunt.

Quamobrem etiam nostri seculi celebriores Medici illorum calculo subscribunt, satis superq; demonstrantes, eos nullo modo rectè sentire, qui in malignis febribus necessarium V.S. remedium oscitanter negligunt, ut videre est apud Johann. Baptist. Minad. Johan. Thom. Minad. Alexand. Massariam, Fran. Indiam, Don. Anton. Altimar. Vid. Vidium, Francisc. Valeriol. Theodor. Angelut. Octavian. Roboret. Ludovic. Mercat. Martin. Ruland. Patrem & Filium, in quorum observationibus plerisque vena secatur, Iohan. Coyttar. Iohan. Hucher. aliosq; quam multos qui maximam partem separatim, & ἀκριβῶς hoc de morbo tractationem instituerunt; Imprimis autem Tractatus de morb. Ungaric. Generat. D. Iohan. Oberndorferi lectu omnium dignissimus est, in quo hæc controversia singulari studio ventilatur: ut jam non dicamus, quod multi ex prædictis auctoribus in febribus pestilentialibus, imo ipsa peste Venæsectionem in principio quidem admittunt, si nimirùm ægrotantes plethorici sint, viribus adhuc polleant, & putrida quædam congestio indicetur, sicuti legere est apud Capivac. Montuum, Petr. Sybillin. Roderic. à Castro, Guil. Rondelet. Joseph. Quercetan. Th. Jordan. Johan. Gum. Andernac. Ubi præsertim lectionem meretur supradictus Roder. à Castro de peste Hamburgensi, qui simul rationes adfert, quare nonnunquam, sicuti Paræus, Palmarius, aliique scribant, illi quibus vena fuit incisa, obierint, non scilicet propter Venæsectionem, sed propter Venæsectionem non convenienter administratam.

Præter hoc, jam allegat. *Tractat. cap. 6.* succinctè diductum fuit, quibus ex causis in multis Venæsectio haud sine omni periculo omitti possit, ubi sufficienter demonstratur, quod in hoc affectu febrili non solum malignitatis, sed etiam sanguinis effervescentiæ ratio habenda veniat: nihil igitur hîc obstat, quod per venæsectionis administrationem malignitas educi minime possit: Nam quemadmodum omnibus in morbis, ita etiam hoc in affectu variæ Indicationes occurrunt, ubi sanguinis copia in morbo magno, viribus adhuc constantibus Venæsectionem requirit, adeò quidem ut etiam apparentibus petechiis certis conditionibus à quibusdam supradictorum auctorum Venæsectio permittatur, ubi imprimis jam nominatus, *Iohann. Baptist. Minad. Tractat. de abus. non mittendi sanguinis cap. 4.* consulendus, ut & ejusdem filius *Iohann. Thom. Minad. lib. 2. de malignâ febri cap. 5.* Item *Anton. Fonseca de Epidemiâ Febrili, Controvers. 19. & 20.* qui ante annos

annos 12. cùm hic morbus in Castris in inferiori Palatinatu valdè grassaretur, Medici Castrensis provinciam ornaverat, qui non solùm concludit, in omnibus febribus malignis Venæsectionem necessariò requiri, propterea quod sanguis præcipua morbosi apparatus materia existat, modo καιρῷς malo subveniamus, nullumque aliud impedimentum obstet; verùm etiam eam in sententiam it, apparentibus petechiis, cùm jam maculæ apparere incipiunt, nihilo tamen minus Venæsectionem administrari posse, si simul adsit plethora, ut deinde natura hoc onere levata faciliori negotio vires suas recipere, atque in propellendis maculis feliciùs operari valeat, id quod à me ipsò; in Methodo Medendi Fernelianâ Enucleatâ *Exerc. 2. qu. 20.* affatim deductum fuit. Qua de re etiam Sylvatici, Sennerti, Botalli, Heurnii, aliorum opiniones videre, non erit supervacaneum. Ex quibus omnibus manifestè apparet, Venæsectionem, etiamsi Alexipharmaci locum haud obtineat, neque malignitati ritè & directè opponatur, non tamen propterea omittendam esse, ob rationes, quas præter alia, *alleg. cap. 6.* in medium adduximus. Nihil insuper obstat, quod quidam dicere in contrarium velit, Venæsectione administratâ una cum sanguinea massa Spiritus quoque vitales dissipari, quibus tamen vires, quarum beneficio Natura morbo resistere deberet, constare sua luce radiat: etenim ad hanc objectionem satis fecit responsum, distinguendo inter virium imbecillitatem, ex oppressione, vel dissipatione, de quo plenius tractat. *Horat. Augen. lib. 4. de curat. per Venæsect. cap. 2. & lib. 3. de missione sang. cap. 14.* Et quamvis in proverbium abierit, canem dormientem minimè expergefaciendum esse, unde multi in eâ sunt opinione, quod per V. S. constantibus etiam adhuc viribus ob sanguinis commotionem malignitas eò magis ad ebullitionem irritetur, ac dein majorem naturæ vim infringat, hi tamen in hoc ipso etiam mirum in modum decipiuntur, quoniam effervescentia hæc sanguinis suapte tandem sponte quoque accidere consuevit, atque interim per eam maligna ejus qualitas insidiosè penetralia occupat, unde non est, ut terror nobis injiciatur, licet celebrata jam sanguinis missione, sequentibus diebus pugna inter naturam & morbum acerbius quàm anteà ineatur, etiamsi experientia testetur, nostro tempore multis in principio, præmissis sudoriferis ac purgantibus, venâ sectâ pristinam sanitatem brevi restitutam fuisse, in quibus morbosus apparatus non tam multa, neque malignitas tàm magna extitit. Nonnulli arbitrantur, cum natura in hoc affectu diebus intercalaribus & bonis per sudorem alui fluxum narium hæmorrhagiam, expulsionem macularum aliasque per vias sibi ipsi opem ferre soleat, institutâ Venæsectione Naturam in suo opere, cum vitæ periculo, impediri; id quod tamen eò minùs pertimescendum est, quoniam Venæsectio justo modo celebrata tantum abest, ut vires dejiciat, naturamque imbecilliorem reddat, ut potius confortet, quo facto faciliori posteà negotio morbum superare valet. Ridiculum quoque est, quod quidam volunt, Venæsectionem vel propterea timendam, quod venenosa morbi malignitas per eam subitò ad cor rapiatur, atque impossibile sit, illam venâ incisâ educere: nam si hoc ita sese haberet, nulla inter pestem & hunc morbum esset differentia, cùm tamen videamus, ut plurimum in principio ægrotantes, de istiusmodi symptomatibus, quæ venenum in corde latens producit, non conqueri, adeò quidem ut pulsus sæpè per aliquot dies in naturali statu deprehendatur.

Nihil insuper est dicere, quod si Venæsectio tam præstans, & utile remedium audiret, male quidem actum iri cum prægnantibus, atque infantibus, in quibus venæsectioni nullus locus: nam sciendum est, primò, quod non sequitur, huic vel illi venæ secari haud potest, necesse igitur est, ut moriatur, siquidem abundè ostensum fuit, Venæsectionem non unicum esse Alexipharmacum, cujus efficaciâ morbus depelli debet; quare eam præsertim in curam incumbendum, ut si Venæsectio commode administrari nequit, alia ingrediamur viâ, quâ naturæ suppetias feramus, quò in casu hirudines, & scarificatio vicem V. S. subire quandoq; aptæ natæ sunt.

Quod autem senes attinet, & ætate grandiores, temperamentorum atq; naturæ diversitas probè perpendenda, ubi sæpè 60. vel 70. annorum homines, habitu corporis adeò plethorico reperiuntur, ut tutò, si scilicet vires tantummodo à sanguinis copia opprimantur, vena incidi queat, id quod experientia quotidiana testatur, quâ motus Hercules *Saxon. lib. 8. Panthei cap. 20.* cuidam 77. annos nato cum felicissimo successu venam secari curavit. Id quoq; de prægnantibus intelligendum venit, quippe quibus à Venæsectione tantum abest, ut penitus interdicatur, ut potius in eis, etiam extra morbum, cæteris paribus, cum singulari levamine adhibeatur, sicuti pluribus explicatur *in Centur. probl. Decad. 9. quæst. 8.*

Quis ergo dubitaret, an venæsectio acuto & febrili affectu laborantib. conveniat, cùm nihilominus in iisdem ebulliens sanguis naturam cum insigni periculo ad partum commoveat? *De his Confer. Ioh. Raphael. Moxium de Methodo Medendi per venæsect. lib. 2. c. 3. & seqq.*

Quod autem pueros, & qui adhuc immaturiori sunt ætate, concernit, Venæsectio omitti quidem potest, quippe qui cutum habent rariorem, habitumq; corporis laxum, cujus per patentes poros, prægressâ jam levi purgatione, Natura medicatrix sudoriferis adjuta remediis malignitatem compescere ac dissipare potest: licet non tarò videamus, naturam fervidi ac redundantis sanguinis molem per largam narium hæmorrhagiam maximo cum fructu sponte deponere; hinc Horat. Augen. in ea est opinione, in pueris plus quam 7. annos natis, hirudines brachiis impositæ venæsectionis, quæ subtilioribus venis non confert, vicem gerere posse. Cum his omnibus ipsa quoque experientia consentit, ut unusquisque fateri cogatur, Venæsectionem justo tempore & modo administratam maximum ægris commodum adferre, adeo ut longè citius & faciliori negotio sanentur quàm

quam ii, qui à Venæsectionis usu abhorrent, ac propterea non sine accedente Symptomatum molestia, nec nisi longo tempore, pristinæ sanitati restituuntur; imo verò eâ etiam sæpè sæpius omnimodè frustrantur.

Cæterùm non omnes etiam ægrotos, quibus vena secatur, mortem effugere, pristinamque recuperare valetudinem, facit malignâ morbi qualitas tam magna sæpè, & copiosa, ut etiam post Venæsectionem Bezoartica & alexipharma susq; deq; habeat, cum tamen experientia edoceat, naturam semper Venâ secta onere suo quodammodo levari, viresq; refici, licet nondum firmo, ut dicitur, stent talo, id quod tamen non ex eo provenit, ac si Venæsectio à circumferentia ad centrum, ab exterioribus partibus materiam peccantem ad cor trahat: de quo vide plura *meth. med. Fernel. Exercit.* 3. *q.* 7.

Neq; silentio prætereundū est, quod in principio morbus hic non sit leviter tractandus, uti in Hungaria moris est, ibi enim incolæ in principio hujus morbi, quando nimirum sentiunt lassitudinem membrorum, cum allio, aceto & pipere morbum abigere sibi proponunt, dum brachia & pedes, præcipuè autem in juncturis, cum prædictis simplicibus fortiter fricant, simulq; radicem Levistici ore masticant, quem modum curandi autem aliæ Nationes infelici proh dolor! successu experti sunt, *uti vidend. ap. Tobiam Coberum in observ. Castrens. Decad.* 1. *observat.*

Ioh. Baptista Minadous tractat. de abusu non mittendi sang. cap. 4.

NOn semper est verum, tutum in omnibus febribus malignis, etiam pustulis manantibus esse protinus sanguinis missionem abrogare: Dii immortales! (pergit ille) quot ego toto meæ vitæ decursu Febribus malignis, pustulis vel papulis exeuntibus, & transactâ quartâ & septimâ, & quartâ decimâ, cum paulo superiore virium robore, ab inferis revocatos vidi, in quibus natura non poterat ad extremas partes, nec per alios meatus noxios venenosos succos excernere, qui adjuti missione sanguinis, restituti sunt sanitati, contra eos, qui illico auditâ & visâ morbi pestilentis constitutione, eam abrogarunt.

Ioh. Thomas Minadous lib. 2. *de Febr. maligna cap* 5.

ANimadversione dignissima censeo, quod aliquando præclaræ & felicis recordationis genitor meus scriptis consignavit; quodque ille sæpissimè mihi, dum adhuc junior essem, narrabat, neminem in his febribus peticularibus hâc sola in cute efflorescentia, hâc sola macularum emissione, à mortis periculo unquàm liberatum fuisse. Sed huic omninò necessarium fuisse aliquam hæmorrhagiam per nares: huic copiosam alvi fluxionem; aliis abundantes sudores: plurimis parotidas: maximæ autem bonæq; illorum parti sanguinis detractionem per venam sectam, vel abundantem aliquam evacuationem per pharmacum. Reliquos autem quibus nullum tale adjumento fuit; omnes ad unum usque ferè interiisse.

Ioann. Riolanus pag. 77. *de Circul. sang.*

NOn possum absq; commiseratione ægrorum & detestatione Medici, legere in observ. Plateri, historias ægrorum, qui febribus ardentissimis torrefacti fuere, absque Venæsectione. Ipsemet Platerus historias de se, ardentissima febre laborante, eaque maligna profert, cùm tamen in istis, neque in se ipso V. S. adhibuerit, etiamsi ejusmodi morbi tale remedium efflagitarent. Itaque qui evasere, non ope Medici, sed fati beneficio sanitatem recuperarunt.

Vallesius lib. 4. *M. M.*

NUllum morbum ferè esse puto, cujus curationem à missione sanguinis non inchoem: quia eâ non præmissa vix ulli remedio locus est.

Paulus Neucrantz pag. 305. *de Purpura.*

SI febris suo incendio ex corrupta humorum putredine viscera amburat, sanguisq; sua copia fomitem incendio isti sit subministraturus, tutius à V. S. curationem auspicari licet.

Ioannes Schröderus de febr. epidem. pag. 54.

CHirurgia quoque nostram intentionem promovet, dum per sanguinis missionem & subtractionem, non tantum magna pars materiæ febrilis absumitur, sed & sanguini ebullienti & fermentanti majus spacium conceditur, non aliter uti vasi humore & liquore fermentante pleno nonnunquam quædam pars liquoris subtrahitur & quies conciliatur.

Georgius Fridericus Laurentii Medicus Serenis. Daniæ Princip.

CLarissimus Horstius, Artis Medicæ Atlas & decus rectè proposuit Venæsectionem in curandis morbillis & petechiis: maximè primis morbi diebus præsente plethora. Mercatus & Holzemius, crises in febribus malignis nunquàm viderunt. Neq; crises in morbis malignis dari possunt, quia tumores maligni concoctionem non admittunt. Si quoque phlebotomia refrigerio crisin impediret, omnia medicamenta, quæ ad obtundendum febrilem calorem & sitim tollendam exhibentur, noxia forent, & idem efficerent. Quod aliqui post V. S. mortui sint, illud Venæsectioni non adscribendum, sed aliis causis. Ego in febribus malignis summopere utiles deprehendi venarum minorum sectiones in manibus & cruribus. Vesicatoria optimè conducunt in febribus malignis, sive absit sive adsit delirium. Nullam habent oppositionem stabilem. Potenter enim malignitatem pravosque humores à corde revellunt, sicuti ipse tam in aliis, tam in me ipso superioribus temporibus sæpius observavi.

Io.

Io. Ionstonus Idea Med. Univ. pag. 345. 350. 353. 354.

FEbris Maligna curatur Venæsectione, quæ post primarum viarum & corporis evacuationem ante 4. diem excitatur. *Petechialis* V.S. ante 4. diem, ne si serius vires debilitentur. *Pestilentialis* quoque V.S. & *Morbus Ungaricus* 351.

Iohannes Zecchius Consult. Med. pag. 499.

IMperata victus ratione omni rigore observanda, in eam facilè sententiam descendo, ut quàm primùm secta vena nunc basilica brachii dextri, vesperi autem sinistri sanguis ad uncias 8. detrahatur. Et licet vires non admodum validæ sint à morboque superari videantur, non sunt tamen usque adeo dejectæ, quin hanc sanguinis missionem bipartitam commodè sustinere possint. Cæterùm quoniam à nonnullis subaudio Venæsectionem febrientibus febre maligna virium causâ veluti valdè suspectam improbari, cogor in præsenti (non contradicendi studio, sed in ægrotantis gratiam & Artis dignitatem) rationes compendiosè adducere, &c. *quæ vid.*

Petrus Paschalius Prax. Med. de febr. pag. 103.

PRima & maxima indicatio curativa sumitur à virulentia Pestilenti, quæ calorem putredinalem in corde confestim inducens symptomata adeò sæva & terrifica invehit. Eum igitur inde revellere atque educere summo studio oportet, calorem illum corruptivum extinguere & symptomata corrigere. His omnibus quodammodo inservit Venæsectio, &c.

D. Iohanni Danieli Horstio.

MIraberis, *Clarissime Vir*, enorme scriptum plurimis parergis cumulatum, tenui filo inconcinniter consutum, sermonem multum inconditum. Asiatico more in longum protensum, παράγραμμα hoc verè non responsum, sed potiùs à propositi problematis solutione, digressionem, appellaveris, quandoquidem ut commentariolo, id est, non latè, sed tribus, ut ajunt, verbis simpliciter summam rei proponerem, & sententiam meam liberè promerem, id est, luculentè patefacerem, modestè efflagitâsti.

Sed nimius videor, seráque coronide longus esse liber — — — —

Sed majorem certè admirationem subires, si stylum scribendi & loquendi normam, quibus utor, & studia & mores meos perspectos haberes, quantum videlicet oderim prolixam loquacitatem, quantum delecter βραχυμυθία id est, breviloquio & Lacedæmoniorum Laconismo; quid si scires me ex numero eorum esse, qui sine fucis & pigmentis, sine Verborum lenociniis, sententias suas demonstrant, & per rectam lineam, id est, omnium quàm brevissimam, quod volunt, concludunt, Mathematicum scilicet & peripateticum ingenti sanè admiratione afficereris? Equidem ut tuæ honestæ petitioni, quæ mihi curæ fuit, ex parte satisfacerem ganviter ad hunc laborem incubui, & summa festinatione ac celeritate epistolicam responsionem jam pridem exaraveram, quam continuò ad te mittere decreveram, vetus verbum hoc est, qui citò dat, bis dat, sed nescio quo postea κνίσματι ἐρωτικῷ vel pruritu affectus, vel stimulo instigatus, irritatus, lacessitus, & veluti œstro percitus ac Zelo & amore veritatis permotus, opusculum illud tanquam non abundè nec satis, quantum tantæ rei opus est, faciens, discerpsi, & ad imitationem tot clarissimorum virorum, qui suum in hac palæstra ingenium exercuerunt, vel, si mavis appellare æmulam exercitationem, rursùs eandem πραγματείαν resumere strenuè perpendendam & enodandam atque accuratissimè examinandam, necessarium esse judicavi, fructum itaque corticosum prima vice integrum glutitum & voratum à rumine ad os revocare eumque deglubere & enudare, dentibusque mandens ad folliculum usque penetrare & enucleare statui; successivis itaque horis rationes & objectiones, quæ ab utrâque parte afferri possent, meditans, commentans, & scribellans, nescio quî opus hoc ad tantam molem sub manu creverit, præter intentionem, si verò nihilominùs (ut tibi videtur) leviter admodùm ac jejunè argumentum hoc tractaverim, & præcipua, quæ afferri possent, pro & contra vix attigerim, & majoris momenti res omiserim, ut totum hoc peregrinationi, quietis privationi, animi perturbationi, & librorum defectui acceptum referatur, rogo, ut etiamsi prolixioribus verborum circuitibus, & rationum ambitibus abutens ambagiosum & verbosum, tœdalum proin & fastidiosum me præstiterim, non loquacitati, sed desiderio amico morigerandi & complacendi attribuatur, perobsecro. Equidem hac in re non adeò deliro & demento, ut scripta mea magni æstimem, præsertimque medicas dissertationes hac ætate contextas, in qua à medicorum rixis animum laxare, & me totum gravioribus studiis ad animam (physicam non Medicam) pertinentibus penitùs addicere & consecrare decrevi.

Velim ergò sic legas, ut rem tenuem & inopem nec scriptione magnoperè dignam, nullum certè ex tribus dicendi generibus ab Homero traditis in hac offenderis opella, nihil magnificum & ubertum ut in Ulysse, nihil subtile & cohibitum ut in Menelao, nihil mistum & modestum ut in Nestore, quod verò tam diu τῦτο τὸ πραγμάτιον, id est, hoc scriptulum procastinaverim, & in tam longum tempus rem parvam distulerim & prorogaverim, solius Arthritidis culpa est, mihi enim cum haud semper liceat ob infamem chiragram calamum sumere & scriptitare, tamdiu conceptum animo debeo suspendere, donec amanuensem nactus fuero, cui illud, ut literis memoriæ mandet, committam, sed cum non tanta præpolleam memoriâ, ut, quæ mecum commentatus sum, ea sine scripto verbis eisdem reddam, quibus exco-

excogitavi, sæpè cogor sententias conceptas aliis verbis dictitare, nullus verò quamvis celerissimus notarius, id est, qui notis & decurtatis dictionibus sivè (ut uno verbo dicam) βραχυγραφίᾳ utitur, potis est scribendo, me eloquentem & enunciantem assequi, quâ de re ad continuandam interruptam periodum, debeo multoties eandem rem aliis atque aliis verbis, repetere ut vix possim mihi cavere, ne peccē Ταυτολογίᾳ quamvis multa verba fateor addita esse ἐπιτάσεως χάριν, id est, exaggerationis, amplificationis & majoris vehementiæ gratiâ vel, ut ἐμφατικώτερον, id est, expressiùs rem significem & declarem, commentatiunculam itaque hanc serotinam (qualis qualis sit,) cum tuo injussu nunquam lucem aspexisset tibi communico, &, ut tanquam tuam tuearis, commendo, quanquam non ut solus inter privatos, ut dicunt, parietes legas volo, non patiar enim ut publico careat, etsi nullus dubitem, protinùs in eam malevolos obtrectatores violenter ituros, petulanter impetum facturos, caninis dentibus admorsuros, diloricaturos, dicant esse rem frivolam & nullius prorsùs momenti & vix dignam lucubratione ancillarum, mihi cordolio hæc non sunt, quamvis incredibili me ardere desiderio fatear, ut parmâ tuâ & clypeo protectâ & agmine armatorum, (id est, tot auctorum & doctorum, quorum assensus & approbationes sive consensus cum hac nostra sententia in tuo frugifero opere allegas) stipata in forum exeat, hoc enim modo nomen meum aliàs obscurum ex illustrissimis tuis scriptis splendorem accipiens facile à lectoribus gratiam & opellam illam meam favorem & benevolentiam & aliquam laudem inituram spero, quâ de re si velit meus oculissimus hoc opusculum integrum meo nomine publicare, id est, imprimere atque suo eruditissimo operi tanquam mantissam vel coronidem subjungere, erit mihi maximè charum & gratum, quod si non collubet vel ob prolixitatem vel propter sumptum, &c. saltem ut statim suam intentionem mihi liberè adsignificet, etiam atque etiam rogo. Non deerunt certè amici, & typographi, qui suis sumptibus eam operulam in lucem edant, Cœterum Viro clarissimo & humanissimo me omniaque mea obligans, offero, &, ut in dies fama ejus augeatur, & nomen celebretur percupio. Vale scribebam Francofurti ad Mœnum. Mensis Februarii Calendis 1651.

Tuæ clarissimæ Dominationi addictissimus & sequax

Joseph de Medicis Cretensis.
Philos. & Medicinæ Doctor.

Utrum in peste, & morbis mali moris pestis naturam sapientibus, apparentibus jam bubonibus, vel parotidibus, carbunculis, vel morbillis, purpura, maculis, exanthematibus, vibicibus, variolis, morbillis, & aliis cujuscunque generis cutaneis excretionibus vel abscessionibus venæ cubiti sectio conveniat, necne?

Onus quod mihi à Viro Clarissimo imponitur, certè me valdè opprimit meisque humeris impar est. Saxum enim hoc grande & ponderosum olim ab alta rupe præruptum, ab athletis volutatum, & in Gymnasium importatum πολλάκις, à magnis Magistris & fabris ferrariis tentatum, excussum, exagitatum, incudi impositum, ingentibus malleis malleatum & contusum, adeò durum pertinaxque semper perstitit, ut ne minimum quidem confringi perpessum, sit. Equidem humani ingenii hac in re pertinacia vel pervicacia non parvam facit mirationem, ubi enim doctores desinunt in una Academia hac cruce cruciari, ibi mox in alia schola incipiunt, in eâdem exerceri τῶν ἰατρῶν παῖδες, & quasi initiari, nec desunt hodierno etiam tempore ποντοπόλεμοι, in Gymnasiis & passim militantes, qui acriter de eodem argumento disputant, concertant & digladiantur, ut cum jam litem decisam & controversiam judicatam existimas, denuò ab otiosis & litigiosis hominibus ad δικαστήριον revocetur, & velut è cæmiteriis resurgens suscitetur; Patrocinia utriusque opinionis certè plurima & rationum momenta maxima sunt, & sanè in arenam descendere & digladiatores telis philosophicis dimicantes spectare, haud injucundum est, quis enim hîc horror est? quid pavitas? ἄλογον verò, imò παράλογον, & temerarium esse existimo per procellosum mare velificare, præsertim cùm nescias, si fortassis æstu & fluctibus agitatus ab incepto cogaris itinere abstinere, ad quam partem sine naufragii periculo appelles.

Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis Obsidet

Sed quoniam amico exobsecranti aliquid denegare nefas est, imparatus rem aggrediar, & quidquid injuriarum de me tanquam inconsultè loquente & effutiente dictum fuerit, susque deque feram.

Equidem longum auctorum catalogum, & loca, ubi de hac re tractaverint, & rationes, quibus tanquam staminibus unusquisque propriam opinionem sustentat, suffulcit & defensat, in meo PROMPTUARIO MEDICO consarcinavi, quos omnes cum in præsentia haud liceat recensere (reliqui enim opus illud Pragæ cum tota supellectile libraria, ubi domicilium & sedem meam habeo, nunc enim inermis miles & adventitius hîc sum aliàs urbis colonus) aliquorum saltem præcipuorum animo meo occursantium utriusque sententiæ suffragantium & profitentium cum delectu rationum earum, quas mecum, id est, in memoriâ porto, enarrabo.

Quòd autem non modò licet & expedit, sed omninò necessaria sit Venæsectio ante apparitionem purpuræ & exanthematum ut etiam variolarum & morbillorum, id est, statim in principio morbi, præsentibus indicantibus & absentibus prohibentibus, nemo inficiatur, hæc enim communis sententia est, nec debet lancibus libræ ponderari, quoniam vulgus etiam applaudit, quod non ita facilè approbant in pestis principio, de hac enim gravissimi viri valdè dubitant, & oppidò controversantur.

Cæterùm

Cæterùm in omni peste & pestilenti morbo sectionem venæ convenire, colligitur ex omnium priscorum & principum Medicorum monumentis Hippocratis, Galeni Aëtii, Pauli, Avenzoar, Rhasis, Avicennæ, Celsi; nec non ex scriptis & documentis Neotericorum Ἰατρονικητῶν videlicet Mercurialis, Massariæ, Mercati, Minadoi, Amerini, Coyttari, Peredæ, Capræ, Zacuti, Riverii, Fonsecæ in supplemento febrium Joachimi & plurimorum aliorum.

Non licere verò & esse opus temerarium & præcipitosum, exclamat insignissimus Fracastorius, detestatur Avicenna Gallicus, execratur Salius Diversus, horret Palmarius, valdè formidat Neucrantz. Paræus & alii plurimi, quibus hæsitat tota Turcia & Græcia, & universa vetularum cohors, & passim excors & vesanum vulgus, sanè nullibi vidi homines, qui Venæsectionem non vereantur tanquam, piaculum & religiosè ab illa non caveant sibi in peste tanquam mortifero medicamento.

Primum & præcipuum argumentum negantium hoc est. Tota pestis essentia, & idea consistit in quâdam maleficâ & venenosâ qualitate (pestis enim est corruptio humorum & conversio in venenum) quæ qualitas cum nobis nota non sit, nec quibus mediis machinetur ad vitæ perditionem, possit excogitari, necessariò etiam ejus contrarium nobis ignotum erit, contrariorum enim eadem scientia est, sed ut nos latet medium, quo pestis vincit & superat calorem naturalem, sic etiam latet medium quo vincitur, omnis enim actio fit inter contraria, & passio omnis à contrario est, quo igitur instrumento vel medio ipsam vincemus & expugnabimus? Si enim vis ejus posita esset in plethora ejus contrario, id est, sanguinis missione & diminutione utique posset superari & annihilari, si in cacochymia purgatione humorum noxiorum educi & eliminari, si in situ & uligine, id est, in succida vel sordida & extrema quadam humiditate & putrilagine universæ massæ sanguineæ, validâ exsiccatione, expressione, & exsuctione corrigi & emendari, si in aliâ ex quatuor primis qualitatibus contrariâ alteratione castigari, ut etiam si in aliquâ ex secundis, V. G. in meatuum obstructione, reseratione & pororum apertione & sic de aliis discurrendo verè remedium nullum reperitur. Hinc manifestè apparet in nulla re nobis cognita pestem fundari, videmus sanè aliquando pestem grassari in homines habentes humores insontes, puros, & laudatos, citraque ullum ad morbum apparatum, citra plethoram, citra sanguinis illuviem, optimum temperamentum nactos, citra ullam à medio declinationem regulæ instar Polycleti, rectitudinem servantes, &, ut semel dicam, prorsùs inculpatæ sanitatis, qui tamen vel aëris vel alterius rei pestilentis contactu vel incursu, extemplò à lue pestiferâ invaduntur, & absque ulla resistentia corripiuntur, ita ut necessum sit confiteri actionem pestis esse ab occultâ qualitate, sive, ut dicunt Scholastici, à tota substantia & proinde unicam præsentaneam medicinam esse, ut profliges illam per medicamenta operantia proprietate substantiæ, id est, per sola specifica alexipharmaca, quæ plurimis experientiis fuêre comprobata non per venæsectionem & purgationem & similia solis dialecticis rationibus excogitata.

Secundò sic arguunt, sæpissimè contingint in abditis & penetralibus corporis partibus, id est, cavernis & latebris virus latere vel extra venas stabulari, quod sodes venam aperire, & tamdiu evacuando procedere, donec tota virulentia educatur, totam etiam mediusfidius insontium humorum mineram exhauries, & fortassis nihil de veneno elicies, sed certo certius alterum duorum absurdorum perpetrabis, vel enim unà cum sanguine animulam etiam evocabis, & miro compendio coges ægrum vitam transilire sive transnatare, vel potius attracta ad venas quæ latitabat & stagnabat extra illas in aliquâ cloacâ, spurcitie, penarium totius corporis conspurcabis, & tetra virulentia universam massam sanguinis inquinabis & contaminabis, & ex maligna intermittenti malignam continuam imprudenter comparabis; multis observationibus regula hæc comprobata est à summis viris medicinam factitantibus, si sanguis peste infecto missus purissimus fuerit, periclitari vitâ ægrotantem: Significat enim virus in venis cordi vicinis delitescere, quod Venæsectione educi non potest, non potis ergo est Venæsectio, pestem è corpore exturbare.

Tertiò. Præcipuum indicans Phlebotomiæ, est virium robur, quod maximè in peste infectis desideratur, nec in illa herclè ut in aliis morbis, communibus signis, pulsui scilicet & urinæ & facultatum animalium robori fidendum est, ut ausis Venam secare; Nemini enim ignotum est, pestem in principio γαληνῶς admodùm suas res agere, hospitaliter, pacatè, & tranquillè cum infecto convivari, interimque vafrè & fraudulenter in corporis intima insinuari doloséque vires aucupari, venatur & captatur infœlix patiens ab illa amentis & incautæ aviculæ instar, quæ, cùm insidiosè reti capta sit, haud animadvertit se esse irretitam, quandoquidem non prohibetur illi huc & illuc transcurrere & breviter obambulare, donec experiatur, an habeat pristinam libertatem ad libitum avolandi & latiùs egrediendi & exspatiandi, non putat se verè ægrotare peste infectus; nec tu aliter existimas, cave, ne aureos montes pollicearis, facultates omnes illæsas habet, bonum pulsum, laudabilem urinam, nullum dolorem capitis, nullam lassitudinem vel virium languorem, neque Symptoma aliud præter naturam, benè discurrit & deambulat, citraque ullam molestiam quiescit & obdormit, &, ut universè dicam, nihil omninò novi oculis apparet neque repræsentatur, præter maculam aliquam in manu, quam joculanter amicis ostendens interrogat, an ex illa aliquid mali possit evenire, vel pauca exanthemata in pectore aut parvam pustulam in crure (ut mihi contigit videre ante biennium in peste Pragensi) atqui postridie, vel post aliquot horas, si ad illum accesseris, ἐσχάτως ἔχει.

exantlatis enim spiritibus ἄψυχον, id est, exanimatum, & solùm æquivocè hominem summâ cum admiratione & horrore aspicies, atque intremiscens & deterritus statim retrocedes, non debemus igitur per sanguinis diminutionem vires subtrahendo, ministros & satellites pestis fieri, mortemque celerare; Calor enim ille, quo pestis utitur, non quantitativè majoris flammæ instar, quæ extinguit & suffocat minorem, pabulum ejus depopulando, operatur, sed qualitativè, id est, per nobis ignotam, occultam & veneficam qualitatem calorem nativum inficiendo, & in suam naturam convertendo, id est, in truculentum hostem, & præsentaneum Venenum Vitæ humanæ ἐχθρότατον, ita enim reddit illum sibi coadjutorem, consortem & commilitonem ad hominem, id est, seipsum expeditiùs perimendum.

Quartò per Venæ apertionem & sanguinis diminutionem venæ exinaniuntur, quæ (ne detur Vacuum) debent, reimpleri, ad quarū repletionem necessariò debent confluere humores ab universa corporis mole, itaque de industria attrahes venenum è partibus extimis ignobilioribus ad intimas nobiliores conspurcando, & contaminando, omnia viscera, quo nihil in artis operibus absurdius, vetus ille Hippocrates divinus Vates *proclamat.6. sectione. Aphor.25.* Erysipelas foris intro converti malum, intùs verò foras existere bonum, & sanè experientia prædicto dictato adstipulatur, ut etiam, lippis & tonsoribus notum sit. Repellentia in Erysipelate haud convenire, ut etiam quæ revellent sive per purgans sive per Venæsectionem, timendus enim retrocessus materiæ à circumferentia ad centrum; quod autem per Venæsectionem, necessariò sanguis ab extimis ad intima revelletur, & Galenus ipse asserit, *lib.4. de sanitat.* tuenda & sensui manifestum est; quandoquidem phlebotomati omnes pallidi, vel lividi, luridi & decolores apparent, cùm antea haberent faciem rubore suffusam, & genas purpureas, & pulchrè coloratas, quod utique non ob aliam causam fit, quàm ob recessum sanguinis ab illis & recursum ad intima corporis, & certè stultum est cum vitæ discrimine in peste venam aperire, si possumus per aliam Viam indicationi diminuendi sanguinem satisfacere, tutissimè enim minuitur per cucurbitularū applicationem & crurum scarificationem, quæ administratio antiquitati (ut Galenus narrat) fuit familiarissima & hodierno etiam tempore in Hispania & Lusitania valde usitata & domestica est.

Quintò in phlebotomiæ administratione adhibentur motus violenti, frictiones & ligaturæ, quæ alliciunt sanguinem non solùm è venis sed ab universo etiam corpore & partibus extimis & cutaneis, timendumque est, ne Virus longè à corde existens, & quodammodo dormitans & quiescens tanquam canis rabidus à somno excitetur & lacessitus irritetur, & statim cum impetu in humores irruat, in spiritus furat, imò in cor ipsum sævissimè ferociat & bacchetur, quod experientia confirmat, si enim venenatus phlebotometur, haud longulè post morietur, nam Vires statim concidunt & facies & oculi vitore suffunduntur, & sudore frigido superveniente mox animam efflat, *Galenus etiam 13. Methodi. cap.6.* Ubi de dolore ab ictu veneni tractat, expresè prohibet repellentia, quod etiam ejus simia Paulus in bubone pestifero *lib.4. cap. 22.* detestatur, nec vidimus aut legimus probatum authorem vel medicum peritum, qui proposuerit Venæsectionem toxico infectis vel ictis ab animalibus venenosis; sed pestis verè veneni species est. Ergò potiùs omni ingenio coërcendum & cohibendum est venenum, ne suo loco moveatur; Ignis in loco, ubi ardet, extinguendus est & suffocandus, nulloque modo excitandus & exturbandus, volo dicere, non per Venæsectionem & per purgantia contra pestem oppugnandum, sed Cardiacis & alexipharmacis illi resistendum & contra standum.

Sextò in peste & pestilentibus morbis sola Arabum schola sanguinis missionem excogitavit, existimant enim, sed perperam, pestis essentiam consistere & fundari in summa quadam & sordida putredine & proinde contineri sub genere putridarum, nam magis & minus non mutat speciem & ob id, ut aliæ putridæ, per venæsectionem debere curari, & qui ex Neotericis opinionem hanc verè erroneam defendunt, omnes Avicennæ pedissequi & barbarorum asseclæ sunt & toto cœlo à veritate aberrant, ex diametro enim illis Græci omnes medicinæ parentes opponuntur. Hippocrates enim nunquam in peste Venæsectionem administravit, quod vero ejus mentionem fecerit in morbis epidemicis & Galenus ipsus (*ut 14. Methodi cap. 10. legitur*) docet Carbunculos tunc in tota Asia grassantes per copiosam sanguinis missionem debere curari, nihil ad rem est, epidemicos enim morbos illos fuisse fatemur, sed nullam pestem sapientes, aliàs Galenus sibi ipsi contrarius esset, nam ἀυτὸς ἔφα, esse damnosam multis in locis phlebotomiam præsertim in libro adversùs Julianum, ibique luculenter loquitur, & detestatur, Venæsectionem, ubi sanguis in virulentam naturam mutatus fuerit, hoc autem præcipuè contigit in peste; Et in libro de succis bonis & vitiosis cap. primo temerarios vocat medicos illos, qui tempore pestis phlebotomabant, quod etiam viri gravissimi probatum habere testantur, quoties enim in peste vel medici jussu & præceptione, vel spontaneâ expulsione ubertim & copiosè sanguis evacuatus fuerit, perniciosum & funestum exitum ægroto fuisse observârunt, & tanquam monitum salutiferum perpetuâ memoriâ custodiendum, abstinentiam à sanguine pestis tempore posteris tradiderunt & commendarunt.

Septimò, ubi vel abscessus vel maculæ vel alia quæcunque excretio ad cutem fit, utique μετάθεσις illa motu naturæ expellentis & stimulo ejus fit, & sanè benè operatur detrudendo noxia ab intimis & transmittendo prorsùs in utilia ad extima, medicus verò est naturæ (quoties benè operatur) imitator & promotor, nullos igitur debes (si juxta artis præcepta operari) humores ad intima revocare, & ab ambitu ad centrum avertere, hoc enim est, ordinem naturæ invertere & auxiliarem motum cohibere, & naturam, ne ulteriùs pergat, aliàs benè

benè & salutariter operantem dementer & damnosè coërcere.

Memorabilis aphorismus est *lib. 6. sent.* 37. Angina correpto si tumor apparuerit in collo, bonum, foris enim morbus existit (melius enim est tumorem ad cervicem verti relictis interioribus) & *lib. p. Aphor.* 21. dicebat senex quæ ducere oportet quo maximè vergere videbuntur, ducito viis ac locis utiliter eò ferentibus, quod ἀξίωμα ædepol columen totius partis operatricis est, quo tanquam fundamento Medicus sustentatus, intrepidè & audacter debet naturam promovere, quotiescunque tardè & incompletè aliquid boni molitur vel criticè sed imperfectè movetur, aliterne fiat recidiva, id est, ne denuò in eundem morbum: à quo æger evaserat, relabatur, timendum est, sed nullo modo juvabit, vel promovebit, si per aliam viam velit supplere defectum, cum potiùs illam impediat & retineat.

Contingit prætereà sæpissimè in pestilentibus naturam expellere totaliter virulentiam extra venas, quod facilè unicuique innotescit, nam præter copiosam apparitionem peticularum vel variolarum, &c. (quod est signum evidentissimum, naturam esse exoneratam maxima parte veneni) febris etiã & inquietudo, & dolor & omnia symptomata remissa admodum vel ferè nulla sunt, ita ut nulli dubium sit, crisim fuisse perfectam, & omnibus numeris absolutam, equidem videmus multoties maculas & variolas erumpere cum tolerantia patientis, id est, εὐπέκτως & citra ullam molestiam, ac si nullus ægrotaret; Ad quid igitur properandum ad venæsectionem? morbus enim, qui medico repræsentatur, adhuc in principio vel in augmento est & fortassis sola natura incæptum opus absolvet & totum negotium transfiget & perficiet, nec cessabit ab expellendo noxio, donec universam colluviem & spurcitiem ad cutim transportaverit, & suo munere perfuncta fuerit, quâ de re prudenter consulebat Hippocrates *lib. 1. Aphor.* 20. quæ judicantur, &c. ea nos non debere ullo modo movere, sed sinere oportet, id est, committi debere negotium soli naturæ.

Ob prædictas & alias hujus tenoris rationes adeò invaluit & increbruit consuetudo affigendi cucurbitulas dorso & clunibus post exanthematum & variolarum apparitionem, ut si quis consuleret vel admandaret vulgo, sanguinis è vera missionem cachinnis & sibilis si non execrationib. & sannis vel etiam fustibus exciperetur, sed non desunt etiam viri famigerabiles, qui hoc vetent & perhorrescant. Fonseca *in Consil. tom.* 2. asserit se habere experientia comprobatum apparentibus petechiis esse sectionem venæ post quartum diem perniciosum, quod chymici etiam observant & prohibent post tertium vel quartum diem. Idemque ibidem narrat, se ex vera relatione habuisse, Chinenses, penes quos peticulæ sunt frequentissimæ, absque ulla sanguinis minutione sola cutis per herbam quandam illis notam adustione (quæ nostris ventosis cum magna flamma applicatis æquivalet) illas feliciſſimè curare.

Sed contrariæ opinionis assertores contendunt sine ulla distinctione, tùm antè tum post apparitionem peticularum & variolarum & cujuscunque cutaneæ excretionis, id est, non solùm in principio, sed etiam in morborum progressu pestilentium & malignorum si nulla sanguinis missio, vel non sufficiens celebratio in principio facta fuerit, posse in præsentia fieri, & debere, nisi aliud prohibeat; Hippocrates enim secavit venam cubiti in Anaxione (ut ipse narrat 3. *Epidem sectione* 3.) octavo à decubitu die, fuit verò morbus, quo afficiebatur verè pestilens, ut etiam cæteri omnes morbi, qui in libris epidemiorum recensentur, quod nemo (nisi vir contumax & nulli rationi obediens) inficiabitur, fuêre nempè acutissimi quarto vel quinto die judicati per abscessus, & apostemata, pustulas, exanthemata membrorum sphacelationes, & Corruptiones, quæ symptomata adeò sæva, tetrica, trucia & horribilia, nisi in pestilentia nullus dum observavit.

Prætereà Hippocrates narrat ibi, quòd multi moriebantur: ibidemque Galenus dicit, si epidemico morbo contingat, ut multos tollat, pestis est. Blaterant ergò dicentes epidemicos fuisse sed non pestilentes. Galenus eò loci hæc notatu digna scribit: In hoc solo (inquit) ægrorum, & in primo & tertio libro sectionis venæ meminit Hippocrates, non quod soli secta fuit vena, sed quod octavo die, medicis etiam ut lege aliqua post quartum diem venam secantibus, ubi itaque huic secta fuit vena octavo die multos certè alios sectionis venæ egentes existimare oportet circa secundum & tertium & quartum diem auxilio usos fuisse, prætermisit autem Hippocrates, ut alia auxilia omnia, satis enim fuit scripsisse, nihil ipsos ab oblatis adjutos, neque enim proposuit scribere curationem morborum sed prognosticũ, in nonnullis autem neque ab initio videtur ægris adfuisse. Prætereà Gal. ipsus *lib. 14. method. cap.* 10. docet curare carbunculos tunc temporis cum peste apparentes copiosissima sanguinis missione, nec ullum ex claris & celebribus medicis vidimus, qui cautione vel distinctione utatur, si venæsectio fiat in principio vel in progressu morbi: Galenum & Hippocratem jam vidimus docentemque in pronuper allegato loco. 3. *epidem.* omni die etiam post octo dies debere nihilominùs phlebotomiam administrari, si in principio non fuit facta vel non celebrata. Averroës 3. *Collect. c.* 12. graviter peccare dicit illos, qui elapso principio & post septimum diem venæsectionem neutiquam convenire autumant, non enim ad dierum numerum sed ad vires attendi debet in morbis, ut Galenus docet 9. *Method. c.* 5. Et alibi. Avenzoar quoque 3. Theizir laborantem peste cum maligno apostemate phlebotomavit & curavit; Rhasis etiam *lib. 8. ad Almanforem c. pr. Paulus lib. 5. cap. 2. do. Mercurialis lib. 1. de morbis venenosis. cap.* 21, 22. Mercatus & alii plurimi magni & celebres viri hoc apprimè laudant medicamentum & major pars medicorum sine suspicione phlebotomant in peticulis post apparitionem. Helideus de Padoanis apud Schenkium *lib.* 4. Pandectarum sic scriptum reliquit; petechiæ quamprimùm apparere incipiunt, sanguis copiosè mittatur

tatur è jecoraria vel communi, post completam apparitionem, venæsectio minimè convenit, quia periculum ne ad principalia (membra) repant à circumferentia ad centrum & nativum calorem suffocent; Volui autem hujus auctoris sententiam de verbo ad verbum huc exscribere, & illum ex tot viris majoris famæ eligi, quoniam in prædicto libello docere profitetur, praxim usitatam in tota Italia, & verè si præceptum illud sano modo intelligatur, nostræ opinioni non adversatur, non enim vetat venæsectionem post apparitionem, nisi quando præcessit perfecta crisis & affatim per peticulas fuit virus expulsum, juxta præceptum *Hipp. primo lib. Aphor. 20. quæ judicata sunt integrè non debent ullo modo moveri, &c.* quod etiam praxis Italica sequens, dicit post completam apparitionem non phlebotomandum, si verò non integrè sed incompletè natura judicavit, ars debet ejus defectum supplere venæsectione, quod Hippocr. alibi expresse docet, *aliàs reliquiæ noxiorum humorum novum morbum intentant, ut Hipp.* pronuntiavit, quæ relinquuntur in morbis recidivas efficere consueverunt, quid quæso volebat bonus senex nobis innuere, nisi dicas nobis insinuare naturæ semiperfectum opus perficiendum & strenuè venæsectione & purgatione prohibendam recidivam, ne fas igitur sit, praxi Italicæ Hippocrati, contradicere, neque timendum ne ob agitationem factam per Venæsectionem venenum commoveatur, & ad cor rectà deferatur, potiùs enim sanguini immiscetur, & cum illo raptim ac fatim effluente educitur & evacuatur, neque verendum, ne virus ad intra retrocedat ut postea abundè enodabimus rem hanc ac demonstrabimus. Sed Principem prius audiamus. Is primâ quarti *tract.* 4. *c.* 10. post sermonem de peste, agens de variolis tanquam morbis pestilentialibus sic infit: *Oportet in variolis, ut incipiatur & extrahatur sanguis sufficienter cum conditiones fuerint* (vult dicere, si virtus & ætas & similia non contradicunt, copiosè sanguinem mittendum, quia est febris Synocha & fit ob magnam ebullitionem sanguinis, ideo Rhasis 18. continentis vult, ut phlebotometur usque ad syncopem, hoc autem debet fieri tempore ebullitionis, antequam appareant variolæ, quæ frequenter apparent in quarta die) & similiter si morbillus fuerit *cum repletione sanguinis. & spatium illius* (i. e. missionis sanguinis) *est usque ad quartum* (quo usque incipiant apparere variolæ) sed quando procedunt variolæ (sivè in quarto, sivè ante quartum, sive post quartum) non oportet tunc ut administretur phlebotomia, nisi inveniatur vehementia repletionis & dominium materiei, tunc enim phlebotometur, quantitate quæ exsiccet (i. e. minorativa non eradicativa quantitate; V. G. à quatuor usque ad sex uncias, neque propter phlebotomiam timendum materiam converti interius & crisim impediri, cùm venæ in tanta repletione non inaniantur, ita ut trahant materiam intrò ob levem phlebotomiam imò potius alleviata virtus erit potentior ad expellendum residuum) & convenientius *quidem quod in hac administratur ægritudine est phlebotomia:* & quando necessaria est phlebotomia (V. G. in plethora) & non phlebotomatur completè (secundum exigentiam repletionis) timetur superipsam corruptio extremitatis (alicujus membri extrinseci corruptio, nam ob fluxum multæ materiæ ad illud, forte fiet ibi gangræna & similia) & similiter timetur quandoque simile illi (corruptioni) super illum (ægrum) cujus assiduatur extinctio, i. e. infrigidatio extrema, nam cum materia non possit egredi, ob nimiam copiam & crassitiem, cum claudat poros retenta intùs, sub cute corrumpit membrum & extinguit illud & hoc fieri potest etiam in membris intrinsecis & venter solvitur, id est, propter omissionem phlebotomiæ fiet solutio ventris, nam cum materia est plurima vel frigida & crassa & non evacuatur per cutim, si non educatur per canales majores, (id est, ver venæsectionem: per quam & crassi & tenues humores evacuantur affatim, conversa materia interiùs facit fluxum, qui frequenter est mortalis.) Hæc ex Avicenna & doctissimi Arculani commentariis de verbo ad verbum transcribere, minimè gravatus sum, quæ, ut non oscitanter perlegant & diligenter considerent, velim viri curiosi medicinæ studiosi & verè philosophi, quoniam utramque paginam faciunt in hujus quæstionis perscrutatione & determinatione. Luculenter enim docent, etiam post apparitionem pestilentiæ, si fuerit magna plenitudo, phlebotomiam administrandam, aliàs periclitabitur æger. Quòd si aliquis dicat non æquivalere auctoritates validis rationibus partis contrariæ, huic (modo non tergiversando, sed ut vir φιλαλήθης hoc dicat) respondeo, præter auctoritates non deesse etiam plurimas rationes, licet in præsentia non possim hùc eas omnes transferre & allegare ob librorum defectum sed satis fecisse puto, si contrariæ opinionis argumentis sufficientes responsiones afferam, & rationes illorum infringam, & os batuam, & obiter etiam, quamvis perfunctoriè aliquas non contemnendas rationes adducam.

Pro solutione verò illorum septem argumentorum & aliorum ejus farinæ, quædam præmittenda sunt, quæ facilè ab adversariis concedentur, ideò ea axiomata vel postulata voco.

Primum. Cum pestis (ex communi sententia & ex definitione ab adversariis lata) venenum quoddam sit, per doctrinam de venenis cognoscendis & curandis, essentiam & speciem vel ideam ejus perscrutari, & per remedia venenorum curari, assero.

Secundum. Unamquamque pestem vel morbum pestilentem, propriam habere naturam & peculiaria accidentia concomitantia vel inseparabilia, neque ejusdem speciei esse omnes pestilentes morbos, ut etiam plures & diversæ sunt species venenorum.

Tertium. Ut unumquodque venenorum, vel assumptum, vel injectum, vel admotum propria sequuntur accidentia (symptomata supervenientia medici appellant) & proinde peculiaria requirit antidota & alexipharmaca, ita unamquamque pestem habere propria symptomata & proin indigere propriis præsidiis, quod axioma non animadvertentes vulgares ac triobolares

medici

medici eandem herbam λόγου χάριν tormentillam vel scorzoneram, quam quondam aliquis in bello Trojano longè alià peste infectus cum utilitate adhibuerat, tanquam catholicon alexipharmacum, ac si esset theriaca in omni cujuscunque generis, regionis & sæculi peste indiscriminatim omni ætati & sexui approbant, exhibent, & cùm magno vitæ discrimine usurpant.

Quartum. Quemadmodum inter venena quædam sunt prorsus ἀνίκητα, id est, invicta, & ob summam efficaciam vel acrimoniam & operandi celeritatem insuperabilia, sic etiam dari morbos pestiferos adeò sævos & crudeles, ut nullo humano ingenio possint oppugnari, & quod ad venena, certè sunt apud secretorum professores & magnos principes venena quædam basilica adeò strenua & præsentanea, ut solo olfactu vel contactu hominem arripiant, atque sine ulla subjecti præparatione vel παρασκευῆς, volo dicere sine præmissione febris vel inductione putredinis confestim immediatèq; inficiant, ut non aliter quàm qui Jovis ignibus ictus est, infectus extemplò concidat, nam uno ictu feriunt & interficiunt, statim enim à principio contemptis extrinsecis, primaria membra invadunt, cor & cerebrum adoriuntur, ac totum animum percellunt, vires dejiciunt & pessundant, universum proinde corpus non cunctanter elidunt & effringunt, ut antequam medicus accersatur & pharmacum exhibeatur, actum ac conclamatum sit.

Quod etiam in pestibus quibusdam observatur, si quis curiosus & imperterritus velit naturam illarum & motus & mores perscrutari: Loquar ego quod quadraginta annorum spatio diversis temporibus & regionibus didici, & animi attentione & animadversione observavi & notavi; Equidem me vidisse memini pestes binas (alteram in Græcia, alteram in Polonia non procul Cracovia) quæ per contractum monetæ vel metalli ab infecto oblati, hominem sanum nuper mecum ambulantem & confabulantem è vestigio inficiebant, & sex horarum spatio (quod plurimum est) universum vitæ thesaurum præpopulantes conficiebant & perdebant, certè sunt in Ægypto (Bysanthii etiam quando exacerbescunt) pestes adeò præsentaneæ, tantæque perniciei & pernicitatis, ut si accitus non attemperatè illis adsis, vel si tantillum indormias & segnius negotium tractes, rem futuram desperatam, necessum sit; Quædam aliæ sunt ita acutæ & penetrantes, ut quemcunque obvium quamvis magnis antidotis & variis amuletis undique munitum, loricatum, galeatum, cataphractum, petulantes adoriantur & corporis trinam dimensione m metientes, transmeantes, & ad cor usque pervadentes, varia facinora, & diversimodè in eo operantur, vel enim cordis substantiam occupant, & humidum ejus radicali confestim exsugunt & absorbent, ita ut hecticam senectutis homini pronuper virenti & vegeto concilient, & plantæ instar arefactæ siccum, faciem verè Hippocraticam repræsentantem vel Saturni, id est, viri oppidò maturi & annis saturi effigiem reddant: Vel potiùs ad contenta in cordis conclavibus attendentes universam spirituum œconomiam exhaurientes & dissipantes, vitales facultates difflantes, vires proruentes, virtutem prosternentes, adeò enervant & elumbant miserum ægrotantem, ut non multùm, à mortuo differentem relinquant, hominem, omni spiritu exinanitum, macie & squalore confectum, pictum vel ligneum εἴδωλον ad imaginem & similitudinem ficulnei Priapi non immeritò appellaveris.

Deus hinc ego, furum aviumque maxima formido ,,

Has pestes fulmineas indigito cùm reverà fulminis instar contexta exhauriant intactis continentibus, ut illud, id est, fulmen, consumit vinum intacto dolio, quædam verò, omisso corde, aliud membrum non minus nobile, id est, cerebrum, quod tanquam arcis præfectus corpori impendet, & ab illo sensus cuncti & motus dependent, improbè saliunt & impetunt, quod etiam variis modis afficiunt, vel enim substantiam ejus invadunt & quasi cogentes & coagulantes sacrum stuporem & gravem torpedinem & ναρκησιν afferunt ληθάργηον, & somnum profundum ferè inexpugnabilem inducunt, vel etiam prorsus immobilem hominem, catalepticum vel apoplecticum & sideratum efficiunt, ut nulla sit ampliùs medicinæ occasio; Has narcoticas vel opiatas appello, vel potiùs Spiritus in eo contentos animales, scilicet insultant, conturbant & confundunt, ita ut hominem in amentem belluam vel perfurentem bestiam convertant, qualis fuit pestis illa Græciæ, de quâ accuratè Thucydides: *Quandoquidem in illa affecti perpetuo delirabant, sempérq; vigilabant plurimíq; in puteos se præcipitabant; & majori ex parte moriebantur, qui verò revaluerant tanquam nuper nati omni cognitione denudati & privati, nihil ampliùs præteritorum meminisse poterant; deleta enim fuere omnia, quæ comparaverant, phantasmata, & cerebrum eorum redditum fuerat planum exasciatum & dedolatum, tanquam tabula rasa, in qua nihil pictum aut scriptum est, aliquando verò eosdem animales spiritus sufflantes & impellentes & ad motum quendam turbineum cogentes, vel potiùs eos rapientes & in orbem percientes & commoventes, oculorum caliginem & tenebricosam vertiginem afferunt; quam præsens & præpropera mors excipit, has soleo metellicas vocare, quia veræ nucis metellæ veneni accidentia inducunt.*

Quædam verò solum os stomachi vexant & maximè cruciant, protinùs à principio invasionis, ac si cibis permixtæ & cum illis devoratæ ad ventriculum primò pervenerint, & in illo statim armamentarium machinarum & tormentorum constabiliverint, adeò verò sine ulla requie illum fatigant, molestant, & ad nauseam incessunt, rodunt, abradunt, vellicant, lancinant, & quasi aculeis pungunt, ut continuis singultibus & convulsionibus, vomitibus æruginosis & virulentis vel fluxu dysenterico exagitatus mox frigidis supervenientibus sudoribus & crebra invadente γυποθυμία expeditissimè animam expirare, necesse sit. Has Helleborinas vel Antimoniales nuncupo,

nuncupo, quædam verò ita copiosum virus & quasi integram fodinam vel mineram in corpus proseminant & inculcant, ut universam cutim cum subjecto sanguine putrefacientes ærugine inficiant, & lurore non absimili rubetæ faciem fœdent & deforment non sine virulento rancore & intolerabili fœtore & putore, quo etiam ægri brevi suffocantur, has voco Arsenicales.

His & similibus feris ac tetricis beluis pervagantibus, & in omnes indifferenter grassantibus & debacchantibus, aliquid per Venæsectionem vel purgationem moliri nefas sit, Medicus quidem debet ægrotantibus omnifariam auxiliari, sed tamen ubi juvare non potest saltem non nocere, ideò in singulis pestibus amimum ad motum naturæ attendendum, & per quas vias tentet virus, expellere diligenter observandum, & quod non sine emolumento molita est, idem etiam sequendum & imitandum, quod cum damno & pernicie fugiendum, imò & illam taliter operantem, prohibendum & coërcendum, ut in summa dicam, sic syllogizandum est.

Medicus ut artifex debet naturam imitari, quotiescunq; cum juvamine & infirmi beneficio operatur, nullus vero quando pravè & cum detrimento, sed in quibusdam pestibus (ut exercentes praxin observant) si natura tentet sanguinem expellere per hæmorrhagiam vel per aliam viam & strenuè stimulet illum, ita ut affatim & ubertim exeat, tantum abest, ut hilum proficiat, quin potiùs valdè officiat, irrito enim conatu adeò fatigatur & lassatur natura, ut tandem victa morbo, succumbat.

Ergo nullo modo debet medicus in illis morbis Naturam imitari nec de sanguinis missione debet cogitare vel verbum facere.

Præterea in hujusmodi pestibus desunt conditiones requisitæ & indicationes mittendi sanguinis, hoc est virium robur & plenitudo; vires enim, ut in descriptione illarum pestium dictum est, sunt planè dejectæ, malitiosa enim pestis viribus hominem protinus exspoliat & depeculatur, plenitudinis etiam nullum vestigium amplius apparet, sunt enim illi, de quibus hîc agitur, omni humore inaniti, omnibus spiritibus exhausti, exucti & excarnati, & ut semel dicam omni domestica supellectile privati & depauperati, plerumque etiam febre carent, imò frigidi & sicci instar terræ aridi vel congelati & siderati sunt, unde igitur sumitur indicium mittendi sanguinis in morbis monstrosis & chimericis, de quibus vix mentio apud auctores reperitur, & si aliquis descripserit illas, curationem illarum sanè non docuit, de illis enim dictum putamus, maximum aliquando præsidium est, nihil agere, & apposite istis convenit Romani Hippocratis consilium, quod tanquam oraculum memoria custodiendum est, in peste, inquit, *non facilè phlebotomare, non facile ducere alvum.*

Et perpol sæpè ignavia navitati præferenda est in hujusmodi belluinis & ferinis morbis, præstat, inquit Julius Palmarius *tract. de peste. c.23.* prudentem medicum negligentiam Cornelii Celsi, vel Hippocratis imitari; Cautus itaque & circumspectus Medicus propriæ consulens existimationi & honori, quem sibi longo tempore magnis laboribus & studiis comparavit, cautè in talibus morbis timoris plenis procedat, accuratè omnia scrutetur, diligenterque rimetur & inquirat naturam & mores morbi, vires etiam infirmi multum consideret & æquâ lance pensitet & conferat morbo, atque antequam ad aliquid agendum se accingat, exploret pestis naturam & si forsitan talem aliquam, quales à nobis graphicè delineatæ sunt pestes: tantò magis si θηριώδες offenderit, silentium de venæsectione agens, ad alia præsidia festinanter properet, ut fugiat vulgi calumnias, Idiotarum fremitum & incusationes, vetularum vellicatus, cognatorum intonationes, vicinorum querimonias & lamentationes, astantium objurgationes, vespilonum oblocutiones, in summa ne defamet & dehonestet artem, quam profitetur aliàs divinam & honorabilem, in morbis, inquam, atrocibus & truculentis, nulla prorsùs phlebotomiæ mentione facta, alia consulat & admandet, & ne plebi se suspectum reddat, si solo prognostico ægros derelinquat, id est, ne videatur salutis eorum parum satagere, illique hominum vitam nullius curæ esse, magnum belzoarticorum & cardiacorum catalogum illi præscribat & probatis alexipharmacis & apud vulgum familiaribus, id est, domesticis & magis usitatis, ægrotantes confertim conferciat & sæpè recreet verbis & consoletur: Ita mehercle sine odio & querela, sine suspicione & obtrectatione tanquam homo insons, & omni culpa carens feliciter & tranquillè vivet, famam suam tuebitur atque reputationem, quam de illo vulgus concepit, conservabit, & mulieribus præsertim admodùm charus & acceptus omniq; reverentia dignus erit.

Verùm enim verò supradictæ pestes raræ ad modùm sunt, & majori medicorum parti invisæ, aliquibus etiam forsitan inauditæ, & pestis sine febre non ubique obvia tanquam λευκὸς ὄρνις, id est, alba avis est, & si quæ sunt, non solum affectiones præter naturam, sed verè supra naturam sunt, quibus si quis mediis naturalibus putat posse obsisti vel occurri, utique desipit & delirat: quis enim iræ divinæ potis est resistere vel obstare? siquidem hujusmodi morbi insoliti & insolentes verè digitulus vel scuticulæ Dei formidabilis sunt, & veluti flagella & plagæ, quibus mundi rector & provisor generis humani flagitia, nequitiam & iniquitatem punit, castigat & emendat; Incassum igitur de illorum agitur curatione, & de hac re Rex Divina sapientia inflatus pronunciavit, nulla sapientia, nullum Consilium, nulla prudentia contra Dominum. Et de istis etiam pestibus vulgus clamat:

> *Hæc tria pestiferam pellunt adverbia tabem,* "
> *Mox, longè, & tardè, cede, recede, redi.* "

Nàm reverà nulli industriæ, vel cautioni, nullis medicamentis in mala peste fidendum est, sed quamprimum ceperit pullulare, in aliam regionem migrandum est, pleræque verò pestes, quas ego vidi (vidi autem plurimas varias regiones peragrans & intrepidè infectos visens, in Græcia & Turcia, in Ægypto & Palestina, in Tartaria & Valachia,

Valachia, Transylvania, Russia, Polonia, Lithuania, Prussia, Dania, Saxonia, Hollandia, Germania, Bohemia, &c.) comitem febrem habebant & communia cum cæteris putridis febribus accidentia tum concomitantia tum supervenientia ὑβελισικώτερα tamen καὶ δελμώτερα, quæ absque dubio ab iisdem specie causis dependent, sed vehementioribus, intrinsecæ enim causæ tum pestis, tum aliarum febrium putridarum, plenitudo & cacochymia est, sed extrinsecæ; non omnibus eædem, neque communes, quantacunque tamen causa externa sit, non potis est in corpore aliquid operari, nisi nacta fuerit subjectum corruptioni obnoxium & ad putredinem inclinans, plethoricum, difficulter transpirans, cacochymicum symbolum cum peste vel causa illa ab extra agente, habens; Non enim omnia apta sunt fieri ex omnibus, nec ex omni ligno Mercurius fit, sed unaquæque forma requirit propriam materiam certis qualitatibus dispositam, quæ sunt veluti apparatus & causæ præviæ, &, ut dicunt, inchoationes formæ appariturae, aliàs cum ab aëre aliquis afficeretur, omnes cum illo homines, quin imò omnia animalia eodem tempore, eodemque morbo laborare, necessum esset: Cùm verò modò homines, modò sues, modò boves vel equi labe pestifera corripiantur, cæteris speciebus intactis & illæsis omninò debemus asserere, hoc fieri ob variam corporum & naturarum dispositionem, agens enim existimatur esse unicum uniuscujusque pestis & causa quædam communis, ut aër, vel aspectus, & conjunctio planetarum ut Astrologi autumant, ab uno verò & eodem agente semper idem producitur effectus; Qui fit igitur ut unus afficiatur cæteris illæsis, certè nisi dicas, quia magis dispositus sit, vix potest ratio excogitari. Quis ergò inficias ibit, phlebotomiam esse in pestilentibus morbis necessariam, saltem ratione plethoræ & cacochymiæ, est certè morbus magnus, magno ergo indiget præsidio, ut reverà venæsectio est, est summa putredo; plerumq; enim maculæ, purpura, peticulæ, Variolæ, &c. Synochæ putridæ effectus sunt, raro enim ex sola fiunt ebullitione sanguinis, ut contingit in synocha imputri, suntque cum febris consortio, rarissimè enim erumpunt pradictæ & similes illis cutaneæ excretiones sine prævia ex calefactione & alteratione, & vix datur pestilens morbus in febris (ignoscat Cicero) quæ singula ut febris omnis putrida ad venæsectionem hortantur, tanto magis ubi sunt crudelissimi dolores, tumores, carbunculi urentes, bubones, & hujusmodi inflammationes; & exustiones: Quòd verò pestis omnis secum necessario habeat conjunctam & consociatam putredinem, manifestum est, vix enim dari potest tanta humorum corruptio, quin statim putredo consequatur. Putredo enim ex doctrina Philosophi 4. *lib.* Meteororum est extinctio vel corruptio proprii & innati caloris in unoquoq; humido ab alieno calore, id est ambientis, ea enim natura pestis est, ut atrociter omnia destruat & proprium ejus est, nativum calorem suffocare, partium temperiem corrumpere, & substantiam putrefacere, septicum enim est pestis venenum ut plurimum Arsenici, toxici, vel Cantharidum naturam referens, sordidæ verò putredini necessario supervenit febris humoralis cum consortio malignitatis & veneni. Hinc fit, ut aliqui peste infecti sine febre sint, hoc tamen tantùm in principio potest observari, in primo scilicet pestis introitu ante humorum corruptionem, corrupto enim & putrefacto sanguine, continuò Vapores putridi cordi communicantur, è quibus igneus calor in corde accenditur, & proinde per arterias ad totum corpus derivatur, quæ est verè existens jam actu febris, recipit verò intensionem & remissionem prout magis vel minus prohibetur transpiratio, cujus causæ sunt meatuum obstructio & pororum constipatio, quæ fiunt ob humorum copiam & crassitiem, in progressu igitur pestis omnis, non sine Achate est, id est, cum consortio febris, & præcipuè ingravescente morbo & propè mortem, est enim quorundam opinio, neminem mori absq; aliqua febre, & sanè vix potest dari alia via, quâ possit pestis expeditè in corpore hominis ignem accendere & febrem in cor inducere præter putredinem. Pestis enim non operatur per calorem, quem non habet actu, sed solùm virtualiter, quasi dicas à tota substantia modo veneni agit, atqui non omne Venenum calidum est; quotiescunque itaque febris pestem consequitur eo, quo diximus, modo fit: Aliquando verò febrem sequitur pestis, cùm scilicet hostis intestinus est, id est, quando non afficitur homo per contagium nec ab aëre vel alia causa procatarctica extrinseca immediatè affligitur, sed in corpore virus gignitur (ut in terra nascuntur herbæ venenosæ) quamvis degat subdio vel cœlo aliàs salubri & aura inculpata, quod fit ob maximam humorũ & succorum corruptionem & conversionem in Venenum, quod sæpè evenit militib. degentib. in castris, ut febribus primò mox peste afficiantur ob penuriam panis, carnium & obsoniorum ad victum necessariorũ, & præcipuè ob defectum bonarum aquarum, propterea dicitur febris vel pestis castrensis, quamvis in civitate ipsa non absimilis generetur tempore caritatis annonæ, cùm ex frumentis semiputridis situm redolentibus, panis paratur, ut etiam obsessis sæpe hæc accidit, cũ coguntur vesci cibis putridis, butyro & pinguedine rancidis carnibus tetro putore fœtentibus, ut ante annos plus minus quindecim contigit in Hanoviæ obsidione, cujus civitatis incolę ob indigentiam alimentorum primò febribus & scorbuticis passionibus tumore lienis & gingivarum corruptione afficiebantur, à quibus pauci cum difficultate evadebant, & tandem verâ peste eâq; insolenti & fœdâ cum membrorum putrefactione miserè moriebantur, tritum est proverbium ab antiquo omnium sermone celebratum: ὁ λοιμὸς μετὰ τὸν λιμον, quasi dicas, calamitas sequiter calamitatem, certè religio est in istis sanguinem mittere, nec sodes venam secare, sanguinis ulla stilla unquam comparebit, solo enim sitrulento ac putrilaginoso humore venę refertæ sunt, nil aliud sane quàm teterrimum pus in pelvi habebis, non immeritò itaque Galenus *in lib. de cibis bonis & vitiosis* prohibebat Venæsectionem in peste genita ex malis cibis, ex corruptis enim & vitiosis alimentis cùm malus sanguis generetur, deperditum, id est, quod assiduò è corpore effluit & consumitur,

sumitur, non restauratur neq; dissipati spiritus reficiuntur nec vires amissæ recuperantur & proinde necessarium est, ut indies omnia & continentia & contenta & impetum facientia, diminuantur & consumantur, donec homo contabescat & animam efflet. Quid mirum igitur, si Galenus prohibuerit minutionem sanguinis, ubi sola virulentia venæ perscatent, cùm nullæ vires in tali subjecto sint, defectus verò Virium & facultatum imbecillitas sufficiunt præpedire sanguinis missionem, etiamsi mille aliæ causæ hanc indicent, innuant & persuadeant.

Præterea sciendum est, quòd sicuti non semper neq; necessariò sequitur impressio in corpus ab aëre, vel alia causa pestifera, aliàs (ut diximus) continuo simul & eodem tempore omnes homines peste inficerentur, sic etiam ab illa infecti haud uno & eodem modo æqualiter afficiuntur, sed magnam in illis differitatem mihi videor videre, ubi enim pestis nacta fuerit plethoram vel cacochymiam, scilicet Corpus humidulum, uliginosum, succis corruptis plenum, insignes obstructiones, venas infarctas, cutim constipatam, illis tanquam subjecto valdè idoneo, apto & accommodo, libenter adhærescit & arctissimè insidet, & seminarium facit veneni, indeq; ad universum Corpus tela sua intendit, & virus longissimè jaculatur, datis enim (dicunt Physici) dispositionibus ad formam aliquam producendam requisitis, actutùm resultat forma, quod non ita facilè obtinebit, neq;, quod cupit, impetrabit si adoriatur Corpus aridum, strigosum & exsuccum, omninò carens obstructionibus, transpirabile, & rarissimæ texturæ, non enim indiget magna & crebra spiratione, adeoque non multum aëris pestilentis attrahit, ut qui laborat obstructionibus & plenitudine, qui ferè assiduò ob calorem aperto ore hiat, etsi enim pestis suâ efficacia & eminenti virtute possit quemlibet obvium humorem quàmvis insontem & inculpatum corrumpere, inficere & putrefacere, nihilominùs tamen non necessario inducet febrem, quotiescunq; enim corpus ventilatur & nullo modo transpiratio prohibetur, facilè putridæ fuligines per poros exhalantur, nec cordi communicantur, neq; proin sequitur ulla febris, unica enim causa legitima & immediata febris est, probibita transpiratio, ut etiam illis, qui è limine medicinam salutàrunt, notum est.

Unicum igitur singulare & præsens remedium est in omnibus febribus putridis non exceptis pestilentibus & malignis venæ cubiti sectio, per illam enim plethora, id est, copia vasa extendens & differciens, vel vires gravans & suffocans calorem naturalem, expeditè diminuitur inde continuo obstructiones reserantur, cellæ oscitant & fatiscunt, armaria viscerum resignantur, meatus recluduntur, humores ventilantur, igneus calor extinguitur, fervor & ebullitio sanguinis compescitur, dolores Carbunculorum & pustularum, quæ aliquando instar ignis urunt, mitigantur, spiritus repurgantur, refocillantur, recreantur, renovantur, sudores copiosissimi plerumq; erumpunt & universum corpus refrigeratur, quantumquantum enim virulentiæ & colluviei in corpore est, effunditur, & quâ data porta ruit atque affatim extra venas educitur, & cum fluente sanguine ubertim extra corpus eliminatur, ita ut celeriter & citra ullam molestiam & violentiam fodina vel minera putredinis cum omnibus corruptis humoribus radicitùs extirpetur & funditùs totaliter averruncetur, & si aliquid corrupti remanserit, levata natura ab onere quo veluti sarcinâ opprimebatur, quod reliquũ est, faciliùs regit & corrigit, segregandoque purum ab impuro seorsum ponit, & tandem prorsùs inutile per sibi notas & congruentes vias è Corpore propellit & extrudit, cui præsidio nec viribus æquale nec utilitate secundum in tota arte medica potest inveniri. Audi Galenum (11. *Method. c.* 5.) de febribus putridis proloquentem: *Qui sanguinis missionem* (inquit) *neglexêre spurcissimâ putredine & venenosa, quæ nullis unquam remediis cedere voluit, miserè perierunt, quoniam universum corpus Veneni contagio conspurcatum fuit*, notes bene singula verba summi artificis.

Dices, si per solam ventilationem (quæ perbellè haberi potest per obstructionum reserationem & pororum apertionem) cor satis bene potest defendi à vapore virulento (cum enim assiduo per poros tanquam per fenestras apertas exhaletur & exhauriatur, non potest cor impetere & in eo accendere febrem vel aliquam noxam afferre,) ad quid ergo tot alexipharmaca & cor tuentia medicamenta intrinsecùs & extrinsecùs in pestilentibus adhibentur?

Arguis næ optimè nec sine ratione dubitas, gnarè & doctè ratiocinaris & nos concedimus satis esse in simpliciter putridis febribus ad solam pororum apertionem animum intendere, sed hoc solùm in pestilentibus non sufficere nulli dubitamus, contra etenim hostem herculeum magnum & potentem variis machinis belligerantem contra stare debemus pluribus armorum generibus, nec contenti una vel altera defensionis viâ strenuè & sollicitè vigilandum putamus, ne insidiosè nos inopinantes subito opprimat, pestis enim astutus lupus est. Adde hoc, quod non semper compotes simus votorum, nec assequimur quantum desideramus, sunt enim obstructiones aliquando adeò contumaces & rebelles & humores catenati, inculcati, incuneati, ut antequam reserentur & resolvantur, infirmus à veneno suffocetur.

In pestilentibus igitur febribus duplicis generis indicationes nobis præsentantur, quædam enim sunt illis cum cæteris putridis communes, quædam pestilentibus propriæ, & quod ad communes pertinet, nulli dubiũ est quin plethora indicet diminutionem sanguinis & cacochymia purgationem, calor febrilis refrigerationem, materia crassa attenuationem viscida incisionem, lenta detersionem, febrilis calor refrigeratione, acris obtusionem, subtilis incrassationem, &, ut universè dicam, unaquæq; affectio vel intemperies per contraria alterationem. Propriæ verò & peculiares morborum pestilentialiũ indicationes sunt, virium jamjam labascentium confortatio, spirituum deficientium refectio, deperditi humoris radicalis reparatio, carnium consumptarum regeneratio, veneni intùs stabulantis & latitantis exturbatio & exterminatio, huc & illuc per corpus diffluentis & discurrentis, retentio, repressio,

repressio, cohibitio, deligatio, suffocatio, & ut semel dicam omnium symptomatum emendatio & correctio per medicamenta cardiaca alexipharmaca, belzoartica, specifica proprietate vel à tota substantia virus oppugnantia, solis enim communibus & consuetis medicamentis, id est, per manifestas qualitates operantibus vix potest pestis debellari, ut etiam asseverantius asserimus solis ἀλεξικάκοις non esse fidendum, nec totum negotium illis committendum, ut adversarii perperam putant, sunt enim meatus obstructi venæ & canales humoribus crassis infarcti, & obturati, ut quamvis medicamenta sint minutatim incisa, triturata, attenuata, subtilissimarum partium & instar pollinis impalpabilia meteorizata, exaltata vel sublimata & omni Alcumistarum industria magisterio & arte præparatá & acuminata, & in quintam essentiam reducta, nihil possint obstructiones superare & viscera penetrando pervadere, & ad cor usq; permeare, ut opem præsentaneam aut auxilium oportunum & subsidium tempestivum illi ferant.

Quod verò timent, ne ex intermittente fiat continua, desinant timere, hoc enim apud Galenum ridiculum est, quandoquidem ille nos in Therapeutica Methodo docet in omnibus febribus putridis tùm continuis tùm intermittentibus phlebotomiam esse necessariam, quod certè summus Artifex non ita universaliter incautè pronuntiasset, si unquam dubitasset humores extra venas putrescentes attrahi posse ad venas per venæsectionem, sed neq; Fernelius Antesignanus reprobantium venæsectionem in febribus intermittentibus hoc unquam veritus est, sed quoniam pro certo habebat per Venæsectionem nō posse putredinem extra venas contentam evacuari, tanquam inanem & inutilem medicinam eam reprobavit, potiùs ergò à parte nostra est, nobiscumque, quàm cum adversariis sentit, putat enim Venæsectionem non esse tantæ efficaciæ, ut possit humores ab extimis, ubi latitant locis, ad intima transportare & introvocare, ut inde postea per medium fluentis sanguinis extra corpus detrudantur. Galenus verò non ad materiæ extra venas contentæ eradicationem attendens, Venæsectionem commendabat sed ad materiam antecedentem in venis luxuriantem respiciens sedulò diminuendum esse fatim præcipiebat, præcautionis gratia potiùs quam curationis, ne scilicet sanguis & humores in venis ubertim contenti ad forum putredinis vi doloris & caloris attrahantur, & jugem materiam & fomitem febri suppeditent, vel ne eò affatim & undatim confluentes efficiant dolorosum tuber, inflammationem vel erysipelas.

Quod nos & Galeni sectatores tanquam præceptum rationabile observantes sanguinem in pestilentibus mittimus, non quidem solùm ut virulentiam evacuemus, tantò minùs eam quæ ad extima apposité à natura expulsa & ablegata est (quæ sanè nec utile, neq; possibile forsan est, iterum ad venas præposterè revocare, & inde extra corpus eliminare) sed potiùs & præcipuè ut copiam sanguinis & humorum putridorum in venis stagnantium, quibus pestis tanquam idoneo subjecto adhæresit & firmiter insidet, defigitur & plantatur, & ut pabulo vel esca pascitur & adnutritur, excutiamus, diminuamus, & subtrahamus, illamq; lascivientem atq; genio indulgentem defraudemus, hac enim via artificiosè pestem altissimis defixam radicibus, radicitùs extirpamus & detruncamus, tribus modis forma corrumpitur, dicebat Thomas 2. contra gentes. c.79. per actionem contrarii, per defectum suæ causæ, & per Corruptionem sui subjecti, Quod etiam innuere videtur sapiens, ubi dicit:

Deficientibus lignis, ignis extinguitur.

Quemadmodum enim lampas ardens, nisi ellychnia ejus assiduè & indesinenter oleo foveantur, protinùs extinguitur, sic consumpto vel detracto pestis, alimento, eam etiam properè pessum ire, & in nihilum abire, necessum est. Ex quibus dictis planè & plenè satisfactum existimo, primis duobus Adversariorum argumentis & sexto, & jam quibus contra phlebotomiam in pestilentibus, tanquam machinis billicis, arietibus vel testudinibus utentes, fundamenta nostræ opinionis subruere & muros arcis demoliri, machinabantur imo partim omnibus illorum argumentis responsum est, nihilominùs tamen majoris dilucidationis gratia, seorsim ad debellandum reliquorum quatuor illorum argumentorum unumquodque deveniam.

Ad tertium igitur argumentum dicimus, medicum debere esse naturâ prudentem morborum diligentem pensitarorem & virium accuratum examinatorem, & in arte, quam profitetur, apprimè peritum & præcipuè in pestilentibus morbis, in quibus sanè expetitur vir exercitatus veteranus, procul hinc tyrones & novitii: nihil unquam debet insipidè aggredi vel incautè & imprudenter tentare, itaq; nisi satis exploratos morbi mores & ægrotantis vires tùm præsentes tum futuras perpensas vel pensitatas, habeat, nullo modo debet phlebotomiam administrare, ubi verò succosum corpus offertur & notabilis vasorum distensio atq; manifesta plethora cum imminenris suffocationis periculò palam & omnium conspectui apparet, eò magis si aliæ quoq; indicationes concurrunt ad venæsectionem hortandam, veluti tempus anni vernum, aura optimè temperata, ætas florida, complexio sanguinea, homo libenter edens & victu multi nutrimenti utens, &c. Utique absque ulla Calumnia vel increpatione poterit secare venam, atque eandem celebrare, nec si successus sinister & non secundum desiderium & cogitationes nostras fuerit, ne tanquam non rectè factum opus reprehendatur, & medico id mali acceptum fiat, verendum est.

Ad quartum respondeo haud esse necessarium, ut venæ ex phlebotomia exinanitæ subito ne detur vacuum, refarciantur, ut proinde timendum sit, ne cum sanguine à toto ad hoc opus perpetrandum eò fluente, virus etiam quod in latebris quibusdam extra venas latitabat, vel summam cutim occupabat, ad viscera recurrat, atq; ea inquinet, hoc dico nihil necessarium est.

Equidem scio Galenum 4. *de tuenda valetudine c.*10. dicere, per venæsectionem fieri attractionem ad interiora, sed ipsus aliter dicit *eodem libro c.* 4. & experientia

hoc confirmat; Pro conciliatione igitur contradictionis, dicendum est ex sententia doctorum, quòd quoties ultrà necessitatem affatim evacuatur, ut omninò venæ magnæ inaniantur, tunc ex venulis carnium ad illas sanguinem refluere: raro autem contingit hoc, & non fit, nisi quando evacuatur sanguis usq; ad animi deliquium, hoc verò nullo modo laudamus; Etsi Rhasis hoc doceat etiam in peste, quoties verò mediocriter, id est, secundum exigentiam evacuatur allevata natura, expellit ad extra, quod reliquum noxii est, ut *Galenus docet 6. epidem. sect. 2. com. 30. in pustulis Sinonis*; *Et hoc idem Aëtius 2. 4ti. sermone 10. c. 126. ubi docet curare pustulas vel vibices in principio pestis apparentes per sanguinis missionem. Galenus præterea tum 3. epidemiorum 2. in Critone, tum 31. in 31. com. 76. in calvo Larissæ, tum in proœmio 3. epidem.* (qui omnes peste laborabant) laudat venæsectionem. Ruffus etiam, ut refert Oribasius, nec non Aëtius & Paulus hoc approbant, nec timent, ne virus ad viscera trahatur. Existimant isti philosophantes spiritum & sanguinem esse in venis, haud secùs quàm vinum continetur in dolio, quod si exhaustum & inanitum, confestim aëre non reimpletur, ut subitò frangatur necesse est, sed reverà in venis longè aliter res se habet, quamvis enim spiritu, quo Corporis lacunæ semper ubertim perscatent, possint referciri, potiùs tamen recedente sanguine connivent & utris instar subsidendo sese osculantur, & fortassis libentius & tolerantius hoc perpetiuntur & malunt deprimi quàm attolli & impleri, cum plerumq; flatibus & crudis humoribus plus justo distentæ & inflatæ non parvum sentiant dolorem, præterea naturali inimicitia, & antipathia unumquodq; fugit suum hostem, & quod illi nocuum est, tantumq; abest, ut venæ ad se virus attrahant sivè alliciant & amplexentur, quin potiùs levata & exonerata natura ab humorum sarcina, quâ premebatur, alacriter & expeditè contra veneni reliquias pugnat, & promptius noxia propellit, nec ullo modo ab incepto motu detrudendi & eliminandi sibi molesta vacabit, nec quiescet donec ad extremum, munus suum obeat, & perfungatur, quod etiam practici testantur post venæ scilicet sectionem majorem copiam peticularũ erumpere, & si ob humorum crassitiem & ineptitudinem, hoc non possit completè obtinere, ut videlicet totam humorum colluviem & congeriem ad cutim transmittat, tunc per alias sibi notas vias, id est, patentiores ductus & majores tubos & canales natura sagax ducit & reducit, agit, stimulat, cogit, & pungit humores illos, donec foras pellat, atq; extra corpus educat & extrudat, ut Galenus *9. Method. c. 5. & 11. Method. c. 15.* Et si aliter fieri non potest, quin venæ referciantur, potiùs ab aliis corporis partibus sive ex venulis, sivè ex visceribus quamvis materia cruda existat, trahent, quàm à parte venenosa: Adde quod nulli latices ampliùs ibi sunt, quos trahant: sed hoc nunquam timendum est, ut postea dicemus. Modo audias quæso aurea verba commentantis *Aphoris. 25. lib. 6.* ubi dictabat senior, Erysipelas foris introconverti malum, inquit doctissimus Liebautius Hollerii Scholiastes. Cur igitur purgamus sanguinem, mittimus in erysipelate, purgatio stante fluxione non videtur commoda, quod naturæ motum aliò convertat, sanguinis quoque missio à superficie ad intimã corporis materiam trahit, præstat ergò, inquies, sumptis intùs refrigerantibus forisque admotis cucurbitulis cum profunda scarificatione, educere, quod sub cute negotium facessit, quàm supradictis remediis uti, revera revocatio materiæ ab exterioribus ad interiora difficilis & molesta est per medicamenta, sed hæc, quæ instituitur in Erysipelate non tam ad conjunctæ quam ad antecedentis materiæ evacuationem suscipitur, accedit hùc, quod ea retractio humoris non minus bonis ægri rebus fieri hic potest, quàm ea, quæ naturæ ductu fit, exempli gratia cum parotidibus intrò recurrentibus, in quo recursu persæpè omnia symptomata mitiora redduntur, quod nimirùm insignis consequatur vacuatio per alvum & urinas, missio quoq; sanguinis non tam revocat sanguinem ad intima quam refrigerat, &c.

Sed viderint nostri ἀνταγωνισαὶ si necessario concurrere debet novus sanguis ad locum, à quo sanguis subtractus est per venæsectionem, ad quid igitur in internis inflammationibus, verbi gratiâ, in pleuritide sanguinem mittimus & tantum donec appareat coloris mutatio, ut *Hippocr. docet 2. de ratione victus in morbis acutis*, tex. 10. quid inde, inquam, emolumenti, si necessariò debet tantundem vel fortassis etiam plus aliunde ad locum affectum concurrere? verum enim vero imbecillis ingenii est rationem præponere sensui & dubium futurum nocumentum præsenti certo & evidenti juvamini, siquidem propriis oculis videmus in venæsectione fluentem sanguinem secum trahere & educere inflammationem continuoque dolores mitigari, punctiones vel extensiones protinùs remitti, suffocationem minui vel totaliter cessare, tuberositatem & tumorem deprimi, inflationem & eminentiam detumescere, incrementum & fermentationem pessum ire, deturgescere, conflacescere, & subsidere, quæ meherclè non fierent, si novi humores ad locum unde sanguis subtractus est, confluerent. Pallor verò & luror qui aliquibus post phlebotomiam contingit, non semper ob retrocessum sanguinis ad intima fit, nisique fiat maxima effusio & ad animi deliquium, vel phlebomatus insignem pauperiem sanguinis & extremam extenuationem & siccitatem habeat, nullus livor accidit, verùm enim verò plerumque hoc evenit ob solum metum & imaginationem, videmus sæpè aliquos adeò affici sola phlebotomiæ cogitatione & plus quàm terrore mortis horrescere, ut antequam vena illis pertundatur, statim inter brachii deligationem non solum pallescant; sed etiam animo deliquant & in syncopem cadant, nam ut pudorem rubor; sic terrorem pallor & tremor consequitur.

Præterea (dicant quidquid velint Podalirius & Machaon, Æsculapius etiam & Apollo) asserere virus jam ad cutem transmissum, ut in pustulis, maculis, variolis, bubonibus & parotidibus, scabie, tinea & cæteris cutaneis excretionibus, iterùm ad intro retrocedere, apud me idem est ac dicere, cum mammæ detumescunt & flacescunt fieri ob retrocessum lactis perfecti & completè dealbati

dealbati ab illis ad uterum. Sic audivi medicum annosum & incanum insipidè loquendo asserentem imò constanter & severè affirmantem hac de causa crura laborantium καχεξίᾳ vel ὑποσάρκᾳ detumescere noctu cum in lecto jacentes pedes habent elevatos, quia humores ad ea demissi rursus ad superiora, unde præcipites dantur, ascendunt atque in viscera insinuantur: Quæ sanè falsa & absurda sunt, vel enim proprio, & naturali motu ob levitatem ascendunt petentes superiora, & hoc est impossibile, quî enim perantea deorsum præcipitati sunt, cùm hoc non possit fieri absque gravitate, erit igitur unum & idem corpus grave & lève, vel ab aliquo membro violenter sursum attrahuntur; Cùm autem stultorum sit propter nullum finem operari, & natura sapientissima sit, & humores illi nullius frugi sunt & nutritioni omninò inutiles, vix potest pars aliqua corporis excogitari, quos illos cupiens ad se alliciat & attrahat, & opus stultum & ineptum committat. Nullo igitur modo posse illos iterùm in viscera intrudi & inculcari vel intro revocari credas vel pronuncies, ut ille ἐσχατόγηρως, id est, decrepitus senex & bis puer, vel τυμβογέρων, id est, capularis, brevi perpetim dormiturus, insulsè & ineptè effutiens opinabatur, sed priores illos humores discuti dicas: (si tanti est calor naturalis, ut possit hoc facere) quod etiam fit in mammis quoties novus sanguinis ad illas ab utero non suppeditatur, & quoties corpus humiditatibus perscatet, alios noviter post resurrectionem & deambulationem ad crura tanquam partes totius corporis decliviores, iterùm descendere & præcipitari, constanter defendas. *Galenus 5. sect. Aphorism. 53. dicit:* Si dolor fiat in utero, sanguis, qui ante ad mammas ferebatur, refluit ad uterum & ita mammæ diminutiores fiunt: vult dicere, quando uterus dolore, inflammatione vel erysipelate aut quocunque gravi morbo alio laborat, tunc ab universo corpore nedum mammis sanguinem & spiritus confluere ad illum, veluti illi laboranti suppetias laturos. Lac verò nullum ampliùs emolumentum ad uterum afferre, si ad illum recurreret, nisi caseum ibi dicas ad uteri nutritionem parari, certum est.

Non igitur verendum est, ne per sanguinis missionem virus jam è visceribus, eructatum & ad cutem relegatum, iterùm ad intima revocetur, nisi enim violenter, id est, per ἀποκρουστικὰ introrsum intrudatur & repercutiendo illud reflectatur, vix dari potest aliquod membrum in corpore, quod hoc facinus operetur, ut scilicet attrahat humorem non modò nutritioni prorsus inutilem sed etiam valdè noxium & deleterion, ac sordidi canis instar ad vomitum proprium redeuntis, quod ex totius corporis consilio & decreto facultas expultrix repudiavit, & longissimè à se rejecit, attractrix perduellis & rebellis civis instar iterum intromittens imò introvocans cum delectatione alliciat ad se & amplexetur. Equidem non ignoro, quid Galenus 4. de tuenda valetudine prope finem scriptum reliquit, ibi enim de curatione spontaneæ lassitudinis loquens sic dicit: *Quoniam igitur in hac, quæ veluti phlegmone fatigat, lassitudine, vis calidi sanguinis congesta in corporis mole est, vena autem sectio succos è vasis emittit, utile est post priorem detractionem tantisper intermittere, donec aliquid eorum, qui in corpore sunt humores, remigret ad venas.* Quod tamen quoniam committendum non est, ut in iis maneat, utpotè ex dimidio corruptum, sed potiùs plurimum ejus expellatur: idcircò detractionem sanguinis etiam secundo die iteramus: aliquando verò & tertio, ubi videlicet & revellere, & ex aliis in alia transferre visum est conducere: ex quibus manifestè apparet, fieri posse revocationem sanguinis ab extimis ad intima, quamvis sanguis ille qui revocatur, inutilis sit. Verùm enim vero sanguis ille non fuit è venis exclusus & adhuc cum bono sanguine mixtus in capillaribus venis continetur, & quamvis corruptioni oppidò proximus sit, nondum tamen totaliter à natura sanguinis descivit, & nomen sanguinis non demeruit, sanguis verò in cutem extrusus, eamque in tumorem elevans vel in pus abierit, vel in lapidosam substantiam conversus sit jam ab universa venarum regione ablegatus, impossibile est, ut in venas ampliùs revocetur, vel ut ullo medio castigetur, & in bonum succum convertatur, quamvis enim asseras in cute etiam concoctionem fieri, non audes tamen dicere venas humorem illum sugere & eo ali, neque hoc fit etiam in maximâ necessitate (dicant quidquid velint medici applicantes emplastra ad cor ex pulpa caponis & similibus nutrientibus) nec Galenus aliud sentit, dicit enim sanguis ex dimidio corruptus, non planè corruptus & quantumvis esset totaliter corruptus, non videtur omnino impossibile, neque à ratione alienum in maxima venarum majorum inanitione è parvis venis ad illas regredi, non ut nutriatur ex illo corpus, se ut venæ referciantur, ubi verò extra venas excidit & tuber causavit, vel pustulas crustas, id est, ἐσχάρας scabiem & similia tunc crassus & concretus humor forma sanguinis prorsus exutus & privatus, cum potiùs terrestre quid quam latex sit, ut iterùm à venis carnium sugatur & intromittatur, impossibile est. Sanctum ratum ergò sit, virus expulsum, nunquam in corpus revocari. Sed hoc meherelè valde timendum & non absque ratione dubitandum est, ne humor, qui non in facto sed in fieri, ut Scholastici dicunt, est, id est, non qui jam fluxus est, sed fluens & fluxurus retineatur, id est, motus ille valde utilis quo noxium ad extra depellebatur & intima ab omni spurcitie & sorditie repurgabantur & sanguis fæcibus examurcabatur, magno cum damno cohibeatur, & alio revellatur atque distrahatur, fortassis enim natura illud virus excutiens, in aliquod membrorum primarium impetum faciet, cum præsentanea ruina & ægri perditione. Sed vesanum vulgus, & plerique ex illis, qui verè nihil seriò, sed, ut dicunt, per transennam res aspiciunt & perfunctoriè omnia agunt, & mediusfidius solo nomine medici sunt, autumant, & mordicùs defendunt, eandem materiam ad cutem vel ad aliquod extremum membrum ablegatam, eam, inquam, ipsissimam ad intima retrocedere, id est, refluere & revocari, ob id tanquam funestum signum & malum omen, id est, indeclinabilem prænuntians calamitatem & ruinam habent, subitam evanescentiam pericularum,

cularum, variolarum, bubonum, &c. raptum enim esse ad cor venenum opinantur, quâ de re nullum non movent lapidem, ut denuò ad locum affectum virus alliciant, existimantesque seminarium totius morbi fuisse illum bubonem vel maculas, totum animum intendunt, solùm ad illa extrinseca, adhibentesque frequentes cucurbitulas, frictiones, scarificationes, cauteria, attrahentia, omni conatu & ingenio tentant virus retrogressum iterum ad extra abducere & avocare.

Sed revera præter eam, quam autumnant suspicionem, ob alias causas delitescentia prædictarum excretionum, formidolosa est. *Hippocrates 5. sect. Aphor. 66. inquit: Si magnus & pravis vulneribus tumor non appareat, ingens malum:* cujus rei ratio, ut Doctores docent, triplex est, à tribus enim causis potest hoc fieri, & omnes perniciosum exitum minantur, vel enim hoc evenit ob raptum humoris ad aliam partem & diversionem ad membrum intrinsecum, quod semper nobilius qualecunque sit, ipsa cute est tantò magis si fiat μεταβολὴ ad cor vel cerebrum, vel contingit ob expultricis debilitatem & significat omnimodam virium jacturam & ruinam, esseque virtutem adeò dejectam & facultates omnes prostratas, ut nulla ampliùs supersit spes humores noxios expellendi, & proin necessariò debere naturam ab incepto motu cessare, & coactam cedere morbo, vel denique ob materiæ morbificæ copiam, crassitiem & inobedientiam fit, quæ cum haud possit per illam, quam natura tentavit, viam expelli ut æger ab illa suffocatus, mortem oppetat, necesse fit: nisi vel naturæ stimulo (mutato consilio, vel medici industria & auxilio per alios ductus & patentiores canales educatur. Hæ sunt causæ propter quas existimamus esse signum ultimæ perniciei si ex improviso excretiones cutaneæ & χαρακτῆρες pestis evanescant ac prorsus deleantur. Ex quibus colligitur tantum humores tenues & quantitate exiguos posse per cutim evacuari, copiosos verò & crassos per venæsectionem & purgationem (præmissâ, si opus fuerit, præparatione) elici & educi: & proinde 21. *Aphorismus primi libri Hippocr.*: ubi docetur Medicus in educendo educenda, motum naturæ & viam & locum semper sequi debere per loca conferentia ducendo, cum limitatione intelligendus est, quando scil. commodè possunt humores educi per illam viam, per quam tentat natura expellere, aliàs expedit per alios ductus extra corpus illos avocare, quod præceptum magnifaciendum & in morbis cutaneis præsertim malignis curandis. Narrat doctissimus *Riverius tract. de febre pestilenti pag. mihi* 145. *Omnes parotidas supervenientes febribus epidemicis Monspeliensibus* Anno 1623. fuisse funestas, atque ingenuè fatetur, se nullo ingenio sequendo motum naturæ validis attrahentibus adhibitis super locum, nec non intrinsecùs alexipharmacis potuisse unquam ullum à morte liberare. Cum verò post multorum extinctionem cœpisset solicitè animum ad causam tantæ perditionis intendere & summa inquisitione penitiora speculari, tandem visum illi esse hoc fieri ob diminutam & imperfectam virulentiæ excretionem, locus enim ille juxta aures non satis capax erat totam materiam morbificam excipiendi, quæ interiùs retenta opprimebat ægrotantem, ac proinde opus à natura inchoatum solummodo evacuationibus suppleri posse, videlicet venæsectione & purgatione, judicavit, cum etiam Galenus de compositione medicam. secundum loca lib. 3. cap. de parotidibus in earum curatione phlebotomiam præscribat: Cœpit itaque primò in mercatore quodam periculum facere parum sanguinis mittendo cùm esset valdè debilis: posteà cum evidenter appareret pulsus elevatio, & virium recreatio, eodem die audenter phlebotomiam majori sanguinis effusione repetiit, & sequenti die benignum pharmacum exhibuit, quibus præsidiis medicus ille solers & industrius non solum prædictum graviter afflictum, sed omnes postea eodem tempore ἀνέλπιςως laborantes, felicissimè curavit atque à morte vindicavit.

Dices, quâ igitur ratione ducti Medici & præcipuè Germani statim in morbi principio existente humorum crassitie & cruditate, exhibent potiones sudorificas & sanè cum manifesto juvamine & allevatione ægrotantium? Respondeo, scopum illorum esse solum ichorem sanguinis, in quo tanquam præcipuo subjecto putredo fundatur, exhaurire, cum enim ichor ille omnibus in venis etiam capillaribus unà cum sanguine, cui ob penetrationis necessitatem immixtus & tanquam ductor & comes inseparabilis est, stagnet, expeditissimè certè sudorificis ob ejus tenuitatem exprimitur & per cutis poros extra corpus transcolatur. Sed non credas, solis sudorificis confidentes, totum desidentes diem, illos bonos artifices ab omni medicamento abstinere, sed interim etiam aliis mediis videlicet alteratione vel humorum præparatione & purgatione, & quod præcipuum est sanguinis minutione & reliquis necessariis ad totalem humorum peccantium eradicationem in horas pugnare.

Sectio verò venæ non modo ubi plethora vasa distendens vel vires opprimens necessaria est, sed etiam ubi adest cacochymia sine repletione, ut Galenus docet 8. *Methodi cap.* 4. nisi vitiosus (inquit) succus penitus transpiret, ut putrefiat necesse est, ergò ut transpiret, majore jam auxilio opus est, ubi robur ergo non deest, secanda vena est, etiamsi plenitudinis signa non adsint. Audivisti verba magni Magistri, quibus nobis adsignificat, venæsectionem esse medicamentum verè Catholicum, id est, πολύχρηςον, & ad omnes morbos utile & salutare, quod idem multis aliis in locis repetit, præsertim *in com. Aphor. 17. lib. 2.* ubi dicebat; *evacuatio omnium humorum æqualiter, quæ quidem exquisita est, fit per venæsectionem: proxima autem huic est malleolorum scarificatio, ut nos facere consuevimus:* sed nostris temporibus pauci sunt, qui profundas & latas admittant scarificationes & ita exoletæ sunt, ut Rodericus de Castro in libello suo de peste Hamburgensi necessariū esse putaverit, modum scarificandi docere, Hispani soli & Turcæ, illis adhuc utuntur, reliquæ nationes ab illis abhorrent.

Apud

Apud quosdam cucurbitularum applicatio, tanquam flagellatio contemnitur & ludificatur. Equidem ex hoc levi medicamento periculum non parvum vitæ vidimus, ex vehementi enim cucurbitulæ attractione caro aliquando (præcipuè si in partibus carnosis affixæ sint) adeò coarctatur, ut prohibito spirituum ad illam aditu, emoriatur & pars tota cum vicinia gangrænam & spacelum subeat. Quapropter dicimus nullum præsidium æquivalere venæsectioni ex cubito, adeò validum efficaxque est, ut illud solum possit materiam omnis generis ubicunque latentem ac stabulantem attrahere & foras eruere, & quamvis sit in abditis & penetralibus corporis tenaciter adhærens evellere & averruncare. Toxico verò infectis & venenum adhuc in ventriculo vel in prima corporis regione habentibus, cum citiùs & tutius per vomitoria per purgantia & clysteres possit extra corpus extrudi & avocari, stultum & ineptum est per vias longas & tortuosas, ut venæsectio est, extirpationem ejus tentare. Qua de re Dioscorides, qui accuratè lib. 6. de curatione ab hausto veneno agit, nihil meminit sectionis venæ, neque etiam *Paulus lib. 5. cap.* 28. vel *Aëtius sermon.* 13. *cap.* 45. cùm verò venenum jam in venas penetravit, jubet Avicenna phlebotomate & Paulus idem persuadet *lib.* 5. *cap.* 2. at in peste rarò certè seminarium veneni in ventriculo (& tunc continui vomitus) vel in intestinis (& sequuntur fluxus dysenteriæ) ut plurimùm verò invenis unà cum sanguine commixtum stabulatur, quemadmodum verò in hausto veneno ineptè sanguis mittitur, sic etiam præposterum & perversum in morsis & ictis ab animalibus vel sagittis venenosis, phlebotomia est, potiùs enim attrahentibus & valdè virus exugentibus utendum est: Venenum enim illud ob acumen introrsùm tendit & instar subulæ vel terebræ, pungendo perforat & penetrat, donec totum corpus pervadat, cùm verò ex communi medicorum notione contraria contrariis curentur, extrorsùm illud attrahendum est per medicamenta *μετασυγκριτικά*: hac enim via tutius & longè faciliùs evocatur & evacuatur & per venæsectionem potius intruditur & intromittitur in corpus, eò enim tendit venenum per se, quò trahitur per venæsectionem, & duplici causa ad viscera allicitur, quod timendum non est in venenis excretis à natura à centro ad circumferentiam, cum motus illorum tendat ad extra & venæsectio ad intra, nec potis est unus motus contra alium contrarium motum, id est, intro illud venenum revocare, ut satis dictum est.

Ad quintum argumentum respondemus, ridiculum esse vereri, ne per venæsectionem noxii humores & virulenti succi, qui quodammodo quiescentes silebant, agitentur & spiritibus vitalibus commixti rectà ad cor ferantur, apertis enim venarum valvis, sanguis summa pernicitate torrentis instar fluens, vel aquæ ab alta rupe præcipitantis prærupté descendens, secum omnia rapit, & proin Spiritus infectos & contaminatos abducit & abigit, atque humores conspurcatos & coinquinatos abradit & educit, cujus motum cæteri humores imitantes admirabili continuatione & necessaria consequentia à toto confluunt, unde tubi omnes resignantur & majores canales reserantur, cataractæ viscerum aperiuntur, pori & meatus fatiscunt & hiatant, inde hepar, quod antea ebulliendo ob sanguinis fervorem inæstuabat, defervescit & refrigescit, cerebrum etiam, quod quasi fluctuabat & tripudiabat, malaciffat, pacatur & placatur, cor quod totum tremebundum & perturbatum undabat atque palpitabat, quiescit & tranquillat, vitales spiritus difflantur, purificantur & refocillantur, animales recreantur, consolantur, cutis ardor mitescit, ariditas & squalor humescit, asperitas & durities lævigatur & mollescit, tumor omnis, elatio & inflatio decrescit & deturgescit, dolores mitigantur, vigiliæ sopiuntur, fumi & vapores reprimuntur & discutiuntur, metus, mœstitia, tristitia &c. animi accidentia excutiuntur, &, ut universum dicam, totum corpus renovatur, & in alium longè meliorem statum confestim transmutatur & mirum in modum transformatur. Ubi itaque magno auxilio & præsentaneo opus est, venæsectio in cubito audenter administranda est: Cucurbitularum verò applicatio leve præsidium & potius revulsorium, quàm evacuans medicamentum est. Ideòque tanquam non inutiles post phlebotomiæ celebrationem adhibendæ, ut etiam hirudines & sectio venarum inferiorum. Fortassis verò in pueris & in illis, qui leviter infirmantur, ut etiam in insigniter debilibus & delicatulis, vel qui ex morbo longo valdè debilitati sunt, in senibus etiam & exuccis & breviter hecticæ dispositis, qui pauca indigent sanguinis minutione, etiam à principio cucurbitulæ scarificatæ vicariæ venæsectionis sunt.

Quoad septimum argumentum (sexto enim jam satis responsum est) quamvis ex prædictis abundè satisfactum putamus, nihilominùs tamen hæc auctarii vel additamenti gratia addimus & dicimus, nos libenter concedere & fateri, quotiescunque adventanti medico prima invisione apparuerit, copia peticularum exanthematum, variolarum &c. nulla cum febre vel valdè remissa atque absque aliis molestiis & accidentibus infestantibus, nihil illi innovandum, quandoquidem natura sola fuit sufficiens illius morbi medicatrix, & si frustra velit medicus aliquid addere hoc esse actum agere, excretiones enim illæ expertes omnis malignitatis sunt, ita ut non solùm non inter pestilentes, sed neque inter putridos morbos numerentur, reverà enim nullius putredinis participes sunt & ex sola sanguinis ebullitione gignuntur, soloque nomine morbi sunt, ideòetiam *ἐξανθήματα* quasi dicas sanguinis efflorescentiæ dicuntur, Sanè sæpissimè videmus maculosa pectora, & dorsa vibicibus insignita cum remisso admodum calore & sine ulla medici ope (neque enim remedium postulant) spontaneo sudore curantur, In Persia ut audivimus deambulantibus sine ullo febris consortio variolæ & morbilli erumpunt. Non dissimiles fortassis sunt peticulæ in regno Chinæ, ideòque ut Fonseca dicit, nulla indigent sanguinis minutione, sed

ſed ſufficit illas blande prolicere ad cutim perfrictiones, vel per aduſtionem cum illa herba illis nota. Sæpè verò peticulæ in Aſia, Africa, & Europa, ut etiam in America ſigna malignarum & peſtilentium febrium ſunt. Quid dicam de variolis, morbis ut plurimum epidemialibus, quæ aliquando adeò ſævæ, & malignæ ſunt, ut inſtar veræ & legitimæ trucis peſtis in omnem ætatem & ſexum graſſentur & ferociant cum multorum jactura & perditione, ut contigit anno 1614. O annum perniciabilem! ô variolas deteſtabiles! Autumni tempore Alexandriam, Cretam & vicinas civitates Græciæ cum ineffabili mortalitate invaſerunt, ſubſequenti hyeme Turciam, Calabriam &c. incipiente vere Dalmatiam, Venetias, Italiam, mox Galliam, Belgium, Angliam, Germaniam, Poloniam, fortaſſis & etiam Moſcoviam, in ſumma nulli parcentes regioni, unius anni curriculo totam Europam ſeriatim viſitârunt, atque enormiter depopulârunt. Quâ de re non ſolùm ad morbi ideam, ſed etiam ad ejus magnitudinem & motum & mores & præcipuè ad accidentia attendendum eſt, quæ, ut diximus, unicuique peſtilenti morbo propria & peculiaria ſunt, nec certis regulis determinari, vel canonibus & univerſalibus theorematibus horum malignorum curatio tradi poteſt, ſed tota res ex ſolius curantis medici judicio & prudentia dependet, qui non ſolum peſtis differentias ſpecificas, ſed ægrotantis etiam, quem præ manibus habet, proprias, id eſt, individuales & propriiſſimas perpendens, quid unicuique infirmo conveniat, decernet & diſponet, equidem unum quodque individuum propriam requirit curationem, non enim curamus hominem, ſed hunc & illum, Socratem & Platonem, neque omnes eodem καλοποδίῳ calceandi ſunt, nunquam enim duos ita ſimiles inter ſe ætate, temperamento &c. invenies citra minimum diſcrimen, ut ovum ovo. At medicus bene cautus ſit, & oppido circumſpectus in curandis peſtilentibus morbis & ægritudinibus mali nominis & moris, ſunt enim νόσοι σφαλεραὶ, id eſt, fallaces, doloſæ & fraudulentæ, & quæ facilè in cautis hominibus imponunt, quandoque exiſtimas rem eſſe in tuto & navem jam in portu, ecce ex improviſo ventorum vi potius in mari magnis jactatus procellis quam in terra, te eſſe animadvertes, æſtus enim te procul à terra derepente abripuit & in fluctuanti ſalo magno cum vitæ periculo repoſuit. Sic mehercle fit in his improbis morbis, ut, quando putes jam illos declinare, nova exoriatur ſymptomata, eaq; ſæva & crudelia; non immeritò itaque appellantur morbi aſtuti & maligni. Hei mihi quoties malitioſæ variolæ me fefellerunt? cum enim putarentur filioli jam ab illis evaſiſſe ab inſipidis & ineptis mulieribus quaſi morbum contemnentibus & eludentibus, pleniùs intempeſtivè nutricabantur, ſed improbæ variolæ recrudeſcentes & de novo exardeſcentes, ferociter tenellos adoriebantur, eosq; igneo & inextinguibili calore uſtulantes vel potiùs inaſſantes conficiebant ac perimebant. Et ſanè edacitas in affectis variolis ut plurimum ſignum ærumnoſum eſt, ideò nihil illi tanquam principio declinationis & melioritatis fidendum, eſt, quod luculentiſſimè nos docet divinus ſenex *Aphor. XV. ſect. 2. ſic inquiens: Ubi fauces ægrotant aut puſtularum eruptiones exoriuntur in corpore, excrementa ſpectare oportet, quippè ſi bilioſa fuerint, corpus unà ægrotat, ſi ſanorum ſimilia, tutò corpus alere poteris:* Quod monitum certè magni faciendum eſt, per puſtulas verò intelligit Hippocrates tubercula, abſceſſus, exanthemata, variolas, morbillos & omnes tumores ac cutis affectiones ſive fiant à judicatione, ſive ſine judicatione; Natura enim, cum vitioſos humores neque per vomitum, neque per urinas, neque per alvi excrementa poteſt evacuare, ad cutim propellit, ubi cum reſtitant propter craſſitiem, fiunt tubercula & abſceſſus, cum igitur natura totum malum foras expulerit, Corpus ſanum eſt & ut ſanum nutriendum, ſi verò non totaliter fuerit materia morbifica expulsâ nullo modo nutriendum neque fidendum apparenti melioritati & remiſſioni febris & ſymptomatum. Id verò innoteſcit ex inſpectione urinæ & fœcum, ſi enim bilioſæ vel alterius mali coloris fuerint, ſignum eſt adhuc in corpore remanere humores vitioſos, & corpus eſſe impurum, quod juxta ſenis præceptum quantò plus nutries, tantò magis lædes, cave igitur, ne mulieribus arridens ad pleniorem victum properes & ægri vires augere putans inſubidè multis cibis infercias, ovis, carnibus, vino, ſufficit enim, illum ſorbitionibus, juſculis alteratis, emulſionibus ad conſervandam virtutem, adnutrire, interim tamen ſtrenuè pugnes contra morbi cauſam, atque omni conatu cures, ut reliquum putredinis & cachocymiæ per varias vias ut per venæſectionem, cucurbitularum applicationem & ſcarificationem, levem purgationem, perſudorifica & alexipharmaca totaliter è corpore educas & extrudas.

Præterea non ſemper criticæ ſunt cutaneæ excretiones, & præſertim quæ primis ſtatim diebus fiunt, ſed ſymptomaticæ, nec bona & laudabilis criſis poteſt fieri, ni præcedat humorum concoctio, etſi quando fit, haud longulè recidiva abeſt. Audi Galenum, is enim *in com. 22. Aphor. ſect.* 4. (Ubi dicit Hippocrates morbis quibusdam incipientibus atrabilis ſuprà vel infra ſi exiverit, pernitioſum) ſic loquitur: *Cum morbus aliquis incipit, ſi quid excernitur, id tunc ratione & lege naturæ non excernitur, ſed omnia ſunt eorum, quæ præter naturam ſunt in corpore affectionum ſymptomata, quamdiu enim à cauſis morbum facientibus natura gravatur, atq; humorum adeſt cruditas, tunc ut aliquid rectè evacuetur, fieri omninò non poſt. Hæc Galenus.* Quâ de re etiam poſt apparitionem exanthematum docent viri graviſſimi fieri debere phlebotomiam, vide Liebautium Hollerii Scholiaſtem *Aphoris. XV. lib. 2.* Verùm enim verò adeò brevia contracta & conjuncta ſunt morborum malignorum atque peſtilentialium tempora, ut quod putas eſſe principium, potiùs ſit augmentum vel ſtatus morbi, & niſi medicus acris ingenii vir, ſolers & accuratus ſit, vix poſſit horum acutiſſimorum morborum tempora exactè ac præcisè obſervare eaque definire & determinare. Quando verò certè ſcitur principium morbi, fortaſſis etiam

etiam nostri Adversarii non timent venam secare, quamvis jam exanthemata vel variolæ appareant.

Ratum itaque & sanctum sit (consideratis considerandis in unoquoque Individuo) si vires constent & alia requisita adsint, sitque febris magna, putredo & cacochymia, quamvis ad apparentiam plethora non sit, vel è contra si sit plethora absq; insigni cacochymia, quamvis jam eruptæ sint pustulæ, maculæ & apparuerint exanthemata vel peticulæ, variolæ, morbilli, anthraces vel carbunculi, bubones, parotides, & in summa cujuscunque generis abscessus si medico curanti visum fuerit non satis fuisse corpus per illas excretiones expurgatum, neque omni spurcitie vel sorditie & colluvie putridorum humorum sanguinem mundificatum, & expiatum, id est, non ex toto fuisse naturam allevatam & deoneratam, sed multum adhuc saburræ & malorum humorum congeriem intus remanere non modò licere, sed omninò debere & legibus artis obligari (si velit juxta medicinæ præcepta operari & nomen dogmatici haberi) phlebotomiam administrare, eamq; celebrare, totiesque repetere, replicare & inculcare, donec indicationi mittendi sanguinem fuerit planè satisfactum, nullus pol numeris phlebotomationum determinat sufficientiam diminutionis sanguinis, quamvis enim millies aliquis phlebotomatus fuerit, quam diu eadem indicatio permanet, & necessitas diminuendi sanguinis perseverat, utique absq; conscientiæ scrupulo sanguis mittendus est, contemnendique sunt medici tresses, meticulosi, qui Galenum nunquam perlegerunt, ideò reiterationes phlebotomiæ horrent & execrantur, & cum illis vulgus vilius alga, & amens plebs vel capitones solius Paracelsi mancipia defensantes custodiam sanguinis & abstinentiam à Venæsectione in pestilentibus morbis, purpurâ & variolis &c. explodendi & exibilandi: quandoquidem & validissimis rationibus demonstrata est venæsectionis in his morbis necessitas & utilitas, & principum Medicorum omnium Græcorum, Arabum, Latinorum & præcipuè Galeni auctoritate confirmata, cujus summi viri vestigia dogmatici omnes sequuntur, & doctrinam rationales profitentur, & in publicis scholis γνωμολογήματα interpretantur & declarant, & sententias ejus tanquam oracula admirantur & venerantur, non modo enim Christianorum gens omnium nationum politissima & sapientissima, sed Arabum etiam familia non solum omnia ejus completa opera, sed etiam fragmenta reverenter osculantur & in sinu gestant & amplexantur. Si quis itaque Medicinam exercens adeò exigui, id est, pusilli & abjecti animi fuerit, qui ob timiditatem, vel ignaviam, socordiam & negligentiam, quasi nullus seriò agens, vel de industria non agens & præparato præsidium hoc sanè nobilissimum præsentaneæ utilitatis, & præcipuè in hujusmodi morbis maximè salutare, omiserit vel contempserit, nullo modo impunem, inultum, & incastigatum dimittendum putamus, negligendo videlicet illum utpote dignum potiùs subsanatione tanquam virum incuriosum, omissum, vecordem, bardum, inaudacem & tanquam inertem, id est, errantem ex artis, quam profitetur, ignorantia, sed tanquam peccantem ex malitia, hominem infrunitum, obstinatum, scientiarum, & sapientiorum contemptorem, mortalium inescatorem, parum de illorum vita & salute curantem, severè condemnandum, graviter increpandum, aspere objurgandum & detractandum, opprobriis & contumeliis coram populo diffamandum, aut universè dicam nomen ejus ex medicorum albo expungendum & delendum, sancimus & decernimus.

Ex me quæris (inquit Plautus) quid deliquerit? quoniam verò præmittere ea, quæ præteriri non debent, peccare est, delinquere pro peccare ponitur.

Unicam historiolam placet hùc afferre, quod mihi ipsi evenit ὑπομνήματος χάριν breviter narrare. Anno 1629. Amstelreodami (ubi aliquot annos publica stipe altus vitam transegi) pestis grassabatur, primo quidem solos in pauperes & egenos lacte & caseo victitantes, sed postea autumni tempore enormiter ferociebat, & plebem & patritios indifferenter invadebat sævissimeque depopulabatur, adeò ut singulis diebus trecenti vel quadringenti deficerent; Nemo mihi nec aliis phlebotomiam consulentibus annuebat (erant verò tunc temporis ibi magni nominis Medici ex natione Lusitana, præsertim Zacutus vir eruditione insignissimus & multâ experientiâ clarus) sic miserè multa hominum millia peribant, sunt enim Belgæ omnes naturâ αἱμοφόβοι, id est, sanguinem mittendi timidi tantò magis tempore pestis, in quo ipsi suæ gentis Medici phlebotomiam detestabantur, aliquibus sanguis è naribus ubertim fluens plurimum conferebat, ut etiam bubones erumpentes in emunctoriis copiosam saniem eructantes, absque periculo infirmos esse, declarabant: Plurimis in gutture fiebant inflammationes, quibus neque vanarum sub lingua sectio, neque gargarizationes vel cataplasmata ullum emolumentum afferebant, ante enim Maturationem strangulabantur. Ego verò cum eâdem lue me viderem graviter oppressum atque improba anguina ferè enecatum, quod mihi fuit verè novum & inopinabile, cum nunquam peste fuerim infectus, etsi audenter eâdem lue correptos semper visitaverim, sed incolumen me conservaverim, tertio vel quarto die (tentaveram enim prius multa media & præsidia an possem à tanto malo liberari) jussi venam medianam dextri cubiti mihi secari & sanguinis sesquilibram mitti, à qua cum nihil detrimenti, vel virium languorem percepissem, (quamvis neque etiam morbi remissionem) sequenti die tantundem ex altero brachio exhauriri imperitavi, quo solo præsidio, Deo non abnuente, totam virulentiam è corpore emisi, & breviter me à tetrica peste expedivi, atque hostem jugulum petentem, plumbeo (ut dicunt) gladio jugulavi, quod salutare medicamentum plurimi postea adhibentes atq; mea vestigia sequentes, scilicet sanguinis missionem celebrantes, verè è mortis faucibus erepti & vindicati sunt.

Illud indoleo introductas esse in artem Apollineam quasdam enuntiationes, quas multi existimant esse verè effata

effata & axiomata, id est, primæ certitudinis propositiones, & communes animi notiones, cum revera sina mera animi pathemata & vulgi falsæ opiniones, & imaginationes, & mehercle non multum è Religionum Superstitonibus alienæ, ex quarum numero hæc etiam enuntiatio est.

Non phlebotomare post apparitionem peticularum & variolarum.

Quæ quidem propositio à tyronibus in arte Medica tanquam oraculum colitur, eademque cantilenæ instar à vulgo canitur, adeoque fixa in mulierum animo atque alta mente repôsta est, ut impossibile existimem posse unquam deleri & liturari, sed ut cum illis consenescat & commoriatur, necesse est, vetus verbum est:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu ——

Sunt enim quædam ingenia cæcigena, quæ nunquam de coloribus sine errore syllogizabunt, adeoque contumacia, dura & immalleabilia, ut quamvis super incudem cudas & tundas, nullus unquam tantillum emollies vel attenuabis & in laminas extendes, in summâ, verba mortius facies. O homines inauritos, indociles, inductiles, nullis suavibus verbis suadere, nullis rationibus quantumvis validis poteris unquam in illorum animos inducere veritatem. Equidem quotiescunque naturam universam contemplor, & animantium specis mente verso & pertracto, toties magna me subit hominum miseratio, quod cum eorum corpora à morbis possint quadantenùs curari, animorum nulla medicina sit.

Rogo benignum lectorem, ut malè tornata incudi reddat, cùm ob occupationes non liceat opus revisere, & cùm hæc scriberem raptus contemplationibus altioribus & profundioribus aquis submersus animus erat, contemplabar enim tunc temporis causas æstus marini apposite sanè dicerem,

In aliud mea mens grande vacabat opus.

Quod brevi magna curiosissimarum rerum catervâ comitatum philosophis exponam in lucem: Interim specimen hoc meæ medicæ mercis non ostentans sed ostendens exhibeo dicoque, cum sciam vili hæc venum ire, ideò multa à me laboriosè scripta nunquã voluisse publicare: nihil enim hodierno tempore præter fumum Chimicum alicujus existimationis est, si tamen aliquem his delectari intellexero, forsitan ea multis communia brevi faciam.

FINIS lib. I. DE FEBRIBUS.

LIBER SECVNDVS,

De

MORBIS CAPITIS.

OBSERVATIO I.

Vulnus capitis cum contusione cranii lethale.

Nobilissimus juvenis, Eberhard à Fresen, Eques Bremensis, ætatis circiter 23. annorum, temperamento corporis calidus & humidus 27. Iulii Anno 1618. nocturno tempore in tumultu publico, qui inter studiosos quosdam, & nocturnos vigiles excitatus erat, lædebatur, ita ut vulnus appareret in regione bregmatis sinistri, usque ad os ipsum, quod transversim rimam conspicuam exhibebat, propè quam de substantia cerebri portiuncula nucis avellanæ minoris quantitate eximebatur: in alterâ parte versus posteriora contusio aderat, osse bregmatis dextro versus interiora compresso. Mox à vulnere & contusione, forte simul & semel à diversis adversariis factis, vomitus, ingens hæmorrhagia ἀναισθησία, *& sopor præter naturam adfuerunt; 28. Iulii sopor hic continuabatur, ubi dextri lateris convulsivi motus interdum, sinistri verò lateris totalis paralysis observabatur. Deligato vulnere, sensus aliquis per clamorem apparebat, subinde rursus ingruente somno, quâ ratione 29. & 30. Iulij ferè in eodem statu permansit. At 31. Iulij, paulò vegetior à somno, adstantibus manus obtulit, & signa intellectionis exhibuit, nondum auditu & linguâ operante. Hic clystere adhibito, propter obstructiones à tempore læsionis hucusque persistentes, alvum laxam reddidimus, unde 1. Aug. loquela primùm, absq; tamen auditu, quodammodo sequebatur, sed non sine gravibus convulsionibus Epilepticis interpolatis. At 2. Aug. tàm intellectus, quàm sermonis & auditus operationes exactiores erant, pulsu febrili, quam ob causam mutationem intra 24. hor. prædixi lethalem, quâ ratione sequenti 3. Aug. ante meridiem recurrentibus iterum animalis facultatis læsionibus vitam cum morte mutavit.*

RESOLVTIO.

Ut nulla capitis vulnera sunt negligenda, *secundum Hippocratem*, sic illa maximè cum cautione tractanda, quæ cum cranii læsione & contusione fiunt, quale præsens casus exhibet, inprimis *eo tempore*, ubi aliâ vulnera capitis.

Vulnera capitis suspecta.

Tempus & constitutio laborantis perpendenda.

capitis periculosiora sunt, quam hyeme; *in corpore quoque calido humido*, quod ad symptomata graviora, propter dispositionem ad putredinem, præ cæteris habilius est, vulnus hoc per se consideratum lethale pronunciari non potuisset, propterea quòd rima cranii sub vulnere sese ostentans, unà cum vulnere crucem transversim constitueret, adeoque non à vulnere, sed potius à gravi & lethali contusione lateris alterius suam originem haberet. Mox à læsione adfuit *Vomitus*, propter consensum, quem nervi stomachici sextæ conjugationis inter ventriculum & cerebrum constituunt, isque *biliosus*, facile mobili humore excrementitio præ cæteris expulso; *ingens hæmorrhagia*, confertim sanguine propter cerebri concussionem, disruptis vasis, effluente; *ἀναισθησία, obmutescentia*, propter cerebri læsionem spirituum animalium motu impedito, calore quasi versus principium suum revocato, quâ de causâ *sopor quoque præter naturam*, excrementitiis ichoribus subortis adjuvantibus, originem suam habere potuit. His symptomatibus ab initio mox apparentibus non difficulter colligere licuit, *læsionem hanc capitis esse lethalem*, inprimis cum aliquid substantiæ cerebri per rimâ cranii sub vulnere expressum deprehenderetur: ubi enim subitò vomitus vel delirium supervenit, meningum compressio & incisio colligitur, juxta *Fallop. de vulner. capite trigesimo secundo*, maximè si dolor loci, scotomia, vertigo, narium stillicidium, inprimisque læsio animalis facultatis adsit, juxta *Argelatum l. 2. Tractat. 7. c. 2.* cum talia non nisi magnum ictum consequi soleant, à quo etiam cerebri substantia & membranæ læsionem sensêre; quod *Passurus habet de caus. mor. in vuln. c. 30.*

Quomodo Vomitus oriatur in vulnere capitis? Cur biliosus.

Prognosis.

In desperatis etiam interdum aliquid tentandũ.

Quanquam verò lethalis hæc læsio pronunciaretur, nihilominus solo prognostico ægrum relinquendum esse non duximus, cum sæpius etiam Dei singularis providentiâ in desperatis casibus appareat; quemadmodum exempla Practicorum rara idipsum testantur, inprimis huc pertinet observatio, quam *Fabricius in centur. 4. Num. 4.* proponit, ubi sexagenarium, cui bregma sinistrum cum cranii fractura & depressione percussum, restitutum esse scribit. Detersis igitur sanguinolentis ichorib. pulvillis siccis vulnus deligatum fuit, quo facto sopor continuavit in diem sequentem, ubi vulnere vicissim deligato, capitéque commoto *sensus aliquis indiscretus* per clamorem sese exhibuit, membranis fortè per capitis motum à fracturæ particulis diversis (quas dissectio post mortem monstrabat, dolorificâ sensatione affectis, mox iterum obrepente sopore; *apparentibus simul dextri lateris convulsionibus*, propterea quod gravior esset sinistræ partis contusio, quàm ipsum vulnus, unde partis oppositæ convulsio suam habuit originem, juxta rationes *lib. 1. de Nat. hum. Exer. 9. quæst. 8.* à me propositas; *& sinistri lateris paralysi totali*, propter vehementem contusionem & cerebri concussionem omnino obstructis eâ in parte nervorum initiis. His ita per biduum in eodem statu permanentib. tandem *paulò vegetior à somno præter naturam redditur æger*, ea propter quòd collecta materia putresceret, adeoque calorem circa caput augeret, hinc discussis crassis vaporibus interni sensus aliquo modo suas operationes exercere conabantur, *nondum adhuc externis agentibus*, propterea, quòd distributio spirituum animalium in organa sensuum externa, p. n. obturata, respectu nervorũ communicatorum, difficulter fieri posset. Hîc igitur *clysterem* adhibuimus, propter alvum hactenus obstructam, *satis acrem*, propter ἀναισθησίαν vel insensibilitatem, & majoris revulsionis gratiâ: hinc non tantùm alvus laxabatur, sed revulsio quoque partium animalib. facultatibus servientium respectu fiebat, unde Calendis Aug. non tantùm ratiocinabatur iterum, sed etiam audiebat & loquebatur, usq; ad secundum Aug. ubi omnia adstantibus perfectiora videbantur, *quod tamen potius adproperantis mortis quam restitutionis signum erat*, quam ob causam etiam Theologi curæ tùm temporis à me maximè commendabatur, cum ex pulsu febrili, aliisque symptomatibus colligerem, ultimum quasi naturæ conatum adesse, vi paroxysmi febrilis ob putrescentem materiam in cerebro contentam oborti productam, unde mortem futuram intra 24. horas prædixi, quæ etiam præcurrente pulsu inæquali, & calore præter naturam remittente, sudoribus frigidis succedentib. tertio Aug. sequebatur. Demortuo 4. Aug. cranium apertum fuit, ubi vulnus dextræ partis tantùm cutaneum usque ad os cranii deprehendebatur: at contusio sinistræ partis tanta erat, ut admiratione omnino dignum, quod animalis facultatis operatio eò usque sese colligere potuerit; tota enim regio bregmatis dextri contusa deprehendebatur, ut remotâ cute suâ sponte 8. ossa separarentur, de quibus unum acutius in ipsam substantiam cerebri, per utramque Meningem impressum inveniebatur: ab hac contusione rima sub vulnere prædicto suam originem habebat, & ad auris usque os petrosum in latere sinistro progrediebatur. Mirum ergo non est, spem restitutionis hic nullam fuisse, præsertim cum experientia testetur, leviora sæpius vulnera mortalia dijudicari debere, quod nuperrimè sub initium anni currentis in Studioso *Bernhardo Redero*, Rostochiensi observare licuit, qui vulneratus circa os frontis, primis diebus non admodùm periculosè laborare videbatur, etiamsi rima vulneris per ipsum cranium circa frontis os penetraret, nullis etiam symptomatibus periculosis apparentibus. At vero cum ictu isto cranium non tantum pertusum, sed etiam (quod post mortem anatomia capitis monstravit) particula de lamina interiori omnino per meninges in cerebri substantiam transacta esset, fieri non potuit, quin post paucos dies pars læsa inflammationem pateretur, quam ob causam non tantum *æstus ingens*, inprimisque capitis subsequebatur, sed simul etiam primò *spasmus cynicus in parte oppositâ*, convulso scilicet musculo temporali sinistro, cum læsio esset in dextrâ parte, ac dein *convulsi motus* in partibus aliis sese offerebant, sensim facultate animali primùm, ac dein vitali quoque resolutis. Sic sæpè latet anguis in herba, juxta Poëtam, ubi læsio interna diebus subsequentibus per gravia symptomata manifestatur, quod præcedenti æstate Studioso *Ioh. Rabo Hirsfeldensi* accidit, qui

Ultimus naturæ conatus.

Cranii apertio post mortem.

Observatio alia.

Vide lib. 1. de nat. hũ. Ex. 9.

Observatio alia.

nocturno tempore ex contusione cum extremitate manubrii gladii læsionem occultam perpessus erat, quæ Chirurgos, aliud vulnus cutaneum tantum observantes in vertice, tamdiu latebat, donec dolor loci circa bregmatis regionem sinistram, & paralysis atque convulsivi motus lateris, inprimisque brachii dextri cum impedimento sermonis, malum absconditum indicarent, unde cute transversim per crucem incisâ, foramen in cranio quantitate pisi majoris sese exhibebat, per quod tenuior sanies quotidie copiosa profluebat. Hic diuturnitate temporis à gravibus symptomatibus restitutus, vulnere sanato, contra præcepta Medicorum, genio, Bacchoque indulgens, subitò subortis convulsionibus hoc autumno in patria mortuus est, fortè propter foraminis angustiam peccante materiâ circa meninges relictâ, quæ vini vaporibus & exhalationibus effervescens, convulsionis lethalis causa esse potuit.

Quemadmodum enim gravissima capitis vulnera pro lethalibus habita interdum sanantur, etiamsi meninges & cerebri substantia solutionem continui passa sit, quod recenset *Gal. 6. Aphor. com. 18. & 8. de V. P. in princ. Tagault. lib. 2. Instit. Chirur. cap. 3. Fallop. de vuln. in genere cap. 10. Forest. lib. 9. Obser. 37. Horat. Augen. Tom. 1. Epist. 2. lib. 9.* & non ita pridem experientia testata est in consulis nostri Giessensis, Simonis Dieterichs genero, qui præcedente etiam æstate vulnus circa partem capitis anteriorem sat magnum & periculosum acceperat, ita ut particula de cerebri substantia per Chirurgos ex vulnere exempta, huc per 4. milliaria mihi dijudicanda transmitteretur, ubi scilicet ichores exitum ob vulneris constitutionem convenientem obtinent: sic ea quę primis diebus lethalia non apparent, facilimè periculosa symptomata producunt, ubi materia latens exitu destituitur. Posito hoc fundamento, planum redditur, quanta sæpius necessitas sit perforationis cranii, quam ob causam sequentem observationem non immeritò subjicimus.

Observatio alia.

Vide Epist. Med. sect. de vulneribus capitis.

EXTRACTUS CARMINIS.

Super flebili, occisi EBERHARDI à FRESEN, funere anno 1618. à Viro Nobilissimo t. t. Gissæ Hessorum;

IN QVO

Dn. D. GREGORII HORSTII, Medici celeberrimi tùm temporis reportata gloria & singulare encomium decantatur.

INterea Studiosa cohors sub tecta ferebat
Semianimis corpus FRESI, stratisq; reponit
Sanguine stillantes artus, mixtoq; cerebro,
Stant circum mœsti & sortem indignantur amici,
Ingentem æquantes gemitu, fletuq; dolorem,
Et ne quicquam animis turbam execrantur atrocem,
Natalemq; simul terram, quæ monstra sub auras
Talia protulerit; tam dirum gentis abortum.
Adstat & ipsa cavâ PALLAS circundata nube,
Non ulli præsenti oculis, tactuvè notata,
Indignamq; dolet sortem, luctumq; nefandum
Multa animo secum volvens & multa revolvens.
Se multum incusat, juxtaq; immobile fatum
Non potuisse trucis furiis obstare catervæ
Ne miserum FRESVM duxisse à morte nefanda;
Nec non pallenti, gelidoq; abstergit ab ore
Sanguineum humorem, cerebrique exilia frusta,
Atque oculos fovet extremâ jam in morte gravatos.
Adfuit & paribus stipatus APOLLO tenebris
Æquales ducens gemitus, sortemq; revolvens.
Dumq; hæc luctus ubique, pavor, dùm mortis imago
Ecce! novos tacito sensit sub pectore motus
Et subitò lapsis melius confidere rebus
HORSTIVS incepit, cui magno captus amore
Ipse suas artes, sua munera cessit Apollo.
Quo non GIESSIADES inter præstantior alter
Tabe levare viros, herbisque expellere morbos;
Omnis ei ingenium Medicas coluisse per artes,
Scire potestates herbarum, usumque medendi
Cura fuit, non hoc Podalirius atque Machaôn
Majus habent nomen credo, haud Epidaurius ipse:
Sicq; refert: Dyne hunc ardorem mentibus addunt?
Aut vitam aut aliquid moribundo acquirere magnum
Mens agitat FRESO & magnos proritat in ausus.
His dictis properè aggreditur, quod jam sua pressè
Mens versavat opus, contusosq; impiger artus
Artifici refovet dextrâ, spargitq; salubres
Ambrosiæ succos, & odoriferam Panacæam,
Atque animam admotis fugientem sustinet herbis.
Et properè occultè medicans opus istud APOLLO
Successu læto beat, aspiratq; labori
Horstiadæ; in tantosq; animat dux pravius ausus
Atque en? dum miser & fatorum lege severâ
Exitio hoc mersus FRESVS jacet, & neque vitam
Protrahere ulteriùs, nec tandem occumbere morti,
Quæ miseri ante oculos nigro volitabat amictu,
Infelix poterat, sensim sed pectore ab imo
Exhalat luctantem animam, mistumque cruorem;
Non jam ille antiquæ Patriæ memor, aut Sociorum
Astantum, & miserum supremâ voce vocantum
Nescius ipse sui, atque expers animique dolorumque
Extremâ jam in morte jacet, punctoque supremo.
Extemplò nova lux oculis effulsit & ecce!
Hunc inter medium luctum, adstantumque querelas.
Paulatim caput atque oculos in morte gravatos
Erigere attollens cœpit, motareq; FRESVS.
Obstupuêre animis omnes, timor anxius omnes
Invasit subitò, & mirantia pectora circùm.
Lætitiâ mistoque metu citus occupat horror,
Sed magis atque magis rediêre in pristina vires
Attonito FRESO, magis ille attollere tentat
Depressum caput, atq; oculis videt omnia circùm
Sollicitis rediêre simul sub membra priores
Paulatim vires, rumpit jam lingua loquelam
Et veluti ex alto excussus qui forte sopore
Confusâ trepidat mente, ignoransq; tremensque:

Non

Non alia ex letho FRESI surgentis imago
Apparet, simul exclamans nova gaudia mente
Concipit HORSTIADES, rumpitq́ hac voce loquelam:
Non ego tantarum, nè tantùm fingite, rerum
Auctor, agit major DEVS; atq́ hæc omnia firmat,
Successusque beat fausto, augurioque secundo.
Non humana valet tantùm medicina, nec artis
Hoc ullius opus, tanto in discrimine, vitam
Sustentare herbis fugientem, animamq́ morari.
Vlterius tentare vetor, rediisse priores
Sufficiat sensus FRESO, traxisseq́ mortem
Longiùs instantem, linguæq́ dedisse loquelam.
Præfixam Iuveni mortem medicâ arte fugare
Fata vetant, prohibentq́ istis accingier ausis.
At FRESVS, mirum potuisse? hæc edidit ore:
O Socii, quæ me exitiofera fata dicarunt?
Hoc dicens, simul alloquitur supplexq́ precatur
Numina magna Deum, & grates de pectore promit
Quòd dederint iterum ore loqui, sensusq́ priores
Reddiderint morienti & fata extrema videnti,
Vt saltem alloquio Sociûm, adspectuq́ fruisci
Immeritumq́ animum verbis vulgare liceret,
Dehinc longo circùm socios amplectitur omneis
Ordine, amicitiæ recolens fideiq́ prioris
Tempora, non nullum, posthac ventura sub ævum.
Atque simul pectus lacrimis madefecit & ora
Sicq́ refert: O luce magis mihi pectora chara
Non mihi vos, patriamque meam spes ulla videndi
Ampliùs, exhaurit vitam immedicabile vulnus,
Nec super esse sinit, quondam ô mihi pectora chara!
Luce magis, nunc salvete, æternumque valete,
Tot quondam ô Socii experti mihi rebus in arctis
Nunc rapior vestro è gremio, nunc vulnus acerbum
Conficit, atque instat non eluctabile tempus.
Dixit & extremâ cùm voce effudit in auras
Æthereas animam, cum sanguine vita recessit
Ilicet, hinc tandem tranquillâ morte quievit &c.

OBSERVATIO II.

Vulnus capitis cum contusione periculosum, perforatione cranii feliciter curatum.

SExagenarius in bregma sinistrum percussus, cum cranii fractione & depressione, mox in terram cadit, cibum indigestum evomit, loquelam amittit: medico destitutus primis diebus gravissima patitur symptomata, febri ardentissimâ superveniente delirat per intervalla. Factâ post decimum cranii perforatione convenienti, simul etiam adhibitis aliis, præter spem feliciter restituitur.

RESOLVTIO.

Perforationem cranii non tantum in principio locũ habere,

OBservationem hanc singularem, fide dignus amicus noster, Dn. Guilielmus Fabricius cent. 4. Observ. Chirurg. Observ. 4. proponit; quam, cum plurimùm etiam in desperatis cerebri læsionibus inservire queat, meritò ex eodem deducimus, & præcedenti subjicimus, inprimis & eam ob causam, quod apertionem cranii non tantùm in principio tentandum esse suadeat, quod volunt *Fallop de vuln. cap.* 34. *Arantius in Hipp. de vuln. cap. Aquapend. lib.* 2. *de vuln. cap.* 19. *Lang. lib.* 1. *Epist. in princ.* Sed etiam post diem decimum, imò quocunque tempore, quamvis gravissima adsint symptomata, modò vires ægri adhuc constent, & Chirurgus ab assidentibus ægri rogatus fuerit. Hic prognostico facto, quod æger in maximo vitę periculo sit constitutus, *alvus segnior extimulanda cutis capitis per crucem dividenda, cranium perforandam, affluxus inhibendus, materia latens ad exitum evocanda, vulnus mundificandum & consolidandum esse videbatur, interim non neglectis, quæ in victus ratione & aliis toti prospicere poterant.* Hanc ob causam ante omnia clyster præscribebatur, qui tàm ad alvum laxandam, quàm etiam ad revulsionem respectu capitis dirigi poterat, ubi nota, quod propter facultatis animalis torporẽ acriores semper clysteres in hoc casu requirantur, quemadmodum apud practicos videre licet. Quod si in principio Medicus adfuisset, inque corpore sanguineo casus hic accidisset, venæsectio quoque non inconveniens fuisset, quæ hoc fine maximè commendatur à *Forest. l.* 9. *Obser.* 35. non neglectis extremorum ligaturis & frictionibus. At cùm propter tempus præterlapsum, & ætatis rationem, hæc indicatio locum non haberet, extrema tentanda videbantur, quam ob causam cranii perforatio instituebatur, eo modo, qui pluribus ex aliis à *Foresto in observat. Chirurg. lib.* 6. *Obser.* 44. describitur: Nimirum crinibus abrasis totum caput oleo rosaceo & myrtillorum inungitur, tàm præter intemperiem calidam temperandam, quàm propter affluxum repellendum; dein cutis & pericranium in formam crucis inciditur, craniumque denudatur, nec non pulvillis ex stupis suavibus præparatis & albumine ovi intinctis, ad præcavendem affluxum & inflammationem, vulnus impletur, usque ad diem sequentem, ubi nonnullis officulis à prima tabula separatis & extractis cranium perforatur, scilic. terebro abaptisto, cujus delineationem vide apud *Pareum lib.* 9. *c.* 18. quo facto, pannum sericum melle rosaceo tinctum cerebro imponitur, totumque vulnus sequenti digestivo impletur. ℞. *Terebinth. lota in Aq. Beton. & Salviæ* ℥j. *Ol. Rosacei* ʒj ß. *de vitell. Ovorum* ʒij. *Gummi Elemi lentissimo igne cum supradictis oleis dissoluti & percolati* ʒß. *Croci pulverisati* ℈j. *Vitelli ovor. num.* ij. *M. F. unguentum.* quo imposito, vulneri *Emplastrum Basiliconis* applicatur, totumque caput & collum oleo rosaceo & myrtillorum inungitur. His per dies aliquot continuatis, convenienti simul diætâ præscriptâ, clysteribusque repetitis, materiâ digestâ, purulenta sanies per foramen factum effluxit, & febris reliquaque symptomata paulatim remiserunt. Mox ergò sedato, dolore & inflammatione, melle rosato, membranæ cerebri imponendo, guttulam unam atque alteram aquæ vitæ corroborationis ergò respectu partis laborantis Medicus admiscet, & vulneri sequens mundificativum imponit.

Indicationes.

 ℞. *Pulv.*

℞. *Pulv. rad. Garyophyllatæ, Angelicæ, Aristol. rotundæ, Irid. florent. ana ℨj. Extr. Salviæ, Betonicæ, ana ℈j. Gummi Elemi dissolut. in Ol. ros. ʒij. M. cum Melle rosato & guttulis aliquot Aquæ vitæ F. linimentum in mortario.* Loco emplastri Basiliconis, sequens tandem fuit adhibitum. ℞. *Emplastri de Betonica ℥iiij. Gummi Elemi dissoluti in Ol. rosar. ℥j. Pulv. rosarum odoriferarum, myrtillorum ana ʒj. Masticis, Cal. aromat. Angelicæ, Cariophyllatæ ana ʒjß. Cum s. q. Ol. rosac. parumque ceræ F. emplastrum.* Quibus hoc modo cum præservatione totius continuatis, DEI gratiâ, laborans pristinæ sanitati restituitur, subinde præter Chirurgicam curam, clysteribus, lenibusque evacuationibus repetitis.

Emplastrum de Betonica, cujus fit mentio, describitur à *Forestio lib. 6. Observ. Chirurg. observ. 43.* ℞. *Tereb. Resinæ pini. Ceræ novæ. ana ℥iiij. Pulv. beton. ℥jß. Masticis, Thuris. ana ℥ß. Mumiæ. ʒiij. F. massa lege artis.*

OBSERVATIO III.

Excellentiss. & Clariss.

JACOBUS FABRICIUS D.
Archiater Megapolitanus & Profess.
in Acad. Rostochiensi,

GREGORIO HORSTIO D. ARCHIATRO Hassiaco, & Profess. primario in Acad. Giessena.

SVIR Clarissime, Domine & amice colende. Triennium ferè abiit, quam super controverso quodam vulnere Facultas Medica in Acad. nostra sententiam suam verbis, uti decet, brevissimis dixit, eamque sibi postea Nobilss. Dn. Reus, rationibus atque exemplis passim ex fide dignis Medicinæ ac Chirurgiæ Doctoribus congestis, confirmari petiit, nimirum Calvariæ, uti & non pauca ipsius cerebri vulnera non esse ex necessitate lethalia, sed plerumque, si tempestivè pateant, & sordibus exitus ad hanc rem idoneis paretur instrumentis, satis feliciter sanari. Hanc deinde Clariss. N. N. quibusdam ratiunculis infringere attentavit, nulla alia de causa, quàm quod ille, qui de hoc vulnere, jam antea rogatus, istud necessariò, & sui naturâ lethale pronunciarat, adsertione nostrâ suæ existimationi atque autoritate quidpiam detractum iri putaret.

Potuisset quidem citra invidiam à nobis dissentire, verum Responso nostro intacto. Quod quia aggressus fuit, non potuimus non, quod officii nostri erat, illud vindicare, nostramque sententiam, fundamentis & experientiæ Medicorum quam maximè conformem publicitus demonstrare, idque coacti contradictionibus adversarii semel atque iterum, &c. Ne verò inposterum etiam cum temporis jacturâ idem saxum volvere necessum sit, hactenus omnia illa aliquot Medicis legenda & censenda misimus, &c. Quoniam autem ante paucas septimanas ob eandem causam etiam eadem scripta vestræ Facultati missa fuerunt, nobis Medicis insciis, operæ pretium duximus, ut quod tum fieri par erat, nunc oblata occasione vobis indicaremus.

Neque verò dubitamus, quin pro veritatis studio rectissimè ista legeritis, &c. Quandoquidem autem collegium libenter censuram tuam singularem, Clarissime mi Dn. Doctor Horsti, exoptat, unanimiter mihi demandatum fuit, eam à te petere & impetrare, quam ut peculiari charta conceptam per præsentem hunc γραμματοφόρον transmittere ocyssimè ne graveris, ipse etiam, qui nunc Decani vices sustineo, diligentissimè rogo.

Precium pro labore & subscriptione, quodcunque postulaveris, persolvet Reus, &c. Promitto præterea vicissim mea studia, & quæ amici decent officia. Benè vale. Rostochio, 24. Martii, anni 1618.

RESPONSIONIS
GREGORII HORSTII D.
Summa
Ad prædictum Virum Clarissimum.

CUm consultatione factâ cum Collegis, mihi Doct. Horstio commissum fuerit, ut nomine omnium sententiam atque judicium Collegii conscriberem, idque factum & expeditum sit; non necessarium me judicare singulariter votum meum communicare, adeoque actum agere, propterea quod in totum illius sim opinionis, quæ pluribus sub sigillo Facultatis me concipiente ad Dn. Reum perscripta fuerit.

SENTENTIA COLLEGII
Medici in Acad. Gissena, in casu prædicto communi consilio statuta, &

Per

GREGOR. HORSTIUM D.
concepta.

CUm inter alias defensiones Nobiliss. ac Strenuus N. N. in casu homicidii Nobiliss. itidem ac Strenui N. N. hoc etiam urgeat, quod vulnus eidem in capite, pugione inflictum, non ex sese lethale fuerit, sed potius imperitiâ Chirurgorum & continuâ aliquot dierum capitis & cerebri concussione periculosum evaserit; ut ea propter Facultas Medica Rostochiensis cum N. N. Med. Doctore dissentientes assertiones proposuerit, quemadmodum acta & responsa testantur; à nobis autem prædictus Dn. reus certior esse cupiat, quid de qualitate vulneris statuendum, & num responsis prædictæ Facultatis Medicæ subscribendum, nimirum quod vulnus non per se, sed ex accidenti periculosum & lethale redditum fuerit; Idcirco transmissa acta, & separatim & Collegialiter legimus, & pro ratione officii juxta normam principiorum Medicorum ponderavimus ubi positis fundamentis sequentibus.

I. Quod vulnera sint vel lethalia, vel periculosa, vel minimè periculosa. *Pareus lib. 8. cap. 3. Hor. Augen. Tom. 1. Epist. lib. 2. cap. 9. Fallop. de vulner. cap. 10.*

Forest.

Forest. 6. observ. Chirurg. observat. 2. Tagault. lib. 2. Institut. Chirurg. cap. 3. Marian. Sanct. lib. quidd. quæst. de vuln. Capitis.

II. Quod vulnera cerebri non sint absolutè lethalia, nisi propter magnitudinem *Galen. 6. Aph. com. 18. & 8. de V. P. in princ. Tagault. loco jam citato, Fallopius ibidem. Forest. libr. 9. observat. & citat. l. Horat. Augen. citat. loco.*

III. Quod vulnera cum fractura cranii, si non adsit symptoma superveniens, & actiones adhuc constent, tantum periculosa, non autem lethalia pronuncianda. *Fallop. lib. de cap. vulner. cap. 24. & tractat. de Vlceribus cap. 15.* Approbant Jurisconsulti, quia vulnus mortale judicatur ex qualitate accidentium, quæ superveniunt, ut si signa mortalitatis superveniant tempore illati vulneris, vel intra paucos dies: contrà non mortale, ubi talia mox, vel etiam in paucis diebus non adsunt: hinc vulnera alia certa ad mortem mortalia dicunt, alia non certa ad mortem, quæ Medicis periculosa. *Farinaceus de Homicidiis tit. 14. p. 1. q. 127. num. 4. 5. 7.*

IV. Quod meningum compressio, & multò magis incisio colligatur, si subitò vomitus vel delirium superveniat, juxta *Fallop. de vuln. cap. 32.* etsi dolor loci, Scotomia, vertigo, narium stillicidium, inprimisque læsio animalis facultatis adsint, juxta *Argelatam lib. 2. tract. 7. cap. 2.* Talia enim non nisi magnum ictum consequi solent, à quo etiam cerebri substantiæ & membranæ læsionem sensere, *Passerus de caus. mor. in vulnerib. cap. 30. Conjunge Paræum de renunciat. Aquapen. lib. 2. de vulner. cap. 15. & 19. Marian. Sanct. de cap. læsion. Arant. in Hipp. de vuln. cap. pag. 108.*

V. Quod indicatio apertionis Cranii statim in principio locum habeat, ubi aliquid eximendum, aliàs non. *Fallop. ibidem cap. 34. Arantius citat. loco. Aquapend. citat. loc. cap. Lang. lib. 1. Epist in princ.*

VI. Quod incertum sit (inprimis non aperto cranio post mortem) longitudinem obtusi pugionis articulum digiti ferè (ut habet Fiscalis in Interrogatoriis) æquantis, membranas & cerebrum læsisse, cum aliquantum membrana distet à Cranio, imprimis extra suturas, ubi & hoc vulnus fuit. Idipsum crassities membranæ, cedere natæ, propter mollitiem cerebri, inprimis obtuso pugioni, & experientia comprobat, quod prioribus mensibus hic vidimus in vulnerato feliciter restituto, cui per ictum gladii vehementiorem, craniū in dextrâ parte ad os temporum unâ cum temporali musculo, quantitate Imperialis circulariter avulsum fuit, membranâ dictâ penitus illæsâ.

VII. Quod ob denegatum sordium evacuationem & sanguinis corrupti corruptionem potius, quam ratione solutionis continui, concurrente occlusione vulneris & inconvenienti manuum operatione (quæ profectò in totâ Germaniâ in gravissimis casibus, proh dolor! non rarò deprehenditur) vulnus aliquod lethale reddatur, suâ naturâ aliàs tantùm periculosum. *vid. Arant. cit. loc. Passerum de vulner. cap. 30. Arcæum de Cura vulner. lib. 1. cap. 5.*

Nos Decanus, & reliqui Professores Collegii Medici, in Academia Giessena concludimus, vulnus capitis, quo prædictus Nobiliss. & Strenuus N. N. adflictus fuit, per se lethale non fuisse, ita ut convenientibus mediis justo tempore adhibitis divinâ benedictione servari potuisset, quod veritatis testificandæ gratiâ literis hisce sigillo publico munitis notificare voluimus. Dabantur Giessæ Cattorum 11. Aprilis 1618.

OBSERVATIO IV.

Clarissimus Vir,

DN. JOHANNES HORNUNG, Med. D. & Physicus Heidenheimensis,

GREGORIO HORSTIO D.

S. Communis jactatur sententia & vera, mi Clariss. Dn. Doctor & Amice HORSTI, veterem scilicet amorem ferrugine, rubigine non obduci, & quoties de triennali meo abitu ex Wetzflaria cogito, toties etiam Nominis tui memoriam gratam ac celebrem usurpo, nec non de veteri inter nos amicitiâ partim corâm, partim literis mutuis contractâ mihi gaudeo; & cum jam per Reverendum & Doctiss. D. D. Theodoricum, Ulmensium Concionatorem supremum, vicinum meum honorandum, occasionem ad T. Ex. scribendi nactus sim exoptatissimam, memoriam tui apud me nondum obliteratam esse, literis hisce contestari volui, amicè officioséque rogans, ut, cum corporibus & locis longè disjuncti simus, jus amicitiæ intermissum, crebrioribus saltem literis (quantum otii tempus suppeditabit) redintegare atque confirmare haud graveris. Ne autem sterilem ad te mittam epistolam, placet addere historiam de Rustico in abdomine vulnerato, quæ ita habet. Ante annum rusticus quidam, subditione Baronis Alberti Limburgici, stipem hinc inde colligens & ex arbore decidens, sudæ, qua horti sepiuntur (poma decerpere volebat) in ventre periculosè vulneratus fuit, ita ut non solum crassum & rectum intestinum exierit, cum vulnere satis amplo in eodem intestino. Chirurgus accersitus, vulnus deploratum animadvertit, ægrum quasi desperatum, & qui ægrè diem sequentem visurus sit, reliquit: vulnus abdominis sequenti die angustius factum, non passum est post hac intestina reponi: Vivit in hunc usque diem, appetitus constat, cibus & potus sapiunt: cum Heidenheimiam etiam nostram transiret, mihi locum affectum ostendit, excrementa non amplius per consuetum ani locum, sed ex vulnere intestini (non sine gravi fœtore) quotidiè excluduntur; intestinum etiam extra corpus prominens colorem retinet naturalem: crassius tamen & carnosius paulatim fit, &c. Cursim Heidenheimij 19. Octob. Anno ultimi temporis 1614.

Observatio singularis & admirabilis de vulneratis intestinis.

POSTSCRIPTUM EIUSDEM ad eundem.

OBservationem secundam hîc habeo, de tumore omenti monstroso in Muliere quadam (cin

Observatio de tumore omenti.

Forst-

Forstmeisterin) qui ab aliis Medicis ob ejus raritatem verè cognosci non potuit, pro hydropis specie plerique autumârunt: Quo tumore per sesquiannum molestissimè jam vexatur. Urgebo sectionem apud Maritum quantum potero, post ejus mortem. Utinam, mi Clarissime Dn. Doctor Horsti, in mei gratiam ex præterito illo dissecto tumore reliquorum etiam viscerum, in primis Hepatis & lienis, uteri item, renumque historiam mihi annotasses, in quibus omnibus, proculdubio, cœcus quasi ignis quidam, omnem succum gratiosum jam olim depopulatus est, & hinc nutricatu pessimo, quem cæteræ partes respuerunt, per perpetuas illas & evidentes venarum arteriarumque ἀναστομώσεις, συστολ: item διαστολ: quorum interventu succi illi corrupti à portæ vena in aliam meare & remeare possunt, tumori illi omentali augmentum sumere licuit, &c. Ut supra.

De hac observat. vide problemata Medica.

IDEM EIDEM.

SAlutem officiosam. Gratias haud vulgares tibi debeo, mi Clarissime Domine Doctor Horsti, & fautor honorande, quod superioribus diebus pharmacis meis, cuidam ex temulentia de scalis ædium suarum lethaliter lapso, festinanter præscriptis, censorem æquum & fidum te exhibuisti, tuamque Excellentem Dominationem amicè rogo, ut in similibus casibus & gravioribus morbis, sicubi occasio postulaverit, tuâ operâ & experientiâ fideli me erudire, & porro laudatissimâ tuâ praxi gratificari haud graveris. Libenter me, meumque profectum tenuem, tuo, tuorumque doctissimorum Collegarum judicio, in præscribendis materiis seu receptis medicis, si quæ vestris officinis irrepserint, subjectum volo. Sed utinam pharmaca ista, ægro præscripta, votis nostris respondissent. De casu paucis accipe. Scalis jam delapsum ægrum, vomitus copiosus (salvo tuo pudore) sequebatur, cerebrumque intrinsecus concussum (extrinsecus levis saltem cuticulæ læsio in regionibus temporum apparebat) manifestam organorum sensilium obstructionem arguebat, ita, ut eorum functiones Epilepticorum more sublatæ viderentur: nullum membrum, nisi violenter stimulatus, movebat, & quando Natura per tussim ad pectoris purgationem ægrum stimulabat, ad exscreationem omninò ineptus erat, nihil audiebat, nihil loquebatur, sed continuò ad mortem usque, quæ, ut prædixeram, tertiâ, post casum, die acceleraverat, Epileptico somno oppressus, oculos clausos tenebat. In primo statim accessu pro revulsione materiæ affluentis clysterem fortem & epilepticis accommodatum ordinaveram, sed astantes usum clysmatum ignorantes, & præsentissimam, ex eis applicatione mortem metuentes, totis viribus resistebant: quorum imperitam contradictionem, cum animadverterem, abii, & ulterius rogatus, schedam meam cum præscriptis medicamentis, ad Giessenas officinas (cum pyxides hujus nostræ officinæ, materiis, pro hoc loco necessariis, destituantur) mittendam esse suasi: ex quibus allatis nihil, præter aquas perlarum guttatim infusas, & ægrè admissas, usurpavit. Collum tandem, ex affluxu largiore, ægro ita repletum erat, ut per spiritus interceptionem miserè suffocaretur. Tantùm, mi Clariss. Dn. fautor, de hujus personæ exitu vitæ tragico, & casu subitaneo, quo omnes mortales admonentur, ad majorem temperantiam, præsertim in conventiculis potatoriis observandam, ut animæ salus æterna piè curetur, & salvetur. DEUS omnium imbecillorum clementer misereatur, & Angelorum suorum præsidio circumvallet, Amen. Raptim in Wetzflaria, 14. Octobr. veteris Computi, Anno 1611.

Observ. concussionis cerebri ex lapsu.

Viro Clariss. & Excellentissimo

DN. JOHANNI HORNUNGO,
Med. & Physico ordinar. Heidenheimensi,

GREGOR. HORSTIUS D.

S. Tuas, Clar. & Excellentissime Vir, rectè mihi vester tabellio tradidit, unâ cum Epistolis Doldianis: gratias ago pro labore præstito. Quò ad cætera, non dubites de mea promptitudine: Sed altum silentium in negocio isto noto; quâ de causâ, nescio. Quàmprimum exploravero quidpiam, quod è re tuâ fit, certior eris: interim Deus providebit.

Dn. *D. Plachetius*, vir candidus & probus est, qui fortassis apud Aulicos ubi datâ occasione, quo majori cum autoritate apud tuos vivere queas, inservire poterit.

Tractatus de cruentatione Cadaverum à me olim, occasione singularis casus in Austria conscriptus, ad manus non est, cum cuidam scholari, compactus cum institutionibus meis Logicis, mutuo datus sit: proximâ occasione habebis. Pro communicatione lapillorum pluviali sanguine tinctorum gratias ago: si ad manus adsunt *Singularia D. Libavii*, legas *tractatum de Carne fossili*, ubi similium prodigiorum fit mentio: ut ut inquiramus causas naturales, fieri non potest, quin dubium nobis relinquatur, ut hanc ob causam *Dn. patruus meus, in lib. de aureo dente*, non immeritò omne naturale rarum, prodigiosum pronunciet. Tu, quid de monstroso hoc insectorum, undique hortos depascentium genere judicas, quod faciem ferè cucullatam exhibere videtur, cujus generis erucarum multitudinem, se puero, quondam Hetruriam produxisse refert *Matthiolus*, queîs facies quasi humana, caput bicorne, corpus infantuli modo fasciâ obductum, nitore aureo fulgens, sicuti pluribus idipsum describit *lib. 2. in Dioscor. cap. 54.* Cæterùm nosti, quod inter Medicos disceptatio, num cerebrum apostemari queat, quemadmodum pluribus hanc quæstionem *Conciliator* pertractat: casum hâc in re singularem ante octiduum habuimus. Cum enim rusticus, consistentis ætatis, ex pago Göttingen ditionis Ulmensium, à Custode quodam hortorum, phalange in palpebram superiorem occuli sinistri vulneratus esset, parùm sollicitus de vulnere non admodum conspicuo, die sequenti Chirurgum & lithotomum celebrem, nostrum Merckium, propter imminentem capitis dolorem accedit, ejusque opem implorat, qui absentibus aliis gravioribus symptomatibus, ea, quæ oculorum

Lapilli pluviâ sanguineâ tincti.

Monstrosum insectorum genus.

Observ. Insignis læsio substantiæ cerebri.

oculorum & palpebrarum vulneribus convenientia, imponit per dies aliquot, ita ut non tantùm oculi inflammatio, sed etiam palpebræ solutio continui penitus curata videretur. At verò, cum circa septimum *Coma quasi vigilans*, & sensuum torpor, sese offerret, prædictus Chirurgus consilii causa me, quò laborantem visitarem, accessit, quod protinus factum est, ubi vires adhuc ita constabant, ut æger ex superiori contignatione in hypocaustum inferius ad nos descenderet.

Consideratis autem omnibus circumstantiis, anguem in herbâ latitare dixi, tàm propter citam consolidationem externæ læsionis, quàm propter læsionem sensuum internorum, quâ de causâ periculum prædixi, præscribens illa, quæ graviora capitis symptomata præservare solent.

At sequentibus diebus magis magisque inclinatio ad somnum augetur, donec 9. die naturæ debitum solveret.

Quò verò Magistratus de læsione lethali certus esset, ad mandatum illius post mortem, die ab hoc octavo, cranium apertum fuit, ubi interius orbita oculi in superiori parte punctim ita læsa conspiciebatur, ut unà etiam ossiculum in duram meningem dilaceratam imprimeretur; separatâ verò durâ matre, tenuis meninx etiam in eodem loco foramen, instar fonticuli, saniem expellentis, exhibebat, sub quo tantus abscessus purulentus latitabat, ut superior cerebri substantia omninò in pus conv. videretur, quo undiq; cerebri ventriculi, superius & inferius, replebantur.

Dubitatio 1. *Mirum*, quòd tam brevi temporis spatio tantus abscessus progenitus fuerit! an fortè canicularium æstus plurimùm huic rei ansam præbuit; quâ de causâ quibusdam in locis calidioribus omnia ferè, etiam lævia, capitis vulnera lethalia pronunciantur? *Dubitatio 2.* Mirum quod præter lethargum imperfectum adhuc graviora symptomata convulsionum, vel paralyseos, aut etiam ipsius apoplexiæ abfuerint! an fortè quod vulnus basin cerebri, adeoque principium nervorum non attingeret? *Dubitatio 3.* Mirum, in tantâ cerebri corruptione ratiocinationem, licet obtusam, ferè ad mortem, usque permansisse! an quia cerebri substantia, primaria causa operationis est, quæ ex altera parte adhuc illæsa conspiciebatur, qua ratione sæpius Jecur, scirrho vel apostemate laborans, nihilominus sanâ suâ parte sanguificat? *Dubitatio 4.* Mirum in tantâ copiâ repletis ventriculis cerebri per materiam purulentam, nihilominus animales operationes, licet imperfectè, fuisse peractas! an quia rectè pronunciavimus *in nostris Exercitationibus de natura humana*, ventriculos cerebri, propter excrementa recipienda potissimùm, formatos esse, cum ex iis cavitatibus, id quod superfluum est, etiam in statu sanitatis, in consuetas secretionum meatus à cerebri substantia ablegari soleat? Verum plura non permittunt hodierni diei consueti Nundinarum tumultus & labores. Tu benè vale cum tuis. Raptim Ulmæ, 26. Julii 1623.

AD
GREGOR. HORSTIUM D.

SALUTEM off. Clariss. & Doctiss. Dn. Doctor, Patrone faventissime, plurimùm me recrearunt literæ

tuæ, quod in iis casum Ophthalmicum admirandum, & lethalem, ob cerebri læsionem, tàm fundamentaliter & accuratè præfigurasti & depinxisti. Dubitet jam de Cerebri Apostematibus, qui volet; ego rustici istius Göttingensis (phalange vulnerati) exemplo confirmatus, dubitare amplius nolo. Non exiguam profectò culpam ego consolidationi vulneris, per chirurgum tàm citò factæ, adscribendam esse putarem, si terebrum in hoc casu locum habere potuisset, propterea, quod materia illa purulenta copiosè in cerebri ventriculo collecta, hoc modo habuisset liberum exitum. *Miror*, quod natura nullam spontaneam evacuationem de excrementitio isto sanguine purulento, per nares, aut alios meatus tentarit? *Miror* animalis facultatis actionem satis constantem, in tantâ puris copia ad mortem usque? *Miror*, quod nulla paralysis fit secuta, aut convulsio ex opposita cerebri parte. Dignus est hic casus, ut observationib. tuis Medicis adjungatur.

Observ. læsionis Cerebri lethalis. Observavi ego hic ante biennium similem ferè casum, in Molitoris cujusdam filio robusto, cui clavus ferreus, in compotatione quadam, fronti super dextrum oculum infixus, hæsit (ist ein Ziehlnagel gewesen / welcher dem Müller in die Stirn geschlagen worden / damit die Ziehler bey den Schißscheiben zuziehlen pflegen.

Socius vulnusculum illud flocci pendens vinòque sese ingurgitans, die quoque. 7. à læsionis facto, gravius ægrotare cœpit. & inflammationem internam vehementer sensit, ita, ut binis dieb. & noctib. continuis paroxysmis epilepticis ad finem usque vitæ corriperetur. Si istius molitoris juvenis Cranium apertum fuisset, quod optavi, & post mortem etiam sectionem ursi, dubio procul cranii concussionem, seu læsionem, cum simili materiâ Apostematicâ in cerebro collectâ, offendissem, &c.

Tractatum de cruentatione Cadaverum impressum Anno M.DC.VIII. cum desiderio expecto; impensè delector scriptis tuis, ad palatum meum elaboratis. Utinam descriptio pilularum Angelicarum à me nuper petita, mihi communicari posset, si haberes. Plurima apud nos quoque ejusmodi insecta, carduis, Sonchis, & ipsis absynthii amari caulibus, aculeis suis infixa, & adhærentia inveniuntur, formam faciei humanæ referre videntur, quasi essent peplis lugubribus obducta, vel involuta, luctum fortè futurum nobis præsigiunt, ex inquinamentis eorum venenatis relictis, aut animalibus in pabulis communicatis. Qui papiliones istas, subcrocei & nigri coloris, passim in campis & viis gregatim circum volitantes, scatulis inclusas tenet, excrementum earum rubrum & sanguineum quoque relictum cernit, quòd multis hominibus ostendere soleo.

Hac septimana mecum fuit Vir Doctus, Nördlinganus, M. Fridericus Weng. pastor in pago Bartholomæ, qui retulit, suo tempore Anno 1607. Witenbergæ Virginem, ob incestum fetro subjectam, & sectionem à Te habitam fuisse; & cum cutis cranii capillosi esset detracta, te studioso cuidam eandem imposuisse, & spectaculum jucundum commovisse, ut etiam nominis tui celebratissimam memoriam in sympofio hilari domestico lætis

animis usurpaverimus. Vale, Clarissime Vir, mei memor. In Heidenheim. 31. Julii 1623.

T. Joannes Hornungus D.

OBSERVATIO V.

Vir Clariss. & Excellentiss.

JACOBUS ECKOLDT Med. D. & Physicus Memmingensis,

GREGOR. HORSTIO D.

S. Binas tuas, Clariss. & Excellentiss. Dn. D. fautor colende, accepi, quib. causam de rustico punctim læso, & vulnere, per oculi sinistri orbitam ad usque superiorem cerebri ventriculorum ea vitatem penetrante, mihi describere haud gravatus es, de qua quidem re gratias tibi ago quàm maximas: digna observatione historia, quâ confirmatur, unâ parte, dextrâ vel sinistrâ vehementius quamvis læsa, alteram integram eidem functioni dicatam, ipsi diutius adhuc quandoque præesse posse, nec semper confestim intercipi: geminos hinc sagax Natura construxit superiores sinus, nempe ne altero eorum affecto, alterius functio animalis tàm necessaria, quæ in spirituum animalium præparatione ferè consistit, mox etiam concidat: sic alterutro tantum læso, periculum levius contingit, quam si uterque affectus sit, quod ipsum *Gal.l.8.de usu partium, & comment.ad Aph.17. sect.7.* docet emplo juvenis Smyrnæi, qui vulnere in dextro sinu accepto evasit, qui non evasisset, si uterque ventriculus sauciatus fuisset.

Historia de læsione substantiæ cerebri.

In mentem jam venit mirabilis casus juvenis cujusdam studiosi, commilitonis mei, qui affinis fuit, Viri Clarissimi, Hessi, Tubingani Jurisconsulti, ast felicioris Medici: hic vulnere accepto supra dextrum oculum (ni fallor) gladio cuspide acuto, adeo profundo, ut non tam ex vulneris magnitudine penicillo notatâ, quam ex consuetis accidentibus, non tantum piam matrem perforatam, sed & ipsum cerebrum satis profundè læsum manifestim fuerit; ejusdem Doctoris Hessi curâ, cujus ego spectator eram, sine gravioribus accidentibus brevi feliciter fuit restitutus & sanatus, admirantibus omnibus, tum Dominis præceptoribus meis reliquisque Medicinæ Doctoribus, tùm etiam Chirurgis peritioribus. Sed hæc uti rara, ita notatu dignissima sunt. Pro transmisso lapillo sanguineâ pluviâ tincto gratias habeo maximas: Prodigiosæ tales pluviæ, quamvis sint, qui earum Physicas causas indagari posse asserant, rarò quid boni portendunt, sed sæva plerumque bella, multasque sanguinis effusiones præsagiunt. Misericors DEUS omnia mala à nobis clementer avertat gratiamque largiatur, ut seriâ pænitentiâ pœnam divinam sceleribus provocatam mollire, vel omninò nos liberare nitamur.

Pacem nobis largiatur tandem benignissimus DEUS, cujus protectioni Excellentiam tuam, cum conjuge & liberis, commendo. Raptim, Memmingæ, die 30. Julii, Anno 1623.

Vir Clariss. Excellentiss.

TOBIAS KNOBLOCH, Med. D. Physicus & Archiater Onolsbacensis,

GREGORIO HORSTIO, D. & Archiatro Ulmensi.

S. Ad binas literas tuas, Excellentissime Clarissime Vir, fautor & amice plurimùm colende, nunc breviter respondeo. Quod prognosin febrium notis doctissimis refertam, in gratiam studiosorum, inprimis tuorum auditorum, propositam, meo etiam nomini inscribere voluisti, ex eo intelligo, te me adhuc amare. Habeo ergò pro isto erga me amore, & mihi præstito honore, tibi gratias maximas, & velim tibi persuadeas, me eam amicitiam, ad quam non duntaxat prædictus libellus, verum etiam literæ tuæ ad me scriptæ invitarunt, sanctè culturum.

Observationes transmitto duas, ut tuum judicium de iis cognoscere possim: Addidissem adhuc alias, si negotiorum mole non impeditus fuissem. Quarum prima sequens est. Uxor cujusdam militis gravida, pallida & melancholica, &c. cum circa Festum Paschatos, Anno 1624. ultra triduum parere non posset, Principissa mea Clementissima me quoque vocari jussit, & cum eam in viserem, omniaque quæ cum ipsa acta fuissent, intellexissem, ventremque ipsius ubiq; tetigissem, observavi tumorem durum magnum (quem obstetrix, nec non mulierculæ astantes infantis caput esse putabant) in sinistro latere è regione umbilici tactui renitentē, quo observato, statim de felici partu cepi dubitare: Erat enim hic tumor scirrhus Melancholicus, ex humore terreno Melancholico, absque inflammatione præcedente genitus. Tempore gestationis nullum calorem, econtra segnitiem haud exiguam ad omnes vitæ actiones sensit. Et quia varia, tàm interna, quàm externa medicamenta mulierculæ (ut fieri solet) adhibuerunt, uterique os cervicis arctè clausum, speculum, (est enim instrumentum chirurgicum, ut notum) uteri collo admovendū, ad partum promovendum (quod tamen ob scirrhi duritiē absq; omni fructu fuit intromissum,) curavi: Hinc quia fœtus aliter excludi non potuit, sectione cæsarea parturientem liberandam duxi; quam tamen sustinere non potuit: Hinc symptomatibus (ut fieri solet) crescentibus, altero die circa vesperā è vita discessit.

Observatio de scirrho uteri in prægnante.

Hujus corpus per me, & Balneatorem, compatrem meum, apertum fuit, quo aperto, uterum in dextrâ (sanâ nimirum parte) disruptum, & infantem (erat enim filius bonæ staturæ) extra uterum positum, scirrhumque insignis magnitudinis à fundo uteri incipientem, & ad os uteri desinentem invenimus. Ob quam causam, ut supra etiam dictum, bona & mœstissima fœmina sobolem, vel filiolum suum, parere non potuit. Disruptionem uteri quod attinet, puto dolores partus acutos & vehementes huic causam præbuisse: Et licet sectione cæsarea filius extractus fuisset, vel fœmina partum seu filium alàs absque sectione felicissimè dedisset, nihilominus vitam miserrimam traxisset, tandemque in Cachexiam & hydropem incidisset, & sic miserrimè periisset.

Uterus violentiæ in partu disruptus.

SEQUI-

SEQVITVR ALTERA

OBSERVATIO.

BERNHARDUS KOCH, servus cujusdam sutoris, Christophori Kepleri, Onoltzbacensis, qui ad ædes illustrissimæ viduæ Brandeburgicæ, Dominæ meæ Clementissimæ, habitat, Anno 1622. 15. Septembris circa crepusculum, gladio, ut mihi patiens retulit, in dextra parte capitis vulneratus fuit; vulnus autem per musculum temporalem ad musculum usque primum palpebræ externum transibat, ita ut non duntaxat cranium, verum & ipsum cerebrum læsum fuerit, uti cerebrum nucis juglandis quantitate in terram caderet. Ad hunc, unà cum balneatore, compatre meo, vocatus, jussi balneatorem, ut venam diversionis gratiâ, nempe medianam aperiret, ne inflammatio, febris & spasmus, ob meningum læsionem subsequerentur. Deinde etiam alia tàm interna, quàm externa medicamenta ordinavi, quibus etiam cum admiratione multorum felicissimè curatus fuit. Methodum tuam novam, quam in curatione morbi Gallici introduxisti, non improbo; fateor enim nobilius medicamentum Mercurio ritè præparato in morbi hujus curatione vix inveniri posse, licet multi contrarium, contra experientiam & rationem statuant: Modi ergo descriptionem, si communicares, rem gratissimam mihi faceres. Ego è contra, me iterum ita geram, ut bonum & fidelem amicum decet. Hisce vale, & me quod facis, ama. Datum Onolsbachii. Raptim, die 16. Maji, Anno 1624.

Observ. cerebri de vulnere substantiã lædentæ curato.

In Lue Venere nihil præstantius Mercurio ritè præparato.

OBSERVATIO VI.

De læsa substantia Cerebri.

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Compellâsti me, Nobil, atq; Excellentissime Domine fautor, Doctor & Collega plurimùm colende, ut rarum istum casum, qui nuper contigit in pago Zeringen, duobus milliaribus Ulmâ distante, paucis describerem, descriptum, aliis tuis observationibus practicis propediem edendis, adjungendum, communicarem. Cui petitioni tuæ, hâc ipsâ descriptione nùnc lubens satisfacere & volui, ac etiam debui. Casus autem iste sic contigit. Erat, præteritò mense Junio Anni 1624. Ruricola quidam mediocris staturæ, nomine Christophorus Köllin / Patriâ Zeringensis, annorum circiter 33. Is, cum arborem quandam altiorem, cerasa decerpendi & colligendi gratiâ ascendisset, ex improviso de cacumine arboris in lapidum acervum, ad radicem arboris collectum, infeliciter admodum cecidit, atque calvariam, os nimirum frontis & temporum, ita perfregit, ut ab hac contusione & violentâ continuitatis solutione, meninges, seu utrumque cerebri involucrum, (*quod* nonnulli duram, piamq; matrem appellitant) non modò graviter disruptum atque divulsum, sed etiam mediocris Cerebri portiuncula, ut ab adstantibus fide dignis observatum, simul elisa fuerit. His ita animadversis, statim viciniores, pro loci conditione, balneatores, unus Ulmano-Weidenstettensis, alter verò Wirtenbergico-Gerstettensis vocati fuerunt, qui per 3. ferè septimanas vulnus obligârunt, donec vulneratus ob summam paupertatem, rerumque omnium inopiam, singulari Inclyti Magistratus Nostri permissu, in Nosodochium Ulmense receptus fuit, ubi posteà vulneris hujus curatio, ordinario Reipublicæ Nostræ Chirurgo. M. Georgio Riedlin demandata fuit, qui summa per quinque septimanas, adhibita diligentia effecit, ut cerebrum ea quidem parte, qua propriis nudatum membranis, solius Dei omnipotentis beneficio, & naturæ bonitate, nova quadam cuticula membranosa, proveniente à pericranio interiori, non tantùm contectum atque consolidatum fuerit, sed & toto illo tempore nulla omninò graviora symptomata in ipso ægro animadvertere licuerit. Quia verò locis duobus distinctis atque latentibus, sectione demùm patefactis, mediocres cranii portiunculæ, in ambas cerebri meninges adeò fortiter depressæ fuêre, iisdemque tam arctè incubuere, ut ossicula hæc nullâ propèmodum arte, neque per ullum instrumentum Chirurgicum elevari, atque in pristinam suam stationem seu locum restitui potuerint, tandem sub finem canicularium accidit, ut per latenter abscedentes particulas, ex utriusque involucri cerebri compressione dolores, ex doloribus humorum affluxus, & ex humorum putredine tandem apostema subortum fuerit, *quod* posteà convulsionibus ansam præbuit, *quas* paulatim mors subsecuta est, non quidem ex vulnere cerebri per se ita lethali, sed ut ex supervenienti accidente vulnus hocce θανατῶδες seu mortiferum factum fuisse planè existimem. Mortuus est itaque æger noster, die decimo Mensis Augusti, circiter horam decimam antemeridianam, qua etiam die, post prandium, hora secunda permissu & voluntate Nobiliss. atque prudentiss. Viri Domini Leonis Roht von und zu Holtzschwang / Consulis hujus anni gravissimi, Domini nostri colendissimi, calva, in tuæ Excellentiæ & mea præsentia, dissecta & aperta fuit, post cujus dissectionem & aperturam hæc omnia præscripto sese modo habuisse, αὐτόπτης fuisti. Habes ergò nunc, Clarissime Domine Doctor, rarioris hujus casus descriptionem, quam si luce, lectuque dignam judicaveris, esto. Scripsi Ulmæ Suevorum, ex Musæo, die ultima Mensis Novembris, Anno Millesimo, sexcentesimo, vicesimoquarto, ipsa D. Andreæ Apostoli, &c.

Tuæ Excellentiæ

Studiosissimus,

Moyses Heldt / D. ac Physicus Ulmensium ordinarius.

OBSERVATIO VII.

Vulnus Capitis sclopeto inflictum, cum raris accidentibus.

NOtabilis est casus M. Miccii p. m. filii, Amanuensis Nobil. & Magnif. Viri, Dn. Christiani Libentalii, JCti & Legati Hassiaci, qui cum Viennæ, superioribus annis, à latronibus extra civitatem sclopeto circa suturam lamdoidem, in postica Capitis parte sinistri bregmatis, graviter vulneraretur, adeo ut pro mortuo tractaretur, expe-

experientissimorum tamen Medicorum & Chirurgorum ope pristinæ sanitati, quo ad vitalem & naturalem facultatem restitutus fuit. At quo ad animalem operationem, omnes facultates principes, intellectus, phantasia & memoria penitus abolitæ fuerunt, ita ut jam de novo legere, literasque pingere discat. Inter cœtera verò notatu dignum est, quod dextro oculo directo pronoque, non videntur ea, quæ à latere dextro posita sunt, sed potius quæ versus sinistrum latus occurrunt, unde colligo, species in oculo inverti, quatenus versus sinistram partem tunica reticularis adeo exiccata est, quò minus spiritus visibiles recipere possit.

OBSERVATIO VIII.

Vulnus Capitis os frontis dividens periculosum, adhibito trepano curatum.

ANno 1626. 11. Octobr. Georgius Seiz, Rusticus, annor. 40. nocturno tempore gladio graviter in Capitis anteriori parte vulneratur, qui mox incidit in Empiricum, qui pertusionem cranii non observans, adhibitis sarcoticis vulnus externum consolidare nititur. Cùm autem indies graviora fierent symptomata, suasu suorum huc Ulmam se confert, & 20. Octobr. me cum Clariss. Collega, Dn. D. Joh. Sculteto, in Chirurgicis operationibus exercitato, consilii causâ vocat. Consideratis ergo circumstantiis, anguem in herba latitare suspicabamur, quam ob causam vi quodammodo dilatato vulnere, cranium ipsum per laminam utramque divisum deprehendimus, sub eodem purulentâ materiâ collectâ, cujus egressus, expiratione per nares, ore clauso, promovebatur. Prognostico facto, trepanum adhibendum esse diximus, quam ob causam, viribus constantib. adhuc, ægrum benè sperare jussimus, 21. Octobr. cum Electuar. Lenit. præcedenti die vacuatus esset, rectâ sectione cutim ad rectitudinem fibrarum musculi frontis, vel supercilii potius, dividendam esse statuimus, ne per crucem, ut aliàs fieri solet, divisione factâ, læsa transversim prædictis musculi fibris, palpebra superior postea deprimeretur, quod Anno 1614. 7. Mart. Eisenbachii, per lapsum ex alto, musculo hoc contuso, fœminæ cuidam accidisse memini. Facta itaque sufficienti incisione, cutis à Cranio separabatur, & linteolis rasis, pulvere stegnotico conspersis, ac albumine ovi parumper exterius humectatis, vulnus ligabatur. 22. sanguine firmiter subsistente per Collegam meum trepanum fuit adhibitum, cujus operatione peractâ, dura mater aliquantulum etiam læsa & inflammata conspiciebatur, sanie tenui per foramen ejus parvum ebulliente. Mox igitur *inflammationem alterare, saniemq́ quotidiè detergere conati sumus, non neglectis internis lenitivis evacuationibus reiteratis, tum etiam ordinatâ victus ratione tenui*, qua ratione post elapsas septimanas tres perfectè restitutus fuit æger, hactenus in annum tertium pristina sanitate gaudens. *Manifestum* igitur non tantum in principio, sed etiam in progressu Morbi trepanum concedi posse, modo laborantis vires adhuc constent.

OBSERVATIO IX.

Jo: Freitag. Med. Ratisbon.

GREGOR. HORSTIO D.

P. P. Anno 1634. Mens. Julio in obsidione Ratisbonensi Juvenis nobilis ex Halinis Saxonicis sub Colonello de Barr, ex bombarda Mosqueta globo plumbeo tactus in vertice, ubi sutura sagittalis cum lambdoide concurrit, & concentratur, globus mansit sub pileo, & primo intuitu reliquit leve vulnus in pericranio, quod negligentiùs, contra Hippocratis cautelas, à Chirurgo per aliquot septimanas tractatum, donec Chirurgus peste extinctus, sub autumni finem, decursu vitæ lampada alii traderet, qui vulnus in ulcus sordidum degeneratum, cum labiis prætumidis & duris, nec non ossis nigredinem altè & fixè inhærentem vidit. Hic Chirurgus Dominus Jacob Scholtz nulli parcens labori neque studio, omni nisu allaboravit, quo modo labia prædura & tumida tolleret, Vulnus manifestius redderet, os exiccarret, saniemque copiosissimam absumeret. Verùm cum ossis nigredo neque medicamentis, neque instrumentis posset tolli, & caro suppullulans per futuras animadverteretur, in consilium & me adhibuit, ubi rebus omnibus præmeditatis, & corpore prædisposito, nullum tutius occurrebat remedium, quam ut latiori candenti ferro per intervalla cranium nigrum cauterisaretur, & successive os Occipitis mollius redderetur, nec non beneficio sagacis naturæ, quæ sæpius prævertit Medicum, solveretur.

Hoc mense Maji factum, ubi natura maximum os ponderis civilis lotonum trium vel unciæ unius semis, protrudebat, paulo post sequebatur minus drachmarum quinque: minima ossa numero 83. indies excernebantur, usque ad mensem Augusti, ubi sartus tectus, DEI gratia, patrios repetebat Lares, cum omnium stupore. Particulę ossium fuêre numero 85. pondere ferè quadrantis libræ, ut in schemate transmisso apparet. Pro propugnaculo, & occipitis firmamento, provida natura carneam massam supraduxit, quæ exorta est ex Hippocrat. διπλοῆ, quam ipse describit l. de vuln. cap. Spongiæ similem, & os ipsum in se carunculas multas humidas habere affirmat. His obtentis, Dn. Patiens non amplius de Cephalalgia conquestus est, nec de reliquis antegressis Symptomatibus, & seriò affirmavit, se magis valere memoriâ, quam ante acceptum vulnus: quod paucis septimanis elapsis per literas ex Patria adhuc contestatus est. Hîc intactum non possum relinquere, *an in vulneribus sclopeticis Empyreuma simpliciter negandum?* Respondeo, quod vulnera sclopetorum juxta contusionem cum combustione complicentur, prout cominus vel eminus impressio fiat, & pro copiosioris pulveris & globi impacti ratione: ipse enim expertus sum, si vulnus illatum fuerit cominus, tunc pulveris tormentarii vis non omnis erat dissoluta, sed una cum globulo adhuc calente, ignea comitante vi, adusque vulneratam partem delata fuit, cum granulis cuti infixis, cutisque apparebat livida, & quasi ambusta; vidique etiam vestigia illius in veste & interula: imò labra vulnerum videbantur

debantur escharotica dura, parum sanguinis stillantia, quæ etium comitabatur subita inflammatio in tota circumferentia, cum intensiore siti, quod in aliis simplicioribus contusionibus ex ictu lapidis & alterius corporis durioris nunquam deprehendi. Præterea sanctè affirmare possum, quod ego ipse globos tormentarios majores, in obsidionibus duabus in nostram urbem immissos, per calorem intensissimum non potui attingere: minores, qui post temporis intervallum ad arsenale deportabantur, sæpius tetigi, & semper adhuc inesse calorem sensi, quod etiam manifeste, in plumbeis globulis observavi, in ædes immissis. Meam sententiam etiam confirmat cura, quæ semper auspicanda est ab inflammationem prohibentibus ubi in circuitu partis vulneratæ saniores Chirurgi studiosè adhibent, Oxyrrhodinum vel poscam, vel unguentum ex bolo Armeno, ol. Rosa. & parum albuminis ovorum, deinde digerentia, mundificantia & cicatrisantia: Interius propinant Salem nitri, vel Prunellæ, cum optimo successu. Quid sentiendum de globulis veneno delibutis norunt Sicarii, & ipsa hostis malitia loquitur. Si pulvis, tormentarius per se esset venenatus, non fieret in febribus malignis & Sclopetorum vulneribus militum præsentissimum & familiare alexiphamacum. Temporis angustia intercludor, ne addam reliqua in Chirurgicis observatu digna. Inaudivi sub prælo fervere tertium librum Epistolarum Medicinalium, cui varia, de Peste aliisque gravioribus morbis inseruntur scitu digna: cum T. Excell. placeat, etiam meum conferre σύμβολον, proxima occasione quædam de Peste, nostram urbem ante sesquiannum invadente, addam. Interea feliciter vale cum tuis, Ratis bonæ Idibus Martii 1606.

OBSERVATIO X.

Hemicrania per abscessum auris soluta.

Quæstor Grünbergensis Iohan. Reiser, Senior, sexaginarius Anno 1609. ante octennium incidit in gravissimum & diuturnum capitis dolorem respectu partis dextræ: magis hyeme quàm æstate affligitur, constitutione corporis calidus & siccus, quoad nativum temperamentum, quod propter ætatem inclinantem ad contrarias qualitates mutabatur, unde multis fluxionibus erat obnoxius: supervenit gravis auditus, ac vehemens auris internæ dolor pulsatorius, donec rupto abscessu purulenta materia per auris cavitatem proflueret, ac vehementissimum dolorem terminaret.

RESOLVTIO.

Causa hemicraniæ hujus.

GRAVIS hîc aderat *Hemicrania seu dolor dimidii capitis*, ab acri materia catarrhali per congestionem maximè, præter naturam circa sensiles cerebri membranas collecta, propter concoctricis imbecillitatem, ob *ætatem inclinantem*, unde fluxionum materia prioribus annis per habitum corporis dissipata, vel consuetis viis robore facultatum expulsa, circa spacia meningum intermedia relinquebatur, *id q; magis hyeme quàm æstate*, propterea quod hoc tempore dissipatio excrementitiorū humorum difficilius peragatur, corporisque pori magis obturentur. *Hic 1. antecedentis causæ respectu continuas exhalationes ab intemperie viscerum concoctionis ascendentes ad caput inhibendæ: 2. Quod affluxum erat, ad proximiora loca derivandum, 3. ipsa causa continens attenuanda & dissolvenda: & capitis imbecillitas corroboranda videbatur.*

Cur exacerbatio fuerit in hyeme.

Indicationes.

Pro 1.

Pro primo jecoris calidiorem constitutionem juxta nativum temperamentum alterandam esse putavimus, tàm per ea, quæ moderatè refrigerando bilis collectionem & viscerum obstructionem præcavent, ut sunt cichorei radices cum passulis decoctæ, vel earundem radicum conserva, cum modico Saccharo præparata, item confectio diarrhodon Abb. sive speciebus, conf. diatrion santalon & similia, quam per ea, quæ contenta præter naturam evacuant, ut sunt Rhabarbarum ad pulverem incisum, & cum Cassia sumptum, ut & vinum laxativum, quod ex infusione Rhabarbari, Agarici & fol. senæ fieri potest, additis simul corrigentibus & adjuvantibus. Inprimis autem non negligenda, quæ concoctionem ventriculi juvant & crudas evaporationes impediunt, quo fine post pastum pulveres peptici conveniunt, ubi in hoc casu talis conveniens fuit:

℞. *Pulv. panis albi tosti* ℥ jß.
Coriandr. præparat.
Ros. rubr. exiccat. ana ℥ ß.
Mastych.
Corall. rubr. præparat.
Cinam.
Nucis Mosch. ana ʒ j.
Sacchari ℥ iij. *F. pulvis.*

qui cum pane tosto in vino humectato sumatur. Ante somnum utatur morsulis contra fluxiones quantitate ʒ ij.

Vide lib. 2. de Sanitate tuenda cap. 5.

℞. *Nucis Mosch.*
Olibani elect. ana ʒ j.
Masticis.
Pulv. liquiritiæ ana ℈ ij.
Corn. C. usti prap. ʒ j.
Coriand. præparati ʒ jß.
Conf. ros. antiq. ʒ vj.
Sacch. ℥ viij. *in Aq. ros. diss.*
F. Confect. in morsulis.

Pro 2.

Pro secundo, quoad derivationem affluxæ materiæ, post evacuationem totius & capitis, per pilulas de Hiera cum Agarico & similes, quod singulis mensibus declinante luna necessarium erat, cucurbitulas cum scarificatione ad cervicem & scapulas extra balneum suasimus, ut & Emplastrum vesicatorium ad nucham.

Pro 3.

Pro tertio, quoad continentem materiam attenuandam & dissolvendam, omni ingenio medicamenta varia præscripsimus, tàm interna quàm externa. Non enim solum per continuatum usum decoctionis scorzoneræ, Fœniculi, Herbæ betonicæ, Fl. stœchados & similium, cum Syr. de betonica, materiam præparare, sed etiam per pilulas eandem diversis vicibus evacuare conabamur, exterius fomentis ex decoct. foliorum Nicotianæ, cataplasmatibus ex radicibus Cucumeris asinini, fol. verbenæ, rutæ, chamæ-

Signa suppurationis futuræ.

chamæmeli & similium non neglectis. At superveniente *gravi auditu, doloreq́ pulsatorio* circa regionem auris dextræ, nullam dissipationem, sed potius suppurationem expectandam esse statui, quam ob causam ad imitationem *Foresti lib. 9. Observ. 61.* pro leniendo dolore capitis partem dolentem Unguento sequenti frequenter inungebam, quod ℞. Unguenti Alabastrini (quod pro arcano commendat in quovis dolore capitis) Chamæmelini & anethini ana ℥ß. quo facto sequens Cataplasma commendavimus, quod ℞. *Rad. Cucum. asinini. Althea ana ℥j. Herb. Malvæ. Meliloti, Chamæmeli ana Mj. coq. & pistentur ad mollitiem, adde pulveris Cumini ʒjß. Butyri recent. q. s. F. cataplasma, quod loco dolenti calidè applicetur.* Hoc modo magis maturatâ materiâ, copiosè per aurem pus & sanies reddebatur, ubi pro majori promotione materiæ vaporem calidum ex decoctione rad. Asari, Castorei & seminis Fœniculi aliquoties in die præscripsimus, ut & immissionem aliquot guttularum ol. amygdalarum amararum cum pauxillo ol. fœniculi permisti. His continuatis per dies aliquot malum dolorificũ remisit, ubi pro *intentione quartâ* præservatio fuit instituta per ea, quæ ad capitis corroborationem & catarrhorum præservationem faciunt, qualia sunt illa media, quæ lib. 1. de tuenda sanitate præscribuntur, & in sequentibus observationibus pluribus in specie determinabuntur.

Pro 4.

OBSERVATIO XI.

Capitis dolor & imbecillitas cum catarrho.

Pastor quidam prope Darmbstadium, M. Hieronymus Gerhart, ætatis circiter annorum triginta, constitutionis nativæ calidæ siccæ, quo ad viscera concoctionis, sed à teneris unguiculis catarrhis admodum obnoxius, Anno 1614. Mense Iulio Medicam implorat opem, propterea quòd maximos dolores circa tempora patiatur, inprimis in nebulosa aëris ambientis constitutione, cum imbecillitate capitis, quoad operationes animalium facultatum internarum, appetitu sæpius dejecto, siti circa prandium & cœnam in principio mox urgente.

RESOLUTIO.

Catarrhorum noxa.

Catarrhum præcipuorum morborum causam non immeritò Medici statuunt, ubi juxta Hipp. septem potissimum viæ monstrantur, ad quas à capite materia fluit, videlicet aures, oculi, nares, palatum, venæ & arteriæ, vertebræ spinæ dorsi, & nervi. Quo ad præsentem observationem inquirendum in causam antecedentem istarum destillationum, ubi primò *caput* sese offert, quod suâ naturâ tanquam receptaculum & labrum serosæ superfluitatis, quatenus quisque secundum naturam os & linguam semper sibi madescere percipit, unde membranæ quoque cerebri per anatomiam semper aqueo quodam humore conspersæ conspiciuntur: at ubi *viserum intemperies* accedit, præter naturam fumorum & humorum multitudine communicatâ, talis fluxionum materia cumulatur, ubi maximè *calida siccáq́* viscerum secundæ concoctionis constitutio nimis citò alimentorum humiditatem exorbendo, ventriculique chylosin interturbando, malo huic occasionem præbere potest. Hine facilè patet, *cur iis, quibus destillationes capitis frequentes, ventriculus frigidus sit*, scilicet quod immoderatus epatis & lienis calor duplici modo noceat, nimirum ventriculi calorem naturalem immoderatione suâ debilitando & dissipando, ac fundum ventriculi, & ipsius externum fomentum epiploon, cùm immodicus est, extenuando, ut propterea quasi contabescant, ut *Crato habet in Consil. Medic. consil. 3.* Deinde. *Cur viscera sanguificationis in causa sint fluxionum*, quatenus propter vehementem attractionem, ob calidam siccam naturam, ante tempus serosa humiditas, cruda adhuc, à ventriculo trahitur, quæ postea, quatenus vitium concoctionis primæ in secunda non corrigitur, in massa sanguinis venosi & arterialis remanet, & adjuvante ebullitione, in capite, quò aliàs naturā suâ tendit, tanquam receptaculo proprio colligitur, unde fieri non potest, quin *in talibus ipsum caput alienâ humiditate* plurimùm scateat, inprimis externis etiam causis concurrentibus, ut sunt evacuationum consuetarum retentiones, ventus austrinus, &c. Patet hoc ipsum in præsenti casu, quatenus hic *constitutio viscerum sanguificationis calida sicca* deprehendebatur per illa signa, quæ Gal. lib. artis parvæ proponit: *ventriculus frigidior & in concoquendo imbecillior*, tàm propter inæqualem intemperiem in suâ operatione frequenter impeditus, quàm propter læsionem ab objecto externo, fluxionibus à capite sæpius eò decumbentibus: *caput præter naturā humiditate excrementitiâ à teneris abundans*, primò quidem calidius justò, promptè serositates attrahens, ac postea copiosam fluxionum materiam propter antecedentes causas dictas diutius fovens, *inprimis in nebulosâ aëris constitutione, qualis austrina est; ubi dolores ingentes circa tempora* nascebantur, effervescente fluxionum materiâ, ibidemq; suum exitum quærente, sensilesque partes vellicante; *cum imbecillitate capitis*, scilicet respectu sensuum internorum, quos nimia cerebri humiditas obtundit, spirituumque animalium segnitiem quandam ac torporem introducit; *appetitu sæpius dejecto*, tam propter defluentes serositates ad ventriculum decumbentes, quæ concoctionem impediunt, quam propter stomachicorum nervorum humectationem, segniter postea animalem famem urgentium; *siti mox urgente circa principium mensæ*, propter attrahentium viscerum caliditatem & siccitatem. Hic præservationis ergò eò respiciendum esse puto, *ut 1. viscerum sanguificationis intemperies calidior & siccior corrigatur. 2. materia copiosè ad caput ruens omni ingenio revellatur. 3. materia destillationum in capite collecta resolvatur, derivetur & evacuetur: 4. cap. & ventriculus corroboretur.*

Inquisitio in causam catarrhi præsentis.

Cur catarrhosis ventriculus frigidus?

Quomodo viscera sanguificationis catarrhos generent.

Accommodantur prædicta ad præsentem casum.

Indicationes.

Pro 1. ergò singulis semestribus evacuationem præscripsimus ad serosas humiditates evacuandas respectu totius, ubi leniens hydragogum tempore verno confici potest, ex summatitibus sambuci primum erumpentibus, lento calore exiccatis, & ʒj. pondere cum brodio prunorũ sumptis; tempore autumnali conveniens erit usus Syrupi de

de spina infectoria, cujus descriptio est apud *Solinandr. in consil. Med. sect. 1. Cons. 20.* Hoc vel simili præmisso venæsectionem suasimus, cum hac ipsâ sanguis serosus non tantum minuatur, sed totum quoque venosum genus amicâ refrigeratione reficiatur, quâ præmissâ digestivum longum non inconveniens erit, quod hoc modo parari poterit.

℞. *Rad. Cichorei* ℥jß.
Petroselini.
Glycyrrhizæ ana ℥ß.
Herb. Fumariæ.
Centaur. minor. ana Mjß.
Fl. sambuci Mß.
Sem. fœniculi ʒjß.
Decoq. in sero lactis caprini destillato ad 3.

Coletur ℔jß. *de qua decoct. singulis diebus bis per septimanas duas sumantur* ℥iiij. *Continuatis his. Morsulorum de Mechoacanna d. n.* ʒv. *sumantur jejuno stomacho pro evacuatione, superbibendo brodium pisorum, abstersionis gratiâ, nec subsequentibus diebus sudores aliquoties habendi negligantur, adsumptis primò, vel electuario ex Rob. Ebuli* ℥ß. *cum Aq. fl. sambuci dissoluto, vel spiritus Ebuli* ℥ß. *cum Aq. fumariæ* ℥ij. *permisti, vel etiam aliis hydroticis insigni caliditate destitutis, ut sunt C. C. ustum, terra sigillata, lapis Bezoar, &c.* tandem pro corroboratione, nimioque calore præcavendo frequens fit usus Electuarii sequentis, duabus horis ante cibum, quod ℞.

Cons. rosarum victriolata ℥jß.
Spec. diarrhod. Abb. ʒj.
Syr. conservat. cort. citri q. s.
F. Electuarium.

Pro secundo: materiam ad caput confertim ruentem omni ingenio revellendam esse judicamus, quod fieri potest interius per ea, quæ crudas exhalationes à visceribus concoctionis ascendentes reprimunt, ut sunt Morsuli contra defluxiones, quorum superiori observatione mentio facta fuit, quando vespertino tempore ante somnum quantitate ʒij. quotidie usurpantur; diacydonium simplex ℥ß. post cibum sumptum; nux itidem moschata condita quartâ sui parte, cum nocturnæ quieti jam jam operam dare conamur, commodissimè deglutitur: exterius balnea pedum ex herbis convenientibus præscribantur, ut sunt decoctiones fl. betonicæ, salviæ, lauri serpilli, florum chamæmel. additis rosis rubris; balnea excipiant extremorum frictiones & ligaturæ, vel menstruæ fiant evacuationes per scarificationem in cruribus, aut cauterium aliquod in tibia sinistra gestetur.

Pro tertio: quoad materiam adfluxam, eò allaborandum, ut fiat attenuatio, derivatio & evacuatio. Hæc tentare possumus interius per masticatoria, quam ob causam frequenter matutino tempore grana Mastychis masticentur, vel juxta Fernelium ℞. *Sacchari candefacti* ℥j. *Mastich.* ℥ß. *Piperis longi, Pyrethri, Staphisagriæ ana* ʒj. *F. pul.* qui nodulis parvis comprehendatur, & dentibus comprimatur: item per sternutamenta, à levioribus incipiendo, nimirum frequenter Aquam Majoranæ parumper calefactam attrahendo; vel ℞. *Rad. Betæ* ℥j. *Hordei integri. Glycyrrhizæ, passul. minorum ana* ℥ß. *Aq.* ℥x. *Mellis* ℥ij. *F. decoct. ad tertias: In colatura macera Rad. pyrethri* ʒj. *sum. Majoranæ, sem. Nigellæ. ana p. j. post 24. horas exprimatur liquor, qui naribus tepidè attrahatur.* Exterius ambientis aëris qualitas siccior fit, absque insigni caliditate, quæ aliâs humores solvendo magis caput replet, ubi suffitus moderati conveniunt ex pulvere styracis calamitæ, pauxillo succini albi addito, vel trochisci pro fumo fiant: ℞. *Styrac. cal. Benzoi, ana* ʒjß. *Tacamachacæ* ʒij. *Caryoph. Cinam. ana* ʒj. *Cons. ros. q. s. ad incorporandum, guttis aliquot Aq. Cinam. sæpius adjectis, F. Trochisci pro fumo, pro ditioribus Moschi gr. v. admistis: sacculi* quoque *capitales* non omittantur, qui fieri possunt ex iis, quibus inest vis exsiccandi, sine insigni caliditate, ut sunt Fol. betonicæ, Majoranæ, Fl. rorismarini, Nux moschata, Santalum, Mastyx, succinum, Rosæ rubræ, Sem. nigellæ & similia. Maximè verò huc facit *Emplastrum Vesicatorium* cervici applicatum, & aliquot diebus apposito brassicæ folio, renovato manè vesperique, vesicis apertis retentis, ubi serum acrius copiosè proximam ad partem derivatur.

Pro quarto: caput & ventriculum roborandum esse judicamus; quatenus enim ventriculus in concoquendo segnior est, eatenus pro corroboratione ejus diæta non negligenda, ne piscium, lacticiniorum, in sartagine coctorum & similium difficilis coctionis alimentorum esu cruditas promptè fiat: absit omnis repletio & varietas, tàm quoad esculenta, quàm quoad potulenta: primus haustus, non ad primam sitim tamen, ut pote quæ aliquandiu toleranda, sit vini salviati vel Rorismarini, vel alterius, quod caput ac ventriculm roborare natum est. Jejuno stomacho frequens fit usus Electuarii sequentis, quod ℞. *Conf. Betonicæ, Rorismarini, ana* ℥j. *Borrag.* ʒvj. *Spec. diamoschi dulc. diambr. ana* ʒß. *Nucis Moschat. cond. Zing. in India conditi ana* ʒij. *cum Syr. de Beton. vel stœchade q. s. F. Electuar. cui Spiritus vitri. gutt. vij. addantur.* Hujus loco confectio quoque diamosch. dulc. aromati. diarrhodon Abbatis cum speciebus, dianisi & similes conveniunt. Exterius cucupham gestet, quæ conficiatur cum Fl. *chamameli.*

Anthos,
Stœchados. ana Mß.
Rof. rub.
Balaust. ana ʒjß.
Sem Nigellæ,
Coriand. prap. an ʒj.
Macis,
Nucis Moschatæ ana ℈ij.
Fiat pulvis grossus ad bombacem pro Cucupha.

OBSER-

OBSERVATIO XII.

Gravis Catarrhus:

Vir Clariss. & Excellentissimus

DN. NICOLAUS BRAUN, PHIL. ET MED. D. ATQUE IN ACADEMIA MARPURGENSI PROF. PRIMARIUS.

GREGOR. HORSTIO, D.

SUrgente Nobilissimâ Matronâ, *Iulianâ*, Conjuge Nobiliss. & Strenui *Iohannis à Linsing*, Consiliarii Illustrissimi nostri, nolui intermittere, *Vir clarissime, fautor & amice colende*, quin te certiorem facerem, prædictam Nobilissimam fæminam, hactenus per septimanas aliquot difficili arthritide laborasse, quæ tandem, Dei gratiâ, vicissim expugnata est, ita ut de eâdem amplius nihil conqueratur. Cùm verò, durante morbo articulari, catarrhus non tantùm copiosè per nares, sed etiam cumulatim ad pectus eidem decubuerit, ita ut in hunc usque diem imminentes quasi suffocationes interdum pati videatur, cum tussi difficili, nocte dieque affligente, idcirco majorem in modum petit, ut eidem tuo quoque consilio deesse nolis, num fortè conjunctis viribus per Dei gratiam eò usque morbum lenire possimus, ut instantibus Sororis Nobilissimæ nuptiis, Darmbstadii celebrandis, interesse queat.

Diuturni Catarrhi causa. Quod verò diuturnum, & difficilem catarrhum attinet, illius sum opinionis, causam præcipuam in intemperie ventriculi, jecorisque calidiore consistere, quâ de causa *sitis vehementer urgens* ferè semper adest, unde potulentorum copia, sursum evaporando, catarrhorum materiam continuam præbet, quæ postea coagulata protinus ad pectus defluit, & ibidem angustiam, difficultatem spirandi tussimq; difficilem producit. Non rarò prædicti effectus, tàm respectu catarrhorum, quàm etiam quoad tussim non parum leniti fuerunt, ubi spontanea vomitione ventriculus à copiâ phlegmaticæ & serosæ materiæ superfluæ sese liberavit, interdum capitis expurgatio per nares promptè succedere consuevit, imò expectoratio quoque, quod jam dum collectam in pectore materiam attinebat, & interdiu, & noctu, copiosè per naturam facta, non parum levaminis afferebat. Hinc factum fuit, cum ipsamet natura, tàm vomitionibus, quàm expectoratione potissimum sibi succurrere videretur, ut parùm de medicamentis assumptum fuerit, nisi quod pro materiæ peccantis abstersione pilulæ Cochiæ & de Agarico usurpatæ sint: Conservam quoque Rosarum & trageas stomachales ex temperatis pro ventriculi exiccatione & confortatione præscripsimus, quarum virtus ob continuum potum non parum diminuta fuit. Extrinsecus cucuphas, & pulverem pro suffitu, ad cerebri corroborationem, ejusdemque excrementorũ exiccationem, ut etiam stomachi inunctiones & Epithemata &c. ordinavimus. Pectoralia propter facilem expectorationem non necessaria judicavimus, cum potius ad ventriculum, & hepar, tanquam originem catarrhorum, respiciendum videretur: imò venam etiam his diebus aperiendam esse duxi, cum Corpus ad vasa pethoricum esset. Cæterum cum nocte præcedenti Nobiliss. Matrona, propter defectum expectorationis, imminentem quasi suffocationem pateretur, ita ut etiam per horas aliquot rectâ tantum cervice spirare cogeretur, adeoque valdè Catarrhum suffocativum metueret, maximopere rogavit, ut de hac ipsius valetudinis adversæ statu te certiorum facerem, tuumq; consilium salutare expeterem. Interim hodiè infusum ex agarico, & Turpetho, præmisso digestivo pectorali, adhibui: pulverem præterea ex spec. diarrh. Abb. cum Cinamomo & Mastiche, pro ventriculo & hepate, evaporationum diminuendarum gratiâ, itemque pulverem grossum ex sem. Anisi, Fœniculi & Cinamomo, cum confect. Fœniculi propter flatuum discussionem, quibus & ventriculus & pulmones distenduntur, quemadmodum & Zingiber conditum, præscripsi. Discussis flatibus præscribentur reliqua particularia, quæ videbuntur necessaria pro ventriculi & capitis corroboratione, nec non peccantis humoris exiccatione, pectorisque, quæ subesse videntur, excrementorum expectoratione &c.

Hæc ad petitionem Nobiliss. Matronæ te celare nolui: Tu boni consule, pro candore tuo, quid ulterius necessarium esse ducas, responde. vale. Raptim, Marpurgi, 29. Januarii, 1620.

RESPONSIO GREGORII HORSTII D.

Ad

Clariss. & Excell. Dn.

NICOLAUM BRAUN. Phil. & Med. D. ac Prof. in Academ. Marpurgensi.

S. Literas tuas, Vir Clariss. & Excellentiss. fautor & amice pl. colende, quas in gratiam Nobiliss. Matronæ, Nobiliss. ac Strenui *Dn. Iohannis à Linsingen*, Consiliarii Hassiaci spectatissimi, fautoris mei singularis, Conjugis, ad me dedisti, rectè mihi traditas esse scias, quibus non tantum Nobilissimæ difficilis affectus gratiâ me certiorem fecisti, sed simul etiam tui erga me favoris τεκμήριον satis superque mihi edidisti, dum præter ea, quæ dextrè & abundè hactenus in gratiam ægrotantis exhibuisti, meum etiam Consilium, penitus hac in parte supervacuum, expetis. Quamvis autem juxta indicationes medicas hactenus omnia dextrè administrata sint, ita ut non videam, quid à me proficisci queat, quod præter ordinata tua media, Nobiliss. matronæ levamen aliquod præstare possit: nihilominus ut expectationi ipsius ex parte satisfiat, breviter, quid mihi peragendum ulterius videatur, subjiciam: tu boni consule, & pro Judicio tuo mutanda muta, & ad subjectum laborans accommoda.

1. Intemperies viscerum concoctionis corrigenda. Protinus autem *primo loco* tecum causam antecedentem corrigendam esse censeo, tàm iis, quæ calidam intemperiem alterant, quàm etiam iis, quæ superfluitates circa primam atq; secundam regionem evacuant, ubi præter ea, quorum

quorum mentionem fecisti, pro evacuatione dilutum Agarici cum Extr. Diacnicu placeret, pro alteratione vero conserva Radicum Cichorii, cum confer. Rosar. vitriolatâ non inconveniens videretur. His usurpatis *secundo loco*, quantum fieri potest, evaporationes ad caput ascendentes impedirem, quod præter cætera commodùm præstarent, & pillulæ de succino Cratonis, nec non Morsuli contra defluxiones ex conf. Rosar. antiq. mastiche. thure, nuce mosch. &c. vespertino tempore antè somnum diebus alternis usurpati. *Tertium* in derivatione materiæ, jam in capite collectæ, consistet, quo fine vesicatorium Emplastrum de Cantharidibus ad nucham ponerem.

2. Evaporationes ad caput impediendæ.

3. Materia in capite collecta derivanda.

Nec etiam pro 4. Catarrhi suspendendi gratiâ pulverem ad insperfionem circa verticem, ut & sacculos ex Nigella, mastiche, nuce moschata, &c. negligerem. *Tandem defluxam materiam*, pro expectoratione, incidendam & digerendam esse statuerem, quo fine Oxymel de Peto Quercetani probarem, ut etiam Rotulas ex dissoluto succo glycyrrhizæ, cum speciebus diatragacant. frig. ol. fœnic. Saccharo in aq. veronicæ dissoluto confectas.

4. Catarrhus confertim ruens suspendendus.

5. Materia adfluxa præparetur & expectoretur.

Hoc modo convenienti simul victus ratione non neglectâ procul dubio, juvante divinâ gratiâ levamen catarrhi, tussisq; difficilis sperabimus. Interim T. Excell. benè valeat, & prædictum virum Nobilissimum ac strenuũ, cum conjuge Nobiliss. officiosè salutet, meaq promptissima servitia offerat. Iterum bene valeas diutissimè, felicissimè. Raptim Giessæ Cattorum, 3. Februar. Anno 1620.

GREGOR HORSTIO, D. Profess. Medico in Academia Giessena, AMICO SUO.

S. Clarissime & Excellentissime Dn. D. amice multis nominibus colende, rogavit parens *Dn. Iani*, alumni in vestrâ Academiâ Giessenâ, ut sibi consilium de curandâ raucedine præscriberem. Non potui equidem non facere, quin petitioni huic satisfacerem, idque minus gravatè, si de nativâ adolescentis temperie, corporis habitu viscerum internorum concordi, sive discordi concordiâ, quicquid constitisset: nec non de remediis huc usque adhibitis, quâ item usus victus ratione, & cæteris ex mutatione, & variatione sex rerum non naturalium, si cum hac & vestrâ regione collatio instituitur, &c.

Verum ne meo officio defuisse videar, consignabo ea, quæ in rem præsentem facere arbitratus sum. Cum affectus ille, sive raucedo, sine dubio foveatur à Catarrho, irritatâ expultrice à copiâ & tenuitate, in capite coacervatâ, ob malam cerebri digestionem, unde in partes subjectas defluit, & ab eâ, cui impingitur, vel à quâ recipitur, appellationem Branchi, sive raucedinis accipit: causam potius arbitror frigidam ac humidam esse, quod de nullo calore, tumore, rubore, siti, &c. conqueratur, cui victus ratio, quæ apud vos, alia, ac à nostra diversa est, astipulatur. Hac in re cum mihi omnino persuadeam, Dn. Doctorem *causæ antecedenti* jamdudum prospexisse, ut *conjuncta* adimatur, nec in posterum nova fluxionis materia generetur, partesque roborentur, omnino propinarem decoctum Chinæ & sarsaparygliæ. Nimiopere hoc non exiccabit, præsertim, si in decoctione addatur particula carnis vitulinæ, ex imitatione *Fernelii*, qui eâ usus fuit in phthisico, quem ligni decocto ex asse restituit, adeo ut pinguior postmodum factus fuerit ex hujus usu, ut videre est in consiliis ipsius circa finem. *Zwingerus* commendat corticem Guajaci, cui inesse vim scribit, & purgandi, & aperiendi multo efficaciorem ligno, ob salis copiam: ad ℥j. affundit aquæ lib. vj, coquit ad medium, ut videre est apud *Cratonem* 1. *Epist. pag.* 333.

Inquisitio causæ raucedinis contumacis.

Decoctum Chinæ sarsaparygliæ, ad fluxiones exiccandas etiam in hectica dispositione.

Vult autem addi decocto olei sulphuris gutt. vj. ut dosis decocti fiat mole parcior, viribusque major. Vide Craton. 2. Epist. pag. 288. Ad capitis robur & suspensionem catarrhi duo mihi probantur, certâ experientiâ fidem faciente.

Ad capitis robur.

Primum: usus pilularum Asaireth & Arabicar. ana, detur omni vesperâ ituro cubitum ℈j. vel ʒß. Alterum est *Ludovici Mercati*, qui improbat Galeni Emplastrum ex stercore columbino, ejusq; loco commendat pul. rosl. santal. citr. corall. pp. spicæ celt. Sandaracæ Arab. & quarto quoque die super caput rasum spargit. Possunt & tegumenta capitis nocturna suffiri hoc pulvere.

℞. *Sandar. Arab.*
Thuris ana ʒij.
Ligni Aloës ʒjß.
Salviæ ʒvj. *f. pulvis.*

Saccul. ad caput in forma Cucuphæ interdiu ex Sandar. thure, rosis, chamamel. Stœch. Majoram nuce mosch. gr. junsper. pip. longo, cubebar. garyophyl. & ligno Aloës gestetur.

Pro ventriculi corroboratione universali, & ut ascensus vaporum ad caput prohibeatur, ne item hepar, si fortè ad calidum inclinat, ut sunt nostra in Austria corpora distemperata, ulterius lædatur, mihi magnopere tragæa Cratonis ex bis cocto pane, item ex Coriand. Cinamo. Mastic. rosl. ebor. car. Cydon. Corall. pp. & pelliculis stomach. gallinar. &c. probatur.

Ad corroborationem stomachi.

Inter localia medicamenta ego cum fructu expertus sum Elect. phonascorum, quo usus est *Forestus in Laurentio Zaffio, concionatore, ad vocem instaurandam, in lib.* 15. *de ægritud. vocis, pag.* 637. vel Sacch. Cand. misto cum Ol. Amygd. duc. pro lambitivo, nec non Loch. de pino, vel sano, aut trochiscis bechicis, diatrag. frig. &c. Habet præterea *Forestus* aliam compositionem, quam cum fructu sæpius usurpavi.

Localia ad raucedinem.

℞. *Succi liquir.*
Sacch. al. ana ʒij.
Sem. portulacæ.
Cucum.
Melon.
Citrull. mundat. ana ʒß.
Amyli.
Tragacant. ana ʒj.
Sacch. penid. ʒijß.
f. pil. sublinguales.

Valde proderunt cucurbitæ ad scapulas cum scarificat. & in

& in victus ratione dabitur à Dn. ægro opera, ne peccetur, utque ea circa vesperam admodum parcè ac sobriè instituatur: nec parum proderit, si omni septimanâ bis incœnatus cubitum eat.

Hæc mihi placuêre in gratiam Dn. Parentis, & ægri, quem meo nomine officiosissimè salutabis, ut scripta transmitterem. Tu benè vale, ac si quid ulterius edes in publicum tuarum lucubrationum, pervelim mihi communices. Post tuum discessum ex Austriâ cerebrior tui apud nos facta est mentio, nec immeritò quid magni mihi à te promitto, cum ex unguibus [quod ex nostrâ conversatione olim Linzii hic in ædibus *D. Perilli*, conterranei tui, Anno 1604. Præsente viro optimo, *Dn. D. Iohanne Michelio*, p. mem. animadvertere licuit.] Leonem facilè arguere potuerim. Salve iterum ac vale ἐπιμηκιστον. Dabantur Τάχιστα 16. Febr. 1613. Linzii.

Tui

Amicissimus

D. Philippus Persius, P. P. Superioris Austriæ Medicus Ordinarius.

Vir. Clariss.

JOH. BILGERUS, MED. D. ET REIPUBL. IMPERIALIS Campodunensis Medicus ordinarius.

AD

GREGOR. HORSTIUM D. REIP. Ulmensis Archiatrum, fautorem & affinem suum.

S. Quinquennium, & quod excurrit ultra, est, Vir Clariss. & Experientiss. affinis & præceptor ac promotor multis nominibus observande, ac suspiciende, ex quo tuo familiaritatis convictu sim destitutus: planè dubius num meo bono, vel malo sit factum fato! Posterius verius dicerem, revocando videlicet in memoriam tuum eruditum colloquium, animum studiosis inserviendi & gratificandi promptum! Nunc autem cùm tibi, tùm mihi gratulor. Tibi, Præceptor honorande, quod sospes relictâ Hassiâ hasce nostras Suevicas oras securis osculis adoraveris; quodque novam hanc medendi provinciam susceperis. Deus faxit, ut tuâ arte quàm multis, cum tuo honore, tuo tamque commodo, prosis. Mihi utpote, quos altissimus corpore longè dissitis locorum intervallis disjunxerat, jam præter utriusque opinionem ad pauca milliaria vicissim conjungit, ex tua hac vocatione, singularem ac divinam providentiam clarissimè elucere autumo, nemoque nostrum ibit inficias, quod nobis non advertentibus & quasi sine sensu nostro, trahamur, ducamurque cœlesti quodam fræno, ad destinatas nobis sedes, gentesque, quandoque cum fructu, quandoque quibusdam (ut mihi aliqua ex parte contigit) cum luctu. Toto isto tempore, ex quo pedem ex Hassiâ tuli, nihil literarum commercii inter nos intercessit, quod sane abs me factum non fuit, quasi memoriam tuam, quæ tam pertinaciter animo meo infixa hæret, hærebitque [Qua memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.] sempiternâ oblivione, sepeliendam, duxerim? Etenim non sum immemor, quantis quantis officiis tibi pro tot meritis in me tàm cumulatè Giessæ effusis, sim obstrictus: quin imò omnia fermè, quæ possideo ingenii, (si quædam tamen possideo) bona, tibi præceptori fidelissimè suggerenti accepta deberi, profiteor: sed locorum intercapedo, & fatalis rerum mearum calamitas obstitit, quò minus tragico meo stylo amicos ac familiares, invisitârim.

Occasionem scribendi literæ tuæ præteritis diebus ad N. N. de uxore ipsius, perpetuis destillationibus vexatam, præbuere, quas heri vesperi mihi per legendas obtulit, simulque obnixè rogavit, quum eandem hactenus sub mea cura habuerim, ut ipsi judicium meum de tuis exponerem, quod me facturum, statim recepi.

Cursim itaque tuis pellectis, maximo gaudio perfundor, quod nonnulla in tuis receptis, ut vocant, offendi, quibus ego pariter tecum, aut ad modum non longè absimilem in dicta uxore usus sum, sed ut plurimum frustrà. Nec ingratum erit intelligere (licet te occupatissimum sciam) si pauca quædam de dictæ personæ temperamento & vitæ genere, præmisero.

Hæc fœmina annum agens 36. vel circiter colore ut plurimum pallido, corpore macri ac tenui, dyscrasia viscerum, non tàm principalium, quàm minus principalium laborat, quantum ex inspecta urina, temperamento ad frigidum inclinante, vitæ genere sedentario, ac victus ratione diversâ (ut solent plerumque mulierculæ) colligere licet.

Conjungatur hic observat. ultima lib. 2. de Mor. pect.

Hæc ipsa inquam, ad triennium fermè continuis destillationibus, nunc salsis, nunc dulcibus ad pectus, & exteriora membra delabentibus, adeò detenta fuit ut antehac à Socero meo pro paralytica quasi judicata ac curata fuerit.

Ab eo tempore, usque in hanc ipsam horam, destillationes, nunquam cessârunt, sed continuâ tussi, quandoque de noctu, quandoque circa tempus matutinum, ut jam, cum exscreatu nunc facili, nunc difficili, tenaci, fœdi, flavique coloris, præsente nonnunquam pectoris angustiâ & difficili anhelitu, vexata fuit.

Circa meridiem exscreatus albi coloris, nec ullâ flavedine tinctus, visitur. Prædicta fœmina variis remediis non tantum à Socero meo, verum etiam à Dn. Doctor. Ludovico Eben, medico Memmingensi primario, amico meo singulari, & demum à me usa est, quarum descriptiones, oculis tuis subjiciens, cum tuis receptis conferemus.

Primo proponis pilulas ex Succino Cratonis, cum sp. dianthos. His & socer meus, ut & ego (absque tamen sp. Dianth.) vel solis duntaxat, ad ℈j. vel adjectis ad ℈j. vel ℈iß. pil. de aloe rof. quarum descriptionem subjiciam, usi fumus. Descriptio talis est.

℞. *Aloes rosat.* ℥iß.
Mastich.
Xyloaloes.
Glyz. ras.
Ros. rub. ana ʒj.
Cin. ʒij.

Rhab.

Rhab. ʒj ß.
Spic. ʒ ß.
Cum succo ros.
F. Massa.

Modum exhibendi talem observavimus, ut videlicet una dosis, mane hora septima, à meridie hora tertia altera, & sequente die hora septima matutina tertia absorbeatur. Hunc ipsum modum etiam nunc observo, in Reverendissimo meo Principe JOANNE EUCHARIO, Abbate campidonensi, qui singulis mensibus supradictis (ut de succin. & de aloe rosar.) utitur maximo cum juvamẽto.

Pro secundo, tu proponis morsulos. Horum loco ego utor Rotulis, sequenti modo concinnatis:

℞. *Sp. arom. ros. com.*
Diarrhod. ana ʒij.
Cin. ℈viij.
Nucis mos. ℈ij.
Sacch. in aq. beton. & coras.
nig. dissolut. addendo
Ol. Succin. g. viij.

Pro tertio rotulas pectorales proponis, quarum loco ego utor ex spec. diair. s. cum flor. Sulph. compositis: item ex spe: diatracanth. cum aq. fœniculi, & ol. fœnicul. Item trochis. becch. nig.

Pro quarto proponis lambitivum. Hujus loco varia, pro destillationum exigentiâ præscribere soleo ex oxymel. squillit. s. syrup. de hed. tussilag. jujub. scabios. Veron. cum, vel absque flor. Sulph. vel ol. ejusdem. Item Elect. ex alth. cum rad. enul. cydon. cum mell. coct. adjectis flor. Sulph. cujusque usum in hac ipsa, ut & in quamplurimis aliis, in expectoratione difficili, futuramq́; phthisin denunciante, utilem, cum meo honore, expertus sum.

Pro quinto proponis suffumigium à nostra descriptione non longè dissimile, ut. ℞.

Mastich. ℥ij.
Sandarac.
Styrac.
Succini citrini.
Benzoj.
Thuris ana ℥j.
F. Pulvis grossus.

Pro sexto proponis pulverem suturæ coronali inspergendum, seqq. descriptione in dicta persona usus sum.

℞. *Mastich.*
Thuris.
Succin. garyophyl.
Sandarac.
Lig. alo. ros. rub.

Pro septimo proponis Elect. de Tamarind. cum fol. sen. Quum autem alvus illius semper sit libera, & si non esset libera, prunis lax. cum fol. sen. coct. utor.

Pro octavo proponis trochis. sub lingua tenendos. Horum loco, præsertim in tenuibus destillationibus, felicissimè utor pil. de Styrace Cratonis. Pluribus adhuc aliis usus sum in dicta persona, ut flor. Sulph. aq. farf. cum rad. j. id. succin. & sacchar. Cand. in lacte caprillo vel ovo sorbili. Item decoct. pectorali ex rad. Alth. enul. centaur. major. liquir. garyophyl. jujub. sebest. prun. passul. Tussilag. heder. fol. sen. Item aq. pectorales ex scabios. verõn. hedera, hyssoq. cin. & sacch. cand. sed omnia frustra. In quibusdam utor etiam pulv. Haly & Anonymi. Ex quibus, Præceptor observande, jam patere arbitror, quibus & qualibus in hac fœmina sim usus, quæ tamen ejusmodi non fuerunt, ut potuerint ferinas hasce destillationes radicitus averruncando tollere.

Tuis etiam seq. septimanâ in hac ipsa, quum sanitati admodum sit sitientissima, utar, avido animo, optatum illorum successum expectaturus, tibique vicissim significaturus.

Ultimò à te maximopere peto Vir Clarissimè, ut responsione tua me digneris, quo prædictus N. N. intelligere possit, quid in ipsius uxore hactenus præstiterim. Adderem his etiam unam vel alteram raram observat. à me hoc in loco observatam, ni meâ prolixitate tædium parerem, sed in proximas literas reservaturus, filum jam abrumpo. Vale Vir clarissime, & mihi favere in posterum perge. Dabam 20. Januar. Campoduni Anno 1623.

OBSERVATIO XIII.

Apoplexia ex concussione cerebri lethalis.

REVERENDUS *Theologus, D. Ieremias Victor, Superintendens Giessensis, ferè sexaginarius, fluxionibus capitis admodum obnoxius, Anno* 1609. *vespertino tempore scalam descendens in domo propria decidit, capite pavimentum feriens, ut circa frontis os contusio deprehenderetur: subitò collapsus instar mortui jacet, sine voce, nec videns, nec audiens; quin etiam tactu, motuq́; privatus, cum stertore quodam, pulsu adhuc integro, sine febri. Mox vomitus subsequitur, omnibus in eodem statu permanentibus, donec tandem vitali facultate suffocatâ, die sequenti vitã eum morte mutaret.*

RESOLUTIO.

Quod causa externa Apoplexiæ ansam præbere possit.

VErum est illud *Hippocratis lib. 7. Aph.* 58. quibus aliqua ex causa cerebrum concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri, quod *Gal. in comm.* hoc modo interpretatur, eos scilicet absque sensu pariter & motu instar apoplecticorum jacere. Hoc modo *Fernelius lib. 2. de abditis rerum causis capite* 15. ex ictu oculi puerum, & *Herc. Saxon. in prælect. pract. par.* 1. quendam Venetiis ex alipæ contusione Apoplecticum redditũ fuisse, testantur. Mirum ergo non est, quòd hîc etiam externa causa, nimirũ contusio ex lapsu, *Apoplexiæ* occasionem dederit, *in sexagenario*, cum senili ætati familiaris aliâs hic affectus sit, juxta *Galen. lib. 3. Aphoris. comm. 31*, *qui fluxionibus capitis admodum obnoxius erat*, quâ ratione proxima continensq́; hujus symptomatis causa, nimirum *subitanea compressio cerebri, respectu sinuum & baseos, seu principii nervorũ* originem suam, externâ violentiâ concurrente, citius habere potuit: *vespertino tempore*, nimirũ post cibum, capite aliâs repleto, spiritibusque versus concoctionis membra revocatis. *Ergo subitò collapsus instar*

mortui jacet, quod omnes facultates animales æqualiter langueant, unde situs talis in universali prædictarum facultatum quiete solet observari, quod patet in *lipothymia ex resolutione*, cui melius succurri nequit, quàm ubi laborantem protinus in dorsum extremis æqualiter extensis procumbere jubemus; *sine voce, nec videns, nec audiens*, læsis scilicet tàm internis quàm externis sensibus; *his* propter denegatum spirituum animalium influxum, *illis* propter cerebri compressionem subitaneam, illarum partium respectu, per quas spiritus animales aditum liberiorem requirunt; *quin etiam tactu, motuq; privatus*, quòd non tantum anterior cerebri pars, sed undique totum esset affectum, ubi colligitur *differentia præsentis affectus* 1. *à Caro & gravi sopore*, quod prioribus cerebri partibus potissimùm hîc oppressis, per posteriorem medullæ partem communicatio spirituum, quanquam difficulter adhuc, fiat; unde stimulati sentiunt & moventur. 2. *à Lethargo*, cui idem accidit, lentâ febre simul præsente. 3. *ab Epilepsia*, quæ cum moribus convulsivis jungitur. 4. *à suffocatione uteri*, quæ non tantum similes quoque motus, sed sensuum etiam internorum & externorum imperfectam operationem relinquit; *cum stertore quodam*, propter motricis facultatis imbecillitatem, quæ thoracem abundè satis attollere nequit, adjuvante simul caloris imminente suffocatione, qui propterea collectus circa cor ampliùs eventilari cupit, quâ ratione dormientes etiam, non vigilantes, frequenter stertorem edere solent, inprimis ubi dorso incumbunt; *pulsu adhuc integro*, corde videlicet principaliter non adfecto; *sine febri*, quatenus affectus hic inflammatione destituebatur, quod non fit in lethargo, in soporiferis febribus, &c. *Mox vomitus subsequitur*, à concussione suam originem trahens, quatenus vomitus, inprimisq; biliosus, cerebri, membranorumq; potissimùm læsionem sequi solet, *juxta Hipp. lib. 6. Aphor. 50, & alibi*. His signis perdurantibus prognosin facilimè fecimus, nimirum affectum lethalem esse, cùm *Hipp. lib. 2. Aphor. 42*. apoplexiam fortem nullo modo, debilem verò non facilè solvi posse statuat.

Optimum remedium Lipothymiæ ex resolutione.

Differri Apoplexiæ à Caro.

à Lethargo.

ab Epilepsia.

à suffocatione uteri.

Unde fit stertor in Apoplecticis.

Prognosis.

Ne vero quicquam, quod Christiana charitas requirebat, intermitteretur, aliquid tentandum esse judicavimus, propterea quòd interdum etiam in desperatis casibus benedictio divina luculenter; præter spem, dum ex officio sæpius extremè laborantibus succurrimus, nobis apparere soleat. *Hinc revulsionem à capite variis mediis instituendam, & deinde omni ingenio facultatem animalem excitandam esse putavimus.*

In desperatis casibus aliquid tentandum.

Indicationes.

Pro primo mox venæsectionem instituimus in brachio dextro, sanguinis ℥vij vel 8. extractis, propterea quod suspicio esset, sanguinem ex concussione capitis eò confertim affluxurum. Quanquam verò sanguinis missione dextrè peractâ, respiratio levior videretur in cæteris tamen nulla mutatio sequebatur, unde non tantùm extremorum frictiones & ligaturas dolorificas ordinavimus, sed paulo post clysterem sequentem suasimus, qui ℞. *Herb. beton. Salv. prim. veris. Centaur. min. Calaminth. monta. ana* Mjß. *Fol. senæ*. ℥vj. *Pulpæ colocynth*. ʒjß. *Coq. in Aq. & vino ad tertias, Coletur* ℔j. *Elect. Heræ simpl. Indi major. ana* ℥ß. *Ol. Rutacei, de castoreo. Anethini ana* ℥j. *Salis gemmæ* ʒß. *M. F. clyster.*

Præter hæc Remedia revulsionum, partem affectam quoque non neglexîmus; quam ob causam, *pro secundo*, non tantùm Aq. Apoplecticam Langii, cum Spiritu cerasorum nigrorum permistam, aliquoties infudimus, corroborationis gratiâ, sed etiam ol. succini verticem, tempora & nares inunximus, ac tandem sternutatoriis ex Castoreo & similibus, (quæ post universalia & revellentia rectius, quam in principio adhibentur, ut *dec. 2. q. 7. Problem. Med.* demonstravimus) naturam excitare conati sumus; sed frustrà, *sensim* etiam vitali facultate remittente.

OBSERVATIO XIV.

De usu Setacei in Præservatione Apoplexiæ.

Vir Clariss. & Excellentiss.

JOH. JACOBUS SATTLER, Med. D. & Physicus Ordin. Phulendorfensis,

GREGOR. HORSTIO, D. Archiatro Ulmensi.

S. Nobiliss. & Clariss. Dn. Doctor, Fama nominis, doctrinæ, & humanitatis tuæ faciunt, ut Dominationem tuam, ignotus licet, scriptis adire non dubitem. Expediam tamen me, quam potero brevissimis, nec Dominat. tuam variis praxeos negotiis districtam, detinebo. Reverend. & Religiosissimus Dominus Præsul N.N. Dominus meus gratiosus, naturâ melancholicus & hypochondriacus, varios & graves & multis annis in articulos passus est fluxiones, unde fonticuli in utroque brachio excitati, & in parte sylvestri pedis sinistri: qui cum sufficere non viderentur, nuper ad Setonem deventum est, qui dextrè quidem adhibitus, & nunc largè satis fluit. Nescio quis interim agyrta scrupulum injicit, & ex adhibito setaceo apoplexiæ minitatur periculum. Novit, sine dubio, Domin. tua, melancholicorum ingenia, quæ ad objecta quævis facilè terrentur. Tum Empiricus quidam Medicus agyrtæ subscribere velle videtur, qui Setonem protinus abjiciendum mandat, sed sententiam suam nullis fulcit rationibus, contentus experientiâ suâ, quam ipse prædicat, quod sc. sæpius hoc remedii genere usus, sed sine emolumento, fit, atq; inde remedium hoc, Veteribus adeò celebratum in universum, absque ulla exceptione, damnat. Hi scrupuli, quibus Reverendissimus Dominus patiens angitur, scribendi ansam præbuêre. Quæritur ergò, utrum Setaceo in corpore humidioris cerebri apoplexia promoveri, (in corpore scilicet prius præparato) an præcaveri potius possit? Nō sum nescius, Dominationem tuam, suam, ex parte, dixisse sententiam, sed quia Agyrta & Empiricus contrarium dixerunt, addam & meam, sed paucis & Dominationis tuæ perspicaciori subjiciam judicio, tum ut, si bene res acta sit, Reverend. Dn. patiens metu liberetur, tum ut, si à scopo aberrassem, error à principio corrigi posset, ne diuturnitate evadat & gravior.

Apo-

Apoplexiam (quia ad Medicum ſcribo) conſtat, totius corporis, ſenſus & motus eſſe privationem, cum principis animæ functionum noxâ, cerebrique eſſe affectum, & in quo cerebri ventriculi repleantur undique, ut & cerebri ſubſtantiam ſubeuntes ventriculos diſtendant, facilè ut fiat continui ſolutio, & cerebrum non rarò in ſubſtantia ipſa lædatur (id quod nuper in defuncto quodam Principe viſum, qui poſt non diuturnum morbum, apoplexiâ tandem periit) verum morbum non eſſe, ſed ſymptoma quod morbum in via obſtructionem ſequitur, cum cæteris judico. Cur ita judicem, non modo Doctorum noſtrorum ſententia, ſed [verbo abſit invidia] αὐτοψία me docuit. Sed per hæc media obſtructio illa tollitur, ergo & malum non cauſatur, ſed præcavetur. Deinde obſtructio iſta plerumque fit à materiâ pituitosâ vel melancholica: unde ſenes plerunque apoplexiæ obnoxii; at causâ ſublatâ, etiam tollitur effectus, quæ ſanè commodiori modo tolli non poteſt, quàm à partibus proximioribus id, quod noxium eſt, per convenientia loca educendo, atque evacuando. Eandem ſententiam firmant frigidę & auſtrinæ aëris conſtitutiones, in quibus maximè vigent apoplexiæ. Regionibus itidem frigidis & humidis frequentiſſima eſt apoplexia; ergò, quæ pituitam maximè educunt, cujusmodi ſunt cauteria, in partibus potiſſimùm proximioribus prodeſſe, non obeſſe poſſunt. Summatim pituita lenta, craſſa, frigidaque præcipua hujus mali cauſa; quæ in hoc cerebro abundat maximè: númne ergò ad mali præcautionem præſtantius hoc remedium adhiberi queat: Caput dolenti, aut circumdolenti, ſanies aut aqua effluens per os aut nares ſoluit ægritudinem, inquit Hippocrates. Si ſaniei aut ſanguinis eductio Apoplexiam [in qua ſine dubio ſemper caput eſt dolens] curet, cur non eandem præcaveat eodem modo Medicus, naturæ miniſter? Laudabilius æſtimo, uti melior ille Nauclerus, qui tempori tempeſtatem prævidens, &c. Et ſeniores noſtri, Arabes potiſſimum, quibus multa debemus, his remediis in curando & præcavendo feliciter ſunt uſi. Finem facio, ne Dominationem tuam ultrà, quàm initio promiſi, detineam, ubi hoc unum addidero, dolorem capitis, qui non continuus, nec univerſalis, non futuri alicujus mali indicem, ſed naturæ alterationis ſequelam eſſe. Omnibus igitur modis huic remedio inſiſtendum judico, commodiſſimo, ſcilicet, & tutiſſimo quanquam doloroſo: cui meæ ſententiæ, ſi & Dominatio tua ſubſcribat, laudari eam, à laudato viro, gaudebo; ſin meliora, & forſan his contraria ſentiat, candidè propter communia noſtra ſtudia rogo, in medium proferat. Habebit me non cerebroſum Antagoniſtam, & patientem certè non ingratum. Hiſce autem Dominationis tuæ benevolentiam demereri, meque in album amicorum ejus, quocunque tandem loco, volui ingerere. Vale, Vir clariſſime, & de Apoplexia, ſi me dignaberis reſponſo, dubitationem audies, cordis, ne an cerebri potius ſit affectus? Iterum vale. Dabam 16. Octob. Anno 1623.

P. S. Stylo currenti quæſo ignoſcat, qui circa mediam noctem exaratus eſt, quo me tempore itineri denuò accingere cogebat neceſſitas.

Clariſſ. Viro

D. JOHANN. JACOBO SATLERO Med. D. & Medico Ordinario Phulendorfenſi,

GREGOR. HORSTIUS D.

S. Gratæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Nobilis, Clariſſ. & Excellentiſſime, Fautor & Amice plurimùm colende, tàm quod anſam contrahendæ inter nos amicitiæ, mihi optatiſſimæ, præberent, quàm etiam, quod de ſtatu Reverendiſſ. & Religioſiſſimi Dn. Præſulis, &c. Domini mei gratioſi, me certiorem facerent, utpote cui ſanitatem conſtantiorem ex animo precor. Non ignorat fortaſſe tua Claritas, ipſius Reverendiſſ. Dominationem, meum etiam antehàc imploraſſe conſilium, ubi paucis quidem, ad hypochondriacum affectum appropriatis remediis eidem deeſſe nolui, quæ tamen omnia præſentium Medicorum limato judicio lubens ſubjeci. Nec diſplicuit Exc. conſilium, quo ad uſum acidularum, modò Reverendiſſimus tempus magis accommodatum, quemadmodum ſeriò ſuaſi, diligentius obſervaſſet, cùm aliàs in tali remedio parum ſpei, niſi nos ambientis aëris diſpoſitio conveniens ſit, in qua plurimum tunc temporis, utpote partim Boreali, partim Auſtrina, deſiderabatur. De Setaceo adhibito non ita pridem ab ejus Prǫfecto certior factus ſum, de quo remedio, quanquam primis ſeptimanis dolorifico, Reverendiſſimo gratulatus ſum, certè mihi perſuadens, vix præſentius aliquod ἀνώδυνον, reſpectu doloris capitis, ob fluxiones ab hypochondriis communicatas, & nunc diuturnitate temporis in capite radicatas, hoc ipſo dari poſſe, modò Reverendiſſimus eò uſque patienter incommoditates ſetonis perferat, donec ſuppuratione abſoluta largè ſatis fluere incipiat. Obiter quoque non unicum tantùm, ſed plura etiam exempla mox enumeravi, quibus ſetaceum à me adhibitum in graviſſimis capitis, à fluxionibus obortis, affectibus magno cum emolumento ſucceſſit.

Cum autem intelligam, Agyrtam quendam, cum Empirico quodam, Reverendiſſ. ſcrupulum injeciſſe; quod Setaceum adhibitum Apoplexiæ periculum imminens comitetur, adeò ut Claritat. T. in gratiam Reverendiſſimi Dn. Patientis ea propter quæſtionem hanc proponere cogatur; Utrum Setaceo in corpore humidioris cerebri Apoplexia promoveri poſſit? idcirco non tribus, quod dici ſolet, ſed unico verbo reſpondeo, negando, tuæque ſententiæ, veritate rei convictus meritò ſubſcribo, præſertim cum additæ rationes tuæ non tantum negativam firmiter probent, ſed ſimul etiam demonſtrent, hoc ipſo remedio potiùs ejuſmodi malum præſervari. Primùm enim rectè ſtatuitur], Apoplexiam, quæ ſenſus atque motus, cum principum facultatum noxa, privatio eſt, ab organico cerebri morbo provenire, quicquid etiam hac in parte contradicat *Iachinus*, qui contra communem Dd. aſſertionem à ſola quoq; intemperie ſymptoma hoc oriri poſſe ſtatuit, unde in *Probl. noſtris Medicis* θεραπευτικοῖς malum deſcribimus, quod hoc accidente homines ſubitò, principibus operationibus cum ſenſu & motu abolitis,

Apoplexia quid.

consternantur, remanente quodammodo respiratione, propter angustiam & occlusionem meatuum in cerebro, præter naturam subitò factam. Ut autem hâc causâ proximâ tàm veteres, quàm recentiores pluriq; conveniunt, ita de causâ antecedente plurimùm controvertitur. Communiter fortissimam Apoplexiam, quam *Hipp. in Aphor.* nullo modo solvi posse statuit, à viscidis crassis humoribus, vel pituitosis, vel Melancholicis pro venire facilè largior, quâ de causâ talis Apoplexia nunquam in paralysin terminatur, quatenus peccans materia tam ad resolutionem, quàm ad nervorum oppletionem inhabilis meritò judicatur. Non autem sufficit in hac vel illa cerebri parte talem materiam abundare, nisi subitò meatus illos obstruat, quorum beneficio continata spirituum vitalium à corde fit communicatio, quâ de causâ manifestum redditur, in omni Apoplexia plexum retiformem, quod *Fernelius* voluit, non tamen solum, sed etiam simul sinus quatuor coëuntes, & in statu s. n. in universam cerebri substantiam spirituosam sanguinem transferentes, subitò talem obstructionem pati, quò denegato spiritus vitalis, tanquam necessarij instrumenti, ulteriori affluxu, tota facultas animalis in operationibus suis totaliter impediatur, remanente quodammodo respiratione, quâ morbi differentiæ colligi solent, cujus operatio quadantenus superstes esse solet, vel, juxta *Galenum*, necessitate nervorum vim adhuc aliquantisper excitante, vel quod *Dn. Platero* placuit, propter naturalem respirationis motum, quemadmodum in *lib. nostro 1. de natura humana*, pluribus respirationis motum naturalem, ejusque tantùm variationem ex intentione nostra dependere demonstravimus; Vel quod propter exiles vasorum prædictorum Spiritum vitalem adducentium ramulos, nondùm penitus obstructos, talis adhuc fiat communicatio, quæ ad aliqualem influxum ad nervos pectorales, aliâs etiam ex necessitate nobis non cogitantibus, imò dormientibus, officium suum in adjuvanda respiratione præstantes, sufficere possit. Mirum ergo non est, quod etiam gravi Apoplexia demortuis, si *Fernelio, Cl. Bauhino, Guil. Fabricio, Valverdæ*, & aliis fides adhibenda, causa mali potius circa plexum retiformem, & sinus reliquos, ex vasis ascendentibus prodeuntes, inventa fuerit, quàm alibi, ventriculis cerebri nec oppletis, nec obstructis, quod nuperrimū etiam Exemplum notatu dignum satis confirmat. Accidit æstate præcedenti, die 10. Julii, ut rusticus quidā ex vicino pago Göttingen, ditionis Ulmensis, punctim phalange bicipite vulneraretur, solutione continui per palpebram sinistram superiorem, in orbitam usque, sine oculi læsione transeunte, quam ille primis diebus negligens, tandem Lithotomo nostro, Chirurgo satis gnaro, monstrat, qui vulneratum in domum suam recipit, & convenientia media externa diligenter administrat. Cum autem sat citò vulnusculum externum consolidaretur, & nihilominus circa 5. diem patiens de dolore capitis, & sensuum internorum gravitate conquerereretur, prædictus Chirurgus consilii causâ me accessit; qui promptè laborantem ipsemet visito, mox etiam prognosi factârem periculi plenam

Causa Apoplexiæ antecedens quænam.

Causa proxima.

Observationem vide pluribus in Epist. Med. lib. 1. sect. 17. de cap. vuln.

pronuncio, præsertim in ipsis canicularibus, convulsionib., ac ipsa morte, propter materiam intùs putrescentem facilimè succedente. Præscriptis igitur, quæ tàm interius adhibita, quam exterius ad revulsionem peccantis materiæ & præcautionem graviorum symptomatum inservire videbantur, eventum expectandum esse dixi, præsertim cum locus affectus cerebrum nullatenus admitteret. Quid fit? in eodem ferè statu vulneratus permanet, sentim stupore, cum incipiente quasi lethargo, seu Comate vigilante magis affectus, donec die IX. naturæ debitum solveret. Quo facto, cum Magistratus de qualitate Vulneris certus esse vellet, admandatum, me & Dn. Collegâ *D. Augustino Thonnero*, præsentibus, Cranium 19. Julii fuit apertum, ubi primò deprehendimus vulnus externum (quod in cute penitus vicissim consolidatum fuerat) non tantùm orbitam superiorem oculi pertransiisse, sed simul etiam orbitæ particulam acutam disruptam in crassam meningem infixam fuisse. Cum autem crassa meninx, alias integra, sine læsione falciformis processus ad longitudinem verticis incideretur, foramen etiam per piam matrem in ipsam substantiam cerebri in conspectum veniebat, ex quo instar fonticuli sanies & purulenta materia, compresso cerebro, profluebat. Facta verò porrò sectione cerebri, tantus abscessus, fortè canicularium fervore adjuvante, tam brevi tempore genitus conspiciebatur, ut non tantùm cerebri substantia superior (quod tamen, ut in *Conciliatore* videre licet, veteribus incredibile fuit) in purulentam materiam spontè profluentem conversa fuerit, sed etiam superiores cerebri ventriculi duo in tertium inferiorem coëuntes penitus hâc materiâ purulenta replebantur, ubi non immeritò quis dubitare posset, quomodo prædictus æger ad finem usque vitæ, tàm à convulsionibus, quàm etiam Apoplexiæ symptomatibus liber esse potuerit, quod non alia ratione factum fuisse puto, quàm quod læsio partem superiorem occuparet, ipso principio nervorum, quod in convulsione patitur, & vasis atque sinubus, spiritus vitalis affluxum recipientibus, quæ in apoplexia, sicut diximus, totaliter obstruuntur, adhuc illæsis. Huc etiam *Vesalii* observatio pertinet de puella, hydrocephalo laborante, quæ numquam apoplexiæ quidquam sentiens, tandem demortua, cerebri ventriculos à copia humorum omninò distentos habuerit. Nihil addo, quod plenius *in lib. 1. de natura humana* demonstravi, Ventriculos cerebri potissimum propter excrementa cerebri recipienda & ableganda conditos esse, sicuti mecum celebriores Anatomici indicant ut verisimile sit in catarrho, coryza & similibus frequenter magnam copiam pituitæ in ventriculis abundare. Sed ad rem: fortissimam apoplexiam à crassis, viscidis & ægrè resolvendis humoribus fieri satis apparet, ubi minus fortem cum *Carolo Pisone* per admixtionem serositatum generari concedere cogimur, utpote materię qualitatem ex solutionis modo colligentes, cùm aliâs illius mutatio in paralysin subitò non fieret, multò minus ex ipsis paralyticis membris materia peccans vicissim mediis consuetis discuteretur. Non autem admodum laborabimus hîc in

Sententia

Sententia Quercetani declaranda, qua vaporibus vitriolatis, ad coagulationem subitaneam promptissimis, hoc tribuit, ut ejusmodi cerebri morbum subitò producant, quod ante ipsum proposuit etiam *Theodorus Angelutius*, ea propter quod hæc opinio prædictæ nostræ assertioni nihil detrahat, cum causæ antecedentes plures esse possint, quæ tamen omnes in productione effectus necessariò in aliquâ proximâ concurrunt. Hinc *Marcello nostro Donato de hist. Med. mir.* libenter etiam concedimus, vaporem cerebro inimicum, ut est calcis & carbonum fumus instar Apoplexiæ, non corde principaliter laborante, quod voluit *Christ. à Vega*, nec etiam exiccatione constringendo, quod *Mercuriali* placuit, sed vi quadam narcotica, juxta *Platerum*, vitiosos humores aliâs abundantes & fluxiles in cerebro, vasis & similibus impingendo *morbum attonitum* producere posse. Hinc in dispositionem φλεγμονώδην Galeno, licet improprie, dictam, quam *Hipp. noster* ab interceptione vasorum fieri dicit, athletica corpora sideratione corripi posse damus, utpote, quos malum invadit, facie saturatè rubente, tàm oculorum, quàm colli vasis intumescentibus ac tensis, ut habet *Curtius Marinellus de Morbis nobilioris animæ facultates obsidentibus, lib.* 1. Hinc similem etiam apoplexiæ morbum excrementis aqueis & tenuibus immoderatius congestis cerebri substantiâ subitò subsidente, jam *Dn. Platerum*, vel etiam eâdem ictu & contusione violenter compressâ, produci posse non negamus, ubi tamen proximam causam superius positam semper intervenire putamus. Quamvis autem variæ possent esse causæ proximam antecedentes, ut plurimùm tamen, nisi quædam causa externa, violenta vel aliâs contingens concurrat, à viscida pituita, tum, vel sine serosis humoribus permixta, quæ non tantum obstructionibus producendis apta satis, se etiam in cerebro copiosè colligi solet, affectus hic horrendus suam originem obtinet, eo modo, quo diximus, quam imbecillitas capitis hereditaria, vel adscititia quotidie producunt, & aëris constitutio borealis & austrina, corporis animique motus vehementiores, & alia irritant, sicut Apoplecticorum exempla testantur, quemadmodum apud *Benivenium, Forestum Valeriolam, Augenium, & alios* videre licet.

At in hâc causâ præservandâ quid præsentius excogitari poterit setaceo ad nucham posito? cum hâc ratione, quod collectum est in cerebri substantiâ & cavitatibus, exterius derivetur, quod autem adhuc in fieri est, idipsum avertitur, præsertim in hoc subjecto laborante, per exhalationes à visceribus infimi ventris capitis fluxionibus obnoxio. Imò, si cauterium actuale desperatum Apoplecticum restituere potuit, ut habet *Marcellus editione meâ pag.* 173. quid non sperandum de Setaceo, respectu præservationis, tunc temporis ubi morbi nulla signa sese promunt? Novit tua Clar. Anno 1614. febres continuas cum sopore, præter naturam fuisse communissimas, sicuti tunc temporis in Hassia satis expertus sum, in quibus, ne penitus ægri sopore & lethargo somnum Epimenideum dormirent, tandem etiam ad vesicatoria cervici apponenda non semel, sed aliquoties pervenire coactus sum, successu, Dei gratia, optatissimo, quemadmodum pluribus patebit in meis Observationibus singularibus, quas σὺν Θεῷ, toties ab amicis rogatus, hac hyeme ad prælum: revidebo. Verum enim vero, si timenda Apoplexia in usu setacei, multò magis etiam tunc temporis, undiq; febrili humore turgente, vesicatorium intermittendum fuisset, nequid addam de iis, qui per multos annos, ob oculorum, vel narium affectus incurabiles, setacea, maximo cum emolumento, cerebri functionibus, ad extremum usq; vitæ spiritum integrè persistentibus, gestaverunt: Sicut inter cæteros testatur, Nobilissimus quidam in meis observationibus, cui Dn. *Gulielm. Fabricius*, An. 1612. per Hassiam transiens, ob ulcus Cacoëthes narium internum, setaceum, me præsente & suadente, posuit, tanto cum successu, ut postea preter spem nostram, per multos annos, adhuc optimè valeret, donec tandem phthisi concurrente, nihil quicquam de capitis affectu quodam conquerens, sensim absumeretur. Dubitationes de loco patiente, cordisne vel cerebri potius malum sit apoplexia? lubenter videbo. Quanquam enim negari nequeat, cor etiam hîc admodum affici, quod maximè respirationis læsio testatur, non tamen video, cur cordi potius, quàm cerebro morbus tribuendus sit: ut enim in syncope cordis affectus primariò adesse dicitur, quanquam cerebri functiones tunc etiam propter denegatam communicationem vitalis spiritus influentis aboleantur: ita in Apoplexia cerebrum πρώτως laborat, quamquam propter influxum per nervos, pectori & cordi denegatum, sensim cordis vires collabantur. Aristotelis probl. verba in alienum sensum torquentur.

Vide lib. 3. p. 1. Observat. 15.

OBSERVATIO XV.

Epilepsia cum Paralysi spuria, post colicos dolores & icterum.

Nobiliss. Vir, Eques Hassus annorum 35. ante biennium circiter, anno 1617. incidit in βραδυπεψίαν seu malam ventriculi concoctionem, frequenter ructibus, nauseâ, bilis vomitione, stomachiq; dolore sese exhibentem, quam excipit dolor colicus vehemens, cum succedente ictero nigro, convulsionibus Epilepticis, manuum, pedúmque paralysi dolorificâ; subinde cruditatibus stomachi, flatulentâ hypochondriacâ affectione, alvi obstructionibus, articulorum doloribus increscentibus, viribus animalibus, vitalibus & naturalibus maximè læsis. Tandem anno præcedenti tenesmus cum exulceratione intestini recti circa extremitatem subsequitur, ad huc etiam durans.

RESOLVTIO.

Adfuit hic affectus multiplex, morbis prioribus causæ rationem respectu posteriorum inducentibus, ubi 1. *Colicus dolor* perpendendus, cujus antecedens causa fuit materia tartarea biliosa circa mesenterium, ejusque venas per ἀπεψίαν, adjuvante constitutione corporis calidâ siccâ, & per consequens, ad iræ commotiones maximè pronâ,

Deductio variorum symptomatum ex suis causis.

pronâ, collecta, quæ primâ resolutione per naturam ad partes proximiores expulsa, *Colicum dolorem excitavit*, mox autem concurrente, quod fieri solet, alvi obstructione magis attenuatâ, beneficio venosi generis (quod urinæ tartareæ, satisque crassæ tunc temporis testari solent) primo translata *colorem ictericum subnigrum*, propter sanguineam massam tali materiâ infectam, cutique communicatam, deinde verò *convulsiones epilepticas*, acrimoniâ sanguinis illius principium nervorum vellicante, ac tandem *paralysin spuriam dolorificam* produxit, quatenus ista manuum pedumque debilitas, non tàm à læso nervorum principio, quàm propter habitum musculosum respectu, materiæ peccantis translatæ ob receptionem spiritus animalis ineptum, orta fuit: hinc *dolorifica resolutio* vel *πάρεσις*, affluente scilicet animali spiritu, sed propter læsas partes dolore, qui tristit & inimica *αἴσθησις*, seu sensatio est, producto, quam communiter non aliter, quàm propter instrumenti læsionem fieri manifestum est: *Subinde stomachi cruditatibus flatulentaque hypochondriacâ affectione sese offerente*, quatenus non rarò deprehensæ sunt *sinistri lateris ventositates, ructus, evaporationes*, melancholicam affectionem producentes, *pectoris difficultates* ex diaphragmatis compressione, *ventriculique dolores*, eò materiâ peccante promotâ, sæpiùs *vomitum vel nauseam* ad minimum producente, quæ omnia propter viscerum læsionem fieri manifestum est, utpote cum impossibile naturæ fuerit materiam peccantem copiosè collectâ totaliter à visceribus concoctionis amandare, quam ob causam non tantùm *symptomata hypochondriaca* suam originem sed & reliqua *convulsionis, paralyseos arthriditisque spuriæ* accidentia, suam continuationem habere potuerunt. Hinc *alvi obstructiones increscebant*, utpote quæ familiares & frequentes in hypochondriacis, ob materiæ peccantis facilem coagulationem, qua de causa difficulter per consuetam intestinorū excretionem omni bile, faculatem expultricem stimulante, vel propter jecoris concurrentem obstructionem, vel vi naturæ, partibus debilioribus morbo affectis, ipsi scilicet mesenteri communicatâ, adeoque à consueta rejectionis via translata: *articulorum, totiusque musculosi habitus dolor exacerbabatur*, propter acrimoniam tartareæ biliosæq; materiæ, quæ per viscera concoctionis à centro ad circumferentiam translata, novam in partibus externis subiit coagulationem, ubi partibus tenuioribus, vel per naturam, quæ causæ morbificæ etiamnum resistebat, eandemq; dissipare conabatur, vel per medicamenta resolutis, acrimonia tartarea remanens partes sensiles magis vellicabat, procedenteque tempore partium nutrimento concurrente, *nodos, indurationesque membranarum, tendinum, ligamentorumque producebat, unde tandem articulorum contractura subsequebatur.*

Vide problem. Medica. Dec. 2. quæst. 8. & lib. 1. de nati hom. quæst. 4.

De natura doloris vide problemata nostra, Dec. 3. quæst. 10.

Alvi obstructiones in hypochondriacis unde?

In hac diversorum affectuum complicatione mirum non est, quòd vires totius *animales, vitales & naturales* maximam læsionem subeant: *Naturales* enim causa antecedens labefactat, cum tales hujus operationes sint, quales externi objecti ratione permittuntur; at respectu collectæ materiæ fieri non potest, quin operationes viscerum horum quotidiè in pejus vergant: quod verò *vitalem* attinet, illa noxam præcedentium necessariò sentire cogitur, cum illæ huic subordinentur: *animales* autem in sensuum motusque voluntarii operatione consistentes, & respectu principii, & organorum impediuntur: *illius ratione*, quòd impurior sanguis cerebro officiat, suaque acrimoniâ & tartareâ naturâ nervis inimicus sit: *horum respectu*, quatenus peccans materia musculoso generi communicata consuetam spiritus animalis influentis receptionem impedit, in ipsa parte sensum dolorificum producit.

Læsio omnium virium.

Hoc modo morbo principali reliquisq; consequentibus intellectis, non difficulter curativæ indicationes ponuntur. Prognostico primùm facto, *gravem*, propter diversarum principalium partium operationem totum gubernantium læsionem, *diuturnum* propter causæ continuationem, & *ægrè* respectu omnium accidentium *totaliter sanabilem esse morbum*, propter causæ morbificæ resistentiam naturâ debilitatâ, quoad partes externas, medicamentorum vim perfectè non adjuvante, relictis semper membrorum imbecillitatibus, quod in contractis & resolutis partibus apparet, ubi tamen ex toto minimè desperandum, cùm propter ætatem natura totius adhuc vegeta videatur:

Prognosis.

Eò igitur respiciendum fuit, ut 1. materia peccans circa viscera concoctionis sensim præparetur.

Indicationes.

2. *Præparata per vices evacuetur.*

3. *Nova materiæ generatio præcaveatur.*

4. *Ad habitum corporis translata emolliatur, discutiaturque.*

5. *Symptomata gravia, quantum fieri potest, corrigantur.*

Pro primo & secundo: rectè mox à principio, me nondum vocato, ab aliis Clarissimis Medicis eò fuit allaboratum, ut materia peccans circa viscera concoctionis attenuata, & præparata evacuaretur, idque diversis remediis, tàm per inferiora, quàm per superiora, non subitò nec semel, sed vicibus partitis, tàm quòd naturæ debilitas aliter hoc sustinere non posset, quàm quòd contumax & resistens sit illa, non facilè primâ vice cedens.

Pro tertio: novæ quoque materiæ generationem rectè præcavere docuerunt illa, quæ quoad victus rationem quotidianam, alvi laxationem, contraque hypochondriaca symptomata præcepta fuerunt, quò etiam pertinent omnia corroborantia, tàm naturalibus quàm vitalibus & animalibus facultatibus dicata.

Pro quarto: inter cætera vero pro emollitione & discussione materiæ peccantis, in habitu musculoso cum membranosis nervosisque partibus latitantis, rectè thermarum temperatarum (quales Embsenses sunt) usus commendatus fuit, cujus fructus Anno 1618. non contemnendus apparuit.

Pro quinto: non neglectis interim, quæ corroborando cerebro spinalique medullæ, *propter convulsivos motus*, pro resolvendis flatibus *contra hypochondriacum affectum*, pro leniendis *obstructionibus alvi*, aliisque corrigendis

gendis adhibita fuerunt. His ab aliis hactenus ordinatis, Dei gratia, gravis hic affectus usque ad vernum tempus præcedentis anni tractabatur, ubi tempore Maji legitimus thermarum usus secunda vice continuatus fuit. Quanquam verò præsentissimum auxilium inde sperabatur, nihilominus mensibus subsequentibus eò respiciendum esse judicavimus. 1. *Ne materia seu antecedens causa circa viscera concoctionis de novo colligeretur: 2. ut membra naturali facultati dicata facilimè affluxum recipientia corroborarentur. 3. Ut materia, partes læsas obsidens, quantum absq; facultatum læsione fieri potest emolliretur, ac discuteretur. 4. Tandem ut separatus intestini recti affectus non negligeretur.*

Indicationes posteriores.

Ad primum. Cùm ergò facultates naturales in concoctione mediocriter suum officium facerent, eò allaborandum, ne vel inconvenientibus qualitatibus, vel quantitate nimiâ cibi potusque gravarentur; *convenientes qualitates* in eo consistunt, ut alimenta sint facilis concoctionis, humidiora magis actu, quam sicca, propter inclinationem ad quotidianas alvi obstructiones, absit vis evaporans ad caput, quæ cæpis, raphano, Absynthio & similibus inest; potius conditura fiat iis, quæ temperatis qualitatibus cerebro, nervosoque generi sunt amica, simulque coctionem juvant, ut sunt Salvia, Rosmarinus, Majorana, Thymus, Nux Moschata, Cinamomum &c.

Potui serviat *vinum non admodum generosum*, quod vi penetrandi nervoso generi, capitique inimicum est, *nec austerum, crudum*, quod excrementias tartareas materias circa concoctionem viscera non parum auget, sed *mediocre*, quale Neccarinum, Muscatelli saporem referens, aut præ cæteris nobilius, quod non incommodè per infusionem radicum Helenii, Benedictæ, herbæ Betonicæ, Rorismar. Salviæ & similibus condiri potest. *Cerevisia* usus sit parcior, cùm promptè flatus generet, nisi plurimùm defæcata, nec recens nimis, nec antiqua sit, cui à principio Scolopendrium, Ceterach, Rosmarinus, Milzarella seu Lienaria Cordi, Salvia, Rad. Pæon. Helenii, Benedict. &c. infundantur. Imò & Hydromel, Germanis Meth/ non negligendum, prout circa caniculares commodè præparari potest. Loco cerevisiæ non inutiliter *decoctum Sassafras*, cum Fœnic. & Passul. præparatum, vino jungeretur.

Quoad quantitatem nimia satietas in cibis, inprimisque varietas diversorum ferculorum cavenda, cum natura debilior in concoquendo paucis contenta esse queat, quod maximè quoque potus respectu requiritur. Post diætæ observationem quoad cibum potumque nova peccantis materiæ collectio circa viscera concoctionis maximè præcavetur, etiamsi alvus quotidiè laxa retinetur, cujus officium vel per vinum laxativum spleneticum, vel per serum lactis caprini cum fumaria decoctum, vel per Mannæ ℥jß. In brodio prunorum sumptæ, vel per sequens Electuarium D. Mejeri, quod ægrotanti commendatum est, stimulari potest.

℞. *Turbit. electi, Mechoaca, ana* ℥ijß. *Hermodactylorum* ℥iiij. *Folior. Sena* ℥vj. *Diagrydii*, ℈jß. *Sem. Anisi Zingib. ana* ℈ij. *Macis* ℈j. *Salis gemma* ℈ß. *Fiat pulvis tenuissimus.*

Prunorum Ungar. ℔j. *Cibebar. sine nucleis. Passularum Corinthiac. an.* ℔ß. *Coque in s. q. aq. ad pultis consistentiam. Trajice per setaceum, post ubi refrixerit: Pulpa* ℔j. *Sac.* ℥ij. *Pulv. super.* ℥ij. *Misce diligenter, Dosis quantitas juglandis plus vel minus.*

Inprims verò singulis mensibus circa tertiam quadraturam ℈ij. Extracti Panchymagogi Crollii, plenior evacuatio institui potest, per quadriduum quotidiè bis Cremor: tartari ritè præpar. ℈j. cum brodio carnis duabus horis ante cibum assumpto. Imò maximè conveniret etiam post caniculares ante usum extracti per octiduum destillatum ex herbis spleneticis, ut sunt fumaria, bachbunga, nasturtium aquaticum, & cum sero destillato factum, jejuno stomacho usurpatum. *Animi affectus* moderati sint, inprimis iracundia angue pejus fugiatur, cum intempestiva sanguinis commotio morbum plurimùm augeat: *Venus*, nervis cerebroq; inimica, parca & rara sit.

Ad 2. Ut autem membra facultati animali dicata pleniùs corroborarentur, eò allaboravimus, ut illud medicamentis externis & internis adhibitis non negligeretur.

Interius convenit balsamum Fœniculi ex oleo, tincturâ & sale fœniculi confectum: rotulæ etiam ex speciebus diamoschudulcis cum oleo Nucistæ per expressionem saccharo in aqua liliorum convallium soluto confectæ: Spiritus vel aqua liliorum convallium aliquoties rectificata: ambra grysea tribus granis manè sumpta: Confect. Anisi cum ambra præparata, Aqua Apoplectica cum Castoreo destillata & similia. Exterius fumus frequens excitetur addito pulvere, qui

℞. *Gummi Tacamachaca* ℥jß.
Mastich. Olibani
Benzoi. ana ℥ß.
Thymiamatis, ana ℥ij.
Ligni rad. Iuniperi ℈iij.
F. Pulvis grossus pro fumo.

Pileolus cum speciebus caput corroborantibus conficiatur, & sæpiùs gestetur: Membra affecta, inprimus spina & articuli, frequenter aquâ hirundinum cum Castoreo destillata calidè fricentur.

Ad 3. Quemadmodum verò thermarum facultas in modica calefactione, superfluæ materiæ absumptione, nervosarumque partium corroboratione consistit: ita non dubitamus, quin pro hac indicatione complenda, optima præparatio facta fuisset, quam ob causam per mensem unum atque alterum post usum thermarum quiescendum esse judicavimus. Non autem dubitamus, quin circa temporis autumnalis principium, commodè, post universi corporis evacuationem acidularum Wildungensium aqua pro balneo calefacta usurpari posset, quatenus amicâ facultate rarefaciendi, dilatandi, detergendique materiam ex alto evocat & expurgat, partesque simul convenienti astrictoria qualitate mirè corroborat, cujus usus eò præstantior, si primò per septimanam unam atque alteram

Thermarũ Emsensium usus.

Usus acidularum pro balneo.

alteram decoctum vel fomentatio sequens, unà cum linimenti & emplastri sequentis applicatione quotidiè adhiberetur. v.g.

℞. *Rad. Altheæ.*
Bryoniæ.
Liliorum alb. ana ℥ iß.
Herb. Salviæ.
Thymi ana M j.
Flor. Chamom.
Summit. Meliloti an. M jß.
Sem. Lini
Fœnugr. ana ℥ ß.
Fiat decoctio in brodio capitis & pedum vitulinorum vel vervecinorum.

Cum hoc decocto partes læsæ foventur, mox oleo sequenti illinuntur, apposito dein Emplastro:

℞. *Ol. Lumbricorum.*
Liliorum alborum ana ℥ j.
Cheirini
Irini ana ʒ ij.
Gummi ammoniaci ℥ ß.
Terebinth. q. s. F. linimentum.

℞. *Gummi ammoniaci* ℥ iß.
Galbani
Opoponac.
Bdellii ana ʒ ij.
Dissolvantur in Aq. vitæ, vel spritu Iunip. optim. Adde Medullæ cruris vituli, Axungiæ humanæ ana ℥ ß. *Resinæ commun. q. s.*
F. Emplastrum.

Separati affectus determinatio. Ad 4. Tandem, quod separatum affectum attinebat, in intestino recto, eundem à præcedentibus morborum causis principaliter non exortum judicabamus, potius statuentes, causam aliquam externam, frequentem suppositoriorum usum, vel aliud quid, huic originem præbuisse. Hanc exulcerationem non in sphinctere, sed paulò superiùs in sinistro latere intestini recti per digiti explorationem Chirurgus observabat, parte illâ præ cæteris, nucis avellanæ quantitate, intumescente, ejusque compressione dolore suborto.

Ulcus intestini recti difficilis sanationis. Quanquam verò non dubitandum hanc exulcerationem, tenesmum inducentem, non admodum profundam esse, mirum tamen non fuit, quòd difficilis sanationis esset, utpote in ea parte, quæ vegetiori sensu prædita, medicamenta acria ferre nequit, quæ etiam propter calidam humidam naturam, ad putredinem disposita, eò multis desinentibus venis, imò quotidiè alvi excretis illic concurrentibus, ipsamque consolidationem impedientibus. Requirebantur igitur hîc per injectionem talia *medicamenta, quæ detergent & consolidant sine acrimonia & morsu.* Ergò detersio fiat per aquam hordei chalybeatam, cum melle rosato permixtam, vel in hordei decocto plantago, vel folia quercina, decoquantur, pauxillo de nitro præparato addito, vel sequens decoctio fiat.

℞. *Hordei integri* p ij.
Ligni Guajaci ℥ j.
Herb. Plantag.
Verbasci ana M ß.
F. decoctio in aqua fabrorum.
Coletur ℔ j.
Adde Mellis rosat. colati.
Diamoronis, ana ℥ jß. *M.*

Detergentibus ejusmodi adhibitis, ne dolor exacerbetur, mox aliquid lenientium & consolidantium addatur, ut sunt Oleum Hypericonis simplex, cum æquali parte olei ovorum permistum, aliáque similia, quæ præsens Medicus & chirurgus naturæ convenientia & tolerabilia judicabit.

Hæc sunt illa, quæ superiori æstate in gravissimo hoc casu consuluimus, juxta quæ vivens nobiscum patiens, hucusque à recidiva, aliisque gravissimis symptomatibus DEI gratiâ liber fuit.

OBSERVATIO XVI.

Paralysis post colicos dolores.

VIR quinquagenarius Conradus Weiß/ *Civis & Senator Giessensis, in insignes dolores colicos incidit, Anno 1613. circa tempus autumnale, laborans aliquandiu, tandem doloribus quidem intensis remittentibus, dolorifica pedum, manuumq; imbecillitas subsequitur, quam circa Novembrem Paralysis potissimum manuum, brachiorúmque excipit.*

RESOLUTIO.

COlicus *dolor* per signa sua, priusquam vocaret, satis innotescere potuit, qui *tandem remittens*, propter materiæ peccantis translationem, *dolorificam manuum, pedumq; debilitatem* produxit, sanguine tartareo & impuro per habitum musculorum distributo, *cum subsequenti paralysi*, spuria scilicet, quæ fit eam ob causam, quod musculi, tendines & reliqua organa motui destinata pro receptione spiritus animalis justo modo constituta non sint. Hîc prognostico facto, quod expugnatâ quodammodo morbi præcedentis malitiâ, spes restitutionis in corpore robustiori nobis affulgeret, juxta subsequentes indicationes procedendum esse judicavimus. I. *Necessum est, ut peccans materia, quæ in plicis intestinorum colligitur adhuc, ut & obstructio meseraicarum & vicinarum venarum, quod urinæ testabantur, sensim resolvatur & evacuetur.* II. *Respiciendum caput & ventriculus, ut appetitus conveniens redeat, concoctio corroboretur, & fluxiones capitis diuturnitatem paralyseos promoventes, præcaveantur.* III. *Denique partes externæ non negligantur, ut ibidem materia in habitu musculoso circa membranas & tendines eorum collecta resolvatur & discutiatur, & quod in affluxu est, avertatur, ac non recipiatur. Pro primo:* Quoad victus rationem, illi cibi sunt eligendi, qui facilis concoctionis sunt, & alvi laxationem faciunt, cum in his casibus ægrotantibus alvi obstructiones familiarissimæ esse soleant; huc ergo pertinent brodia gallinarum, prunorum cum passulis minoribus, poma cum Confect. anisi & fœniculi assata, *Victus ratio.*

sorbilia

sorbilia ova cum butyro recenti, caro gallinarum, pullorum, columbarum, vitulina, vervecina, quarum brodia cum Roremarino, Thymo, Majorana, Mace, Satureia, Fœniculo, Aniso, Carvo, & similibus interdum condiri possunt. Vinum sit antiquius, tenuius, cum passulis minoribus infusum ad jucundam dulcedinem, panis non sit antiquus, qui obstructionibus ansam præbet, sed unius tantum diei. Præter observationem victus convenientis, necessarium est, ut pharmacia non negligatur; hinc singulis septimanis clysterem domesticum ordinavimus, hoc modo, ℞. *Brodii gallinæ* ℔jß. *Flor. Chamameli* Mß. *Sem. Anisi, Fœniculi, Cucumi ana* ʒj. *F. decoctio q. s. coletur* ℔j. *Adde Electuar. Hieræ simpl.* ℥j. *Ol. Aneth. Chamamelini ana* ℥ij. *Salis* ʒj. M. Hujus beneficio non tantum alvus laxatur, sed flatulentia quoque intestinorum, & convulsivæ tensiones optimè corriguntur. Post biduum ʒj. pulveris Mechoacannæ cum gran. iiij. Trochisc. Alhandal in haustu vini passulati calidè pro pleniori purgatione sumatur; vel loco pulveris sumatur bolus, qui ℞. *Electuar, nostri de Tamarindis* ʒvj. *Pulv. de tribus Augustanorum*, ℈ij. M. Jejuno stomacho sumatur, haustum brodii pisorum super bibendo. Imò & reliquis diebus intermediis pro alvi laxatione vacuo stomacho haustus vini passulati calefacti cum ℥jß. Oleo amygdalarum amar. non inconveniens erit.

Pharmacia.

Ventriculo prospiciendum.

Pro secundo: Ventriculo per culinam succurrendum, ubi tamen reliqua media non negligenda, verbi gratiâ, sumatur rad. Cichorei Mj. Coquatur in brodio carnis cum quo postea spiritus Terebinthinæ 8. vel 9. guttæ duabus horis ante cibum, ubi aliâs ab aliis medicamentis quiescendum, ebibantur, quo medio frequentius continuato ventriculus corroboratur, ventositates solvuntur, obstructio in mesenterio præcavetur. Post cibum cum pane albo parumper tosto, & in malvatico humectato, sequentis pulveris stomachalis ʒß. sumatur, qui

℞. *Coriandri præp.* ℥ß.
Anisi
Fœnic. ana ʒj.
Conu C. usti præp.
Cort. citri ana ʒß.
Sacchari ℥ß.
F. pulvis.

Capitis corroborationi servit usus Mithridatii & Theriacæ antiquioris, quantitate ℈ß. sæpius matutino tempore præscriptus, ut & aqua Majoranæ post aliâs evacuationes naribus attracta, semen itidem nigellæ præparatæ cum aceto, noduloque comprehensum sæpius odore perceptum, ut fluxiones ad nares deriventur: Exterius vertex balsamo succini frequenter inungatur.

Caput roborandum.

His ita per mensem continuatis *pro tertio* pedum, manuumq; potissimùm affectum respiciendum esse putavimus, ubi balnea sudorifera convenientia fuerunt, nimirum ex *Herb. Salviæ, Rorismarini, Rutæ, Origani, Serpilli, Chamameli & similium an.* Miij. *Baccarum Lauri* Mj. *Iuniperi* Miiij. *Decoct. fiat.*

Post Balneum sudoriferum sudor adhuc in lecto provocetur, eoque absoluto, spina dorsi, homoplatæ & extrema membra affecta cum frictione inunguntur sequenti linimento, quod

℞. *Pingued. Taxi.*
Vulpis.
Anatis.
Anseris. ana ℥j.
Ol. Absinthii.
Chamamelini.
Rutacei an. ℥ß.
Baccarum Lauri.
Iuniperi ana ʒij.
Flor. Chamameli
Salviæ ana Mj.
Vini generosi vel Malvat. ℥iij.
F. decoctio q. s. coletur cum expressione pro linimento.

Obiter notandum, quod capitis imbecillitate balneum sudoriferum prohibente, tantum fomentationes ex prædictis fieri possint, inprimisq; frictiones etiam, de quibus postea.

Hoc consilium domesticum circa finem Novembris, Anno 1609. ægrotanti præscripsimus, eique post Mensem unum atque alterum acidularum Schwalbacensium potum concessimus, ita ut non tantùm iis vinum dilueret, sed interdum etiam jejuno stomacho pleniorem haustum pro sudore movendo biberet. Imò & thermas Embsenses tandem (internis morbis correctis) convenientissimas pro extremorum corroboratione judicassem, nisi temporis hyemalis incommoditas obstitisset. Convaluit nihilominus ægrotans circa tempus vernum, sensim robore membrorum restituto, qui ab eo tempore hucusque sanus & incolumis officio suo præest.

Quanquam verò rarus hic affectus in his regionibus, eundem tamen frequenter, non tantùm in Austria observavimus Anno 1603. & 1604. fortè non parùm vinis tartareis ibidem adjuvantibus, sed ab eo tempore, multos hoc modo laborantes in tractu Rhenano superioris Comitatus Cattimelibœcensis offendimus, quibus omnibus pro ratione circumstantiarum parumper variatis præscriptis remediis succurrere conati sumus, ubi inter cætera respectu corroborationis intestinorum convenientissimum exhibuimus destillatum ex Galbano, quod habet Crato in consiliis 172.

℞. *Gummi Galbani*
Elemi.
Hederæ.
Ol. Laurini vel bacc. Lauri ana partes æquales.
F. destillatio.

Exibit aqua dein clarum, ac tertio crassiùs oleum instar mellis, quod optimum est, & pro frequenti inunctione umbilici commendatur. Exterius post fomenta prædicta materiam in musculosis partibus etiam commodissimè spiritus Tartari, frequenter per frictionem inunctione adhibitus, resolvit & attenuat.

Similem observationem lege in Exercit. Pharmac. pag. 101. quam etiam lib. quarto observationum repetimus.

OBSERVATIO XVII.

Melancholia cum convulsionibus Epilepticis in prægnante.

Nobilissima fœmina Nobilissimi Georgii Dieterich Holtzapffels *in* Betzbergk *conjux, circiter annorum triginta, constitutionis calidæ siccæ, spleneticis obstructionibus, & consequenter scorbuticis symptomatibus obnoxia, sub finem Anni 1614. cùm paulò ante, superiori scilicet anno conjugalem societatem iniisset, subsistentibus mensibus ex conceptione, frequenter stomachi subversionibus & ructibus torquetur, urinâ albâ, furfuracea redditâ: mox melancholicis cogitationibus prehenditur, quibus aliquandiu nimium intentæ, singulis septimanis ferè furor quasi cum indignatione versus maritum succedit, quem non durantem sequitur, cum errore mentis, sensuum stupore, tenebris oculorum, vultu pallescente, spiritu difficili, ventrisq́ flatulentia, ut subitò concidat, sensibus internis abolitis, cum oculorum extremorumq́, potissimùm dextri lateris respectu, motibus convulsivis: interposito tempore recolligitur, viribus omnibus admodum dejectis, falsæ imaginationis & indignationis cum lachrimis recordatur.*

RESOLVTIO.

Cognitio epilepsiæ & melancholiæ.

Verum est pronunciatum *Hipp. 6. Epidem.* sub finem: quòd Melancholici frequenter Epilepsiâ, & Epileptici Melancholiâ corripiantur, cujus rationem pluribus *Galen. lib. 3. de loco aff. c. 7.* deducere conatur. Hujus rei exemplum nobis hîc etiam in Nobilissima fœmina occurrit, quæ *ætatis consistentis*, utpote in dispositis ad adustionem humorum aptissimæ, *constitutionisq́ calidæ siccæ* erat, scilicet potissimùm respectu viscerum, unde promptissimè lien crudius attrahebat, ut genitis obstructionibus sanguis venosus scorbutico tartaro scateret, & per annos aliquot *artuum gravitate, pectoris angustiâ, gingivarum sanguinolentiâ & similibus* symptomatibus (quorum deductionem ex suis causis in libro nostro de Scorbuto videre licet) afficeretur.

Hæc conjugalem societatem iniens, subsistentibus mensibus (aliâs etiam difficulter fluentibus, alio scilicet superfluo sero disperso) propter conceptionem factam, *frequentibus stomachi subversionibus & ructibus* torquebatur, quod aliâs gravidis cacochymicis frequens est, cum menstruis retentis, peccans materia circa viscera vêtris infimi fluctuet, inprimis in hoc subjecto spleneticis obstructionibus aliâs obnoxio; *Vrinam reddebat albã*, propter concoctionis imbecillitatem, vasorumque minorum obstructionem; *furfuraceam*, non ob membranarum, vel vesicæ cariem seu scabiem, quod in talib. urinis multi fieri putant, sed succis crudis particulariter adustis, & in pollinem quasi redactis, vi caloris extranei agentis, quemadmodum innuit *Vallesius lib. de Vrinis c. 4. Mox Melancholicis cogitationibus prehendebatur*; evaporationibus videlicet adusti sanguinis cerebro communicatis, & ad spirituum animalium infectionem & obtenebrationem inservientibus; *subsequente sæpius furore quodam*, quatenus præcedentis causæ continuatio quendam ardorem in cerebro producebat, & spiritus aliquanto ferocientes reddebat; quem *non diu durantem*, propterea, quòd non per πρωτοπάθειαν, sed sympatheiam tantùm cerebrum laboret, sequitur *cum errore mentis*, imaginationis operatione ob spirituum non convenientem perturbationem læsâ; *sensuum stupore*, propter denegatum influxum animalium; *tenebris oculorum*, ipsis nervis opticis defectum hujus influxus primò sentientibus; *vultu pallescente*, quatenus spiritus & sanguis intro recurrunt, imminente quasi suffocatione, quam *spiritus difficilis* innuit, pectoris musculis ob læsionem animalis facultatis difficulter agentibus; *ventrisq́ flatulentia*, propter hypochondriorum tensionem, & materiæ peccantis effervescentiam, regente calore quodam modo destitutam; *subitaneus decubitus*, *Epilepsia scilicet*, ubi sensibus internis & externis abolitis *motus convulsivi oculorum, extremorumq́ conspiciebantur*, quatenus noxiæ evaporationes, antea per cerebri substantiam & spiritus dispersæ, furorem melancholicum producentes, jam ipsum principium nervorum extimulabant, quod in sese contractum & angustatum, id quod noxium, expellere conabatur, *potissimum dextri lateris respectu*, quâ parte vis animalis robustior noxam citiùs percipiebat, cum in Epilepticis motibus, natura per causam morbificam stimulata, superstite robore suo, semper concurrat. *Interposito tempore colligitur*, discussâ scilicet Epilepsiæ causâ, *viribus omnibus dejectis*, ob irritos conatus, quos motus convulsivi generant, *falsæ imaginationis & indignationis recordatur*, quæ scilicet convulsionem præcesserunt, quod Melancholicis etiam accidit, ut sanitati restituti suarum cogitationum recordari soleant, unde manifestum, quòd complicatus affectus hîc adfuerit, cùm Epileptici suorum actorum, ob abolitas internorum sensuum operationes, non recordentur.

Furoris causa.

Per sympatheiam.

Epilepsia causa.

Cur in dextro latere convulsio major fuerit.

In hoc gravi casu minimè desperandum esse duximus, propterea quòd per consensum in prægnante vehementia symptomatum augeretur, quam ob causam spe bonâ freti, post exclusionem fœtus terribilium horum accidentium correctionem totalem promisimus.

Prognosis.

Ne autem interim natura succumbat, omni ingenio eò allaborandum esse duximus, ut hostili symptomatum insultui diversis mediis succurreremus. *Hinc ergò prompta primarum viarum obstructio lenem evacuationem & alvi laxationem innuebat: sanguis ebulliens & effervescens venæsectionem requirebat: peccans materia in capite collecta, præparationem & purgationem indicabat, ipsumq́ caput defensionem & corroborationem suadebat.*

Indicationes.

Quod primam indicationem, protinus nodulum laxativum ordinavimus.

Pro 1.

℞. *Fol. Senæ s. s.* ℥vj.
Agarici Troch. ʒiij.

Rhabarb.

Rhabarb. ʒj.
Rad. Cichorei ℥ß.
Scorzonerae.
Polypodij.
Glycyrrhyzae ana ʒvj.
Flor. Sambuci Mß.
Sem. Faenic. ʒjß.
Passularum minor. ʒx.
Galangae.
Cinamom. ana ℈jß.
Spicae Ind. ℈ß.

Incisa & contusa comprehendantur pro dimidia mensura vini, de quo per triduum sumat haustum, tempore jentaculi. Eâdem intentione concessimus usum sequentis Electuarii, quod

℞. *Conf. rof. recentium* ℥jß.
Rhab. opt. tenuiss. incisi ʒij.
Spicae Ind. gran. iiij.
Syr. de cort. citri q. s.
Fiat Electuarium molle.

De quo sumat alternis diebus ℥ß. horis duabus ante cibum, haustum prunorum cum passulis decoctorum superaddito.

Pro 2. *Quoad secundam* intentionem, primis viis apertis, venaesectionem instituimus, non obstante quod praegnans esset per quinque menses, cum in praegnantibus etiam venaesectio saepius tentanda veniat, quemadmodum pluribus in *problem. Med. Dec. 9. quaest.* 8. demonstravimus, ubi tamen cautionem adhibendam esse duximus, ne copiosa fieret sanguinis detractio, qualem sanguis copiâ tantùm peccans requirit, sed parca, potius alterationis, quàm evacuationis gratiâ instituta, queq; maximè ad lõginquas partes revelleret, nimirũ Salvatellâ sinistrae manus aperta.

Pro 3. *Quoad tertiam* indicationem, peccantem materiam in capite cumulatam, per sequentem potionem iteratam praeparare conati sumus, quae

℞. *Rad. paeon.* ʒj.
Herb. Salviae.
Major.
Beton. ana Mß.
Cinamom.
Macis an. ʒß.
Fiat decoctio in aq. & vino q. s.
Colentur ℥x. *Adde*
Syr. de betonica ℥jß.
Spiritus Vitrioli ℈ß.
M. F. potio pro trib. vicibus.

Digestione hoc modo praemissâ pilulas sequentes ordinavimus, quae ℞. *Massae pil. de hiera comp. Ager.* ʒj. *Diagr. cum Ol. Faenic. praep. gr. iij. F. Pil. cum Syr. de Beton. N.* xxj. Quibus sexies evacuata fuit. Non autem obstat hîc, quòd antea malignam noxiarum evaporationum accusaverimus, hîc verò materiam pituitosam in capite collectam medicamentis his praeparare, digerere & evacuare conati fuerimus, quia distinguendum inter causam remotam foventem, proximam propeq; agentem,

Dubitatio solvetur.

quae in ipso paroxysmo quid agendum sit, indicat: antecedens autem extra paroxysmum respicienda venit, ut ita fomes & subjectum peccantium qualitatum tollatur, quemadmodum pluribus haec demonstrantur à nobis *Dec. 2. problem. Med. q. 9.*

Dubitatio alia solvitur. Nec obstat 2. quòd laborans constitutionis calidae siccae fuerit, & nihilominus pituitosas collectiones in capite perpessa dicatur: est enim caput quasi labrum & receptaculum aqueae humiditatis in nobis, quae copiosiùs in calidis siccis, quàm aliis colligitur, propterea quòd viscera eandem promptissimè non ritè digestam attrahant, eandemque ad caput elevent.

Pro 4. *Quoad quartam* indicationem, interiùs pro capitis corroboratione Rotulas ordinavimus, quae

℞. *Cornu C. Usti praep.* ℈j.
Marg. praep.
Corall. rub. praep. ana ℈ß.
Sacch. albiss. ℥iij. *in Aq. Lavend. soluti.*
Ol. Nuc. Mosch. per express. ℈ß. *de succino gutt. ij. F. l. artis confectio in rotulis.*

Item: ℞. *Conf. fl. paeon.* ℥ij.
Syr. de fl. paeon. ℥ß.
Sir. Vitrioli ʒß. *M.*

His utatur alternis diebus jejuno stomacho, nec exteriùs manè vesperique negligat usum cucuphae, quae cum pulvere sequenti conficiatur.

℞. *Mastich.*
Vernicis ana ʒiij.
Majoranae siccae,
Rof. rubr. ana Mj.
Sem. Coriand.
Castorei ana ʒß.
Cortic. Citri.
Macis ana ʒj.
F. pulvis grossus pro Cucupha.

His DEI gratiâ praedicta symptomata gravia plurimùm lenita fuerunt, rariúsque suas exacerbationes habuerunt, donec circa menses ultimos impraegnationis partus foetus demortui subsequebatur: Mirum enim non erat tantis, tamque frequentibus convulsionibus ipsum foetum etiam praeter naturam affectum fuisse.

Postquam verò DEI gratiâ à foetu mortuo liberata erat, benè habuit, & subsequentibus evacuationibus menstruis nihil ulteriùs praedictorum accidentium sensit, nec medicam opem ulterius imploravit.

Incipiens recidiva cum iterum impraegnata esset aegra. At cum Anno 1616. circa principium impraegnationis signa ex subsistentibus mensibus & aliis apparerent, *rursus difficultate sinistri lateris, circa splegnis regionem laborare incipit*, utpote obnoxia spleneticis obstructionibus, quae tamen incrementum capiebant, sanguine aliàs per menses evacuato vicissim ibidem coacervato, *simul & alvi obstructiones frequentes patitur*, intemperie calidâ siccâ lienis auctae serositates & humidiora excrementa confertim exhauriente, *cum dejecto appetitu & nausea à carne*, quod praegnantibus ob dictas causas frequens est. Hic iterum meo consilio utebatur, timens ne graviora

 mala

mala sibi rursus expectanda. Cùm autem nondum antecedens causa tantâ copiâ adesset, eò allaborandum esse duxi, *quò alvus aperta retineretur*, per frequentem usum Electuarii de Tamarindis, vini passulati, & similium lenientium, *splenis incipientes obstructiones emollire & aperire* frequenti fomentatione per sacculos ex herbis confectos, *stomacho corroborantibus* succurrere conabar, quorum remediorum copiam suo loco in Observationibus de morbis mulierum monstrabimus.

Præservatio à gravioribus accidentibus.

His optimè habuit, & toto gestationes tempore nihil sinistri passa fuit, donec convenienti tempore puellum sanum ederet, qui hucusque salvus & incolumis vixit, usque ad præcedens vernum tempus, ubi mense Aprili graves Epilepsiæ insultus perpessus fuit, quantum ex literis Parentis Nobilissimi intellexi, quos præcesserunt & comitatæ sunt difficiles alvi obstructiones. quorum corrigendorum gratiâ primò alvum leniendam esse suasimus per usum Syrupi rosati soluti, quâ vicissim apertâ, sequentem Syrupum alterantem ordinavimus, qui

Observatio.

℞. *Syr. de flor. paon.* ℥j ß.
Acetosit. Citri ℥j.
Aq. flor. Tiliæ ℥ß.
Spirit. Vitrioli ℈ß.
Misce F. Säfftlein.

De quo puellus sæpiùs cochleare dimidium lambat. His mali exacerbatio remisit, ubi tamen valdè verendum, ne levi de causa potissimùm alvi obstructionibus vel aliis accidentibus ad evaporationes inservientibus recidiva sit expectanda, quod tamen DEUS Opt. Max. clementer avertat.

OBSERVATIO XVIII.

Melancholia Uterina Barthol. Merclini.

Cura mihi est Generosæ fœminæ Melancholia Uterina laborantis, constitutionis plethoricæ valdè, magni judicij aliàs, sapere quæ supra omnes videtur, & si liceret, octava sapientum dici mereretur. Adsunt vigiliæ continuæ, ob humores retorridos, crassos: paroxysmi per intervalla repetunt, cum anxietate, pressura cordis; spicatione gravi, mentis caligine & delirio: ad se cum redit, consequentia loquitur, nisi, quod sibi nihil deesse existimat, præter cordis pressuram & animi pusillanimitatem, quæ mentis vitio, non corporis, sibi accidere opinatur, & ideò se medicamentis non egere putat. Multis tamen, inprimis Religiosis hominibus persuasa, seq. quædam admisit. Primò cum menses nigri, crassi, versicolores, nec ex voto fluerent, venam popleticam dextri pedis aperiendam curavi, à cujus relevatione illa sensim ad sese rediit, ut exactius de rebus judicaret, & consilia data, & admonitiones audiret, admitteretque. Ordinata igitur humorum præparatione & corpore aliquoties purgato, post aliquot dies per literas significatur, rectè illam valere, si modo somnum habere posset. Hujus igitur causa varia à me tentata sunt hactenus, sed frustrà. Medicamenta ore sumenda, quę somnum inducere valerent, audire non vult, ne dùm intromittere: interim tamen admisit, cui philonii Romani ℈ij. admiscebatur. Laborasse eodem malo ante annos decem, & quidem per integrum annum, significatum est: breviorem jam hujus tragædiæ actum, somno producto, sperarem. Sed paries intus denigratus foris tantùm dealbandus est. Excell. T. quid tali in re ageret cum foris omnia me tentasse putem, rogo me doceat. Vale cum universis tuis, quam felicissime, diutissimè. Datæ Lauingæ prid. Cal. Aug. 1628.

Viro Clariss. & Excellentiss. Dn. Barthol. Merclino, Medico D. & Physico Lauingano.

Gregorius Horstius, D.

S. Literas tuas rectè mihi traditas fuisse scias, Vir Clarissime, queis inter alia certiorem me reddidisti de Melancholica quadam fœmina, quam remediis convenientibus eò usque restitutam esse scribis, ut spes sanitatis affulgeat, modò somnus eidem promoveatur, cujus gratiâ, reiteratâ tamen venæsectione, pro tostis & exustis humoribus alterandis, exterius compositum sperniolæ cum aqua rosarum dissolutum fronti, temporibusque linteis humectatis in eò, sed interius simul Laudanum opiatum cum Magisteriis ad grana iiij. vel v. præscriberem. Quid præstent hæc media post universalia, pluribus exemplis confirmarem, inter quæ sufficiat unum & alterum. Illustriss. fœmina vidua, in vicinia, cum quadragesimali jejunio sese per septimanas aliquot afflixisset, sub finem Martii currentis anni melancholicas anxietates patitur, alvo simul adstrictâ, timore, metuque penitus oppressa, cum pervigilia & dilirio sine febri. Vocatus ego, quamprimum clysterem ordino, cujus operatio sequitur optata, quâ definente circa noctem Laudani opiati g. iiij. (sat enim delicata erat mulier) exhibeo, sine succedente somno, sed obortis circa matutinum tempus anxietatibus, cum extremorum convulsivâ quædam tensione, quæ facilimè remittebat, exterius aqua Antihystericâ per frictionem adhibitâ. Sequenti die venæsectionem in brachio ad ℥vij. instituo, cum successu, repetito circa vesperam enemate, cum subsequenti Laudano opiato, cujus gr. v. assumptis, bene dormivit per noctem. Postmodum evacuationem quoque tentavimus laxativo minerali, cum diagrydio sulphurato permixto, reiteratis aliquoties venæsectionibus, tàm in brachiis, quam pedibus, non neglectis aliis, quæ symptomatum leniendorum gratiâ necessaria videbantur, ut hoc modo menstruo spacio perfectè restitueretur, DEO clementer medicamentorum operationem benedicente. Similiter his ipsis canicularibus fœmina quædam honesta, nobiscum vivens, melancholiâ, ferè ad maniam inclinante, prehensa, per purgationes ex mineralibus (ut quę remedia citius ejusmodi perturbatis hominibus in cibis vel alimentis clanculum exhibentur) reiteratas, venæsectiones multas, & ritè correcta narcotica vicissim, DEI gratiâ, plenariè fuit restituta. Scio Dn. Platerum in observationib. mentionem facere cujusdam Empirici, qui maniacos multis venæsectionibus curarit, queîs restitutâ fuisse fœminam quandam, quæ tamen postmodū cachectica,

Somniferi in Melancholicis.

Observatio de Melancholia ex jejunio.

Observatio alia.

Venæsectionis frequentia in Melancholicis.

cachectica, pallidique coloris per totum vitæ tempus fuerit. Interim negare non possum, quod experientiâ teste, largas & frequentes venæsectiones tutò tales ægrotantes ferre possint, modo simul etiam non negligantur alia, tàm in victus ratione, quam in pharmacia convenientia. Ratio non difficulter colligitur, ubi dispositionem sanguinis & spirituum in Melancholicis perpendimus, de quo plura non addo, sed Excell. T. præsentem hunc amici nostri communis, D.D. Jacobi Eckoldi discursum communico, quo statum Melancholicorum, tam in latitudine sanitatis, quam etiam in morbosa dispositione pulchrè declarat. Hisce benè vale. Ulmæ.

Discursus de Melancholia tàm in statu secundum, quàm etiam præter naturam.

Vir Clariss. & Excellentiss. Dn. Iacobus Eckoldus, Med. D. & Reipubl. Memmingensis Physicus.

Ad

Religiosum quendam Melancholicum.

S. P. Cum Reverentia vestra melancholicis deliriis jam diu affligatur, ut animo ea excutere discat, de melancholiæ generatione & causis sequentia, pro consolatione quadam, exarare libuit. Cerebrum præstantissima humani corporis pars, principum animæ facultatum, nempe Imaginationis, Rationis & Memoriæ sedes est. Earum ἐνέργειαι ad ipso cerebro, ejusque spiritibus, tanquam principali suo organo, exercentur. Cerebrum autem cum spiritibus, si naturali sint constituta ordine ac temperie, integras actiones edere, sin minus, & vel dyscrasia quadam, vel alia quapiam præternaturali dispositione afficiantur, easdem actiones vel minui, vel lædi & turbari, aut omninò tolli continget. Hæc ut exactius intelligantur, primò naturalem cerebri temperaturam atq; dispositionem, & ex eadem provenientes sanas & integras actiones animales; deinde quo pacto ex ejus præternaturali affectione naturales ἐνέργειαι destruantur & corrumpantur, describere & ob oculos ponere placuit. Cerebrum enim non cordis refrigerandi gratia, ut Aristoteles somniavit, sed ad nobiliores & diviniores usque usus, nempe ad internorum sensuum & principum facultatũ functiones edendas, & animalium spirituum generationem, à solertissimâ Naturâ constructum esse docuit Galenus, Anatomiæ peritissimus. Hinc tanta & tam mirabilis cerebri structura, nempe cavitates quatuor, corpus quasi cameratum, plexus in eo venularum & arteriarum labyrinthæi, mamillares processus, septum lucidum, corpus callosum conarium, gloutia, & aliæ ejus partes, miró artificio pulcherrimè concinnatæ, & constructæ, quæ omnes divinis his Animæ usibus inserviunt. Ad hæc, forma hac, substantia & temperie præditum est cerebrum, ut & tales, quales ad divinas has functiones edendas requirerentur, spiritus generare, & per eosdem eas ipsas exercere posset. Nam homini amplior, quam cæteris animalibus data est cerebri moles, ita ut unicum hominis cerebum duobus grandissimorum boum cerebris grandius sit, nempe quia principum facultatum varietas & animalium functionum perpetuarum assiduitas & perfectio maximâ spirituum copiâ indigent, qui nec à pusillo corpore creari, nec in eodem concludi potuissent. Dein cerebri substantia mollis est, ex purissima seminis & spirituum portione fabricata, ut facilior idolorum fiat impressio: alba, ut spiritus animales essent limpidissimi, non obscuri & tenebricosi. Ejus temperies frigida & humida est, ne videlicet membrum perpetuæ cogitationi dicatum accenderetur, neve animales spiritus omnium tenuissimi citius evanescerent, insuper ut animales sensuum, rationisque motiones essent sedatæ, non temerariæ ac furibundæ, quales eorum sunt, quibus p. n. cerebrum supercalefactum est, spiritusque inflammati, ut phreneticorum, tandem etiam ut placido somno, qui animalium facultatum quies est, cerebrum sopiri possit, qui aliâs excedente caliditate, cujus hoc proprium est, perturbaretur.

Cerebrum hominis cur ampliũ.

Cur cerebri substantia mollis? alba?

Frigida humida.

Cæterùm uti ex dictis apparet, cerebri substantia nequaquam primum & proprium animalium actionum instrumentum est, sed spirituum, qui ob id animales dicuntur, ministerio ac ope illud utitur. Nam animales illæ actiones principes, imaginatio, cogitatio, recordatio, & si quæ sunt aliæ ejusmodi, ab immobili quodam organo exerceri nequeunt, sed quia velocissimæ eæ sunt, & adeò subitæ, ut inter eas temporis momentum animo comprehendi vix queat, & omnem linguæ volubilitatem longè antevertant, instrumento etiam in omnes partes mobiliss. indiguerunt: tales autem sunt spiritus animales tenuissimi scil. mobilissimi, adeoque ad actiones has obeundas promptissimi & aptissimi. Spiritus hi ex omni subtilissima arteriosi sanguinis parte, adeoque ex vitalibus spiritib. à corde ad cerebrum transmissis generantur, inspirato autem aëre nutriuntur & conservantur. Quia autem ad divinum hoc & exquisitum opus, nempè principes cerebri actiones obeundas, spirituum opera, ceu proximo suo organo indiguit Anima, eosdem etiam exquisitè elaborari, & ad opus hoc habiles fieri oportuit, in quem finem solertissima Natura cerebri corpus tam mirabiliter construxit, nempè quatuor sinubus excavavit, & plexibus quibusdam adornavit, in quibus excoquerentur, attenuarentur & præpararentur spiritus, ut fierent subtiles, tenues, limpidi, puri, mobiles, lucidi & tantùm non ætherei, adeoq; ad divina hæc opera exercenda idonei. Prout varia autem temperatura cum reliquo etiam corpore cerebrum naturaliter præditũ est, ita ut vel frigidius sit, vel calidius, humidius, vel siccius natura sua, pro eo etiam ejusdem craseos, nempe Naturæ suæ congruentes spiritus generat & producit, ut in aliis sint calidiores, in aliis frigidiores, in his humidiores, in cæteris sicciores. Unde tanta temperamentorum, & ab iis dependentium ingeniorum & morũ, varietas & dissimilitudo. Nam quibus calidius à natura datum est cerebrum, alacriores habent, & exquisitiores sensus; quibus verò frigidius, torpidiores sunt, & segnius Animæ opera exercent. Intenditur autem & acuitur utriusq; temperamentum humiditate & siccitate accedente: Sic quibus

Primum organum animaliũ facultatũ.

Cerebri structura finis.

Unde varietas ingeniorum.

Notæ temperamenti calidi humidi, respectu cerebri.

quibus cerebrum est calidum & humidũ, ingenii promptitudine quidem, & sensibus integrioribus, ast nequaquam profundioribus & acutioribus; præditos cernimus, nempe quia humiditas exsuperans spirituum agilitatem: quodammodo hebetat, eorumque tenuitatem infringit, & sic cogitationes ad profunda transeuntes abrumpit.

Calidi sicci.

Qui verè calidi & sicci sunt cerebri, sicut ij plerumque, qui cholericorum vel biliosorum naturam habent, spiritus generant tenuissimos & subtilissimos, unde subtili & acuti etiam ingenio præditi sunt, at judicio valent ad omnium rerum inventiones expeditiss. & promptiss. verum cum ob nimiam suam tenuitatem spiritus hi facilè dissipentur, ob insignem etiam, qua præditi sunt, agilitatem, minimamque mobilitatem rerum species firmiter non retineant, sed objectorum varietate citius commoveantur, parum etiam profundis cogitationibus & contemplationibus tales se dedunt, sed vario sensuum impetu citius ad diversa rapi se patiuntur, ita ut acuti quidem, sed parum constantis ac profundi ingenii sint, & cogitationes suas non satis firmiter & altè in res defixas teneant, sed citius commotis, aliarum specierum appulsu, ob agilitatem spiritibus, vel ob tenuitatem dissipatis, à contemplationis serie retrahantur.

Frigidi humidi.

Econtrà qui frigidum habent, humidumq; cerebrum, quale est eorum, qui phlegmaticam habent corporis constitutionẽ, spiritus progignunt crassos, & ad ingenii labores ineptos, unde plerumque tales tardi sunt, & segnes, stupidi etiam atque hebetes, judicio nullo valentes, & ad graviores animi occupationes inhabiles.

Frigidi sicci.

Qui verò frigido & sicco cerebro præditi sunt, quale melancholicorum maximè est, si non nimium excedat frigiditas, crassiores quidem, ast limpidos atque claros producunt spiritus, qui nec ob caliditatem nimium moventur, & sensuum impetu, non ita promptè agitantur, vel hinc inde trahuntur, nec ob humiditatem nimis torpent, nec ob infirmitatem & nimiam tenuitatem absumuntur citius, aut dissipantur; sed firmi sunt ac stabiles, qui profundis, acutis & continuatis ingenii laboribus subeundis peridonei sunt: Hinc tales ingeniosi maximè sunt, acuti, sagaces, prudentes, & ad gravissimas res, & omnis generis scientias capessendas habiles. Etenim, cum ob organi, spirituum dico, habilitatem & siccitatem, conceptæ rerum species & simulachra diutius & firmius inhæreant, & Animæ vis, quæ cognoscendi, percipiendi, cogitandi atque dijudicandi nomen meretur, validius exerere se & firmius incumbere, atque adeo profundius etiam inhærere potest, ob eorundem autem puritatem ac stabilitatem, quæ nullius caloris perturbantis vi in frigidiore cerebro infringitur, subtiliores, acutiores & profundiores contemplationes efformare valet. Sed ut hæc plenius intelligantur, eorum qui totius corporis, adeoque cerebri etiam frigidam & siccam temperaturam obtinent, Melancholicorum nempe naturam & conditionem, quatenus tamen ii intra sanitatis latitudinem continentur (nam de morbosa horum constitutione postea dicturus sum) ulterius describere placuit. Cuivis homini temperamentum sua Natura insitum est, ut sit vel sanguineus, nempe calidus & humidus, vel cholericus, nempe calidus & siccus, vel phlegmaticus, nempe frigidus & humidus, vel Melancholicus, nempe frigidus & siccus. Nam pro ut est nativum hoc ipsius temperamentum, pro eo etiam sanguis & humores gignuntur, ut hic vel alius succus in eo superabundet. Ut autem quodvis temperamentum peculiares progignit effectus, uti de energiis cerebri jam supra dictum est, ita inprimis etiam id, quod in frigiditate & siccitate excedit, nempe Melancholicorum certam & peculiarem habet naturam & conditionem. Nam præterquam quod ingeniosi sunt, *cogitabundos* esse cernimus, quod fixè & intentè cogitationibus & meditationibus incumbant: cujus rei causa est, spirituum frigiditas & siccitas, unde crassiores fiunt, & minus mobiles: Ut enim calidi natura est attenuare, omniaque turbare & agitare, sic frigidi incrassare, & quietem inducere, hinc fit, ut phantasmata, impressa tenacius talibus spiritibus inhæreant, nec tam promptè aliorum: appulsu atque impetu diffluant, ac obliterentur: hinc etiam fit, ut quas melancholici animo semel concipiunt opiniones & cogitationes, *easdẽ diutius retineant*, iisdemque obstinatè inhæreant, subinde persequendo eas, nec facilè alias recipiendo: dum etiam sic opinionibus conceptis firmiter adhærent & indulgent, alias res minimè curant, hinc *morosi* sunt, *taciturni*, *tristes* & in se quasi demissi, uni rei intenti, eandem pertinaciter apprehendentes, omnemq; Animæ vim in eam solùm intendentes. Et hæc causa quoque est, *cur solitudines ament*, & hominum consortia fugiant, nempe quia spiritus unâ re occupati quasi, immobiles hærent, alia phantasmata non facile admittunt, nec eorum varietate commoventur: hinc aliis rebus nequaquam delectantur, sed constanti ac firmâ cogitatione in unâ solâ re perseverant. Alios ex his etiam mores exsurgere cernimus, pravos sanè, nisi acquisito habitu amendentur: plerumque enim tales *invidos*, *avaros*, *fraudulentos*, ad *iram* tardos quidem, sed quam conceperunt, deponere nescios, experimur. Ex quibus omnibus videre licet, verissimum esse Galeni effatum, qui animi mores corporis temperamentum, sequi affirmavit. Cæterum in naturalibus quoque concoctionem & humorum generationem spectantibus animæ operationibus peculiarem habet tale temperamentum conditionem: nam quia frigidum hoc est, & siccum, crassos lentosque humores, adeoq; prorsus terrenos progignere solet, qui vel toto corpore collecti, vel inprimis in Liene, cujus quidem officium est crassiorem succum attrahere & conficere, congesti, variorum accidentium causam afferunt. Videmus enim tales corporis habitu siccos esse, & macilentos, aspectu inconstantes, humidos ac mæstos, faciei, totiusq; corporis colore fusco, obscuro, aut nigricante, pigros sæpè & ignavos, parum dormientes, quia cogitationibus intenti sunt, nec laxatur animus; siccos enim spiritus habent, qui rerum simulachra retinent: tetrificis etiam insomniis vexari, & turbulento somno plerumque molestari, crassis, atrisque vaporibus caput, spiritusque turbantibus; adhæc proclives ad morbos naturæ suæ cognatos, nempe Melancholiam, & alios congeneres &c.

Cur ingeniosi? *Unde Melancholici cogitabundi.* *Constantes.* *Morosi.* *Tristes.* *Solitarii.* *Invidi.* *Avari.* *Ira eundi.* *Functiones eorum naturales.*

Sed

Cur Melancholici temperamenti effecta non protinus in juventute pateant.

Sed non semper *prima statim ætate se prodit temperamentum hoc*, eò, quod in ejus flore, quando copioso calore & humore adhuc corpora circumfluunt, benigniores adhuc succi progigni soleant, ut sic ejus manifesta signa adhuc lateant. Verum inclinante jam ætate, fervore represso, & humido resiccato, in apertum venit, si maximè vitæ conditio tristis, lucubrationibus, studiis, meditationibus, contemplationibus & negotiis gravioribus implicita, accesserit.

Hæc enim ipsa, hominis temperamentum quantumvis bonum immutare valent. Continuati namque hi animi atque ingenii labores spiritus animales assiduo exhaustu imminutos, eorundem recuperationem & redintegrationem conquirendo, ex vitalibus, qui eorum materia sunt, regigni postulant: vitales autem ex subtiliore & calidiore sanguinis parte generati materiam subinde ipsis subministrando, tandem deficiunt: unde fit ut sanguis optima sua parte fraudatus siccetur, & crassescat: tandem autem cum dicti capitis labores spirituum operâ continuo indigentes eos in subsidium advocare non desinant, nec tamen iis regenerandis materia idonea suppetat, fit ut ex ficciore & crassiore sanguinis parte reparati, eandem naturam conquirant & profundioribus, fixisq; cogitationibus, quales Melancholicorum sunt, inservire possint.

Melancholici & literati, unde fiant cachectici.

Adhæc quia unaquæq; Animæ operatio, quæ quam maximè in corpore viget, spiritus ad se trahit, & in sui subsidium adhibet, necesse est, ut aliæ tunc operationes minus sint firmæ & efficaces, utpote spirituum copiâ destitutæ, hinc fit, ut coctiones humorum in inferiori corpore minus perfectæ sint, sed crudi, crassi, & feculenti succi coacerventur, totusque tandem sanguis degeneret. Et hæc causa est, quod ii, qui studiis & lucubrationibus continuè incumbunt, non tantum Melancholici sint, sed etiam plurimis cruditatibus abundent. Eadem ferè causa est, quod tristitia, curæ & sollicitudines eandem temperiem accersere possunt: nempe quia profundæ, fixæque cogitationes spiritus exhauriunt, vitaleque robur dissolvunt, unde enervatur Natura, sanguis crassescit & Melancholicus evadit. Hinc videmus lætos & minimè curiosos optimam & saluberrimam degere vitam, nempe quia ipsorum natura in nulla alia re, quam in concoctionibus occupata est, quæ omnes vires & spirituum abundantiam iis saltem adhibet, nec quicquam ex iis ad capitis labores subtrahitur.

Origo Melancholiæ morbosæ.

Sed ut tandem ad morbosam Melancholicorum constitutionem veniamus, ex dictis facile colligi potest, si ea totius corporis, adeoque etiam cerebri & spirituum, quæ naturales fuit, ad hæc & intra terminos constituta, temperies frigida & sicca excedat, omnia supra enumerata accidentia intendi, ejusque effectus augeri, ita ut Melancholia fiat, nempe affectio præternaturalis cerebri. Sed hic maximè observandum, quod cum, ut supra dictum est, spiritus, tanquam primum & principale principum cerebri facultatum organum; certa sua temperie præditos esse conveniat, præter hanc etiam naturali substantiæ suæ constitutione, quæ proximè ad temperiem subsequitur, & secundæ cujusdam qualitatis nomen obtinet, convenienter dispositi esse debeant, ut nimirum sint lucidi, puri, limpidi, tenues ac mobiles, à quâ naturali constitutione si dejiciantur & p. n. afficiantur, si nempe fiant impuri, obscuri, crassi, tenebricosi, ipsam eorum crasim immutari, adeoque ipsas cerebri ἐνεργείας quarum instrumentum sunt, depravari atque vitiari necesse sit. Melancholia ergò, cum imaginationis atque ratiocinationis sit depravatio, cum tristitia atque metu conjuncta, necesse est, ut instrumentum earum dyscrasia quadam, & prava, ac inconvenienti dispositione affectum sit.

Melancholia quid.

Ejus causa.

Quæ qualiter se habeat, ex sequentibus patebit. Ex crasso & feculento sanguine, verè Melancholico, qui vel per omnes venas, totiusque corporis molem dispergitur, naturæ, diætæ, aut aliarum causarum injuria productus, vel cum capite saltem, naturâ frigido aut sicco, aut post vehementes animi passiones crasi destructa colligitur, vel etiam in hypochondriis, splene & mesenterio, fervore, sanguinem adurente, incrassante, & in feces convertente, coacervatur, fumi, fuligines, atque vapores multiplices suscitati, exhalantes atque effumantes, spiritus, animales ita alterant atque perturbant, ut tùm αἰσθητικαὶ tum ἡγεμονικαὶ capitis ἐνέργειαι immutentur, imaginativa vis externarum specierum simulachra perperam concipiat, aut intus, fictis percellatur, sensus communis & rationalis facultas, opinionibus, pavore, mæstitiaque plenis, fluctuet & hallucinetur. Et taliter quidem Saturninus hic morbus, Melancholia, generatur. Sed ut hæc melius intelligantur, varias quæstiones proponere lubuit, quæ omnium, quæ Melancholiam comitantur, accidentium naturam & causas cognitu difficiles explicabunt & enodabunt.

Cur Melancholici meticulosi?

Quæritur primum, *Cur meticulosi perpetuò & pavidi Melancholici?* Resp. causa hæret in spiritibus, qui p. n. alterantur & perturbantur, vel inficiuntur, à frigidis & siccis, iisque crassis & nigris exhalationibus & vaporibus. Nam ut supra dictum est, si spiritus naturali suo temperamento & dispositione præditi sunt, si nempe præter naturalem temperiem caliditatis & siccitatis, puri sunt, lucidi, clari & nitidi, animus quasi attollitur, nempe simulachrorum varietate se recreat, liberumque refluxum servat, adeoque integræ & lætæ actiones eduntur: sin verò p. n. alterantur, ita ut à dictis fumis crassis & frigidis condensentur ac cogantur, & sic frigidiores fiant & ficciores, animus quasi contrahitur, ejus alacritas cohibetur & extinguitur, & quo minus liberè fluat ac refluat, prohibetur: deinde quia nigris, ex atra bile vel Melancholico sanguine suscitatis exhalationibus, iidem spiritus inquinantur, & de nativo suo nitore ac puritate dejiciantur. Cerebrum quoque quasi obnubilatur & menti tenebræ offunduntur, hinc omnia objecta terrifica offeruntur, anima in perpetuis quasi carceribus obambulat. Haud enim aliter atri illi fumi, mentem afficere videntur, quam nocturnæ tenebræ animos hominum, in iis versantium, terrent & perturbant. Hinc ratio cœcutit, & his nubibus circumsepta, luce suâ privatur, totaque passim in suis discursibus hallu-

hallucinatur & errat: nam varia & diversâ, quæ exoriuntur phantaſmata, abſurda ſæpe & horrenda, facultati imaginatrici oblata, non aliter timorem incutiunt, atque ſi extra ipſos poſita eſſent: unde pavidi fiunt melancholici, triſtes & meticuloſi.

Unde varia Melancholicorum phantaſmata?

Quæritur ſecundò, *Unde tanta varietas φαντασμάτων proveniat, ut tàm abſurdas cogitationes animis ſuis verſent, ac volvant, & unus hoc ſibi imprimat, alter aliud?* Reſpon. partim à varia διαθέσει & diſpoſitione vaporum melancholicorum, ſpiritibus animalibus admixtorum hoc provenit, nam pro eorum diverſitate, varia etiam, & diverſa phantaſmata, abſurda & horrenda exoriuntur: partim etiam à corporum & naturarum varietate procedit: nam pro conſtitutione corporis, & temperamentorum diverſitate, penè infinita, varii falſarum imaginationum producuntur effectus, nempè ſtultæ cogitationes innumeræ, & impreſſiones infinitæ, quibus multis modis cerebrum perturbatur: quem admodum etiam vinum Naturæ, moribusque potantium ſe accommodat, ita ut ſpiritibus à vinoſis exhalationibus perturbatis, varia Symptomata progignantur, homineſque ebrii, juxta ſuum ſinguli temperamentum, varias & diverſas proprietates, geſtus & geſticulationes edant, ut alii inde garruli & faceti, alii lugentes, alii ridentes, alii ſaltitantes, alii ſtupidi, alii cogitabundi, alii futibundi conſpiciantur. Sic melancholici etiam fumi, ſpiritus inficientes, delirarum imaginationum varios producunt effectus: v. gr. quibus flatus in ventre oberrant, beſtias ſe fovere, vel neſcio quid aliud in corpore latitare, ſibi imaginantur, &c. Et ferè talia melancholicorum phantaſmata, ſomniantium deliriis ſimilia ſunt: nam uti ſomniantibus, pro varia corporis & humorum affectione, varia & mirabilia ſæpè ſpectra obſervantur, quæ tamen facile rurſus evaneſcunt, & ob fluxam, quæ concepta ſunt, levemque eſſentiam, præterlabuntur, ſic etiam melancholicorum infinita portentoſa & horrenda objiciuntur ſimulchra, quæ tamen pertinacius hærent, & penitius impreſſa, ob ſpirituum ſiccitatem & craſſitiem firmius ſubſiſtunt. Quin & ipſum vitæ genus, taliſque conditio, quam ſtudiorum & negotiorum varietas accerſivit, melancholicas impreſſiones immutare ac variare ſolet, ita ut actionibus, ſtudiis, & contemplationibus conſuetis, affinia ferè phantaſmata ſuboriantur & excitentur, nempe quas res animus prius tractavit, eaſdem nunc memoriæ impreſſas, indeque depromptas, confusè tamen, præpoſterè & depravatè, quippe inſtrumento ſuo diſturbato, ſibi objicere, earumque ſimulachra perperam concipere, & inſectari ſolet: Sic religioſi de cultu divino & precibus falſas imaginationes fovent, hic à DEO ſe relictum, ille precibus ſuis DEUM non auſcultare, alius de ſalute æterna deſperans, damnari ſe, multi gehennam ſe ſentire, & in inferno cruciari, ſæpè Dæmones ſe videre, & ab iiſdem vexari, aut omninò obſeſſos eſſe, ſibi falsò imaginantur: Meditationibus cæleſtibus continuò occupati, perperam res ſacras & religionem tractant: Literati, quibus ſeſe dederunt, profundis contemplationibus, corruptâ phantaſia eaſdem abſurdas & depravatas referunt: Poëtæ verſus ſcribunt: Qui opibus conquirendis laborarunt, de auro, argentoque, & infinitis theſauris garrientes, ſtupenda proferunt: Avari paupertatem metuunt, & nummis comparandis cogitant: Opifices de opificiis ſuis miros habent diſcurſus: ſic qui forenſibus litibus operam dederunt, jurgia movent, & ridicula recenſent. Summâ, quibus, dum ſani fuerunt, ſtudiis acrius addicti erant, eadem, deſtructa jam mente, inſectantur, & quas abſurdas de iis cogitationes animis ſuis verſant ac volvunt, geſtibus ſæpe exprimunt, & ſermone atque oratione aliis declarant. Imo tam monſtroſæ & portentoſæ ſæpè ſunt melancholicorum imaginationes, ut earum cauſa neque corporis diſpoſitioni, neque vitæ conditioni rectè adſcribi poſſit, ſed ea ferè ſit abſtruſa, penituſque recondita & myſterio quodam involuta: Hinc res inſolentes & ſtupendas interdum præſtant. Multi tanquam numine quodam afflati, futura vaticinantur: Adeoque innumero deliriorum genere melancholici laborant.

Cur apprehenſiones Melancholicorũ tam firmæ?

Sed ulterius quæritur: *Cur apprehenſiones ſuas ita mordicus teneant, & quæ conceperunt phantaſmata, retineant, nec à falſis & illuſoriis imaginationibus, impreſſionibusque phanaticis abſtrahi ſe patiantur, ſed quamvis ſolerti & doctâ perſuaſione interdum liberati videantur, ad eaſdem tamen mox redeant, & firmius multo concipiant?* Reſponſ. ſpirituum frigiditas & ſiccitas, adeoque craſſities ſive denſitas in cauſâ eſt, in quibus ſemel impreſſa, rerum ſimulachra, imaginativa facultate jam corruptâ, firmiſſimè hærent, nec obliterantur. Accedit eorundem ſpirituum tenebroſitas, ſive opacitas, Mens quaſi carceribus incluſa, perpetuo timet, & intus retenta, ad ea, quæ ſemel perperam concepit, rerum ſimulachra triſtia & terribilia ſubinde revertitur, ab externis autem perſuaſionibus lætioribus & verioribus vix quicquam commovetur: commota autem, quia fixius illa inhærent, & ea quæ falſa ſunt, & formidoloſa, ob ſpirituum atram infectionem firmius impreſſa ſunt, in iis permanere ac contenta eſſe nequit, unde ad iniquum genium ſuum redit. Et hæc etiam cauſa eſt, quod melancholici plerunque ſuſpicioſi ſunt, nempe quia depravato judicio, rationeque falſis opinionibus imbutâ, ob perpetuum timorem & pavorem ſtultæ φαντασίας ſuæ concuſſiones ac impetus continuò conſectari cogantur.

Cur Melancholici triſtes &c. anxii.

Sed cur triſtes ſunt, & mærore, luctu, trepidatione, angore, & ſollicitudine continuò infeſtantur? Reſponſ. Ex eâdem causâ, nempe ob ſpirituum malam temperiem ac diſpoſitionem: nam quemadmodum moderatâ eorum temperies, alacres facit, lætos ac hilares, ſicut in ſanguineis videmus, in quibus temperata eſt calidi & humidi commixtio, ita quando iidem ſicci nimium ſunt ac frigidi, uti in melancholicis, eos mæſtos, pavidos & moroſos fieri contingit. Et quemadmodum ſpirituum ſerenitas, ſubtilitas ac luciditas animi alacritatem, liberumque fluxum ac refluxum, adeòque impreſſiones rerum puras & integras adfert, ita eorundem impuritas, denſitas & tenebroſitas, animum contrahit, mentem obnubilat,

rerum

rerum conceptiones corrumpit, & ut ratio pravis opinionibus pavore ac mæstitia plenis fluctuet, & hallucinetur, efficit. Hinc à sonitu frondis ventulo agitatæ diffugiunt, perpetuò lugent, plangunt, queritantur, amicos & familiares aversantur, cunctos oderunt, & solitudines captant, variarum imaginationum turbis agitati. Et sanè lucem fugiunt, tenebrasque amant, quia spiritus & humores atros & frigidos, qui luci contrarii sunt, obtinent, hominum autem consuetudinem & conspectum fugiunt, ne in attentione suâ quam ob spirituum crassitiem & immobilitatem habent fixam, præpediantur, & ab imaginationis absurdæ ac pertinacis perpetuitate abstrahantur, vel in ea perturbentur: hinc caperatæ etiam frontis sunt, horridum ac mœstum habentes aspectum, fixos & velut immotos gerentes oculos, loqui nescientes, & silentium amantes, imaginationum nempe vi detenti.

Cum Melancholici vigiles.

Cur autem quæritur insuper, vigiles adeo sunt, & somnum placidum aversantur? Cur si dormiunt, tam turbulento somno affliguntur, horrendisque adeò insomniis torquentur: Respons. Spirituum siccitas in causâ est, quæ fixam, intentamque imaginationem servat. Deest autem primo suavis, benignusque vapor, qui pro naturali capessendo somno in cerebrum exhalare debet, cujus naturali refrigerio condensentur, & in rorem quendam convertantur, quò meatus sensuum cerebri, aliarumque partium, suffundantur, ut quasi stupefactio quædam, quam somnum appellamus, oriatur. In melancholicis namque talis vapor non suscitatur, vel non copiosus satis: Spiritus verò immoderatâ siccitate laborantes non solvuntur. Iidem tandem phantasmatum impressorum continuo occursu, inquietate & variorum ac horrendorum spectrorum impulsu fatigari Animæ quietis fluitionem non permittunt: nam qui dormire volunt, laxare animum ac remittere cogitationes debent, quod tamen hîc fieri nequit. Dum verò vapores illi, qui placidi somni materia esse debent, non suaves & benigni sunt, sed turbidi & melancholicis fumis inquinati, somnus fit non nisi turbulentus, & terribilium ac horrendorum somniorum concursione molestus atque gravis.

Cur Religiosi Melancholiæ obnoxii.

Sed ulterius quærere libet. Cur *Religiosi, & ex his Carthusiani, præ aliis huic morbo obnoxii sint?* Respons. primam causam invictûs ratione positam existimo: nam cum crebris jejuniis macerentur, & parco victu utantur, continuo etiam piscium, sæpe pravorum, salitorum & induratorum, ut & aliorum ciborum inconvenientium esu repleantur, crassorum & feculentorum succorum copiam procreari, adeoque Melancholium humorem progigni atque augeri necesse est. Nam etsi aliàs ex iisdem causis copiosus pituitosorum proventus subsequi soleat, cum tamen vel naturæ, corporisq; dispositione, vel aliarum causarum injuriâ iidem incrassescant, ut si quis per naturam melancholicus sit, vel si viscerum venarumque meseraicarum æstu abundet, cujus vi pituitosi illi succi tardius transeuntes, & ob viscositatem suam adhærentes, & minores venas obstruentes condensantur, aduruntur & superassantur, uti in hypochondriacis fieri solet, omnino in feces converti eos & sic in melancholicos succos, ex quibus impuræ ac atræ fuligines ad caput emittuntur, transmutari contingit. Accedit altera causa, nempe vita solitaria, jejunia, vigiliæ, cogitationes continuæ, studia, contemplationes, meditationes fixæ, & sacris rebus inhærentes, à quibus spiritus exhauriuntur, sanguinis flos absumitur, vitale robur dissolvitur, adeoque torpida fit, & segnis tota natura, ante tempus consenescens, unde crasso & feculento sanguine facto, melancholia tandem adsciscitur. Quin ipsum corpus cum convenientibus exercitiis vacet, & recreationibus opportunis, & lætioribus non sublevetur animus, nativum calorem elanguescere, & omnia torpore sopita crassescere necesse est. Alia quoque subest, & tertia causa, nempe quia Religiosi à venereo exercitio abstinent, & genitales partes iis ferè emoriuntur, unde succos spermaticos regurgitantes in sanguinem colligi, imò incrassescere, & in corruptissimas feces abire contingit, qui corpori, & ipsi etiam capiti graves, idem malum accersere & augere possunt: eos enim, qui à libidinis usu abstinent, torpidos & pigros fieri, capitis gravitate & dolore devexari, non rarò ob inclusos spiritus intestinorum cruciatibus molestari, quin etiam ciborum cupiditate exui, coctionem vitiari, & præter modum mœstos & languidos fieri experimur.

Unde symptomata morborum corpus affligentium in Melancholicis.

Sed tandem quæritur, *Quæ causa sit, tàm variorum in Melancholicis accidentium ac Symptomatum, non jam mentem sed corpus affligentium?* Respons. Ipsa humoris melancholici redundantis crassities, impuritas, viscidita, & ex hac proveniens flatuum fœcunditas. Nam crassis humoribus in flatus, quorum quidem idonea materia sunt, solutis si in inferiori corpore oberrent, fluctuationes ventris & murmura, si ad superiores ejus partes impellantur, angustiam, præcordiorum compressiones & anxietates, tremores sæpè, palpitationes ac lypothymias, si verò vel ad ipsum caput agantur, capitis dolores, aurium tinnitus, visus obscurationes, vertigines, catarrhos, fieri contingit. Iidem flatus ventre & intestinis inclusi, fecibusque permixti, stercora indurant & lævigant, alvi obstructiones & siccitatem inducunt, sicut in megacosmo ventos terram exsiccare cernimus, cruciatus etiam sæpe suscitant &c. quæ accidentia omnia in melancholicis, vi, eorum imaginatrice læsâ, depravatas cogitationes suscitant, & aliarum rerum opiniones creant, quas semel apprehensas mordicus tenent, & firmissime imprimunt. Ex hactenus dictis patet, quæ Melancholicorum tàm intra sanitatis terminos degentium, quàm morbosorum dispositio sit, natura, & conditio. Jam qualiter curandi sint & tractandi morbosi, paucissimis exprimere placuit.

Curandi ratio in Melancholiâ.

Quia dupliciter affectus hic hominem affligit, non solum corpus discrutians, sed & mentem perturbans, duplici etiam remedio opus habet, uno ad corpus, altera ad mentem directo. Illud quod attinet, humor melancholicus alterandus est, expurgandus & melanogogis aptis ac specificis excludendus: sanguinis etiam missione minuendus, & hæmorrhoidum apertione (quo vix præ-

stantius

stantius remedium inveniri potest, quia ex imo corpore feces exhauriuntur, ubi fere melancholicorum saburra ac materia delitescit, unde quibus per se fluunt hæmorrhoides, rarò hoc malo corripi cernimus) evocandus. Fumi autem melancholici, ad cerebrum exhalantes, arcendi, revellendi, reprimendi, dissipandi, eorumque materia indies præcidenda ac minuenda. Alterum remedium quod attinet, ad mentem directum, cum imaginatrix vis in hoc morbo potissimum depravetur ac lædatur, ad eum præcipuum curationis scopum dirigere oportet, ut sc. à falsis suis, & illusoriis conceptionibus avertatur, impressionibusque phanaticis liberetur: in qua autem re magna industria, solertia & dexteritate opus est. Objecta grata, ac animum recreantia, omnibusque modis spiritus exhilarantia proponenda, jucunda ac grata conversatione, lepido sermone, verbisque facetis & delectantibus laborantes erigendi, ad jocosa aliaque oblectamenta incitandi, ad gaudia, hilaritates provocandi, ut bona spem, securitatem & animi constantiam insectentur, exhortandi, consolandi etiam, & ob vanam tristitiam molliter objurgandi. Inprimis autem edocendi de morbi natura & conditione, de impressionum falsarum illusionibus & imaginationis depravatione, ut seipsos & morbum suum cognoscant, artificiosa, docta & solerti persuasione eò adducendi, ut quantum fieri potest, à falsis & stultis suis imaginationibus sese abstrahant, earum insultus excutiant, & stolidas ac temere conceptas opiniones dimittant: ad alias autem res sanas ac recreativas animum adjiciant. In hunc finem etiam variæ artes ac stratagemata excogitanda sunt, ut falsæ impressiones ex phantasia excludantur, & mens ad sanitatem redeat. Et hæc in gratiam Reverentiæ vestræ exarare volui. Dabam Memming. mense Julio. Anno 1621.

OBSERVATIO XIX.
Melancholia Hypochondriaca.

N. N. laborat Melancholia hypochondriaca inveterata, multisque stipata accidentibus, inter quæ primas sibi vendicat seminis S. R. effusio violenta, coacta stimulis quibusdam corporalibus (invitis quidem) & singularibus, qui conscientiam non tantum, sed & corpus ipsius patientis plurimum inquietant.

Item perpetua regeneratio bilis, vertigo, sanguinis adustio & salsedo, calculus, & alia huic morbo propriè adhærentia. Quæ omnia contracturæ, & præsentibus doloribus membrorum ansam præbent, ita ut metus sit, ne brevi, ob nervorum & membrorum remotiorum obstructionem, actiones motivæ in incurabilem noxam sint lapsuræ. Remedia hactenus adhibita licet generosa & plurima fuerint, ut acidulæ, serum lactis &c. plus ob quam profuerunt.

Quapropter cum morbus hic ex solitudine spiritibus animalibus, vitalibus & naturalibus, sanguine adusto vitiatis, principium suum & fomentũ sortiatur, necessariam judico recreationem, qua animus à tam Melancholicis inspirationibus, & corpus ab ipsa conjectura liberari possit. Actum 10. Oct. 1623.

D. D. Jacobi Eckoldi, Physici Memmingensis.

RESPONSIO.

QUibus Medicis præsentibus in Venerabilis Patris naturam, corporisque conditionem penitius introspicere, & ipsa etiam affectionum adhærentium symptomata, & concomitantia accidentia, secundum omnes suas circumstantias, perfectius cognoscere & perquirere licet, ii eorundem generationem & causas, ipsamq; curandi rationem exactius indagare & designare poterunt. Veruntamen generatim saltem ea, quæ ad me de ipsius affectu obiter perlata sunt, perstringendo, & de hujus, ac inde promanantium accidentium origine & causis discurrendo, medicationisque modum exhibendo, sequentia quæ ex usu valetudinis futura arbitror, subjicere & proponere volui.

Hypochondriaca describto. Hypochondriaca passio, quam hic inveteratam scribunt, cum suo satellitio, totoque exercitu (dirus sanè Naturæ hostis, non corpori saltem, sed ipsi etiam animo infestus) variè hominem aggredi solet, & miserabiliter torquere & conficere. Is enim in hypochondriis, ceu arce sua habitans, in omnes ferè totius corporis partes virus suum evomit & ubique negotium facessit: nunc latera lancinat, igneas faces emittit: nunc tormentorum vim adhibens multiplici fragore ima corporis concutit, & murmurationum ac ventorum sonitu adimplet: nunc sulphureos fumos tetros ac noxios hinc inde disjicit, & in mentis præcipuè arcem submittit, qui, animales spiritus perturbando, mentem ipsam, cujus ipsi organum sunt, confundunt, & pavorem ac timorem incutiendo, terribilia spectra intrudunt. Imò iniquus hic vastator alios etiam sibi, ejusdem ferociæ socios, adsciscit, & nefariam sobolem producit, varias nempe affectiones, quæ ex eodem cum ipso foco prodeunt, excoquit. Uti in hoc præsente ægrotante videre licet, in quo non solitarius est hic affectus, sed multiplicem progeniem produxit, imò qui plures adhuc, infelicioresque partus editurus videtur.

Sed cum supervacaneum sit primarii morbi, hypochondriaci nempe, naturam, causas & propria ipsius accidentia prolixius describere & investigare, utpote qui per se manifestas Excellentissimorum studiorum solertes & industrias manus, multis modis hactenus expertus est: de concomitantibus saltem affectionibus, corpus fatigantibus, aliisque inde secuturis, quatenus ab uno eodemq; principio dependent, paucis differere placuit.

Natura subjecti laborantis. Si naturam Melancholicorum, eorum maximè, quibus vitiosus fomes in infermis hæret partibus, in genere examinaverimus, in super de ægroti nostri, cujus naturam & temperamentum ex ipsius affectus conditione, & reliquis inde promanantibus vitiis divinare ex parte licet, corporis dispositionem & crasin observaverimus, manifestum satis erit, primam & præcipuam mali causam *Occasio materiæ morbificæ.* à viscerum sanguinificationi inservientium dyscrasia calida, nempe hepatis, lienis, & ipsarum venarum meseraicarum

carum fervore dependere. Hæc enim vel à natura, vel ex eventu, plus justo calidiora, chylosum succum, eumque forsan, ob stomachi vitium, quod plerumque adhæret, crudiorem, ferventius attrahere, & inflammare, adeoq; in feculentos & adustos, malignos sæpè, humores convertere potest, qui collecti ebullientes, dum ad caput, vel alias partes effumant, varias iis accersunt affectiones. Lien sanè, cum naturalis melancholiæ sedes existimetur à plerisque, præcipuum fomitem malo huic subministrare videtur: is enim, cum crassiores, & magis feculentas chyli partes attrahere natus sit, ut vulgaris quidem opinio habet, crebriores etiam obstructiones patitur, ob quas jam antea calidus nimis, ventilatione prohibita, magis exæstuat, unde etiam succi magis exuruntur & incrassescunt, qui sanguini commixti, eundem inquinant & in flatus vaporesque crassos resoluti, supernis & infernis partibus, ad quas impelluntur, negotium inferunt.

Usus Lienis verior.

Cæterum, si maximè perspicacioribus, qui Lienem non crassos, sed tenues & serosos ex ipso stomacho humores, secundum Naturæ institutum, attrahere & exugere, & ex iis subtiliorem sanguinis partem conficere, talique nutriri autumant, id quod non parvis rationum momentis obtinere contendunt, eundem copiosam serositatem, vel innata sua vi, vel calore abundante, vel ob substantiæ suæ porositatem & siccitatem, è ventriculo per sua vasa, per quæ promptum & expeditum iter est, attractam, toti sanguinis massæ affundere, adeoque vehiculum Melancholicis & adustis succis perquam necessarium subministrare credibile est; unde melancholicos & Spleneticos plurimo sero abundare cernimus. Quæ quidem abundantia major est, quo magis calor visceris viget, & præ fervore æstuat, cujus causa Majori vi tenuem & fluxam chyli partem attrahendo absorbet, & non absolutâ ferè coctione intempestivius præcipit, ita ut inde corporis vasa sanguinem continentia, arteriæ maximè, quarum sanguis copiosiore sero scatet, quam venarum, (numerosæ enim & grandes admodum ab Aorta ortæ per Lienem disperguntur, quæ serosos humores haustos ad Aortam vicinam exportant) nimiis serositatibus Naturæ molestis adimpleantur. Hinc *Hippocrat. f.* 4. *de morb.* Sanguini fons est Cor, pituitæ caput, aquæ splen, bili folliculus in hepate locus est.

Triplex humorum genus abundans in calidis naturis.

Itaque hisce corporibus, quorum viscera sanguificationi dicata, immodico æstu circumfluunt, triplex ferè humorum genus perquam molestum est, nempe biliosi, acres & mordaces, qui ex tenuiore & calidiore sanguinis parte geniti, in corpore colliguntur, sanguinique commiscentur, & continuò effervescentes, varias molestias adferunt: crassi deinde, & feculenti, & adusti, ex terrenis partibus producti, & ex præassatione generati, qui in meseraicis præcipuè venis, viscera naturalia per reptantibus, congeruntur, & fumis, vaporibus ac flatibus variis & copiosis materiam continuam subministrant: Serosi insuper, per viscerum & Lienis imprimis calorem, ex aquosiore & fluxiori chyli parte evocati, & segregati, qui sanguini, maximè arterioso, copiosius affunduntur.

Ex quibus satis manifestum esse puto, unde apud Reverendum Patrem, non hypochondriacus tantum, sed & reliqui complicati, vel concomitantes affectus producantur. Et satyriasin quidem quod attinet, cum proculdubio ob genitalium partium, vasorumque seminariorum robur atque calorem, renum etiam & lumborum, vicinarumque partium æstum, copiosior sanguis continuò ad hasce partes affluat & alliciatur, & hinc semen copiosum generetur, quod abundans atque turgescens, simul & ob majorem suam caliditatem, mordicitatem & acrimoniam, quam ex sanguine, ex quo generatur, fervidiore & acriore attraxit, continuò irritans, stimulos suscitare & adaugere solet: cum insuper flatulentorum spirituum, ex crassorum & feculentorum humorum abundantia generatorum, vis atque impulsus partes genitales subinde attollat, distendat atque inflet, non mirum tantas & tam molestas inquietudines, pruritus, & seminis profusiones oriri atque produci.

Unde satyriasis.

Deinde cum ob viscerum naturalium immoderatum calorem succi adurantur, tenuiores eorum partes in bilem converti, adeoque continuam bilis regenerationem fieri, reliquas ab ardore incrassescere, & in adustos humores, salsedinis participes, commutari: quin & ob Renum immodicum calorem in arenosam & calculosam substantiam facessere necesse est.

Origo bilis, & adustorum humorum.

Vertiginem autem oriri ex fumis, calidisque vaporibus, ex dictis humoribus sublatis, in cerebri ventriculos irruentibus, & spiritus animales turbulentè commoventibus, satis apparet.

Arenularum. Vertiginis.

Quæ autem causa sit doloris & imbecillitatis extremorum membrorum, difficilius est explicare. Quæ namque sit doloris species, quis affectus, non satis exprimitur, nisi quod contracturæ cujusdam mentio fit, quæ in nervorum & membrorum remotiorum obstructionem rejicitur. Verum si ita dispositorum corporum ac naturarum statum & conditionem exquisitius investigaverimus, & uberrimum maximè serositatum, proventum & collectionem ponderaverimus, perspiciemus, eas ipsas serositates, tum è venis & arteriis, tum ex ipso capite, in externa membra & articulos defluentes, ligamenta, tendines & membranas inebriantes, infirmantes & replentes, dolores hos membrorum, & contracturam adducere posse. Serositates profectò uberius congestæ, & in calidioribus corporibus continuò effervescentes, ac per arterias in caput raptæ, imò ex ipsis venis & arteriis naturæ vi expulsæ, in membra externa irruunt, & si quod fieri solet, salsos & ichorosos succos secum rapiunt, dolorificas arthritides, & nodosas sæpè producunt. In Melancholicis autem, & iis maximè, quibus viscera, Lien inprimis, in calore excedunt, superfluum serum generari, sanguinique affundi supra dixi: hic autem magis succrescere & augeri putandum, cum secundum vitæ genus, cibi liquidi, aquosi, malique succi in continuo usu sint, corpusque exercitationibus, quibus alioquin superfluæ serositates absumuntur, destituatur, hinc eorum congestio major, repressio, & ad interiora recursus, quæ ebullientes denuò

Causa doloris externorũ membrorum.

fervore concepto, vel aliàs turgeſcentes, ad exteriora membra protruduntur, ubi muſculorum tendinibus ac ligamentis ſeſe inſinuantes, vel ad muſculoſi generis, oſſiumque membranas penetrantes, earum partium infirmitatem & laxitatem, ex repletione autem diſtenſionem & dolorem, accerſunt.

Indicationes. Ex dictis patet, quæ eſſe debeant præcipuè agendorum indicationes, quibus propoſitorum affectuum curatio, & ab impendente malo præſervatio, obtineri poſſit: nempe viſcerum dyſcraſiam, calidam inprimis, tollendam; obſtructiones, quæ ex craſſis & feculentis humoribus producuntur, quibus viſcerum calor fovetur ac augetur, reſerandos: flatus reſolvendos, & aduſtos ſuccos contemperandos, minuendos & purgandos; impetum, motumque humorum fervidorum & ſeroſorum coërcendum, eorumque collectionem & proventum impediendum eſſe, &c.

Prognoſis. In his autem abſolvendis non parva ſeſe offert difficultas, cum malum radices egerit & inveteratum ſit: generoſiſſima etiam hactenus uſurpata remedia nihil adjumenti attulerint; inſuper in hoc vitę genere, in quo victus rationem immutare integrum non eſt, plurima occurrant impedimenta, quibus remediorum vis inhibetur & interturbatur: ut omittam contra indicantia, quorum cauſâ via medicationis vix datur, dum in obſtructionum apertione, craſſorum & feculentorum humorum præparatione & expurgatione, flatuum & vaporum diſcuſſione, ſi maximè capitis & ſtomachi ratio haberi velit, calidis remediis carere non omnino poſſumus, quibus ſanguinis fervorem augeri, viſcerumque calorem intendi oportet.

Pauciſſimis autem ſententiam meam exponam, qua ratione cura inſtituenda ſit, quam aliis peritioribus, majorique judicio valentibus, & ipſi ægro præſentibus, lubens meritoque ſubjicio.

Materia auxiliorum. Primò poſt exactam materiæ digeſtionem & præparationem modicè refrigerantibus & aperientibus, ſyrupis aut decoctis ſive Apozematis convenientibus factam, debitâ etiam evacuatione & venæſectione præmiſsâ; decoctum Chinæ, cum modico ſaſſafras, per integrum fermè menſem exhibendum cenſeo. *Chinæ proprietas.* China enim minus reliquis lignis calida, omnem ſuperfluam humiditatem exiccat, extenuando craſſos humores ſolvit & obſtructiones aperit, viſcera confirmat, & ſcirrhoſos ejus affectus ſanat, ſanguinem probum conficit, & ſeroſitates abſumit: *Saſſafras.* Saſſafras autem tum ſtomachi, tum capitis gratiâ, quorum magnam habendam rationem exiſtimo, additum roborat, ſimul etiam flatus reſolvit, defluxiones abſumit, humiditates ſeroſas diſcutit, ac per urinam & ſudorem evacuat. Et tali decocto ipſis etiam artubus providebitur, ſuperfluitatem in iis contentam & ad eos depulſam, exhauriendo, abſumendo & ſiccando, ſimul & roborando.

Uſus cauteriorum. Exactâ hac cura, duo cauteria corpori inurenda exiſtimo, unum dextro brachio, alterum ſiniſtro pedi, ut ex iis, tanquam ex perenni fonte, ſuperfluitates promanare, evacuari & abſumi poſſint: eadem pro revulſione & derivatione humorum & vaporum Melancholicorum, caput perturbantium, eximiè conferent, & omnis generis defluxiones exhaurient, adeoque membrorum contracturam antevertent.

Pillulæ ſine cura. Interim tamen *Pillulas ſine cura* aperitivas, uti *Angelicas*, vel alias ejuſmodi, pro ſtomachi primarumque viarum abſterſione, & expurgatione, obſtructionum apertione, capitis etiam modica evacuatione, & pituitoſarum, aquoſarum, & ſalſarum humiditatum per debitas vias deductione, crebro & ſingulis fere octiduis adhibendas, ſcarificationes etiam reiterandas, & ſolennes minutiones omni vere & autumno continuandas puto. Crebriorem etiam uſum Rhabarbari, bilioſum ſerum eluentis, & evacuantis, ſimul & per urinarias vias expurgantis, laudo.

De reliquis ad hypochondriacam paſſionem, aliaſque inde natas affectiones, neceſſariis, quibus abundè hactenus proſpectum eſſe, minimè dubito; nihil moneo, ne noctuas Athenas mittere, vel in Sylvas ligna portare velle videar. Hoc ſolum addo, externis & internis remedijs, Renum & Vicinarum partium, genitalium etiam fervorem attemperandum, eaque uſurpanda eſſe, quæ copioſioris ſeminis generationem prohibere, illud ſiccare & abſumere, vel inſita quadam proprietate extinguere, adeoque pruritum & ſtimulorum moleſtiſſimorum onus avertere valent.

Diæta. Diætam quod attinet, non tantum refrigerans, ſed & attenuans & deſiccans hoc loco neceſſaria eſt, quæ tamen in hoc vitæ genere, in quo nonniſi piſces & olera cum leguminibus & lacticiniis carthuſianorum menſis inferuntur, vix locum habet.

Nihilominus tamen ſeligi poſſunt boni ſucci & facilis concoctionis, cibi piſces ſaxatiles, in aquis ſaxatilibus non in ſtagnis, degentes: flatuoſi, craſſi & viſcoſi omninò vitandi, ut & calidiores, multoque aromate conditi. A vino forti, multo, & æſtuoſo abſtinendum, & ab omnium rerum acrium, ipſiuſque aromatis uſu ſibi temperandum.

Motus corporis & exercitia prandium & cænam præcedentia frequentiora ſint, non tamen adeò vehementia, ut corpus inflamment. In alterutro latere dormiat, & ſupinum decubitum devitet.

Animi recreationes utiles ſunt, tales autem, quæ libertatem ſuadent & ex hilaritatibus liberioribus attrahuntur, minus hîc conducere videntur: quæ verò ex lectionibus & converſationibus jucundioribus parantur licitæ, illis præferantur: his enim & in ipſa ſolitudine ſpiritus recreari poſſunt, & à Melancholicis impreſſionibus & nugis mens abſtrahi: cum illæ corporis paſſiones & inquietudines ſollicitare & ſtimulos carnales adaugere ſoleant.

Sed hæc pauca de affectuum propoſitorum generatione, cauſis & curandi ratione, ſecundum formam deſcriptarum circumſtantiarum, annotare volui. DEUS Opt. Max. medicationibus clementer annuat. Actum Memmingæ, 22. Martii, 1624.

Iacobus Eckholt, D.

OBSER-

OBSERVATIO XX.

Epilepsia ex inconvenienti acidularum Schwalbacensium usu lethalis.

Anno superiori 1619. mense Iunio, Clericus quidam Moguntinus, Schwalbachij sanitatis recuperandæ gratiâ degens, coquinam, vel fortè etiam concubinam secum habebat, juvenculam boni habitus, hystericis tamen affectionibus antea obnoxiam; quæ sine consilio Medici acidularum potu cum nauseâ per paucos dies utitur, at nescio quâ intentione, fortè appetitus sedandi causâ, lac caprinum in copiâ superbibens, in graves convulsiones totius incidit, quibus vehementer continuò torquetur, & intra quatriduum succedentibus subinde frigidis sudoribus moritur.

RESOLUTIO.

Mirum quantis accidentibus hystericæ mulieres obnoxiæ sint, inprimis ubi per externas causas internæ foventur & exacerbantur, quod etiam præsens hoc exemplum innuit, ubi *juvencula boni habitus, hystericis affectionibus obnoxia*, fortè quod sterilis ex seminariorum vasorum obstructione fuerit, qua de causa suffocationes, inflationes & dolores uteri graviores, quàm aliâs, accidere solent, *sine consilio Medicorum*, adeoque sine prævia præparatione & evacuatione, quam usus acidularum necessariò requirit, *acidularum potu cum nausea utitur*, quatenus non solum transitus aquæ propter cruditates circa primas vias abundantes impeditus, sed etiam nova collecta materiæ aquosæ corruptio subsecuta fuit, *ac lac caprinum in copiâ superbibens*, præsente fortassis ardore, quem peccans materia effervescens & putrescens induxit, sitim admodum extimulante; *in graves convulsiones totius incidit*, veris Epilepsiæ gravissimæ signis apparentibus, ea propter, quod lac caprinum acidularum qualitate circa viscera coagulatum in virus malignum degeneravit, suâque malignitate cerebrum, totumq; nervosum genus affecerit; *iisq; continuò torquetur*, propter copiam antecedentis causæ, quæ nunquam non cacochymia interna, & calore putredinali coadjuvante virus suum cerebro, nervorumque principio communicabat; *succedentibus subinde frigidis sudoribus*, ex imbecillitate facultatis retentricis, adjuvante superfluitatis serosæ copiâ, calore, maximè propter imminentem suffocationem, & internum æstum ad centrum recurrente; *moritur*, omni occasione agendi præterlapsa cum aliâs in principio per vomitionem & alia media naturæ succurrendum fuisset, modò statim, ante factam totalem lactis corruptionem, & viscerum arctam obstructionem atque inflammationem introductam primâ die Medicum consilium requisivisset.

Symptomatum deductio.

Unde nausea in acidularum potu.

Occasio hujus Epilepsiæ.

OBSERVATIO XXI.

Epilepsia ex translatione peccantis materiæ à partibus externis ad internas.

Nobilis Danus Tycho Lindenovius, annorum circiter viginti, An. 1617. conqueritur de auris interno dolore, ubi tuberculum durum apparebat: suadeo fotum resolventem & emollientem cum spongia nova, unà cum inunctione simili. Cum verò protinus, tuberculum ad suppurationem non perveniret; & dolor nihilominus utcunq; remitteret, reliqua cura neglecta fuit. Sed quid fit? circa 25. Octobris idem gravi Epilepsiâ prehenditur, cujus exacerbatio quidem convenientibus mediis leniebatur, non tamen penitus expugnari poterat, unde, juxta prognosticum, recidiva sæpius apprehendente moriebatur.

RESOLUTIO.

Periculosum est, dum propè partes principes abscessus ab externis ad interna progrediuntur, quod etiam hîc factum putamus: unde morbus hic in proprio subjecto materiam foventem possidebat. Etsi vero propter symptomatum vehementiam spes restitutionis nulla nobis affulgeret, eò tamen allaborandum esse duximus, *ut paroxysmorum vehementiam infringeremus.* Hinc non tantum Rutâ contusâ & in aceto maceratâ laborantem à paroxysmo excitamus, guttulis etiam aliquot olei succini naribus per pennam immissis, sed lenito quodammodo paroxysmo pro corroboratione cochlear unum atque alterum de spiritu Cerasorum nigrorum, item aliquid Syr. fl. pœn. cum Spir. Vitrioli permixtum, & similia exhibuimus; capiti vero raso *Emplastrum Cratonis* applicare jussimus, quod ℞. *Succini albi, Thuris, Mastych. ana* ʒjß. *Galbani, Opoponacis ana* ℈j. *Visci querc.* ʒij. *Ambræ gryseæ gr.* vj. *Moschi gr.* iij. *Sem. paon.* ʒß. *Ladani* ʒjß. *Ol. nucis Mosch. parum. Rosarum q. s. Extendatur in corio, aspergatur pulv. cubebarum & suturæ coronati imponatur.* His remissionem gravissimorum accidentium introduximus, ut æger mentis compos vicissim redderetur, & astantes cognosceret, cùm iisque loqueretur ad tempus, donec gravibus recidivis remorantibus sequenti die naturæ debitum solveret.

Prognosis.

Paroxysmi vehementia infringitur.

Similem casum, sed exitu lætiorem Anno 1618. Cal. Jan. habuimus in studioso Frisio, qui in ædibus sartoris è regione templi habitabat: is enim per longum tempus scabiosus fuerat, & neglectis internis medicamentis, quæ pro purificatione sanguinis requirebantur, adhibitis externis experimentis, materiam peccantem ad partes internas commoverat, unde mediocri ebrietate accedente, forte spirituosâ vini substantia peccantem qualitatem ad principium nervorum promovente, *gravem epilepsiam* patitur, ubi vocatus cum Domino Collega, præservantia à paroxysmo, superioris generis præscripsimus, qui subsequente somno melius habere cæpit, & paucis remediis universalibus dein adhibitis, plenè convaluit.

Observatio similis

Ex scabia minis dextrè sanata Epilepsia.

OBSERVATIO XXII.

Epilepticus insultus dextræ manus atque pedis contracturam post se relinquens.

Nobilis & honesta fœmina sub initium anni 1629. per consensum uteri insultum epilepticum patitur, ut

ut maximè convulsa dextra corporis parte, manus & brachium istius lateris penitus contrahuntur ut & genu cum pede lateris dextri. Mox evacuato toto per iteratum Claretum laxativum, exterius per inunctionem & cataplasma digitos contractos emollire tentamus, superadditâ quotidianâ fomentatione per decoctum pedum vervecin. cum herbis emollientibus & digerentibus, ubi pedetentim digitos, non quidem absque dolore extendimus, sed immobiles existentes, post fomentationem Sparadrapum toti brachio obducendo ex cera, resina, terebinth. Ol. nucist. meliora sperabamus. Postquam verò successum optatum ex voto non videremus, usum thermarum Dalphingensium etiam in ipso Februario, suasimus, quarum beneficio statim primâ septimanâ motus voluntarius articulorum in manu sequebatur. Hinc intermediis evacuationibus non neglectis, thermæ continuabantur, ubi manu restitutâ, pedi quoque sub genu contracto succurrendum erat, ubi præter inunctionem, sparadrap. &c. instrumentum adhibebatur pro convenienti extensione, cujus beneficio pes etiam ad naturalem situm & robur paucis septimanis DEO volente reducebatur.

OBSERVATIO XXIII.

Inclinatio ad vertiginem & alia accidentia ex consensu viscerum concoctionis.

Nobilis puer Ioh. Gerhard. à Muchenheim genannt Bechtolsheim *undecim circiter annorum, imbecillitate capitis à teneris unguiculis laborans, anno 1617. sub initium Februarii, capitis debilitate post somnum prehenditur, partibus motui destinatis stupescentibus quasi, ita ut caput etiam erectum tenere nequeat: interdum, inprimis etiam post cibum, subita virium dejectio, dolor oculorum & tenebricosa visio sese offert, totum corpus atrophiâ consumitur, urina cruda est, ventris interdum tormina sentiuntur, appetitus mediocris, absque calore & siti, pulsus rarus.*

RESOLUTIO.

Complicatus affectus.

Dignus est casus hic singularis annotatione, cum diversarum operationum læsiones complicatus ob oculos ponat, in subjecto, laboranti debiliore, nimirum in nobili puero, *qui debilitate capitis post somnum prehendebatur*, quatenus aliàs, iis, quibus animalis facultas debilior, somnus laboriosus accidit, unde Hippoc. pronunciatum, *post somnum labor, malum*, quatenus scilicet spirituum penuriâ, post recursum ad centrum seu principium suum, quod somno fit, non ita promptè vicissim in organa sensuum distribuitur, unde capitis imbecillitas accidit, *partibus motui destinatis stupescentibus quasi*, quo scilicet majorem spirituum influxū requirunt, quàm organa sensuum, unde videmus partem eandem iisdem etiam nervis præditam sensum absq; motu sæpius retinere posse, cujus contrarium non accidit, nisi nervus sit alius qui motū, alius qui sensum communicet, quod in oculorum fabrica manifestum est. *Interdum post cibum etiam subita virium dejectio aderat*, quatenus calor nativus imbecillior erat in digerendo, crudas exhalationes principibus partibus, animali, vitalique facultati servientibus, communicans, ubi potissimùm in cerebro mox imbecillitatis accessio generabatur, utpote parte illâ, quoad externas injurias perferendas, ob spirituum animalium penuriam, minimè sufficiente: *Dolor etiam oculorum, tenebricosa visio sequebatur*, quatenus per consensum ventriculi malum oriebatur, quæ affectiones anteriores partes citius, quàm posteriores dolore afficiunt, fortè quòd anterius cerebrum capacius & mollius ad evaporationes recipiendas, ibique heterogenearum secretionum emunctoria maximè concurrant, circa glandulam pituitariam videlicet, unde etiam tenebricosa visio non difficulter demonstratur, dum Spiritus animales imbecilliores præter naturam ab irruentibus exhalationibus crudis rotantur. *Totum corpus atrophiâ consumebatur*, propter viscerum concoctionis imbecillitatem, unde *cruda urina*, sanguine non ritè digesto & à partibus excrementitiis secreto; *ventris interdum tormina*, propter flatus ab imbecilliori calore genitos; *appetitus mediocris*, quod frigido ventriculo proprium, qui plus appetit quàm concoquere queat, *sine calore & siti*, potiùs ad frigidam intemperiē jecore inclinante; *pulsu raro*, qui fiebat ob usum imminutum, arteriæ mollitiem & facultatis vitalis robur.

Cur post somnum debilitas malum signū.

Vid. lib. 1. de nat. hū. Ex. 9. q. 7.

Hîc omnibus circumstantiis consideratis minimè desperandum esse diximus, sed potius eò respiciendum, *ut 1. imbecillitas concoctionis adjuvetur: 2. caput & nervorum genus corroboretur: & 3. peccans causa, tàm in capite recepta, quàm recipienda, derivetur & revellatur.*

Indicationes.

Quoad primam intentionem, ante omnia lenem primarum viarum evacuationem per ℥j ß. Mannæ in brodio prunorum dissolutæ mox instituimus: de inordinatâ victus ratione, quæ ad excessum caliditatis & siccitatis inclinaret, ea quoque commendavimus, quæ post cibum exhalationes ascendentes impedirent, & concoctionem juvarent, videlicet Electuarium sequens, quod ℞. *Conf. rosf. antiquæ* ℥jß. *diacydon. simpl.* ʒß. *Spir. Vitr. gutt.* vij. *Syr. de Menthaq. s. F.* Electuarium molle, de quo quantitas nucis juglandis post cibū sumatur, vel illius loco pulvis pepticus in promptu sit, qui ℞. *Coriand. præparat.* ʒß. *Aromat. rosat. tabul.* ʒij. *Sem. Fœnic. Anisi. ana* ʒj. *Nucis Moschat. Cortic. Arantior. an.* ʒß. *Sacchari ad pondus omnium F.* pulvis, usurpatur ʒß. cum pane albo tosto & in malvatico vel vino veteri madefacto.

Pro 1.

Quoad secundam intentionem Rotulas capitales ordinavimus, quæ ℞. *Spec. diamosch. dul.* ʒj. *Ol. nucis Mosch. per express.* ℈j. *Succini albi gutt.* iij. *Amb. grys. gr.* iiij. *Sacch. in Aq. fl. Lavend. soluti* ℥iiij. *F.* confectio in rotulis, de quib. 2. vel 3. jejuno stomacho sumantur: Exterius Aq. Apoplecticam cum castoreo destillatam commendavimus, cui infundatur nodulus ℞. *Herb. Major. Salviæ, Flor. Lavendulæ, ana* Mß. *Macis aceto præpar. Cubebar. Nucis Mosch. ana* ʒß. *Camphoræ gr. iij. F.* pulvis grossus nodulo comprehensus, quo spina dorsi frequenter fricetur. Imò in ipsa invasione imbecillitatis cochlear. j. sequentis syrupi corroborantis cum fructu exhibuimus, quæ

Pro 2.

℞. Syr.

℞. *Syr. Acetos. Citri,*
de Betonica ana ℥iß.
Aq. Borrag. ℥j.
Cinam. ʒß. M.

Pro 3. *Quoad tertiam* intentionem, pro revellendâ & subtrahendâ materiâ serosâ ex reliquo corpore, caput versus ruente, lenem evacuationem per vices aliquot instituimus, usu Syrupi de spina infectoria seu cervina, qui serosos & aqueos humores commodùm educit; receptam verò materiam derivare conati sumus apposito vesicatorio Emplastro, quibus paucissimis remediis intra 14. dies nobilis puer optimè convaluit, nec hucusque; de similibus symptomatibus conquestus fuit.

OBSERVATIO XXIV.

Affectus alius Vertiginosus.

Nobilis & strenuus N. N.

AD

GREGORIUM HORSTIUM, D.

Excellentiss. & Clarissime Dn. D. fautor & amice plurimùm colende, cum præfatione honoris & officiorum oblatione, majorem in modum peto, ne gravatim accipiat V. Exc. quod ita quidem urgente necessitate eidem molestus esse cogar; fretus enim humanitate, tum etiam famâ Exc. V. dexteritatis in curando celeberrimæ, nolui intermittere, quin diuturni mei affectus delineationem eidem communicarem, & salutare consilium ejusdem expeterem. Ante septennium, ubi Jenæ studiis incumbebam, fluxum sanguinis diversicolorem passus sum, qui contumax erat, & per biennium duravit. Cùm autem vix per sesquiannum ad eodem liber essem, præter spem fluxus idem rediit, idque in Galliis mihi viventi, cui accessit vertigo capitis, cujus causam non nisi cerevisiæ, tàm Gallicanæ, quàm Anglicanæ, non immeritò adscribere possum, stomacho inde frigido reddito. His affectibus per annos duos simul detentus, parumq; Medicorum expertorum medicamentis juvantibus, Italiam tandem profectus sum, ubi *Cl. Dn. D. Pravotii* operâ à fluxu liberatus fui, (non quidem fluxus cohibitione, aut venarum astrictione, id quod affectui planè contrarium judicavit, qui fluxus causam hepati calido & inflammato, cum ventriculi imbecillitate, adscripsit:) attamen vertiginem capitis nonnisi longiori temporis spacio cessaturum sensit, quod omninò experior, quam etiam vehementiorem exilium hoc nostrum ex Patria ob victus varietatem reddidit. In stomacho vitium residere sufficienter testantur exhalationes in cerebrum, & phlegma copiosum, instar aquæ ex ore defluens; capite densitate nebularum referto, ita ut visus etiam obfuscetur. Parum etiam interest, sive jejunus, vel pastus sim, quanquam magis matutino tempore soleat affligere. Hinc fit, ut fluxus idem aliquoties redeat, mucorem album cum venularum intestinorum erosione secernens. Summam sanè agnosco impudentiam meam, ut qui Excell. T. ignotissimus tanta flagitare audeo, sed quia Christianum, & virum bonum non nomine, sed reipsa te judico, nullus ambigo, quin afflicto promptè succurrere velis, quod etiam per officiosè à T. Excell: rogo, studiumque meum, cum grati animi promptitudine polliceor. Vivat & valeat Excell. Tua, cui

maneo

obstrictissimus

N. N.

RESPONSUM AUTORIS.

Perillustris & Generose Domine, fautor & amice plurimùm colende; serius quidem ad literas G. V. respondeo, tàm quod rariores sint transmittendi occasiones, quàm quod hactenus aliquoties excursionibus ad ægrotos exteros eædem præterlapsæ mihi sint. Jam breviter G. V. hoc habeat, nimirum quantum ex relatione colligo, fluxum adfuisse hepaticum statuo, qua ratione propter debilitatam *αἱμάτωσιν* totius corporis vires languere video, cujus languoris effectus est Scotomia, capitisque vertiginosus affectus. Quocirca quantum fieri potest, quiescente jam antecedenti causâ morbificâ potissimum eò allaborandum esse censerem, ut natura membrorum concoctionis corroboretur. Plurimùm hîc, præter moderatam atq; convenientem victus rationem, præstabit primò Rhabarbari pulvis incisus, cum pauxillo Cremoris Tartari in brodio decoctionis prunorum sæpiùs assumptus, remotis & intermissis vehementioribus purgantibus, quo singulis septimanis semel ad ʒj. pondus exhibito, paucis guttis olei fœniculi aspersis, diebus reliquis Magister. Corall. rubr. ℈j. cum decoctione rad. Cichorei & fœniculi matutino tempore sumatur. Imò multum etiam Elixir proprietatis ritè paratũ, ac digestione convenienti ab acrimoniâ spiritus sulphuris acidi benè temperatum viribus concoctionis corroborandis inserviet, ubi 8. vel 9. guttis duabus horis ante prandium atque cœnam, cum brodio quodam, vel vini Anthosati cochlearibus 2. vel tribus, per septimanam semel atque iterum usurpabitur. Vesperi roborandi capitis gratiâ mox ante somnum particula Morsulorum sumatur, qui fiant ex conf. rosar. antiqua, cum Mastiche, Olibano, extr. ligni Aloës, Nuce mosch. & Oleo Fœniculi & Macis, additâ s. q. Sacch. in aquæ fœniculi solutâ, de quibus omnibus V. G. cùm præsentibus Dnn. Medicis ulterius agere poterit. Elixir Proprietatis ritè paratum procul dubio Clarissimus Vir *Dn. D. Rixinger, vel Dn. D. Andreas Schilling*, Argentinæ communicare poterunt, à quibus, si Essentia Cichorei radicis, per digestionem ad amicam dulcedinem redacta, simul haberi posset, commodũ etiam jecori succurreret. Præscripsit, ut audio, Clariss. Prævotius decoctum Ligni Lentissimi, cum Santalis: ut & conservam Absynthii cum Rhabarbaro, &c. quæ omnia non improbo, quatenus eò diriguntur, ut operationes jecoris laudabiliores reddantur. Plura non addo, sed G. V. Deo Opt. Max. ejusque clementissimæ tutelæ periculosis hisce temporibus nos omnes commendo. Raptim Ulmæ, 27. Aprilis, 1629.

OBSERVATIO XXV.

Phrenitis post vini generosioris ingurgitationem.

CIvis quidam Giessensis, Ludovicus Steitz, vitrearius, quinquagenarius, calidus siccus anno 1617. mense Novemb. per dies aliquot in convivio nuptiarum strennuè vino generosiori sese ingurgitans, paulo post subitò, nullo alio morbo præcedente, grave delirium patitur, præsentibus simul febris continuæ symptomatibus; oculos habet squalidos, torvum videbat, lachrymabatur interdum, floccos colligebat, plus solito & indecenter loquebatur, & perpetuis vigiliis torquebatur.

RESOLUTIO.

Phrenitis quid. *DElirium hic aderat cum febri*, cujus externa causa fuit nimia *generosioris vini ingurgitatio*, quæ circa cerebrum ejusque membranas inflammationem produxerat, accedente *animi quadam perturbatione*, quâ ex contentione cum aliis æger afficiebatur, & quiete convenienti destituebatur. Adjuvabat naturalis ejus constitutio *calidior & siccior*, minus causæ morbificæ resistens. *Differt à paraphrenitide.* Invadebat autem hoc symptoma *subitò*, quod non fit in phrenitide per consensum, seu paraphrenitide, quam alii morbi præcedunt, quæque suas etiam intermissiones patitur, *cum symptomatibus febris continuæ*, cum fieri non possit, ut eousque calor præter naturam augeatur in capite, quin simul etiam in corde & consequenter in toto abundet, febrimque continuam producat: *oculos squalidos habebat*, utpote membranis calore adurente exiccatis: *torvum etiam obtutum exhibebat*, propter spirituum cum acribus vaporibus commistionem: Imò & *lachrymas*, involuntarias scilicet, emittebat interdum, propter partis imbecillitatem, excrementis quasi spontè defluentibus: *floccos colligebat*, quatenus visorum turbulentia, non secus atque in ebriis hic oritur, ex vaporibus cum spiritibus visivis commistis, unde varia objecta sese videre arbitrantur: *plus solito & indecenter loquebatur*, variis objectis ex phantasiæ perturbatione sese offerentibus, & motum membrorum vocalium, calore, spirituque mobili plurimum adjuvante; *& perpetuis vigiliis torquebatur*, ob cerebrum excalefactum, vaporibus levioribus cerebrum confertim occupantibus, non parum continuatâ depravatæ phantasiæ operatione adjuvante. Hic adstantes sextâ die morbi serò nimis, quod vulgi proprium, medicam implorabant opem, ipsumque laborantem ab eo tempore dies noctésque insomnes habuisse referebant, *Prognosis.* quam ob causam, mali procatarcticum externum intelligens, non desperandum esse duxi, sed eò allaborandum, *Indicationes.* ut 1. *somnus conveniens procuretur; deinde ut intemperies calida & sicca corrigatur; & tertio, ut principalium viscerum corroboratio non negligatur.*

Pro 1. *Pro primo* statim ad narcotica confugiendum esse duxi, propter nimiam caloris & spirituum effervescentiam & mobilitatem, in subjecto calido sicco, quam ob causam sine ulteriori deliberatione mox sequentem Syrupum exhibui, qui

℞. *Syr. papaver. errat.* ℥j.
Laudani opiati gr. iij.
Aq. Lactucæ ℥ß, M.

detur unâ vice, quo assumpto somno & quiete prehendebatur æger, quam continuabat per noctem integram. Die sequenti suâ sponte expergefactus, mentis omnino compos erat, nec actorum recordabatur: de siti verò conquerebatur, quam ob causam, *pro secundâ & tertiâ intentione*, pro refectione & alteratione emulsionem Sem. Papav. albi, Amygdal. dulc. cum Aq. Acetosæ & similibus ordinavimus, victus quoque rationem refrigerantem & humectantem instituimus, nimirum morsulos de citro, & corroborantia, & similia concessimus, quibus intra paucos dies perfectissimè convaluit.

Observatio similis. Similis observationis recordor in Academia Wittebergensi, nî fallor anno M. DC. II. accidentis, cum studioso quodam Medicinæ, mihi tunc temporis amicissimo, qui post continuam ebrietatem similiter phrenitide laborabat, & cum plethoricus esset, venæsectione, aliisque remediis adhibitis intra paucas septimanas perfectè convalescebat.

Cautio, quo ad cognitionem causæ. Notandum autem hic obiter plurimum interesse num affectus hic à causa quadam externa duxerit originem, an ab interna, quod vel maximè patet in facili curatione præsentis casus, quatenus vini generosioris evaporationes citius discussæ fuerunt, quam si fortè latens interna causa prædictam inflammationem produxisset. *Observatio Phrenitidis in puerpera.* Sic in puerpera, quæ superiori autumno Darmstadii phrenitide laborabat, longior & magis laboriosa cura requirebatur, utpote quæ propter imperfectam puerperii purgationem sanguinem biliosum copiosè collegerat, unde cerebri & membranarum inflammatio suam originem duxerat. Hic ergo *corpus universum evacuandum, & à capite revellendum erat*, tàm purgatione, non semel (quod vires non sustinuissent) sed per vices institutâ, quàm venæsectione: *intemperies calida & sicca* per victum & medicamenta sui requirebat alterationem: *inquietudo* per somnifera corrigenda; tandémque modicè resolventibus *materia in capite collecta* respicienda erat, quâ de re vide *Iacchinum in cap. 7. de phrenitide.*

OBSERVATIO XXVI.

Phrenitis ex retentione Hæmorrhoidum.

NObilissimus & Generosus Vir, Principis Aug. Aulæ Præfectus, fluxioni hæmorrhoidali excedenti aliàs obnoxius, cum imminentem fluxum alvi retentione supprimere conaretur 22. Febr. 1629. post colicos dolores exantlatos incidit in delirium cum febrili dispositione, sursum videl. sanguine regurgitante. Vesperi cum adesset somni defectus, præmisso clystere, gr. v. Laudani opiati cum Magister. exhibentur, nox inquieta cum somno interrupto sequitur. Alterationis gratia Julapium conceditur, quod ℞. *Syr. viol. è succo* ℥iij. *Aq. Ceras. nigr. fragor. ana* ℥vj. *Spir. Vitrioli* ℈ß. M. Item, *Emulsio ex Sem. Melon. Papav. &c.* Matutino tempore subsequenti V. S. protinus visuscipitur, emissis ℥ix. sanguinis: mox

quietior

quietior patiens redditur, & horis 4 elapſis viciſſim dextrè ratiocinatur & à vinculis liberationem petit. Subſequentibus diebus reiteratis clyſteribus & V.S. priſtinam ſanitatem recuperat, cujus conſervandæ cauſa ſequentem dedi inſtructionem. *Quod rem ipſam attinet*, naturalis conſtitutio temperamenti cholerica eſt, ſanguine copioſo perfuſa, quam ob cauſam propter evaporationem bilis (quæ à viſceribus ſecundæ concoctionis, à jecore videl. liene, meſenterio & circumjacentibus partibus elevatæ, propter coagulationis proprietatem, quam continent, facilimè in acrius ſerum in cerebro & capite reſolvuntur) in arce pallados dolores cum fluxionibus extremorum membrorum hinc & inde ruentium obſervati fuerunt. Quò verò magis ſanguis bilioſus collectus, & propter diutinam retentionem aduſtus & in Melancholiam converſus fuit, eò magis inflationes hypochondriorum non tantum, cum ſabuli coagulatione circa renes obortæ, ſed etiam acrior materia retenta tandem fluxus alvi periculoſos, exeſis venis hæmorrhoidalibus cauſavit, ut non tantum noxius, ſed etiam laudabilis ſanguis p. n. magnâ copiâ cum jactura virium ſæpius excretus fuerit, non abſque periculo ſubſequentis Cachexiæ. Quanquam vero Generoſus Dn. Patiens his incommodis obviam eundo remediis appropriatis non deſtitutus fuerit, nihilominus non ita pridem, ubi in peregrino loco ſtudio comprimens alvi fluxum graviſſimum colicum dolorem ex materia acriori & aduſta ſuſtinuit, ſubſequenti per vigilia, mentisq; perturbatione, quemadmodum interdum mulieribus etiam accidere ſolet, ubi cõnſuetus Menſium fluxus, ſanguine per aduſtionem corrupto ſurſum verſus commoto, ſubſiſtit, & delirium introducit. Quandoquidem verò divina benedictione per uſum Enematum, alterantium, ſoporiferorum medicamentorum & V. S. diſpoſitionem hanc periculoſam ſuperavimus, neceſſarium erit, ut præcaveamus, ne recidiva quædam impoſterum nobis expectanda.

I. Cum autem jecur calidum, lien ſiccus, & natura proinde non ſolùm copioſum ſanguinem generet, ſed eundem quoque bilioſum & aduſtum producat, omninò neceſſarium erit, ut tam quoad diætam, quam etiam uſum medicamentorum & Chirurgiam diligenter illa notentur, quæ ſuperfluum calorem temperant, obſtructiones jecoris & lienis præcavẽnt, & ſanguinem copia peccantem minuunt.

II. At quia conſuetudo altera natura, timendumque ne fluxus hæmorrhoidalis conſuetam viam inveniat, eò reſpiciendum ut illa non negligantur, quæ in principio dolorem hæmorrhoidum leniunt, fluxum moderatè promovent, & eundem excedentem aſtringunt & ſiccant. Quoad primum ordinatum eſt Claretum laxativum, quod ℞. *Rad. Cichor.* ℥ß. *Polyp. liquir. 6.* ʒij. *Gentianæ* ʒß. *Herb. Ceterach. Card. ben. 6.* pij. *Abſynth.* pjß. *Cort. Tamar.* ʒiij. *fol. ſen.* ℥jß. *Sem. Carthami* ℥ß. *Aniſi, Fœniculi 6.* ʒj. *Paſſul. min.* ℥j. *Crem. Tart.* ʒij. *Spic. Indic. Galang. 6.* ℈j. *Sacchari* ℥jß. *Vini albi, Aq. fumar. 6. q. ſ. Ebull. tecto vaſe, ſtent per noctem in loco calido, manè per man. Hipp. colentur* ℔ij. Poſt continuatum uſum præcedentis medicamenti V. S. inſtituatur ſub initium Aprilis cujus beneficio ſanguis ſuperfluus minuitur, ejusdem acrimonia temperatur, & latens calor fervidus eventilatur. Hanc ſanguinis diminutionem 6. 16. vel 7. 17. Maij reiterare poſſet abſque omni naturæ noxa, propterea, quod majus periculum ſuperveniente hæmorrhoidali fluxu excedente ſit expectandum, quàm evacuatione per V.S. in noſtra poteſtate conſtitutâ. Poſt ſecundam ſanguinis miſſionem peractam commodùm ſerum lactis caprini ritè depuratum & cum recentibus flor. Roſar. Damaſc. infuſum uſurpetur, manè veſperique tribus horis ante cibum, levi ſubſequente corporis exercitio, cujus uſus per menſem fere continuetur, ſingulo quarto die ſumptâ levi purgatione, vel ſyrupo Roſato ſolutivo cum Extr. Rhab. permixto: vel Rhabarb. cum Crem. Tart. vel Zibebis aut prunis laxativis, prout Medico præſenti placuerit. Quoad alimenta vitentur illa, quæ nimium aromatiſata vel ſalſa, Item ſinapi, raphanus ruſticus, cœpe &c. frixa itidem in ſartagine & alia craſſos humores producentia. Quoad potum vinum bibatur, ſed decocto rad. Cichor. dilutum, cujus loco ſæpius ſequens decoctum uſurpetur, quod ℞. *Rad. Acetoſ.* ℥j. *Saſſafr. Cin. Aniſi 6.* ʒß. *Sacchari* ℥vj. *Coq. in 3. menſ. aq. ad conſ. 6. pactis, ubi Saſſafras & Cinam. ſub finem cort. addantur.* Cerevisia quoque Lauingenſis benè depurata cum vino Neccarino permutationis gratia non nocebit. Quoad alia medicamenta, quotidiè eò allaborandum, ut alvus laxa ſit, quo fine mox ante cibum ʒß. Crem. Tart. cum brodio decoctionis prunorum, vel cum brodio Gallinæ vitello ovi crudo prægnante ſumatur, ſemper à cibis liquidioribus prandium & Cœnam incipiendo. Plurimum etiam huc faciet uſus Enematum domeſticorum, quando *Malv. Melilot. ana* Mj. *Sem. Lini* ℥ß. *in brodio decoquuntur, colantur & additis* ℥iij. *Mellis roſati, Butyri recent.* ℥ij. *& vitell. ov. num. 2. per ſedem infunduntur.* Ad leniendum calorem internum, & ad præcavendam inflammationem conveniens erit Conſerva Roſarum vitriolata, tum etiam Conſerv. Rad. Cichorii quantitate nucis juglandis duabus horis ante cibum aſſumpta. Permutationis gratia Tragea Salis Coral. & Sacchari roſati tabul. cum pane vino madefacto, ſicut etiam Rad. Cich. ſiccatæ cum brodio decoctæ manè veſperique diligenter uſurpentur. Præter dicta quantum fieri poteſt, animi affectus moderati ſint, inter eos autem Ira potiſſimum cane pejùs & angue fugiatur, ad quam licet inclinatio quædam adſit, natura vero furca non expelli poſſit, nihilominus illud opponendum: Tu contra audentior ito. Quod fluxum hæmorrhoidalem excedentem concernit, in promptu ſunt media per Dn. Cneulinum & D. Merclinum præſcripta quibus Generoſ. acquieſcat, niſi neceſſitas urgens hæc etiam eludat, ubi ad uſum Laudani opiati cum Magiſt. accedendum, cujus grana 5. ſumantur, quo commotio ſanguinis ad quietem redigitur; ſomnus ſuccedit idque ſine omni periculo. Pro leniendo dolore hæmorrh. & teneſm. proderit

Ungt. de Linaria: nec dubito hirudines appositæ plurimum præstare posse.

OBSERVATIO XXVII.

Melancholia Hypochondriaca.

Juris quidam Licentiatus, annorum circiter 30. ætatis, constitutione corporis calidus & siccus, per literas anno 1616. sub initium, de diuturno morbo conqueritur, nimirum quod per multos annos imbecillitate capitis laboraverit cum tristitiâ & metu, procedente tempore (præsertim, postquam ab alio, anno 1609. persuasus, decoctionem multorum aromatum in vino generosissimo factam, pro memoriâ juvandâ, per multos dies m. & v. bibisset, & ipsa aromata contusa naribus quotidie immisisset) aurium tinnitu, cogitationibus horrendis, pervigiliis & inquiete succedentibus. Circa præcordia flatus, & ventriculi dolores, maximè pòst sumptum cibum, cordis etiam palpitationes, hypochondriorum tensiones, difficiles respirationes atque alvi promptiores obstructiones accusat, & medicam opem implorat.

RESOLUTIO.

Qualis sit morbus.

HUic respondeo, chronicum adesse morbum, quem Medici *Melancholiam Hypochondriacam, seu flatulentam* dicunt: adest enim *perturbatio mentis, absque febri cum tristitia & metu*, quâ ratione Melancholia differt ab aliis mentis perturbationibus, quam affectionem suâ naturâ *diuturnam*, respectu capitis ab externa causa, nimirum vehementer exiccante, remedio pro memoria minus rectè adhibito, non parum adauctam fuisse statuo, scilicet in ipso cerebro peccantem materiam magis adurente, vivificumque succum depascente. Fovet autem hunc affectum *partium diversarum dyscrasia*: primò enim *intemperies cerebri siccior* adest, unde inquietudo & pervigilia: *jecur calidius* est, *lien* imbecillior & *ventriculi* frigida humida constitutio, quam ob causam in venis meseraicis & spleneticis succus crudior ex imbecillitate primæ concoctionis relictus, vi calidioris jecoris citò nimis attractus; nec propter lienis imbecillitatem à sanguificatione jecoris aversus, colligitur, aduritur, & in chylo miscetur, ibidemque continuatas obstructiones generat. Hinc ibidem coërcita & effervescens materia facit, ut flatus & tensiones hypochondriorum, diaphragmatis compressiones, cordis palpitationes, imminentes quasi suffocationes, & propter animalium infectionem, cogitationum perturbationes cum tristitia & metu progenerentur. In hoc affectu chronico, *primò quoad symptomata lenienda, partium diversarum corroborationem & alterationem respiciendam, deinde totum negotium curationis ad causam antecedentem dirigendum esse judico.*

Occasio externa.

Subjecti laborantis natura.

Victus ratio.

Pro 1. Cibus.

Quoad primum, victus ratio sit facilis concoctionis, benè nutriat, & omni flatulentâ qualitate destituatur. Absint igitur infumatæ carnes, pisces, lactis item usus, brassica fermentata, nimium salita, & aromatisata edulia: potius caro eligatur vitulina, vervecina, agnina, gallinarum, pisces saxatiles, pruna Damascina cum passulis minoribus, ex oleribus spinachia, acetosa, beta, & similia, quibus vis inest facilis concoctionis & moderatæ humectationis. Potus sit vinum tenue, quod cruditate suâ ventriculo non noceat, nec nimiâ caliditate caput repleat, idque medicatum reddatur interdum infusis herbis Melissæ, Rorismarini, Card. benedicti. fl. Borraginis & similibus.

Potus.

Stomachica.

In specie ventriculus corroboretur, permutatim sumptis conservâ Rosarum cum specieb. Aromatici Rosati permixtâ, cort. Arantior conditis, Zingibere in India condito, Nuce Mosch. conditâ, & hujus generis aliis: inprimis etiam post pastum tabulas stomachicas non negligat, quæ ℞. *Radi liquir. rasa.* ℥ß. *Sem. Coriand. præp.* ʒij. *Fœniculi* ʒj. *Carvi* ʒß. *Nucis Mosch.* ʒj. *Sacchari in aq. Rosar. soluti* ℥vj. *F. Confectio in Morsulis, speciebus grosso modo incisis.*

Epatica.

Jecoris caliditas intensior temperetur usu frequenti radicum Cichorei, vel quatenus recenter incisæ, pro conserva Saccharo condiuntur absque coctione, vel prout cum passulis in brodio carnis decoquuntur, rotulis item Diarrhodon Abbatis sine speciebus, ut & conservâ Rosarum vitriolatâ. *Tensiones & inflationes Hypochondriorum* exterius inunctione sequenti corrigantur, quæ ℞. *Ol. Chamam. Anethini ana* ℥ß. *de capparibus* ʒij. *Succi Menthæ, Absynth. Ebuli ana Cochl.* j. *vini parum. F. decoctio ad succorum consumptionem pro linimento.*

Fotus etiam fieri poterit, qui

℞. *Cort. Radic. Ebuli, Sambuci, ana* ℥j. *Rad. Asari* ℥ß. *Herb. Marrub. alb. Matricar. Milzatellæ, Absynth. Thym. ana* Mj. *Fl. Chamam. Rom. cum toto,* Mß. *Sem. Fœnic.* ℥ß. *Spicæ Celt.* Mß. *F. sacculus decoq. in vino & calide applicetur hypochondriis.*

Cor etiam, palpitationi obnoxium, frequenter reficiatur usu confectionis Alkermes, syrupo de corticibus citri, exterius regioni cordis & pulsus hoc linimento sæpius inuncto, quod ℞. *Succi Cardiacæ* ℥ß. *Citri* ʒiß. *Ol. Nucis Mosch. per expreß.* ʒj. *Rosati completi* ℥j. *Cariophyll. destill.* ℈ß. *Camphoræ gran.* iiij. *Croci* ℈ß. *q. s. lento igne coq. & misceatur pro unguento, sensim succis consumptis.*

Cephalica.

Caput, quod ad siccitatem admodum inclinat, modicè humectantibus alteretur, unde post universalia lotio capitis non inconveniens erit, ubi decoctio fiat pedum vitulinorum, additis *Rad. Althea. Herb. Malvæ, Betonicæ. fl. Rosar. Chamameli, &c.* Quibus æstivo tempore violæ cum herba & flor. Rosarum meritò junguntur. Nec parum capitis imbecillitatem juvaret, si vesicatorium Emplastrum de Cantharidibus, præmissis præmittendis, post aurem utramque lunâ decrescente poneretur, cum hac ratione fumi Melancholici citiùs solverentur, inprimis cùm aliàs ibidem exitum suum quærere conentur.

Pro 2.

Quoad secundum, antecedens causa, videlicet materia peccans circa regionem hypochondriorum coërcita, ibidemque latitans & effervescens, convenientem præparationem & evacuationem requirit, ubi commodè tempore æstatis acidularum Schwalbacensium, vel Wildungensium

gensium usus præscribi potest. At hyemali hoc tempore, quo consilium noster ægrotans expetebat, primò præparationem suasimus sequenti remedio, quod

℞. *Rad. Cichorei, Fæniculi, ana* ℥j. *Pæoniæ*, ℥ß. *Helenii: Cort. Tamarisci* ʒij. *Marrub. albi, Ceterach. Fumariæ ana* Mj. *Fl. Chamameli* p. j. *Fol. Senæ* ʒvj. *Passul. minor.* ℥j. *Sem. Carthami contusi Fæniculi, Anisi, ana* ʒjß. *F. decoctio in s. q. Seri lactis caprini destillati ad tertias, coletur* ℔jß. & de colatura manè vesperique duabus horis ante cibum sumantur ℥vj. idque continuetur per quatriduum. Hoc modo viis evacuationum laxatis, ipsaque materiâ præparatâ subsequatur usus Electuarii, quod ℞. *Confect. Hamech. min.* ʒiij. *Elect. de Tamarindis. d. n.* ℥ß. *Cremoris Tartari* ℈j. M. *cum Sacchtaro F. bolus.* Hæc præparatio & evacuatio semel atque iterum lunâ declinante repetita fuit; à quo tempore, simul etiam acidularum usu conjuncto, prædictus ægrotans meliùs habere cœpit, & in hanc usque horam sanitate tranquilliori, DEI gratiâ fruitur.

OBSERVATIO XXVIII.

Furor Uterinus.

Illustris Comitissa, sterilis, certis temporibus per mensem unum atq; alterum incidit in delirium sine febri, cum audacia & risu: sermo multus & frequens, uni objecto diutiùs inhærens, frequentissimè de rebus venereis adest, oculos habet vagabundos, huc illuc nutantes, dolor nullus, nisi quòd remittente furore tormina ventris infimi sentiantur, sæpius ligamentis, quibus continetur, seipsam strangulare conatur. Tandem mentis vicissim compos reddita, sæpius annuo spacio, plus minus, à miserabili hoc affectu libera vivit, cujus tamen recidivam expectare cogitur.

RESOLVTIO.

CAsum hunc sub finem Anni 1613. Vir Reverendus & Clarissimus JOHANNES WEBERUS, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, & Ecclesiastes Illustris Aulæ Gleichensis in Ohrdorff/ ad mandatum Illustris sui, per literas proponebat, meumque consilium expetebat, nimirum ut primò determinem, *quid de morbo sentiam*, & dein, *qua ratione curari, vel saltem mitigari queat.*

Ad utrumque pro temporis ratione breviter hoc modo respondi.

Determinatio morbi. Morbum quod attinet, cum propriè loquendo Melancholiam vocari non posse, sive primaria, sive hypochondriaca intelligatur; idque propterea, quòd omnis *Melancholia sit mentis desipientia sine febri cum metu, tristitia & odio hominum* ita ut ægrotantes non admodum furiosi sint, & potiùs solitudinem, quàm hominum conversationem expetant. Hinc *Hippoc. 6. Aphor.* 23. Si timor & tristitia diu perseverant, ex eo atra bilis significatur. Ergò potius iis subscribendum esse judico, qui statuunt, affectionem Illustris Comitissæ *speciem quandam esse furoris*, cum sit insania sine febri, cum quadam audacia, timore & mœstitia minimè præsentibus.

Morbum esse per consensum uteri. Furorem hunc non per πρωτοπάθειαν cerebro accidere, sed potius per consensum, inde colligo, quod suas intermissiones habeat, nec etiam tempore paroxysmi semper eodem modo delirium intensum sit. Quæ autem pars læsa ad ejusmodi furorem facere possit, inquirendum.

Causa interna. Potissimùm ad uterum respiciendum esse judico, cum certior factus sim, conjugium Illustris Comitissæ esse sterile, quam ob causam corruptionem seminalis materiæ fortassis adesse suspicor, unà cum intemperie uteri calidâ & siccâ plurimum excedente & exurente, quam præcedere solent procatarcticæ tales, ad iram sc. prompta inclinatio, terror ac facilis consternatio, amoris affectus vehementior, menstruorum inordinata effervescentia, tempus anni calidius, &c. *Procatarctica.* Vocatur autem ejusmodi morbus, *furor uterinus*, & cognoscitur non solum ex iis, quæ sunt de essentia morbi, sicuti diximus, nimirùm ex delirio sine febri absque timore, cum quadam audacia, sed præterea ex subsequentibus etiam, sermo videlicet multus adest, inprimis de reb. venereis, quas vehementius appetunt hujusmodi patientes: *Cognitio morbi.* *Oculi vagabundi, huc illuc nutantes* conspiciuntur, quod aliàs etiam iis convenit, qui Veneris habenas remissiùs tractant, & affectu amoris diutiùs cruciantur. *Deductio symptomatum enumeratorum.* Hinc *manus quoq; non rarò naturalibus* applicare solent, præsertim dum cogitatio venerea diutius protenditur. De *dolore tempore furoris nullo* conqueruntur: qui enim dolent & dolorem non sentiunt, iis, juxta *Hipp. mens laborare dicitur*: in remissione tamen, potissimùm ante furoris exacerbati initium, *non rarò de infimi ventris dolore & gravitate* conquestæ sunt. Accedit quòd familiare quoque sit his ægrotantibus, ut intentionem *sese strangulandi* frequenter habeant, quemadmodum experientiâ notum est, fortè quòd uteri strangulatus facilimè incidere possit, quam ob causam suffocationis species frequentiùs phantasiæ perturbatæ sese offert; Sic enim quod *Hipp. de Morb. Virg.* innuit, circa cor & diaphragma propter compressionem strangulationes oriuntur, uti laqueo mortem, veluti bonum quoddam expetant.

Prognosis. Sit hoc modo determinata morbi species, cum suis causis atque signis: Ad curationem progredimur, hoc primùm prognostici loco notato; Morbum hunc eò curatu difficiliorem esse, quò magis est inveteratus.

Curationis scopi. In curatione tàm *ad causas antecedentes, quam conjunctas* respiciendum est, ideoque juxta subsequentes indicationes operationes Medicæ dirigendæ veniunt: *Indicationes speciales.* I. *Vteri intemperies calida & sicca satis excedens, refrigerantia & humectantia requirit.* II. *Seminalis materia, ut & sanguis adustus; circa regionem uteri collectus ablationem sui indicat.* III. *Sanguis venosus in toto calidior & siccior effervescentiâ suâ paroxysmum facilimè producens, propterea quòd unà cum eodem malignitas citius ad caput evaporet, ante mensium commotionem alterandus ac temperandus est.* IV. *Halitus corrupti cerebrum petentes discutiendi, & aliò, ad partes ignobiliores ducendi sunt, ubi potissimùm cauteria non omittenda.* V. *Inflammatio seu fervor spirituum in*

cerebro refrigerandum & humectandū esse indicat. VI. *Vehementia delirii sæpius topicorum usum requirit, ubi hic ab inordinario curationis processu quiescere cogimur.*

Materia auxiliorum. Pro excipiendis his indicationibus triplex auxiliorum materia consideranda venit, nimirùm Chirurgia, Pharmaceutica & Diætetica. *Quoad Chirurgiam* venæsectio primum locum habet, quâ solâ sæpius Empirici maniacos & furore percitos curare conantur, ut videre licet apud *Plater. lib.* I. *Observationum*; quæ pro alteratione totiùs in brachio adhibetur, medianâ vel cephalicâ incisâ, sed hac cautione, ne circa tempus menstruorum hoc accidat, quia convenientiùs est paulò antequam fluxus menstruus expectatur, ut saphæna pedis incidatur, quò promtiùs sanguis deorsum moveatur. Scarificationes quoque in consuetis non improbantur, modò hoc ipsum fiat instantibus mensibus, ac tantùm in cruribus, non in superiore corpore, ne magis ad caput materia derivetur. Cauteriorum usus etiam huc pertinet, nimirùm ut primò cauteria fiant in cruribus, quò corrupta materia, potissimumque malignæ evaporationes caput afficientes deorsum vergant: post affluente materiâ revulsâ ad partem oppositam, optimè verò attrahentibus pedum fonticulis commodè quoque cervici setaceum applicaretur, remedium omni ex parte tutissimum, & in gravissimis capitis affectibus præsentissimum, de cujus verò usu legatur *Guil. Fabricius cent.* I. *Observ. Chirurg.*

Venæsectio. *Cautio.* *Scarificatio.* *Cauteriorum usus.* *Setaceum.*

Pharmaceutica. *Quoad Pharmaceutica* juvantia citiùs in hoc casu medicamenta præscribuntur, quàm adhibentur, propter quòd ægrotantes discretione destituantur. Eligenda tamen alterantia, evacuantia, & corroborantia.

Alterantia. *Quoad alterantia*, conveniunt interiùs Syrupus Acetos. Citri, de succo granatorum, additis iis, quæ uterum peculiariter respiciunt, ut sunt Syrupus de Artemisia, Aqua Melissæ, Castoreum & similia; quæ ratione indicantium commiscentur, & manè vesperique tribus cochlearibus exhibentur.

℞. *Syr. de s. Acetosæ.*
Endiviæ, ana ℥jß.
Granat. duc. ℥ij.
Artemis. ℥ß.
Aq. Melissæ. ℥j. M.

Huc etiam pertinent condita, quæ ex conserva Rosarum, Violarum, Borraginis, pauxillo pulveris Castorei addito, cum Syrupo pomorum dulc. conficiuntur: his enim, uti prioribus quoque vis modicè refrigerandi, humectandique meritò tribuitur. Exterius inunctionem pubis & infimi ventris commodè fieri posse statuimus, cum unguento Santalino, Infrigidante Galeni, admisto s. q. olei Violarum, Nenupharis & similium. Imò & balnea Aquæ dulcis (minerales & sulphureæ thermæ minus hic conveniunt) post evacuationem conceduntur, insessus videlicet in decocto herbarum refrigerantium, ut sunt violaria, Fol. Salicis, Lactucæ, Endiviæ & similes, quib. commodè flores Chamæmeli mediocri quantitate miscentur.

Quoad evacuantia, frequenter lenientia exhibentur, inprimis hîc serum caprinum infusionis folior. Senæ commendari posset. Lenientibus præmissis peccans materia digeratur per Syrupum de prunis dulcibus, de Artemisia, Cremore Tartari, spiritu salis & similibus, subsequente mox evacuatione magis appropriatâ, sive formâ potionis, vel aliter hoc fiat, ubi plurimùm per Magisterium Tartari (quod ex spiritu Vitrioli & Oleo Tartari conficitur) Medicum præstare posse non dubito.

Nec tantùm universalia purgantia sufficiunt, sed opus est ut ad *appropriata* quoque pergamus, respectu particularium evacuationum, ubi deliberandum de injectionibus seu clysteribus ac pessis uterinis. *Varand. de morb. Mulieb. l.* I. *cap.* 5. hujusmodi laborantibus extra conjugium constitutis maturè prospiciendum esse jubet, ut viro, eoq; valido, jungantur, quia satiato sic utero, & vacuatâ materiâ & effusâ quæ in vasis illis continetur, aliquando eas sanari contingat. Imò & illa, quæ per habitum corporis evacuant, ut sunt *sudorifera medicamenta*, suum locum habere possunt, si præmissis universalibus adhibeantur, cùm non tantùm vim habeant attenuandi, resolvendique respectu latitantis corruptæ materiæ, sed simul quoque malignas evaporationes ad cerebrum ascendentes dissipent, ut per poros cutis evaporent. *Sudorifera.*

Corroborantia. *Quoad corroborantia*, potissimum caput respiciendum, aliaque membra principalia cum utero, quam ob causam tutò præscribuntur rotulæ capitales ex Margaritis præparat. Smaragdo præparat. cum Ol. Nucis Moschatæ, Saccharo in Aq. Lavendulæ soluto, quantum sufficit, addito. Item Citri conditum, Confectio Diarrhod. Abbatis, sine Saccharo, Rosat. novellæ, Diamarg. frigidi, Electuar. lætificantis Almansoris, ex quibus cum conservis appropriatis Electuaria corroborantia, vel cum Saccharo in Aqua Melissæ & Rosarū dissoluto, Morsuli confici possunt.

Tandem in summa delirii vehementia, pro leniendo symptomate totis viribus eò allaborandum est, ut ægrotanti quietem somnum procuremus: Hinc potus loco, decoctum hordei & cap. papaveris vel aqua Lactu. cum Syrupo papav. permista præscribitur, & externè capiti Epithemata somnifera ex aqua Rosarum, Lactucæ, Solani, Nympheæ, Verbenæ, & similibus applicantur, factâ simul inunctione per unguentum populeonis, cum parte quadam Olei Nymphææ ac Rosarum, pauxillo opii atque Croci commistum; imò ad Laudani opiati usum interdum quoque, sed cum cautione, accedendum.

Diæta. *Quoad Diætam*, aër ambiens frigidiusculus sit, vel arte, vel mutatione soli: Victus nec nimis sit tenuis, nec plenus, sed mediocris, ideoque juscula fiant hordeacea cum amygdalis dulcibus & sem. papav. permixta: Caro sit hœdina, vitulina, avium montanarum, perdicum, pisces saxatiles, percæ, lucii, auratæ, &c. Ova quoque sorbilia non improbantur: ex oleribus Asparagi, Endiv. Spinachia, Lactuca, Beta, &c. commendantur.

Exercitationes corporis sint moderatæ, conjugali congressu frequentiori non excluso cum ad corruptæ materię seminalis evacuationem servire queat. Hæc sunt, quæ absens ad casum hunc propositum respondere potui, cætera præsentibus Medicis relinquens.

OBSER-

OBSERVATIO XXIX.

Stultitia seu stupor mentis post diuturnam inediam miraculosam.

Apollonia Schrejera, virgo Helvetica, post multos annos absq; cibo & potu vivens, tandem appetitu redeunte, cum antea mentis compos esset, in μώρωσιν seu stultitiam incidit.

RESOLUTIO.

Fatuitas quid?

Pluribus admirandi casus hujus causas, potissimum quo ad diuturnam illam inediam, lib. 7. Histor. Med. Mirabil. cap. 1. deduximus, ubi inter alia etiam monstratur, quòd fatuitas seu stupor mentis sit nihil aliud, quàm discursus & ratiocinationis diminutio, quæ non à simplici tantùm qualitate, sed etiam ab aliena & impura permistione vaporum & exhalationum crassiorum cum spiritibus animalibus suam originem obtinet, quòd maximè ebriorum acta factaq; sæpius testantur. Hinc manifestum jam est, post longum inediæ tempus, virginem hanc in affectum hunc facilimè incidere potuisse, propterea quòd cerebrum ad recipiendos crassiores vapores, à concoctione ciborum & potulentorum provenientes, inhabile fuerit, utpote, quod hactenus tenuissimo spiritu vitali, per solam inspirationem conservato, refectum fuit. Accedit etiam, quòd spirituum substantia crassior alterationem convenientem non habuerit, cum per tot annos organa facultatis animalis ejusmodi operatione validiori non indiguerint, de quo plura vide loco citato.

APPENDIX.

Cùm ad prælum viderem has observationes, per literas Clarisś. *Guilselmi Fabricii Hildani*, Poliatri Bernensis, certior fio, quòd prædicta *Apollonia Schrejera*, pristinę sanitati, quod μώρωσιν juxta meum prognosticum ante annos duodecim publicè citato loco propositum, restituta, vivat adhuc, cujus verba sunt hæc: *Appollonia Schrejera* hîc in vicinia zu Dorberg (olim Monachorum cœnobium fuit) benignitate Magistratûs nostri amplissimi vivit. Robusta & sana, comedit quin etiam & bibit secundùm naturæ legem & consuetudinem aliorum, vino tamen abhorret: Ingenio tarda quidem est, interim tamen pia & modesta, &c. Bernæ Helveticorum, XXVIII. Aprilis, Anno 1624.

OBSERVATIO XXX.

Ophthalmia cum doloribus nephriticis ex inconvenienti diureticorum usu.

Præfectus Comitis cujusdam in vicinia calidus humidus, ætatis circiter annorum 40. circa vernum tempus Anno 1617. præservationis ergò purgans assumit, continuato mox per septimanas aliquot (cum calculorum aliàs esset obnoxius) pulvere diuretico ex seminibus calidioribus constante. Hinc in dolorificam oculorum inflammationem, aliàs frequenter ipsum molestantem, dolores nephriticos ingentes & alvi obstructionem incidit.

RESOLUTIO.

Quod multi cum damno experiuntur, ut ipsis Medicamenta, Medicis absentibus, sunt instar gladii in manu furentis, idem etiam huic viro bono accidebat, qui proprio consilio non solum evacuationem instituebat, sed etiam usu diuretici medicamenti calidioris ab insultu nephritico seipsum præservare conabatur.

Medicamenta indoctis sunt instar gladii in manu furentis.

Hinc igitur *oculorum inflammationem* incurrebat. Quatenus aliàs propter cerebri constitutionem calidam & humidam hoc malo plurimum vexabatur, occasionem jam præbente sanguine calidiore, quem intemperies viscerum, usu continuo pulveris diuretici genita, producebat, unde sanguis effervescens fluxiones calidas ad oculos, aliàs imbecilliores, excitabat: *dolores etiam nephriticos ingentes cum alvi obstructione* patiebatur, vi diureticorum calidiorum intemperie renum auctâ, tenuiorīq; materiâ aquosæ plurimum assumptâ, & per consequens obstructionibus in viis urinariis magis cumulatis.

Deductio symptomatum.

Hîc igitur ante omnia primas vias obstructas leniendas & emolliendas: 2. calorem deinde in toto temperandum: 3. fluxionem ab oculis avertendam: 4. & vias urinarias per temperata laxandas esse duxi.

Indicationes.

Pro 1. *Pro prima intentione* consequendâ, cum ad alvi obstructiones admodum propensus esset, eandem clystere emolliendam primùm, & laxandam esse putavi, nimirum qui *Rad. Altheæ, Lilior. alb. ana* ℥ß. *Cichorei* ℥vj. *Herb. Malvæ, Violar. parietariæ, sum. Meliloti, flor. Chamæmel an.* Mj. *sem. Lini. Fœnugræci, Malvæ an* Mß. *Fœniculi* ʒij. *fiat decoct. in s. q. aq. ad 3. Colentur* ℥xij. *adde Ol. Chamæmel. Anethini, ping. human. ana* ℥j. *Elect. Hieræ. simpl. Gal.* ℥j. *Salis parum. fiat Enema,* cujus usu solutis obstructionibus, alvum apertam retinere studuimus Elect. de Tamarindis cum passulis, frequenter nucis majoris quantitate sumpto, mox ante brodium aliquod, horis duabus ante consuetum prandendi, cœnandive tempus: item infuso florum Acaciæ cum prunis Damascenis dulcibus in vino aquoso, additis Rhabarbari ʒj. & fol. Senæ s. s. ℥ß. cum corrigentibus suis.

Pro 2. *Quoad secundum*, venæsectionem in corpore plethorico suasimus, & pro temperando calore jecoris, decoctionem radicum cichorei cum passulis minoribus in brodio carnis, & emulsionem sem. papav. albi & 4. frigid. majorum præscripsimus.

Pro 3. *Quoad tertium,* vesicatorium Emplast. præmissis precedentibus, ad nucham apposuimus per noctem, ubi per dies aliquot acre serum profluebat, affectu oculorum sensim remittente, simul adhibitis iis, quæ etiam parti laboranti succurrunt, ut est collyrium, quod ℞. *Aq. Fœniculi, Rosar. ana* ℥jß. *Succini præpar. albi* ʒj. *Cerussæ* ʒß. *opt. misceatur & coletur,* quo, præmissis universalibus oculi sæpius abluantur, succedente mox suffumigio ex pulvere pro fumo contra defluxiones usitato.

Pro 4. *Tandem quoad quartum*, vias urinarias etiam laxandas esse putavi, non autem per diuretica calida, sed temperata, quam ob causam Ol. Amygdal. dulcium cum

pauxillo

pauxillo Terebinth. Ven. permixtum, & in brodio decoctionis hordei excorticati dissolutum ordinavimus, syrupum itidem de Althea D. Ferneli. cum syrup. hederæ terrestr. permixtum, & similia, cum balneo aq. dulcis, in quo Chamæmelum, Melilotus, Malva, Bis malva, Veronica, & hujus generis alia, quæ ad manus erant, decoquebantur. His pro tempore vir optimus à paroxysmo graviori fuit liberatus, cui post, pro præservatione calculi, tum etiam pro temperando calidiori jecore Swalbacensium acidularum usum, & contra frequentes oculorum inflammationes & fluxiones setaceum ad nucham commendavimus, quibus usurpatis hactenus minus de prædictis imbecillitatibus conqueritur.

OBSERVATIO XXXI.

Ophthalmia Contumax Ephemera soluta.

IOH. RVD. SALTZMANNVS D.

Gregor. Horstio, D.

Est mihi filius XI. annor. qui ante sesquiannum gravi ophthalmia & quidem in utroque oculo laborare cepit, quæ infinitis, ut ita dicam, licet remediis adhibitis, caput purgiis, scarificationibus venæsectionibus, vesicatoriis, aliis plurimis, quin & acidularum usui, ne minimum quidem cessit, nisi quod in sinistro oculo, ob fonticulum in sinistro brachio inustum, multo quam in altero mitior fuerit, unde ante 10. forte dies in dextro brachio idem tentavi, nec frustra quidem. Verùm antequam fonticulus ex toto paratus & formatus esset, en ex inopinato & q. in momento Ephemera corripitur circa vesperam, altera die in pede dextro phlegmone oboritur, cum ingenti tumore, tertiâ die omnis oculorum inflammatio ita disparuit, ut liberè & absque insigni impedimento & dolore diei & lucis claritatem ferre potuerit, quod integro sesquianno non potuit. Mirum quomodo humor ille & materia peccans, quæ infinitis remediis debellari non poterat, nunc affatim & quasi in momento à natura ad partem ignobilem detrusa sit. Deo gratias ago.

Responsio.

P. P. Memorabile & rarum hoc esse confiteor; cui sequentem addo casum non absimilem. ICtus Celebris D. D. Joh. Rudolph Wiccius filium alit annor. 20. Leonem, qui statim à teneris unguiculis in prima pueritia fistulosis insanabilibus ulceribus in pedibus, manibus & brachiis cum ossium corruptione laboravit, multis externis & internis frustra præscriptis, ad annum usque ætatis 14. ubi febri continua maligna prehenditur, insigni diarrhæa copiosæ fœtidæ corruptæ materiæ superveniente, qua præter spem Dei benedictione convenientibus remediis adhibitis expugnatâ, perfectè convaluit, & hactenus ad omnibus istis contumacibus & phagedenicis ulceribus totaliter liberatus ex voto vivit. Ita natura sæpius artem superat, & ætatis mutatione, tum etiam διαθέσει præter naturali morbosis affectibus contrariâ frequenter id præstat, quod ope medicamentorum ex artificiosa methodo conscriptorum frustra speravimus. Quod autem in filio Tuo per imperfectam crisin, materiâ peccante vi caloris commotâ protinus à nobiliori parte translata versus partem ignobiliorem; idipsum in ægro prædicto crisi perfectâ morbo soluto per diarrhæam, concurrente mutatione temperamenti, tam pubertatis ratione, quam propter febrilem æstum superfluitatibus consumptis factum fuisse reor.

OBSERVATIO XXXII.

Ophthalmia Contumax decocto Sassafr. & Lign. Curat.

Ophthalmia contumax in conjuge Wolfg. Mekelii Mercat. Ulmens. multis adhibitis interius, ut etiam exterius setaceo ad nucham impresso non sanari potuit, sed antiquum semper obtinuit, donec ante triennium decorto Sassafr. & ligni uteretur, post cujus usum hactenus benè habuit.

OBSERVATIO XXXIII.

Singularis contumax Odontalgia.

Vir Clariß. Excellentiß. Dn. Ioh. Freitagius, Phil. & Med. D. & Reip. Ratisbon. Phys.

Gregor. Horstio, D.

S. Tractatus, patribus vestræ Reipubl. inscriptus, Clariss. Excell. Experientissimeque Dn. D. favitor colende, de dentium podagra, verius ob contradictionem in adjecto, odontagra, ansam mihi præbet cum T. Excellent. casum communicandi, civis cujusdam nostri primarii, qui ab annis decem & quod excurrit, per intervalla dentium dolore laboravit acutissimo, sævissimo, & à Medicis Dogmaticis multis usus est medicamentis rationalibus incassum, ut tandem Empiricos omnis generis in consilium vocare coactus fuerit, qui dentes dolentes evellendo, narcotica adhibendo, & phlebotomiis etiam nihil intentatum reliquerunt, sed Acesias medicati sunt, & dolor in gingivis, ubi dentes evulsi sunt, per intervalla acerbus & contumax mansit. Ego ante septennium in Consilium vocatus, illius odontalgiæ causam accuratius cœpi investigare, cum inventâ causâ facilius fit invenire remedia, & ex signis certior sum factus, adesse intemperiem calidam, humoribus calidis, tenuibus, acribusque adjunctam, qui ex partibus subcutaneis capitis per venas temporum primum ad maxillam inferiorem sinistri lateris, deinde ad gingivam dentibus orbatam irruunt, & propagines nervorum tertiæ & sextæ conjugationum, quæ dentium alveolis implantantur, lancinant, erodunt ac comprimunt: imò sensibiliter Dominus patiens percipit humoris copiam ad tempora regurgitare, quod dolorem reddit intollerabiliorem. Interdum etiam materia peccans diutius in cerebro latens, Dominum patientem ferè reddit desperabundum: quando autem materia peccans petit locum assuetum, remittit citò cephalalgia, & redit dolor gingivæ, cum ptyelismo per aliquot dies; & quo copiosior & celerior ptyelismus & deglutiendo & expuendo, eò benignius est malum.

Strobelgerus de Podagradentium.

Dentium dolor diuturnus.

Cum,

Curatio. Cum, teste Celso, dolor dentium maximis tormentis annumerari possit, condolentiâ motus, statim ad causam & dolorem ipsum, qui maximè urgebat, respexi, adhibendo anodyna, instituendo revulsiones & derivationes, per vesicatoria retro aures, & in carpo, postea fonticulos duos inuri curavi, unum in nucha, alterum in sinistro brachio, qui operationes laudabiles & sufficientes fecerunt, & adhuc faciunt. Phlebotomias diversimode institui, etiam in meatu aurium, & sub lingua: non intermisi scarificationes etiam in auricula, frictiones in partibus extremis, & lotiones crurum ex appropriatis, miri usus. Evacuationes adhibui universales & particulares, intercipientia fronti & temporibus admovi, Errhina naribus immisi, nec non gingivæ topica repellentia applicui. *Præservatio.* Pro præservatione usus sum sale theriacali, pillulis specificis aloeticis, & gargarismis astringentibus. Verum enim vero in hac pertinaci hujus fontis scaturigine & perenni ad locum affectum decubitu Sysiphi Saxum volvi: dolor enim per intervalla rediit ad locum consuetum, interdum citius remittit, interdum longius urget, nec non habet suos gradus & typum, ut meritò devolvar in illam *Similitudo odontalgiæ cum Arthritide.* opinionem, quod ad gingivas æquè delabatur materia illa acris, ibique membranam illam nerveam divexet periodicè, sicuti ad reliquas corporis partes fluxiones arthriticæ procumbunt.

Nec video, cur hoc non succederet, cum ex diligentiori investigatione miscela humorum innotescat, & quidem dolor aliquis specificus, qui in juventute videtur contractus ex fumis acerrimis calidissimis ceræ & mellis frequentioribus, quo tempore in parando melicrato Dominus patiens fuit occupatus; cui accessit inordinata victus ratio, vini meracioris nimius usus, & aëris nocturni injuria, in quo vespertilionum more versatus. Quæ omnia serosis, acribusque humiditatibus cerebrum repleverunt, naturam spirituum distemperarunt, in cerebro fixam sedem locarunt, ductus assuetos quæsiverunt, & ad gingivam prædictam, ceu ad sentinam, viam inflexerunt. Hinc fit, quod hic affectus per remedia probatissima non tam mitigetur, quam augeatur: quia natura humorum, à quibus dolor excitatur, non probè cognoscitur, nec morbifica causa tollitur, imò gingiva dolorifica nullum præbet vestigium tumoris, nec inflammationis, neque apparet fistula, & quando parumper remittit dolor, locus affectus violenter potest tangi sine sensu omni. Hæc cura, cum in angusto sit posita, & spes admodum anceps, ad te tanquam ad Practicum diuturnâ famâ notissimum confugio, ut quid consilii, quidve remedii adhuc supersit, edocear. Chirurgica ferè omnia tentavi, excepto cauterio actuali in gingiva, ubi fons doloris sentitur, quod prima occasione peculiari instrumento adhoc negotium apto applicabo, si te σύμψηφον habuero.

Hîc incidenter intactum relinquere non possum dubiũ de dentium sensu, & statuo cum *Gal. 16. de us. part. c. 2* *Dentes sentire.* dentibus ab industria naturæ sensum tributum esse: quia & propter nuditatem, & propter officium multis externorum objectorum injuriis expositos eos oportebat, ne ab iis læderentur prius, quam noxam sentirent: Sed & *5. de Composs. medicam. s. loc. cap. 8.* suâ experientia testatur, ipsum dentis corpus dolore inflammatorio infestari. Cujus testimonio accedit, quod ex se, si dentes stylo pungantur, aut spiritu vitrioli acerrimo perfundantur, doleant: Item, quod Medici peculiarem doloris speciem, quam hæmodiam vocant, dentibus assignent ex stipticarum & ponticitate sua adstringentium rerum esu contractam; Imò à vomitu acido per aliquot dies panis non probè potest masticari. An inter dolorem nervi & dentis *An dolor sit nervi vel dentis?* accuratè distinguere valemus? ratio sensus judicium explicat: quoniam nunquam implantatur nervus in partem, ut ipse sentiat, sed ut sentiendi vim parti communicet: nec durities dentium sensu privare partes potest prorsus, ut putat *Laurentius l. 5. q. 3.* obscurat quidem & hebetat, sicuti in venis & arteriis demonstrat *Gal. 2. de loc. affect. 16. de us. part. c. 2.* sed non prorsus tollit. Unde fit, ut exterior dentium cortex, cum sit durior minus sentiat, quam interior medulla, proinde radi, scalpi & frangi in superficie potest, non quidem sine omni sensu, sed sine manifesto dolore: quoniam partes obtusi sensus etiam à gravissimâ causâ vix patiuntur, sicuti patet in hepatis & cerebri inflammationibus. Nec refert quod dentes sint ossa, & ossa per se non sentiant: sunt enim, *teste Scaligero*, dentes ossa suæ speciei. Hæc festinatiori Calamo cum T. Excellent. communicanda duxi. Commendo nos tutelæ Dei ter Opt. Max. Dabantur Kalendis Augusti Ratisbonæ, Anno

qVo DeVs aVgVstVs paCeM nostræ afferet VrbI.

Viro Clariss. & Excellentiss. Dn. D. Ioh. Freitagio, Philosopho & Med. Reipubl. Ratisbonensis,

Gregorius Horstius, D.

S. Literas tuas, diuturnam odontalgiam concernentes, rectè mihi traditas fuisse, scias, Vir Clariss. amice pl. colende, quibus lectis, primo quidem per tot annos contumacissimi doloris causam, non tantum in parte mittente, sed etiam in ipso loco dolorifico, quærendam opinabar, præsertim cum *Galen. 7. Aphor. 54. in Com. ex mente Hippocrat.* per ossium cavitates abscessus etiam fieri statuat, qualis affectus Græcis Ἰερηδὼν dicitur, per putridam corruptionem ossium quasi terebratio, seu putrilago, juxta *Avicennam*, quam humores acuti, os penetrantes & ipsum corrodentes, doloresque dolori juncturarum similes, producentes, gignunt. Hujus putrilaginis ichores (inquit *Langius lib. 1. Epist. 42.*) in ossium cavernis coacervati, confertim intra ossium panniculos si irruperint, vel etiam aliunde, ut à cerebro, defluxerint illorum viscositatis pars grossior intra ossium membranas in tubera & gypseos quasi tophos concrescet: altera verò subtilior suâ acrimoniâ ossa & panniculos arrodet & distendet, quorum panniculorum ratione ossa dolere, ac veluti terebra perforari videntur, quasi scilicet in ossibus ipsis essent affligentes dolores. Verum cum

dolor iste diuturnus sit periodicus, & non continuò, sed per intervalla tantum affligat, præcedente cephalalgia, nec etiam fistula, vel tumoris aut inflammationis vestigium aliquod deprehendatur, nisi quod ptyelismo copioso dolor solvatur, non video quid spei superesse possit in applicando cauterio, loco affecto gingivarum impresso, cum fluxiones potius ab eo loco revellendæ, quo aliàs ob imbecillitatem partis recipientis promptè colliguntur, nisi certis indiciis maxillæ caries deprehendatur.

Potius igitur (Salvo tamen judicio tuo) ad causam antecedentem Universali cura respiciendum esse putarem, quæ fieri poterit Decocto Ligni cum Sarsâ, per menstruum spacium usurpato, maximè eò respiciendo, quò frequentibus evacuationibus, alternis diebus, unâ cum sudore, continuatis, copia serosorum acrium humorum educatur, idque commodùm etiam Mercurialibus ritè præparatis fieret, eò usque, ut salivatio etiam simul sequeretur, utpote cum juxta divinum nostrum senem eò ducenda sit materia, quò sua sponte vergit. Portò, quæ de sensu dentium proponis, non improbo, præsertim cum non videam rationes sufficientes aliorum, cur ab ea assertione, quam ante multos annos in juventute meâ docui, quemadmodum videre licet *in lib. 1. de Natur. Hum. Exercit. 4. §. 30. & quæst. 5.* discedam. Plura non addo, sed te cum tuis Divinæ protectioni commendo. Clariss. Viros Dn. D. Persium & Dn. D. Paulum Claus, amicos meos veteres, officiosè saluta: illi data primâ occasione de termino partus humani scribam plurib. cui negotio per transmissum Casum singularem ansam præbuit.

Bènè Vale & Generosiss. mihi notos demissè saluta. Iterum vale ἐπὶ μήκιστον. Dabam τάχιστα 12. August. 1631.

OBSERVATIO XXXIV.

Nyctalopia Singularis.

Vir Clariss. & Excellentiss. Dn. Philip. Hochstetterus, D. Physicus Augustanus.

Gregor. Horstio, D.

S. Præmissis P. His mensibus morbum observavi, pluribus, maximè rusticis, communem, dignum hoc tempore, ut videndi usum amittant circa vesperam, manè recipiant. Licet in die media de veteri supellectile salvis oculis, cernant nihil; mallent fortasse milites non videre. Nyctalopia est; curavi eam olim in quodam textore cacochymico, cujus historiam, meæ tertiæ parti observationum inserui, quam Deo sit laus hoc vere in mediis turbis nostris absolvi. Hoc enim labore fugare tædia hujus temporis toto hoc triennio tentavi, ut priores annos collectione Pædonosoriæ jucundiores mihi reddidi. Ea enim Leonelli & Kufneri scripta scholiis ita auxi, ut in eis non saltim quid reliqui de morbis puerorum scripserint, sed quid in praxei Augustanorum commune sit, & qualia medicamenta simplicia, dispensatorii composita, & singulis consueta sint, tractarim; qui labor & manum ultimam & felicius tempus expectat. Sed ad Nyctalopos; plebs misera totum illud rejicit in absentiam Butyri, **Sie essen ohngeschmaltzen**: hoc est Sapientia Suevica. Bavari in panes illos aphaceos & loliaceos: lolium scio caliginem oculis dare; aphaceos panes laudat in fame Struppius, quia hoc semen excoriatum pulchram & sapidam farinam faciat: ex bona igitur materia, bonum quid coqui. Nescio quomodo, male, aut non butyrata visum obscurent; at vox populi est, quæ vulgo Dei dicitur; **übel geschmaltzen macht blind.** In Observationibus meis talem causam Nyctolapiæ assignavi, umbram seu opacum corpus quoddam arcere à medio interno visionis illuminationem, ut splendor solis ab externo tali corpore: & hoc esse vel vaporem, vel humorem. An igitur non butyrata, herbacea & radices, quales cibi nunc frequentes, cum furfuribus, sua natura tales generent, aut quia butyro careant, nondum novi. Scio apud nostros rurales summam penuriam panis & butyti: vidi nescio quid panis nigri, & nullius consistentiæ, ex quo peccantes humores plurimi, diarrhææ, Scelotyrbe, &c. vidi etiam panem ex furfure & lini vesiculis, **Leinpollen** dictis, unde flavedo in facie. Viduati nostri pagi hominibus, frigent, nec familiæ pauperis nutrices vaccæ sunt, butyrum non pinguedine beat cocta, nec reficit æstu emaciatos villicos. Qui ad nos venientes vix panem inveniunt, & satures, quia instar Lemurum incedunt, domum repetere nequeunt, sed vespillonibus in rapinam veniunt, unde sæpè major est numerus humatorum, quam receptarum schedulæ in pharmacopoliis per septimanam, &c. Vale, & vive, cum redeuntibus Mercurialibus nostris rescribe. Dabam Augustæ, Vindelicorum, 12. Julii, Anno 1634.

Viro Clariss. & Excellentiss. Dn. Philippo Hochstettero, Philos. & Medico Augustano,

Gregor. Horstius, D.

S. Miraris procul dubio, Vir Nobilis & Excellentissime, fautor & amice pl. colende, quod ad tuas serius respondeam: in causa fuit partim absentia mea per septimanas aliquot ad Thermas Bollenses tunc temporis, ubi tuæ mittebantur; partim etiam, quod periculosum hisce temporibus de statu publico quicquam in amici sinum effundere, quam ob causam breviter tantum hisce me excusare volui, qui tacens etiam tuus esse cupio, quam diu spiritus hos reget artus. Casus, quos proposuisti Medicos, lubens legi, præsertim ubi inter alla recenses etiam symptoma νυκτ̃αλωπίας, eorum scilicet, qui non vident, nisi diuturnâ luce juventur, ob spirituum, dubio procul, obscuritatem. Vulgus, ais, in Butyri defectum idipsum refert: facilè credo, quando simul etiam esculenta naturæ humanæ minus convenientia, propter penuriam rerum omnium, considerantur: aliàs solius Butyri defectus qui potest esse causa sufficiens, cum tot vivant animalia perfecta, nobiscum usu videndi gaudentia, quibus nunquam esculenta pinguia præbentur? an fortè hîc etiam aliquid non butyraceorum ciborum evaporatio major præstare poterit, qua copiosiores cruditates capiti communicantur? ut enim in culina, quod coquis notum est,

est, ebullitio fervoris in coctione piscium & similium mox sistitur, nec bullas amplius agit, ubi butyrum vel pinguedo rei coquendæ miscetur, quacunque violentiâ Vulcanum posthac urgeas: ita similiter fieri potest in alimentorum chylosi, dum ea, quæ butyro vel pinguedine condiuntur intrinsecè magis alterantur, qua ratione Saxones brassicam difficilis aliàs coctionis, non sine lardo coctam exhibent. Hac ratione pinguia quibusdam ebrietati resistere dicuntur. Sed integrum casum à te solidè enucleatum, ut & reliqua, quæ promittis, inprimis de puerorum morbis tractatum utilissimum avidè expecto. DEUS ter. opt. max. clementer tandem gratia sua nobis adsit, & pacem toties exoptatam largiatur. Hisce benè Vale. Ulmæ 3. Octob. Anno 1634.

Consilium,

Pro Nobili quodam Nyctalopiâ laborante, conscriptum

à

Clariss. & Excellentiss. Viro Dn. Iohan. Wolfgango Rabus, Med. D. & Reipubl. Vlmensis. olim Physico p. m.

Latinitati donatum ab Autore, Genero suo.

S. Quoad imbecillitatem visus, quâ laborat Nobilissimus Dn. Patiens, notandum, quod Medicis affectio hæc Nyctalopia dicatur, vel Nocturna cæcitudo, cujus origo fit à phlegmaticis crassis vaporibus & humoribus capitis, qui postmodum internos humores oculorum, inprimisque nervos visivos replent, & cum tempore guttam serenam (den schwartzen Stahr) causare possunt. Ne igitur dexterius expectandum, & ut ad minimum in hoc præsenti statu visus conservari possit, sequentia remedia diligenter usurpanda venient. Primò singulis mensibus pilulæ num. 1. de novo præparentur, & tribus vel quatuor diebus ante novilunium, duabus horis ante cænam sumantur, cum cochl. ij. mellis rosati, cænâ subsequenti moderatâ. Secundo diebus alternis, vel tertiâ quaque die pondere ʒj. sumatur pulvis, vel Tragea, num. ij. manè jejuno stomacho, nec non quoque vesperi, mox ante somnum, cum pane tosto, vino humectato. Tertio loco caput singulis mensibus, tertiâ die post usurpatas pilulas, lavetur lixivio, cui incoquantur herbæ num. 3. sequente exiccatione linteis calidis, fumo pulveris num. 4. perfumatis. In victus ratione & aliis sex rebus non naturalibus dictis temperate, seu more illorum vivat, qui præservationis gratiâ venæsectione admiserunt, non omissis consuetis evacuationibus, verno atque autumnali tempore. Deus benedictione sua non desit.

℞. *Mas. pil. de Agarico* ℈j.
Lucis
Assaireth ana ℈s.
Formentur cum aq. Fæniculi Pill. exigua. S. Pill. num. j.

℞. *Iecoris caprini s. ar. præparati & pulv.* ℥ß.
Fol. & Flor. Euphragiæ ʒij.
Rosmarini, Majoranæ ana ℈ij.
Macis, Cubebar. Caryophyll. ana ʒj.
Cinamomi acutiss. ʒij.
Coriand. prap. ʒj.
Ligni Aloes
Sp. Dianthos ana ℥ß.
Manus chr. perl. ℥iiis.
F. Omnium pulvis. S. pulvis vel Tragea num. ij.

℞. *Fol. Beton. cum. summ.*
Majoranæ, Rosmarini, Ros. rub. ana Mß.
Fl. Chamameli
Spica celtica ana Mjs.
Agarici crudi el.
Fol. Sena el. ana ℥ß.
Concisa crasso modo ad chartam.
S. Herba ad lixivium num. iij.

℞. *Succini al.*
Syracis cal. Mastich. ana ℥ß.
Ligni Aloës opt. rasi ℥j.
Santali citrini ʒij.
F. pulvis crassiusculus pro fumo. num. 4

Consilium ejusdem in gutta Serena,

Pro Nobili quodam Wirtembergico.

S. Satis superque Nobiliss. & strenuus Vir ex hodierno meo discursu causam imbecillitatis visivæ cognovit, quam paucis memoriæ causâ repeto. Cum enim oculus uterque exterius omninò purus esse videatur, ita ut neque in pupillâ, nec in vicinis tunicis & humoribus quicquam præter naturam deprehendatur, quod pelluciditatem tunicarum & humorum obscurare queat, necessario sequitur, affectionem originem suam non in ipso visionis instrumento, nimirum in oculo, vel ejus humoribus ac tunicis habere, sed interius causam esse quærendam, in ipsis scilicet nervis opticis, quibus tanquam cannalibus visiva vis à cerebro ipsis oculis communicatur, mediantibus spiritibus visoriis. Verisimile igitur in ipsis nervis opticis obstructionem incipientem à vaporibus crassis & nebulosis colligi, juvante simul ætate ingravescente, cum aliis circumstantiis, digestionem impedientibus. Incipientem dico obstructionum, quæ si totalis esset, visum penitùs tolleret, qui tamen obscurus adhuc adest, propterea quod impuritate vaporum spiritus visivi tenebris quasi inficiantur. Quo modo verò debilitas hæc sit corrigenda, deliberandum restat, ubi eò respiciendum esse judico, qua ratione caliginosi vapores & indigesti ac crudi humores ex toto, potissimumque ex capite possint evacuari, quod fiat non ἀθρόως, sed pedetentim: dein nova collectio talium præcaveatur, ac tandem caput, cerebrum & ipsa quoque visionis organa corroborentur. Has intentiones DEI benedictione Dn. Patiens obtinebit subsequentibus remediis diligenter adhibitis, si non ex toto, tamen ex parte,

nimirum, ut visus in præsenti statu conservetur. Ante omnia igitur, quantum fieri potest, regimen conveniens in cibo, potu, corporis & animi motu, repletione & inanitione, aliisque similibus observetur, de quibus omnibus in specie suo tempore tractabitur, præsertim cum certior factus sim, quod Dn. Patiens habeat librum de morbis oculorum Georgii Bartschii, in quo pag. 251. copiosè de his omnibus tractatur. Inprimis hic opus est, cum lux intensior & aëris externi excessus maximè noceant, ut domi & foris; præsertim in peregrinando, perspicillis utatur, cum ligamento accommodato, capite simul etiam ab externis injuriis bene munito. Quoad medicamenta, præter anniversariam purgationem veris & autumni, sicut etiam consuetas scarificationes singulis mensibus reiterandas, primâ quaque occasione, si fieri potest, 25. hujus, pilulæ num. A. pro evacuatione appropriatâ sumantur. De reliquis autem pilulis num. B. singulis mensibus ante novilunium, juxta pondus additum, duabus horis ante cænam, ad paulatinam evacuationem peccantium humorum usurpet, idque per hyemem continuet. Quod tertio loco corroborantia concernit, ordinavi conditum capitale, num. c. de quo manè, stomacho vacuo, & vesperi ante somnum, quantitas nucis juglandis usurpetur: Item pulverem D. in forma Tragematis, cujus usus sit duabus horis ante cænam, cum pane tosto vino inebriato. Tandem hac intentione pulverem salis Medicinalis num. E. loco salis communis in mensa condimenti loco cum cibis usurpet. Insuper conveniens etiam esset vinum Medicatum, quod fiat infusione Rosmarini; cui dimidia pars Herbæ Euphrasiæ cum florib. addatur, de quo primus haustus fiat in prandio & cæna, singulari experimento plurimum conveniens, &c. Dabatur Ulmæ, Mense Octob. M D XCVII.

Formulæ Remediorum.

℞. *Mas. pil. de Agarico, Aurearum*
Sine quibus ana ℈j.
Lucis min. ℈ß.
Ol. Fœniculi destil. gut. iiij.
F. Pil. parvæ, deaurentur. S. Pillen. *A.*
℞. *Mas. pil. de Hiera. cum Agar.*
Assaireth, Aleophang.
Mastichin. ana ʒj.
Nucis mosch.
Sem. Fœniculi ana ℈ß.
Cum succo fœniculi formentur pil. exiguæ, deaurentur. dentur cum plumbo pom. ℈ij. *S.* Hauptpillen *B.*
℞. *Cons. Euphragiæ, Lavendul. Rosmarini,*
Majoranæ, Rosar.
Betonicæ ana ℥j.
Nucis mosch. cond. ʒvj.
Nucis Lusitan. major. cond. ℥j.
Macis
Cardamomi, Cubebar. Caryophyll. ana ʒj.
Extr. Valerianæ veræ
Angelicæ ana ʒß.
Ambræ gryseæ ℈s.
Cum brodio conservat. nucis Mosch. F. conditum, S. conditum capitale C.
R. Summ. Euphragiæ ℥ij.
Rosmarini ʒj.
Sp. Diambræ
Dianthos
Pleres archontici ana ℈jß.
Nucis mosch. Macis, Siler. montan.
Caryophyll. ana ℈j.
Sem. Anisi ʒij.
Fœniculi ʒß.
Cinam. acutiss. ʒij.
Rad. Valerianæ veræ ʒj.
Confect. Manus perl. cum Ol. Fœniculi ad duplum: F. pulvis, S. Trisenet zu Stärckung deß Gesichts. D.
℞. *Nucis mosch. Macis Cinam.*
Cardamomi ana ℈j.
Sum. Euphrasiæ ℥ij.
Salis comm. opt. ℥ij.
M. S. Saltzpulver. *E.*

OBSERVATIO XXXV.

De absentia doloris in depositione Cataractæ & aliis.

Vir Clariss. & Experientiss. Dn. Guilielmus Fabricius Hildanus.

Gregorio Horstio, D.

S. Pro complemento ad observationes tuas Vir Nobilissime, Amplissimeque, & inprimis quod in ipso tàm honorificè mei mentionem facis, gratias, quas possum, ago maximas, inde humanitatem, & in me benevolentiam tuam agnosco. Utinam & ego vicissim T. Excell. aliqua in re gratificare possem, non deessem profectò officio meo. Librum tertium Epistolarum Medicinalium, cum centuria Problematum in lucem te daturum promittis. Faxit Deus opt. max. ut brevi id facere, artemque Medicam multis adhuc præclaris tuis scriptis illustrare possis.

Præteritis diebus, cum centuriam meam sextam in ordinem redigerem, & ad prælum adornarem, in Epistolam olim ad Clarissimum Virum, Dn. Casparum Bauhinum, communem nostrum amicum, à me scriptam incidi, in qua quæstionem ipsi proposui: videlicet quomodo in depositione Cataractæ, tunicæ oculi sine dolore perforari possint, ab ipso perquæsivi, sed responsum nullum ab ipso extorquere potui. Ardua & difficilis profectò est quæstio. Quomodo enim tunicæ oculi exquisitissimo sensu præditæ, sine dolore acu perforari possint, captum ingenii mei, ut verum fatear, superat: Tibi, si vacat, mentem Tuam tribus saltem verbis, hâc de re, scribe quæso. Ego causas naturales non invenio, sed plane divinum opus esse existimo, ut ex literis, quas ad Dn. D. Bauhinum scripsi, quarum apographum mitto, videre poteris.

Dubitatio.

Mirū quod dolor absit in dem Staarstechen.

Hisce

Observatio de fragmẽto vitri diu latitante.

Hisce diebus simile quid mihi videre contigit, Patricius & Senator hujus urbis, Dn. Nicolaus Kilchbergerus, in consilium me adhibuit. Laborabat ille tuberculo duro, & ut videbatur, scirrhoso, in metacarpio dextro ad indicis digiti radicem, quod magnitudinem fabæ nonnihil excedebat. De causa hujus mali, quum diligenter expiscarer, retulit, se ante sesquiannum inter pocula, quum assecIæ suo vitrum tenenti, colaphum infligeret, vitrum fregisse, & in ipso ictu vulnusculum recepisse, ex quo cum sanguinem copiosè promanare videret, ver quinetiam instaret, & venæsectione se quoque opus habere crederet, manum in aquam calidam immersisse, & ad uncias aliquot sanguinis, non aliter ac si vena phlebotomo pertusa fuisset, effluisse asseverabat. Deinde gossipio imposito vulneri, & fasciâ obligato, de ipso amplius sollicitum non fuisse, & triduo post vulnus planè consolidatum referebat, remanente tamen tuberculo duro, sed sine dolore, nisi id comprimeret, aut contra corpus aliquod durum allideret. Ex his nihil aliud colligere potui, quam simplicem esse scirrhum, qui ex materia aliqua viscida, post curatum vulnus non satis suppuratum, concreverit. Emplastrum itaque de cicuta (quod præstantissimum esse in tumoribus duris & scirrhosis multoties expertus sum) applico. Quid fit? post dies aliquot, quum exortus fuisset primò pruritus, deinde dolor pungitivus circa tuberculum, iterum ad me venit, decima hujus mensis, tum cutem exulceratam, & cuspidem vitri aliquantum prominentem reperio. Volsella vitrum sine difficultate extraho, magnitudine unguis minimi digiti, formâ triangulari: mundificato ulcere, intra paucos dies consolidatio facta fuit. Porrò, Vir Amplissime, quomodo frustum hocce vitri acutissimum, in parte nervosa & exquisitissimo sensu prædita, tam diu sine dolore, ac ullo ferè incommodo latitare potuerit, admiratione, profectò, non vacat. Plumbeos quidem globos per multos annos in corpore sine incommodo ac dolore permanere, indies videmus. Globulum plumbeum post annos triginta in vesica calculosa materia obductum fuisse, ex relatione Viri Clarifs. Dn. D. Pauli Offredi p. m. habeo, uti observ. 67. cent. 3. videre poteris.

Usus emplastri de cicuta.

Dubitatio.

Plumbi globuli diu in corpore detenti.

Plumbum in corpore retentum, putredini non esse obnoxium & facilè in membris consolidari posse *Bartholomaus Magius, de vulner. Sclopetorum* dissertè testatur. Detentum siquidem (addit) in corpore plumbum per triginta annos vidimus, quod ægrum nullo modo afficiebat dolore; quamvis singulis diebus locum mutaret, quia ita sensim locum deserebat, ut ne perciperetur quidem: tandem ad partem aliquam descendebat, in qua inflammationem & abscessum excitabat, qui si secabatur, facilimè plumbum educebatur. Hæc Magius.

Ego Generosum quendam Freibergensem hic in vicinia cognosco, qui plus quam quadraginta annos globulum plumbeum, sine magno incommodo, in talo gestavit. Ex quibus manifestum fit, verissima esse ea, quæ *Alphonsus Ferreus libro de sclopetor. vulner. c. 5. ex Averroe* probat, videlicet plumbum cum carne nostra similitudinem habere. Poterit tamen, *addit Ferreus*, id potius ex occulta aliqua causa, quàm manifesta fieri. Ferrum verò, lignum, fragmenta ossium, spinæ piscium, & hujusmodi extranea, in corpore sine magnis accidentibus diu permanere nequeunt, de quibus vide Observ. 33. & 62. cent. 1.

Cur plumbum diu absq; noxa gestetur in corpore.

Observatio.

Genevensis quidam, Stephanus Junenonius nomine, cum Anno 1602. Duodecima Decembris, viriliter ac strenuè pro Patria sua pugnando, ictu sclopeti ad humerum dextrum vulneratus fuisset, & globulus circa scapulam sinistram excisus esset, vulnus autem in sordidum ac fætidum ulcus abivisset, nec à Chirurgus curari potuisset, post annum ferè ab accepto vulnere, venit ad me Paterniacum, ubi dilatato ulcere sinuoso, & cuniculoso, præter ossium fragmenta, turundas duas ex spongia præparata factas, & ante menses aliquot propter incuriam Chirurgi derelictas & deperditas, in cavitate quadam ulceris inveni; quibus extractis plenissimè convaluit, & per multos annos supervixit, sine depravatione actionis brachii, etiamsi pars aliqua superioris processus scapulæ, quem rostrum porcinum appellamus, exempta fuisset.

Vides Clarifs. Dn. D. naturam ne quidem spongiam sufferre potuisse, etiamsi serico sit mollior. Sed respondes, spongiam pure imbutam, putredinem auxisse, vitrum verò, quia corpus siccissimum, putredini obnoxium non esse: quod etiam verum tecum & ego fateor. Interim tamen, quomodo fragmentum hocce vitri, tribus apicibus acutissimis donatum, dolores ingentes, aliaque pessima symptomata non excitaverit nondum video: scimus enim Præclarissimum virum *Dn. Adrianum Spiegelium* ex punctura vitri extinctum fuisse.

Similis ferè casus Anno 1625. hîc accidit: Patricius quidam Johannes Jacobus Gruner, cum inter pocula irâ excandesceret, & vola manus vitrum perfrangeret, fragmenta nonnulla minutissima hinc inde in carne remanserunt, quæ quum à Chirurgo neglecta, nec extracta essent, & labia vulnusculorum coaluissent; exorto prius dolore intensissimo, inflammatio quoque & lipothymiæ supervenerunt, Ego 19. Novemb. 1625. cum accersitus essem, brachium ad humerum usque, præsertim manum, mirum in modum tumefactam reperi, eadem nocte manum Ol. rosaceo inunxi, postea sequens cataplasma calidè applicavi. ℞. Farin. Fabar. Hordei, Lupin. ana ℥j. pulv. Radic. Altheæ, pulv. flor. Chamomill. Melilot. Rosar. & Bethonic. ana ʒij. croci ℈j. coquantur cum lacte recenter emulcto ad formam cataplasmatis, addendo sub finem butyri recentis ℥j. Vitellos ovorum Num. 2. Post cænam per duas horas sequentem potiunculam exhibui: ℞. Mæconii ℈j. confectionis Alkerm. ℈ß Syr. de pomis, aquæ Cinamomi sine vino destillatæ ana ℥ij. Aq. Buglofs. q. s. fiat potio. Eadem nocte mediocriter quievit & vires aliquantum recollegit: quapropter sequenti die corpus clementer expurgavi, & triduo post, venam in altero brachio incidi. Vulnuscula turundis, primo minutissimis, & Ungr. digestivo inunctis, deinde crassiusculis dilatavi, & imposito mundificativo ex Mercurio præcipitato mundificavi, & fragmenta quædam vitri extraxi.

O 3 Curatio

Curatio quidem difficilis fuit, ad optatum tamen finem pervenit, & etiam nunc vivit æger ille. His vale Vir Nobilissime, Amplissimeque, & cum tuis omnibus, quos tecum Saluto, æternùm quam felicissimè vive. Saluta quæso meo nomine Medicos vestros, item Dn. Merckium & Dn. Baulerum, cujus responsum ad postremas meas exspecto. Raptim Bernæ 28. Julij. 1631.

Emplastrum de cicutâ sub hâc descriptione 28. April. 1634. Communicabat prædictus

DN. FABRICIUS.

℞. Gum. Ammoniac, puriss. & aliquantulum contusi q. v. projice in vas vitreum aut vitreatum, & adde succi cicutæ & aceti scyllitici ana part. æquales, Maneant in infusione dies 6. vel 8. Interim accipe cicutæ succosæ & minutim concisæ M. ij. Ol. Amygdal. dulc. ℥iij. coque lentissimo igne ad consumptionem humiditatis ferè, percolato & fortiter expresso oleo adde ceræ novæ ℥ij.

His peractis coque Ammoniacum infusum, donec dissolutum sit: Coletur, iterumque coquatur lentiss. igne ad spissitudinem tandem oleum prædictum & ceram ad misce, & semper agita, donec frigescat, f. Empl. servetur in vase vitreo benè clauso.

OBSERVATIO XXXVI.

De singulari DEI providentia in depositione Cataractæ.

Viro Amplissimo, Clarissimoque Dn. D. Caspar Bauhino, Anatomico, & Botanico longè celeberrimo, Basiliensi Archiatro meritissimo, ejusdemque Academiæ Medicinæ Professori primario, & Illustrissimi Ducis Wirtembergici, &c. Medico felicissimo.

Guilhelm. Fab. Hildanus.
S. P. D.

ITa est, ut scribis, Vir Amplissime atque Doctissime, tuoque judicio libenter suscribo, nimirum loco Candelarum decocto aliquo convenienti ex radicibus & herbis consolidantibus, & abstergentibus utendum esse, cui tutiam, plumbum ustum, cornu cervi, cerussam, & lapidem calaminarem, ac nonnihil mucilaginis seminis Cydoniorum, ut decoctum spissitudinem aliquam acquirat, nec facilè diffluat, admiscerem. Si proximè futuro mercatu nostro huc venerit æger, cum ipso hac de re agam uberius. De planta, quam ante mensem ad te misi, judicium tuum nondum accepi, exspecto illud avidè. Versor nunc in quarta centuria observationum eamque pro prælo describo. Occurrit in ea in quâdam observatione, videlicet 16. de Cataractis, difficultas, cujus causas naturales nondum invenire potui, etiamsi aliquando toto animo eas perquirerem. Tibi vero Anatomicorum hujus sæculi (loquor sine adulatione,) Principi, facilè erit, nodum hunc nobis solvere. Quæstio autem hæc est, nimirum quomodo in depositione Cataractæ non solum adnata, verum etiam cornea & uvea absque ullo dolore acu perforari possit? Scimus enim adnatam à pericranio, corneam à dura, & uveam à pia matre, membranis exquisitissimo sensu præditis, proficisci, videmus præterea, si vel minima festuca, aut minutissimum granum pulveris oculis illapsum fuerit, statim vehementissimos oriri dolores. At in depositione Cataractæ, ut ego aliquoties expertus sum, etiam in ipsa perforatione membranarum, dolor tàm exiguus est, ut æger vix de eo conqueratur.

Dubitatio, cur sine dolore membranæ oculorum perforentur.

Ex quibus Summa DEI providentia atque misericordia erga nos miseros homines illucescit. Si enim in hâc operatione sensus ille, ac dolor exquisitissimus, qui punctis membranis sequi solet, adesset, nullum virum tàm cordatum ac magnanimum, qui hujusmodi dolores sine capitis, corporisque commotione sufferret, reperiri posse existimo: ac proinde aquam è pumice postularet is, qui in hâc operatione quicquam tentare vellet.

Ad hæc, si Amplissimus Vir mentem suam aperire nobis voluerit, gratissimum mihi fecerit, multum quoque sibi devinciet studiosos artis Medicæ; neminem enim, qui quæstionem hanc enucleaverit, me legere memini. His vale Vir Amplissime, & æternum quam felicissimè vive. Bernæ, 31. Martii, 1618.

Viro Experientissimo Guilielmo Fabricio Hildano,

Gregorius Horstius, D.

S. Pro transmisso chartaceo munusculo non est, quod gratias agas, Venerande Senex, Vir Clarissime, Excellentissime, Amice pl. colende: boni consule potius affectum amoris erga te mei, qui constanter durabit, quamdiu spiritus hos reget artus.

Epistolium ad Clarissimum Dn. Bauhinum p. m. communem nostrum, dum viveret amicum, lubenter legi, nihilque magis in votis mihi fuisset, quàm magni istius Anatomici judicium de quæstione propositâ videre. Ego, ut verum tecum quoque fatear, me nullibi penes autores hanc dubitationem observasse memini, multò minus ejusdem resolutionis recordor, quanquam ipsa operatio diligenter à veteribus & recentioribus, eo modo, quo ab Empiricis exerceri solet, describatur, ut videre licet apud *Paraeum lib. 16. cap. 22. & Durantem Scacchum lib. 1. subsid. Chirurg. cap. 9. usq. ad caput 16.* non obstante, quod celebris *Hieronymus Fabricius, ab Aquapendente, par. 1. cap. 16. de operat. Chirur.* rarius Empiricis ocularijs ad votum hanc Chirurgiam succedere statuat, cùm non immerito *Celsus* curationem hanc inter subtilissimas, quasi dicat, ingeniosissimas & difficilimas reponat, quam tamen difficultatem non parum inventum tuum, cum accommodata sella & brachii fulcro, *lib. Observ. cent. 4. Observ. 16. adjuvat.*

Verum est, quod dicis partes oculi, quæ perforantur exquisito sensu præditas esse, quam ob causam non absque causâ quæris, cur dolor non admodum hîc in ipsa operatione

Responsio ad præcedentem dubitationẽ.

operatione patientes affligat, qui tamen vulneratis membranosis hisce partibus vehementissimus esse soleat, quod una atque altera observatione *Glandorpius in Speculo suo Chirurgico erudito* confirmat, quotidiana experientia attestante. Nosti naturam doloris in meis me Problematibus θεραπευτικοῖς Dec. 3. q. 9. potius in soluta unitate, quàm unitatis solutione quærere, qua ratione sæpius vulnus inflictum non observatur, donec iracundiæ fervore sopito tandem animadvertatur. Quid si modo simili, mens terrore & consternatione concussa, protinus in ipsa operatione depositionis Cataractæ dolorem non sentiat, quemadmodum cauteriis actualibus, instrumento subito impressis, parum doloris causatur? quid si ἀναισθησίαν hanc ipsa partis laborantis intemperies cum materiâ juvaret, cum Cataracta diuturnitate temporis ex vaporosa humiditate in oculum demandatâ, partisque recipientis frigiditate condensata generetur, qua ratione sicut in aliis partibus, ita etiam hîc sensus obtusior fieri potest? hinc ergo puncturâ factâ, quæ in momento continuum solvit, tantus dolor non adest, qui tamen sæpius succedere solet, datis inflammationibus supervenientibus, ubi calor p. n. sensum partis laborantis excitat, qua de causa Chirurgi ocularii, dum hanc operationem perficiunt, extemplo talia remedia applicant, quæ inflammationem & dolorem arcent, quo fine sanum oculum ita disponunt, cum utriusque sit idem motus, ut una cum ægro quoque quietus retineatur. Non tamen nego, quod piè statuis, hic etiam singularem DEI providentiam concurrere, qui fidelis est, & ultra vires nos affligi non permittit.

Quomodo vitri fragmenta sine dolore latuerint.

Quod alterum casum attinet Patritii vestri, cui particula vitri confracti per tempus aliquod in metacarpio ad radicem indicis sub cute latuit absque dolore, nisi compressio vel allisio durioris objecti occasionem præbuisset, verisimile videtur, vitream istam particulam undique mucilaginoso succo, quem aliàs è massa sanguinea sibi familiarem partes istæ tendinosæ circa digitos pro sui nutritione trahunt, obductam fuisse, quæ materia putredine saniosa reddita causam abscessui præbuit, in quo diu sine doloris sensu pars hæc vitrea latere potuit, donec compressione factâ sensiles partes vellicaret.

Observatio.

Cæterum notabilis est historia, quam in cent. 3. observat. ex relatione Clariss. Offredi legi, de globulo plumbeo per tot annos in vesica latitante. Mirum quidem non est, ejusmodi globulos plumbeos, diu absque noxa corporibus intrusos circumgestari, quod Experientia testatur, ubi tamen sæpius etiam observamus, abscessu facto separationi & egressui eosdem ansam præbere, quod Anno 1612. in nobili quodam Studioso Giessæ notavi, qui tempore nocturno læsus, ejusmodi bombarda manuali circa musculum pectoralem vulnerabatur, globulo extra pectoris cavitatem sub deltoide in brachium sinistrum introeunte, qua in parte post septimanas aliquot, abscessu facto, præter spem nostram plumbeus globulus sese offerebat. Sed admiratione non caret in vesica, cujus vulnera Hippoc. lib. 6. Aph. 15. lethalia pronunciat, globum plumbeum tam diu latitare potuisse: *Vesalius* testatur, vesicæ vulnera curatu facilima esse, referente *Vischero in com. ad Aphoris.* citatum, si fiant in parte anteriori versus collum, eò quod parte anteriori sit obducta peritonæo, vel ut *Fallopius* censet, quod tunica vesicæ interior carnosior existat, adeoque coalescere possit. Huc igitur etiam pertinet historia cujusdam, quam habet *Kentmannus l. de calculis*, qui globo æneo per vesicam trajectus sanitati restitutus fuit. Verisimile igitur videtur, læsionem hanc etiam circa partem hanc carnosam fuisse factam, ubi natura postea citius solutam unitatem consolidare potuit.

Vulnera vesicæ quæ sint curabilia.

De plumbo sine noxa in corpore subsistente.

An autem singulari quadam occulta familiaritate plumbum, præ cæteris metallis, tam diu corpori humano inesse possit absque noxa, quod placet *Alphonso Ferrio cit. lib. 3. cap. 5. & Paræo lib. 10. Chirurg. cap. 10.* dubitari potest, præsertim cum idem *Paræus lib. 26. cap. 3.* eidem plumbo malignam qualitatem naturæ nostræ inimicam inesse pronunciet, dum plumbea destillatoria vasa improbat. Imò si verum est, quod *Amatus Lusitanus cent. 2. cur. 69.* refert, de puero octennali, qui devoratum æneum numisma, ex illorum genere, quibus senes pro computis suis obeundis utuntur, post elapsum annum, ex parte gracilius, & à naturali calore consumptum, cum excrementis alvi reddidit; Si verum, quod habet *Zachar. à Puteo in Clav. Medica pag. 235.* de auro, brevi temporis spatio in ventriculo gallinæ plurimum emollito & digesto; ne quid addam de *Wendleri* gallinis interius deauratis, quod refert *Sennertus de consl. Chymiæ, &c.* Sanè sequitur, plumbum, aliis metallis, minorem convenientiam habere cum humano corpore, propterea, quod per longum temporis spatium absque omni alteratione latet occultum. Quid si nativa sua propriet. manifesta, qua laminas plumbeas exterius affluxum inhibere, qua Saccharum Saturni vehementiam inflammationum sistere, qua pulverem plumbi, juxta *Hor. Aug. tom. 1. Epistol. lib. 12. Epist. 6.* præparatum, ulcera maligna purificare, abstergere & consolidare novimus, interius etiam plumbei globuli sine noxa retinentur, & calorem nativum ipsius partis temperando, minus aliis p. n. contentis affluxum dolorificum excitent. Sed hisce concludo, teque cum Conjuge DEO Opt. Max. commendo. Dabam Ulmæ Suevor. 22. August. Anno 1631.

OBSERVATIO XXXVII.

Fluxiones extremorum & quasi leves convulsiones calidis tumoribus in manibus obortis.

Studiosus quidam anno 1618. 26. Febr. me conveniens de gravativis doloribus & fluxionibus extremorum, cum succedente spasmo, conqueritur, quo soluto, calidis tuberculis potissimum manus aliquandiu cum pruritu quasi affectas esse pronunciat.

RESOLUTIO.

Determinatur affectus.

Gravativos hos dolores à copiâ seri superabundantis & incalescentis provenire statui, quâ ob causam *spasmum* ex plenitudine communiter provenientem sæpius ægrotans

ægrotans patiebatur, cum *obortis tuberculis calidis*, vi scil. expultricis facultatis, quæ materiam serosam victrix tandem ad extremam cutim propellebat, ac procedente tempore vicissim dissipabat. *Hic igitur serosam materiam in toto, potissimum verò in capite, copiosè coacervatam, tàm purgantibus, quàm sudoriferis temperatis evacuandam esse dixi, non neglectis, quæ capitis corroborationi debentur.* Hanc ob causam primo purgationem instituit per Morsulos purgantes ex Mechoacan. d.n. ℨv. jejuno stomacho sumens, & haustum brodii pisorum superbibens, quibus post biduum reiteratis, aliquoties Lunâ decrescente sudorem in lecto provocavit, assumptis primum ℨvj. Rob. Ebuli cum haustu aq. Veronicæ cum vino destillatæ. Pro corroboratione vinum medicatum frequenter in principio prandii sumendum ordinavimus cum Rad. Helenii; Herb. Rorismarini, Betonicæ, Salviæ, Card. benedicto & similibus: rotulas & alia medicamenta commendavimus, quorum plura diversis formis *in tract. de tuend. san. lib. 2.* præscripsimus.

Curationis scopi.

OBSERVATIO XXXVIII.

Erisipelas phlegmonodes horrendum totius faciei & capitis.

ANcilla mea juvencula, sanguinea, mense Majo hoc an. 1620. postquam imperfectum ac difficilem fluxum menstruum passa esset, in horrorem & calorem subsequentem incidit, cum insigni capitis dolore, & intumescentia circa cutim externam; adest febris continua, delirium, somnus imperfectus & horrendus phlegmonodes tumor circa caput, & potissimum in facie, ita ut per dies aliquot oculos omninò aperire non posset.

RESOLUTIO.

INiquâ fortunâ factum fuerat, ut prædicta ancilla, paulo antequam in hunc affectum incideret, lapsu quodam altiori, caput ad os cranii usque vulneraret, de quo vulnere non admodum conquerebatur per 14. dies, donec tempus mensium instaret, *ubi locus affectus dolere magis & intumescere* videbatur, sanguine videlicet ebulliente, in constitutione sanguineâ & sursum ad partem debiliorem, propter difficilem excretionem, regurgitante, *unde primo horror & calor subsequens totius oboriebatur*, propterea quod ex sanguinis fervore febris synochus non putris oriretur, *cum insigni capitis dolore & intumescentiâ*, quatenus idem sanguis copiosè non tantum ad caput ruebat, adeoque præter febrim in toto *delirium seu paraphrenitidem*, ob incalescentes spiritus, & inflammatas cerebri membranas, cum impedimento somni, producebat, sed etiam externis partibus mollioribus, inprimisque facie receptus, *horrendum tumorem* ex bilioso sanguine provenientem generabat, *ita ut oculos etiam omnino per dies aliquot aperire non posset*, ita scilicet palpebris & vicinis partibus elevatis & præter naturam auctis.

Deductio symptomatum.

Hic 1. alvus obstructa tempore mensium fluentium aperienda, & natura simul in excretione juvanda. 2. sanguinis excandescentia respectu totius refrigeranda, 3. sanguis idem ad caput ἀθρόως ruens, revellendus: 4. qui influxus erat, dissipandus: 5. & gravia symptomata, propter virium lapsum, non negligenda videbatur.

Indicationes.

Pro primo conveniens erat usus infusi laxativi, quod ℞. *Rad. Cichorei* ℥j. *Glycyrrhizæ* ℥ß. *Helenii* ʒjß. *fol. Senæ s. s.* ℥j. *Rhabarb.* ʒj. *Passul. minor.* ʒx. *Herb. Melissæ, cent. minor. ana* M ß. *Sem. Fœnic.* ʒij. *Cinam.* ʒj. *croci* ℈j. Incisa & contusa infundantur in tribus libris vini aquosi tenuioris, dein singulis diebus assumpto brodio bibat ℥iiij. vel v. quibus alvus leniebatur & natura, quoad excretionem, naturalem adjuvabatur.

Pro 1.

Porro quoad secundum, sanguinis biliosi potissimum excandescentiam, respectu totius, commodius alterare non potuissemus, nisi per venæsectionem, sed quia propter mensium commotionem eò potius, quò natura vergebat, sanguis ducendus, quàm alium ad locum, per emulsiones refrigerantes, decoctionem rad. Cichorei & alia hujus generis, huic indicationi satisfacere conati sumus, non neglectis iis, quæ putredinem præcavebant, ut est C.C. Ustum, Syr. Acetos. Citri, Limonum Gran. Acidorum, Sp. Vitri. cum conf. Rosar. permistus &c. propterea quòd hæ febres promptè in putridas transfire soleant.

Pro 2.

Quoad tertiam indicationem, sanguinem confertim ad caput ruentem revellendum esse duximus, partim frictionibus & ligaturis extremorum, inprimisque crurum atque pedum, partim etiam balneo pedum frequenter adhibito, quod fiebat ex decoct. herbæ florumque Chamæmeli, Anethi, Melissæ, Betonicæ & similium.

Pro 3.

Quarto vero sanguis influxus dissipandus erat, quam ob causam aliquoties sudorem imperavimus, interius assumpto Rob. Sambuci ʒiij. superbibendo ℥ijß. aq. fumar. & veronicæ. Exterius collum totumque caput & faciem panno lineo usurpato (quò rectius accommodari possit) farinâ triticeâ & pulvere sabinæ optimè conspersо & trito involvimus, interdum etiam sacculos ex flor. Chamæmeli, Betonicæ, Salviæ, Majoranæ & similibus addidimus, nec procedente tempore fumigia ex Mastiche, succino, tacamaheca & aliis neglexímus, ubi pulverem pro fumo d. n. frequenter usurpavimus.

Pro 4.

Tandem ultimò gravioribus symptomatibus etiam succurrendum erat, quam ob causam propter delirium & pervigilias interius emulsionem ex sem. papav. albi, melonum &c. præscripsimus, exterius temporibus Ol. Rosar. & populeonis cum grano opii inunctis. Quibus per 14. dies administratis, victusq; ratione convenienti non neglectâ, pristinas vires optimè recuperavit.

Pro 5.

OBSERVATIO XXXIX.

Nubecula in sinistro oculo cum inflammatione & fluxione catarrhosa.

PVella octennis Consiliarij Hassiaci filia Giessæ, calida humida, cùm variolis laborasset, mense Majo an. 1618. tandem restituta, nubeculam in oculo patitur, cum inflammatione & fluxione.

RE-

RESPONSIO.

INter alia incommoda post variolas interdum remanentia, frequenter etiam oculorum affectus præter naturam conspiciuntur, inter quos est etiam *nubecula vel suffusio*, quando circa pupillam in humore albugineo crassities aliqua sese offert, & usus operationem impedit, quod etiam in hac puella accidebat, quæ postquam, propter constitutionem calidam humidam, variolis copiosissimè expulsis, iisque maximè circa faciem abundantibus laborasset, post restitutionem, *visus debilitatem* in altero oculorum sentiebat, *maculâ conspicuâ ante iridem, cum inflammatione vicinarum partium* sese offerente, diutius videlicet ibidem sanguine seroso collecto, cujus incrassatione, propter intemperiem calidam partibus tenuioribus absumptis, albuginei humoris pelluciditas etiam infecta fuerat.

Suffusio quid.

Hîc affectionem hanc, cum ex affluxu tantùm & impedita dissipatione conveniente suam originem habuerit, periculo carere dixi, modo *primò totius evacuatio, materiæ adfluentis derivatio & incrassatæ materiæ attenuatio, & dissipatio non negligatur.* Mox ergo pro totius evacuatione laxativos Morsulos de Mechoaca præscripsi ℥iij. tàm quod delicatulis ejusmodi conveniens sit hoc medicamentum ob jucunditatem, quàm quòd maximè serosos humores in toto abundantes, plerarumque fluxionum causas respiciat. Præmissâ evacuatione materiam adfluentem derivare conabar, & emplastrum vesicatorium de cantharidibus post aurem sinistram è regione partis laborantis apponebam, & vesicas excitatas superaddito fol. brassicæ, quotidiè bis renovato, per dies aliquot apertas retinebam, quibus adfluxus & inflammatio plurimum juvabantur. Tandem materiæ incrassatæ attenuationem per appositum sequens cataplasma tentare jussimus, quale præscribit etiam *Dn. Platerus lib.1. Observ.* in simili casu, quod *Pulpæ pomor. dulc.* ℔ß. *coq. ad pultis consistentiam in aq. Fæniculi. & Rosar. q. s. adde. Mucilag. sem. Fænugr.* ℥ij. *Lap. hæmatis præp.* ℨj. *Misce & applicetur per dies aliquot, inprimis somni tempore.* Quò autem eò melius etiam emollita macula dissipetur, & oculus corroboretur, frequens fit lotio oculorum post usum cataplasmatis per sequentem mixturam, quæ ℞. *Aq. Rosar. fæniculi ana* ℥iij. *Margarit. præp.* ℨj. *Misceantur,* cujus solius etiam usu frequenter continuato maculas & suffusiones omnino sublatas esse recordor.

Prognosis.

Indicationes.

OBSERVATIO XL.

Subitanea obtenebratio oculorum cum subsequente dolore capitis &c.

M*Atrona Illustrissima, ætatis annorum triginta circiter, constitutione corporis macilenta, quoad viscera concoctionis calidior atque siccior, quoad caput verò fluxionibus obnoxia, circa brumale tempus an.* 1614. *de oculorum imbecillitate momentaneâ conqueritur, ita ut interdum penitus amittere videatur; at visu vicissim redeunte, dolor capitis subsequitur, quo finito fluxus frigidus dolorificus, latus sinistrum occupare videtur.*

RESOLUTIO.

AFfectum hunc cerebri per consensum esse statuebam, propterea quod *momentaneus* esset, & interruptus in constitutione corporis tali, quæ prompta erat ad lienis obstructiones, quatenus *calida sicca constitutio* viscerum secundæ concoctionis promtissimè serositates, crudis humoribus dilutas, attrahit, unde præsens ægrotans *lienis etiam affectibus & melancholia hypochondriaca* satis aliàs erat obnoxia, *caput q; fluxionibus abundabat*, prout est instar labri, quod serum copiosius abundans in sese recipit. Serum hoc *circa brumale tempus effervescens*, tàm propter externi frigoris constrictionem eventilatione justâ denegatâ, quàm propter copiosiores exhalationes sursum evectas, *primò visum obtenebrabat*, quatenus effervescentia seri spiritui animali minus conveniens eundem impuriorem reddebat, ut objectarum specierum visibilium colorib. justo modo tingi non posset: *at visu redeunte* videlicet noxiis istius exhalationibus resolutis, *dolor capitis subsequebatur*, quatenus acre serum sensiles & membranosas cerebri partes attingebat, *quo finito*, videlicet exitum aliquem inveniente materiâ, *fluxus frigidus dolorificus latus sinistrum* occupare videbatur, nimirùm quatenus aliàs laborans in hoc latere, propter lienis affectum, imbecillior videbatur. *In hoc casu serum abundans circa viscera secundæ concoctionis, adeoque in toto, mox evacuandum esse duxi: deinde prædictis visceribus, quoad intemperiem prospiciendum esse putavi: tandem à capite quoq; serum derivandum: & ultimò corroborationem ejus non negligendam esse duxi.*

Determinatur affectus.

Causa.

Deductio symptomatum.

Indicationes.

Hinc igitur pro primâ intentione præscripsi sequens infusum, quod ℞. *Rad. Helenii, ireos, pimpinellæ ana* ℨiij.
Herb. Melissæ,
Betonicæ, scordii.
Rorismarini,
*Scolopend. ana M*j.
Fol. senæ s. s. ℥jß.
Mechoacan.
Rhabarb. ana ℨj.
Cort. Tamarisci ℨiij.
Sem. Carthami opt. ℥ß.
Anisi, Fæniculi ana ℨß.
Croci integri ℈ß.
Cinam. Galangæ, Cubeb. ana ℈j.
Fiat infusio in aq. Chamæmeli, fl. Sambuci. Borrag. an. ℔j. *stet per noctem, de colatura sumantur* ℥iij. *cum* ℥j. *Syr. de spina cervina jejuno stomacho, & reiteretur aliquoties.*

Porrò *quoad viscerum intemperiem* conservam rad. Cichor. Rosar. Acetos. Citri conditum & similia commendavi; maximeq; passularum minorum usum. *Quoad caput ipsum*, ferventi sero viam oppositam parari commodissimè dixi per usum masticatorium, ut sunt ex iis, quæ temperatam naturam habent, uti Mastiche, nux moschata &c. tum etiam per usum emplastri vesicatorii ad

nucham positi, quibus adhibitis caput etiam corroborandum esse dixi, quod interius fiebat, usu sequentium morsulorum, qui ℞. *Spec. diamosch. dulc.* ʒjß. *Ol. Nucis. Mosch. per expreß.* ℈ß. *succin. g. v. fænic. gut.* iij. *Sach. opt. dissol. in aq. cerasorum nigrorum* ℥iiij. *f. Confect.*

Exterius sacculos exiccantes & corroborantes ex Betonica, roremarino, salviæ foliis: cum sem. nigellæ & aliis, tum etiam pulverem pro fumo contra defluxiones commendavimus, victus ratione convenienti, qualis convenit iis, quibus viscerum intemperies calidior, & caput ad seri collectionem promptum est, simul ordinatâ, quibus observatis Illustrissima brevi vicissim convaluit, nec imposterum de ejusmodi affectu conquesta fuit.

OBSERVATIO XLI.

Insultus Epileptici post paralysin dextri lateris, cum intellectus & sermonis imperfectione conjuncti.

CVm anno 1622. vocatus Archiatri officium Vlmæ suscepissem, paulò post adventum meum Iodocus Neidhardus, plebeji ordinis civis, filium annorum circiter 12. adducit, non tantùm perfectâ ratiocinatione, sed etiam articulato sermone destitutum, quem annis superioribus ex convulsionibus paralyticum, uni9 lateris respectu, factum fuisse referebat, unà cum pedis dextri contorsione: jam verò motum partium inordinatum esse, & subitaneis insultibus eundem ferè quotidiè obnoxium dicebat. Vrinam pueri monstrabat crudam admodum atque spiceam.

RESOLVTIO.

Prognosis. GRavissimum hunc affectum fore prædicebam, in quo summa diligentia, remediorumq́, nobilissimorum continuatio requireretur, quâ de causâ parentem, cui res angusta domi, hortatus sum, ut de sumptibus primò sollicitus esset, quos ultrò munificum Magistratum promisisse referebat, modò spem aliquam restitutionis eidem polliceri queam. Quo audito non potui non operam meam offerre, modo post æquinoctium Autumnale, quod instabat, contenti sint parentes, quò eò meljùs remediorum continuatio subsequeretur. Indicatio. *Ante omnia verò phlegma, serososq́ humores evacuandos, concoctionem juvandam, at cerebrum atq́ spinalem medullam corroborandam esse statui.* Pro 1. Qua de causâ *pro primo* pulverem purgantem præscripsi, qui ℞. *Rad. pæoniæ* ℈ß. *Crem. Tart.* ℈jß. *spec. diaturb. cum Rhabarb.* ℈j. *Diagryd. cum Ol. Fænic. præp.* ℈ß. *Sem. Anisi, Coriand. præp. ana* ℈j. *M. F. pulvis divisus in duas partes. S.* **Laxier-pulver auf zweymal.** Hujus usum eidem, primum interpolatis diebus, pro evacuatione totius, partitis duabus vicibus, cum successu dejectionis peccantis materiæ, post æquinoctium autumnale concessimus, quem 14. Oct. sequenti modo, cum urina magis cocta videretur alterâ vice præscripsimus;

℞. *Rad. Pæoniæ* ℈ß.
Spec. Diaturb. cum Rhab.
Cremoris Tartari ani ℈js.
Diagryd. cum Ol. Fæniculi præpar. gr. vj.
M. F. pulvis in 2. partes divisus.

Pro 2. *Interim pro 2.* concoctionem juvandam esse statuimus, additisq́ semper iis, quæ capiti quoque appropriata essent, quâ de causâ pulverem sequentem instar condimenti cum cibis quotidiè sumendum ordinavimus, qui

℞. *Rad. Pæniæ* ʒß. *Herb. Salviæ, Rutæ, Beton. Thymi, ana* Mj. *fl. Lavendulæ, Anthos,* Ms. *Sem. Fænic. Pæon. excort. an.* ʒij. *Macis aceto macerati & exsiccati* ʒj. *Nucis Moschat. Cinam. an.* ʒß. *Fiat pulvis per cribrum. De quo tam in prandio, quam in cæna* ʒß. *cum cibis permixta sumatur.*

Huc etiam pertinebat conveniens victus ratio, vitatis iis, quę cruditates augere possent: potus quotidianus sit decoct. Sassafras cum Rad. Pœoniæ, Helenii Caryophil. &c.

Pro 3. Tandem *pro tertio*, nimirum ad capitis, nervosique generis corroborationem sequentia præscripsimus.

Interius per vices destillato pulvere corroborante, cum aqua appropriata, & Rotulis cephalicis utebatur.

Exteriùs prædicto destillato, Spinalem medullam & partes læsas fricandam & fomentandam interdum etiam inunctionem adhibendam esse diximus: quibus omnibus per semestre diligenter adhibitis, DEI gratia, non tantùm ratiocinationis & loquelæ defectus corrigebatur, sed etiam pristino vigori restitutus puer, nihil amplius de subitaneo lapsu vel insultu conquerebatur, huc usque in annum secundum bellè vivens. Formulæ prædictorum remediorum.

℞. *Rad. Angelicæ, Pœoniæ, an.* ℥jß. *Irios, Gentianæ, Cyperi longi, ana* ʒvj. *Herb. Majoranæ, Salv. Major. Chamædryos, Beton. ana* Mij. *fl. Lavend. Chamam. Stœch. ana pis. Nucis Mosch. Caryophyll. Cubeb. ana* ʒjs. *Incisa & contusa infund. in mens. is. vini malvatici, stent in loco calido per triduum, Post destill. per balneum f. destillatum.*

Pulvis corroborans:

℞. *Rad. Pæon. Visci quer. ana* ℈js. *Herb. Salviæ, Beton. ana* Ms. *Sem. Pæon.* ʒß. *Coriand. præpar.* ʒj. *Cranii humani præpar.* ℈j. *Macis, Caryophyll. ana* ℈ß. *Cornu Cervi Vsti præpar.* ʒis. *Sacch.* ℥ß. *F. pulvis.*

Aqua Confortans ad pręcedentem pulverem sumenda.

℞. *Aq. Cerasorum nigrorum* ℥is. *flor. Tiliæ, Borrag. ana* ℥iij. *Acetos.* ʒvj. *Confi. Manus Ch. cum perl.* ʒis. M.

Interdum loco prædicti pulveris, sequens etiam usurpatus fuit:

℞. *Pulv. March.* ʒis. *C. C. usti præparat. Corall. rub. præparat. ana* ʒß. *Sacch. Rosar. tab.* ℥ß. *M. F. pulvis.*

Rotulæ Cephaliæ.

℞. *Spir. Diamosch. dulc. Diambræ an.* ʒis. *Ol. Nucis Moschat. per expressionem* ℈ß. *Fænic. gut* iiij. *Succini gut.* iij. *Sacch. in aqua Lavendulæ solut.* ℥vj. *F. Confectio in Rotulis.*

Linimentum ad spinam.

℞. Ol.

℞. Ol. de Castoreo, Lumbricorum, Rutacei, an. ℥jß. Fœniculi destill. ℈ß. Vng. Nervini Ang. ℥vj Misce pro linimento.

OBSERVATIO XLII.

Hemicrania cum metu Apoplexiæ.

Reverendissimi cujusdam Cancellarius, N.N. An. 1623. sub initium hic Vlmæ aliquandiu in negotiis publicis consistens, de profundo capitis dolore circa dextram partem potissimum tempore matutino post somnum, vesperi ante cœnam, rarius post cibum & potum plenius assumptum invadente, conqueritur, cui ante annos aliquot usum acidularum occasionem præbuisse putat. Metuit autem ne prodromus hic dolor sit Apoplexiæ, quam ob causam Medicum consilium implorat.

RESOLVTIO.

Hemicraniæ species. Speciem illam hemicraniæ hic adesse statuimus, quâ in profundo capitis juxta latus dextrum dolor per intervalla sentitur, *non admodum exquisitus, sed obtusus*, utpote non meninges, seu membranas cerebrum tegentes, exquisito sensu præditas, attingens, sed potius circa sinus, sanguinem & spiritus vehentes, superflua seri pituitosi materiâ latitante, *potissimum tempore matutino, & vesperi ante cœnam*, quòd tunc temporis tertiæ concoctionis excrementis segregatis latens materia quasi ebullire commoveriq; soleat, sicut etiam pleniori cibo ac potu, potissimumq; vino generoso caput, petente, fieri consuevit. *Cur dolor tantus obtusus.* Maximè verò *ab usu Acidularum* accidens hoc fuit observatum, fortè tunc temporis copia serositatum in capite promptè susceptâ, sed ob imbecillitatem concoctricis imperfectè discussâ. *An autem ejusmodi morbus Apoplexiæ prodromus esse possit*, quæritur? *An dolor hic Apoplexiæ prodromus.* Ubi notandum, continuatum hactenus, & per intervalla recurrentem dolorem non esse negligendum, præsertim cum in postica cerebri parte profundiori locus affectus principio nervorum propinquior sit. Cum autem inter cæteras Apoplexiæ causas sit etiam pituitosorum & serosorum humorum proventus, per congestionem, ex imperfecta alteratione cerebri, diuturnitate temporis collectus: præcautionis media non negligenda esse videntur, ut procedente ætate majus periculum timendum sit, cum viscerum secundæ concoctionis calida & sicca constitutione totius massæ sanguineæ serum copiosiùs generetur.

Indicationes. Eò igitur alloborandum, *Vt 1. victu conveniente peccantis materiæ augmentum inhibeatur. 2. Materia serosa & pituitosa in capite abundans absumatur. 3. Cerebri constitutio frigidior corroboretur, & 4. ulterior affluxus revulsione & derivatione inhibeatur.*

Pro 1. Ad 1. Victus sit facilioris concoctionis, ubi varietas cruditatem generans vitetur. Piscium, Olerum, Lacticiniorum, & in sartagine frixorum usus frequens, cæparum, allii, sinapi, raphani rustici & similium conditurae caput petentes noxiæ sunt. Contra panis seminis Carui condiatur. Cibi sæpiùs Mac. nuce Mosch. pipere modico, herba Majoranæ, Salviæ, Rorismarini: Sem. Fœniculi, Carui, Coriandri: & similibus apparentur. Vinum sit ætate medium, non admodum, aquosum, nec admodum generosum, quod sæpè Melissâ, Roremarino, nuce Mosch. &c. condiri poterit. Post cibum somnus meridianus & vespertinus mox à cœna vitetur. Proderit autem absolutâ mensâ pulvis stomachalis, qui ℞. *Coriand. præp.* ℥ß. *Nucis Mosch. Cinam el. an.* ʒß. *Mastich. Macis an.* ℈ß. *Panis bis cocti. Vlm.* ℥is. *Sacch. rosat. tabulati ad pondus omnium. F. Tragea.*

Pro 2. Ad 2. singulis mensibus conveniens esset, præmissâ digestione, purgatio, quæ capiti succurrat; nimirum digestio per Oxymel squilliticum, Syr. de Beton. de flor. Pœoniæ cum aqua liliorum conv. Melissa, &c. Succedat evacuatio per pillulas, quæ

℞. *Massæ pillul. de Hier. cum Agar.* ℈ij. *Extract. Diacarth.* ℈j. *Diagryd. cum Ol. Fœniculi præparati gr.* iiij. *cum Syr. de Beton. F. pil. instar communium, pro una vice.*

Hâc purgatione præmissâ, non dissuaderem singulo semestri lunâ declinante decoct. Rad. Chinæ per 14. dies ad sudorem provocandum, exhibitum, ut & pillulas de succino Cratonis, alternis diebus vesperi ante ingressum lecti, quantitate ʒß. usurpatas.

Pro 3. Ad 3. pro cerebri frigidioris corroboratione conficiatur Spiritus Cephalicus ad normam illius, quem Crato describit in consilio 35. mihi pag. 92.

℞. *Spiritus vini opt. & suavissimi* ℔iß. *cui infunde fol. Melissæ Flor. Lavend. Liliorum convall. Anthos, Borrag. ana Mj. Gr. Paradysi* ℥ij. *Cubeb. Cinamom. Nucis Mosch. ana* ʒj.

Stent per mensem in digestione, vase benè clauso, deinde exprimatur, ubi subtile poterit separari à crassiori sedimento, cui etiam nodulus & Ambræ gryseæ ʒß. poterit infundi. Sumatur de hoc spiritu tempore hyberno, singulis Lunæ cum Sole conjunctionibus, cochl. dimidium, cum bucella panis albi. Quotidiè verò proderunt jejuno stomacho confectio carui, Balsamus fœniculi ex oleo, sale & tincturâ paratus, quantitate ipsi majoris, tum etiam ex rotulis sequentibus duo vel tres, quæ

℞. *Spec. Dianthos* ʒj.
Ambræ gryseæ, gr. iiij.
Ol. Anisi, gutt. ij.
F. cum Sacch. in aq. Lavend. solut. ℥iis.
Conf. in Rotulis.

Pro variatione sæpiùs aliquid confectionis Alkermes, vel etiam ʒß. sequentis pulveris corroborantis exhiberi poterit, cum pane albo tosto, & vino Malvatico impregnato,

℞. *Succini alb. præp.*
Sp. Diarrh. ab. ana ʒjs.
Cui Ambræ gr. iiij. *commodum adduntur.*

Nota verò, quòd Crato succinum, hujus intentionis gratiâ cum aq. Cerasorum nigrorum præparare soleat, utpote cerebro maximè appropriata.

Pro 4. Ad 4. tandem ulteriorem affluxum revulsione & derivatione avertendum esse duximus, qua de causa lotionem

 pedum,

pedum, ex Betonica, Roremarino, Salvia, Lavendula, Asaro, & similibus; Gargarismata, Errhina vesicatorium ad Nucham, & Cucupham, ex appropriatis confectam, partitis vicibus concessimus.

An setaceum conveniat ad præcavendam *Apoplexiam*? *quare supra observat. XIV.*

OBSERVATIO XLIII.

Paralysis sinistri lateris ex imminente Apoplexia.

G*Enerosus Baro N. N. Anno æt. 70. & ultrà; constitutione corporis nativâ sanguineus, sub initium mensis Novemb. Anno 1622. in paralysin sinistræ manus incidit, absque graviorib. capitis symptomatibus, ita ut per septimanas tres in apprehensione & motu manus & brachii sinistri impediretur. Sub finem mensis 20. Novemb. circa 4. vespertinam, subitò totius corporis horror invadit, cum totius lateris sinistri resolutione, viriumq́ animalium diminutione, remanente tamen intellectus operatione, quanquam propter linguæ difficultatem sermonis impedimentum simul adesset.*

RESOLUTIO.

Paralysis per imminentem Apoplexiam quomodo fiat.

ADEST hoc loco *Dispositio paralytica*, lateris sinistri, proveniens ab *imminente Apoplexia*, quam natura, robustior adhuc à parte principe materiam peccantem ad minus principem propellens, producebat, idque primò sensim crescente lunâ, mox v. novum paroxysmum circa 20. Novembr. externâ causâ producente, nimirum influentia Saturni cum Luna quadrato aspectu conjuncti fortè non parùm adjuvante. Progn. Etsi verò propter senilem ætatem de totali restitutione parum spei, non tamen desperandum omninò esse putavimus, ea propter quòd natura robustior absque gravioribus accidentibus noxam ad partes remotiores avertere conaretur. Hinc communicato consilio cum Cl. V. Dn. *D. Iacobo Eckoldo*, Physico Memmingensi, eò respiciendum esse duxi: *Vt 1. in ipso paroxysmo natura juvaretur. 2. & postea totius mali præservatio tentaretur.*

Prognosis.

Indicationes.

Pro 1.

Quoad primum, post rigorem externis partibus incalescentibus, sudorem promovendum esse duximus, exhibitis lap. Bezoart. gr. viij. cum aqua Fumariæ & Salviæ q. s. quo peracto, somnoq́; convenienti virium refectione subsequente, postera die majoris revulsionis gratiâ clysterem acrem injecimus. Cum verò segnior operatio subsequeretur, suppositorio naturam existimulavimus & prout consuetus erat Generosus, ℥js. Conf. Rosar. recentis brodio dilutæ pro majori laxatione concessimus, ubi retenta indurata tandem copiosè rejiciebantur, ut reliqua naturæ commissa fuerint, nisi quòd vesperi nucham & spinam Ol. Juniperi, Terebinth. Lavendulæ, &c. inunxerimus, & de aqua Apoplectica cochl. unum & alterum ante somnum exhibuerimus, ubi nox levior & somnus naturæ conveniens subsecutus fuit. Cum verò 22. Novembr. totum abdomen inflatum adhuc esset, urina quoque involuntariè profflueret, secundâ vice clysterem convenientem adhibuimus, cujus operatio priore felicior fuit, impedimentis videlicet induratorum retentorum jam remotis.

Pro 2. Indicationes speciales.

Quoad secundum, gravioris mali præservationem fieri posse statuimus. 1. *Eo respiciendo, quò intemperies jecoris calidior, evaporationes plus solito cerebro debiliori transmittens, quotidianis alterationibus corrigatur.* 2. *Materia confluens ad caput omni ingenio revellatur.* 3. *Ipsumq́ caput cum spinali medulla corroboretur.*

Pro 1.

Pro primo, præcaveantur obstructiones alvi, quò natura inclinat, idque fiat pro more conservâ rosarum recenti: frequens sit usus decocti rad. Cichorei cum passulis, conservæ rad. Cichorei, Spiritus vitrioli ex Marte pp. cum brodio gallinæ, Cremoris Tartari cum ptisana, &c.

Pro 2.

Pro secundo, Revulsionis gratiâ veneæsectionem, Lunâ in aquario existente, convenientem judicavimus; sicut etiam frequentes extremorum frictiones, ligaturas & consuetas scarificationes. Imò vesicatorium ad nucham, ut etiam Chinæ decoctum hic non improbarem, quemadmodum postea patebit.

Pro 3.

Pro tertio, caput respiciendum esse duximus pulvere sequenti, qui ℞. *Spec. Diarr. abb.* ʒj. *Ambræ gryseæ* ʒß. *Magist. Corall. Mag. an.* ℈j. *Smaragd. pp.* ℈ß. *Conf. Man. Christi perlatæ* ℥ß. M. f. *pulvis, de quo* ʒß. *sæpius cum aq. appropriata sumatur.* Hujus loco non inconvenienter interdum rotulæ, permutationis ergò dabantur, quæ ℞. *ol. nuc. Mosc. per expreß.* ℈js. *Spec. Diamb. Diamosch. d. ana* ℥j. *Succini albi præp.* ʒß. *Sacch. in aq. Lavend. solut.* ℥v. f. *conf. in Rotulis.* Exteriùs ad cervicem & spinam, ipsasq́; partes paralyticas inungendas, fiat destillatum, quod ℞. *Rad. Angelicæ, Ireos, Cyperi lon. Asari ana* ℥j. *Herb. Salviæ major. Chamædryos veræ, Ivæ arthrit. Lavend. Rorismar. Beton. an.* Mj. *fl. Chamam. Lil. Conv. Tiliæ Anthos. stæch. ana* Ms. *Nuc. Mosc. Caryoph. Macis ana* ʒij. Concisa & contusa infundantur in vino Malvatico q. s. stent in loco calido per quatriduum, post destillentur B. M. quo destillato partes prædictæ fricentur, interdum etiam matutino tempore Cochl. jß. ejusdem liquoris absorbeatur.

His per septimanam unam atque alteram administratis, 5. Decembr. revocatus, sanguinem in venæsectione ad putredinem dispositum fuisse percipio, quod signum caloris nativi deficientis esse judico, cum aliàs nulla putredinis signa deprehenderentur, sensim nihilominus viribus remittentibus unà cum sermonis interceptione. Quocirca præter præcedentia, pro corroboratione concoctionis *Elixir proprietatis Paracelsi* fuit præscriptum, guttis aliquot sæpius usurpandum, ut & oxymel squilliticum, pauxillo Mithridatii permixtum, & aquâ salviæ & similibus dilutum. Vertici vero capitis, quod rasurâ non indigebat, utpote calvum, sequens Emplastrum applicuimus, quod habet in spicilegiis suis D. *Hildesheim mihi pag.* 536. ℞. *Myrrh. Elect. Storacis cal. Bdellii Benzoi Ladani an.* ℥ß. *Sandar. an. Vernic.* ʒij. *ossis cranii hum. præp.* ʒiis. *Lapidis Lazuli* ℈ß. *cum styrace liquida F. massa. pro Emplast. ad cervicem*

vicem in forma thaleri. Cervici verò sequens Emplastrum fuit ordinatum, quod ℞. *Ol. Euphorbii, de castoreo, Rutacei, Laurini an.* ℈j. *Castorei, Pip. long. Pyrethri an.* ʒj. *Sem. Eruc. Nasturt. Zedoar. an.* ʒjs. *Bacc. Iunip. Lauri an.* ʒj. *Serapini, Opoponacis Galb. Euphor. an.* ʒß. *Aq. aurea Lang. parum cum cera & resinaq. f. F. Emplast.* His remediis affectus gravissimus ita leniebatur, ut pedetentim sermonis usus vicissim rediret, adeo ut ad vernum usque tempus Generosus æger bene valeret, præterquam quod latus sinistrum paralyticum remaneret.

Indicationes præservativæ. Circa 25. Martii 1622. iterum vocatus, majoris præservationis causâ eò respiciendum esse dixi: *Vt* 1. *fluxionis causa inhibeatur.* 2. *Fluxiones ipsa dissipentur. Et* 3. *partes paralytica corroborentur.*

Pro 1. *Quoad primum*, superfluitates infimi ventris usu enematum & sacchari rosacei vacuentur: intemperiem jecoris Rad. Cichorei in conserva, in acetariis & in decoctione temperent: Concoctio Tragematis convenientis usu roboretur: cibi sint facilis digestionis, vinum sit mediocre, Salviâ, Roremarino, Betonica & Ambrâ conditum.

Pro 2. *Quoad* 2. fluxiones dissipentur & absumantur decoct. rad. Chinæ & Sassafras per 15. dies ad minimum, adhibito jejuno stomacho vel solitariè, vel etiam cum lap. Bezoar. sæpius sumpto.

Pro 3. *Quoad* 3. repetantur ea, quæ superius ordinata sunt, quò etiam pertinebit destillatum recens liliorum convallium hoc modo paratum.

℞. *Flor. Liliorum convall.* Mviiij. *Vini opt. Mens.* ij. *Stent in digestione per octiduum, Adde Fl. Lavend. exiccat. Summ. Rorism. an.* Mj. *Nucis Mosch. Cubeb. an.* ʒj. *Viscíq. Castorei an* ʒß. *Iterum digerantur in loco calido & destill. per B. M.*

Hisce generosus optimè sibi restitutus videbatur, ut etiam in vicinas arces ditioni suæ subjectas curru veheretur: sed prout sanitas nostra, præsertim in ejusmodi ætate declinante, satis vitrea est, ita diu etiam hic constans esse non potuit, unde sub finem Maij subitaneum insultum apoplecticum de novo perpessus optimus Senex, annorum circiter 75. naturæ debitum solvit.

OBSERVATIO XLIV.

Dispositio ad morbum convulsivum ex consensu splenis & vicinarum partium.

Fæmina Nobilissima in Ducatu Wurtembergico, circiter annorum 24. de diuturna compressione & angustia pectoris, potissimum corporis exercitio, vel motu præcedente, conqueritur, cum inflammatione hypochondriorum, compressivo stomachi dolore, & quotidianis alvi obstructionibus. Accedit, quod ferè per annos multos in externis partibus convulsivum quodammodo dolorem, hinc inde formicarum transcurrentium instar, perceperit, quem artuum diversis in locis, jam hic, jam alibi, q. immobilitas & ἀναισθησία excepit, ita ut eâ tandem partium motus impediretur, cum lassitudine spontanea totius, & animi quasi deliquio subsequente.

RESOLVTIO.

Morbus convulsivus epidemius aliquando. DIFFICILIS hic affectus aliquo modo convenientiam habet cum *morbo convulsivo*, Germanis inferioribus: **Die Kriebelkranckheit oder Krampffsucht** dicto, qui ante 20. & plures annos in Hassiâ, Episcopatu Coloniensi, & vicinis regionibus, fuit epidemius, quemadmodum ante multos annos ujusmodi ægrotantes miserabiliter cruciatos, quosdam etiam ex priori Epidemio affectu recidivam patientes ipsemet vidi, sicut hujus rei mentionem feci in problematibus meis therapeuticis, & in libello germanico de Scorbuto. *Causa proxima* mali consistit in malignis evaporationibus, quæ vim motivam musculorum tendinum atque nervorum præter naturam ita afficiunt & irritant, ut in ipsis membris primò *pruriens & mobilis dolor* appareat, quem postea *particulares convulsiones*, seu partium motu destinatarum involuntarii dolorifici motus & tensiones excipiunt, jam in brachiis, jam in pedibus, jam in tota spinali medulla, tàm diu durantes, donec malignæ ejusmodi exhalationes dissipentur, ubi lassitudo, sæpiùs etiam (quod in Illustrissima quadam persona aliquando observavi) paralysis notha membrorum relinquitur.

Causa proxima. *Causa antecedens.* Oriuntur autem ejusmodi malignæ exhalationes ex putridis obstructionibus & collectionibus circa venas meseraicas & splenicas, ubi materia peccans, quæ causæ antecedentis rationem habet, instar glutinis impacta, putrescit, & singularem malignitatem, nervoso generi sat inimicam, acquirit, certisque temporibus effervescens & ebulliens, instar vini recentis noxiâ suâ qualitate nervis & musculis, aliisq; partibus motui destinatis, vim infert, & paroxysmum quasi convulsivum producit.

Prognosis. Progn. cum verò radix mali circa hypochondria, in profundis venis minoribus impacta, lateat, mirum non est, quòd etiam ad bene ordinata varia remedia dispositio hæc morbosa penitus expugnari non possit, cum omnes affectus splenetici suâ naturâ diuturni sint.

Indicationes generales. *Quo ad indicationes curativas igitur, eò respiciendum esse putarem, ut* 1. *ad præcavendas & extirpandas prædictas colluvies, fomes & radix mali non augeatur, &* 2. *convenienti modo, quod jam collectum est, corrigatur.*

Pro 1. Victus. *Pro primò*, victus ratio diligenter observetur; aër ambiens temperatè calidus sit, inprimis caput, manus, pedesq; defendantur à frigore externo, vitetur ergo cœlum frigidum nebulosum, pluviosum & austrinum, quo tempore commodùm in conclavi per lignum & baccas Juniperi, Mastiche, olibano, succino & similibus suffumigia fiant. Alvi quotidianæ obstructiones, ad quas admodum inclinat ægra, præcaveantur jusculis prunorum Damascenorum saccharo dulcoratis, ovis sorbilibus butyro præp. ptisanâ, brodio betæ, cicerum rubrorum, solitario, vel vitellis ovorum & cochleari sacchari rubri additis, aliisque similibus paulo ante cibos alios assumptis. Quod si talia culinaria media non sufficiant, duabus horis ante prandium vel cœnam ʒvj. Elect. de Tamarindis cum fol. senæ sumat, per se, vel brodio quodam prædictorum dilutas, qua ratione ʒj. cremoris Tartari quoque

convenienter conceditur. Quo ad alimenta, vitentur caro porcina, bovina ſeneſcens, & hujus generis cibi difficilioris digeſtionis, quò etiam pertinent omnis generis piſces, exceptis interdum auratis, percis, fundulis & aliis ſaxatilibus: abſtineat à lacte, & lacte præparatis, frixis etiam cum butyro, pyris itidem crudis, pomis, caſtaneis, ceraſis, &c. ut & ab illis cibis, qui cum raphano ruſtico, ſinapi, allio, cæpis & ſimilib. præparantur. Contrà paucioribus eduliis, iisque facilioris concoctionis contenta ſit, carne videlicet vitulinâ, vervecinâ, juvencorum, gallinarum, caponum, avium montanarum &c. obſonia fiant ex ſpinachiâ, cherefolio, beta, pomis acido-dulcibus, prunis Damaſcenis & ſimilibus: carnes cum ſalviâ, Thymo, majoranâ, Roſ. ſem. Carui, fœniculi, capparibus, &c. præparentur. Sitis compeſcendæ gratiâ conveniet vinum Neccarinum, ubi in principio prandii conveniens erit medicatum, cui infuſum ſit aliquid Rad. Helen. caryophyll. pœon. cum herbis phyllitidis, beton. Rosmar. &c.

Pro 2.

Pro ſecundo neceſſum erit, *ut convenienti modo corrigatur, quod collectum eſt*, quod perficietur commodùm præter victus rationem convenientem, medicinis appropriatis, tàm verno, quàm autumnali tempore præſcriptis, quæ eò tendant, ut ſingulari proprietate peccantem materiam antedictam digerant & evacuent. Primò igitur vinum laxativum ordinetur, ad octiduum uſurpandum. ℞. *Rad. pæoniæ. Valerianæ, Vincetox. rub. tinct. ana* ℥ß. *Scorzoneræ, Polypod. an.* ʒvj. *Cort. fraxini, Ebuli, ſambuci an.* ʒjß. *fol. ſenæ* ʒx. *Rhabarb.* ʒijß. *Agarici, Mechoacæ an.* ʒij. *Fl. perſicor. Acaciæ an.* ʒiij. *Herb. centaur. minor. ſcordii, praſii, fumariæ an.* Mß. *Sem. Carthami. pond.* ʒij. *Cremoris Tart* ʒijß. *Galang. Zedoariæ ana* ʒj. *Inciſa & contuſa dentur in ſerico albo.* Hic ſacculus in menſuram vini Würtenbergicam infundatur per 24. horas, poſtea ſingulis dieb. vacuo ſtomacho ℥v. vel vj. ſolitariè, vel cum ʒß. Cremoris tartari ſumantur, quò primæ viæ, tum etiam proximiores meſeraicæ purificentur. Hoc modo præparatâ viâ, ad radicem mali penitius penetrandum erit, idque convenienti digeſtione, quæ fiat pulvere ſequenti, ʒß. pondere, cum vino Scolopendriæ, vel Abſinthii, ſingulis diebus bis per ſeptimanam unam atque alteram ſumpto, qui ℞. *Cremoris Tart.* ℥jß. *Magiſt. Tart. Vitri.* ʒjß. *Corall. rub.* ʒj. *Faculæ Aronis Brioniæ an.* ʒjß. *ſalis Abſynth. Card. bened. ana* ℈iiij. M. *detur in ſcatula*, S. Digeſtiff Pulver. Hanc digeſtionem ſequatur appropriatum purgans, quod ℞. *Magiſt. Tart. Vitriol.* ʒj. *diagryd, cum ol. fœniculi præp. gr* iiij. M. f. *pulvis.*

Non autem ſufficiet ſemel hoc modo naturæ ſuccurrere, ſed neceſſum erit, ut ſingulis ſemeſtribus ad minimum, bis hoc modo procedamus, interim non neglectis iis, quæ viſcera concoctionis roborare poſſunt, ubi præ cæteris *Elixir proprietatis* Paracelſi conveniet, ſæpiſſimè 4. vel 5. guttis cum vino vel alio liquore appropriato jejuno ſtomacho ſumptum. Simili ferè proceſſu cuidam honeſtæ fœminæ ſuperiori Anno 1622. ſuccurrere conatus ſum, quæ per annos aliquot graviſſimis hujus affectus ſymptomatibus afflicta, jam pro hyſterica, jam pro diſpoſita ad Apoplexiam, jam inſtar Epilepticæ ab aliis tractata, tandem DEI gratiâ ità reſtituta fuit, ut pro tempore pauciſſimis medicamentis vernalibus & autumnalibus contenta, vitam optatam tranſigat, in cujus curatione notatu dignum hoc accidit, quod tandem, præparantibus prædictis ritè uſurpatis, per ſubſequentia catarctica non tantum conveniens facta fuerit evacuatio, ſed ſponte quaſi per dies aliquot purulentam & corruptam materiam natura per alvum ſegregavit, cum virium reſtauratione, ſymptomatumq; ſenſibili remiſſione. Prout autem peccans hæc materia varias qualitates ex diverſitate corruptionis ſuæ recipit, ita mirum non eſt, quod maxima quoq; ſymptomatum varietas oboriri ſoleat, ubi memorabilis eſt hiſtoria ſequens. Anno 1621. ſub initium Decemb. in conſilium vocor, Gieſſæ tunc temporis adhuc vivens, à ſutoris cujusdam uxore, quæ per totum autumnale tempus ſimili quoq; *convulſivo morbo* fuerat affecta, ita ut *tremore primum & jactatione membrorum* præter voluntatem laboraret, qui tremor primò partibus extremis ſentiebatur, mox communicatione factâ partitis vicibus *brachia convelli* videbantur, ſubſequente ſæpius *diſpnœa*, cum dorſi totiusque corporis iteratâ *contractione*, quæ tamen omnia (quod admiratione non caret) *absq; dolore* fiebant, niſi quod paroxyſmo remittente, partes omnes admodum laſſatæ viderentur. Urinam habebat cruditate ſuâ viſcerum ſecundæ concoctionis obſtructionem innuentem, ubi convulſivum quoque affectum adeſſe ſtatuit, ſed à *materia frigida, vaporoſa, nulla penitus acredine præditâ.* Potiſſimum autem hîc etiam præter convenientem victus rationem, *eò primum reſpiciendum eſſe putavi, quò primæ viæ ſenſim evacuarentur, ſubſequentibus iis remediis, quæ latentes obſtructiones aperirent, materiam peccantem digererent & caput atq; nervoſum genus corroborarent.* Initium fecimus vino laxativo, quod ℞. *Rad. pæoniæ, vincetox. an.* ℥ß. 5. *aperient. an.* ʒjß. *Helenii. Scorzoneræ an.* ʒiij. *Her. ſcordii, praſii, fumariæ, ſcolopend. ceterach, Beton. an.* Mß. *Fol. ſenæ* ℥jß. *Rhabarb.* ʒjß. *Cort. rad. frangulæ, Eſulæ ana* ʒij. *ſum. Sambuci in vere collect.* Mß. *Fl. Sambuci, perſicor. ana* piij. *Sem. cicer. rub.* ʒvj. *fœniculi* ʒj. *Galangæ, Sarſafras ana* ʒß. *Cinam.* ʒj. *paſſul. min.* ʒx. *Cremoris Tart.* ʒjß. *Fiat infuſio in* ℔vj. *vini Rhenani: ſtent. 24. hor. poſtea ſingulis diebus* ℔ß. *vacuo ſtomacho ſumatur per octiduum.* Hoc præmiſſo latentes obſtructiones ulteriores aperire, peccantem materiam digerere & caput atque nervoſum genus corroborare conati ſumus pulvere ſequenti, qui ℞. *Rad. Vincetox. helenii, Caryophyllatæ, pæoniæ an.* ℥ß. *Herb. Beton. Salviæ an* Mj. *Fl. Stœchad. arab. Anthos ana* Mß. *Sp. Dianthos. plires archont. an.* ʒß. *diagal. arom. caryophyll. an.* ℈j. *Sacch. ad pondus omnium. f. pul.* Hujus pulveris ʒj. cum hauſtu vini Salviæ & Rorismarini ſingulis diebus matutino tempore dedimus, idque per dies 14. continuavimus, non neglectis interim appropriatis evacuationibus intermediis diebus adhibitis. Exterius fomentationem ſuaſi-

Obſervatio ſimilis.

Unde varietas ſymptomatum in hoc morbo.

Obſervatio alia memorabilis.

Indicationes.

Hiſt... narr... ſingul... caſu.

suasimus cum spiritu vini, cui castoreum, myrrh. baccæ lauri, Junip. Herb. Salviæ, Rosmar. Beton. fl. anthos, primulæ veris lavend. & similia infundebantur: spinam etiam inunximus frequenter ol. lumbricorum, de castoreo, vulpino, Irino, &c. Potus erat cerevisia benè defæcata, cui rad. caryoph. helenii, Herb. Rosmarini, beton. salviæ, cum bacc. lauri, nuce moschata, cinamom. caryophyllis, &c. infundebantur. Quibus remediis DEI gratiâ symptoma hoc gravissimum ita remittebat, ut postea nihil amplius ægra conquereretur, sed ex voto domesticis suis negotiis iterum præesset.

OBSERVATIO XLV.

Admirandi convulsivi motus.

Vir Nob. Clariss. & Excellentiss.
Dn. JACOBUS ECKHOLDT, Phil. & Med. D. & Reip. Memmingensis Physicus,
Ad
GREGOR. HORSTIUM D.
Archiatrum Ulmensem.

Salutem Clariss. & Excellentiss. Dn. Doctor, Fautor & amice honorande.

Mirabilem illam, de qua sæpe coràm, affectionem, Virginis puellæ, 12 annum agentis, describere, totamq; varimodè succrescentis, & variis ac stupendis accidentibus subinde efflorescentis, historiam integram, & secundum symptomatum varietatem, concursum ac seriem perfectam calamo concipere ferè mihi impossibile est, Citius namq; verba, conatusque scribendi defectura sunt, quàm ut omnia exactè secundum omnes circumstantias exprimere valeam. Attamen *præcipuorum accidentium formam, diversitatem, impetum, accursum & recursum, & admirabilem eorum varietatem* breviter enarrare, & ex iis morbi speciem exhibere, quantum possũ, quantumq; memoria adhuc teneo, enixè laborabo.

Historica narratio singularis casus.

Puella est pia ac proba, bene morata & educata: salubriter ante hâc vixit, nihilque deprehensum, quod corporis offensam argueret: temperaturæ, ut videbatur, calidæ & siccæ, adeoq; cholericæ, quæ ad iracundiam levissimè incitatur: fratrem habet epilepticum, & certè ejus ipsa natura, sicut & Sororis, in idem malum propendere videtur. Ea 7. Julii, anni præteriti 1622. cum pridie leves capitis dolores sensisset, manè circa septimam, cùm ad templum se prepararet, subitò quasi consternata, concidit, & scamno innixa adhæsit, loquelâ impeditâ, incedere, manus pedesq; movere ac attollere nequivit: in lectum translata, quâdam quasi anhelitus difficultate, ita ut ægrè spiritum duceret, & pectus scapulasq; inter respirandum insigniter attollere cogeretur, premi cepit, & interdũ clamosa suspiria duxit: rediit autem subindè, quasi per paroxysmos, hæc difficultas, atq; pressura, in qua nil quicquam loqui potuit; reliqui autem sensus, visus & auditus, integri manserunt. Paulò post caput hinc inde conjectare cepit, mox tamen rigidam & immobilem cervicem habere visa est, & quod postea in erectione capitis à me animadversum, cum quid sorbitionis vel medicamentis ingerere vellet, capite retrosum magnâ vi retracto, manumq; attollentis deprimente, opisthotono prehensam judicavi: perterritus autem ægritudinis infrequentiâ, & insueto morbi, qualis nunquam occurrit, insultu, cum diu suspensus hærerem, ea ferè adhibui medicamenta, quæ in Epilepticis invasionib. utilia existimavi. Sed durabat affectio, & post leves intermissiones subindè recurrebat, ad horam usq; duodecimam, quando omnia invalescere incipiebant. Tum majorib. suspiriis anhelans, & ejulans, spiritum traxit, atq; cervicis nervorũ rigore continuo detenta, pejus habuit ad usque tertiam. Hinc mitigato malo, loqui cepit, delirare, cibum poscere, vociferari, indignari ad usq; vesperam, ubi tum ab inquietudine hâc languescens extremâ debilitate laboravit, ita ut sensu, motúve privata, animam exhalatura videretur: duravit autem languor hic per 2 fermè horas, quib. exactis sensim se recollegit, & ad sese rediit, cibisque refecta per totam noctem placidè dormivit. Altero die mediocriter habuit, & medicinam purgantem sumsit: duodecimâ autem horâ malum reversum est, & prioris diei ferè formamque, modumq; servavit, nempe per intervalla tetano correpta, cervicis rigorem, spiritusq; difficultatem, atque pressuram passa est: inter paroxysmos de tanto capitis dolore conquesta, ut ad clariorem etiam vocem & loquelam quiritaret: aliàs loqui, imo linguam movere non potuit, nisi forsan ubi mitior invasio, ubi tum lingua titubavit, & inexpeditè locuta est: Tertio die sat bene habuit: Quarto post leviorem paroxysmum in tantam pedum convulsionem & contractionem incidit, ita ut pedes retracti quasi funibus corpori alligati viderentur, absq; tamen omni dolore, tendines a. sub genubus lapideâ ad tactum duritie & rigiditate continuâ afficerentur. Et quamvis post convenientes inunctiones melius habere videretur, attamen ad quartum usq; diem spasmodica hæc, & violenta contractio, continuò perseveravit, interim corpore reliquo bene valuit, à prioribus paroxysmis planè immunis: quarto a. die circa vesperam subitò distensio hæc remisit, ipsaq; ex improviso è lecto prosiliens in pedes se conjecit, & parentib. accurrens lætabunda liberationem annunciavit: posthæc bene se habuit, sensimq; validior facta est, ita ut penitus restituta crederetur.

At post mensem, nempe 6. Aug. cum pridie magnos, capitis, frontis maximè, temporumq; dolores passa esset, in idem fermè malum, alio tamen invasionis modo, incidit: nam manè sumto Jentaculo, cum corporis titubatione, & vertigine vexari videretur, in lectum redire jussa, profundo quasi somno abrepta est: in quo tanquam somnians varia loquebatur: subitò a. exterrita, quasi cum magnâ & præcipiti corporis concussione, evigilavit, mox rursus somno se dedit, denuoq; terrore concita expergefacta est, & id per integram horam, vel diutius paulò, duravit, idemq; post prandiũ & cœnã, & posthâc sæpius, quàm primũ aliquid cibi ingessit, evenit, ita ut mox super dormire cogeretur, & terrifico tali somno corriperetur, nocte aliàs placido ac naturali somno semper ferè dormivit, exceptâ

tertiâ

tertiâ ab accidenti hoc nocte, quam ferè totam deliravit, ita ut omni intellectu orbata videretur; memoria ita defecit etiam, ut orationem dominicam orare amplius nequiverit: per intervalla tamen mens & memoria reversa, post leve a. momentum iterum extincta. Circa vesperam convulsio invasit nunc hoc nunc alterum brachium, ita ut extendere ac movere non potuerit: mox pedes quoq; eadē contractio corripuit, ita ut jam brachia & pedes convulsi sisterentur, sed paulò post brachia reliquit, hinc etiam pedes, ita ut tam brachia, quàm pedes movere potuerit. Postremo die maximâ omnium membrorum inquietudine correpta primùm tandem in pedes se conjicere, & in hypocausto discurrere ac saltare cepit: miserabili sanè & stupendâ insaniæ specie tentata ac turbata, varios ac turbulentos mores exhibuit. Nam nullâ neq; vi, neque increpatione contineri potuit, quò minus hinc inde cursitaret, nulloq; modo subsisteret sed indesinenter inquietudine hâc detenta: in lecto etiam, si forsan cohiberetur, ex uno loco in alium sese conjecit: imò parietes etiam transcendere, & circa fornacis extremitates discurrere quæsivit: Extra lectum dissiliens, scopas, vel aliud quid simile apprehendens, pavimentum à sordibus diverrere, omnemque immunditiem conclavis, omnes angulos evolvendo, exquirere & expurgare nunquam cessavit. Interdum, subitaneâ pedum contractione inter discurrendum correpta, subsistere coacta fuit, mox tamen, soluto iterum spasmo, denuo saltare perrexit: imò defatigata, vel alioquin lassa, si pigriorem interdum cursum iniret, vel subsisteret, pedum affectio spasmodica mox irruebat: solvebatur a. si cursum repeteret, & impetuosius se agitaret. Quin etiam paroxysmo hoc turbulento interdum repentè soluto, substitit, suisq; quod stare posset, acclamavit, lectum etiam ingressa, quievit: mox autem iterum prosiliens, denuò saltare compulsa fuit, subindè namque per intervalla longiora, jam, jam breviora, inquietudo hæc ipsam, maximè a. à sumpto cibo, invasit, non rarò tamen inter prandendum aut cænandum subitò de mensâ surgens, in pedes se conjecit, nec cohiberi potuit; vi a. cohibita, pedib. tripudiando quasi, humum indesinenter pulsavit. Quod si, ne in pedes se conjiceret, prohiberetur interdum, (quod non rarò parentes tentârunt) insigniter affligebatur circa præcordia, maximè juxta orificiū stomachi, ubi de validissimâ compressione querebatur, quæ mitescebat, si sese saltando jactaret: protinus a. quando subsistebat, denuò iterum dicto loco gravissimas passiones sustinebat, ita ut ab iisdem impelleretur, indesinenter discurrendo se exercere: languebat etiam plurimùm, ac debilitabatur, & distensionibus membrorum tentabatur, quando nondum finito paroxysmo sese agitare cessabat, aut prohibebatur. Si mitiores fuêre invasiones, in lecto, locoq; suo manere potuit, nec evagari coacta fuit; attamen tum inquietudo nunc hoc, nunc aliud membrum invasit, ita ut incessanter quassare, nempe brachium hinc inde movere, vel pedem sursum, deorsumq; trahere, continuatâ serie, cogeretur. Sæpe *caput* solum, ut hoc hinc inde indesinenter jactaret, malum occupavit, sæpe saltem ejus partem, nempe *linguam*, unde

Saltus S. Viti.

titubatio, *maxillam*, unde dentium collisio atq; stridor; *aures, nasum, buccam, labia, collum*, unde earum partium tremor, atq; concussio, totam deniq; *faciem*, unde ejus fœda distortio sequuta: Inferiores etiam non rarò partes vexavit, *pectus* nempe, *ventrem exteriores musculos*, unde palpitationes & distensiones exortæ, imò mirabili varietate nunc hoc, nunc aliud membrum, nunc unam saltem, sæpe plures partes simul invasit atq; afflixit. Semper autem & in omnibus paroxysmis, *linguam* simul affectam vidimus, ita ut tremeret, vacillaret, balbutiret & impeditè loqueretur, leviter etiam deliraret, ratione aliquantum destituta, licet alio tempore plus, alio minus; quæ mentis, sermonisq; imperfectio & titubatio, mane præsertim cum è lecto surrexisset animadversa, futuram invasionem semper indicabat, quamvis aliâs in ipsa accessione, dum saltaret, atq; discurreret, vel membra jactaret, sensus exteriores illę si ac integri permanserint, quod facile judicare fuit ex eo, quod quodvis audire, & ne sese offenderet, sedulò cavere potuit. Interdum loqui omninò non potuit, & ad interrogata nequicquam respondere: sæpe autem quando affectio linguā inquietavit, incessanter garrire, imò canere etiam coacta fuit, & tum, quò plus loquebatur vel canebat, eò minus se circa præcordia affici, & immunem à molestâ cordis compressione fieri dicebat: quàm primum autem inquietudo linguam deseruit, ipsaq; deblaterare & canere cessavit, membri alterius, aut pedis aut brachii quassatio & agitatio secuta est. Interdū ratione omnino privatâ, interdum mente satis valere visa. Cibum in paroxysmo, maximè vehementiori, assiduè flagitavit, crassum imprimis, nempe panem secundarium cum butyro coctum [nostri communiter **ein rocken geschmaltzt Brod** vocant] quem avidissimè semper devoravit: quod si denegabatur, urgentissimè poscere non distitit, sæpe cum precibus, lachrimis, & indignatione; si alius quandoque & diversus ab eo, quem petierat, forsan exhiberetur, pro eo tamen, quem, postulaverat, cupidè comedit: imò interdum, si non confestim adesset, exacerbata, obvia quævis, ligna, stipulas, linteos, pannos, vel quidvis aliud ori ingessit, dentibusq; maximè si malum maxillas prehenderat, laceravit. Et si brachia inquietudo occupavit, illud, quo uteretur inter edendum, adeo hinc inde jactavit, ut difficulter cibum ori admovere potuerit, adeò ut sæpe in gerendo opem ferre necessum fuerit. In omni invasione frontis, temporumq; venæ turgescentes & livescentes apparebant. Frontis autem dolor, cordis tremor, orificii stomachi compressio, deliri sermones etiam, linguę item tremor, ac vocis titubatio futurā invasionem prænunciabant.

Dysuria etiam accessit non rarò, ita ut sæpe per integrum diem nihil excreverit, quamdiu nempe paroxysmus duravit; eò autem soluto, urinam emisit. Per totam noctem semper ferè dormivit, placideq; quievit, quantumvis totum diem inquietè peregerit. In somniis tamen aliquoties turbata est, sicuti & prius, cum sana adhuc viveret.

Prodigiosum hoc malum per 14. continuos ferè dies duravit, ita ut indies, vel membrorum motus concussivi, vel inquietudines jam enumeratæ exortæ sint: Postea verò remittere

remittere cepit, & non nisi certis dierum intervallis recurrere: eandem autem fermè idæam servavit semper, ita ut vel discurrere, vel membra quassare cogeretur, cujus invasionis principium delirationes, linguæque titubationes, tanquam prænuntii indicabant.

Commendantur in hoc casu medicamenta in morbo convulsivo proposita in tract. Germanico, quem Anno 97. Marpurgenses Medici ediderunt.

Varias adhibui medicinas, purgantes, roborantes, bezoarticas, internas & externas; fonticulum etiam nuchæ impressi: nihil autem, vel parum profeci: tandem autem mense Decembri, cum illa medicamenta, quibus olim Hassiaci Medici, in morbo quodam publicè grassante, huic penè simili, usi sunt, quorum descriptionem ab Excellentia Tua accepi, exhibuissem, sensim imminui affectio cepit, ita ut primùm paroxysmi mitiores facti fuerint, post ipsæ saltationes remiserint, tandem etiam membrorum concussiones mitigatæ. Nec tamen ne nunc malum extirpatum, nam quotiescunq; ad iracundiam commovetur, uti facile fit in re familiari, in quâ valdè se industriam exhibet, vel quando terretur, uti maximè accidit viso fulgure, & audito tonitru, aut impetuosiore, aut repentino sonitu, denuò ejus rudimenta subito eam apprehendunt, ita ut loqui nesciat, aut balbutire incipiat, sæpe etiam hinc unum, aut alterum membrum agitare compellatur: nec tamen diutius hæc durant, sed per mediam saltem, sæpe tamen etiam per unam aut duas horas; postea ad se reversa, rectè iterum se habet, optimeq; valet, adeò ut nihil adversi in ipsa animadvertere liceat. Plerumq; etiam recrudescit affectio, quando Luna superiora signa, nempe Arietem atq; Taurum, occupat, tum à sumto cibo manè præsertim, quamprimum aliquid degustat, tale quippiam quandoque patitur, ita ut delirare, linguâque tremere atque titubare, sæpè etiam hinc inde membrum quoddam agitare incipiat. Quando vero pulveris illius, & electuarii bezoartici usum non negligit, sed continuâ adhibitone subsidium sibi subinde comparat, ferè à mali invasione servatur. Et hæc ferè est mirabilis illa, & prodigiosa affectio, quæ stuporem omnibus astantibus & videntibus peperit.

Vide descript. Medicam. in Probl. Med. centur. Dec. 10. quæst. 7.

Cujus naturam & causas veras inquirere & indagare quamvis difficile sit, nihilominus tamen, cum non nisi ad *convulsorii affectus* speciem referri posse existimem, generalia quædam de convulsione hic proponere, ejusq; naturam rimari, causasq; indagare, non abs re duxi.

Convulsio alia in fieri, alia in facto.

Convulsionem, quæ consideratur tanquam symptoma depravati motus, aliam esse in fieri, quando nempe repetitis vicibus musculi contrahuntur & convelluntur, uti in *Epilepsia*; aliam verò in facto quando ii contracti servantur, nec motus interrumpuntur, ut in *tetano* apparet, per se manifestum est.

In hoc verò casu, cum primùm *Opisthotono* prehensa, immobilem cervicem haberet, postmodum in varias partes diffuso affectu, variæ convulsionum formæ, ex motuum convulsoriorum varietate exortæ sunt: nunc verò non cervicis tantum, sed & pedum, uti & brachiorum musculos distentos & immobiles vidimus, mox verò eosdem variâ contractionis specie hinc inde agitari, & præter voluntatem, iteratâ & continuatâ commotione, totum etiam corpus concitari observavimus.

Natura convulsionis cognoscitur cognito motu voluntario.

Ex naturâ autem *arbitrarii motus*, qui non est nisi contractio musculorum ad propria principia, capita nempe, à voluntate excitata, *convulsivi*, *& Symptomatici motus* natura & conditio perspicitur & investigatur, ut qui est motus depravatus, vel contractio musculorū ad sua principia, præter voluntatem à causa præternaturali suscitata.

Triplex instrumentum motus.

Causa hæc, ut exactius cognoscatur, primo *locus affectus* seu *πρῶτον δεκτικὸν* hujus *παθήματος* disquirendum est. Hoc triplex communiter Medici cum Galeno statuunt, nempe 1. *Cerebrum*, 2. *spinalis medullæ principium*, *&* 3. *particularem etiam nervum vel musculum*. *Carolus Piso*, in observationibus suis de colluvie & illuvie serosâ, argutè satis & eruditè de affecta convulsionis sede, *cerebro* nempe, *spinalis medullæ* principio, disserit, quod nempe nervi tanquam funiculi quidam ita continui sint cerebro, ut ejus membranis, tanquam principio nervorum, præter naturam contractis, concussisque, aut rigidis factis, necesse sit nervorum genus appensum, sive totum, sive magnâ ex parte, contrahi pariter, concutique, aut rigescere: membrorum autem contractionem sæpius repetitam, ita & constantem rigorem inferri à corpore alieno sua plenitudine replente nervorum principium, ejusque latitudinem seu cavitatem distendente, nempe dum cerebrum corrugatur, seseque ipso brevius efficitur, secum trahere omnia adnata, appendicem scilicet, nervosum genus, adeoq; fieri totius corporis *convulsionem non proportionatam materiæ, &c.* sed, quod pace tanti viri dixerim, ejus sententia parum firmis rationibus fulcitur.

Opinio Caroli Pisonis.

Contra opinionem Pisonis.

Nam cum Anatomicorum teste, cerebrum corpus fibrosum non sit, nec motu voluntario agitetur, certè subjectum etiam convulsionis, quæ non nisi in membrum voluntario aliâs motu præditum cadere potest, per se nequaquam erit, sed per accidens saltem, nempe propter effusionem materiæ spasmum efficientis, in capitis, vel totius etiam corporis musculos. Principium autem nervorum, quod est juxta primas spinalis medullæ partes, etsi fibrosum nonnihil sit, & hinc in substantiâ suâ exiliter contrahi & dilatari possit, quia tamen mollissimum est, & carnis omninò expers, tantum roboris, viriumq; habere non poterit, ut convulsorios motus, si ab opplente corpore contrahatur & distendatur, per se excitare queat; cum nec pro arbitrio nostro, vel unum membrum, nedum totum corpus simul contractione suâ movere possit. Et qui, quæso, imaginari nobis possumus, nervorum originem, aut cerebrū sic impelli posse, aut tam violenter distendi ac contrahi, ut contractione suâ oblongitudinis decessionem secum sursum trahat nervorum, qui ab ipso procedunt, surculos?

Nervi sanè in musculos absumti, nequaquam tanquam funes eos, & ex consequenti, artus, quibus ii inserti sunt, movent: nam minutissimi sunt nervuli, qui in eos inseruntur, ita ut contractione suâ nequaquam partem movere possint: imò si *Vesalio* credimus lib. 4. Anatomiæ, quibusdam nulli prorsus distribuuntur: sin verò distribuuntur, in tota tamen eorum corpora nequaquam sparguntur, sed nunc in ventres tantum, nunc in capita, aliâs in tendines eorum ramuli disseminantur, ita ut, etsi contrahuntur,

trahuntur, totos tamen musculos majores simul contrahere nequaquam possint. Imò ferè obliqua est, & flexuosa eorum insertio, quæ contractionem, tractùro organo necessariã, moliri non potest; qui ergo contractiores effecti, musculos, quibus inserti sunt, ad se pertrahere possunt? Et sanè si in corporibus mortuis manibus nostris trahuntur, non tamen musculos ad se attrahere percipimus, sicut hos, aut tendines eorum tractos, ossa videmus attrahere.

Nervi ergo nequaquam principalia & immediata motus arbitrarii organa sunt: Nam non ideo contrahuntur musculi, contractioneq; sua membra movent, quia ab iis, nervis nempe contractis, versus originem suam, trahuntur; nam ipsi contracti, musculos tamen secum trahere, uti jam probatum, nequaquam possunt: Sed in id à natura destinati sunt, ut animalem duntaxat facultatem cum spiritu, adeoq; imperium à cerebro ad musculos deferant, qui ipsi musculi, & potissimum fibrosa eorum caro, omnium Anatomicorum teste, primum & per se instrumentum sunt voluntarii motus. Si instrumentum, ergo etiam subjectum. Et si subjectum motus voluntarii, etiam involuntarii, adeoq; convulsorii motus δεκτικὸν erunt: nam voluntarium & involuntarium sunt contraria, quæ idem subjectum alterius occupant, ut de aliis quoque contrariis dicitur.

Musculos esse subjecta convulsionis.

Nervi autem, quamvis moveantur toto moto musculo, non tamen motio ab ipsorum tractione provenit, sed ipsi tanquam eorum partes simul moventur, adeoq; ut per accidens motus voluntarii, ita etiam involuntarii, nempe convulsionis subjectum sunt, licet aliàs ipsi sensuum, motuumque causæ, propter spiritum nempe, quem musculis & partibus sentientibus communicant, & distribuunt, rectè vocari possint.

Cum ergo neque in cerebrum, neque spinalis medullæ principium, talis & tam violenta distensio & contractio cadere possit, ita ut appensum nervosum genus ob longitudinis decessionem, quæ ad latitudinis augmentum & extensionem aliàs sequi solet, sursum trahi necesse sit: ipsi etiam nervi, quantumvis contracti ob causas supra dictas, musculos tamen secum trahere nunquam possint, profectò communem illam Medicorum de convulsionum primo subjecto opinionem rejicere cogemur.

Communis opinio de subjecto convulsionis rejicitur.

Quamvis namq; aliàs omnia corpora laxa atq; ductilia nempe membranæ, corrigia, lora, vel funiculi, seu chordæ, ex intestinis, fibrosisq, animalium partibus concinnatæ, si vel aquâ madefiant, vel uvido aëre turgeant, tantundem in sese contrahantur spontè, & de longitudine deperdant, quantum alienus humor, occultos poros subiens ac replens, latitudini augmentum dedit, & è contra, si eadem exiccentur nimium, aut evacuentur, mox tum quoq; incurventur atque attrahantur: non tamen hoc ad nervos accommodari, & inde convulsionis generatio per similitudinem hinc declarare potest: quia nervi humorum, vel redundantia, vel defectu contracti, tales manerent, nec rursus dilatarentur, & postea iterum repetitis aliquot vicibus, ut in convulsionib. evenit, contraherentur, quemadmodum etiam chordæ, vel alia corpora laxa à nimia humiditate & siccitate contracta, contracta etiam manent, nec modo contrahuntur, modo dilatantur iterum, repetitis vicibus nisi in alium transferanrur aërem. Insuper, si humor quidam convulsionem faceret, partes convulsæ facilè in suum naturalem situm torqueri, flecti, aut extendi iterum possent, nec tàm fortiter distorquerentur, nec aliquandiu distortæ manerent ac rigentes: Nam humor mobilis est, omniq; violentiæ cedit, nullâ per se ad resistendum vi præditus: Cujus concretio & congelatio in nervis aut musculis immedicabilem rigorem, non solitam convulsionem, indicaret. Et quæro, si humoris exuperantia convulsionem progigneret, quo pacto paroxysmi, quantumvis vehementes: interdum, tam citò, uti aliàs celerrimam convulsorios motus generationem & solutionẽ habere videmus, solvi possunt? Exuperans certe humor tam citò discuti ac absumi nequit, tam citò etiam non procreari, vel de novo rursus impelli ac irruere: Imò, si copiosior subindè irrueret, & sic magis, magisq; impleret, distendendoq; longitudinem imminueret, membrorum rigiditatem, & distensionem nervorum continuam & constantem, nec contractionem sæpe repetitam, & concussionem talem nervorum efficeret. Deficiens autem humor, sive nervorum exiccatio, multò minus convulsorios motus gignere potest. Nam tam subitò is restitui ac reparati non potest, iterumq; exiccari, ut tàm iteratæ concussiones exoriri, tamq; celeris solutio, atq; etiam generatio locum habere possit: quin & in vivo hominis corpore nervi eò usque exiccari non possunt, ut intendantur, quemadmodum chordæ in instrumentis musicis, quæ sic habiles sunt, ut pro conditione aëris humidioris aut siccioris, cui exponuntur, contrahi & extendi possint. Nervorum autem, qui ex seminali materiâ constant, ea natura & conditio non est, ut per se contrahi & extendi possint; & quamvis intendantur & contrahantur, per accidens tamen hoc saltem fit, nempe musculis intensis aut relaxatis, quorum ipsi partes sunt: nec etiam in corporib. nervi ita tensi ac sicci, ut in fidib. chordæ, apparent, sed laxi sunt, & tanquam pusilli ad musculos accedunt, ita ut animo concipere impossibile sit, quomodo sic propter repletionem dilatentur, aut ob exiccationem distendantur, ut manifestò breviores fiant, & hinc sequatur convulsio.

Contra commune Exemplum de Chordis.

Convulsionem ab humore non fieri.

Nervorum exiccationem non esse causam convulsionum.

Ex hactenus dictis patet, quod uti convulsionis subjectum, neq; cerebro, neq; nervorum principio, nec ipsis nervis assignari, sic humorib. illuc irruentib. & oppletione suâ distendentibus ac contrahentibus, efficiens causa proxima & conjuncta rectè adscribi non possit. Humores namque, sive crassi ii sint, sive serosi, & tenues, si in cerebrum & spinalis medullæ principium, & hinc etiam, in nervos irruunt & obstructiones faciunt, alios affectus, nempe Apoplexiam, Carum, Paralysin, &c. inducunt: nec ulla firma ratio adferri potest, cur serositates, si principium nervorum subeant, ibi subsistant, nec secundum nervos decumbant, atq; paralysin progenerent.

Humores in nervos irruentes potius alios morbos producere.

Et quamvis Piso effervescentiæ & ebullitioni materiæ causam adscribat, ex quâ sursum potius moveatur, quàm ad locum declivem delabatur, nihilominus tamen, cur

non

non etiam pars ad nervos transmittatur, eosq; affligat, vel si fervor remisit, non ad ipsos decumbat, vel vincente expultrice cerebri virtute eò propellatur, adeoque paralysin gignat, sicut in Apoplexia hoc fit, ratio dari nulla potest: nam materia tam citò, ac penitus resolvi nequit: tàm copiosa enim est, ut oppletione suâ, secundum ipsius sententiam, spinalis medullæ principium distendere atq; contrahere sufficiens sit. Nec soluto paroxysmo per palatum, vel alias vias eam excerni observamus: quamvis enim quandoque excretam materiam ipse observârit, non tamen, nisi paroxysmi violentiâ, eam, quæ forsan in capite delituit, commotam, probabile est: sanè hîc nihil tale observare licuit. Etsi autem quandoque Epilepticis convulsionibus paralysis vel Apoplexia superveniat, non tamen hoc accidit ob eam materiæ copiam & plenitudinem, quæ plus magis aucta, vehementiores & alios graviores affectus jam inducit, sed per accidens hoc saltem fit, nempe ratione convulsivorum motuum, per quos humores, antea quieti, nunc extimulantur & agitantur, & sic in iis corporibus hoc evenit, quibus debile caput, & pituitosis humoribus oppletum, adeoq; ad Apoplexiam & paralysin per se dipositum est.

Quæ sit vera causa convulsionis.

Causa ergo continens convulsionum ac depravatorum motuum alia inquirenda erit, quæ quidem ex voluntarii motus natura & actione exactius investigari poterit.

Nam idem esse debet substantiâ & specie quod utrumque motum voluntarium ac involuntarium, naturalem ac depravatum excitat, hoc tantùm servato discrimine, quodsi illa substantia secundum naturam se habeat, voluntarius, si autem præter naturam sit, involuntarius, & sic convulsorius excitetur motus.

Cum autem motus voluntarius ab animali spiritu, qui per nervos deducitur, ac in musculos excidit, eorumq; fibras ἕλξει καὶ ὤσει movet atque pellit, excitetur, consentaneum profectò est, motum depravatum, & convulsorium non minus à spirituosâ substantiâ, utpote flatu, aut flatulento vapore, musculorum fibris præter naturam sese insinuante, & pulsu, tractuq; illos ad suum principium contrahente, progigni & excitari. Ubi tamen quàm maxime observanda diversitas utriusque causæ efficientis.

Spiritus flatuosus & impurus.

Ratio I.

Nam animalis spiritus ab appetitu pulsus, motusque, siquidem si secundum naturam affectus est, definite musculorum fibras, agentium quidem intendendo, oppositorum autem laxando, movet, & sic contractionem ad sua principia voluntariam, quam postea totius membri vel inflectio sequitur, vel extensio, qui motus naturalis est, & voluntarius, efficit. Præter naturam autem affectus spiritus, & vel admixtione flatuum inutilium adulteratus, vel alienâ & infestâ qualitate depravatus, temerè & indefinitè undiquaq; subiens, vel propter impetum ac copiam, musculorum fibras plus æquo replet, atque distendit, vel propter malignam, sibiq; infensam, qualitatem exagitatus atq; disturbatus, musculos quoque variè impellit atq; exagitat, adeoque depravatos & convulsorios motus excitat.

Spiritus sanè flatulentus, vel teter vapor, animalibus spiritibus admixtus, musculisq; inclusus, quam maximam vim habet, invitis nobis violenter movendi, variasque spasmorum species excitandi: nam si vel unius musculi fibras præter naturam nimium intendit, vel oppositorum copiâ suâ replet, varias convulsiones, modo compositas, secundum vel unam saltem, vel duas etiam, aut tres loci differentias gignit: Tot enim cuivis membro convulsorii motus accidere possunt, quot modis juxta discrepantes loci differentias membrum illud à voluntate aliàs naturâ & arbitrio moveri potest. Qualitas autem aliena & substantiæ nervorum ac spirituum infesta, si & ipsa per nervos in musculos diffundatur, sopitos in musculis spiritus excitare & turbare potest, ut musculos convellat, non aliter atque appetibilium rerum species spiritus secundum naturam impellunt: & quò quidem talis qualitatis violentia major est, quàm naturalium impressionum appetitus, tanto quoque naturali ac voluntario violentior excitatur motus: quin & eadem pernitiosa qualitas crudos halitus, vaporesque in partibus delitescentes transitu suo exagitare, & ad musculos secum quasi rapiendo deferre, adeoque motus præter naturam, & convulsiones excitare potest.

Ratio II.

Causæ hujus efficientis assertio hinc verificatur, quod spiritus ad movendum quàm maximè valent, id quod aliæ etiam res, ut terræ motus, tonitrua, & bombardarum fragor testantur: Infesta autem naturæ qualitas spiritus perturbare atque agitare, naturalem eorum vim, pulsum atq; motum, qui alias à spiritibus sanis appetitu naturaliter motis definitè excitatur, pervertere, & ad summam violentiam pertrahere potest.

Ratio III.

Imò convulsoriorum motuum celerior solutio, subita generatio, & repentinus recursus satis declarant, talem ipsorum esse causam, quæ discussionem & regenerationem etiam celeriorem recipere potest: tales autem sunt spiritus, utpote, qui confestim absumi, & expelli, iterumque generari, aliena autem qualitas statim à natura superari & evinci, mox autem iterum ex foco suo diffundi potest.

Ratio IV.

Quin etiam momentanea spirituum per corpus translatio & celerrima quoque qualitatum, continuitatis alteratione, diffusio; ita ut hinc etiam manifestum satis sit & perspicuum, convulsorios motus, non nisi ab his causis efficientibus conjunctis & immediatis excitari.

Unde oriatur prædicta causa.

Verum causa hæc convulsionum efficiens aliàs in ipsis partibus musculosis generatur, quando nempe ibi flatuosi vapores coacervantur & colliguntur, & ex suppressâ aliquâ evacuatione, humore eò translato, indè evocantur, qui in fibras musculorum penetrantes convulsionem excitant: aliàs autem aliunde ad ipsas defertur, sicuti hoc fit, cum à cerebro, vel spinalis medullæ principio vapor aliquis, vel infesta qualitas, ibidem excitata, vel ab aliis partibus, ut stomacho, utero &c. eò transmissa, transfunditur, uti in Epilepticis affectionibus hoc evenire solet.

In his enim pro materiæ copiâ, alienorumque vaporum multitudine, portio vel in capitis, ejusq; partium, vel in reliqui etiam corporis, ut manuum aut pedum musculus, per nervos distributa, & effusa, convulsiones, distensiones, palpitationes, tremores, aliosq; consimiles, præter

Quomodo generentur differentiæ Convulsionum.

naturam, motus ciet, & excitat. Sic quando musculis, capitis aut cervicis motibus destinatis, flatuosi vapores communicantur & insinuantur, & ab iis æqualiter ipsorum partes tenduntur, convulsis ad principium suum utrisque musculis, tum inclinantibus, & erigentibus, tum flectentibus, & tendentibus, ut nullam in partem inflecti queat, *tetanus* sive rigor exoritur: Si verò in anteriora tensio fit, è convulsione flectentium, ἐμπροσθότονος, si verò in posteriora, è convulsione tendentium ὀπισθότονος generatur. Quando verò iidem vapores ad alias partes distribuntur, quatenus diversimodè earum musculis sese insinuant, alias etiam convulsionum species adferunt: Sic alia convulsio solitaria est, alia conjuncta cum rigore, tremore, aut palpitatione, alia plures habet motuum repetitiones, alia pauciores, alia plures membri partes occupat, alia pauciores, vel unam tantum infestat. Imò ex ipsorum vaporum naturâ & conditione variæ species producuntur: nam flatuosi si sint, & crassi admodum, cum magnâ distensione convellunt, si malâ qualitate præditi, vario modo spiritus animales exagitant, & quemadmodum in ipso cerebro eos ita alterant & perturbant, ut inhabiles fiant, quò minus amplius principalium, & αἰσθητικῶν ἐνεργειῶν instrumentum esse possint: ita per nervos ad musculos depulsi, eosdem spiritus ibi contentos ita præter naturam afficiunt ac labefectant, ut naturalis & voluntarii motus opifices amplius esse nequeant, sed violenter exagitari, violentos & præter naturales motus excitent. Et, hoc quàm maxime fieri potest, si tali qualitate vapores infecti sunt, ut cerebri ἐνεργείας non penitus tollant & extinguant, uti aliàs in Epilepsia fieri solet, sed labefactent saltem & depravent, ubi tum iidem in musculosas corporis partes, cum animalibus spiritibus, delati atque depulsi, depravatos quoque motus varios ac insolentes creare & ferè tot modis musculos ac membra, præter naturam, & voluntatem, exercere & exagitare possunt, quot modis aliàs à spiritibus secundum naturam se habentibus, ab appetitu sano ac integro pulsis atque motis, membra naturaliter moveri possunt. Quod sanè in præsenti hoc casu manifestum est, in quo varias illas convulsionum & perversarum motionum formas, non nisi à flatulento vapore, malâ qualitate prædito, qui spiritus animales in ipso cerebro, quin etiam in nervis & musculis variè afflixit atque exagitavit, suscitatas esse, paroxysmorum invasions & solutiones veloces, recursus repentini, insultus subiti, afflictiones mirabiles, quæ diversimodè, & per quævis temporum momenta, nunc hanc, nunc aliam corporis partem, nunc superiores, nunc inferiores, modò dextras, modò sinistras, nunc unam vel plures, nunc omnes simul, nunc mentem, modo corpus, infestârunt, ac corporis ἐνεργείας, motum, inprimis naturalem, depravârunt, abundè demonstrant. Ubi autem, & in quâ parte materia illa, ex qua præfati vapores mali suscitantur, delitescat, vel ubi focus ille resideat, quæ pars fomenta assidua det, obscurum omninò est, cum nulla ferè pars, suæ vel infirmitatis, vel alterius cujusdam affectus indicia exhibeat. Capitis quidem dolores paroxysmum præcedentes, aliáque signa etiam, cerebrum affectum ostendunt, alia verò ex inferiori corpore elevari commonstrant. Ut ut sit vapores sanè mali, vel in ipso capite, vel inferiori corporis parte suscitati, modò ad ipsum cerebrum, modò nervorum principium, primasque spinalis medullæ partes delati, animales spiritus perturbant atq; labefactant, adeò ut principium ἐνεργειῶν depravationes, mentis & memoriæ læsiones ac deliriationes sequantur. Ex cerebro autem in origines nervorum & spinalis medullæ distributi, & inde per nervos in musculos dispersi & disjecti, eos ità replent & intendunt, ut variæ spasmorum vicissitudines, & tàm violentæ pedum & brachiorum distensiones, oriantur, Spiritus a. in nervis & musculis contentos ita exagitat, ut indefinitæ membrorum concussiones, & inquietudines perpetuæ suscitentur. Ad quoscunque autem nervos ex cerebro vapores hi deferuntur, easdem illi partes, ad quas ij excurrunt, affligunt, sicuti plerúmque per sextæ & septimæ conjugationis nervos hactenus delapsi, linguæ & stomachi orificio maximum negotium & difficultatem attulerunt.

Variarum convulsionum causæ manifestantur.

Accommodantur dicta ad causam prædictam.

Sed nolui hîc exactè omnium symptomatum accidentium rationem, generationisque modum describere, sed hæc saltem generatim de causis convulsionum, & præsentis affectionis proponere, & absq; omni aliorum injuriâ, & contumeliâ in medium proferre lubuit.

Tibi autem, Vir Clarissime & Doctissime, hæc penitus examinanda & discutienda remitto, omniáque Judicio tuo submitto. Vale, & mihi favore perge. Dat. Memmingæ 10. Julii Anno 1623.

Ad Clariss. & Excellentiss.

Dn. D. JACOBUM ECKOLDUM, Reip. Imperialis Memmingensis Physicum ord.

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. GRATA mihi fuit observatio tua singularis, de mirabili morbo convulsivo, Vir Clariss. & Excellentiss. fautor & amice pl. colende: digna profectò, quæ posteritati relinquatur, quàm ob causam eandem cum aliis meis, si pace T. Excell. fieri poterit, publici Juris facere conabor.

Complicatos hîc Cerebri, nervosique generis affectus concurrere video, primò quidem præcedentibus animalis facultatis, tàm quò ad sensum, quàm etiam quò ad motum læsionibus diversis, *Opisthotono* laborantem puellam affectam dicis, quem tandem vehemens & perseverans *pedum convulsio* subsecuta fuit, ad quartum usque diem juxta *progn. Hipp.* perdurans, quâ subitò desinente per menstruum spacium optimè habuit ægra.

Cum autem sub initium Aug. præcedentis anni 1622. *capitis dolores* ingentes præcessissent, titubatione vertigineque præeunte, prædictam puellam in *Coma quasi vigilans*, incidisse refers, cum repetitâ corporis concussione, *memoriâ* interim & *intellectu* quoq; deficientibus mox, mox etiam redeuntibus, donec tandem partitis vicibus, jam brachia, jam pedes, præter voluntatem hinc inde convellerentur. Hâc particulari convulsione conquiescente, membro-

membrorum inquietudo, tandemque miserabilis insaniæ species, quam *saltationem S. Viti* nominare consueverunt, ut scribis, successit, cum aliis accidentibus variis, ob varias nervosi generis læsiones in diversis partibus obortis, quemadmodum diligenter & graphicè illa omnia depinguntur. Hujus affectus rari, multumque complicati memini inter alias amicas conversationes, quas de re Medica coràm habuimus, factam fuisse mentionem, ubi succurrebat memoriæ *morbus convulsivus Epidemicus*, qui quondam inferiorem Hassiam, & vicinas regiones graviter afflixit, cum quo similitudinem quandam prædictum affectum habere putabam, quod etiamnum verisimile redditur, cum addas, appropriatis istis Medicamentis, quibus olim *Hassiaci Medici* convulsivum morbum expugnare conati sunt, sensim affectum imminutum, ipsasque convulsiones, jectigationes ac saltationes mitigatas fuisse. Sanè dignus est hic morbus, in cujus causas penitius inquiratur, quamobrem ea, quæ de natura convulsionis subjicis, libenter legi, præsertim cum videam, te potius rei veritatem, quàm aliorum authoritatem, fundamenti loco ponere. Rectissimè enim depravati motus causam determinabimus, quando, quî secundum naturam animalis corporis nostri motus perficiatur, exactè satis intelligimus, quemadmodum rectè statuis. Hîc tecum præcipuum motus arbitrarii instrumentum, *musculum* statuo: non enim sufficit, ut *objectum*, tanquam immobile movens ab intellectu vel phantasia cognitum, appetibilem facultatem excitet, sed necessum est, ut isto appetitu *locomotiva*, partibus motui destinatis inhærens, incitetur, quæ tum demum aget, & motum localem absolvet, quando proportionatum motus instrumentum nancisceetur, cujus beneficio commune facultatis animalis organum, *Spiritus* videlicet *animalis* affluens, commodè recipi possit. Hæc spiritus animalis ἀθρόως facta receptio jam hoc, jam illo musculo, motum ex intentione jam hunc, jam illum producit, idquè sensibili musculorum agentium contractione, quam sensualis eorundem in latum extensio, & per consequens induratio quasi, satis confirmat, quemadmodum pluribus in *Exerc. de motu voluntario* demonstravimus. Quod si motus jam impediatur, necessariò musculus præter naturam sese habebit; *idque vel per se*, quatenùs ipsius substantia minus ad spiritus animalis cursum atquè recursum momentaneum recipiendum, propter alienum quid, inhabilis est; *vel ex accidenti*, quatenus communicatio spiritus animalis, tàm qualitate, quàm quantitate peccans esse potest. *Ita per se* motus omninò tollitur, musculi ratione, in *paralysi confirmatâ post colicos dolores*, ubi peccans materia per μετάστασιν ad habitum musculosum translata impedit, quò minus affluens spiritus recipiatur: Sic morbosa musculorum dispositio, vel ob virium dissolutionem, vel ob eorundem oppressionem, concurrente facultate motrice, tremorem producit. *Per accidens* autem musculus ad movendum inhabilis redditur in *paralysi propriè dicta*, quando spiritus animalis obstructis nervis penitus non influit: vel ubi communicatur quidem, sed imperfectè, quod fit in *Epilepsia*, quæ motum convulsivum habet conjunctum à musculorum læsione, non per se, sed ex accidenti provenientem, quatenus cerebrum & potissimùm nervorum principium in hoc morbo, qualitate noxiâ potius in vaporosa, quam crassâ materiâ subsistente, vellicatur, ita ut insurgendo contra malignitatem ejus expellendam, facultas animalis, ob influxum animalis spiritus impeditum, totum nervosum genus concutiat. Jam quod *convulsionem propriè dictam* attinet, rectè deducis ex accidenti musculum hîc non laborare motu tensionis & contractionis præter voluntatem, idque non principaliter cerebro laborante, nec etiam nervo, vel repletione, vel inanitione præter naturam, juxta communem assertionem, affecto, præsertim cum experientia confirmet, cerebro sæpius integro, nec quicquam præter naturam affecto, quod persistens ejus operationes testantur, nihilominus gravissimas convulsiones jam hanc, jam illam partem torquere posse, sicuti non tantum in *morbo convulsivo*, Hassiæ olim Epidemico, sæpius, sed etiam in illustrissimâ quâdam puellâ, propter imperfectam variolarum expulsionem diversarum partium miserabiles convulsiones patiente, ante decennium circiter vidi, quemadmodum pluribus in meis observationibus idipsum deducitur.

Nervorum enim repletionem vel inanitionem rectè contra communem insufficientem statuis, in quo *Erasto*, *Sennerto*, & aliis subscribis, quorum assertio mihi quoque verisimilior videtur. Miror autem, cur non tantum veteres, sed etiam recentiores ita se torqueant in demonstrando convulsionis modo per inanitionem & repletionem nervorum obortæ, cum tamen quibusdam hujus affectus exemplis coacti tertiam causam, nimirùm irritationem, ab aliena qualitate provenientem in musculosis partibus agnoscere cogantur, quemadmodum alicubi apud *Galenum*, *Avicennam*, & reliquos videre licet; at unius effectus causæ proximiores toto genere differentes, salvâ Philosophicâ veritate, quomodo statuentur? necessum igitur erit in omni convulsione propriè dicta (convulsivos enim motus per consensum irritatione principii nervorum factos excipio) *qualitatem aliquam fibris musculosis inimicam* musculis offerri, cujus ratione facultas naturalis ad expellendum irritetur, quam agentem animalis facultas in consensum tracta juvet, ut eò promtius agat, unde motus depravatus oritur, musculis præter voluntatem contractis & extensis. Hanc inimicam qualitatem non crassæ cuidam materiæ, sed *vaporosæ potius substantiæ* rectè tribuis, idque non solum generationis, sed etiam resolutionis modus satis confirmat, quemadmodum illud pluribus à te confirmatur. Hoc non tantum sensus testatur in partib. convulsis, ubi subitò contractos musculos intumescentes, & induratas deprehendimus, sed confirmant idipsum quoque media flatuosam & vaporosam materiam discutientia, quâ ratione subitò theriacalib. aquis, item destillato hirudinum cum castoreo & similib. externa frictione & fomentatione adhibitis, ad miraculum usque tensionem partium dolorificam remissam atq; lenitam fuisse vidi, tamdiu, donec de novo concitata, vel exa-

Musculum esse præcipuum motus animalis organum.

Vide lib. 1. obs. de febribus.

Proximæ causæ convulsionis.

vel exacerbata viciſſim peccans ejusmodi vaporoſa ſubſtantia facultatem expultricem irritaret, *ſive in ipſo habitu muſculoſo prædicta cauſa radicetur*, quod in obſervatione noſtræ puellæ illuſtriſſimæ, propter imperfectam variolarum expulſionem, ejusmodi convulſionibus graviter affectæ, patebat, *ſive etiam aliunde nervoſis atque muſculoſis partibus confertim communicetur*, quod fortaſſis in tuâ quoq; puellâ factum fuit, utpote quæ remediis illis, contra morbum convulſivum viſcerum olim obortum, præſcriptis bene habuit. Quod autem his remediis in talib. caſibus plurimum tribuendum ſit, ipſemet confiteri cogor. *In probl. meis Med. Dec. X. q. 7.* mentio fit puellæ cujusdam, quæ Gieſſæ, Anno 1609. recidivam morbi convulſivi patiebatur, cui per prædicta quoque remedia priſtina ſanitas, DEI benignitate, reſtituebatur, ita ut ad diſceſſum usque meum per annos multos, nihil amplius de hoc malo conqueſta fuerit. Fratrem habet eadem, qui in pueritiâ ſimilem paſſus eſt affectum, cui Clariſs. Medicus, *Dn. D. Henricus Ellenbergerus*, tunc temporis Profeſſor Marpurgenſis, jam verò Brandeburgicus Halæ Saxonum Archiater, quem honoris causâ nomino, iisdem quoque remediis ſuccurrit, idque modo ſingulari puerulis accommodato, quemadmodum ex additâ ejusdem Epiſtolâ ad prædictorum liberorum parentem, Clariſs. *Dn. D. Petrum Hermannum Nigidium*, Profeſs. Marpurgenſem tunc temporis perſcripta, num. 1. colligere poteris. Imo ſæpius etiam, ubi ſuſpicio tantum, vel ſimilitudo quædam hujus affectus adeſſe videtur, præſentaneum adjumentum præſtitiſſe, prædicta remedia teſtari poſſunt, quod ſequens hiſtoria confirmat. Vivit etiamnum Vir Reverendus & Doctus, *Dn. Chriſtophorus Schellenbergerus*, Parochus in Schlitz, Ditionis Fuldenſis, qui An. 1619. 4. Maij, gravativos circa collum atque ſcapulas dolores patiebatur, qui tandem genu ſiniſtrum admodum excruciabant, unâ cum ſuperveniente tumore, mox locum hunc relinquentes genu dextrum etiam occupabant, imò & brachia, manus atque pedes alternatim vagabundis ejusmodi doloribus intumeſcebant, abſente interim omni viſcerum intemperie ciborum appetitu naturaliter ſe habente. Cum autem, me tunc temporis abſente, Clariſs. Viri *Dn. D. Cornelii Thaureri*, Medici Hirſchfeldenſis, opem imploraret præmiſsâ primum evacuatione conveniente, potum quotidianum ſequentem ordinavit, nimirum vinum medicatum, quod

Arthritis vaga.

℞. *Rad.* *Cichorei* ℥j.
Vincetox.
Garyophyllatæ ana ℥ß.
Succiſæ, pæon. ana ℥ij.
Herb. Betonicæ
Capill. Veneris.
Ivæ Arthrit.
primulæ veris cum toto. ana Mj.
Fl. Anthos, Salviæ.
Thymi ana Mß.
Fol. Card. ben. Mj.
Incidantur groſſo modo pro vino medicato.

Inſuper addidit uſum quotidianum pulveris convulſivi, quem hoc modo præſcripſerat,

℞. *Pul. Rad. Vintetox.*
Sarſaparill.
Succiſæ.
Garyophyllatæ ana ʒij.
Pæon.
Bacc. Lauri ana ʒj.
Pul. Roſmarini
Salviæ.
Thymi ana ʒß.
Sp. Plires archont.
diamoſch. amar.
Dianth. ana ℈j.
f. pulvis.

Hoc pulvere ſingulis diebus matutino tempore quantitate ʒj. aſſumpto, ſimulque ſæpius ſudore provocato, & per ſeptimanam unam atq; alteram continuato, graviſſimi dolores & partium externarum tumores ita diſcuſſi fuerunt, ut poſtea paucis remediis corroborantibus pedetentim priſtinæ ſanitatis vigori patiens reſtitutus fuerit. Quanquam verò hoc loco potius arthritis aliqua vaga, quam convulſivus morbus adfuerit, nihilominus absque ratione prædicta remedia non fuerunt adhibita, propter materiæ peccantis convenientiam, quæ procul dubio convulſionem produxiſſet, niſi craſſior & ſeroſior, minusque vaporoſa fuiſſet, unde dolorem mox intumeſcentia partium ſubſecuta fuit. Sic in Scholæ miniſtro præcedentibus menſibus hîc graviſſimam arthritidem vagam, poſt dyſenteriam invadentem, habuimus, ubi dolores jam hoc jam illud membrum, cum ſubſequentibus tumoribus graviter affligebant, ſæpe ſimul convulſis etiam partibus quibusdam, inprimis linguâ præter voluntatem tremeſcente, cui non aliter tandem, quam per Chinæ & ſaſſafras decoctum ſuccurri potuit, qui procul dubio citius reſtitutus fuiſſet, ſi prædictis etiam appropriatis remediis uti potuiſſet. Mirandum verò quod addis, convulſiones illas *Saltationem S. Viti*, ſymptoma rarum, & paucis viſum, introduxiſſe. Memini me præcedenti verno tempore cum mulieribus quibusdam locutum quæ quotannis *Sacellum S. Viti*, quod eſt in **Dreſelhauſen**/ in finibus Ulmenſiũ, non procul à Geislingem, propè **Weiſſenſtein**/ ditionis Rechbergenſis, viſitant, ibidemque ſaltu cum perturbatione mentis eò usque ſeſe nocte dieque exercent, donec Eſtaticorum inſtar corruant, quâ ratione ſibi reſtitutæ videntur, ut parum vel nihil ſentiant, per annum integrum, usq; ad Maij tempus ſubſequens, ubi membrorum inquietudine eò usque ſeſe torqueri referunt, ut viciſſim circa *feſtum S. Viti* ad prædictum locum ſaltationis gratiâ ſeſe conferre cogantur, quemadmodum una ex ejusmodi mulieribus per viginti & plures, alter per 32. annos ibidem quotannis ſaltaviſſe dicebatur. Absque ſuperſtitione hoc, quicquid eſt, non eſt, utpote cum veriſimile videatur exacerbari verno tempore cauſas convulſivorum motuũ in membris naturaliter, quas poſtea, cum ſingulari vehementiâ animi, ſpe reſtitutionis, *per Sacrificiũ S. Vito obla-*

Alia obſervatio.

Obſ. Saltationis S. Viti.

oblatum, suscepta saltatio fortassis ita dissipat, ut recollectis viribus aliquandiu tales ægrotantes ab invasione liberæ permaneant.

Obser. similis saltationi S. Viti.

Novi puellam honestam, Mercatoris filiam in hâc Republica, quæ jam per annos aliquot verno tempore, cum aliqua, sed levi, mentis perturbatione, similem affectum ferè patitur, ut inquieta jam hoc, jam illud membrum movere cogatur, sæpius & linguâ sermonisque operatione interceptâ, de loco ad locum hinc inde commovetur, quod per septimanas aliquot singulis annis nocte dieque continuat: Valdè vereor, ne tandem gravius aliquid hîc etiam expectandum sit. Quanquam verò non ignorem, ex authoribus, quosdam in *saltu S. Viti* nihil quicquam convulsivi concedere velle, contra alios ex Arabibus, quatenus mens iisdem alienata tantùm videtur, cujus ratione perversus saltandi conatus & appetitus oriatur: nihilominus, si fides adhibenda mulieribus illis, cum quibus hac de re præcedenti verno tempore sum locutus, omnino statuo, convulsivos hîc motus concurrere, præsertim cum affirmârint, quod pluribus septimanis, antequam *Sacellum S. Viti* accedant, tensivos omnium artuum dolores, unà cum lassitudine spontaneâ, capitisque gravitate paterentur, in quo statu permanent, eò usque, donec accedentes ad consuetum saltationis locum, organum Musicum, quod in eorum gratiam pulsatur, audiant, ubi mente magis, magisq; perturbatæ [fortassis concurrente simul imaginationis firmioris, spe sanationis, impressione] saltare cogantur, ut accidat ipsis ferè, quod iis, quos à Tarantulæ morsu læsos dicit *Matthiolus*. Imò tua quoque puella satis hoc ipsum confirmat, quæ non tantum antecedentes, & in ejusmodi saltationem degenerantes passa fuit convulsiones, sed impedita quoque convulsivum quid in præcordiis protinus sentire fuit visa, quâ de causa frequens ista saltationis commotio causam convulsionum in ipsis mitigare videtur. Cæterùm ubi focus antecedentis causæ latuerit in puellâ tuâ, non facile patet. Ex vermibus latentibus, & certis temporibus virus malignum expirantibus convulsivos motus interdum excitatos fuisse constat experientiâ, quemadmodum etiam casus, occasione historiæ tuæ communicatæ per Clariss. Virum, *Dn. D. Augustinum Thonnerum, Collegam meum colendum*, ad me perscriptus num. 2. idipsum confirmat. At vero cum diuturnus affectus maximè radicatam mineram innuat, potius in collectione corrupta circa venas splenicas & meseraicas, causam antecedentem residere putarem, quemadmodum in honestâ quoque fœminâ, superiori Anno, similem convulsivum affectum per excretionem copiosam materiæ peccantis per alvum rejectæ, præeuntibus variis digestivis, maximè mitigatum fuisse memini, sicuti pluribus in lib. 2. observat. mearum patet. Verùm cum de occultis & latentibus morborum causis, quod hoc, vel illud individuum attinet, anceps sæpius judicium sit, hîc etjam subsisto, tibique pro communicatione singularis hujus casus gratias maximas ago. Vale Vir Clariss. & Excellentissime, meque post hac etiam amare perge. Dabam Ulmæ pridie Calend. Decembr. 1623.

An saltatio S. Viti sit convulsivus motus.

Observationem hanc vide in lib. 2. de morb. capi.

ADDITAMENTUM
NUM. I.

Clariss. Viro,
Dn. PETRO HERMANNO NIGIDIO, J. U. Doctori, & Profess. in Acad. Marpurg. Dn. Collegæ & amico.

CLarissime Vir, amice & Collega honorande: quod heri promiseram, me cogitaturum, quomodo filioli tui, difficili sanè & afflictæ valetudini succuratur, uti debui, feci sedulò. Neque causam video, quare sententiam meam de usu pulveris istius mutem: nempe decoquendum potius leniter esse in sero lactis caprini, vel etiã ipso lacte, & hac ratione propinandum. Vitabitur ea ratione difficilis ejus transvoratio, & calor puelli imbecillus commodius medicamento utetur. Capias igitur licebit pulveris istius convulsivi, uti vocant, duas drachmas, & conservæ Betonicæ & florum pœoniæ, singulorum unam unciam, eâque simul linteolo includas, lacte ad levem ignem incoquito, eique frequenter instillato. Ita vires aliquantulum instaurabis, & morbi vehementiam lenies. Illinire etiam dorsi spinam bis, terve, de die cum oleo, cujus heri usum commendavi, non poterit non prodesse.

Intelligo pulverem convulsivum, cujus antea facta fuit mentio.

DEUS Opt. max. suâ benignitate misero puello opem ferat, teque solicitudine clementer levet rogo. Dabo operam, si vixero, ut crastino die te invisam, VALE.

Tuus

Henricus Ellenberger, D.

ADDITAMENTUM
NUM. 2.

Vir Clariss. & Excellentiss.
Dn. AUGUSTIN. THONNERUS, Med. Doctor, & Reip. Ulmensis Physicus.

GREGORIO HORSTIO, D

S. CLARISSIME & Excellentissime Vir, fautor & Collega plurimum colende. Quoad casum puellæ convulsorium, à *Dn. D. Eckoldo*, literis consignatum, & mihi communicatum, quin symptomata illa à vaporosa & venenosa materia fuerint pronata, haut ambigo: cum, prout subitam habuere γένεσιν ita & διάλυσιν. A qua minera verò vapores illi sublati, qui fons atq; scaturigo, qui locus primariò affectus, certi quippiam statuere haut obvium, nec expeditum, nec libet ea pro tempore scrupulosius investigare. At non abs re fore duxi, non absimilem convulsorium affectum, à vermibus concitatum, delineare, qui mihi ante annos 16. in Urbe Imperiali Isnensi praxin tum Medicam, exercenti, curandus obtigit. Est etiamnum in vivis Dominus David Wolff, Vir oppidò bonus, mercator opulentus, & illius Reipub. Consul, cujus filia 14. annorum, cum hyberno tempore, mediâ nocte sævissimis symptomatibus tentaretur, & ego, ut præsidia adhiberem medica, accersitus, thalamum ingressus, offendi ægram in lecto sedentem, rectâ cervice spiritũ ægrè ducentem,

Obs Convulsio à vermibus.

tem, ingentem colli constrictionem sustinentem, quasi laqueo injecto ita fauces præcludente, ut præsentaneum immineret suffocationis discrimen, nî subitaneæ auxiliares manus præstò fuissent. Primo aditu ac contuitu attonitus ac dubius, quidnam de morbi genere pronunciandum, nec non anxius & sollicitus, quibus remediis succurrendum. Superis cogitationes meas dirigentibus, ilicò aquam cordialem Bezoart. ordinavi: vix unius atque alterius cochlearis dosi assumptâ, colli coarctatio protinus, haud sine stupore adstantium, & meo remisit: at quadrantis horæ spacio post rediit: ab usu istius aquæ denuo recessit. Cum id observassem, muliercularum catervæ tùm adstanti referebam, me suspicari, πάθος illud à vermibus causari, qui dulcedine ac suavitate aquæ Cordialis illecti ac sopiti conquiescant, symptomati illi inducias concedentes: at cuidam Medicatrici, eo loci primariæ, istud meum effatum absonum videbatur, dum rei eventus vaticinium comprobasset. Ab usu illius aquæ constrictio colli omninò abiit, ut ægra quasi è faucibus mortis erepta crederetur. Interim tamen supervenêre convulsiones utriusq; brachii, & utriusq; pedis, per intervalla repetentes. Modò dextrum, modo sinistrum ad pectus: jam dexter pes, modò sinister, ad nates usquè invita ægra, magna violentia alternatim reflectebantur, & quasi funiculis alligata retrahebatur. Tam miserabile spectaculum mihi haut obvenit per totam vitam. Ad malum illud eliminandum præscripsi hydromel laxativum, scopo invermes directo; primo haustu absorbto, circa vesperam, cum colluvie pravorum humorum etiam excretus vermis oblongus, & tardius prædictarum partium convulsiones rediêre, aliquot horarum intervallo conquiescentes. Postea matutinâ altera dosi assumpta, duo itidem, oblongi & sat crassi vermes rejecti. Tertiò diluculo tertio cyatho oblato, unicus adhuc vermis expulsus, & exin juvencula illa ex toto in integrum restituta, ab omnibus illis gravissimis symptomatis libera, ac immunis evasit. Et sic αὐτοψία & ἐμπειρία luculento erat testimonio, præcitata symptomata, prout meum augurium, à vermibus pronata. Num autem in virgine illa, cuius *D. Eckoldus* mentionem fecit, vermium seminarium delitescat, & symptomata illa sæva invehat, aliis speculandum relinquo: mea cymba littus legit. Valeas athleticè. Ex Museo, Ulmæ 3. Decembr. Anno 1623.

OBSERVATIO XLVI.

Hemicrania cum intumescentia gingivarum.

ANno 1621. sub finem Maji Theologiæ Studiosus Giessæ, M. Ioh. Matthias Suecus, conqueritur, quo ingruente adversâ aëris tempestate, vel etiam præcedente aliquâ intemperantiâ fluxiones capitis patiatur cum hemicraniâ sinistræ partis: interdum verno potissimum & autumnali tempore gingivarum intumescentiam & exulcerationem sibi accidere, superaddebat; cum corporis gravitate, somno profundo & cerebri excrementis copiosis, Vrina subjugalis erat.

RESPONSIO.

ADest hîc *sanguis serosus in copia*, propter lienis imbecillitatem collectus, qui *in capite cumulatur*, ob cerebri constitutionem humidam, ibidemque *dolorem* producit, acrimoniâ suâ, non *omni tempore*, sed *post crapulam*, cruditate propter superflua potulenta, adauctus, vel etiam *verno & autumnali* tempore, quibus aliâs sanguis cum sero in corpore ebullit, ubi *sanguinolentiam gingivarum* producit, propterea quod caro tenerior citius acre serum imbibat, quemadmodum in dispositionibus scorbuticis etiam manifestum redditur. *Somnus profundus* adest, ob copiam humiditatis, *corporis gravitas*, propter sanguinem impurum in habitu musculoso non perfectè digestum; *cerebri excreta copiosa*, propter materiæ copiam; *& urina subjugalis*, antecedentis causæ, respectu. Hîc omninò necessarium esse judicamus;

Determinatio morbi.

Indicationes.

1. *Vt per vices viscera concoctionis materiâ præparatâ purgentur.* 2. *Serosus sanguis in toto sudoriferis appropriatis minuatur.* 3. *Caput cephalicis corroboretur.*

Ad 1. Nodulus purgans adhibeatur, quem postea Morsulorum purgantium de Mechoa subsequatur usus.

Ad 2. optimè prius viis primis & secundis purificatis instituatur διαφόρησις per potiones scorbuticas sudorem promoventes.

Ad 3. Morsuli contra defluxiones, pilulæ de succino, confectiones capitales, Balsamus majoranæ, &c. diligenter, usurpentur, juxta modum in *lib. de tuenda san. literatorum* suo loco præscriptum.

OBSERVATIO XLVII.

Affectus capitis per consensum.

VIR Reverendus Dn. M. Ludovicus Steitzerus, Ecclesiastes Aulicus Hassiacus, anno 1617. 18. Novemb. conqueritur de imbecillitate facultatis animalis, quæ per septimanas aliquot sese exhibuerit, non continuò, sed per intervalla, cum dolore subito irruente, & anxietate circa præcordia. Somnus fuit interruptus, cum somniis perturbatis; interdum etiam pervigilia, dejectus appetitus, sitis frequens: urina tenuis flammea, cum nebulâ suspensâ.

RESOLVTIO.

CApitis *Affectum* per consensum jecoris & ventriculi adesse conjicio, quâ de causa *circa tempus jejunii* magis hoc accidens *exacerbatur*, ubi ascendentes evaporationes materiam in cerebro collectam magis irritant, idq; potius ratione causæ antecedentis vi caloris excedentis, quàm frigoris, quæ frigidam humidam intemperiem cerebri, fluxionibus magis obnoxiam reddit. Eò igitur respiciendum, ut post universalia præmissa, 1. *Per lenientia stomachica collectio circa primas vias ulterior præcaveatur.* 2. *Calidior viscerum concoctionis intemperies temperetur.* 3. *Concoctio convenienti victus ratione juvetur.* 4. *Et tandem caput ipsum quoque respiciatur, materiam collectam revellendo, & cephalicorum convenientium usu corroborando.*

Determinatio affectus.

Indicationes.

Pro

Pro 1. *Pro primo* conveniebat usus *massæ pil. Angelicarum*, frequenter ante cœnam; *pillularum de succino* ante somnum, ut & *Rhabarbari atque agarici dilutum* matutino tempore sumtum, idque vicibus partitis.

Pro 2. *Pro secundo*, conserva Rosar. Vitriolata, cons. Rad. Cichorei, Morss. de citro & similia sufficiant.

Pro 3. *Pro tertio*, victus sit facilis digestionis, sale & aromatibus non admodum conditus: potus sit vinum mediocre, salviâ, roremarino, betonicâ & similibus conditum, cujus vicarias partes interdum sustineat infusum sassafras, cerasorum nigrorum, cum pauxillo cinamom, decoctum seminis coriandri præpar. cum galanga &c.

Pro 4. *Pro quarto*, revulsionis gratiâ suasi vesicatorium ad nucham, non neglectis etiam roborantibus convenientibus.

OBSERVATIO XLVIII.

Polypus non exulceratus.

P*Vella nobilis & nubilis, annorum circiter 19. capitis fluxionibus obnoxia, non rarò tinnitu aurium interius, & parotidibus exterius laborans, de tuberculo narium interno conqueritur, quod tactu durum, ac visu sublividum apparebat.*

RESOLVTIO.

Polypus quid. INitium *polypi* statuebam hoc loco, tumoris videlicet illius narium, quem *Celsus* carunculam, latiori significatu nominis, vocat, cujus exulceratio sat periculosa, propter causas à nobis in observat. 15. de morbis pectoris notatas. Quocirca vocatus Anno 1615. sub initium Junii penitus à corrosivis contra quorundam Empiricorum consilia, abstinendum esse dixi, ne pejus malum reddatur: potius victus rationem convenientem præscripsi, simul ordinatis pillulis capitalibus, singulis mensibus Lunâ declinante contra pituitosos & serosos humores sumendis. Præterea singulo trimestri vesicatorium Emplastrum ad nucham apponendum esse suasi, potissimum post aurem dextram, cum in parte dextra tumor ille narium interius appareret. Tandem pro capitis corroboratione & fluxionum absumptione pillulas de succino ℈ß. quantitate frequenter ante somnum, & balsami fœniculi pauxillum tempore matutino præscripsi, quibus partitis vicibus adhibitis de ulteriori incremento hucusque conquesta non fuit. Verum anno superiori 1622. polypum satis auctum & utramque narem replentem in rustico quodam hîc Ulmæ vidi, cui præter universalia decoctum ligni, cum præcedentibus evacuationibus fuit præscriptum.

Indicationes præservativæ. 1. 2. 3.

Observatio. Polypus admodum auctus. Primò lenitivam sumsit potionem, quæ ℞. *Elect. diacarthami* ℥ß.℈ij. *Syr. de spina cervina* ℥iß. *decoct. fol. Senæ q. s. f. haustus.* Hâc lenitivâ purgatione præmissâ, sequenti die sumsit pillulas, quæ ℞. *Massæ pil. de hiera cum agarico, cocchiarum ana* ℈ß. *Assaireth* ℈ß. *Troch. Alhandal. gr. vij. cum Syr. de Beton. f. pil. num.* xv. Hoc modo satis evacuatis primis atque secundis viis, venæsectionem etiam administravimus, ac tandem ad decoctum ligni pervenimus hoc modo: ℞. *Ligni s. incisi* ℔j. *Cort. ejusdem* ℔ß. *Rad. Scorz. pæoniæ ana* ℥jß. *s. Fœnicul. pæoniæ an.* ℥ß. *Herb. Salviæ, Beton. an* Mjß. Incisa dentur & coquantur in 12. mensuris aquæ ad consumptionem dimidiæ partis, de quâ colaturâ sumantur ℥vj. & per misceantur cum sequentis Electuarii tertia parte, fiatque potio purgans. ℞. *Elect. caryocostini* ℥j. *Bened. lax.* ℥ß. *Sp. diaturb. cum Rab.* ℈j. *Cremoris Tart.* ℈ß. *Syr. de spina cervina q. s. f. Elect. pro tribus vicibus.* Hâc potione post venæsectionem adhuc adhibitâ, bibebatur decoct. sudoriferum manè jejuno stomacho, & vesperi 3. horis ante cœnam, idque continuabatur per septimanas quatuor, reiteratis interim semel atque iterum potionibus purgantibus, juxta præcedens præscriptum. Hoc modo tumores in utraque nare graciliores evadebant, ipsiusq; pituitæ copiosior affluxus absumebatur, ita ut æger multò liberiorem respirationem obtinere videretur, quanquam malum hoc modo non extirpetur nisi quis ad chirurgiam, difficilem quidem & periculosam in hac affecta parte progrediatur, quam olim *Hippocrates lib.* περὶ παθῶν *& lib. 2. de morb.* ac post eundem *Celsus, Albucasis, Paulus* & alii, inprimis autem recenter *Aquapendens operat. Chirurg. par. I. cap. 25. proposuit.*

OBSERVATIO XLIX.

Pilorum barbæ casus spontaneus.

V*IR Iuvenis, constitutione corporis calidus & siccus, quoad viscera concoctionis secundæ, præsertim lienem, quâ de causa scorbuticis etiam dispositionibus antea fuit obnoxius, stomacho imbecilliori præditus, sub finem autumni præcedentis anni 1621. ingruente frigore magis intenso, vagis doloribus artuum, non admodum intensis, prehenditur, quos sæpè recurrentes, inprimis hac aëris externi frigiditate perdurante, sentit: insuper pilorum in barbâ superiori casum animadvertit, pilis etiam in extremitatibus decurtatis.*

RESOLVTIO.

C*Onstitutionem hanc nativam* ad serum sanguinis copiosius, acrius & adustum admodum propensam esse statuo, propterea quod calidior & siccior lienis dispositio promptè crudas aquositates ab imbecilliori ventriculi concoctione relictas attrahat, unde non tantùm hypochondriaco malo obnoxius æger fieri potest, sed quotidie serum copiosius in massâ sanguineâ colligitur, quod insuper copiosior urinæ dejectio, & fortè *alvus ad obstructionem ea propter inclinans* non obscurè innuunt.

Causa interna.

Hoc serum copiosius in venis redundans ad habitum corporis & partes extremas, tanquam superfluum propellitur, unde cum excrementis tertiæ concoctionis permistum, acrimoniâ suâ non tantùm in sensibilibus artuum, aliarumque partium externarum locis *dolorem non perpetuum, sed vagum & recurrentem*, propter mobilitatem suam producit, sed insuper etiam *pilorum affectum p. n.* generat, quatenus non tantùm radicitus eosdem in parte corporis sicciori, nimirum in labiis superioribus, magisque respectu dextræ partis, tanquam calidioris inficit,

Causa externa occasionem præbens. inficit, ſed etiam talem *aſperitatem* iis introducit, ut *extremitates eorum decurtentur, & non pauci levi negotio radicitus evellantur.* His ſymptomatibus actu producendis occaſionem dedit, aëris ambientis continuatum frigus hucuſque ſuccedens ad Autumnum & Æſtatem impensè humidam, cujus ratione copia prædictæ cauſæ morbificæ plurimum aucta, propter pororum cutis obturationem, & ſudoris atque occultæ tranſpirationis denegationem, non tantum retenta, ſed etiam diutius coërcita, fervorem, ebullitionem & acrimoniam ſibi contraxit, quibus prædictis accidentibus gignendis anſam præbere potuit.

Ne ergo gravius quid ex prædicta cauſa etiamnum in corpore latitante, & propter denegatam eventilationem quotidiè adhuc incrementum ſuum habente, propterea quod ex Saturni cum Cancro, tanquam humidi frigidi, ſigno, conjunctione per hanc hyemen adhuc durante parum ſpei ad conſtantem aëris ambientis diſpoſitionem calidiorem ſuperſit, nobis expectandum, idcirco ſuaderem, ut juxta ſequentes indicationes adhuc ante æquinoctium vernum Cura inſtituatur, *nimirum propter copiam cruditatum in primis viis evacuatio inſtituatur per vices aliquot: deinde ſanguinis miſſio ſubſequatur, quò venæ ſanguine ſeroſo turgentes à copia liberentur, ipſiusq́ maſſæ ſanguineæ liberior eventilatio fiat, tandem pro diſcuſſione ſeri copioſioris diaphoretica convenientia diligenter, uſurpentur, non neglectâ interim convenienti victus ratione, & localibus propter pilorum cauſam adhibendis.* *Indicationes Curativa.*

Pro 1. Quàm primum igitur Dn. patiens domum redierit & per octiduum circiter quieverit, poſt plenilunium ejuſmodi utatur evacuatione lenitivâ per nodulum, quæ

℞. *Rad. Cichorei* ℥j.
Glycyrrhizæ.
Polypodii ana ʒvj.
Herb. Marrub. alb.
Scolopend.
Fumariæ ana Mj.
Fol. Senæ ſ. ſ. ℥jß.
Rhabarb. ʒij.
Mechoac. ʒiij.
Sem. Cartham. pond. ℥s.
Fl. Samb. Mß.
Sem. Aniſi.
Fœniculi ana ʒj.
Zedoariæ ℈is.
Cinamom. ʒj.
Paſſularum min. ℥is.
Inciſa & contuſa ad chartam.

Hæ ſpecies comprehendantur nodulo, & in Menſuram vini 24. horis infundantur, de qua infuſione ſingulis diebus per quatriduum ſumantur ℥vj, matutino tempore, poſt aſſumptum juſculum aliquod, admiſtâ ʒß. Cremoris Tartari albiſſimi.

Pro 2. Hac evacuatione abſolutâ, ſanguinis miſſio fiat ex vena mediana dextri brachii, ſatis copioſè, pro virium ratione, quâ peracta quieſcat Dn. patiens per biduum, eò ſemper reſpiciendo, ut alvus laxa ſit, quæ præcedentis vini laxativi hauſtu circa prandii initium ubi ſegnior erit, promoveri poterit. Poſt biduum accedat ad intentionem tertiam, nimirum ad copioſioris ſeri diſcuſſionem per habitum corporis beneficio diaphoreticorum, quam ob cauſam ſudoriferam potionem hoc modo conficiat, ne ingredientia nimiâ caliditate toti noceant, unde convenient illa, quæ temperatæ naturæ ſunt, quam ob cauſam per octiduum ſingulis diebus in lecto ſudor promovetur hoc modo: *Pro 3.*

℞. *Rob. Ebuli* ʒiij.
Mithridatis ℈ß.
Aq. fl. Sambuci ℥iis.
Veronicæ cum vino deſtill. ℥ß.
M. fiat potio.

Eodem modo poteſt etiam uſurpari lapis Bezoar. Orientalis gr. iij. cum ʒj. Cornu C. Uſti præparati in aq. Veronicæ vel Card. benedicti ℥ijs. Sic etiam variationis ergò Syrupus de Fumaria ℥is. cum ʒj. Rob. Ebuli permiſtus, & aqua flor. Sambuci ℥ij. dilutus convenientem potionem inſtituet.

Pro 4. Præter dicta victus etiam conveniens obſervetur, nimirum abſtineat patiens ab iis, quæ difficilis ſunt concoctionis: bibat vinum optimè depuratum, non nimis antiquum, nec etiam recens, idque diluat interdum aquâ infuſionis Saſſafras, quâ etiam ſolâ pro ſiti lenienda loco cereviſiæ frequenter utatur, quæ fiat hoc modo:

℞. *Raſur. ligni Saſſafras* ℥j.
Rad. liquirit. raſæ ℥ij.
Sem. Fœnic. ʒij.
Paſſul. minorum ℥is.

Indantur in lagenam ſtanneam, & affundantur aquæ ferventiſſimæ menſuræ duæ, optimè claudatur, & in loco frigido ſuâ ſponte frigefiat.

Porrò quoad localia pilorum ratione fiat decoctum hoc modo:

℞. *Fol. Malvæ.*
Altheæ ana Mj.
Fl. Chamameli Mß.
Herb. Polytrych. Mj.
Sem. Lini pj.

Fiat decoctio in aqua ſimplici, quâ locus pilorum debilior manè & veſperi humectetur & fomentetur cum ſpongia nova: Poſt exiccationem inunctio fiat oleo ſequente, quod

℞. *Ol. Amygd. dulc.* ℥j.
Ovorum ℥ß.
Miſce.

Hæc ſunt, quæ candidè Dn. patienti communicare volui, quibus hoc modo utatur, quod à Deo Opt. Max. eidem precor, cum ſucceſſu. Gieſſæ 15. Jannuarii, Anno 1622.

OBSER-

OBSERVATIO L.

De depravato gustu, & olfactu.

Clarissimus Vir Dn. Bernhardus Langwedel, Med. D. Reipubl. Hamburgensis.

Gregor. Horstio, D.

MAgnifice, Clarissime & Experientiss. Dn. Doctor, fautor summa observantia colende, vestra singulari erga me humanitate ac benevolentia, quâ in Academia Giessena mihi studiorum Medicorum gratiâ versanti quondam frui licuit, nunc etiamnum fretus, non potui intermittere quin V. Magnific. hisce literulis salutarem. Quoties namque dexteritatis ac sedulitatis in Anatomicis demonstrationibus 1614. & 1615. in prædictâ Universitate tam privatim, quam publicè habitis recordor (recordor autem sæpissimè) toties prima mea Artis Medicæ jacta fundamenta V. Excell. accepta refero, gratissimoque animo agnosco. Utinam ad meam observantiam, nec non animi grati promptitudinem declarandam erga V. Magn. filiumvé vestrum Charissimum, benè natum, optimeque educatum, Rostochii nunc studio Medico (ni fallor) operam navantem occasio sese offerret in re quapiam inserviendi, vel gratificandi, mihi sanè nihil optatius foret. Quam interim sperando exopto. Cæterumne vacuas ad V. Claritatem literas dedisse videar, idcirco casum quendam, gustum depravatum, sive linguam amaro sapore imbutam continentem, transmitto, officiosè rogans, ut V. Amplitudo serenâ fronte perlegere, & pro acutissimo, quo pollet, judicio, (modò liceat per occupationes) quædam, quoad causarum, & inprimis causæ proximæ continentis investigationem, nec non remediorum usum chartis consignata, ad me perscribere haud dedignetur.

Ego mea qualiacunque studia, cum debita observantia V. Excellentiæ vicissim defero. Hisce Vir Magnif. & Excellentiss. felicissimè vive, ac vale, annexâ officiosâ salute à Clariss. Dn. D. Johanne Ebelingio, Physico hujus Reipl. ordinar. Collega & amico meo honorando. Dabam Hamburgi Anno 1633. 24. Novembr.

Casus, depravatum gustum, sive linguam amaro sapore imbutam, continens.

Agitur mensis ferè decimus, ex quo honestissima matrona 75. annorum, temperamenti Phlegmatici, cum miscela bilis, in ipso senio, ab aliquot annis utriusq; oculi visione, ex Cataracta, & acrium humorum defluxu, orbata, conquesta fuit de insigni linguæ amaritudine, adeo ut esculenta & potulenta quævis, vel dulcissima, assumpta amarum præ se ferrent saporem. Et quamvis convenientia hactenus fuerunt Methodicè remedia adhibita, cum optima victus ratione instituta, pro causa, si non totaliter eradicanda, attamen Symptomate valdè molesto corrigendo; nihilominus tamen illud Symptoma (amaritudo videlicet) tantum abfuit, ut fuerit mitigatum, quin sapor iste majorem amaritiem successu temporis acquisiverit.

Amarities linguæ habitualis.

Quoad facultatem animalem, operationes mentis adhuc benè constant, pro senilis ætatis conditione, somnus quoque mediocriter se habet, licet aliquando sit interruptus.

Ad defluxiones mordacium humorum ab oculis avertendas, & revellendas, duos fonticulos, in singulo brachio unum videlicet, gestat, cum evacuatione materiæ acris & ichorosæ satis copiosâ. Ante hac etiam setaceo in nucha applicato, in tempus usa fuit, sed nunc propter incommoditatem non amplius fluere permittit.

Quoad facultatem vitalem, nulla adest respirandi difficultas: non nunquam vero cordis angustias experiri cogitur. Quoad naturalem, actionum etiam naturalium beneficio mediocriter utitur, non est lecto continuò affixa, febri caret: de siti non conqueritur, præterquam interdum de asperitate & siccitate faucium, itidem de elixatione linguæ, unde puncticulæ parvissimæ vix apparentes in superficie linguæ apparere videntur. Alias lingua quotiescunq; inspecta, flavo colore tincta nunquam fuit visa, sed humida, colorem inter album & rubrum intermedium obtinens, nec flavæ exstiterunt unquam expultiones.

Appetitus quidem comedendi adesset, sed ob amaritiem eximiam facile capit fastidium. Urinam quod concernit, illa plerumque cruda, pallida & subviridis, hypostasi carens, apparet, obstructiones viscerum ac nativi caloris penuriam arguens; quæ post medicamentorum usum colore bilioso tingi incipit. Alvum utplurimum habet adstrictam, quæ non nisi Pharmaci solventis ope sollicitari potest. Huic autem symptomati graviter molestanti haud exiguam præbuit occasionem frequens pinguium ac dulcium ciborum, nec non vitellorum ovorum esus.

Viro Clarissimo, Dn. Bernhardo Langwedel, Med. D. & Practico in Republ. Hamburgensi.

Gregorius Horstius, D.

GRatissima mihi fuit per literas tua Compellatio, Vir Clariss. Excellentiss. Fautor & Amice pl. colende, tàm quod te salvum & incolumem, in honesta functione viventem, indicarent, quam etiam, quod Amoris erga me tui testes essent locupletissimi, de quo mihi meritò gratulor, plena spe fretus, fore aliquando, si DEO visum fuerit, ut mei benevolentiâ illa fruantur, inter quos natu major filius Johan. Daniel, Rostochii jam literis operam navans, tibi commendatus sit, qui, suo tempore Σὺν θεῷ, coram te salutabit. Casum quem addis, verè singularem judico, præsertim in hac senili constitutione: rarum quidem non est in febribus intermittentibus biliosis ejusmodi Symptoma, quemadmodum olim annotavi; sed in hac ætate decrescente, sine febri, mirum tam diù depravatum gustatum perdurare: quanquam indicia non desint, ex quibus colligitur, bilem per consuetas suas vias non evacuari, quod alvus utplurimum adstricta confirmare videtur, ita verisimile sit, quemadmodum in pluribus senescentibus fieri solet, ut sæpius urinas maximè biliosas, instar febricitantium, sine tamen insigni quadam

Observatio de Febribus.

molestiâ, nisi quod hydropica dispositio tandem in iis, propter obstructiones hepatis, timenda sit, excernant; ita respectu præsentis subjecti laborantis bilem ad superiora regurgitare, nec non linguæ tunicam, habituali q. affluxu, perpetim occupare, unde postea sensus non amplius ἄποιος esse queat. Cum autem in decrepita senectute mutationes ejusmodi, naturæ senum contrariæ, difficulter curentur, forsan restitutionis in integrum parum spei supererit. Quod superest te cum familia Deo Opt. Max. commendo, simulque rogo, ut Clariss. Dn. D. Ebelingium, Dn. D. Elstorpium, Dn. Husadlerum Chirurgum, amicos meos, officiose salutes. Benè Vale ἐπὶ μήκιστον. Ocyus Ulmæ, 21. Jan. 1634.

Causa Symptomatis prædicti.

Clariss. Vir Dn. Bernhardus Langwedel, &c.

Gregor. Horstio, D.
S. P.

MAgnifice, Clariss. & Experientiss. Dn. D. fautor inprimis honorande, responsum ad meas quo majori cum desiderio expectavi, eò literæ V. Magnificentiæ (quas ultimo Februarii accepi) gratiores extiterunt, animum meum mirificè exhilarando, atque de singulari vestra erga me benevolentia certiorem reddendo. Quo nomine gratias equidem habeo, sed habiturus sum maximas, quod V. Excellentia ab occupationibus quam plurimis aliàs districta, dignata fuerit ad meas respondere, mentis sensa, de casu nuper proposito, cum causarum atque eventus declaratione, aperiendo. Clarissimus Dn. D. Johann. Ebelingius, Physicus hujus Reipubl. ordinarius, & ego (qui hactenus curationi istius Matronæ honestissimæ præfuimus) eandem causam, videlicet biliosi humoris cum miscela materiæ serosæ Scorbuticæ, adustæ, exuperantiam, hincque vaporum biliosorum ad linguæ fungosæ substantiam elevationem, à jecoris calidioris dyscrasiâ præcipuè ortam, statuentes. 1. Matronæ prædictæ, nec non propinquis indicavimus. Videtur itaque V. Claritas nostram sententiam confirmare, atque nosmet vestræ sententiæ subscribere.

Quoad Prognosin & eventum hujus Symptomatis admodum molesti, verissimum ac certissimum pronuntiatum V. Excellent. suppeditat, nempe Symptoma istud etiamnum perseverans, uti curatu difficile, sic cum grandæva ætate commoriturum. Dabam Hamburgi 1. Martii, Anno 1634.

FINIS LIB. II. DE MORBIS CAPITIS.

LIBER TERTIVS
De
MORBIS PECTORIS.

OBSERVATIO I.
Angina per suppurationem soluta.

CIvis quidam anno 1615. Giessæ primò de faucium dolore, mox difficili respiratione, deglutioneq́ conqueritur, ita ut cibum nullo modo, potumq́ vix admittere posset. Exterius tumor ferè nullus, interius verò partes circa linguæ radicem intumescentes atque inflammatæ conspiciebantur: pulsus aderat frequens, & calor febrilis per intervalla totum corpus maximeq́ faciem invadens.

RESOLVTIO.

Periculosa anginæ species.

GRavis est illa species *anginæ*, cum gutturis interni musculi sic inflammantur, ut neque in faucibus, neque in cervice quidpiam appareat, unde *Celso* merito pestiferum acutumque morbi genus, *Galeno* morbus extremè peracutus, *Hippoc.* verò lethalis dicitur. At major est spes in illa, que fit inflammatis internis faucium musculis, ubi tumor atque rubor in faucibus oculis subjiciuntur. Talis etiam erat hic morbus, qui incipiebat *cum dolore faucium*, ibidem per congestionem & affluxum collectâ materiâ sanguinis pituitosi, quo musculis faucium repletis *inflammatio & tumor* subsequebatur, unde mox *difficilis respiratio* reddebatur, occlusis scilicet quodammodo viis spiritalibus, ipsaque *deglutitio deficiebat*, propter gulæ difficilem dilatationem, sine qua cibus, potusve transire nequit. Hinc *cibus nullo modo* propter soliditatem comprimentem, quam partes inflammatæ ferre nesciunt, *potusq́ vix* admittebatur, qui scilicet liquidâ suâ substantiâ quadantenus guttatim descendere poterat. *Exterius tumor nullus* apparebat, quatenus inflammatio musculos internos faucium apprehendebat, quod *interius rubor atque tumor circa linguæ radicem* innuebant, in quo aliàs hæc species à priori, quæ proprios laryngis musculos afficit, distinguitur. *Pulsus frequens erat*; incalescente corde, propter impeditam respirationem, convenienti eventilatione denegatâ, quam ob causam *calor præter naturam* per intervalla totum corpus, spiritib. effervescentibus unà cum sanguine arteriali hinc & inde concitatis,

Declaratio signorum.

citatis, *inprimis & faciem* invadebat, quæ aliàs in hoc ægro propter jecoris caliditatem fervidas exhalationes promptè recipiebat, *maximè hoc tempore*, dum in vicinia humor phlegmonodes generaretur. *Hic primò totum corpus sanguine abundans evacuandum. 2. Affluxus ad fauces repellendus & avertendus. 3. Materia phlegmones circa fauces collecta vel ad resolutionem, vel ad suppurationem ducenda, 4. nec non pars affecta, roboranda veniebat.*

Indicationes Curativa.

Materia medica. Pro 1.

Pro primo suasimus pro alvi lenitione clysterem, cum venter etiam inflatus videretur, qui

℞. *Rad. Althea* ℥j.
Herb. Violar.
Mercurialis.
Parietaria ana Mjs.
Flor. Violarum.
Rosarum ana Mj.
Fol. Sena ℥j.
Sem. lini.
Fænugr. ana ʒij.
Fæniculi ʒij.
F. decoct. in aq. ad tertias, coletur ℔j. *adde*
Massa pil. Aggregat. ʒj.
Ol. Chamamelini ℥iij.
Salis parùm f. Enema.

Pro 2.

Cautela.

Hoc modo ventre laxato venæsectionem suasimus in brachio, quò non tantùm sanguis copià abundans minueretur, sed totum incalescens alteraretur. *Quoad affluxum* repellendum & avertendum, ab Empiricis primò vocatis, gargarismi præscribantur, non quidem ex hac indicatione, sed potius juxta consuetudinem, qui solis adstringentibus decoctis faucium affectibus succurrere conantur, quorum usum eò dereximus, ut primò lenis fieret adstrictio per aq. prunellæ, plantaginis cum Diamoro & Rob. nuc. permistis, dein etiam subsequentem collutionem concessimus, quæ ℞. *Rad. Bistorta* ʒiij. *Capul. glan.* ʒj. *Herb. Prunella, Flor. Rosar. rub. ana* Mß. *F. decoct. in s. q. aq. ad tertias, coletur, adde Aluminis* ℈ß. *Diamoron.* ℥j. *Misce.* Porro majoris aversionis ergò, venas sub lingua quoque incidimus, & ventosas sine scarificatione scapulis & brachiis apposuimus. *Hoc modo sufficienter* affluxu correcto, materia circa fauces copiosè collecta, quæ resolutionem non admittebat, suppuranda veniebat, qua de causa mox emplastrum, quod patruus noster p.m. Jacobus Horstius olim commendabat, apposuimus exterius, quod ℞. *Rad. Althea* ℥ß. *Caricar. ping. num.* viiij. *Myrr.* ʒij. *Croci*, ʒß. *Farina Sem. Lin. Fænugr. ana* ℥ß. *Mellis q. s. F. Emplastrum.* Interius adstringentes gargarismos mutavimus, & cum discutientibus emollientia & maturantia præscripsimus remedia, nimirum collutionem ejusmodi, quæ ℞. *Rad. glycyrrhiza* ℥ß. *Herb. Malva, Meliloti an.* Ms. *fl. Chamam.* p.ij. *Passular. minor.* ℥ß. *Caricar. ping.* N. iij. *f. decoctum in s. q. aq. ad 3. coletur, & adde mellis rosat.* ℥jß. *Misce.*

Gargarismi discutientes, emollientes & maturantes.

His continuatis, apostema faucium maturabatur & sponte ruptum, pus copiosum per os emittebat, pro cujus mundificatione consequenter gargarismi fiebant ex aq. prunellæ, cum melle rosato permixta, similibusque, quibus non tantum ulcus eluebatur, sed etiam pars affecta vicissim ob modicam adstrictionem roborabatur, ut perfectè restitutus æger, in hanc usque horam bellè vivat, qui aliàs extremam suffocationem tunc temporis sibi instare putabat.

OBSERVATIO II.

Angina per resolutionem materiæ soluta.

Puella 18. annorum, fluxionibus capitis & obstructionibus mensium obnoxia, superiori anno 1609. incidit in difficilem respirationem, ita ut non nisi rectâ cervice spirare possit: tumor cum dolore circa collum apparet, transglutiendi maxima difficultas subsequitur.

RESOLUTIO.

Aderat hîc anginæ species, quæ παρασυνάγχη recentioribus nominatur, *ubi exteriores faucium musculi inflammantur*, quod in hoc casu factum fuerat ob sanguinis pituitosi copiam ad superiora regurgitantem, adjuvantibus defluxionibus capitis. *Difficilis fit respiratio*, tum propter asperæ arteriæ compressionem, tum etiam propter superfluitates per consensum in pectore collectas: *rectâ tantum cervice spirat*, ubi minus aspera arteria comprimitur: *tumor apparet*, ob materiam parti affectæ jam impactam: *cum dolore*, propter inflammationem: tandem *transglutiendi difficultas maxima* subsequitur, propter gulæ extensionem, quæ dilatata à cibo solidiore partem inflammatam comprimit. *Quoad curationem in principio hujus affectus venæsectio revellendi causa convenit*: verùm cum in præsenti casu, Medico vocato materia non ampliùs in fluxu esset, statim eò allaborandum esse duximus, ut interius gargarismo repellente & discutiente faucibus prospiceremus, & exterius tumorem emolliremus ac resolveremus: illud perfecimus ejusmodi gargarismo:

Indicationes Curativa.

℞. *Rad. Bistort.* ℥ß. *Herb. Prunel. cum flor. Plantag. an.* Mjß. *Salv. Agrimon. an.* Mj. *Aluminis* ℈j. *F. decoctum ad 3. colentur* ℥ix. *& adde Mellis rosati* ℥j. *Diamor.* ℥ß. *Misce fiat gargarismus.* At hoc partim inunctione Ol. Chamæmelini, partim cataplasmate ex ficubus, Rad. Altheæ ana ℥j. Myrrhæ ʒij. Croc. ʒß. Mellis q. s. peractum fuit, quibus ægra restituebatur, cum non admodum copiosa esset materia.

OBSERVATIO III.

Asthma in Illustrissimo adolescente.

Adolescens quindecim annorum, habitus plenioris, temperamenti ferè sanguinei, & ex parte phlegmatici, anno superiori 1609. studiorum gratiâ hic Giessæ vivens, diuturni affectus accessionem frequenter patitur, ita ut in crescente Luna afficiatur anhelatione crebra, respiratione sonante, pectoris dolore gravativo, & quasi suffocante, cum tussi, materiaque viscida rejectio-

rejectione, noctu magis, quam interdiu succedente, non rarò mœstitia & timor absque causa, anxietasque & quasi principium Lipothymiæ superveniunt. Ventriculi constitutio frigidior, jecoris calidior, cerebrique humidior, ex certis suis signis colligitur.

RESOLUTIO.

AFfectus hic nihil aliud est, quàm difficilis respiratio, quam *Asthma* vocant Medici, cujus causa proxima consistit in angustia pulmonum, quæ circa febrim à lentis & crassis humoribus bronchia, hoc est, vasa pulmonum, respirationi servientia coarctantibus oritur. Ingravescit igitur hoc malum *anhelatione crebrâ*, maximè quando corporis motus concitatior accedit, propterea quòd viscidus humor meatus pulmonum obstruat & aëris introitum, fuliginumque exitum liberiorem impediat, unde natura crebritate resarcire conatur, quod magnitudini propter angustiam meatus deest: *respiratione sonante*, ob coarctatas vias spiritus, qui dum per angusta itinera progreditur, sonum quendam obtusum efficit: *dolore pectoris gravativo*, prout plenitudo pectoris cum labore quodam respirationis adest, coadjuvante copia cruditatis & flatuum ventriculi, quâ thoracis angustia major redditur: *cum tussi, materiaq́ viscida rejectione*, quatenus natura eò allaborat, ut viscidos humores obstruentes expellat. Succedunt *interdum mœstitia & timor absq́ causa*, propter fuligines ob respirationem imperfectam in corde remanentes & spirituum substantiam inficientes. Item *anxietas & q. incipiens animi defectus*, propter liberam eventilationem cordi denegatam. Quæ omnia *magis noctu quam interdiu exacerbantur*, quia somni tempore pituitosi humores magis ad pectus defluunt, quorum collectio potissimum circa mediam noctem inimica est thoraci, propter fuligines à membris collectionis excitatas. Oritur hoc malum respectu præsentis subjecti, partim à nativa imbecillitate pectoris, quod ex diuturnitate affectus colligitur, partim etiam à dyscrasia partium principalium cerebri, jecoris, ut & ventriculi. Considerentur ergo primò membra peccantem materiam producentia, deinde eandem recipientia. Ad materiæ productionem & collectionem faciunt ea membra, quæ concoctionibus alimentorum præsunt. Hîc primò *ventriculus* consideratur, qui frigiditate quadam p. n. affectus, imbecillior est in concoquendo, quod vel unicè proventus pituitosorum humorum non rarò vomitu projectorum declarat. Ut autem aliàs imbecillitas ventriculi plerumque cum jecoris caliditate quadam p. n. jungitur: ita illud ipsum hîc quoque accidit. His accedit *cerebri dispositio humida* quam ventriculi jecorisq; temperatura dissimilis augent & fovent, ut causam & originem catarrhis præbeat, qui præter nativam imbecillitatem pectoris circa vias respirationis recipiuntur, adeoq; per certa intervalla difficultatem respirationis producunt. Etsi v. talis affectus in veteratus chronicus in senibus omninò fit incurabilis, cum suâ naturâ debiliorem calorem habeant, plurimisque pituitosis excrementis abundent, in hoc tamen adolescente non desperamus, cum naturali temperamenti mutatione sensim superfluitates, procedente ætate consumantur. Sit ergo

Signa.

Causa morbifica.

Prognosis.

Primò victus ratio morbi causis contraria: aër fit siccus & temperatè calidus, si non naturâ, fiat talis arte, per fumos odoriferos in hypocausto excitatos, antequam è lecto surgat æger, ut fiat crassiorum exhalationum dissipatio, cum alias facilimè gravitatem capitis moveant. Calidissimus aër noxius, quòd solvat humores, & cerebrum ad fluxiones disponat, ut instar spongiæ superfluitates attrahat. Venti meridionales & septentrionales fugiendi, quod hi humores frigiditate suâ exprimant & ad inferiora depellant, illi contra vaporibus & humoribus caput repleant. Cibus non sit nutrimenti crassi, viscidi, frigidi, caput replentis & onerantis. A vino generoso abstinendum, concesso Rhenano albo, tenui & diluto, cum infusione hyssopi, salviæ & rad. Ireos. Cerevisia sit optimè defæcata, & in his locis parcè bibatur. Exercitia tantùm extra accessionem, non subitò sed sensim fiant, ante prandium, corpore à superfluis evacuato. Somnus sit moderatus & non fiat corpore supino. Excretiones alvi promoveantur quotidiè, & perturbationes animi, præsertim mœror & ira vitentur.

Victus ratio conveniens.

Cautio in suffumigiis contra catarrhos.

Quoad pharmaciam duo potissimùm consideranda, scilicet usus medicamentorum extra accessionem & in ipsa accessione. *Extra accessionem* eò allaborandum, ut ante omnia dyscrasia partium corrigatur per alterationem, & materia collecta præparetur & evacuetur. *Quoad prius* cautè procedendum, nec natura medicamentorum copiâ obruenda, cum suâ sponte mutationem in hac ætate intendat.

Pharmacia.

Extra accessionem.

Quoad posterius medicamenta præscribantur eo fine, ut materiæ collectio, quæ causa est Asthmatis, impediatur, atque illud, quod collectum est, corrigatur & educatur. Ut ergo concoctio juvetur, post cibum tragæa stomachalis convenit, & ne materia cumuletur, usus lenitivi medicamenti singulis septimanis repetatur: collecta verò materia circa pectus præparetur & partim exiccetur & absumatur, partim etiam per sputum educatur, usu quotidiano oxymellis compositi, quod habet Quercetanus, illudq́; *Oxymel de Peto* purgatorium vocat, quo alvus retinetur aperta, & non rarò datâ materiâ vomitus provocatur. *In ipsa accessione* eò respiciendum, ut materia, quæ facit angustiam, resolvatur, & per sputum vel alia ratione educatur, ubi Oxymel Cratonis exhibeatur, quod ℞. *Herb. Hyssopi, Origani. Marrub. Pulegii, Beton. Scabiosæ, Card. ben. ana Mj. Rad. Ireos incisæ ℥j. Agar. ʒx. Zing. ʒij.* Coquantur in s. q. aceti, affusâ tertiâ parte aquæ, post colaturam adde mellis purissimi quantum sufficit, coq. ad. justam consistentiam, & fiat Oxymel, de quo urgente necessitate cochlear unicum sensim deglutiatur. Si materia fluctuat in ventriculo, vomitus decoctione raphani vel aliâ ratione provocetur, utpote quo plurimum affectus levatur, quibus omnibus DEUS ἀρχίατρος felicem successum largiatur.

In accessione.

Nota, quod Illustris. hic adolescens, à nobis ad

Illustris.

Illustris. Collegium Wurtenbergicum, quod Tubingæ est, discedens, per unum atque alterum annum huic consilio obtemperans, leviores accessiones hujus mali senserit, donec in variolas incidens vitam cum morte commutârit, fortè, quòd propter pectoris imbecillitatem peccans materia magis ibidem collecta difficili respirationi, consequenterq; suffocationi lethali occasionem præbuerit.

OBSERVATIO IV.

Asthma rarum.

Ex

Literis D. D. Marci Widemanni

Ad

Gregor. Horstium; D.

VIvit hic puer quadrimus, tinctoris filius, qui ab ineunte ætate pectoris quadam angustia, adeoque gravi asthmate affligitur statis periodis, menstruis fere, nunc citius nunc tardius, prout in victu vel excedit, vel modum servat. In ipso paroxysmo tam graviter angitur, ut jam jam suffocari & animam agere videatur, qui paroxysmus ante non cessat, quàm materiam crassam, viscidam, compactam gravissima tussi & summis conatibus per os excernat. Sæpius autem hactenus excrevit talem materiam, unitam, albissimam, arboris radices, caudicem & ramos omni ex parte referentem, quam, si ὀνοματοποιεῖν mihi liceret, φλεγμαδένδρον nuncuparem. Ubi autem viscida illa materia coacervetur & coaguletur, si dicere cogar, in ipsa aspera arteria (qua parte ad pulmones pervenit bifida & in minores ramos dispersa, quos bronchia pulmonum vocant) sedem reponam, ubi paulatim partim ex naturali pulmonum debilitate, partim à defluxionibus à capite factis colligitur.

OBSERVATIO V.

Asthma anniversarium in homine quadrato.

I*Ctus quidam in vicinia, præfectus in Lauterbach, quadratus & obesus, per certas periodos, potissimum autumnali tempore, patiebatur difficilem anhelationem sine febri, catarrho simul concurrente, cum tussi primò sicca, quæ tandem screatu materiæ viscidæ pituitosæq; solvebatur: venter erat inflatus, & pedes interdum intumescebant, unde anno 1614. mense Septemb. meum consilium expetebat.*

RESOLUTIO.

Dispositio corporis ad Asthma.

COnstitutio corporis hic talis erat, quæ promptè dictum Asthmaticum affectum fovere posset, utpote cum *plenior habitus corporis, pituitosæq; fluxiones abundantes*, quoad generationem Asthmatis plurimum momenti habeant, accedente simul *sedentaria vita*, multisq; lucubrationibus. Cum autem in hoc ægrotante viscerum concoctionis imbecillitas concurreret, quod *ventris pedumq; intumescentia* frequens satis innuebat, ita, ut cachexia difficultati respirationis, non solum ut antecedens causa, plurimum occasionis, sed etiam instar adjuvantis, diaphragma comprimendo, multum adjumenti præstare videretur, idcircò juxta sequentes intentiones consilium eidem præscripsimus.

Indicationes.

Ante omnia igitur materiam viscidam pituitosam incidendam & præparandam esse diximus, qua de causa digestivum ordinavimus per octiduum, quod ℞. *Rad. Helenii* ℥ß. *Glyzyrrhizæ. Petrosel. ana* ʒvj. *Herb. Marrub. albi, capillor. Vener. Betonicæ ana* Mjß. *Sem. Fœniculi* ʒij. *Caricar. ping. numero* v. *passular. minor.* ʒvj. *f. decoct. s. q. seri lactis destillati, Colatur.* ℔ß. *adde Syr. de prasio. de glycyrrhiza ana* ℥jß. *Misce pro tribus dosibus jejuno stomacho assumendis.*

Hoc præmisso peccantis materiæ evacuationem instituimus per vices aliquot, jam diluto Agarici, quod ℞. *Agarici opt.* ʒiij. *Zingiberis* ℈j. *Cremoris tartari* ℈ß. Trita per noctem macerentur in sero lactis destillato cum aq. Veronicæ æqualiter permisto: manè coletur & adde *Oxymellis squillitici* ℥ß. *Elect. Caryocostini d. n.* ʒjß. *Misce pro haustu.*

Jam etiam per usum pillularum de Hiera cum Agarico ʒj. cum gr. v. Diagryd. præparat. cum ol. Fœniculi in pillulas formatâ; jam etiam usu Elect. caryocostini ʒij. cum ℥ß. Elect. de tamarindis d. n. permisti. Taliter præservatione, causæ antecedentis respectu, institutâ, quoad ipsum pectus, adeoque causæ proximæ gratiâ commendavimus usum frequentem pillularum de Terebinthina, cum oxymelle diuretico, Balsamoque sulphuris Terebinthinato, quibus aliquot annis mediocriter valuit, donec noviter anno superiori 1619. cachexiâ & affectu asthmatico ingravescentibus, ab omnibus medicamentis abhorrens, naturæ debitum solveret.

OBSERVATIO VI.

Tussis sicca cum difficili respiratione & inclinatione ad vertiginem.

N*Obiliss. Matrona Vidua Rideseliana in Lauterbach, satis obesa, sexagenaria, quoad nativam constitutionem sanguinea, circa tempus autumnale anno 1614. tussim siccam patitur, cum difficultate pectoris: adest etiam inclinatio ad vertiginem, totiusq; corporis lassitudo, Dejectus est appetitus & abdomen flatu sæpius intumescit.*

RESOLUTIO.

Sicca tussis periculosa.

QUemadmodum rarior est sicca tussis, quàm humida, quæ fit cum expedita materiæ rejectione, sic etiam eò magis præcautionem medicam requirit. Hanc ob causam præsens ægrotans: aliàs obesæ, plenioris que constitutionis, suffocationis periculum ex ejusmodi vano tussiendi conatu sibi imminere putabat, propterea quod non tantum vehementior pectoris motus totius lassitudinem introduceret, sed etiam liberam respirationem impediret. Aderat autẽ *tussis sicca* tam quod materia crudior adhuc expulsioni cedere nollet, quàm quod septum transversum comprimeretur ab intumescentia ventris, unde *difficultas pectoris & gravativus quasi dolor* subsequebatur, *caput insuper debilius & inclinatio ad vertiginẽ* observabatur,

batur, quatenus plenitudo capitis promtè sanguinis effervescentiæ præbebat occasionem, vehementiori concussione per tussim inanem introductâ. *Dejectus etiam appetitus* erat, impeditâ videlicet ventriculi concoctione, quatenus calor ad pectus & spiritalia membra revocatus ventriculi operationem segniter peragebat, unde *flatus & intumescentia ventris* originem facilimè deducunt, utpote cruditatibus circa viscera concoctionis hoc modo collectis, ipsâ etiam *alvo quodammodo obstructâ.*

Indicationes. *Hic igitur alvum ad excretionem stimulandam, concoctionem adjuvandam, materiam in pectore collectam attenuandam, & præparandam, ipsumque caput corroborandum esse statui.*

Cum autem delicata, satis esset ægra, mox juxta primam indicationem vinum laxativum præscripsi, quod

℞. *Rad. Helenii* ℥ij.
Ireos ʒß.
Glycyrrhizæ ʒij.
Fol. Senæ ʒx.
Agarici troch. ℥ß.
Sum. Sambuci collectarum in vere ʒiij.
Herb. Card. bened.
Marrubii albi ana Mj.
Fol. Samb. Chamamel. an. p. j.
Sem. Fœniculi, Vrticæ an. ʒj.
Passular. Corinth. ℥j.
Zing. Macis Cinam. an. ʒß.
Croci ℈ß.
F. infusio in mensura vini, de qua per quatriduum bibat integrum haustum in principio prandii.

Victus. *Quoad concoctionem juvandam*, victus rationem præscripsimus convenientem, ea concedendo, quæ facilis alterationis essent, potius in defectu, quàm excessu nutriendi peccantia, cum aliàs habitus corporis obesus & plenus esset, quo fine etiam loco vini potum decoctionis ligni Sassafras ordinavimus, cum passulis & pauxillo glycyrrhizæ. Materiam in pectore collectam attenuare & ad expectorationem præparare conabamur per decoctionem pectoralem quæ ℞. *Rad. Petroselini, glycyrrhicæ an.* ℥ß. *Helen.* ʒiß. *Herb. Salviæ, Marrub. albi an.* Mj. *Hyssopi* Mß. *Sem. Fœniculi, Vrticæ ana* ʒj. *f. decoct. in s. q. aq. pluvialis destill. ad* 3. *colentur* ℥x. *adde*
Syrupi de Hispidula,
Jujubini ana ℥ij.
Misce fiat potio pro quatuor vicibus sorbendo sumenda.

Item per usum Loch sani & experti, cum Syrupo Jujubino, ad formam mollioris eclegmatis permisti: morsulos etiam ex speciebus diaireos simplicis, cum Ol. Fœniculi tabulatos, eodem fine ordinavimus. His & similibus tussi lenitâ, materiæque viscidæ resolutione subsequenti, caput etiam corroborare voluimus usu sequentium Rotularum, quæ ℞. *Spec. diamoschæ dulc.* ʒj. *Cornu Cervi usti præp.* ℥jß. *Ol. Nucis mosch. per express.* ʒß. *Sacch. in aq. Cerasor. nigror. solut.* ℥iiij. *f. confect. in Morsulis, sub finem Ol. Fœnicul. gutt.* vj. *addendo.*

Fiant etiam suffumigia per pulverem contra fluxiones ex Tacamacha Mastich. Thymiamate & similibus. Cucupham etiam ad serositates absumendas in capite gestandam ordinavimus, cujus exempla superius in observationibus morborum capitis proposuimus.

OBSERVATIO VII.

Peripneumonia per expectorationem soluta.

VIr nobilis in Saxonia, natus annos 28. calidus & siccus, potationi multùm deditus, hyemali tempore febricitat acutè, valdè tussit, difficulter respirat, ac malas rubricantes subinde repræsentat: tertiâ die medicam opem implorat.

RESOLVTIO.

EX additis signis colligitur, ægrum *Peripneumonia* laborare, pulmonis scilicet inflammatione cum febri acuta, quod malum plus periculi, quàm doloris habet, juxta *Celsum lib.* 4. *cap.* 7. *Peripneumonia quid.* Adsunt hic primùm tria signa Pathognomonica, nimirum *febris acuta*, quia fieri non potest, quin factâ inflammatione in pulmonibus, cordi propinquissimis, exhalationes febriles continuò cordi communicentur, & consequenter febrem continuam foveant: deinde *tussis vehementior*, quâ facultas expultrix extimulatur ad expellendum, ob affluxum inflammationis; & *respiratio difficilis*, ob locum affectum huic functioni destinatum. *Signa pathognomonica.* Subjicitur quoque *signum superveniens*, nimirum *malarum rubor*, qui licet non semper in principio statim præsens sit, mox tamen subsequitur propter fervidas exhalationes elevatas. *Signa supervenientia.* Huc etiam pertinet *sputum*, quod primis diebus vel nullum, vel crudum & inconcoctum, ut innuit *Hippoc. lib.* περὶ παθῶν. *Pulsus* item, qui *Galeno lib.* 3. *de caus. puls. c.* 12. magnus, undosi quid habens, & languidus, mollisque statuitur: neque enim mirum est, vel magnum esse pulsum illorum, vel languidum, vel inæqualem, ob pulmonis inflammationem, visceris tam laxi & mollis, fistulisque inanibus undiq; infinitis cavi, tam porrò cordi vicini. Licet autem *Prognosis.* in præsenti casu nondum lethalia signa proponantur, nihilominus notandum, quod in hoc affectu commune sit prognosticum, paucos evadere, sicut *Hipp. citato loc.* & *l.* 6. *Epid. com.* 2. innuit. Quocirca sine cunctatione statim ad curationem progrediendum, ubi sequentes indicationes sese offerunt.

Indicationes Curativæ. *Ante omnia eò respiciendum, ut materiam affluentem & foventem avertamus; fervorem febrilem temperemus, & naturam, quæ per tussim expulsionem materiæ molitur, adjuvemus.* Ergo primum *sanguinis missio* per venæsectionem indicatur; quatenus hac ratione sanguis affluens revellitur & evacuatur, quam non impedit ægri natura, propter victus rationem pleniorem antecedentem sanguine pituitoso, qui potissimum hunc affectum generat, admodum abundans. Hinc si alvus aperta non est, lenitivum præmittatur, aliàs statim ad usum illorum procedendum, quæ materiam ad expectorandum præparant, ac febris ardorem temperant, qualis est hæc

est hæc potio; ℞. *Aquæ Beton. fragar. Vngulæ cabal. ana* ℥j. *Syr. Violar. de liquirit. an.* ℥ß. *Spir. Vitri gut.* iij. *Misc. & fiat haustus.* Post hanc potionem refrigerantem & præparantem addatur lambile, pro majori maturatione materiæ; quod ℞. *Syr. Violar. de liquirit. de Iujubis, de Hyssopo. ana* ℥j. *de prasio* ℥ß. *Aq. Hyssopi, Fragariæ ana parum. fiat lambile.*

Quibus per biduum continuatis, tertiâ die post venæsectionem purgatio lenitiva instituatur, diluto Agarici, quod fiat hoc modo. ℞. *Agaric.* ʒij *Zinzib.* ℈j. *Salis gemmæ gut.* 3. *affun. de aq. veron. & vini q. s. stent in loco calido per noctem, manè leviter ebulliant & exprimantur Vnciæ duæ cum dimidia, in quibus dissolve Elect. diacarthami* ʒij. *oxymellis squil.* ℥ß. *misce & fiat haustus.* Post purgationem materia magis præparetur per continuum usum incidentium & alterantium, quotidie bis usurpatâ potione pectorali, quæ ℞. *Rad. ireos, Altheæ an.* ℥ß. *liquir.* ʒv. *Sem. Anisi, Fœnic. Vrticæ ana* ʒj. *Herb. prasii. Hyssopi, Major. ana* Mj. *Tragacanth.* ʒj. *Cybebar. Passul. Vini ana* ℥j. *nucl. pinear. pistac. ana* ℥ß. *dactyl. caricar. ana num.* 6. *coq. l. artis, colentur & dulcorentur Sacch. cand. f. potio ad vices aliquot.*

Hâc potione materia per sputum evacuabitur; quòd si aliò vergeret natura, eidem quoque per convenientia remedia succurrendum. Quod victus rationem attinet, illa juxta Indicationes etiam accommodabitur.

OBSERVATIO VIII.

Peripneumonia per crisin die septimo soluta.

N*Obilis juvenis Studiosus, Dammianus Knebel à Catzenelebogen, annorum circiter* 20. *calidus humidus, plenioris q́ corporis habitus, anno* 1617. *circa veris principium incidit in febrim continuam, cum difficili respiratione, tussi, præcordiorum, pectoris q́ gravitate, non admodum dolorificâ: succidit sputum spumosum, modò cruentum, modo flavum, convenientib. adhibitis mediis circa septimum noctu fluxũ alvi patitur, & convalescit.*

RESOLVTIO.

Repetitis iis, quæ superiori observatione dicuntur, manifestum est hîc etiam Peripneumoniam adfuisse, quam signa sua facilè demonstrant. Quanquam verò morbus hic plus periculi, quàm doloris habet, nihilominus ægro præsenti spem bonam fecimus, propterea quod vires validiores & symptomata mitiora viderentur. *Mox ergo sanguinem in toto superabundantem minuendum, materiam collectam præparandam & expectorationem adjuvandam esse duximus.* Hinc statim venæsectionem cum successu instituimus: mox etiam non tantum externè primùm Emplastrum de Meliloto, cum Ol. Chamæmelino malaxatum, sed etiam inunctionem & ceratum pectorale præscripsimus, interius verò continuum usum Electuarii mollioris, eclegmatum & potionis pectoralis; per vices ad materiæ præparationem & expectorationem juvandam ordinavimus. His non tantum sputum

Indicationes Curativa.

magis coctum promtius expellebatur, sed etiam die septimo morbi noctu fluxus alvi criticus cum levamine naturæ sequebatur, ubi vires manifestè colligebantur, ut spontè sine medicamentis pluribus æger convalesceret.

OBSERVATIO IX.

Peripneumonia Lethalis cum raris accidentibus.

N*Obilis ac strenuus Henricus Reinhardus à* Lehrbach/ *Aulæ Darmstadinæ Mareschallus annorum circiter quadraginta constitutionis sanguineæ, plenioris que habitus, circa* 4. *Febr. anno* 1617. *cum febrilib. accidentibus incidit in pectoris angustiam, respirationis difficultatem, subsequente sputo cruento, & concurrente urinæ suppressione. Prout autem erat vir magnanimus, ita parum vel nihil periculosum hunc affectum curans, Heidelbergam in negotiis Illustr. proficiscitur, ibiq́ deterius habens, venæsectionem instituit, & post biduum Darmbstadium repetens omnia symptomata magis ingravescere sentit, unde Francofurtum sequenti die sese confert, ibiq́ Medicorum clarissimorum, tandemq́ meam etiam opem, sed frustrà, viribus naturæ, propter gravia symptomata, succumbentibus, implorat.*

RESOLVTIO.

Eò periculosior hic morbus erat, quò magis cum symptomatibus gravissimis complicabatur, queis ansam præbuerat ipsius ægrotantis magnanimitas, virium robori plus nimium tribuens. Adfuit autem præter signa peripneumoniam comitantia *difficultas urinæ*, quâ mirum in modum æger affligebatur, cui fortassis ansam præbuit denegata seri copiosioris dissipatio per habitum corporis, ob aëris hyberni frigidioris inclementiam, in quo prædictum iter in principio morbi suscipiebatur, inprimis cum aliàs etiam nephriticis obstructionibus æger interdum laboraret, quam ob causam Francofurtum veniens, pro leniendo symptomate dicto, decoctione sequenti frequenter utitur. quæ ℞. *Cicer. rub.* ℥iij. *Sem. Malvæ, bis malvæ an.* ʒiij. 4. *frig. major. an.* ℈ij. *Hord. mun.* ℥ij. *Ficuum ping. n.* viij. *Sebestem totidem, Glycyrrh. rasæ* ʒvj. *f. l. artis decoct. in* ℔. viij. *aq. fontanæ ad medietatis consumptionem.*

Causæ difficultatis urinæ in hoc casu.

Hâc potione frequenter assumtâ tam per se, quam admistione Syr. de Althea Fernel. sicut etiam syr. de scabiosa compos. urgens difficultas urinæ remittebat, & pectus etiam ab urgente tussi plurimum leniebatur. Dum hæc à Clariss. Medicis Francofurtensibus præscriberentur, vocatus advenio 21. Febr. ubi difficultas urinæ penitus desierat, sed adhuc sputum cruentum, difficultas respirationis, nullus dolor in pectore, calor p. n. summaq; virium imbecillitas aderat, ex quibus signis pulmonum inflammatio lethalis facilimè colligebatur, quo ipso propter tanti viri, qui nobis alter princeps erat, jacturam, non parum commovebar, interim expectorantia non negligebantur, ubi præter consueta frequenter etiam pitissando bibebat hydrom. optimè depuratũ: pro siti compescendâ

Peripneumoniæ lethalis indicia.

sequens aqua Francofurtensibus in affectibus calidis usitatissima concedebatur, quæ ℞. *Sacch. Cand. opt.* ℥j *Aq. fontan.* ℔iiij. *f. decoct. cui infundatur pomum citrium. incisum.* Viribus etiam sensim deficientibus lapis bezoar. cum aq. cordialib. præscribebatur. Cum autem 22. Febr. siccitas oris intenderetur, utpote quam expirationes calidiores, à fonte inflammationis viciniori prodeuntes, fovebant, sem. cydoniorum aq. Violarum infudimus, eâque frequenter linguam humectavimus, interius autem die sequenti contra bilis effusionem cochlearia 2. Syr. ros. solut. cum Rhabar. concessimus, cujus usum frequens dejectio biliosa, sed absque naturæ levamine, succedebat. Ingravescente v. virium imbecillitate 25. Febr. tumor pedum succedit, potius symptomaticus, quam criticus, absque victoriali naturæ triumpho, qua de causa consultatione factâ, concluditur communi consensu Medicorum præsentium, *potius eventum sinistrum quàm dextrum expectandum: interim oris affectum adhuc urgentem non negligendum, vires etiam respiciendas, tumoriq́ pedum iis, quæ caloris extinctionem præcavent, succurrendum esse.* Hinc igitur 26. Febr. contra oris affectum succus cancrorum vivorum cum aq. violarum & semper vivi contusorum, pauxillo nitri præp. addito, sæpius usurpabatur: interius emulsio cum cordialibus & pulv. lap. bezoar sumebatur, simulq; malignitatis gratiâ sequens potiuncula præscribebatur, quæ ℞. *Mithridat. vet. opt.* ʒß. *Syr. de scabiosa* ℥ß. *Aq. Beton. Card. ben. an.* ʒvj. *M.* Tumori pedum suffumigium ex Mastich. Tacamahaca & similibus cum linteo, cui sequens pulvis inspersus erat ℞. *Hederæ terrest. fol. Sabinæ ana* ℥ß. *fl. Chamameli, Meliloti an.* Mß. *Far. triticeæ* Miij. *f. pulv.* Tandemq; cataplasma ex baccis lauri, Gentiana & similibus contra gangrænam adhibebatur. Sed viribus pedetentim oppressis, & uno atque altero pedum digito livescente atque emoriente, circa vesperam ægrotans, res suas disponens, inter 5. & 6. vespertinam, præeuntibus diebus præcedentibus levibus deliriis, sæpius cum sopore quodam obortis, animo constanti mundo valedicebat, animamq; redemptori suo reddebat. Sequenti die, qui 27. Febr. erat, ad mandatum Illustrissimi, qui splendidas exequias eidem instituebat, corpus, ut balsamis convenientibus condiretur, apertum fuit: ubi in pectoris cavitate serum sanguinolentum copiosum aderat: pulmones, quorum substantia aliàs spongiosa, undique sanguine crassiore, qualis venosus est, scatebant, extremis eorundem partibus induratis & nigricantibus, cor flaccidum & jecur penitus exangue conspiciebatur, at intestina sanguine putrido flatibus permisto replebantur, unde paulo ante mortem copiosus sanguis odoris deterrimi, propter imbecillitatem retentricis summam, etiam excernebatur, de quo jungatur aph. 16. lib. 6. Hipp. cum comm. Galeni. Patet hoc modo quàm periculosus sit affectus Peripneumoniæ, qui curatus etiam facilimè recidivam lethalem habere potest, quod anno 1617. hic etiam in Studioso quodam (Petrus Müller Livonus vocabatur) observavimus, qui sub finem Junii Peripneumoniâ laborans, venæsectione mox in principio, medicamentis expectorantibus & usu acidularum Selderiensium, huic affectui, propter sulphuris & salis temperati qualitates, convenientium, optimè restitutus, genio & Baccho vicissim indulgebat, ita ut in principio Augusti de novo in prædictum morbum incideret, cum magna virium imbecillitate, quam tertiâ die morbi fluxus alvi symptomaticus, quartâ delirium, & sextâ mors comitabatur.

Contra siccitatem oris in peripneumonia.

Tumor pedum Symptomaticus.

Observatio Recidiva in peripneumonia lethalis.

APPENDIX
Ad Observationem IX.

Cùm prædicti Darmbstadini Mareschalli corpus, ut diximus, condiendum esset ad sepulturam, sequenti modo sumptibus non admodum operosis idipsum peractum fuit, potissimum juxta modum in aula Darmbstadina consuetum, nobis tunc temporis à Clarissimo Dn. D. Petro Uffenbachio, Medico Francofurtensi, amico nostro colendo, communicatum.

℞. Vini sublim. mensur. ij. pro abluenda post exenterationem tota cavitate interiori pectoris & abdominis, quæ statim post factam ablutionem terebinthina undiquaque aspergatur, ut pulveres & herbæ injiciendæ melius adhæreant, & sequentibus impleatur.

℞. *Fol. Rorismar. Lauri, Hyssopi, Absinth. vulg. Menth. Rutæ, Salviæ, Serpill. Puleg. Origan. Scordii, flor. Rorismarini, Rosarum, Lavend. Chamam. Stœch. spicæ commun. an.* Mij. *Sem. Carvi, Fœniculi, an.* ℔jß. *Rad. gentian. Caryophyllat. Angel. Valerian. ana* ℔j. *Incidantur crassiusculè.*

℞. *Aloës lotæ* ℔ij. *Myrrh.* ℔ß. *Mastich. Thur. ana* ℥ij. *Benzoi, Styrac. Calamit. Laudan. Cinam. Caryoph. Nuc. Mosch. Macis, Croc. ana* ℥j. *Mumiæ,* ℥ijß.

Crasso modo contus. misce & cum præcedentibus hæc omnia capacitati injiciantur, corpúsq; suturis occludatur, ac sequentibus oleis totum inungatur.

℞. *Oleum Absynth. Rutæ, Spicæ, Cham. ana* ℥iiij. *Juniperi. Laurin. an.* ℥ij. *Petros.* ℥jß. *Terebinth.* ℥j. *Misce.*

Ad incerationem indusij, quo corpus post inunctionem induatur.

℞. *Terebinth.* ℔iij. *ceræ* ℔xv. *dissolvantur cum ol. pro cerato.*

Pro replenda capacitate narium & aurium.

℞. *Ol. Nucis mosch. expreß.* ʒß. *Caryoph. destill.* ʒjß. *Misce.*

OBSERVATIO X.
Pleurisis incipiens per insensibilem resolutionem brevi curata.

Illustrissima princeps vidua, plenioris calidæ humidæque constitutionis, ante quinquennium autumnali tempore incidit in febrim, dolorem lateris punctivum, tussim cum succedente sputo candido, spumoso, sæpius etiam cruento: vires tamen utcunq́ constabant, quod respiratio & pulsus mediocriter tantùm à statu naturali recedentes indicabant.

RE-

RESOLVTIO.

Signa Pleuritis incipientis.

PLeurisin incipientem signa sua satis hîc innuebant, cui antecedentis causæ rationem præbebat plenior *constitutio sanguine superabundans*, præsertim *autumnali tempore*, cum aliàs eventilatio totius minor est, ut ea propter citius alicujus partis internæ inflammatio succedere possit. Jungitur autem hic morbus mox *cum febri*, quatenus calor p.n. cordi primũ, propter viciniam, & consequenter toti continuò communicatur. *Dolor* etiam adest *lateris punctivus*, quatenus inflammata pleura, membrana costas succingens, cum musculis inter costalibus, *tussis* quoq; molestat ægram, prout excretrix facultatem expultricem ad excernendum stimulat: succedit *sputum*. quod ob copiam pituitosarum fluxionum, quas ægrotans à capite simul patiebatur, *candidum*, *spumosum*, & ob sanguinis affluxum *cruentum* erat. Hîc ægrotantem benè sperare jussimus, cum vires adhuc mediocriter constarent; quemadmodum respiratio non admodum difficilis, ipseque pulsus æqualitatem quadantenus adhuc servans innuebant; utpote cum aliàs respiratio difficilis admodum, pulsusque durus & inæqualis sese offerant, ob contumaciam, quam inflammatio pleuræ toti thoraci introducit. Ergo conclusum fuit, *pleuritidem hîc esse incipientem, quæ in corpore pleno requirebat affluentis sanguinis revulsionem & evacuationem, & affluxæ materiæ incisionem, expectorationem ac dissipationem.* Mox ergo venæsectionem instituimus in latere opposito, quò non tantum sanguis in toto minueretur, sed etiam à parte laborante revelletur ad contrariam, præmisso tamen vesperi lenitivo quod

Prognosis.

Indicationes.

Materia auxiliorum.

℞. *Rhabarbari* ℨj. *Cassiæ recenter extr.* ℨvj. M. *cum Sacch. f. bolus cum haustu decoct. prunorum sumendus.*

Cum hoc modo dolor punctivus ex toto non remitteret, interius syrupum lambendum exhibuimus; qui

℞. *Syr. de glycyrr. de hispidula an.* ℥ß. *de Hyssopo* ℥j. *Aq. Vngulæ caball.* ℥jß. M. Sæpius etiam jusculum sorbendo bibit ex decoctione hordei excorticati cum Loch sano & experto permixto: exterius pectus totum Ol. Amygdal. dulc. inunximus, apposito Emplastro de Meliloto. Hisce continuatis simulque per usum lapidis bezoartici granis v. cum Aq. Veronicæ, sudore semel atque iterum majoris dissipationis ergò promoto, brevi remittentibus symptomatibus convaluit.

OBSERVATIO XI.

Pleurisis confirmata in Empyema & phthisin transiens.

VIr Nobilis in inferiori Saxonia corpore Plethorico, cum vino inebriatus esset, & noctu surgens è lecto plus justo refrigeraretur, paucis diebus post in febrim acutam, tussim vehementem, punctivum dolorem lateris, difficilemq́; respirationem incidit. Pulsus subsequitur durus, inæqualis & velox, cum tussi multa rejicit albicantia, crassa, subpurulenta, sanguine tincta, convenientibus adhibitis remediis, febris continua mutatur in intermittentem, pleurisis in Empyema ac phthisin abit, à quibus tamen æger tandem liberatur.

RESOLVTIO.

OBservationem hanc Anno 97. Helmstadii notavimus, cum ibidem manuductione patrui nostri, Jacobi Horstii p. m. Medicinæ operam darem, quam eò modo, quo à prædicto Medico celeberrimo, quoad curationem, prælegebatur, candidè theoriâ prius deducta & plenius declaratâ, communicabo. Fuit autem pleurisis hæc confirmata; cujus causa externa consistebat in refrigeratione nocturnâ; quemadmodum enim calor humores colliquans, sic etiam frigus eosdem compingens pleuritidem introducere potest, accedente scil. plethorica corporis dispositione & sanguinis orgasmo, quem ebrietas ex vino (quæ corporibus istius regionis non admodum consueta) producebat. Hinc ergo sanguine satis effervescente, propter convenientem eventilationem impeditam pleuritis generabatur, eodem videl. propter *pectoris refrigerationem* circa vasa intercostalia copiosè collecto, membranæque costas succingentis, pleuræ dictæ, cum vicinis internis musculis inflammationem producente, quam *febris acuta*, propter viciniam cordis, & quatenus etiam aorta ramis conspicuis intercostalibus cum affecto loco jungitur; *tussis vehemens*, ob frustraneum conatum expulsionis; *punctivus lateris dolor*, qui membranosis inflammationibus proprius, sicut gravativus visceribus; & pulsatorius musculosis partibus, quas arteriæ intercurrunt; *difficilis respiratio* comitabatur, quatenus thorax ob gravem dolorem necessitati non respondebat. His signis pathognomonicis supervenientibus *pulsus durus*, quem etiam serratum vocant, quasi manui tangentis duritiem inæqualem serræ videatur exhibere, quem membranæ tensio, duritiesque producit; *inæqualis*, ob febrim continuam conjunctam, & *velox*, quod motus extensionis eventilationi sufficiens non esset: *Tussis* etiam aderat cum rejectione *sputi copiosi*, quòd materiæ superabundantis crudioris ad concoctionem tamen inclinantis signum erat, sanguine videlicet pituitoso biliosoque circa pectus plurimum collecto.

Confirmatæ pleuritidis causa externa.

Supervenientia.

Quanquam verò vires gravitate morbi maximè premerentur, nihilominus tamen robori naturæ fidendum, & convenientia media non negligenda esse videbatur.

Prognosis.

Hinc ergo sanguinem in toto minuendum, & etiam à loco affecto derivandum, materiam ad expectorationem præparandam, viribusq́; prospiciendum esse Medici præsentes statuebant.

Indicationes.

Mox igitur die quintâ morbi, cum citius Medicos ex ignorantia gravissimi affectus non advocasset, vena basilica in eodem latere, ubi dolor erat, incidebatur, victusq; tenuis, ac potus aquæ hordei cum passulis & rad. glycyrrhizæ concedebatur, subinde quoque sæpius alterationis gratiâ exhibito haustu de sequenti Julapio, quod

℞. *Aq. Endiviæ,*
Borraginis,
Vngulæ Caball. ana ℥iiij.

Iulapij Rosarum ℥iß.
Violar. ℥ß.
Misce.

Sequentibus diebus ad calorem temperandum, materiamque præparandam & expectorandam magis respiciendum erat, quam ob causam singulis diebus aliquoties haustus sequentis potionis pectoralis sorbendo sumebatur, quæ

℞. *Rad. Glycyrrhizæ* ℥ij.
Fœniculi
Asparagi ana ℥iß.
Sem. Anisi ʒj.
Melon. ʒij.
Herb. Beton. Salv. Hyssop. an. Ms.
Fl. Violar. pij.
Caricar. num. iiij.
Coq. in s. q. ad tertias. Coletur ℔j.
Adde Oxymellis ℥ij.
Syr. de glycyrrh. Violar. an. ℥j.
Misce f. potio.

His continuatis ad 11. diem morbi, febris continua cessat, sed mutatur in intermittentem tertianam duplicem, durante tamen sputo, crassioris, suppurulentæ, spumosæque materiæ, qua de causa magis calefaciens & incidens potio 14. die morbi præscribebatur, quæ ℞. *Rad. Raphani* ℥ß. *Ireos* ℥ß. *glycyrrhizæ* ʒiij. *Fœnic.* ʒij. *Sem. Anisi* ʒiß. *Melonum* ʒi. *Herb. Hyssop. Salviæ, Origani, Calamenth. an. Mj. prasii Mjß. Carnium Iujubar. Sebesten ana num. vij. Caricarum ping. num. iiij. Fl. Violar. Mß. fiat decoct. ad 3. coletur* ℔j. *adde, Syr. de Beton. Violar. de Hyssopo de glycyrrhizæ, de prasio ana* ℥j. *Misce f. potio ad vices aliquot.* Præter dictam potionem, quæ primarium affectum respiciebat, contra febris æstum sæpius etiam lambile sequens exhibebatur, quod ℞. *Iulapi Viol.* ℥ij. *Rosar.* ℥j. *Aq. Cinam.* ℈ß. *Veronicæ* ℥j. *Misce.*

Decimo septimo die morbi cessat una febris tertiana, remanente adhuc alterâ, subinde tamen sputo copioso durante, xx. die morbi fit Empyematicus, ac de improvisò pus ac sanguinem expuit. Hinc ergo rotulæ Diatragacanthi frigidi diaireos præscribuntur alternatim: Loch quoque sanum & expertum cum Gallinæ jusculo, in quo hordeum decoctum sit excorticatum, manè post somnum & sub noctem exhibetur, frequenter etiam de emulsione Amygdal. & Sem. Melonum cum aq. Veronic. parumque aq. Ros. & Cinam. confectâ bibebat usque ad 27. diem morbi, ubi febris tertiana altera quoque cessat, sed tussis crebriusque puris sputum perdurant. Idcirco præter antea dicta laborans syrupos lambit de Jujubis, de hyssopo, de Prasio ana ℥i. de glycyrrhiza, Viol. an. ℥iß. aq. Veronicæ ℥i. Misce f. lambile. Aliquando exterius pro maturando pure cataplasma cum inunctione præmissa commendabatur, quod ℞. *Herb. Salviæ, Rutæ, serpilli. Majoranæ an Mj. Farinæ hordei, fabarum, Lupinor. an.* ℥ß. *Sem. Lini, Fœnugr. an.* ʒj. *Mucilag. Sem. Psyll.* ℥iß. *Ol. Amygdal. dulc. Aneth. an. q. s. Ceræ parum. fiat cataplasma.* Inunctio præmittatur unguento, quod ℞ *Ol. Viol. Chamæmel. an.* ʒvj. *Aneth.* ℥ß. *Amygd. dulc.* ʒiij. *ping. Anatis, Butyri non saliti an.* ʒvj. *ceræ parum f. linimentum.* Usurpatis autem prædictis mediis non tantum per tussim, sed, quod admiratione non caret, per urinam etiam pus expurgabatur, ita ut in urina conspicuum esset, ac stranguriam in excretione, doloresque nephriticos quasi simul produceret, de quo evacuationis modo variæ sunt Autorum opiniones, quemadmodum alibi monstravimus. *Galenus* enim, cum eoque multi, mediante corde purulentam materiam per arteriam magnam ad emulgentes ablegare conatur. *Fallopius* peculiarem venam in emulgentem à pectore primus notavit, quâ mediante commodè talis evacuatio fieri queat. *Matthiolus* per venam azygos, vel alia ratione ad emulgentem venam purulentam materiam segregari statuit, cujus objectiones solvere conatur *Iulius Alexandrinus*, qui Galeni sententiam certa limitatione approbat. *Sammichelius*, quod habet *Costaus & Mongius in Com. super Avicen.* quodque per literas ad me datas celebris Medicus Coloniensis p. m. *Hen. Botterus*, qui ejusdem olim discipulus fuit, affirmat, venam magnam, ubi diaphragma transiit, priusquàm in cor sese insinuaret, ramulum quendam rectâ ad pulmones misisse, sæpius in Anatom. publica observavit, per quem ejusmodi evacuationem fieri posse statuit: Clariss. *Bauhinus* noviter anno 1612. 17. Jan. ad me perscripsit se peculiarem & insignem ramum ad cordis ventriculi sinistri ostium ex arteriâ venosâ propagatum observasse, qui supra pulmonem sinistrum elatus, ac mox reflexus, arteriæ magnæ truncum descendentem comitatus, & in eum sub diaphragmate implantatus sit, per quem vomicam pulmonum, & per urinas & per alvum, evacuari posse minimè dubitat, in iis scilicet, qui sani evadunt; at in iis, qui moriuntur, posse purulentam materiam etiam corde mediante ad vias urinarias promoveri non negat. Ad hujus observationis communicationem probabiliter prædicto Cl. V. proposui, num expurgatio etiam fieri possit per anastomosin venæ cavæ, arteriæq; venosæ, rursus p. n. apertam, quam infans in utero pro nutritione pulmonum satis conspicuam habet, quod omnino impossibile non videtur, cùm naturæ hoc sit proprium, ut in expellendis iis, quæ p. n. colliguntur, ductus & vias etiam occultas sibi frequenter aperiat. Utut sit, non rarò tales evacuationes in praxi observantur, sicut etiam præsenti ægrotanti accidebat, cui malum hac ratione protrahebatur ad septimanas undecim, ita ut ante finem morbi per dies multos tabe quoq; conficeretur, propterea quod Empyema in phthisin abiret. Promovebatur autem expurgatio puris, modò unguento bis lumbis inuncto, quod vias renum laxaret & aperiret. ℞. *Ol. Viol.* ℥ß. *lilior. alb. amygd. amar. sesami. an.* ʒij. *scorpionum* ʒvj. *Vn. dialth.* ʒv. *ping. gall.* ʒiij. *Ceræ parum f. linimentum,* modò enemata ad vesicam emolliendam, & expulsionem per urinas juvandâ præscribebantur.

Quomodo Empyema per urinas expurgetur.

Vide Epist. Med. Sect. 12.

℞. *Hebr. Mercurialis,*
Bismalvæ ana Mij.

Branc.

Branc. ursin. Mjß.
Beton.
Agrimon. ana Mj.
Fl. chamameli,
Meliloti ana Mß.
Bacc. lauri ℥ß.
Sem. anisi. petrosel.
Dauci ana ℨjß.
Coq. in s. q. aq. ad 3. *coletur* ℔j.
add. Bened. laxat. ℥vj.
ol. chamamel.
Anethini ana ℥jß.
Salis parum,
f. Enema.

Quin etiam Emulsio, quam bibebat, mutabatur, ita ut Aq. Petroselini ad seminum contusionem & extractionem usurparetur. Quoad victum frequenter radicibus petroselini coctis utebatur, nec interim medicamenta sputum facilitantia negligebantur. Cum verò vix ossib. hæreret ægrotans, phthisi quoque succurrebatur continuatione jusculi gall. cum Loch sano & experto, morsulis itidem, qui

℞. *Spec. diatrag. frig.*
Diapenidij ana ℨj.
Pinear. Pistacear. an. ℨß.
Amygdal. dulc. excort. ℨij.
Macis, Cinam. ana ℈j.
Incidantur grosso modo, add.
Sacch. opt. ℔j. *cum aq. ros.*
fiat confectio in Morsulis, qui aromatisentur,
Ol. cinam. gut. iiij.
Moschi gr. vj.

Tandem etiam spec. diamoschi dulcis in jusculo cerevisiæ frequenter sumebat, & procedente tempore vires recolligebat, respiratioque facilior reddebatur, durante tamen adhuc tussi, quæ 11. septimanâ quoque cessabat, ægro interim convalescente, sensim carnoso habitu vicissim redeunte.

Hoc modo gravis hic morbus DEI beneficio salutarem eventum nanciscebatur, expurgatione puris per vias urinarias naturam plurimùm adjuvante.

OBSERVATIO XII.

Pleurisis alia.

SUsanna Mülleriana, puella 12. annor. incidit in pleuritidem, cumque plurimum à medicamentorum usu abhorreret, nec etiam propter dolorem peccantem materiam expectoraret, tandem Empyematica reddebatur. Huic exhibitis aliis multis plurimum conveniebat sequens destillatum Pectorale. ℞. *Iecur vituli num.* 1. *Pulv. vulp. num.* 4. *incisus adde Salv. hyssop. veron. recent. ana* Miiij. *Rad. Helen. Ireos ana* ℥iiij. *sem. fænic. Anisi an.* ℥ß. *Vini albi mens.* 1. *Aq. Cord. ben. Scabios. an.* ℔j. *Cons. viol. acetos. papav. err. an.* ℥iiij. *Diger. per* 24. *hor. destill. Usus sit frequens cum saccharo Cand. ab* ℨj. *ad* ℨjß.

OBSERVATIO XIII.

Phthisis ex vulnere pulmonum curabilis.

VIR *Nobilis juvenis Abraham à Schleinitz, Eq. Misnicus, Studiorum gratiâ nobiscum Giessæ vivens, Anno* 1613. *in feriis Natalitiis civis cujusdam ædes aggreditur, aliis in ipsâ domo convitiis atq; comminationibus huic tumultui occasionem præbentibus, & per januæ rimam acutiori gladio transfoditur, introeunte vulnere non procul à sterno circa* 3. *vel* 4. *costam superiorem, eodemq; rursus sub scapula non procul à spina exeunte. Vocatus ego circa horam* 1. *noctis, pulsum maximè debilem, respirationemq; difficilem adesse video, quam ob causam parum spei propter gravem pulmonis, vasorumq; magnorum læsionem superesse puto. Sed quid fit? Vomitu sponte superveniente symptomata gravia desinunt, vires sensim recolliguntur, nihil sputi purulenti sese offert, tussis etiam, difficilisq; respiratio non urgent, nec admodum calor & sitis per primam septimanam agrum afficiebant, vulneribus interim more solito tractatis, optimè coctis puris copia mediocris quotidie profluebat. His ad mensem secundum continuatis, & vulneribus externis perfectè purificatis & consolidatis, imminens suffocatio laborantem prehendit, ita ut asthmate quasi periclitaretur, tussi etiam, atrophiâ & hecticâ febri plurimùm affligitur, donec tandem vomica pulmonum rumperetur, & cum tussi* 5. *vel* 6. *libra purulentæ materiæ rejicerentur: quo facto, convenientibus remediis pulmonum exulceratione curatâ, tabes, febris hectica, reliquaque symptomata remiserunt, & æger perfectæ sanitati restitutus fuit.*

RESOLUTIO.

GRavis hîc pectoris læsio per vulnus facta sese offerebat, quam absque insigni solutione continui, respectu pulmonum, eorumque vasorum, fieri non potuisse statuebam in principio, præsertim *pulsu maximè debili existente, magnaq; respirationis difficultate*, plurimum affligente.

Sed cum vomitu sponte superveniente vires vicissim colligerentur, difficilisq; respiratio sedaretur, potius compressione diaphragmatis, ob ventriculi repletionem, quàm sanguinis in pectoris cavitate collecti copiâ difficilem respirationem originem suam habuisse patebat: *Vires sensim restituebantur*, propterea, quod ob sanguinis copiosam, per vulnus alterum axillæ latiori gladio, sed absque vitæ periculo, factum, effusionem, adeoq; propter spirituum dissipationem subitò læsæ fuerant. *Tussis cum excretione cruentâ vel purulentâ*, nec etiam *febris cum difficultate respirationis* per primam septimanam aderant, propterea quod vulnus internam pulmonum substantiam, vasaq; majora non læderet, quod admiratione non carebat, quâ de causâ mecum hac de re cogitans, motum pulmonis perpendere cœpi, simulque respirationis partes diversas considerando probabiliter statui, juvenem hunc in vehementissimâ expiratione, cum pulmones penitus concidunt, fuisse transfossum. Quid autem

 ansam

Læsio pulmonis levior ex occasione contingenti.

ansam præbuerit huic expirationi vehementiori, vix invenire potui, quam ob causam, à vulnerato, quasi aliud agens, inquisivi, quidnam ante domum egerit eo ipso momento, quo vulneratus fuit; respondet ille promptissimè, quod clamore vehementiori suum adversarium provocârit. At verò cum vox intensior non aliter, quàm expiratione fiat, ubi pulmones necessariò concidunt, verisimile judicabam, pulmones minimè graviter, sed fortè tantùm respectu partium ad circumferentiam tendentium, & per consequens, non secundum insigniora vasa læsos fuisse. Interim vulnera externa per chirurgos more solito tractavimus, eaq; aperta retinuimus tam diu, quàm diu materiam puris mediocriter effundebant, juxta decisionem quæstionis hujus in *Cent. probl. therapeut. dec.* 5. propositam, non neglectis etiam internis medicamentis leniter evacuantibus & viribus cordis prospicientibus, cum occultæ cujusdam collectionis suspicio nobis esset. Hinc Cassiam noviter extractam cum Rhabarbaro pro leni purgatione semel atque iterum exhibuimus, & Bezoarticis aliquoties sudorem provocavimus; quorum remediorum beneficio per septimanas aliquot benè habuit, donec sub finem secundi mensis vulneribus externis ritè consolidatis *Asthmate* quasi prehensus periclitaretur, *tussi, atrophiâ* & *hecticâ febri* plurimùm afflictus, quatenus scilicet *vomica pulmonis* in parte ejus vulnerata propter sanguinem ibidem per affluxum & congestionem collectum, & in purulentam substantiam conversum continebatur, cujus eventus omnino dubius erat, quam ob causam per frequentem appositionem cucurbitularum siccarum, tum etiam per extremorum ligaturas & frictiones; interius verò per ea quæ expectorationem juvant, ubi præ cæteris frequens erat usus syrupi Jujubini cum Balsamo sulphuris Terebinthinato permixti, difficultati pectoris succurrere conabamur, ubi tandem abscessu rupto per diem naturalem una cum tussi 5. vel 6. libræ purulentæ materiæ rejiciebantur, quo facto *vires corroborandas, & exulcerationem pulmonum detergendam & consolidandam esse* duxi. Quocirca cum Syrupis pectoralibus Balsamum sulphuris continuavimus, frequenter etiam Loch sanum cum decoctione hordei, rad. glycyrrhizæ & passularum concessimus; item hydromel cum rad. Ireos & glycyrrhizæ confectum præbuimus, aliisque similibus detergentibus expectorationem promovimus, donec tandem consolidatio respicienda veniebat, ubi frequens usus Conf. rosar. antiq. plurimùm profuit, tam per se, quàm cum gallo decrepito cocta & manè vesperique sumpta. Flores etiam sulphuris cum vitello ovorum quant. scrupuli permistos & jejuno stomacho sumptos, nec non usum lactis caprini cum pauxillo sacch. candiæ commendavimus. Quibus per paucas septimanas adhibitis hoc modo, præsens vulneratus sensim à prædictis symptomatibus liberatus, brevi sanitati perfectæ restituebatur, contra communem assertionem, quâ pulmonum exulceratio lethalis statuitur, quod experientiâ teste verum esse patet tunc temporis, ubi phthisis ex continuis acribus fluxionibus, accedente plerumque hereditariâ, vel etiam ascititiâ pulmonum imbecillitate, suam originem habet (quanquam amicus noster *Guliel. Fabritius in Cent.* 3. *observ.* 38. exemplum proponit hujus etiam phthiseos beneficio setacei perfectè curatæ) alia verò ratio est illius tabis, quæ fit ab ulcere pulmonum, quod à vulnere suam originem duxit, præsertim in dispositione corporis robustiori, juvante simul purulentæ materiæ per vulnus excretione quotidianâ, qua ratione Nobilem Hassium in vicinia habitantem adhuc novimus, Schabe zu Stanfenberg dictum, familiæ suæ postremum, qui ante decennium punctim læsus in pectore diu decumbebat, & quotidiè magnam saniei copiam turundis extractis è vulnere, sæpius cum parvis pulmonum caranculis, effundebat, phthisi simul prehensus, quæ signis omnibus cum ea conveniebat, quæ aliàs à pulmonum ulcere fieri solet, quam propter putrescentis pulmonum substantiæ malignitatem interdum cutis exanthemata rubra, more illorum, quæ petechialibus febribus propria sunt, cum virium imbecillitate magna comitabantur. Hic tamen, cum diu satis apertum esset vulnus, ipsumque pectus & pulmones optimè expurgarentur, tandem perfectè convaluit, & in hodiernum usque diem nihil quicquam amplius conqueritur, ubi naturæ robustiori plurimùm tribuendum esse censeo. Patet hîc obiter, quòd in præcedenti observatione militet eadem ratio, quatenus ibidem quoque non continuata fluxio capitis, sed præcedens alius pectoris morbus phthisi occasionem præbuit, ubi natura citius etiam exulcerationem pulmonis consolidare potuit, aliò peccante materiâ derivatâ.

Vomica pulmonum occulta.

Quomodo vulnera pulmonum sanabilia sint.

Observatio similis.

Dum hæc ad prælum revideo, memoriæ succurrit, quod Nobilis hic posterior Anno 1621. vicissim in catarrhum inciderit, & de novo phthisi prehensus fuerit, quâ tandem, aperto etiam antiquo vulnere (quod admiratione non caret) lethaliter afflictus, Anno 1622. naturæ debitum solverit, de quo vide plura in Epistolis.

OBSERVATIO XIV.

Tabes ex continuis & diuturnis fluxionibus ad pectus.

ICtus quidam D. Philippus Eckardus, Alsfeldianus, Cameræ Imperialis Advocatus, Spiræ vivens, per literas ad me datas Anno 1618. *circa vernum tempus conqueritur, quod ante annos quindecim & ab eo tempore sæpius tussi & expuitione viscidioris pituitæ plurimùm molestatus fuerit, inprimis hyemali tempore. Quamvis autem mediocriter, annis superioribus æstate appropinquante, fuerit restitutus, nihilominus addit, pro tempore non tantum tussim & rejectionem albicantis & flavescentis materiæ non remittere, sed etiam cum corporis absumptione vires admodum indies debilitari, quam ob causam consilium meum expetit.*

RESOLUTIO.

PEr modum Consilii responsum fuit ad hunc casum, adesse videl. *tabem vel atrophiam ex continuis fluxionibus*, quibus originem præbeat *caput imbecillius* crudas eva-

evaporationes ex debiliori concoctione viscerum promprè recipiens, easque resolutas ad pectus transmittens, quàm ob causam *I. causam antecedentem* respiciendam esse diximus, nimirum ut caput una cum visceribus corroboretur, ne crudas evaporationes ascendentes suscipiat: *II. Materiam in pectore collectam* per Bechica præparandam & expectorandã: *III. Et victus rationem*, stomachique concoctionẽ convenientem instituendam putavimus.

Indicationes.

Pro primo: Capitis imbecillitati succurrendum esse statuimus pulvere sæpius ante somnum insperso: qui ℞. *Rosar. rub.* Mß. *Thuris, Mastych. succini ana.* ʒjß. *santali citrini, cardamomi, Macis ana.* ʒj. *sum. Majora. fl. Lavend. ana.* pjß. *f. pulv. per cribrum.*

Interius ante somnum etiam ʒß. pilular. de succino, quas Crato frequenter præscribit, quæq; nobis in usu, alternis diebus convenire diximus; interdum etiam Morsul. contra destux. d. n. ʒß. concessimus, utpote quibus mediis evaporationes ascendentes impediuntur, & ipsa concoctio juvatur. Imò pulverem pro fumo ex Tacamahaca, Mastyche, Thymiamate & similibus ordinavimus, ut aër in conclavi convenientem siccitatem haberet.

Pro secundo: Rotulas ex speciebus diaireos s. cum succo glycyrrhizæ in aq. Veron. folut. tum etiam syrupum de Hispidula, Bals. Sulph. Terebinth. cum Jujubino syr. permixtum, aq. Veronicæ cum saccha. Cand. dulcoratam & Loch: sanum & expertum præscripsimus, habitâ ratione symptomatum ipsiusque materiæ qualitatum, quatenus uno tempore magis quàm altero incidendum & attenuandum est.

Pro tertio: Diximus alvum apertam esse debere, ita tamen, ut fortiora purgantia non adhibeantur. Fiat ergo singulis mensibus declinante Lunâ laxativum cum brodio prunorum, in quo Mannæ ℥j. cum Cremoris Tartari ℈ij. dissolvatur, præmissa præparatione, per biduum scilicet assumto quotidiè 2. horis ante cænam & prandium haustu seri lactis caprini cum rad. Cichorei decocti. Victus quoque rationem pro stomacho juvando talem observandam esse diximus, qualem literatis lib. 2. de tuenda sanit. c. 5. commendamus.

OBSERVATIO XV.
Empyematis Expurgatio.

Vir Nob. Clariss. & Excellentiss.
Dn. CASPARUS BAUHINUS, Illustrisss. Würtemb. Principis Medicus,
GREGORIO HORSTIO, D.

E*υπράττειν.* Cum certus essem, Clarissime Doctor, redditas iri meas, breviter monere volui, me in Anatome, quam præterito Decembris in 14. diem administravi, inter cætera reperisse (quod prius non observâtam, licèt trigesimus primus præterierit annus, ex quo Anatomicum ago) peculiarem & quidem insignem ramum ad cordis ventriculi sinistri ostium, ex arteriâ venosâ propagatum, qui super pulmonem sinistrum elatus, & mox reflexus, Arteriæ magnæ truncum descendentem comitabatur, & in eum sub diaphragmate implantabatur, per quem vomicam pulmonum & per urinas, & per alvum evacuari minimè dubito; in iis, inquam, qui sani evadunt: in iis vero, qui moriuntur, posse purulentam materiam in ventriculum cordis effundi, non negarem. Sed hâc de re aliâs plenius, si voles, & tibi videatur, ubi intellexero; clarius rem ipsam figura monstrabit, quæ nunc paratur. His vale, & salve, Clarissime Horsti. Citato calamo, 17. Jan. qui dies mihi natalis, & 55. annum ætatis complet: Dei Clementia porro suâ misericordiâ mihi adesse dignetur, 1612. Basileæ.

IDEM EIDEM.

ETsi non ita pridem, Vir Clariss. literis meis te salutârim, non potui tamen intermittere, quin Cl. Viro, Dn. D. Voglero, mihi ob modestiam, diligentiam, & doctrinam charissimo, ad te abituro, breves has scriberem. Addidissem theses ab ipso disputatas, quibus præfixa Epistola mea, quâ demonstrantur non solum ea, quæ præter opinionem communem in publicâ meâ nuperâ Anatome exhibui, verùm etiam peculiaris ductus, per quem vomica pulmonum per urinas & alvum expurgari potest, nunc primum à me observatus: verùm ipsemet eas tibi offeret. De cæteris meis rebus ipse *D. Voglerus* interroganti respondebit. His vale & salve, Vir Clarissime, Ocyus, 24. Martii, 1612. Basileæ.

Nobil. Clariss. & Excellentiss.
Dn. CASPARO BAUHINO, Phil. & Med. D. Archiatro & Professf. Basiliensi, nec non Illustr. Princip. Wirtenb. Medico.

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Gratissimæ mihi fuerunt binæ tuæ literæ, Vir Clarisf. & Excellent. fautor atque amice plurimùm colende, tàm quod amoris erga me tui testes essent, quàm etiam quod notabilem atque singularem observationem, à te nuper admodum demonstratam, communicarent, quam T. Exc. in Epistolâ ad *Dn. Voglerum*, pluribus quoque declarat. Ignoscas vero, Vir Clariss. quod lætabundus hanc communicationem mihi soli reservare nolui, qui non tantum auditoribus meis idipsum protinus legendum exhibui, sed etiam Viro Clarissimo, & in re Medicâ peritissimo, *Dn. Henrico Bottero*, Medico Doctori celeber. olim Archiatro Hassiaco, jam verò primario Professori in Academia Coloniensi, fautori atque amico meo singulari literas T. Exc. legendas transmisi, cujus responsorias ad me perscriptas hîc additas esse vides. Ingenuè fateor, semper dubitavi, quomodo juxta *Gal.* salvâ vitâ, per cordis ventriculos expurgatio pulmonum fieri possit, quam quam peccante materiâ, per vias urinarias & alvum secretâ, phthisicos levatos viderim.

Assertio Galeni.

Nec *Fallopii vena*, à pectorali *sine pari* descendens in *emulgentem*, huic accidenti satisfacere videbatur. Novit T. Excell. quid *Costaus & Mongius*, *l. 3. fen. 10 tract. 4. c. 1. in Avicennam*, de *Nicol. Sammich.* referunt, ubi scribunt:

Assertio Fallopii.

Assertio Sammichelii.

scribunt: *Nicol. Sammichelius, Novocomensis, Vir nostra tempestate maximus, & in dissecandis corporib. exercitatissimus, spectasse in cadaveribus quibusdam seipsum & alios testatur, venam magnam, ubi diaphragma excessisset, priusquam in cor sese insinuaret, ramulum quendam recta ad pulmones misisse. Quod si ita habet, forte hoc itinere expurgata est vomica, de qua Gal. meminit. Atque hac vena magna propago iis inest, qui id excretionis genus experiuntur, neq; in cor ipsum temere alioquin pleuritidis sanies recipitur.* Hactenus illi: quibus etiam lucis aliquid addit Epist. à prædicto Cl. Bottero ad me perscripta. Quid si præter hos evacuationis modos, deficientibus ejusmodi ramis singularibus naturâ viam sibi quæreret, vicissim aperta anastomosi venæ cavæ & arteriæ venosæ, quæ fœtui in utero materno, pro nutritione pulmonum inservit? Scio *Cl. Arnisaeum*, amicum meum fratris loco colendum, Anno 1607. Genevæ furem juvenem secuisse, cui anastomosis venæ cavæ & arteriæ venosæ, ut & canalis ab arteriâ magnâ ad venam arteriosam magis aperta fuerunt, quàm in infante recens edito. Multa sane tentat natura, quò peccanti materiæ secretionis viam inveniat, quemadmodum experientia testatur, cui non videtur impossibile, vicissim aperire, quod ipsamet consolidavit, juvante simul materiæ peccantis acrimoniâ, viam sibi parante. Sed probabiliter hæc assero, Tuæq; Exc. judicio subscribo. Bene valeat. Giessæ Cattorum, Calend. Maij, 1612.

Proponitur opinio nova.

Vir Clarifs. & Excellentiss.

DN. HENRICUS BOTTERUS, Phil. & Med. D. olim Archiater Hassiacus, jam verò Decan. & Profess. Primar. In Academia Coloniensi, &c.

GREGORIO HORSTIO, D.

S. P. Clarissime & Amicissime Dn. D. tametsi penultimis meis literis, jam ante quatriduum, quo ad notum Bibliothecæ Wolffianæ negotium responderam, idque Hogenbergiacis perferendum dederam, nihilominus supervenientibus adhuc, ante eorundem abitum, postremis à te literis, de esse nolui, quin & illis breviter responderem. Clariss. *Dn. Bauhini* literas libenter vidi ac legi, quibus addo, credere me hunc ex arteria venosâ ramum in sinistrum pulmonis lobum propagatum, non in omnibus corporibus perinde conspicuum & obvium. Ut enim natura à natura, sic corpora à corporibus differunt. Quod si jam in quibuslibet corporibus videre ac reperire daretur, certè tanto tempore *D. Bauhinum*, Anatomicū alioquin oculatissimum & exercitatissimum, latere id non potuisset. Quare vereor, ne & posthac in multis corporibus non occurrat. Memini, cum Anno 1568. *Patavii* Medicinæ operam darem, D. *Aquapendentem* in publica Anatome cujusdam venæ à *Nicolao Sammichelio*, Medico Veneto, repertæ mentionem fecisse, quæ ex cava tanquam ex trunco, rami instar, paulùlum supra diaphragma in pulmonem spargeretur, antequam cava cor subintraret. Habebantur autem eo tempore duo cadavera sectioni destinata: Virile unum, fœmineum alterum. In virili monstratum se vidisse nonnulli ex nostris, qui viciniores erant, & inferiora subsellia occuparunt, contestabantur: ego remotior perfectè videre non potui. In fæmineo non ostendit, aut, ut suspicior, ostendere non potuit. Addebat idem *Aquapendens*, se hac ratione motū, pleuriticis diureticas potiones exhibere ausum aliquando, & quidem non nisi felici semper cum successu. Legi postea hac de re varios autores, & inter veteres *Galenum & Avicennam*, quorum ille *6. de locis aff. cap. 4.* pulmonis vomicam per urinam, thoracis autem per intestina & alvum expurgari posse fatetur: hic verò *lib. 3. Canonis, fen. 12. tract. 4. cap. de pleur.* sic scribit, *& quando recipit pulmo saniem, & quandoq; recipit eam vena concava & egreditur ad urinam; & quandoq; effunditur ad meatum fecis, & evacuatur cum solutione ventris:* Astipulatur *Galeno Paulus lib. 3. & Avicenna Mesue cap. 5.* de pleuritide. Ex recentioribus adde *Antonium Benivenium cap. 43. & Dodonaeum, Scholiasten ejus, Alex. Benedictum lib. 3. cap. 9. & Fontanonum in fine, capite de Pleuritide.* Hi quidem omnes thoracis partes per urinam, & quandoq; etiam per alvum expurgari posse indubitatò asserunt, ac profitentur: Vias autem per quas, silentio involvunt. Laudanda igitur & exosculanda venit nostri temporis Medicorum industria, qui, ut eas per Anatomen inveniant, nullum non lapidem movent.

Sammichelii observationem approbasse Aquapendentem.

Interim videmus differentiam inter venam à *Sammichelio* inventam, ac ab *Aquapendente* tantoperè decantatam, & alteram nunc à *Bauhino* repertam. Dicebant enim Itali illi: Venam magnam, ubi diaphragma excessit, priusquam in cor sese insinuasset, ramulum quendam in pulmones transmisisse. *Bauhinus* verò longè aliter, qui ramum insignem profert, ad cordis ventriculi sinistri ostium ex arteria venosâ propagatum, qui super sinistrum pulmonis lobum elatus, & mox reflexus, arteriæ magnę truncum descendentem comitabatur, & in eum sub diaphragmate implantabatur. Hæc meam de corporum diversitate sententiam confirmant, & postmodum, ut puto, adhuc confirmabunt magis. Interim in his studiosè inquirendis ingenia nostra occupari & exerceri non est inutile: Suppeditant enim veram ac solidam philosophandi materiam, & ad altiora meditanda, non nisi humano generi salutaria, viam sternunt. Ego, ut de meis observatiunculis aliquid addam, nec planè asymbolus ad te veniam, non solum in pleuriticis, verùm etiam in vulneratis, vulnere punctim, & ex alto per intrusum telum illato, in pectoris concavitatem tamen penetrante, diuretica tempestivà exhibita plurimum profuisse, ac sanitatem attulisse, re ipsa compe-ri, atque expertus sum. Accidit ante annos, plus, minus, 26. in pago Bruin, tribus *Cassellis* distante milliaribus, in confinibus Diæcesis Paderbornensis, Hassiacæ adhuc ditionis, ut Prætor ejus loci, nomine Melchior, rusticis ebriis, & extinctis candelis Andabatarum more pugnantibus, ut eos componeret, & in ordinem redigeret, medium se iis immisceret. In illo tumultu ac perturbatione, illo

Differentia inter Sammichelii observationem & Bauhini.

Observatio Botteri, de expurgatione puris.

illo inscio, ac ut fatebatur, primùm non sentiente, culter illi inter scapulas Capulo tenus deorsum infigitur, cultro in vulnere relicto. Tumultu utcunque sedato, quidam capulam extare & prominere videns, misertus Pretorem admonet, ac firmum stare jubens, cultrum extrahit. Is se Chirurgi Volckmarsensis, vicini, curæ aliquandiu committit, qui exhibita per tres aut quatuor septimanas potione suâ vulnerariâ, ex multorum astringentium farragine, & vino rubro confecta, dum se nihil proficere, sed ægrum indies deterius habere videt, eum Cassellas ablegat. Factum id quoque de voluntate ac consilio Nobilis Viri, *Egberti à Malsburg*, pagi Bruin ac Elsingen Domini, eo tempore Locum tenentis, seu Proprincipis Cassellani. Is eum *D. Laurentio Hyperio*, Medico Aulico, curandum committit: qui corpore purgato, ac lambitivis ad tussim molestam præscriptis, parum quoque, ac nihil profecit, vulnere nihil puris excernente ac gravi materiâ deorsum lapsâ, ægro interim ad hecticam & Marasmum tendente. Contigit interea, ut ego à Clementissimo Principe, ac Dn. *Dn. Wilhelmo*, feliciss. memoriæ, ad Aulam vocarer, certas ob causas, quò cum venissem, Locum tenens, qui me familiariter norat, & operâ meâ aliquoties usus fuerat, statim ad se vocat, ac totum negocium exponens, rogat, ut cum *Dn. D. Hyperio* consilium communicare, ac curam suscipere vellem: Prætorem quidem esse rusticum, sed satis intelligentem ac diligentem in officio, cui similem habere non possit. Vulneris autorem esse Juvenem rusticum, filium unicum, cui parentes ambo superstites, pro sorte istius loci rusticorum, re essent satis lauta: quicquid curando impendatur, libenter & liberaliter illos persoluturos, Autorem, ex cultro satis noto proditum, detineri captivum; prætorem si non curari, sed mori contingat, captivum certò decollandum, ac juxta collocandum. Hactenus Proprinceps: *D. Hyperius* quoq; omnia, quæ circa ægrum à se peracta fuerant, satis sincerè & accuratè enarrabat. Ego præsentem ægri statum consideravi, cum accidentibus, quæ erant tussis perpetuo sicca ac molesta, facies decolor, appetitus prostratus, corpus extenuatum, cutis arida, lotium paucum, tenue, aquosum, febricula ferè continua, lenta; apozema pectorale ac diureticum proposui, omnibus aliis, ne æger, nimio medicamentorum usu, tædio afficeretur, præter victus rationem debitam, postpositis. Constabat id ex radicibus Aperitivis ciceribus rubeis, sem. frigidis majoribus, & calidis minoribus, herbis scabiosæ, ceterach, Botryos, capil. ven. &c. cum passulis & liquer. &c.

Quod cum *D. Hyperio* placeret, data sunt vela ventis, & Deo favente, post tres aut quatuor dies à sumpto apozemate, curationis spes affulgere cepit. Color enim faciei vividior, urina manabat copiosa, crassa, rubicunda, & interdum nonnihil albicans, febricula quoq; minuebatur, & aliqua redibat appetentia. Chirurgus carnem quoq; indies succrescere miratus, non nisi siccos, nullo unguento oblitos, immittebat cuneos, quos ob carnis luxuriem indies detruncare, & minores reddere cogebatur. In hoc Prætore ausim dicere, constitutionem corporis fuisse non dissimilem illi, quam Clariss. isti anatomici observarunt, ac per tales vias materiam saniosam, ex quo curationis beneficium consequutus est, fuisse expurgatam, & ad vias urinarias demandatam: alioquin, me Judice, servari non potuisset: animadverti enim in aliis, diuretica non semper eodem modo successisse. Sed dices fortè cùm *D. Bauhino*, hoc non factum, quod illi, qui beneficio curationis frustrati sunt, vena illa caruerint, sed quod natura rectum tramitem per venam non servarit, unde materia purulenta in sinistrum cordis ventriculum illapsa, quam, cum cor, viscus nobile, ferre non potuerit, necessariò etiam mors subsecuta fuerit. Sed de hoc, ne longior sim, plura fortè alias: ut etiam de hujusmodi materiâ in cavitate thoracis retenta, per paracentesin, inter costas factam, feliciter eductâ, quod remedium multis est satis suspectum, tanquam minus tutum. Sed plura temporis ratio non patitur. Benè ac feliciter vale, cum omnibus tuis, & verboso ac perfunctorio scripto ignosce. Coloniæ Agrippinæ, Dominica Lætare, Anno. 1612.

OBSERVATIO XVI.

Palpitatio cordis ab effervescentia seri superabundantis.

Nobilis juvenis Bedo von Hodenberg/ *Lunæpurgicus, constitutione viscerum calidus siccus, habitus gracilis, capillamentiq; nigri; nobiscum adhuc Giessæ Anno 1620. studiorum gratiâ vivens, frequenter, potissimumq; Lunâ crescente, de cordis saltu conqueritur, ubi cor per manum appositam micare, salireq; videtur, ita ut ipsemet æger illo motu thoracis inæqualitatem, ob costæ cum sterno extuberantiam circa cordis inferiorem regionem, sibi contractam esse putet. Concurrit respiratio difficilis, & quasi suffocans, cum pulsus inæqualitate & extremorum vago dolore, quem exercitium vehementius, viniq; potus largior facilimè aliàs etiã producere solent.*

RESOLVTIO.

Proponitur hic παλμὸς τῆς καρδίας, *Cordis palpitatio*, quam antecedentis causæ ratione diversam originem habere posse rectè statuunt Autores classici, quemadmodum in *probl. Med. dec. 5. quæst. 3.* manifestum est. Impræsentiarum verò notabilis est observatio respectu subjecti laborantis, ubi proponitur *dispositio corporis calida sicca*, quam habitus gracilis & nigrum capillamentum innuunt, ubi non injuriâ dubitari potest, quomodo talis dispositio palpitationi cordis originem præbere queat? cum potius causam proximiorem oppugnare videatur. Sed addimus *viscerum ratione* qualitates illas esse perpendendas, scilicet *jecur lienemq;* considerando, quibus ad caliditatem & siccitatem inclinantibus promptè serosa colluvies in venis & arteriis colligitur; dum à prima concoctione debiliori citò nimis aquositas assumptorum trahitur, & vi caloris attenuata toti communicatur. Hâc in præsenti subjecto *circa lunam crescentem* ebulliente & effervescente cordis palpitatio producitur, quatenus eadem tenuitate suâ cordis in sinus subitò incidit, quod *subitaneus insultus,*

Calida sicca temperies quomodo palpitationem cordis producat.

inſultus, ſonitus, ſibilusq́; aurium, oculorum caligo, repentiniq́; dolores diverſas partes pervagantes ſæpiùs innuunt. Imò *vehementia palpitationis* idem probat, quæ aliâs, ubi per conſenſum pericardii vel pulmonum cauſa morbus hîc oritur, tanta non eſt, cum ipſo corde principaliter affecto, claſſicis etiam Autoribus atteſtantibus, coſtæ ſæpius organico morbo lædantur, quod præſens æger ſibi quoque factum ſtatuit, ſanctè affirmans, ante vehementiores inſultus hujus affectus, ſe nil quicquam extuberantiæ coſtarum obſervaſſe. Concurrit in invaſione *reſpiratio difficilis*, quatenus oppreſſa cordis facultate motivâ fieri non poteſt, quin etiam pulmonum vis motrix langueat, adjuvante ſimul vitalium meatuum anguſtiâ, quam idem ſerum effervescens producit, unde *ſuffocatio quadantenus* imminere videtur. *Extremorum etiam articulorum* videlicet *dolor vagus* ſuccedit, quatenus ſerum effervescens in maſſa ſanguineâ ſenſiles partes vellicat, quæ cauſæ morbificæ eò minus reſiſtunt, quò magis color & ſpiritus, ad principium vitæ recurrentes, cordi ſuppetias ferre conantur.

Coſtas incurvari poſſe palpitatione cordis.

Hac autem antecedenti causâ datâ, ſcilicet poſt exorbitantiam victus, inprimisq; lunâ novâ, quâ magis humiditates aqueæ ſuas ebullitiones habere ſolent, *exercitium vehementius*, ad orgasmon maſſę ſanguineæ occaſionem præbens; vel etiam *potus vini largior*, quatenus vinum tenuitate ſuâ penetrat & ebullitionem ſanguinis juvat, frequenter *vagos articulorum dolores*, & prædictam cordis palpitationem producunt, datâ videlicet utriusque ſymptomatis materiâ tam diu latente, donec ab adjuvante externo commoveatur. Cum autem hic affectus ob loci patientis nobilitatem periculo non careat, iccircò omni ingenio eò allaborandum. 1. *Vt ſeroſæ plenitudinis cauſæ corrigantur.* 2. *Ipſa colluvies ſeroſa minuatur.* 3. *Ejus impetus in cor coërceatur, & 4. quod ſupereſt, per vias urinarias promoveatur, aut 5. beneficio ſudoris diſſipetur.*

Indicationes.

Pro 1.

Quoad primum, *viſcera ſeroſam colluviem producentia* reſpicienda veniunt, quam ob cauſam hîc jecoris, inprimisq; lienis conſtitutio calida ſicca perpendenda venit, qua de cauſa victus ratio talis obſervetur, quæ generationem cauſæ morbificæ non augeat, quod præcavebitur aſſumptis iis, quæ facilioris digeſtionis ſunt, ut euchymæ carnes diverſorum animalium, aliaq; alimenta vulgaria, quæ facilè coquuntur, & ſine difficultate diſtribuuntur, de quibus *vid. cap. 3. lib. 2. de tuend. ſanit. ut & cap. 7. ibidem:* Potus etiam ſit parcior vini bene depurati, non admodum generoſi ſæpius aquâ Meliſſæ. Borraginis, vel etiam decoctione ſarſafras diluti: cereviſia ſit optimè defœcata cum baccis lauri, rad. Helenii, benedictæ & ſimibus condita. Præter victum alterationis gratiâ ſæpius in uſu ſit conſerva, Roſar. & borraginis, paucis guttis ſpiritus Vitrioli temperata: ſæpius etiam rad. Cichorei conſerva, vel earundem decoctum duabus horis ante cibum ſumatur, quod eò magis convenit, ubi cremoris tartari ℈ß. admiſcetur.

Maximè verò potus mox in principio vitetur, cum ventriculo vacuo cruda materia potulenta mox à ſitibundis viſceribus ſanguificationis exugatur, & plenitudinis ſeroſæ copiam augeat. Quoad ſecundum, *ipſa colluvies ſeroſa minuenda* venit, ubi primò venæſectionis indicatio manifeſtatur, quatenus ſanguine per venæſect. detracto, ſimul etiam ſeroſa colluvies evacuatur, ejusq; ebullitio ſedatur, quod ipſmet ægrotus, experientiâ edoctus non difficulter concedet, utpote qui ante hac à graviſſimo mali hujus paroxyſmo non aliter quàm venæſectione ſubitò liberatus fuit. Conſultum igitur erit, ut præſervationis ergo, præmiſſo minorativo, tàm autemnali, quàm verno tempore ſanguis mittatur, non tamen confertim, ne vires ſubitò labantur, ſed partitis vicibus, Hanc ſanguinis miſſionem excipiat ſeri per alvū purgatio, quam verno tempore promovet uſus ſummitatum ſambuci, inſtar acetarii cum oleo & aceto parumper cum vino permixto, ſumptarum. Fiat autem evacuatio per ℥ß. Morſulor. purg. d. n. vel per Elect. Caryocoſtinum ʒijß. cum ℥ß. Elect. de tamarindis d. n. permiſtum, addito Cremoris Tartari vel pul. ſoldanellæ ℈ß. vel etiam per ſyrupum de ſpina cervina, cujus uſus & deſcriptio videatur ſuperius in obſervation. capitis. Hæc ſeri purgatio ſingulis menſibus Lunâ declinante repetatur, ut eò magis iſta colluvies à maſsâ ſanguineâ ſeparetur, inprimis dum palpitationis affectus contumacior hoc ipſum exigere videtur.

Pro 2.

Quoad tertium, poſt cordis corroborationem particularia diverſionum ac derivationum genera conveniunt, tunc temporis ſcilicet, ubi præſentis affectus notæ ſeſe offerunt. Hîc primò cor ipſum reſpiciatur, cujus confortatio neceſſaria erit, ne promptè nimis in ſeſe peccantem materiam recipiat, ubi teſte experientiâ cordialia conveniunt, inter quæ præceptor noſter D. *Platerus* p. m. commendat hanc aquam, quæ

Pro 3.

℞. *Cordis cervi, vel hirci, vel porci domeſtici, vel ſylveſtr.* ℔j. *abluatur vino malvatico & incidatur in portiones parvas, addenda fol. Meliſſæ, Majoranæ ana* Mj. *fl. Bugloſſ. Borrag. viol. Roſar. ſcabioſæ, tunicæ coronar. an. p. j. ſem. ocymi* ʒj. *citri* ʒß. *Caryophyll.* ʒij. *Cinam.* ʒvj. *Macis ſantali citrin. ligni aloës ana* ʒj. *Incidantur & contundantur, adde Vini Malvat.* ℔ij. *Succi limon. vel citri* ℥j. *f. deſtill. in B. M.*

Aqua de corde cervi.

Similem aquam proponit etiam *Rondeletius*, & poſt eum *Foreſtus*, cujus uſus eſt uncia dimídia frequenter aſſumpta, tàm pręſervationis, quàm etiam diſcuſſionis gratiâ. Nec etiam diſplicet hac in parte ſacculus Foreſti, qui

Sacculus Cordialis.

℞. *Caryophyll. roſar. fl. anthos ana* ʒij. *Cortic. citri, Macis, ligni Aloës, Santali albi, rub. ſem. ocymi ana* ʒj. *Spicæ celt. flo. Lavendulæ fol. Lauri ana* ʒß.

Fiat pulvis groſſus pro ſacculo cordis, qui aquis cordialibus irroretur.

Unguenta quoque cordialia non negligantur ex ol. citri, nucis moſchatæ, roſato, cum cordialibus ſuccis, & pulveribus cordialibus confecta.

Unguenta cordialia.

Dum hoc modo cordis corroborationi ſtudemus, commodùm etiam diverſionum remedia convenirent, ut ſunt cucurbitulę, frictiones & ligaturę, revulſionis gratiâ partibus

bus extremis, & derivationis ergò proximiorib. adhibita: sed hanc intentionem eò citius obtinebimus, quo magis pro quarto eò allaborabimus, ut interius exhibeantur illa, quæ per vias urinarias copiam serositates derivant, ubi maximè conveniret usus syrupi acetosit. citri, de succo acetosæ, syrupus de pomis, quibus admisceri possunt, syrupus de 2. & quinq; radicibus, bizantinus simpl. oxymel simplex, scylliticum & alia: potissimum verò syrupus de scoriâ Chalybis, prout à *Mercato* describitur, & *à Carol. Pisone* repetitur, maximè hîc ægrotanti conveniret, qui

Pro 4.

℞. *Aq. lupulor.* ℔iiij. *in ea extinguantur chalybis igniti* ℥vj. *idq; sexies repetatur: factâ colaturâ adde scoriæ chalybis præparatæ aq. rosar.* ℥vj. *passular. sine nucleis* ℥iiij. *f. maceratio per triduum, ebulliant ad tertias. colaturæ adde Rad. Rutæ & Rumicis ana* ℥ij. *cichorei, fœniculi ana* ℥jß. *Herb. agrimon capill. veneris ana* Mij. *iterum bulliant, & post separationem ab igne adde fol. senæ* ℥ij. *sem. carthami conquassati* ℥j.

Factâ post refrigerationem mediocri expressione, adde sacch. q. s. f. syrupus, cui syrupi de 2. rad. & de cichoreo ana ℥ij. *admisceantur.*

Hujus usus quotidianus sit manè vesperiq; tribus horis ante cibum ℥ij. assumptis, superbibendo radicis petroselini, cichorei, similiumq; decoctum.

Pro 5.

Tandem pro quinto sudoris etiam beneficio serum discutiendum erit, ubi nota, quod in tali corporis constitutione diaphoretica vel sudorifera talia sint eligenda, quæ insigni calefaciendi potentiâ destituantur, ubi Rob. Ebuli quant. ℨiij. cum aq. fl. Ebuli vel sambuci dissolutum optimè conveniet; lapis itidem bezoar. oriental. gr. iiij. cum scrupulo Corn. C. usti præparat. vel in aq. Veronicæ, vel Card. bened. sumptus: syrupus itidem de fumaria ℥jß. cum ℨj. Rob. Ebuli permistus, & aq. fl. sambuci dilutus diaphoreticum conveniens constituet.

Observatio similis.

Quodammodo similem cordis palpitationem Anno 1614. sub finem Januarii in conjuge juvencula præfecti Grunbergensis, annorum circiter 20. constitutione corporis calida sicca, quæ in secundo conjugio hic Giessæ etiamnum adhuc vivit, observavimus. Hæc de cordis succussione, respirationis difficultate, nausea, capitis vertigine & fluxionibus conquerebatur, ubi circa venas mesenterii jecoris, lienis & reliqua viscera ventris infimi, inprimisq; circa venas uterinas, cum tum temporis adhuc conjugium sterile duceret, obstructiones, seriq; collectiones adesse statuebã, maximè hoc ipsum urinâ spiceâ subinnuente, quam ob causam superius dicta symptomata suam originem facilimè ducere posse colligebam. Hinc ergo mox aperientem & digerentem potionem per dies aliquot usurpandam præscribebam, subsequenti evacuatione per usum pul. Mechoacannæ, vicibus duabus assumpti. Factâ mediocri evacuatione, syrupum de baccis Juniperi frequenter cochlearibus 2. vel tribus assumendum commendabam, ad aperiendas scilicet vias urinarias, ut & usum pillularum de succino, ante somnum alternis diebus continuandum, tàm corroborationis gratiâ, quàm quod superfluitates absumant, & officium alvi promoveant. Sudores etiam non negligendos esse dicebam, ita tamen ut Diaphoretica nimium calida siccaq; vitentur, adhibitis interim magis temperatis, ubi maximè Rob. sambuci & Ebuli cum pauxillo castorei & Mithridatii suum locum obtinent, quibus per mensem observatis à prædictis accidentibus ægra liberata fuit.

OBSERVATIO XVII.

Costarum dislocatio ex Palpitatione Cordis.

Dn. D. Bart. Merclin. G. Horstio.

Nobilis Canonicus, Dn. Burkardus de Freiberg, corpore ἰσοσάρκῳ & pleno, Dillingæ studiorum causâ cum versaretur anno 1594. 15. Septembr. repentè præter omnem spem febricula cum lateris sinistri puncturis corripitur. Vocatus, illicò alvi apertionem: & ob plenitudinem sanguinis omissionem suasi. Renuens, per omnes Deos rogavit, nihil intentatum ut relinquerem, modo à sanguinis missione abstinerem. Itaq; sudorifero propinato & loco decocto camomill. melilot. mal. sem. lin. & cumin. fomentato inunctoque sæpius Unguento anodyno dolor mitigatus est, & febricula à sudore inducias fraudulentas fecit: ita ut æger omnia salva existimaret, & porro medicamenta neglectim haberet. Sed paucis elapsis diebus, eadem recurrit: cum puncturis jam lateris dextri, sinistri verò tumore. Iterum vocatus sanguinem mittendum insto, sed frustra. Itaque præter diætam, quæ febris & puncturæ requirebant, tantum præscripsi, quorum usu, inprimis sudorum profusionibus, denuo paucis diebus, ita se recolligit, ut foras exiret, lectiones frequentaret, & nihil omninò ad sanitatis integritatem (præter cordis palpitationem) sibi deesse amplius opinaretur. Hæc Cordis palpitatio indies cum incrementa sumeret, consilii causâ iterum me vocavit. Nimirum tantam esse Cordis concussionem, ut prætereuntes in platea impetum hunc audire firmiter credat. Itaq; latus pulsu agitatum conspiciendum cum dedisset, animadverti costas sinistras supra sternum in altitudinem multùm elevatas. Hujus tantæ dislocationis & violentiæ causam dum rimarer, causam aliam nullam investigando divinare potui, quam sanguinis fervidi cor agitantis bile mixti copiam. Itaque suasi humoris biliosi præparationem & purgationem: sanguinis deniq; copia excedentis diminutionem. Verùm ab hac cum adhuc abhorreret; molestiam hanc diutius perferre maluit, quàm sanguinem mittere. Interim non cessante malo Mater pro filii salute solicita sæpius ad ipsum & me literis datis, sanguinis missionem seriò ursit, sed surdo omnia. Tandem diuturnitatis molestia & continuitate, atq; etiam periculo imminente à me explicato commotus, corpore prius præparato, sanguinem emittendum me præsente commisit. Exin palpitatio miraculosè sensim finem fecit. Ipseque ad 30. annos penè, sed νοσερῶς, costis dislocatis manentibus supervixit. Hinc Fernelii & Mercurialis de costis ab immoderata pulsatione loco motis sententiam, quam olim studiosus, argumentis & rationibus firmis inductus, paradoxam & à vero alienam opinabar, veram, firmam, ratamque comperi.

OBSERVATIO XVIII.

Sanguinis excretio cum tuſſi.

CVm anno 1608. *menſe Iulio vocatus adhanc Academiam Gieſſenam huc venirem, Studioſus quidam auxilium meum implorabat, qui tuſſim patiebatur non quidem admodum vehementem, quam ſtatim excretio ſanguinis per os excipiebat, qui floridus & ſpumoſus erat. Fiebat autem ſanguinis illius excretio confertim, absque difficultate, nec de dolore, niſi quieſcente illa excretione, gravativo tantùm, æger querebatur.*

RESOLVTIO.

QUAM affectionem Græci *αἱμοπτοὴν καὶ αἱμόπτοσιν* vocant, hanc Latini *ſanguinis rejectionem ab ore* vel etiam *ſanguinis ſputum* vocare ſolent, cujus differentia multiplex eſt. Impræſentiarum exemplum ſubjicimus illius ſanguinis rejectionis per os, quando propter læſum vas aliquod pulmonum ſanguis excerni ſolet, ubi dicimus *tuſſim* adfuiſſe, quo ipſo manifeſtum eſt, quomodo ſanguinis hæc rejectio differat ab illa, quæ ſine tuſſi, *vomitu*, vel *ſcreatu* tantùm fieri ſolet, non autẽ *vehemens tuſſis* erat, utpote quæ tunc temporis adeſt, ubi ſanguis è pectore provenit, præſertim cum hîc excernendi conatus vehementior requiratur. *Tuſſim* excipiebat *ſanguinis excretio*, intellige liquidioris fluentis, nondumq; concreti, quod aliâs in aliis affectibus pectoris fieri ſæpe ſolet, qui *floridus erat & ſpumoſus*, qualis eſt ille, quem vaſa pulmonum pro ſui nutritione continent, plurimùm cum arteriali ſanguine conveniens, qui motu pulmonum agitatus ſpumam contrahit. Fiebat autem *confertim* illa excretio *absq; difficultate*, quatenus levis etiam tuſſicula ſæpè ſufficit, ut ſanguis in pulmonum cavitate collectus rejiciatur, quod non accidit, ubi thorax affectus eſt, cum ibi difficilis excretio fit, nec ſine dolore, propter membranoſas ac nervoſas ejusdem partes: at hîc *dolor aberat*, præterquam quod quieſcente malo ſæpius *gravativum quid* ſentiretur, nimirum quando de novo ſanguis in cavitates pulmonum irruebat, easq; diſtentendo ſenſum gravitatis producebat.

lib. 5. Meth. c. 4. Sed poſitis his, cum ſanguinis eruptiones juxta *Galenũ* reſpectu vaſorum, *vel per anaſtomoſin, vel per diapedeſin, vel per rupturam* fieri ſoleant, ejusq; cauſæ cognitio non parũ ad indicationes curativas conſtituendas faciat, idcirco reſtat inquirendũ, quæ nam hoc loco promixior iſtius affectus cauſa fuerit. *Cauſa proxima.* Cum autem poſteriorum duorum cauſæ non appareant, ipſorum vaſorum anaſtomoſin vel apertionem eruptioni ſanguinis occaſionem præbere ſtatuebam, ratus, uſu vini generoſioris, quo, minus aſſuetus aliâs, patiens inebriatus fuerat, ſanguinem in toto mediocriter abundantem ità incaluiſſe, ut acrimoniâ quâdam, propter ebullitionem, contractâ, virtutem expultricem irritaverit. *Prognoſis.* Quanquam verò periculoſus hic affectus, quemadmodum omnes, quos propter vaſorum rupturam vel eroſionem ſanguinem à pulmonibus rejeciſſe novimus, vel mox viribus diſſipatis absq; metu mortis periiſſe, vel procedente tempore tabe confectos eſſe ſcimus; nihilominus, cum hoc loco tantum ob ſanguinis afferveſcentiam vaſorum minimorum oſcula laxata viderentur, benè ſperare juſſimus ægrum, eò directâ curatione, *ut* *Indicationes.* *1. ſanguis in toto luxurians & efferveſcens minueretur, 2. ejusdemq; revulſio ad partes extremas omni ingenio tentaretur: 3. non neglectis iis, quæ totius alterationem, & partis affectæ corroborationem, reſpiciunt.*

Chirurgia. Mox ergo venæſectionem inſtituimus, partitis tamen vicibus, ut eò melius virium lapſus præcaveretur, quâ ratione ſanguis non tantum in toto minuebatur, *Pro 1.* ſed etiam, quod indicatio ſecunda ſubinnuit, ab affecta parte revellebatur, accedentibus extremorum ligaturis, frictionibus, *Pro 2.* ventoſis, cum & ſine ſcarificatione, ſimilibusque.

Cùm verò præter dicta totùm, reſpectu ſanguinis *Pro 3.* acrioris, alterationem, & affecta pars corroborationem requireret, idcirco victus rationem ſequentem ordinavimus, nimirum ut æſtum aëris ambientis viret, ſicut etiam ejusdem inæqualitatem. *Victus ratio.* Cibis utatur modicè nutrientibus, ac acredine, ſalſedine & aciditate nimiâ diſtitutis, utpote prunis acido-dulcibus, item oryza, lentibus, milio, hordeo excorticato, cum lacte bubulo chalybeato decoctis, fiant etiam pultes ex decoctione portulacæ, endiviæ, ſpinachiæ, acetoſæ &c. carnes etiam procedente tempore conveniunt, quæ ſanguinis incraſſationem juvant, ubi agnina, vitulina, vervecina, ut & horum animalium inteſtina, viſcera, pedes & capita conceduntur. Potus pauciſſimus ſit primis diebus, fiatque pitiſſando tantùm, ubi Syrupus de ſucco cydoniorum cum aq. chalybeata permiſtus, vel etiam ſequens decoctum ſufficere poteſt, quod

℞. *Rad. glycyrrhizæ raſæ* ℥ß.
Corn. C. uſti præparat.
Corall. rub. præp. ana ʒj.
Gummi Arab.
Tragacanth. ana ʒß.

f. decoctio in ℔ vj. *aq. chalyb. ad* 3. *coletur: vel f. decoct. aq. font.* ℔ iiij. *cui adde Sacch. Cand.* ℥jß. *ſub finem decoctionis adde pomum citrium in particulas diviſum.*

Exercitia corporis vitet patiens, & alvum habeat apertam, quæ, ſi opus eſt, caſſia noviter extracta, vel Manna cum brodio decoct. cichorei diſſoluta, vel decoctione prunorum Damaſcenor. ſollicitari poteſt. Fugiat iram & alias animi commotiones, quæ ſanguinis efferveſcentiam promovere ſolent.

Pharmacia. Quoad pharmaciam, reſpectu ſanguinis in toto Syrupus papaveris erratici, de portulaca, cum aq. plantaginis dilutus præſcribebatur, unà cum Electuario ſequenti, quod

℞. *Conſ. Roſar. antiq.* ℥jß.
Pul. corall. rub. præparat.
terræ Sileſ. an. ʒj.
Acaciæ ʒß.
Mivæ cydoniorum q. ſ.
f. Elect. molle.

Cum autem fervor ſanguinis tenuioris nondum omnino remitteret, majoris incraſſationis ergò ſyrupum ſequentem ordinavimus uſurpandum, qui

℞. *Rad.*

℞. *Rad. cichorei* ℥j.
Herbæ plantag.
Fol. querc.
Bursæ pastoris an. Mjß.
Sem. Melonum ℥ß.
Papav. albi,
Portulacæ ana ℥j.

f. decoct. in s. q. aq. ad 3. Coletur cum expressione, & adde Sacch. opt. clarificati partem tertiam, iterum ad consistentiam Syrupi liquidioris coquatur, addendo sub finem Conser. Rosar. antiq. ℥jß. *Syr. papav. errat. Myrtini an.* ℥j. *Misce & fiat Syrupus, de quo sæpius cochlearia 2. vel 3. lambendo sumantur.*

His & similibus mediis non solum præsens ægrotans, sed etiam plures alii, atque inter eos anno superiori fratres duo Codomanni, nobiscum viventes, pristinæ sanitati restituti fuêre, quibus tamen omnibus consuluimus, ut ea, quæ sanguinis ebullitionem & attenuationem promovent, maximè fugiant, cum alias facillimè malum propter pectoris imbecillitatem recrudescere soleat. Vitent non solum æstum aëris ambientis, sed etam intensius ejusdem frigus, utpote cujus ratione, poris cutis obturatis, ejusmodi naturæ sanguinis ebullitionem non difficulter etiam incurrere soleant. In tempore fluxionibus ad pectus prospiciant, ne tussis continuata molestiâ suâ sanguinis affluxum ad pectus debilius procreet, alvi dejectiones quotidiè sollicitent, & à vehementioribus corporis, inprimisq; pectoris (ubi cantus & vox elatior probè notanda veniunt) atque animi motibus abstineant.

OBSERVATIO XIX.

Exulceratio pulmonum lethalis propter uvulæ absumptionem.

VIR *Nobilis* Wolff Adam von Schwalbach / *annorum circiter 30. constitutione corporis scorbuticâ præditus, statim in juventute polypum in naribus occultum patitur, cujus excrescentia procedente tempore tumorem circa nares & superius labium producit. Cum autem patiens in Empiricorum manus incideret, adhibitis erodentibus, tumor iste minutus quidem fuit, ita tamen, ut consequenter exulceratio perpetua relinqueretur, quæ sensim cavitatem narium internam omninò occupabat, ita ut fauces etiam cum uvula, tàm affluxu, quàm exulceratione prehenderentur, quâ tandem penitus absumptâ, destillationes frequentes ad pectus, pulmonum exulceratio, tandemq́; phthisis lethalis subsequebatur.*

RESOLVTIO.

DIXIMUS Nobilem hunc scorbuticâ constitutione præditum fuisse, quod maximè maculæ scorbuticæ cum aliis signis (de quibus suo loco plenius agendum erit) testabantur, quam ob causam exulcerationem hanc narium, & labii superioris, à polypo suam originem habuisse statuebam, utpote cum *Polypus* sit excrescentia carnea narium ex superabundante viscido sanguine, cujus exulceratio sat periculosa, tàm loci ratione, quatenus ibidem ob continuum affluxum consolidatio difficilis, quàm etiam, quod aliquid cancrosæ naturæ, præsertim in tali subjecto, possidere videatur, ubi propter tartaram impuram sanguinis substantiam consolidatio difficulter fieri solet, uti suo loco de scorbuticis ulceribus demonstravimus. Quemadmodum verò polypus, præterquam quod respirationi per nares impedimento sit, frequenter per annos plurimos, absque alia insigni læsione gestari solet, ubi pro Lunæ mutatione decrementum & accrementum suum habere consuevit, ita exulceratus difficulter curatur, & gravia symptomata producit. Idem accidebat etjam præsenti viro bono, cui malum postea sensim interiora etiam magis occupabat, affectionem ipsam cacochymiâ scorbuticâ totius plurimùm augente. Factum verò fuit, ut post alios, Anno 1612. consilii gratiâ Dn. *Guiliel. Fabricium Chirurgum celebrem, Dn. D. Georg. Fab. Med. Fridbergensem,* & me etiam vocaret, ubi consideratis omnibus circumstantiis *primo totius curationem instituendam esse duximus, dein omni ingenio eò allaborandum esse putavimus, ut affluens materia aliò vertatur, non neglectis pro tertio iis, quæ ipsam exulcerationem respiciebant.*

Polypus quid?

Vide lib. de Scorbuto.

Curationis Scopi.

Pro 1. Pro totius curatione sanguinem scorbuticum in toto corrigendum esse putavimus, quocirca post lenem evacuationem, quatenus aliàs etiam plethora cum cacochymia miscebatur, venæsectionem instituimus, quam excipiebat plenior evacuatio, partitis vicibus per dies aliquot, infuso, seu vino laxativo sumto, quod fiebat ex nodulo, qui

℞. *Rad. Cichorei* ℥jß.
Asparagi.
Fœniculi ana ℥j.
Herb. scolopend. Marrubii albi,
Ceterach. centaur. minor. ana Mj.
Fol. senæ ℥jß.
Agarici troch. ℥ß.
Rhabar. ℥j.
Cort. rad. frangulæ ℥jß.
Tamarisci ℥ij.
Fl. genistæ, Sambuci ana Mj.
Sem. fœniculi ℥jß.
Carthami ℥ß.
Tartari purioris, vel Cremoris ejus ℥ij.
Macis ℥j.
Cinam. Galangæ an. ℈jß.
Passular. minor. ℥ij.
Incisa & contusa ad chartam pro nodulo.

Pro 2. Tandem sudores imperavimus ad octiduum per appropriatum destillatum, quale tractatus noster de scorbuto ex Dorneteilio & aliis exhibet.

His præmissis, pro secundo materiam ad partem affluentem aliò derivare conati sumus, ubi nihil præsentius judicabatur, quàm usus setacei, ad nucham adhibiti, quod, ægro consentiente, *Dn. Guilielmus Fabricius* administrabat eo modo, quo usus ejus apud eundem in observationibus Chirurgicis describitur.

Pro 3. Cum autem æger absque difficultate setaceum gestaret, & hac ratione quotidiè magna serositatis acrioris copia per id evacuaretur, ipsi parti affectæ quoque pro tertio succurrere voluimus, ubi potissimū cum successu medicamentis iis usus est patiens, quæ prædictus *Dn. Fabricius in Cent. 2. Observ. 22.* in ozæna in gravissima recenset.

Hujus consilii beneficio prædictus nobilis per annos aliquot mediocriter habebat, exulceratione non ulterius, præter opinionem multorum, serpente. Cum verò, post quadriennium à communicato consilio, malum interius quoad exulcerationem augeretur, ita ut febrilis intemperies cum scorbuticis maculis sæpius sese ostentaret, simulque fluxiones capitis augerentur, pectus occuparent, adeoque respirationem impedirent, viresque debilitarent, Anno 1616. sub finem mensis Novembr. *Dn. D. Petrum Uffenbachium, Medicum Francofurtensem*, & me consilii causâ rursus advocavit, ubi, consideratis omnibus circumstantiis 1. *Peccantem materiam circa primas vias luxuriantem leniter evacuandam. 2. Intemperiem febrilem cum malignitate scorbutica alterandam. 3. Symptoma difficilis respirationis admodum urgens corrigendum. 4. Vires imbecilliores reficiendas, & 5. Materiam continuò à capite ad fauces fluentem sistendam esse indicavimus.*

Mutatio morbi novas gignit indicationes.

Pro 1. Hanc ob causam *pro primo*, præscripsimus iterum sequentem nodulum laxativum, qui ℞. *Rhabarb.* ʒjß. *Agarici* ℈ij. *Fol. senæ* ℥iij. *Passul. minor.* ℥ß. *Sem. Anisi* ℈j. *Cort. citri* ʒß. *Croci* ℈ß.

Incisa & contusa ad nodulum pro ℔jß. *vini oligophori.*

Ut & clysterem hoc modo:

℞. *Radic. fœniculi, liliorum alb. Altheæ ana* ʒvj. *polypodij* ʒiij. *Herb. fumariæ, lupul. beton, Marub. alb. ana* Mj. *sum. Meliloti, Fl. chamameli ana* Mß. *sem. fœniculi, anisi ana* ʒj. *fœnugraci, lini ana* ʒiij. *furfur. in petia ligat.* pij. *Caricar. numero* xj. *f. decoct. ad* 3. *colentur.* ℥xj. *adde ol. lilior. alb. Chamamel. ana* ℥jß. *Elect. Hiera s.* ℥j. *Mellis rosat. colati* ℥jß. *Salis* ʒß. *Misce.*

Pro 2. *Quoad secundum*, intemperies febrilis cum malignitate scorbutica temperatè refrigerantia, & putredini resistentia indicabat, quapropter brodium carnis frequenter assumendum ordinavimus, in cujus lib. j. decoquantur.

Rad. cichorei ʒvj.
Passular. minor.
Rad. glycyrrhizæ ana ʒß.
Cremoris Tartari ʒij.

Sic etiam gallus antiquus decoquatur, & prius Conserv.
Rosar. ʒj.
Buglossæ,
Rad. Helenii cond. an. ʒß.
Spec. diatreos f. ʒiij.
Cornu C. usti præp. ʒij.

Cum Syrupo acetos. citri permistis repleatur; cujus decoctionis haustus pitissando quotidiè bis sumatur.

Pro 3. *Quoad tertium*, symptoma difficilis anhelitus interius pectoralia temperatè incidentia & expectorantia indicabat, ut sunt syrup. Violar. de hispidula, Jujubinus, cum Bals. sulph. Terebinthinato, Loch, itidem sanum & expertum, &c. exterius revellentia per siccas cucurbitulas sine scarificatione suasimus, ut etiam fluxum avertentia per ea, quæ capitis vertici, suspendendi catarrhi causâ, solent applicari, ut est Emplastrum sequens, quod ℞. *Sem. nigellæ* ʒvj. *Mastich. Thur. ana* ℥ij. *Nucis mosch.* ʒjß. *Succini albi* ʒj. *f. pulvis, per cribrum, ex quo cum ol. Mastichino fiat Emplastrum pro vertice.*

Nec etiam negligebantur, quæ externè pectori apposita resolutionem juvant, ut est inunctio ex ol. Amygdal. dulc. Chamæmel. & similibus, una cum cataplasmate, quod

℞. *Rad. lilior. alb.*
Altheæ ana ℥jß.
Fol. Marubij albi,
Hederæ terrestr.
Malvæ, Bismal. an. Mj.
Fl. Chamameli,
Meliloti,
Sambuci ana Mß.
Sem. Fœnugræci,
Anethi,
Lini ana ℥ß.
Urticæ ʒij.
Croci ʒß.

f. pulvis per cribrum, cum lacte & butyro recenti coq. f. Cataplasma pectorale.

Pro 4. *Quoad Quartum*, vires imbecilliores confortare conabamur. Primò causam auferendo per cordialia & Bezoartica, itemq; per ea, quæ noxiam qualitatem à centro ad circumferentiam vi sudoris, vel occultæ transpirationis educunt, ubi præscripsimus Lapid. bezoar. opt. oriental. gr. iiij. Corn. C. U. præpar. ℈jß. Marg. præpar. ℈ß. cum ℥ij. Aq. scabiosæ, vel Card. bened. pro sudore movendo.

Deinde per alimenta facilis digestionis, ut sunt succi carnium contusarum, succus gallinæ in cantharo coctæ, cum cordialib. conservis, aq. rosar. & pauxillo cinamomi, quo fine sequentem quoque gelatinam ordinavimus. ℞. *Carnem Caponis incisam cum ossib. pedum vitulinorum num. ij. Macis, Cinam. an.* ʒß. *Conf. Manus Christ. cum perlis* ʒjß. *Croci* ℈ß. *Aq. rosar. q. s. f. decoct. ad carnis mollitiem sufficientem, coletur cum expressione pro gelatina, cujus cochlear unum sæpius cum brodio gallinæ vel carnis bovinæ sumatur.*

Potus sit vinum oligophorum, cui passulæ minores per noctem infundantur, una cum aq. sequenti, quæ ℞. *Hord. mundi* Mj. *Passular. minor.* Mß. *glycyrrhicæ rasæ & incisæ* ʒj. *Sacch. Cand.* ℥ij. *Corn. C. Usti prapar.* ʒvj.

Infundantur in aq. ferventissima: stent per noctem in clausa lagena stannea propè fornacem, post 24. horas coletur per linteum tenue. Servetur ad usus, addito succo vel syrupo acetositatis citri q. s. ad jucunditatem.

Pro 5. *Quoad Quintum*, gargarismum convenientem ordinavimus, partim fluxionum sistentem, partim etiam materiam circa fauces collectam separantem, qui

℞. De-

℞. *Decoct. hordei* ℔jß. *adde*
Rad. bistortæ ℥j.
Herb. plantag. prunellæ,
Fol. rub. Sylvestr. ana Mj.
Flo, Rosar. rub. Mß.
Coq. & coletur, adde
Mellis rosati,
Diamoron. ana ℥jß. *Misce.*

Sæpius etiam syrupum papaveris erratici lambendum & sequentes trochiscos sublinguales intercipiendi catarrhi gratiâ concessimus, qui ℞. *Sp. Diatrag. frig.* ʒjß. *Gummi Arabici* ℈ij. *Amyli.* ʒj. *Nuc. Mosch.* ℈j. *sem. papaveris albi* ℈ß. *Tragacanth. in aq. rosar. solut. q. s. f. Trochisci parvi sublinguales.*

Etsi verò propter uvulam exulceratione absumptam sensim pulmonum ulcus generaretur, totiusque consumptio sequeretur, nihilominus tamen per annos aliquot adhuc patiens prædictis remediis conservabatur, donec tandem, viribus omnino per hecticam febrim & pulmonum exulcerationem consumptis, naturæ debitum solveret.

OBSERVATIO XX.

Animi deliquium cum difficultate pectoris atque tussi.

ILlustriss. Princeps Vidua (cujus etiam observ. 9. mentionem fecimus) hoc anno sub finem Aug. tussi cum pectoris compressione prehenditur, quâ admodum urgente, sæpius animi deliquium incipiens patitur, ita ut ea propter medicam opem implorare cogeretur.

RESOLVTIO.

Deliquium animi ex suffocatione spirituum.

VOcatus *animi deliquium incipiens*, ob spirituum incipientem quasi suffocationem oriri statuebam, inprimis cum etiam *tempus mensium* instaret, unde sanguis, ob imbecillitatem pectoris ad superiora regurgitans, angustiam circa præcordia majorem excitabat. Hinc igitur ante omnia *mensium fluxum* promovendum esse dicebam, quam ob causam manè vesperique decoctionem fl. chamæmeli cum vino factam, addito oleo communi cochlearibus quatuor, & sacchar. candiæ alb. ℥ß. pro haustu commendabam. Vinum quoque medicatum fiebat ex *Rad. Helenii* ʒij. *glycyrrhizæ, petroselini, Asparagi ana* ℥j. *Herb. centaur. minor, Meliß. sum. Rorismarini, fl. Chamameli ana* Mj. *Macis. Cinam. Caryophyllor. ana* ʒij. *Croci* ℈j. *f. infusio in* 2. *mensuris vini pro potu quotidiano.*

Pedum quoque balneum ex chamæmelo, Artemisia, matricaria, Melissa, cum baccis Juniperi & similibus quotidiè bis adhibebatur, non neglectis interim, quæ tussim lenirent, & expectorationem juvarent, utpote cum crassior etiam & viscosa materia in pulmonum bronchiis hæreret, quâ de causâ syrupum de Hispidulâ cum Balsamo sulph. Terebinthinato sæpius lambebat. His continuatis per tempus mensium fluentium (utpote quibus supervenientibus incipientes lipothymiæ sponte remittere videbantur) postea pectoris affectum plenius curandum esse statuimus, eò respiciendo. 1. *Vt tussis admodum molesta corrigeretur.* 2. *Materia crassior & viscidior, pectoris angustiam augens, expectoraretur:* 3. *Et fluxiones capitis, affectum foventes, sisterentur.*

Indicationes.

Pro 1. & 2.

Pro primo syrupos pectorales lenientes continuavimus, ubi juxta secundam intentionem cum syrupo de Hispidula, oxymel squilliticum conjunximus, & pro potu quotidiano, præter aquam pectoralem decoctionis hordei cum aliis appropriatis, sequens vinum concessimus, quod fiebat ex *Marrubio alb. carduo bened. tussilagine, ana* Mj. *sem. fœniculi* ℥ß. *passul. minor.* ℥j. *pro* js. *mensura vini Rhenani tenuioris.*

Sæpe etiam hydromellis opt. depurati, quod sapore vinum Malvaticum repræsentat, haustum vel cochlearia 2. vel 3. concessimus, & exterius pectus frequenter sequenti linimento inungere jussimus, quod

℞. *Ol. lilior. alb. Amygdal. dulc. Anethini ana.* ℥j. *ping. humanæ* ℥ß. *Aq. scabiosæ* ℥j. *fl. chamameli. bacc. Iuniperi ana* pij. *Croci integri* ℈ß. f. decoct. lento igne ad consumpt. aq. coletur cum expreß. & adde *ol. fœniculi destill.* ℈ß. *pul. helenii Ireos ana* ℈j. *croci* ℈ß. *M. S.* **Brust Sälblein.**

Pro 3.

Pro tertio sacculum ex nigella & aliis capitis vertici apposuimus, & trochiscos sublinguales ante somnum ore retinendos ordinavimus, qui ℞. *Sp. diaireos f.* ʒij. *Sacch. Cand. alb.* ʒvj. *pul. Ros. rub.* ℈j. *Succi glycyrrhizæ Nucis mosch. ad pulverem incisæ ana* ℈ß. *Cum infusione Tragacanth. in aq. Rosar. q. s. f. trochisci parvi.*

Nondum verò penitus his ipsis remediis affectu remittente, plethoram totius corrigendam esse statui, quam ob causam præmisso præcedentibus diebus pro evacuatione diluto Agarici, circa 7. Septemb. venæsectionem instituimus, quâ administratâ sensibiliter pectoris affectus remittebat. Cùm autem sanguis ad putredinem, ob denegatam convenientem eventilationem dispositus videretur, pro sudore movendo Cornu Cervi ustum præparat. quant. ℈j. cum tribus granis lap. Bezoar. in aq. scabiosæ ad biduum ordinavi (quo liberior sanguinis commotio fieret) unà cum usu decoctionis radicum cichorei, pro jecoris calidioris intemperie corrigendâ, quibus, cum prædictis pectoralibus, & vino passulato laxativo continuatis, hactenus bene convaluit.

OBSERVATIO XXI.

Lipothymia per Consensum singularis.

Guil. Fabritius, Greg. Horstio.

GEnerosus Eques optimo corporis habitu, sed hepate plus justò calido & sicco, cerebro verò præhumido præditus, anno ætatis 47. affectum quendam paulatim in se detegere cepit, videlicet duritiem quandam in collo, sub aure sinistra: exterius tamen nihil apparebat, sed inter musculos, ut ægro videbatur, latitabat. Dolor non aderat, nec quicquam tractando collum, percipi poterat.

Quoties-

Quotiescunque verò pro more suo horis matutinis, vel quovis alio tempore, pectine, vel linteis, vel spongia sicca, caput fricare, aut abstergere vellet, & manu, à vertice ad collum, claviculamque versus, cutem capitis & colli nonnihil fortiter comprimeret, statim labefactionem spirituum vitalium, & lipothymiam in proximis esse persensit: Ita quidem ut mihi sæpius dixerit, protinus de se actum esse, si aliquis partem illam capitis & colli manu aliquandiu comprimeret, quapropter etiam noctu propter suffocationis metum, vix in latere sinistro cubare ausus fuit. Ego auram quandam malignam in arteria soporali retentam, eamque (comprimendo & fricando caput & collum) ad sinistrum cordis ventriculum descendere, Generoso ægro significavi, nec fefellit opinio, uti ex sequentibus intelliges. Curationem hoc modo institui. Primò jussi, ut optimam victus rationem, ut & à multis annis fecerat, observaret; præcipuè autem, ut cum cibis coquerentur tenella folia, & summitates Buglossæ, Boraginis, Melissæ, Angelicæ, folia & flores Calendulæ, Caryophyll. Scabiosæ, Pimpinellæ, Cerefolii, cortices item Citronum & Arantiorum Cinamomum, Crocus & Nux muschata. Secundo, ut purgantibus suis domesticis à Clarissimis Viris *Dn. D. Riverio, & Dn. D. Quercetano*, olim propter dolores arthriticos præscriptis, per intervalla uteretur. Basis autem horum medicamentorum, erat Aloë, Rhabarb. Agaricum, Senna, Turbith. Diagridium, Tartarum & similia, tum in forma pillularum, tum etiam Electuarii, & potionis sumpta. Tertio suasi, ut de sequenti vino medicato per intervalla haustum biberet. ℞. Radicum Angelicæ, Vincetoxici, Petasitis, Carlinæ an. ℥ij. Gentianæ ℥j. Corticum Citri sicc. Arantior. Cinamomi ana ℥ʃs. herbæ scabiosæ. Betoniæ, Scordii, Card. ben. ana Mj. Florum Buglossæ, Boraginis, Calendulæ, Violarum, & Rosarum odorif. ana Mʃ. Sem. Angelicæ, & Card. bened. an. ℥j. Incidantur & contundantur omnia grosso modo, & cum mensuris 12. Vini albi, probè defæcati, fiat infusio in dolio quercino. De sequenti Electuario quoque frequenter à drachma una ad drachmas duas, tribus horis ante prandium, uti & post cœnam, deglutiebat. ℞. Conservæ florum Buglossæ, Boraginis, Melissæ, Betonicæ ana ʒiiij. Confect. Alkermes & de Hiacinth. ana ʒiij. Specier Lætific. Gal. Corticum Citri & Rad. Angel. ana ʒj. Lapid. Bezoar. Cornu Cervi usti, & præpar. Margar. præpar. ana ℈ij. Extracti Scordii ℥j. Syrupi conf. Cort. Citri q. s. fiat Electuarium. Quartum præsidium, cujus beneficio restitutus est, fuerunt fonticuli duo, quorum unum ad poplitem dextrum, alterum in brachio sinistro formavi, in eum videlicet finem, ut vapores tum ex hepate plus justo calido ascendentes, deorsum traherentur; tum etiam superflui humores ex capite evacuarentur. Ex prædictis fonticulis non exiguum fructum ad dolores arthriticos arcendos quoque percepit, ideoque illos ad finem vitæ suæ gestare voluit: aliquoties tamen illos ex uno brachio in alterum, aut ex uno in alterum poplitem per me mutare jussit. Hisce adhibitis remediis, Generosus Dn. brevi quidem levamen aliquod sensit, sed nonnisi post longum tempus penitus sanitati restitutus fuit: idque mirum non est: fomes enim mali à multis annis in corpore latuerat, ut mox intelliges. Vixit ad annum usque 1627. & septimum Januarii, qui fuit annus vitæ suæ 66. Obiit ex febre continuâ, cum difficultate mingendi, aliisque symptomatibus, quibus artrithici & decrepiti affici solebant: de prædicta tamen Lipothymia à multis annis ante obitum, nec minimum quidem indicium senserat.

Porrò, Vir Amplissime, quomodo aura ista maligna in corpore sit genita, non facilè est scire, pauca tamen in medium adferam, quæ forsan non omninò erunt absona. Passus fuit Generosus ille in juventute dislocationem pedis sinistri, cum maxima contusione. Dislocatio hæc cum ab imperitis malè curata esset, molestias & dolores multos sustinuit æger. Ab eo quoq; tempore crus imbecillius altero remansisse, & per aliquot annos Atrophiâ affectum fuisse, non semel mihi retulit. Ex gravissimo hocce affectu, cùm vix restitutus esset, & jam in Gallia, jam in Belgio castra sequeretur, accidit quadam die in venatione, cum supramodùm defatigatus fuisset, ut in terram gelidam & nivosam sese projiciens somno obrutus, & veluti congelatus sit, præsertim quoad sinistrum latus: hinc secutus est dolor contumacissimus coxæ. Ad huncce dolorem sciaticum ferinùm domandum, iterum Medicos varios, & ut plurimùm irrationales Empiricos adhibuit. A juventute itaq; cùm perpetuò, tàm in castris, quàm alibi, molestias ac labores multos sustinuisset, & ad consistentem ætatem pervenisset, paulatim arthriticis doloribus correptus fuit. Quum itaq; calor nativus, præsertim sinistri lateris, statim à juventute factus fuisset imbecillis, & continuò in castris vitam degens, magis magisq; factus sit imbecillior, excrementitios humores non satis concoquere, minus dissipare, potuit, Verisimile itaque est, materiam aliquam malignam in corpore progenitam fuisse, atque ex ea vaporem ad soporalem arteriam ascendisse. Exemplum in memetipso habeo: à peste enim, quâ anno, ni fallor, 14. aut 15. ætatis laboravi, materiam quandam malignam in inguine dextro remansisse, indicat dolor, quem hac in parte sentio, quotiescunq; loca peste infecta, frequento. Abditum enim, & in inguine absconditum Venenum, propter similitudinem externum venenum vel auram pestilentialem ad se trahit, idque sine doloris sensu fieri non posse, non semel expertus sum, etiam superiore æstate. Quantas verò molestias mihi fecerit materia illa maligna tempore pestis Lausannensis, ex observatione 86. Centur. 4. colligere poteris. Accedit & alia causa hujus vaporis maligni in Generoso nostro ægro, frequens videlicet usus medicamentorum ex mineralibus confectorum, quæ diversis temporibus tùm à rationalibus Medicis, tùm etjam ab Empiricis præscripta & cruri applicata fuêre: inter quæ etiam nonnulla, (ut vidi ex descriptionibus, quas æger ostendit) Mercurium crudum in copiâ recipiebant: at mineralia illa, si eis abutamur, etiam in externis affectibus non semper tuta esse, ex Centur. 5. Observ. 90. & 91. in Matrona Nangeliana vidimus. In illa enim

enim ambæ causæ prænominatæ, videlicet materia putrida & maligna, propter imbecillitatem caloris nativi genita, & musculosis partibus, imò & ossibus imbuta, & copia illa medicamentorum ex mineralibus, præsertim, ex Mercurio, præparatorum, & ulceri suo applicatorum concurrebant. A. 40. enim annis tàm copiosè Mercurium applicuerant Chirurgi, ut posterioribus annis vitæ suæ (quod notandum) plerunque ichore permixtus & Empl. adhærens, conspectus sit, etiamsi à longo tempore applicatus non fuisset. Cæterùm quomodo aura illa maligna in Dn. Nangeliana ex tibia ad partes principes pervenerit, satis absque jactantiâ sit dictum, intelligo, & in prædicta observatione exposui. In Generoso verò nostro ægro, quomodo id acciderit, ut ingenuè fatear, adhuc ignoro. Tu, Vir Amplissime, pro ingenii tui acumine, & rerum experientiâ, id, quæso, nobis explica. Hæc pingui Minerva ad Ampliss. Virum scribo, quæ ut omnia, pro sua humanitate, & in me benevolentiâ benignè & amicè interpretari velit, vehementer rogo. Vale Vir Amplissime, & nobilissimam tuam costam, ut & reliquos amicos, meo nomine plurimùm saluta. Raptim Bernæ 17. Maji, 1629.

RESPONSUM

Autoris.

Salut. à fonte salutis, CHRISTO JESU, θεανθρώπῳ.

Rectè tuas, Clariss. & experientissime Fabrici, fautor & amice pl. colende, mihi traditas fuisse scias, quæ duplici nomine gratissimæ fuerunt, tàm quod exantlatis periculosissimis pestiferæ luis symptomatibus te, DEI gratiâ, bellè valere testarentur, quàm etiam, quod casum singularem communicarent, cujus lectio rara non parum delectat. Quanquam verò non dubitandum, etiam venenatam penitus qualitatem in corpore nostro generari posse, quod *Galenus noster lib. 6. de loc. aff. c. 7.* concedit, idque 3. *Epidem. com. 3. ægr. 4.* fundamenri loco ponere videtur, dum ægrum non à phrenitide, sed ob virulentam succorum qualitatem tertia die succubuisse scribit: non tamen in hoc casu proposito res ita plana videtur, cum inter partem colli laborantem, & pedis sinistri læsionem diversam, nulla convenientia, vel sympatheia nobis appareat. Rectè quidem statuis, varias ob causas, tàm internas, quàm externas, calorem nativum lateris sinistri labefactatum fuisse, qua ratione facilimè fieri queat, ut ob tertiam istam & ultimam digestionem, quæ in qualibet parte peragitur, quidpiam excrementitium remaneat, quod in alienam naturam postea degenerare soleat. At revera obscurum est, positâ partis ejusmodi imbecillitate circa pedem sinistrum, qua ratione vapor malignus colli partes internas protinus ad levem attactum affecerit, ut Lipothymia, viriumque vitalium defectus extemplò subsequeretur: an forte latus sinistrum debilitatum dolore coxæ, tum etiam præcedenti pedis ejusdem dislocatione, nec non medicamentorum Mercurialium crudorum applicatione, capitis imbecillitatem, respectu nervosi generis, καὶ ἕξιν introduxit, cujus ratione postea vicinis partibus, arteriis carotidibus ejusdem lateris contiguis, materia quædam maligna per congestionem communicata fuerit, quæ ad levem contactû irritata malignam ἀποῤῥοίαν cordi maximè inimicam, expiraverit? de monte Pilati referunt nobiscum incolæ, sicuti recordor idipsum secundo navigio per Lacu Lucernatum olim me iter faciente, mihi relatum fuisse, quod levis etiam lapillus, in puteum montis ejusdem projectus, manes Pilati sic irritare soleat, ut miris procellis postea sæviant, ad inundationis usque periculum; quod propè styram superioris Austriæ quoque fieri memini, dum in foramen montis vicini, quod vocant das Windloch/ lapis immittebatur, protinus procellis ac ventis æstuantibus, ex arce quasi Aeoli prodeuntibus. Quid si tale quid etiam in μικροκόσμῳ fieri statuamus, ubi sæpè latet vaporosa flatulenta maligna materia, quæ levi de causa commota suæ perniciei prodit effectus, eosque deteriores, quò magis μίασματα maligna principibus partibus insidias struunt? Sunt sanè juxta Divinum Hipp. in nobis membra σύμπνοια καὶ συμπάθεια πάντα, quare promptè fieri potest, ut malignitas aliqua latens subito sæpius, exacerbata per causam externam, partis alicujus læsionem introducat, qua causa desinente, mox etiam ἀποῤῥοια vel effluvium malignum desinat. Sed plura non addo, propter temporis angustiam, teque cum conjuge Deo Opt. Max. commendo. Benè vale ἐπὶ μὴ ἴσον. Dabam Ulmæ τάχιστα. 18. Junii, Anno 1629.

OBSERVATIO XXII.

Tussis molesta cum lipothymiis & virium jactura.

Illustris Comes Mansfeldicus Wolfgangus, Proprinceps tunc temporis Darmbstadinus, ætatis anno ultra 30. constitutione corporis macilentus, anno 1614. incidit in fluxiones capitis continuas æstivo tempore, per mensem vehementer tussit, cum expectoratione pituitosæ materiæ: succedunt interdum lipothymiæ, dejectus appetitus, atrophia, & totius corporis imbecillitas.

RESOLVTIO.

Cum prædictus patiens illustris diutius præfatis symptomatibus affligeretur, ab Illustrissimo meo principe in gratiam ipsius 7. Julii, anno 1614. Darmbstadium vocabar. Cum autem ægrotantis natura mihi satis perspecta esset, utpote cui alias etiam, pro corrigendis nephriticis accidentibus, interdum convenientia remedia præscripseram, statim in primam originem fluxionum continuatarum inquirendum esse putavi; præsertim, cum æstivo tempore, præter communem consuetudinem, malum hoc continuaretur. Hic per signa sua *jecoris intemperies calidior* sese offerebat, cujus ratione non tantum concoctiones alimentorum debiliores erant, sed continuò quoque caput, instar spongiæ, fervidas exhalationes excipiebat, fluxionum subsequentium materiam.

Jecur calidum causa antecedens.

Hanc ob causam 1. *Jecoris intemperiem corrigendam, & concoctionem viscerum juvandam.* 2. *fontem mali*

Indicationes.

mali ſecundarium; nimirum caput etiam reſpiciendum, & 3. locum affectum non negligendum eſſe ſtatuimus. Cum autem æger ſuâ naturâ delicatus eſſet, *pro intentione primâ* ſequentia præſcripſimus, ſcilicet frequens ſit uſus conſervæ Radicum Cichorei, conſervæ Roſarum, Confect. ſpecier. diarrh. Abb. & inprimis mane veſperique ſorbendo potiunculam de ſequenti brodio, quod fiat cum decoctione gallinæ, quæ repleatur cum *Conſerva Roſar. Acetoſæ an.* ℥jß. *Spec. diarrh. Abb.* ʒij. *Corn. C. uſti præpar.* ʒiij. *Coquatur igne lento ad ſufficientiam, poſtea caro cum oſſibus contundatur, & cum expreſſ. coletur.*

Pro 1.

Porrò capitis gratiâ, *pro ſecundo* conceſſimus alternis diebus veſperi ante ſomnum pillulas de ſuccino, qui ℞. *Succini albi præp. Maſtich. Select. albiſſ. an.* ʒij. *Aloës Roſatæ* ℥ß. *Corn. C. uſti præpar. Ariſtoloch. vulg. rotund. an.* ℈ij. *Balſami, Fœniculi, Ol. Nucis moſch. per expreſſ. an.* ℈j. *Pul. Nucis Moſch.* ℈ß. *cum Syr. de Mentha fiant pil. ex* ʒj. *num. xxx.*

Pro 2.

Interdum etiam Morſulos contra defluxiones (ubi ſcilicet alvus laxa ſatis) quantitate ℥ß. loco pillularum commendavimus, utpote cum utroq; remedio ſuperflua humiditas abſorbeatur, & ventriculi coctio plurimum adjuvetur; inprimis externis non neglectis ſpeciebus ſequentibus, quas pro cucuphâ conficiendâ præſcripſimus.

℞. *Rad. Ireos* ʒij. *fol. Beton. Aſari cum rad. Roriſm. Salviæ an.* Mß. *flor. Stœch. Arab. Lavend. Roſ. rub. Chamæmel. ana* pj. *Nucis moſch. Caryophyll. Coriand. præp. Thuris, ana* ʒij. *Sant. Citrin.* ʒjß. *Ambræ gryſeæ, Moſchi ana gr. v. f. pulvis groſſus pro Cucupha ad caput.*

Pro 3.

Quod, *pro tertio*, locum affectum attinebat, præter communia pectoralia, pituitoſam materiam in pectore collectam præparantia & expectorantia, ſequens etiam deſtillatum ordinavimus, frequenter pitiſſando cochlearibus 2. ſumendum, inprimis jejuno ſtomacho, quod ℞. *Rad. Helenii, tuſſilag. an.* ℥ß. *fol. Salviæ, Majoranæ, Marrub. alb. Hyſſop. an.* Mjß. *Rad. Ireos Floren. polypod. liquir. raſ. Uvar. Paſſ. min. Dactyl. ſebeſten an.* ʒiij. *ſquillæ præp.* ʒj. *pulm. vulpis* ʒij. *ſem. Fœniculi, Urticæ an.* ʒjß. *Ficuum ping. Mellis deſpumati an.* ℥j. *Sacch. albiſſ.* ℥xviij. *Vini Malvat.* ℔iiij. *Stent infuſa per dies aliquot, poſt deſtillentur.*

Huic conſilio patiens illuſtris obtemperans, brevi priſtinam ſanitatem recuperavit, adhibitis inſuper & aliis mediis, quæ ex præcedentibus obſervationibus huc accommodari poterunt.

OBSERVATIO XXIII.

De compreſſione pectoris, cum palpitatione cordis graviſſimâ, ſæpius per annos aliquot recurrente,

Per modum Conſilij ſcripta ad Nobilem & integerrimum N. N. Civem Ulmenſem primarium.

Ex Germanico tranſlata.

NObilis & integerrime Vir, fautor & amice plur. colende, cum hic in Aula Rechbergenſi per biduum aliquid otii mihi concederetur, intermittere nolui, quin promiſſorum meorum memor, affectus illius, quo ſæpius Dn. afficitur, delineationem aliquam conſcriberem, ubi adhuc illius ſum ſententiæ, diuturnum hunc morbum nihil aliud eſſe, quam *ſpeciem palpitationis cordis*, cujus cauſa conjuncta ſit *ſuperfluus ſeroſus ſanguis*, in capſula cordis ἀθρόως collectus, qui certis temporibus ebullit, & conſueta ſymptomata producit. Huic cauſæ proximæ colligendæ anſam præbet *jecoris & lienis caliditas*, unde facilimè maſſa ſanguinea copioſum ſerum colligit, cum citò nimis, primâ concoctione nondum perfectâ, jecur atque lien humiditates adhuc crudas attrahunt, ita ut *viſcoſa congeries* ea propter in ſtomacho relinquatur, quæ ut plurimum *compreſſione, nauſea & lipothymia incipiente*, quatenus orificium ventriculi vellicatur, potiſſimum invadente palpitatione cordis, ſeſe ſatis manifeſtare ſolet. Cum verò pectus ob defluxiones capitis debilius, ipſorumque pulmonum conſtitutio calidior juſtò ſit, mirum non eſt, quod ſeroſitatis illius copia major circa cordis regionem colligatur, quanquam nonnihil iſtius materiæ ſurſum ad caput evaporet, & poſtea fluxionibus ad pulmones, atque ſtomachum, materiam præbeat, unde *tuſſis & ſcreatus matutinus* oritur. Hinc facilimè Dn. patiens colligit, cur *vehementiori corporis, animique commotione* paroxyſmus, ſeu acceſſio, non rarò promoveri ſoleat, cum hoc modo materia collecta calefiat, ebulliat, & *anguſtiam reſpirationis, compreſſionem pectoris, incipientes lipothymias, cardialgias &c.* tam diu producat, donec natura, vel robore proprio, vel medicamentorum beneficio viam inveniat, per quam prędictam cauſam morbificam ſeparare queat, quod interdum vomitu, ſæpius per alvum, ſæpiſſimè per ſudorem fieri conſuevit.

Palpitatio cordis ex ſeroſâ copiâ.

Cauſa antecedens.

Quomodo vero huic malo ſuccurrendum ſit, ulterius quæritur, & ſi non penitus idipſum expugnari, quomodo tamen ita leniri queat, ut acceſſiones non ita frequentes, ac leviores, expectande ſint. *Hic duo potiſſimum reſpicienda veniunt, nimirum quid faciendum paroxyſmo palpitationis cordis, & compreſſionis pectoris, ſuborto: & deinde qua ratione extra paroxyſmum, præſervationis ergò, procedendum ſit.*

Prius quod attinet, mox eò reſpiciendum eſt, ut vires cordis ſuam corroborationem habeant, quò pertinet *aqua Cordialis*, num. 1. quæ

Quid faciendum in ipſo paroxyſmo.

℞. *Corall. rub. præp.*
Margar. præp. an. ʒß.
Lap. Bezoar. ℈ß.
Aq. Borrag.
Citrariæ
Bugloſſæ an. ℥j.
Syr. Acetoſ. Citri ℥ß.
M. pro una vice.

Eodem modo huic intentioni ſerviret deſtillatum num. ij. quod ℞. *Cordis cervi recent. vino loti numero j. fol. Meliſſæ Majoran. an.* Mj. *Fl. Bugloſſ. Violar. Roſar. Scabioſæ, tunicæ coron. an.* p. j. *ſem. Ocymi* ʒj. *Citri* ʒjß.

Caryophyll.

Caryophyll. ℨij. *Cinam.* ℥vj. *Macis, Santali Citrini, ligni aloës an.* ℨj.

Incisa & contusa infundantur in vini Malvat.

℔ij. *Succi lim. vel Citri* ℥jß.

f. destill. per baln. tempore æstatis.

Huc etiam pertinet Morsulorum roborantium num. iij. usus, qui

℞. *Sp. Confect. pineocatæ cum* ℈ß. *lap. Bezoar.* & ℈j. *Cort. Citri cond. paratar.* ℥vj. *Addita Ambragr.* iiij. *f. confectio in Morsulis, juxta ordinationem ante annos multos à* D. Doct. Küchelio *p. m. factam.*

Exterius usurpetur unguentum Cordiale, num. iiij. quod suasit *Dn. D. Abrah. Schopfius, Archiater Würtenbergicus.*

℞. *Bals. Rosar.* ℨj. *Citri* ℨß. *Ol. Camphoræ gutt.* iiij. *Nucis Mosch. per expreß.* ℈ß. *M.*

Item Epithema cordis ejusdem, num. v. quod ℞. *Aq. Melissæ Borrag. Rosar. Violar. an.* ℥iij. *Rasuræ ligni Aloë* ℨß. *Rhodii, Santali Citrini an.* ℨj. *Croci gr. v. Stent in infusione, colentur, & adde Camphoræ in Sp. vini dissolutæ* ℨj. *Misce.*

Cæterùm non sufficit, ut omni ingenio Cordis viribus prædictis mediis, & similibus, succurramus, nisi natura superfluitates, tàm circa cordis regionem, quàm in ventriculo & hypochondriis ebullientes, segreget, idcirco conveniens esset, ut naturam in excernendo juvaremus, quod usu syrupi laxativi, num. vj. nuperrimè commodùm fiebat, qui ℞. *Syr. rosatis solutivi* ℥ij. *de spina cervina* ℥ß. *Extr. diacarthami* ℨß. *Aq. cinam. parum Misce.*

Quo medio tàm per vomitum, quàm per alvum, materia peccans copiosè fuit evacuata; præsertim cum unà palpitatione cordis invadente, simul etiam cruditates phlegmaticæ, circa stomachum, & vicinas partes hærentes, commoveantur, & accidentia gravia causare soleant.

Quid faciendum extra paroxysmum. *Posterius attendendo*, quâ ratione videl. gravissimum hoc symptoma præcaveri possit, eò respiciendum esse videtur, ut causis antecedentibus, & continentibus obviam eamus; quod fit *I. eò allaborando, ne calor jecoris, & lienis ulterius intendatur, notatis diligenter iis, quæ tàm primæ, quàm secundæ concoctionis viscera corroborare valent. II. Prospiciendo, quo per media convenientia materia collecta minui, & segregari queat. III. Tandem diligenter observando, quæ symptomatis quotidiè accidentibus leniendis conveniunt; nimirum quâ ratione* 1. *lipothymiis stomachicis* jejuno ventriculo frequenter apparentibus: 2. *angustia pectoris* tempore commotionis, vel alicujus repletionis, inprimis à vino generosiore: 3. *Fluxionibus capitis*, quæ matutino tempore difficilem tussim & screatum excitant: 4. *Inflationibus hypochondriorum* &c. succurrendum sit.

Methodica curatio.

Pro I. *Primum quod attinet*, nihil addo victus vel diætæ gratiâ, cum Dn. patiens jam dudum à Dn. Medicis informatus sit, ut ea fugiat, quæ difficilis sunt concoctionis, quæ etiam calida nimis, vel aromatisata, vel aliàs facilimè caput petunt, & serositates augent. Potus sit vinum Neccarinum mediocre, cui interdum aqua infusionis ligni sassafras, vel decoctionis Galangæ substituatur; hoc æstivo tempore acetaria ex rad. Cichorei, her. Acetosæ, Spinachia, Lactuca & similibus convenirent, modò primò cruditas affusione ferventis aquæ tollatur, & postea justa conditura per additionem olei, aceti & vini subsequatur. Medicinalia media non negligantur, ubi inserviet usus Conf. Rosar. Vitriolatæ, conservæ rad. Cichorei, decoctionis radicum Cichorei, cum passulis minoribus, in brodio carnis factæ, per se, vel cum pauxillo Cremoris Tartari, sumtæ.

Pro 2. Secundum quod concernit, Dn. patiens consuetas evacuationes, & venæsectiones observet, tam verno, quàm autumnali tempore, ut etiam inclinante hyeme sub finem Februarii, cum experientia testetur, frequentissimè symptoma hoc palpitationis, beneficio talium mediorum, optimè leniri. Menstruæ quoque purgationes Lunâ declinante factæ, sicut & usus pillularum Marcostinarum Mindereri diebus alternis ante cœnam, huc maximè faceret, quarum loco syrupus de Althea Fernelii, syrupus de hedera terrestri, vel etiam syrupus de limatura chalybis, tribus cochlearibus usurpatus, pro viis urinariis & obstructionibus minorum venarum aperiendis, optimè conveniret. Syrupus de limatura chalybis hoc modo paretur:

℞. *Aq. lupulor.* ℔iiij. *in ea exting. sexies chalybis igniti* ℥vj. *factâ colaturâ adde. Limaturæ Chalyb. cum Sulph. prep.* ℥vj. *Passul. min.* ℥iij. *f. maceratio per triduum, post ebulliant ad* 3. *adde colaturæ Rad. Rumicis, Rutæ ana* ℥ij. *Cichor. Fœniculi ana* ℥jß. *Herb. agrimon. Capil. Vener. an.* Mij. *Iterum ebulliant, & post separationem ab igne adde fol. senæ* ℥ij. *Sem. Carthami conquas.* ℥j. *factæ post refrigerat. expreßioni adde sacch. q. s. f. Syrupus, cui adde Crem. Tart.* ℨij.

Interdum, præcedentibus mediis probè purgatis primis atque secundis viis, provocatio sudoris conveniret, ubi Rob. Ebuli ℥iij. cum aq. Veronicæ permistæ, vel lap. Bezoartici orientalis gr. vj. cum aqua fumariæ ℥ij. & aq. flor. sambuci ℥j. commodum assumuntur, & aliquoties in mense repetuntur.

Pro 3. Tertium quod attinet, symptomata quotidiana, vel frequenter præter opinionem accidentia, non negligenda sunt, ubi primò stomachi compressionem, & incipientem lipothymiam, vacuo ventriculo sese offerentem, perpendimus, quæ fiunt ob reliquias crudas in stomacho per congestionem, ex imbecilliori concoctione, relictas, tempore paroxysmi difficiles vomitiones causantes. Hæ maximè per evacuantia media superius dicta, quoad causas suas præcaventur, ubi simul observanda, quæ ventriculum roborant, & coctionem juvant, ut sunt confectio pineocata superius dicta: item liquor Corallorum & Margaritarum, numero viij, qui paratur hoc modo, juxta Consil. D. D. Schopfii.

℞. *Acet. destill.* ℥vj. *Margar. pp. Coral. rub. pp. an.* ℨß. *solvantur in loco calido.* ℞. *Filtrati liquoris* ℥ij. *Syr. Acetos. Citri Iulap. de Cina. an.* ℥ij. *M.*

Huc etiam pertinet usus conservæ Rosar. Vitriolatæ, sicut & aqua destillata cordis Cervini: sæpius gutt. iij. vel iiij. spiritus salis vitriolatus: interdum Tragea consueta: interdum de Balsamo Fœniculi dimidiæ avellanæ quantitas sumatur: interdum aliquid de Rotulis extracti Card. ben. sumatur, inprimis ubi simul hypochondriorum inflationes adsunt.

℞. *Ol. Nucis mosch. per express.* ℥j. *Fœniculi destill.* ʒß. *probe misceantur, adde Tincturæ Fœniculi* ℥iij. *sensim misceantur, & adde salis Fœniculi* ℈ß. *Misce f. Balsamus.*

℞. *Extr. Card. bened.* ℈jß. *spec. diagalangæ* ℈j. *dianisi* ℈ß. *Ol. Anisi gut.* ij. *Citri gut.* j. *Sacch. in aq. Melissæ solut.* ℥iijß. *f. Confect. in Rotulis.*

Tandem capitis quoque corroboratio non negligenda videtur, qua de causa quotidiè eò respiciendum, quod fieri poterit primo Morsulis contra fluxiones ante somnum usurpatis, qui

℞. *Conf. Rosf. antiq.* ℥iij.
Coriand. pp. ʒß.
Nucis Mosch.
Olibani ana ℈j.
Mastich.
Liquir. Rasæ ana ℈ß.
Cubebar. ℈jß.
Sacch. in aq. Rosar. solut. ℥iiij. *F. conf. in Morsulis.*

Permutationis ergò alternis diebus pillularum de succino Cratonis ʒß. sumi posset eodem tempore, quo modo non tantum ventriculi coctio roborabitur, & exhalationes ascendentes magis dissipabuntur, sed & ipsum cerebrum exiccabitur. Hæc sunt quæ pro tempore communicare volui, de cæteris, Σὺν Θεῷ pluribus coràm acturus. Hisce Dn. patiens Deo Opt. Max. commendatus sit. Dabam celeri calamo in arce Rechbergica Weissenstein, 8. Junii, 1623.

OBSERVATIO XXIV.

Vox Intercepta cum Raucedine.

PUer annorum quatuor circiter, Quæstoris Giessensis Dn. Danielis Stammij filius, fluxionibus capitis admodum obnoxius, Anno 1609. præter continuas destillationes, raucedine quoque diuturnâ prehenditur, quâ tandem vox penitus intercipitur, ut omnino sonantia verba non exprimere posset, quanquam sermonem, animi sensa docentem, clandestinum in aurem observantis efferret.

RESOLUTIO.

EX *continuis catarrhis*, quas humida cerebri constitutio producebat, *raucedo primum* sequebatur in hoc puero, plus æquo primum vocalibus instrumentis, potissimumq; arteria aspera, rigatis: quæ *diuturna* erat, propter causæ continuationem. Hanc tandem excipiebat *vocis interceptio*, vehementius videlicet, procedente tempore, vocis instrumentis humectatis, quâ de causa sonus penitus formari non poterat, cum asperæ arteriæ conveniens siccitas ad vocis generationem requiratur.

Vid. lib. de Nat. hum. Exer. 8.

Curationis scopus duplex.

Hîc quoad antecedentem causam, catarrhos descendentes minuendos esse statuimus: quoad conjunctam vero lenientib. arteriacis, & appropriatis quoq; siccantib. procedendum esse putavi. Quoad prius, tàm internis quàm externis naturæ succurrere conati sumus, ferè medijs iisdem, quorum hactenus in præcedentibus facta fuit mentio, de quibus etiam in *l. 2. de tuenda sanit.* agimus. *Quoad posterius*, multis adhibitis, nihil efficacius & præstantius observavimus, quam usum pulveris Rad. Aronis, cum æquali parte Sacch. Candiæ permisti, & frequenter in Syrupo Violar. de hispidula, Jujubino & similibus, eclegmatis instar, adhibiti, cujus beneficio pristinam sanitatem in paucis septimanis recuperavit, nec aliquid in posterum de tali symptomate sensit. Cæterùm raucedo frequens aliàs est, diuturnaque religiosis quibusdam, qui fluxionibus obnoxii continuis horarum Ecclesiasticarum cantionibus eandem sibi accersere solent, qua de causâ cuidam, qui ex Monasterio vicino meam operam annis superioribus expetebat, sequentia remedia præscripsi. Vesperi propter capitis fluxiones frequentes de sequentibus pillulis ℈j. deglutiat ante somnum, quæ ℞. *Mass. pil. Assaireth, Arabic. an. fiant pil. ex* ʒj. *num. xxx.*

Observatio similis.

Matutino tempore, & ante cœnam, frequens sit usus eclegmatis sequentis, quod *Forestus habet observ. 22. lib. 15.* quod ℞. *Conf. diatrag. frig. Sacchar. penid. Cand. al. ana* ℥ß. *Nucum pinear. recent. in aq. Tussil. macerat.* ʒij. *Amygdal. dulc. depilatar. num. 9. Succi glycyrrhizæ recent.* ʒjß. *Syr. Violacei* ℥jß. *Loch. sani & exp.* ℥ß. *M.*

Ubi pillulis prædictis non utitur, alternis scilicet diebus trochisci sublinguales vesperi usurpentur, qui

℞. *Rad. glycyrrhiz. rasæ pulverisatæ* ʒij. *sem. Cucum. excort. portulacæ an.* ʒjß. *Gum. Arab. Tragacanth. an.* ʒj. *Myrrhæ. olibani ana* ʒß. *Carn. Dactyl.* ʒiij. *Sacch. penid.* ℥j. *Syr. Viol. q. s. f. Trochisci sublinguales.*

OBSERVATIO XXV.

Dispositio phthisica ex catarrhis continuis.

FOemina 36. ann. per annum integrum tussi vehementi, difficiliq; laborat, inprimis matutino tempore, ubi tandem viscidæ purulentæq; sæpius materiæ rejectio fit: totius verò tabes sensim eandem absumit.

RESOLUTIO.

CUm hic casus Anno 1622. 28. Decemb. mihi proponeretur, ac simul certior fierem, quod ægrotans consilio Clariss. viri, *Dn. D. Ioannis Bilgeri*, Medici ordinarii Campodunensis, amici & affinis mei pl. dilecti, frueretur, brevissimis eandem ad ordinarium suum Medicum remisi, subinnuens nihilominus in gratiam petentis mariti, quod potissimum. 1. *Ad capitis corroborationem:* 2. *Catarrhi interjectionem:* 3. *Alvi promotionem*, & 4. *Materiæ collectæ expectorationem respiciendum esse videatur.*

Pro

Pro primo: exterius fiant suffimigia pul. sequenti; qui

℞. *Mastich.*
Olibani ana ʒiij.
Thymiamatis,
Benzoi, ana ʒjß.
Succini ʒß.
Tacamahacæ ʒj.
F. pulvis grossus pro fumo.

Capiti ante somnum aliquid aspergatur pulveris sequentis, qui

℞. *Sum. majoranæ,*
Fl. Lavend. ana pjß.
Ros. rub. Mß.
Thuris,
Mastich.
Succini an. ʒjß.
Santali citrini,
Nucis Mosch.
Macis an. ʒj.
Sem. Nigell. ʒij.
f. pulvis per cribrum.

Interius alternis diebus vel ʒß. pillular. sequentium, vel ʒij. vel ʒiij. Morsulorum contra fluxiones mox ante somnum assumantur, Pillulæ ℞. *Mass. pil. de succino Crat.* ʒiij. *Spec. dianthos* ʒj. *Cum Syr. de Beton. f. pillulæ.* Morsuli ℞. *Conf. Rorismarini* ℥ß. *Sem. Coriand. prap.* ʒj. *Nucis Mosch. Olibani ana* ʒj. *Mastich. Cubebar. an.* ℈j. *C. C. usti prap. Succini alb. prap. an.* ℈ß. *Sacch. in aq. ceras. nigr. solut.* ℥iij. *f. conf. in Mors.*

Pro secundo: catarrhus intercipiatur usu trochiscorum sublingualium, qui ℞. *Sem. papav. al.* ʒjß. *Gummi Tragacan. Arab. an.* ʒj. *Sem. Portulacæ, Melon. excort. an.* ʒij. *Succi glycyrrhicæ* ʒj. *Sacch. Rosat. tab. penid. an.* ʒv. *cum Syr. papav. errat. f. Trochisci sublinguales ante somnum usurpandi.*

Pro tertio: frequens fit usus Electuarii nostri de Tamarindis, cum fol. Senæ cujus ℥ß. sæpius ante cœnam vel prandium sumatur, vel solitariè, vel cum brodio passularum, seu prunorum Damasc. dissolvatur.

Tandem pro quarto juvabunt expectorationem Rotulæ sequentes, quæ ℞. *Spec. diaireos f.* ʒij. *succi liquiritiæ in aq. Veron. solut.* ʒj. *Sacch. in aq. Veron. solut.* ℥iij. *f. Conf.* Item *Loch. sanum cum oxymelle squill. & syr. Iujubino permixtum.*

FINIS LIB. III. DE MORBIS PECTORIS.

LIBER QVARTVS
De
MORBIS INFIMI VENTRIS.

OBSERVATIO I.
Intemperies frigida ventriculi cum collectione pituitæ.

L*udimoderator quidam in vicinia in pago* Dutenhofen/ *constitutione corporis phlegmaticus, anno 1614. circa 25. Ian. de incipiente tumore ventris, pectoris compressione, cordisque dolore, potissimum post cibum assumptum conqueritur, cujus urina cruda & aquea redditur, cum succedente lassitudine totius corporis.*

RESOLVTIO.

Frigidam *intemperiem ventriculi cum materia* non immeritò nos hîc accusavimus, cum totius constitutio quoque pituitæ superabundantiam indicaret.

Quomodo differat inflatio ventriculi ab incipiente hydrope.

Dico porro, quod *incipiens tumor* ventris apparuerit, qualis scilicet ex inflatione stomachi per vices interdum sese prodit, differens ab eo, quem hydrops incipiens exhibere solet. *Pectoris* etiam *compressio* laborantem exercebat, ob diaphragmatis motum impeditum ex inflatione ventris, ut & *cordis dolor,* καρδιαλγία scilicet, seu sensus dolorificus superioris ventriculi. Reddebatur autem *urina cruda & aquea*, quam etiam spiceam vocant, ob imbecillitatem concoctionis, ad separationem & digestionem aquei seri minus sufficientem; *totius q́ lassitudo* sequebatur, propterea quod sanguis perfectè non elaborabatur, utpote cum vitium concoctionis primæ subsequentibus etiam communicetur, unde musculosus habitus, optimo sibique convenienti sanguine destitus, ad operationes suas peragendas segnior erat.

Pectoris compressio unde?

καρδιαλγία unde?

Unde urina spicea?

Unde totius lassitudo?

Prognosis

Etsi verò talis affectus lethalis non sit, nihilominus, cùm temporis diuturnitate cachexiam totius introducat, idcirco naturæ subveniendum esse videbatur, juxta sequentes indicationes.

Indicationes Curativæ.

I. *Materia viscida pituitosa sui præparationem partitis vicibus instituendam; II. ejus q́ copia paulò post evacuationem, III. & intemperies frigida per stomachica calida corroborationem requirebat.*

Pro I. digestionem & præparationem contentæ materiæ tentavimus per ea stomachica, quæ frigidos pituitosos humores, etiam ipsis ventriculi tunicis infarctos, incidunt, detergent & attenuant, quo fine præscripsimus potionem digestivam, quæ

Digestiva potio incidens & detergens.

℞. *Squillæ præparat.* ʒjß.
Helenij ℥j.
Herb. Menthæ.
Salviæ,
Absynth. an. Mj.
Flor. Chamameli pj.
Sem. Fœnicul.
Anisi an. ʒjß.
Galangæ,
Cinam. an. ℈j.

f. decoct. in s. q. vini ad 3. coletur ℔j. *de qua sumantur quotidiè bis, trib. horis ante cibum* ℥iijß. *& cum oxymellis squillitici* ℥ß. *permisceantur, fiatq; continuatio per quatriduum.*

Purgantia appropriata.

Hac digestione continuatâ pro II. fiat evacuatio, partitis vicibus, diluto Agarici, vel assumpto pulvere sequenti, qui

℞. *Mechoacan. recent. pul.* ʒjß.
Diagryd. gr. ij.
Mastiches gr. j.
M. & sumatur cum haustu vini Absinthii.

Maximè verò pro evacuatione confert in tali casu, post præparationem usus Magisterii Tartari Vitriolati, drachmæ quantitate cum vino absinthii permisti.

Stomachica roborantia calida.

Pro tertio, confectionem diatrion pipereon commendavimus, quam pro ventositatibus præcavendis ex tribus piperum generibus cum fœniculi & sem. carvi crasso modo pulverisatis, addito pauxillo zingib. in India conditi, paucisq; gutt. Ol. Anisi sub finem confectionis tabularum aspersis, parari jussimus. Vinum etiam Absynthii, Cardui ben. Helenii &c. per vices commendavimus, ut & usum Trageæ sequentis, concoctionis juvandæ gratiâ post cibum sumendæ, quæ

℞. *Sem. Coriandr. Præpar.* ℥jß.
Anisi, Fœniculi ana ℥ß.
Zingiberis,
Galangæ an. ʒjß.
Cinam. ʒj.
Ligni Aloës ℥ß.
Sacchar. opt. ad pondus omnium f. Tragea.

Externa stomachica.

Exterius ad regionem ventriculi sacculum ordinavimus, qui ℞. *Menth. Absinth. Salv. an.* Mjß. *Galang. Nucis Mosc. Caryoph. an.* ʒj. *f. pulvis grossus pro sacculo interpastato.*

Hæc remedia laboranti semel atque iterum reiteranda esse diximus, optimâ victus ratione non neglectâ, quibus ille, ut & alii plures hac imbecillitate laborantes, pristino sanitatis vigori restituti fuerunt. Hunc affectum frequentius in inferiori Saxonia, & inprimis in veteri Marchia, cum Soltquellæ An. 1607. Medicinam exercerem, quam in his regionibus observavi, ubi præter dicta, cum successu, absinthii Extractum liquidem, Aquam Aurantiorum, Aquam Nucis mosch. frequenter pro refectione stomachi præscripsimus, quo fine commodo quoque sequens aqua stomachica pro delicatulis ad modum conveniens parari potest, qua ℞. *Zedoar. opt. incis.* ℔j. *Anisi. Fœnic. ana* ℥ij. *infundatur in vini Rhenani Mens.* iß. *stet in digestione per octiduum. f. destillatio per B. M. Huc etiam pertinet usus Elixiris proprietatis, post evacuationem & digestionem gutt. iij. vel iiij. in appropriato liquore sumptum.*

OBSERVATIO II.

Intemperies ventriculi calida cum effusione bilis.

VIr Nobilis *Ioh. Conrad. à* Rodenhausen in Künkzebach / *annorum circiter sexaginta, constitutione nativâ corporis sanguineus, in vicinia habitans, anno 1617. 26. Septemb. in cordis dolorem incidit, cum calore, siti, vomituq; bilis, dejectus est appetitus ad cibum, alvus ad obstructionem inclinat, & urina biliosa redditur.*

RESOLUTIO.

Constitutio sanguinea senib. morbos juvenum producit.

QUemadmodum sanguinea corporis constitutio præ cæteris, dum in ἀκμῇ floret, ad temperatam maximè accedit, ita procedente tempore eadem nihilominus etiam alteratur, adeoque sæpius in senili ætate morbos juvenum causare solet. Hinc non rarò senes, ejusmodi biliosis etiam affectib. prehendi videmus, quæ etiam huic ægrotanti accidebant, qui *calida ventriculi intemperie, cum effusione bilis* afficiebatur, ubi primo *cordis dolor*, seu potius orificii ventriculi sensus inimicus oriebatur, propter bilis acrimoniam, sensiles ejus partes rodentem & vellicantem: deinde *sitis* subsequebatur, utpote calidioris intemperiei soboles, cum *vomitu bilioso*, quatenus in tantâ copia bilis ad ventriculum effundebatur, ut virtus ejus expultrix ad expellendam eam incitaretur; & *appetitu dejecto*, quem intemperies calida, robur ventriculi dissolvens, introducit, idque eo magis, quando cum materia bilis conjungitur: *urina* vero *biliosa* reddebatur, aurea scilicet & crassa, quæ copiam hujus humoris etiam in jecore, & massa sanguinis ebullientem, indicabat; hinc *alvus ad obstructionem* inclinabat, tam propter motum materiæ versus superiora, quam etiam, quod bilis, excretionis calcar, per consuetudinem à consuetis evacuationis meatibus aliò transferretur.

καρδιαλγία. A causa calida.

Appetitus dejectus unde?

Indicationes Curativæ.

Ad hunc ægrotantem post biduum vocatus, 1. Bilem in toto commotam, & cum sanguine abundantem, in constitutione plethorica, sistendam, 2. è stomacho evacuandam, 3. alvum laxandam & 4. intemperiem calidam corrigendam esse duxi.

Materia medica. Pro 1.

Quapropter, cum vires adhuc constarent, statim venæsectionem *juxta primam Indicationem* institui, quâ ratione non tantum plethoræ succurrebatur, sed etiam bilis effervescens & ebulliens sistebatur, ac totum incalescens, & ad febrilem insultum inclinans, ex accidenti refrigerabatur, præmissâ tamen evacuatione leni, quam haustu decoctionis prunor. Damascenorum, cum ʒj. Rhabarbari, grosso modo incisi, peregimus.

Pro 2.

Remittentibus hoc modo vomitionibus, id quod in stomacho collectum plenius deturbandum esse putavimus, *juxta indicationem secundam*, quam ob causam in forma solidiori, quò citius retineatur, bolum sequentem eva-

evacuationis gratiâ præſcripſimus, qui ℞. *El. de Tamarindis d.n.℥ß. de ſ. Roſar.℥ijß. Rhab ℈j. Spir. Vitr. gut. v. Sacch. q. ſ. fiat bolus, quem biduo poſt repetiit.*

Pro 3. Ne v. propter alvi obſtructionem de novo bilis ad ventriculum effunderetur, *pro tertio* naturam in expellendo juvandam eſſe duxi, ſumpto videlicet quotidie bis hauſtu vini tenuioris, cui per noctem, flor. perſicorum, vel Acaciæ, ad ſufficientem ſaporem infuſi fuerint, unà cum pauxillo Rhabarbari, & parte quadam paſſularum minor. ad jucundam dulcedinem excitandam, & bilis acrimoniam leniendam.

Pro 4. *Tandem* intemperiem calidam ipſius ventriculi, totiuſque corporis, alterare conabamur uſu decoct. rad. Cichorei, tum etiam earundem conſervæ; ut & emulſionibus Amygdal. dulc. cum ſem. Melonum & aliis, inprimiſque Morſulis de corticib. & ſucco citri, conſerv. Roſ. Vitriolat. ſimilibusque, quorum beneficio brevi viciſſim affectus hic remittebat.

Obſervatio ſimilis. Similem etiam *Cardialgiam cum intemperie calida ventriculi, bilisq́ copia* anno 1614. circa principium Novemb. in ſexagenario quodam vicini oppidi Großlinden/ habuimus, qui de ſiti, ſtomachi roſione & dolore, bilioſis ructibus, appetitu dejecto, & ventris obſtructione, conquerebatur, cujus urina ſubaurea tenuis erat.

Differentia inter hanc & præcedentem obſervationem. Differebat hic affectus à præcedenti, quod bilis tenuior eſſet, quæ effundebatur, unde urina quoque, licet bilioſa, craſſitie tamen deſtituebatur. Imò vomitus etiam aberat, cum expultrix tantum bilioſas eructationes produceret, quatenus materia propter tenuitatem expulſionem ſubterfugiebat. Hinc infuſum laxativum, ad bilis evacuationem, per dies aliquot huic ægrotanti cum ſucceſſu præſcripſimus, non neglectis poſtea reliquis, de quibus anteà dictum fuit.

Obſervatio Plateri. Huc referatur etiam exemplum Cardialgiæ, quod habet Platerus in Obſervationibus ſuis pag. 402. ubi notatu dignum, quod etiam terror, æquè ac irabilem commovere ſoleat, quemadmodum experientia non rarò confirmat, idque eam ob cauſam fieri probabile eſt, quod in terrore calor ad principium ſuum confertim recurrens, anſam præbeat humoribus p. n. collectis, ut regimine caloris nativi quodammodo deſtituti, plurimum exorbitent, & cuſtode quaſi deficiente, præter naturam partes quaſdam afficiant, unde manifeſtum eſt, non æquè omnibus, ſed iis maximè tales animi ſubitaneas commotiones nocere, quibus aliàs cacochymia, præſertim bilioſa, familiaris eſt.

Quomodo terror & conſternatio humores commoveat.

OBSERVATIO III.

Singularis bilis effuſio.

Vir Clariſſ.

DN. M. JOH. BAPTISTA HEBENSTREIT,

Ad

GREGORIUM HORSTIUM.

Et,

SEBASTIANUM STROMAIERUM,

Med. D. & Phyſicos ordinarios.

S. ab eo, qui eſt τῷ ὄντι Salus.

VIRI Excellentiſſ. Conſultiſſ. Domini, fautores, atque amici ſingulares! Ad eorum, quibus Conſiliis veſtris ſaluti hactenus fuiſtis, numerum dubio procul Nobiliſſ. etiam, & Generoſus meus N. N. aggregandus fuerit. Ei enim gravibus Symptomatis conflictato, non ſemel conſilio, atque ope præſentariâ ſuccurriſtis; mihi etiam, qui ipſi de menſâ, quod ſcitis, domoque commodavi huc uſque, rem præſtitiſtis voluptabilem, operâ veſtrâ ſalutari ſolicitudinem meam nimiam, quaſi Divorum virgula demulcentes. Amabo ſic pergite! Pergetis autem ſpero, Præclariſſimi illius parentis humaniſſimis precibus excitati, qui me interprete, vos magnâ religione rogat, ut quæ cogitaveritis filio, quem propediem aliò concedere jubebit, poſſe eſſe uſui, ea memori chartæ commendata ſecum communicare ne dubitetis. Etſi autem omnia memoriæ vobis eſſe duco, quæ de N. noſtro dici poſſent: tamen haud ægrè feretis, opinor, ubi mea diligentia, an cura, veſtræ in revocandis nonnullis, quæ agmen deliberationis duxerint, reverenter accedere cœperit. Noſter ille cum primùm fidei meæ ac inſpectioni domeſticæ committeretur, nihil eorum, quæ poſtea prorupêre, præ ſe ferebat; leviter me quidam de comitibus ſub adventum ejus ex Auſtriâ monuerat, invadere interdum adoleſcentulum correptiunculam ſolere, de laterum altero prorepentem, quæ tamen vomitu ſubinſequente levetur. Factum tandem, ut correptiunculæ hujuſcemodi ſpecimen eximium paulò poſt ederetur. Ibi tum comprimere ille palmâ latus alterutrum, puto dextrum; in domo ſurſum deorſum curſitare: mox defeſſus in grabato decumbere; totum corpus intorquere, circumvolvere: gemitu, quaſi turtur, aſtantes perturbare, etiam in ejulatum erumpere, non aliter, atque ij, qui torminibus acutiſſimis infeſtantur. Abhorrere deinceps ab omni cibo: quin prius ingeſtos, aut inter dolendum, muliebri ſuaſu, aſſumptos, rurſum egerere, cum viſcosâ, ſubflavâque, etiam ὑδαλώδει χολῇ. Et alia συμπτώματα cum connexis, primum altera quaque ſeptimana; poſtea, cùm jam carnificem iſtum ſcitis medicamentis obtudiſſetis, in menſem: indidem longiori intervallo ſupervenire. Utebatur tamen nunquam non diæta non incommoda, & pro eo, atque temporum, & victus apud nos ratio ferebat, lautiuſcula, verùm potu non alio, quàm quem, ut vulgatus habet leoninus, bibit Auca. In citerioribus mali aggreſſionibus, etiam renes, veſicamque affligi, difficultas urinæ reddendæ arguebat. Quo pacto autem vos moleſtiæ illi, ὡς σκληρὰ μαλθακῶς λέγειν, occurreritis, quibuſque armis θεραπευτικοῖς tum διαιτητικοῖς tàm acerbum oppugnaveritis hoſtem, meum non eſt hîc otiosè repetere. Comperimus autem hoc omni obſervatione digniſſimum, ſimul aquæ nudæ limpidæque nuncium ex veſtro præſcripto remiſiſſet, cereviſiaque Cholagogis, neſcio quibus, ſacculo incluſis, imbuta, cœpiſſet uti, ἅπαν τὸ δεινὸν imminutum, ſecuriores nos indies redditos, irruptiones hoſtiles, & inſultus longùm prohibitos: adeò ut licet una atque altera invaſiuncula terrori nobis eſſe voluerit, (excipio autem poſtremam illam febriculæ indicinam, quam

quam tu Optimi Dn. Stromari, poteris ἐξηγεῖσθαι) balsamo tamen terebinthi & succis nonnullis, pro jucundâ & acidulâ epatis refectione, potui affusis, propediem inimica fugaverimus signa universa; Semestreque hoc ipsum, quod nos in conductitiis exegimus ædibus, nihil gravius nobis intentaverit. Non etiam tacere possum Paracelsici Elixiris, in superioribus etiam æstibus incredibilem, & plusquam divinam, efficacitatem. Quinam itaque mali fontes: utrum ἀπὸ γενέσης (ut vester Deus loquitur) in fœtum aliud morbidi derivatum fuerit: (quod esse non posse, status integerrimus optimè valentium Generosorum Parentum evincit:) utrum lusus aliquis formatricis δυνάμεως, sed ut apparet, maximè serius, citra bilis cistidem occupatus fuerit, peculiarem aliquem inde meatum ad ventriculum moliendo: Utrumne ὑπερέχουσα flavæ bilis ῥοπὴ tanta sit, quæ etiam invicinas partes, in renes, in vesicam furenter agere potuerit: utrum deniq; dividendæ sint cruciatuum origines, an ex consensu partium mutuo, & συμπαθείᾳ unius agentis principaliter, noxa sit accusanda: quibus deinde pharmacis redeunti passioni subveniendum: aut εἰς τὸ μέλλον timendæ præveniendum, peritiæ, fideiq; vestræ erit cernere. Vos etiam atq; etiam oro, ut quo estis animo erga cujusvis ordinis ἀλγοῦντας cùm ea, quæ labro tenus attigi, tùm quæ doctrina vestra, consummata illa & perfectissima censuerit, addi debere, diligenter colligatis, atque ὑπομνήματι Medicum elaboretis, usui futurum Generosæ plantæ, inprimis etiam voluptati Strenuo & Inclyto illius Dn. Parenti, de vestro studio absque omni dubitatione quàm optimè merituro. Valete, & rem illam N. aliasque omnes bene feliciterque gerite, Viri & fautores πολλῶν ἀντάξιοι ἄλλων! Dabam Idib. Ultilib. Anno M. DC. XXIV.

Clariss. Viro

DN. M. JOHAN. BAPTISTÆ HEBENSTREIT

Respondet

GREGOR. HORSTIUS, D. suo, ac Domini Collegæ nomine.

Biennium ferè completur ab eo tempore, Vir Clariss. Fautor & Amice plurimum colende, quo primum Nobilis & Generosus adolescens N. N. à nobis auxilium medicum imploraret, idque propter insultus peculiares, certis temporibus naturam infestantes, quos tu graphicè literis tuis ita depingis, ut ulteriori Apelle vix opus videatur, excepta tamen ea parte, quæ plus difficultatis, quàm laboris includit, ubi valdè vereor, ne nobis accidat idem, quo prædictus Pictor præcellens, inceptâ Veneris imagine facie tenus expressa, rem ipsam artificio suo talem reddidit, ut reliquum corporis ab alio nullo similiter delineari & illustrari posset. Ita ad vivum symptomata varia, diversis temporibus adfligentia, dextrè satis, prout observata fuerunt, annotasti, quorum radicem atque causas, tanta facilitate, etiam Lynceis intellectus oculis, & vix acie prima peritus quoque Medicus penetrabit. Ut ut sit: paucis ad quæsita respondebimus; tu boni consule, cum juxta Philosophum, iis etiam agendæ gratiæ, qui probabiliter aliquid asserunt. *Utrum ἀπὸ γενέσης in fœtum aliquid morbidi derivatum fuerit*, primò quæris, cujus contrarium status Generosorum parentum optimè valentium integerrimus evincat? quanquam verò dubitationis hujus enodatio parùm intentioni nostræ serviat, quatenus Medicus non de causis remotis, iisque externis, sed maximè de proximioribus, affectum foventibus, solicitus esse cogitur, nihilominus negari minimè potest, non paucos morbos à progenitoribus in posteritatem propagari, cum nihil obstet, quin parens, qui quoad externa lineamenta similem generare potest filium, eundem interno quoque defectu præditum producat, quatenus semen non tantum corpus totum essentiali similitudine repræsentat, sed ejusdem quoque qualitates includit, quod tamen de fixis tantùm, & permanentibus proprietatibus, intelligendum venit. Imò non tantum parentum ejusmodi morbi, sed etiam avorum in nepotibus repullulant, ubi seminarium ob causas impedientes in patre obliteratur, ut ad actum non transeat, quod tamen in filio sese exerit, ut ita consequentia sit insuffiens: pater sanus est, ergò filius hæreditario affectu penitus destituitur. Verum enimvero, cum symptomata, Generosum adolescentem invadentia, minimè fixas radices, quas omnes hereditarii affectus præsupponunt, arguant, concludendum in horum classe morbum hunc minimè contineri. *Quæritur porrò num lusus aliquis formatricis δυνάμεως circa bilis vesiculam, peculiarem aliquem meatum ad ventriculum moliendo: vel flava bilis aliqua superabundantia: vel denique partium consensus sit accusandus, quibusque mediis malo redeunti subveniendum?* Bilem abundantem, eamque ἀθρόως, certis temporibus, ad ventriculum ruentem, observatio symptomatum, remediorumque successus, satis comprobarunt, utpote cujus ratione, non solùm primò *dolor tensivus circa hypochondra*, sed etiam *orificii superioris dolor*, ipsiusque *stomachi biliosa eructatio* subsecuta fuit, præeunte *appetitu dejecto*, propter alienam materiam ventriculo communicatam. Hinc non semel ex eorum numero Dn. patientem esse diximus, quos Hipp. πικρόχολους ἄνω vocat, eosq; ad bilis vomitionem promptissimos pronunciat, ea propter, quod peculiarem ductum biliarium ad ventriculi fundum habeant, sicuti celebriores Anatomici in quibusdam annotarunt. Quid verò mirum, si lacessita per bilis affluxum ventriculi substantia, simul etiam aliæ partes in consensum trahantur, inprimis ejusdem biliosi humoris affluxu membris aliis quoquo communicato, idq; in corporis temperamento aliàs calido sicco, & constitutione macilenta, qua ratione sæpius *urinæ difficultatem & ardorem*, sub finem paroxysmorum concurrentem, annotavimus. *Eò autem mox ab initio respiciendum esse putavimus, ut omni ingenio paroxysmorum insultus leniremus, & naturam corroboraremus, ac dein bilis proventum præcaveremus.* Quod primum attinet, vomitiones minimè inhibendas esse statuimus, propterea quod materia rejecta sui

Morbi quomodo à parentibus in filios propagentur.

Nepos etiã ab avo similitudinem habere potest.

Cur hic affectus non sit hæreditarius.

Determinatio rati hujus affectus.

Indicationes.

sui ablationem indicaret; interim stomachum roborandum, dolores tensivos demulcendos, & vias urinarias temperandas esse judicavimus, quo fine stomachi causa 12. Jan. 1623. sequentem syrupum præscripsimus.

℞. *Syr. granat. dulc.* ℥ij.
Acetos. Citri ℥j.
De Cinam. ℥ß.
Sp. Vitriol. gutt. iiij. M.

Tensivos dolores exterius sequenti remedio lenire conati sumus, quod ℞. *Ol. Amygd. dulc. Chamamelini, Scorpionum an.* ℥j. *Ol. Terebinth.* ʒß. *Vng. Ros.* ℥ß. Misce pro linimento. Vias etiam urinarias ab ardore liberare voluimus usu *Syrupi de Althea Fernelii, cum syrup. de duabus radic.* & *Spiritu Terebinthina* permixto. Hoc modo primis invasionibus superatis, in subsequentibus similiter naturę suppetias tulimus, ubi quoq; , propter tormina flatuosa, stomachicum externum adornatum fuit, ex *Vng. Anodyno, Ol. Anethino an.* ℥ß. *Ol. Mastich.* & *Anisi destill. an.* ℈ß. Misceatur pro stomachi inunctione. Extra paroxysmum, naturam corroborandam, & bilis proventum præcavendum fuisse diximus, quâ de causâ, mox ab initio, post paroxysmorum labores exantlatos, evacuationem per vices instituendam esse suasimus, quo fine (cum abstemius sit generosus adolescens:) loco vini, sequens hydromel laxativum ordinavimus, quod

℞. *Rad. Cichorei* ʒvj. *Scorzon.* ℥ß.
Eryngii. Liquiritia, an. ʒiij.
Fol. Sena s. s. ℥j. *Epithymi* ʒij.
Rhabar. El. ʒjs. *Agarici* ʒij.
Herb. Absinth. pj.
Card. Bened.
Centaur. min. an. Ms.
Sem. Fœniculi ʒjs.
Zingiberis,
Macis, Galanga an. ʒß.
Cremoris Tartari ʒjß. *Passul. min* ℥j.
Incisa pro nodulo, ad mens. j. hydromellis tenuioris.

Hujus usu non tantum 12. Febr. 1623. adhibito, sed etiam sub initium Septembris iterato, leviores, tardioresque redditæ sunt invasiones, adjuvante quoque potiunculâ circa vernum tempus, quæ

℞. *Syr. Rosati solut.* ℥is.
de Rhabar. ℥ß.
Extra. Rhabar. s. ℈j.
Aq. Cinam. ʒj.
Cichor. q. s. f. haustus.

Evacuato corpore, corroborantibus usi sumus, urgendo victus rationem convenientem, aquæ loco cerevisiam, sequenti nodulo medicatam, concedendo, qui

℞. *Rad. Caryophyllata* ʒij.
Helenii.
Galanga.
Cinam. Acutiss. an. ʒj.
Bacc. lauri ʒis. Incisa dentur in sacculo ad mensuram cerevisiæ.

Vacuo stomacho, sæpius Elixiris proprietatis Paracelsi guttas aliquot in brodio, vel approbato syrupo concessimus, quo mirè ventriculus gavisus fuit, serius affluxum biliosorum humorum suscipiendo, sicut etiam conditum, quod ex *Conserva rosarum, acetosa, cum specieb. diarrh. Ab. Corall. rub. prap.* & *Spir. Vitrioli commistum*, eodem fine præscriptum fuit. Nec oblivioni tradendus *Terebinthina Spiritus acetosus*, cujus usu per vias urinarias excrementa biliosa promovimus, adjuvante simul evacuatione, partim per *Cassiam recenter extr. cum pul. Rhabarbari* permixtam, partim etiam per ipsum *Rhabarbarum*, solitariè cum pauxillo *Cremoris Tartari* permixtum: factâ, quibus hactenus, DEI gratiâ, prædicti mali rarissimos insultus habuimus, exceptâ nova *διαθέσει*, quæ febris instar, sub finem Julii sese ostentabat, hoc anno currente, cui tamen evacuatione per *Magister. Tartari Vitriolati* ʒß. *Diagrydii gr. iij. cum* ʒij. *Cons. Ros. rub.* permixtis, addito, pro temperando potu, subsequenti *syrupo ex succo Acet. Citri. Granat. acid.* & *dulcium an.* ℥ij. *Rob. Berber. Ribium an.* ℥j. *spiritus* & *vitrioli s. q.* permisto, statim obviam ivimus, ut pristino sanitatis vigore patiens iterum gauderet. Hinc ergò manifestum, quæ de Generosi patientis constitutione neutrali nostra sit opinio, quæque media, tàm ad præcautionem, quàm etiam curationem necessaria judicemus. Hisce bene vale, & Generoso D. Parenti salutem nostram officiosam annuncia. Raptim Ulmæ in ipso æquinoctio autumnali, Anno 1624.

OBSERVATIO IV.

Nausea ventriculi cum dispositione febrili.

VIR *Nobilis* & *strenuus Iohan. Wolffg. à* Weittelshausen/ *cognomento* Schrautenbach/ *Eques, fautor,* & *compater meus honorandus an. circiter 40. cum in negotiis Illustrissimi anno 1617. sub initium aliquandiu hinc inde peregrinaretur, tandem domum rediens de appetitu dejecto, lassitudine spontaneâ, maximâque ventriculi nauseâ conqueritur: capitis quoque gravitas, dolor pulsatilis per vices,* & *somnus interruptus aderant: urina cruda quidem, sed effusione bilis admodum colorata.*

RESOLVTIO.

QUanquam in præsentia febrilis adesset dispositio, nihilominus tamen causam ejus antecedentem, in ventriculo scilicet corruptam materiam, ante omnia perpendendam esse statuimus, utpote quam *nausea cum appetitu dejecto* satis innuebat: unâ vero *spontanea lassitudo* sese offerebat, cum reliquis symptomatibus, quæ pro diversa materiæ commotione febrim putridam futuram innuere solent. Cum autem nobilis patiens, ob errorem in victus ratione tempore peregrinationis commissum, accedente frigidioris aëris ambientis occursu quotidiano, cujus respectu liberior nativi caloris eventilatio, propter pororum cutis obturationem, impedita fuerat, sibi morbosam hanc affectionem accidisse statuerat, mox eò allaborandum esse statui; *ut 1. materia peccans,* & *in*

Signa futura febris putrida.

Indicationes.

stomacho fluctuans, tam per superiora, quàm inferiora evacuaretur, 2. intemperies febrilis incipiens ob sanguinis ebullitionem corrigeretur; & 3. ventriculus corroboraretur.

Pro primo statim, turgente quasi materia, pulverem sequentem cum brodio pisorum quantitate plenioris haustus exhibuimus, qui ℞. *Spec. diaturb. cum Rhab.* ℈ijß. *Rad. Asari recenter pulv. gr. xv. Misce. f. pulvis.*

Vomitorium & purgans.

Cujus usu novem vomitus, & aliquot sedes absq; difficultate procuratæ fuerunt. His peractis tenuem victum concessimus, & sequenti die pro sanguineæ massæ, quoad ebullitionem, correctione, venæsectionem instituimus, non neglectis interim *pro tertio* iis, quæ tam ventriculo, quam toti succurrerent, quo fine decoctionem Radic. cicho. cum pauxill. cremoris tart. frequenter usurpandam ordinavimus, semel atque iterum sudore quoque per usum lap. bezoar. in aq. Card. bened. provocato, quibus paucis remediis vigori pristino patiens restituebatur.

OBSERVATIO V.

Vomitus sanguinis cum dejectionibus nigris.

GREGOR. HORTIO, D.

Est in Xenodochio nostro mulier quædam cœlebs, annor. 40. staturæ parvæ, quæ postquam ante annos 20. tumorem quendam totius ventris, non quidem hydropicum, aut actiones corporis sensibiliter lædentem, sed saltem, inclinato ad terram corpore, angustias inferentem, perpessa fuisset, post clysterem injectum, sed non redditum, enormi & stupendo sanguinis purpurei fluxu è dextrâ aure correpta fuit, qui singulis diebus per intervalla recurrens, multis remediis à præstantissimis Medicis in vanum adhibitis, per integrum annum duravit, quo elapso, ægrâ emaciata, ferèque exangui reddita, spontè tandem cessavit. Progressu temporis, viribus & sanguine aliquantùm recollectis, recidivam incurrit, & licet menses [quos etiam anno duodecimo primùm experta fuit] semper ritè & ordinatè ipsi fluxerint, nihilominus tamen fluxus ille auris impeditus non fuit, sed tractu temporis adeò invaluit, ut eo non sufficiente sanguis anarrhópos & luxurians, antè biennium circiter, per vomitum inprimis, interdum etiam per nares, nunquam tamen per oculos, confertim prorueret.

Qui vomitus, fluxúsque auris postea certum & ordinatum tempus non observavit, sed aliquando tertiâ, aliquando quartâ, nonnunquam quintâ, aut sequenti septimanâ, in magnâ satis copiâ, & effatu dignâ, rediit, modumque hunc & periodum per multos annos obtinuit, & quo tempore sanguis non erumpebat, tumor aut in dextro hypochondrio, aut toto abdomine apparuit, quo evanescente, fluxus ille per superiora reversus est. Ad hunc affectum depellendum etsi varia à variis Medicis curiosè tentata fuerint, divertentia scilicet & revellentia, menses ducentia, alterantia, purgantia, & corroborantia, ex omnibus tamen nihil juvamenti percepit, sed solâ sanguinis missione, venis nonnunquam tribus unâ vice apertis, & præterea Rotulis quibusdam hepaticis allevata & refocillata fuit. Balneorum per tres septimanas continuandorum usum, juxta Medici præscriptum, ferre non potuit, sed post primum statim ingressum tàm malè habere solita est, ut longo post tempore lecto affixa esse cogeretur. Hanc cùm antè annum, ex quo primùm Xenodochium invisere cepi, ibidem sanguinem purpureum evomentem, & per aurem dextram copiosè ejaculantem, instarque semimortuæ in lecto jacentem sæpissimè conspexissem, mali raritate permotus, ipsius historiam diligentiùs, & attentiùs explorare volui, & notavi, quòd antè vomitum, & fluxum illum sanguinolentum, aut in dextro hypochondrio dolorem quendam gravativum & tensivum, cum duritie quadam, pateretur, aut malo ad inferiora decumbente, pedis dextri intumescentiam, cum insigni ardore & dolore punctorio, quæ nullis fomentis & unguentis resolvi, digeri aut emolliri poterat, sed spontè abire consueverat, perciperet, aut sanguine sursum perreptante, mamillæ duritiem dolorificam, usque ad jugulum pertingentem, aut brachii dextri, à sanguine copiose influxo, livorem & tumorem, ecchymomatis instar, sentiret. Ac si forte pedis ille tumor evanesceret, rediret gravitas dextri hypochondrii; si hæc cessaret, turgeret mamilla aut brachium; si hoc remitteret, sequeretur rubor & ardor faciei, & hinc vomitus ille & fluxus auris cruentus, præcedente nauseâ, deliquio animi, suffocationis metu, sibilo, tinnitu, punctionibus & gravitate auditus, illæsis mentis operationibus, & sensibus internis, duraretque interdum per unum, duos, tresve dies, quibus peractis, crisi quasi facta, ægra ad se rediret, meliusculè valeret, cibumque & potum sumeret, siti eam neque antè, neque post vomitum graviùs unquam urgente, malo tamen interim interdum ad 14. dies, aliquando ad octiduum, nonnunquam vix ad triduũ inducias concedente, nunc temporis forsitan, ob menstruas purgationes per biennium jam interclusas, magis exacerbato. Et cum affectus hujus chronici originem, causas, & curationem multum, diuque animo meo agitassem, varia in mentem mihi venerunt pensitanda, quæ tamen omnia Exc. Tuæ judicio relinquere, & ejusdem calculo acquiescere decrevi.

I. An affectus hic naturalibus causis, aut fortassis ex nequitia & malitia ægrotantis ultrò cieretur, inprimis cùm astantes affirmarent, hanc mulierem sibi potuisse, & etiamnum posse sanguinis hunc motum, pro lubitu & nutu suo, provocare, quò diutius in Xenodochio asservaretur, astantibus in commiserationem, propter mali gravitatem, adductis? hoc tamen verò consentaneum esse mihi non videbatur, dum causæ naturales & signa, quæ malum comitabantur, sufficerent: periodicus enim sanguinis ille motus, modo è crure in dextrum hypochondrium, modò ex hoc in brachium, modò ex hoc in caput, item excretio illa sanguinea naturam levans, ut & ejusmodi exempla apud Practicos ubique occurrentia, aliud evincebant.

II. An fluxus hujus causa esset sanguis menstruus, ad superiora regurgitans; an verò jecoris calidioris vis sanguifica,

guifica, copiosum sanguinem generans? etsi enim videri posset, sanguinis menstrui palindromen vomitum hunc duntaxat producere, hoc potissimum tempore, quo per biennium, venis uteri obstructis, aut forsitan planè coalitis, non amplius debito modo menstruatim fluxisset, tamen, cùm antè multos annos, mensibus semper legitimè fluentibus, nihilo secius per superiora erupisset, credibile magis erat, refluxum hunc fieri, à jecoris validâ sanguificatione, quâ sanguis copiosior genitus, & in toto superabundans, à facultate non gubernari, nec per venas uteri sufficienter evacuari posset, unde necessitate quadam exitum sibi quærens, sed eum nullibi, nisi in partibus supernis inveniens, per os, aurem & nares rejiceretur, quod etiam testabantur omnes lateris dextri partes affectæ, quæ solùm malo hoc solebant occupari, partibus sinistri lateris semper intactis manentibus, fluxu enim hoc periodico venturo, jecoris regionem primum tumere, deinde sanguinem, ad crus dextrum vergere, exitu hic denegato ad superna ruere, & hinc per os, auremque dextram prorumpere, experientia quotidiana docuit.

III. An vomitus hic sanguinis per ventriculum, an verò per alias vias exiret? Quamvis enim omnia, quæ copiosè vomitu rejicerentur, ex ventriculo prodire dicerentur, sanguine nimirùm etiam in nostro subjecto laborante, per venas meseraicas, & venæ portæ propagines, in imum ventriculum, & secundam ejus tunicam desinentes, & per anastomosin apertas, eò derivato; tamen cùm apud autores extaret, ex ventriculi venis propter earundem gracilitatem, magnam sanguinis eruptionem non contingere, & præterea sanguinem à jecore ad duodenum affatim transmissum, propter nativam gravitatem ad intestina inferiora descendere posse, verisimilius esse ducebam, eundem non solum ex ventriculo, sed etiam per arteriam magnam & venam cavam, gulæ incumbentem, ramulis in œsophagum insertis & reseratis, prosilire, præcipuè cùm antè vomitum urinæ sanguineæ, rubicundæ, suffocationis metus, faciei rubor, gravitas capitis, tinnitus & punctio auris adesset.

IV. An vomitus hic sanguineus remediis impediri, reprimi, aut saltem minui deberet? Tametsi enim aliæ sanguinis excretiones per uterum, hæmorrhoides, nares, os, aures, &c. confertim factæ, à Practicis, nisi essent criticæ, juberentur præsidiis debitis compesci; cum Hipp. 4. aph. 25. sanguinem ex supernis partibus prodeuntem, undecunque exierit, malum esse pronunciaverit: tamen cum illæ eruptiones vires admodum prosternerent, corpus suo thesauro spoliarent, adeoque symptomaticæ essent, vomitus verò hic, & fluxus, in nostra patiente cum naturæ levamento, motu quasi critico, & si impediretur, noxas insignes allaturo, fieret, meritò illas sistendas, hunc verò sinendum, & nequaquam impediendum statuebam, juxta obs. 55 & 56. lib. 3. Schenkhii, in quibus mentio fit, primò cujusdam Abbatissæ, quæ 58. ætatis annum excedens quotannis, circa hypochondria dolore citra febrem correpta, & tussiens, spontaneo copioso sanguinis vomitu à morbo liberata fuit: deinde nobilis cujusdam fœminæ sanguineæ, carnosæ, quæ jam per 20. annos tàm in conjugio, quàm vidua, aliquoties in anno, vomitu sanguinis copiosissimo, sine omni molestia, laboravit, quamvis menses legitimè procederent, impedito autem vomitu, vel per se, vel medicamentis, malè sese habuit, magnamque lassitudinem totius corporis persensit.

V. An fluxus hic auris, & vomitus præternaturalis, venæsectionibus, ligaturis, cucurbitulis, fonticulis, menagogis, balneis & similibus, præsidiis revelli & mitigari posset? Quoad venæsectiones, cùm hæ antè aliquot annos notabile ipsi levamen attulissent, venis supernis & infernis scalpello pertusis, simulque notasset Schenck, in observ. 57. l. 3. virginem quandam vomitione graviter laborantem, sanguine ex interiore vena propè talum detracto, cum menstrua purgatio successisset, benè sese habuisse, juxta Aph. 34. s. 5. Mulieri sanguinem evomenti, menstruis erumpentibus, solutio; non immerito statui posset, eas non esse negligendas, sed reiterandas, sanguine scilicet non qualitate, sed copiâ hic peccante: tamen cum antè semestre venarum dextri lateris, tàm in brachio, quàm circa malleolum, alternis diebus, ut & sinistri lateris, apertio tentata fuisset, ac saltem vena malleoli sinistri fluxisset, ne guttula quidem tunc temporis ex venis lateris dextri promanante, hinc ego conjecturabam, & ipsas venæsectiones non amplius ipsi profuturas, sanguine jam per vomitum & fluxum auris exire consueto: qua ratione quoque nec ligaturas, cucurbitulas, frictiones, fonticulos, menagoga, & similia præsidia, quicquam utilitatis ipsi allatura existimabam, unde & ingressum balneorum summoperè jam ab ipsa expetitum dissuadebam, monebamque, ut naturæ cursum non impediret; atque inprimis rectæ victûs rationi, prout liceret, operam daret, aliis validioribus medicamentis penitus omissis.

VI. An sanguinis hic fluxus & refluxus ætatis decursu sponte cessaturus; an verò interpolatis tàm crebrò vomitibus, atrophia, cachexia aut hydrops tandem subsequuturus esset? Quoad prius, licet spes affulgere posset, ætate deflectente, menstruis purgationibus, ob sanguinis, quo juniores circumfluunt, indigentiam aliàs naturaliter deficientibus, malum hoc aut omninò sublatum, aut saltem imminutum iri: quia verò natura revolutis tot, ob menses per biennium jam interceptas, vomitibus, ad superiora magis magisque viam affectaret, consignassetque Schenck. l. c. ex Cardano observationem mulieris cujusdam crebrò sanguinis vomitu utentis & 96. annum excedentis: rationi magis conveniens videbatur, hunc refluxum ad vitæ terminum usq; duraturum, aut naturâ suo thesauro exuta, jecore refrigerato sanguificatione læsâ, viribusque exhaustis, malum corporis habitum, aut hydropem, temporis progressu, sine dubio successurum.

Atque hæc sunt, quæ ad Tuam Exc. aliis forsan negotiis gravioribus impeditam, de hoc casu mirabili, die 12. Julii anni curentis, exarare placuit. Sed ecce! die 12. Aust. dum illam rursus invisebam, ab eâdem certior factus sum, quòd menses ipsi copiosissimè per 14 dies promanassent, quorum beneficio fluxus ille auris, & vomitus ad hunc

usque diem, 8. scilicet Octobr. remisisset, tumore pedis dextri nihilominus tunc temporis perseverante, & cùm præterlapsis 14. diebus menstrua spontè vicissim disparuissent, neque hactenus rediissent, durities hypochondrii dextri ad illum pedis tumorem rursus accessisset, cujus gratiâ lecto adhærere cogeretur, cumque antè triduum è lecto ad terram sese inclinâsset, hæmorrhagiam narium ad dimidiam ferè mensuram, perpessa fuisset; quo facto benè sese hucusque haberet, cibumque cum appetitu assumeret. Quem, qualemve eventum historia hæc tandem habitura sit, ego totus hæreo, Tuæ autem Exc. hæc ventilanda relinquo, quæ si sub examinis incudem revocanda digna judicaverit, faciet rem studiis meis desideratissimam, omniq; officiorum genere semper recompensandam. 8. Octobr. Anno 1628.

Tuæ Exc.

Observantiss.

Christophorus Fingerlinus, D. Reipl. Patriæ Phisicus Ordinar.

Viro Clarissimo

DN. CHRISTOPHORO FINGERLINO, Reip. Ulmensis Physico ordinario, Collegæ & Amico colendo

GREGOR. HORSTIUS, D.

Grata mihi fuit Casus istius diligens annotatio, Clarissime D. Doctor, quam ut paucis ulterius perpendam, rei raritas me commovet. Fateor & mihi, quod ex observationibus istis impressis colligis, admirandas in subsistentia mensium materiæ μεταστάσεις observatas fuisse, minimè tamen tales, quæ cum hac enumeratâ sanguinis eruptione diuturnâ totaliter comparari possint. Barbaram istam, pro tempore 46. annum ætatis complentem, ante annos circiter viginti, *tumore ventris affectam fuisse scribis, qui, corpore ad terram inclinato, pectoris angustiam causaverit*, fortè quod musculis abdominis rectis contractis, quos pectus versus pubem adducere demonstravimus alibi, propter copiam sanguinis in hypochondriis abundantem, diaphragma plurimum compressum, ipsiusque motus liberior impeditus fuerit. Addis injecto Clystere, eoq; non reddito, *sanguinis purpurei fluxum ex aure dextra* successisse, fortè quod sanguineus esset Hydropicus iste tumor, qualem *Hercul. Saxonia* cuidam Religioso accidisse refert, ubi sanguis copiosè collectus in hypochondriis, ob Enematis immissionem, spatiis coarctatis, versus superiora ruens, exitum circa dextram auriculam sibi paravit; *idq; per annum integrum, ad maciem usq;*, cum superfluo simul etiam laudabili sanguine, non absq; spirituum dissipatione, quotidiè profluente.

Vide lib. 1. Epist. Med. sect. 20.

Subsistente verò tandem sponte suâ sanguinis illius fluxu, recollectis viribus, *recidivam incurrit, unà cum mensium quoq; fluxu (quem ætatis ann. 12. statim sensit) idq; non tantum per nares, sed etiam ante biennium enormibus vomitionibus accidit*, fortè quod viscera sanguificationis sat valida possideat, languente interim corpore reliquo, parùm de copiâ sanguinis istius consumente, quam ob causam protinus etiam 12. ætatis anno mensium fluxus apparuit. Hinc per vices, *ad septimanas aliquot his excretionibus subsistentibus, protinus tumor hypochondriorum vel totius ventris successit*, fortè quod in extensis vasorum infimi ventris spatiis materia de novo colligeretur, *qui rursus evanescebat*, copia sanguinis ad consuetas excretionum partes commotâ. Minimè verò mirum, *quod varia præscripta medicamenta parum hic efficerent, solâ per venam sanguinis emissione exceptâ*, qua copiosè tribus interdum venis apertis iterata, levamen habuit, propterea quod sanguis, copia & acrimonia peccans, sui diminutionem, & etiam alterationem indicaret: *hinc balneorum usum* nullo modo sustinere potuit, utpote sanguine mox ebulliente, principesq; partes acrimonia sua feriente. Quod igitur etiamnum *ante vomitum & fluxum illum sanguinolentum, aut in hypochondrio dextro gravativam tensionem patiatur*, propter sanguinis collectionem circa jecur, aut *pedis dextri intumescentiam cum inflammatione*, dum jecur superfluam copiam κατ' ἴξιν ei transmittit, aut *mamillæ duritiem dolorificam*, uteri consensu sursum eructata sanguinis materia, aut *brachii dextri tumorem dolorificum*, per μετάστασιν inflammationis materiâ communicatâ, idq; per vices, admiratione caret, propterea quod natura, gravata per cumulatum sanguinem, undique sese liberare conetur, donec consuetis evacuationum viis vicissim adapertis exitum nanciscatur. Talis copia plenitudine suâ circa vasa stomachi turgens *nauseam*, in vena cava, arteriâque magna ebulliens circa regionem cordis *animi deliquia, nec non suffocationis metum*, circa partes capitis externas *aurium tinnitum, ipsiusq; auditus gravitatem* introduxit, instante paroxysmo, eoque per biennium, subsistentibus mensibus, frequentius recurrente.

Dubitationes consignatas quod attinet, rectè *quoad primam* statuis, frustrà quidam ex vulgo suspicionem concepisse, quasi per nequitiam & malitiam ægrotantis malum istud cieatur: quanquam enim Mendici sæpis malitiosi reperiantur, qui morbum sonticum, & alios affectus egregiè simulare soleant, ita ut doctos etiam non rarò fallant, non tamen video, consideratis istis hactenus enumeratis circumstantiis, qui idipsum hic fieri possit.

Secunda quæstio dextrè quoq; determinatur, ubi copia sanguinis à valida viscerum sanguificationis operatione producta, tanquam causa principalis istius hæmorrhagiæ ponitur, cujus collectioni plurimum servit mensium obstructio, tùm etiam reliquarum partium languor, ex massa sanguinea parum pro quotidianæ nutritionis assimulatione trahens, unde reliqua corporis constitutio pro ratione copiosi sanguinis minimè εὐσαρκίαν, superabundantiæ sanguinis respondentem, exhibet.

Quod tertio loco de causis Vomitus sanguinei proponitur, ulteriori discussione dignum judicatur, præsertim cum istius occasio multiplex esse possit: nihil dicam de iis vomitionibus sanguinis, quæ mulieribus ob mensium regur-

regurgitationem accidunt. Notatu digna sunt illa, quæ *lib.* 4. *Observ. part.* 2. *Observ.* 2. occasione notabilis historiæ de vomitione sanguineâ proponuntur. Similes ejusmodi Casus lubet hic etiam communicare cum suis eventibus, inter quos *primus est Viri cujusdam Senatorii ordinis*, qui ante annos aliquot frequenter vomitionibus sanguineis, & unà dejectionibus nigris afflictus, tandem unà cum sanguine virium substantiâ dissipatâ, periit, cum sæpius extra paroxysmum gravissimis infimi ventris, inprimisque dorsi torminibus & inflationibus torqueretur, fortè quod acris atrabilaris materia circa sensiles membranosas Mesenterii partes figeretur, easque acrimoniâ suâ tam diu lacesseret, donec expultrice juvante secerneretur. *Alter* est cujusdam Coriarii, qui superiori anno talis evacuationis symptomaticæ, per vomitum sanguineum, & dejectiones nigras, recidivam patiebatur, à qua taliter qualiter restitutus, paucos post menses hydropicus factus, languente tandem expultrice, peccante materia plurimum cumulatâ, viribus suffocatis moritur.

Tertius est Patritii cujusdam, annorum ferè quadraginta, qui post gravativum sinistri lateris dolorem diuturnum, tandem in febrim quasi semitertianam, ob materiam in hypochondriis putrescentem, incidit, quam protinus vomitus sanguinis copiosus, & dejectiones nigræ lethales subsequebantur, ita ut sub finem April. 1625. vitam cum morte commutaret. *Quartus* est Nobilis cujusdam viri, senatorii ordinis, 56. circiter annorum, constitutione corporis macilenti, & colore faciei, sicut etiam cæteri omnes, quos hoc affectu prehensos novimus, ob jecoris imbecillitatem, pallido, qui mense Septembri Anno M. DC. XXVII. in difficilem respirationem, atq; hypochondriorum compressionem incidit, quam ob causam eidem ab Ordinario Dn. Medico vinum laxativum ordinatur, cujus operatione per dies aliquot continuatâ, protinus ICTERUS totius, cum Tympanitide subsequitur.

Frustrà variis adhibitis, post septimanam unam atq; alteram gravis atq; contumax Singultus succedit, quo remittente, vomitus adest sanguinolentus, unà cum dejectionibus nigris, instar picis & atramenti sutorii, quibus per triduum afflictus, viribus exhaustis, 21. Sept. naturæ debitum solvit. *Quarto loco* repetatur hic historia, quæ citato lib. 4. Observ. plenius describitur, *cui quinto* subjicimus sequentem casum Viri literatissimi, triginta duorum circiter annorum, qui postquam ante annos aliquot Cachexiâ hydropicâ, ad Scorbutum inclinante, in Academia Wittebergensi laborasset, restitutus mediocriter, tandem 8. Martii currentis anni, cùm diu gravitatem hypochondriorum sensisset, in vomitum sanguinis, incidit, cum dejectionibus nigris, vesperi summis anxietatibus & virium jacturâ superveniente: subsequentibus diebus vomitiones ejusmodi cum nigris dejectionibus reiterantur, cum lapsu virium gravissimo, donec adjuvantibus enematibus, modicè detergentibus cum amicâ adstrictione, naturæ succurreretur, superius etiam iis in victu & medicamentis adhibitis, quæ per amicam adstrictionem virium resolutionem ulteriorem præcaverent, quibus mediis DEI benedictione natura sese recollegit, & ad pristinam sanitatem redire visa fuit. Sed vitrea talis erat sanitas; vix enim semestre complebatur, & ecce! 25. Sept. recidivam patitur, portiones sanguinis coagulatas primum, post etiam sanguinem purum evomens, cum dejectionibus, atramentum dilutum referentibus, quibus exhaustus, & viribus penitus resolutus, 28. Sept. supremum vitæ spiritum exhalavit. Cùm autem 29. Sept. abdomen aperiretur, jecur scirrhosum & lividum, lien satis magnus, sanguinei coloris, & viscus sanguificationis referens, inveniebatur, quod indicio nobis erat, eundem defectum jecoris aliquandiu resarcire potuisse, nimirum sanguinem, sed illaudabilem, conficiendo, quemadmodum etiam in *Observ.* 3. *Chirurgica libr.* 4. ut etiam in *Observ.* 2. *ibidem* factum fuisse demonstravimus. Ventriculus interius Coronarias venas rubentes & sanguine turgentes eundemq; per διαπήδησιν & ἀναστόμωσιν effundentes exhibebat, sanguine videlicet tenuiori sursum versus commoto, per Coronariam stomachicam, à Splenico ramo ventriculo communicatam. Intestina, potissimum crassa, cum Ileo, succo nigricante, atramenti instar, oblita conspiciebantur, quo deterso, venæ meseraicæ succum ejusmodi sanguine permixtum effundebant. Ex his, & aliis alibi dictis, non difficulter colligitur, vomitus hosce sanguineos cum dejectionibus nigris longè alios esse ab iis, quos in mulieribus copia sanguinis laudabilis cum impedimento mensium producit, qua ratione recordor cujusdam fœminæ, Vietoris propè portam Divæ Matris hic habitantis conjugis, quæ mensium obstructione laborans per multos annos, ad ætatem declinantem usque, vomitus sanguineos frequenter patiebatur, absque insigni noxa, donec 17. Julii 1625. consilium Medicum expeteret, ubi per vinum Medicatum obstructionibus succurrendo, nec non per modicè adstringentia ventriculum roborando, menses vicissim provocavimus, nunquam vomitu sanguinis iterum redeunte. Talem sanguinis vomitionem in exemplo tuo proposito mulieris istius fieri mihi quoque persuadeo, per venas non tantum Gastricas & Coronarias in Ventriculum insertas, sed alias etiam quascunque, propterea quod ebulliens & effervescens sanguis facilimè viam inveniat, quemadmodum in copiosis aliis hæmorrhagiis interdum idipsum etiam conspicitur. *Quarta dubitatio* rectè solvitur, ubi præsupponitur dictum fundamentum, nimirum sanguinem ob jecoris bonitatem in magna copia generari, minimè tamen, ob languentem attractricem facultatem aliarum partium consumi, quod apparet etiam in iis, quibus membrum aliquod, pes videlicet, vel manus abscinditur, in quibus postea sanguinis major copia sui, certis temporibus, evacuationem requirit, quæ neglecta recurrentes hæmorrhagias causare solet. *Quinto quærebatur*, an etiam *ut nunc* venæsectio, & alia revulsionis media, locum habeant, propterea quod ferè frustrà jam declinante ætate talia soleant adhiberi? cum autem consuetudo sit altera natura, juxta commune dicterium, facilimè concedo, tanto temporis spatio consuetos

hos excretionis modos difficulter in contrarium revelli posse, quod in aliis etiam fluxionum morbis inveteratis apparet, inprimis idipsum Podagricis confirmatis accidit, qui Venæsectionibus & purgantibus adhibitis, paroxysmum irritant, eà propter, quod humores commoti consuetas potius, ad partes imbecilliores, quam alias derivationum atque revulsionum vias affectare soleant. *Sexto tandem* eventus inquiritur, ubi non dubito, quin tandem excretio hæc malum corporis habitum introductura sit, quod etiam in aliis observamus, in quibus vegetior vis sanguificationis ab ineunte ætate copiosas hæmorrhagias excitare solet, qui procedente tempore nutritivæ facultatis noxam incurrunt, & si non resolutione virium, ob symptomaticam sanguinis effusionẽ vehementiorem, subitò pereunt, pedetentim tamen Cachexiâ consumuntur.

Quod additur ultimò mensium fluxum, per biennium subsistentem, præcedentibus septimanis rediisse, cum signis materiæ hinc inde translatæ, tum etiam narium hæmorrhagiâ succedente, illud ipsum confirmat antea dicta, sanguificationem videlicet sat copiosam adhuc adesse, cujus ratione natura per ejusmodi consuetas evacuationes levamen aliquod sibi quærere conatur. Eventum puto vel resolutione virium subitaneæ mortis expectandum esse, subitò retentrice quoque læsa, simulque naturâ cum sanguine superfluo necessarium etiam vitæ sustentaculum expellente, vel Cachexia lethalis superveniet, quam pedetentim spirituum dissipatio progenerabit, quæ omnia corporis post mortem apertio plurimum confirmaret. Hæc sunt, quæ ad casum præsentem respondere volui. Boni consule, & quod facis, me amare perge. Ocyus Ulmæ 18. Octobr. 1628.

Viro Clarissimo & Excellentissimo

Dn. BERNHARDO STIEBERO, Philosopho & Medico Rotenburgo Tuberano meritissimo.

GREGORIUS HORSTIUS, D

SEn! accipe, Vir Clarissime, fautor & amice pl. colende, partem alteram Observationum, in gratiam amicorum, & maximè discipulorum hactenus meorum in Academia, earum editionem urgentium, publici juris factam. In his, si per otium ea percurreres, quæ de vomitionibus sanguineis & dejectionib. nigris proponuntur, ac de similibus casibus, procul dubio sæpius etiam per tot annos praxeos tuæ annotatis, judicium tuum (quod mihi loco omnium est) communicares, rem mihi gratam præstares, presertim eam ob causam, quod antè paucas septimanas in viro quodam eruditô, mihi amicissimo, simile malum habuerim, qui tamen ex Orci q. faucibus ereptus, iterum ex voto, sed non absq; metu recidivæ, quia terrent eundem aliorum exempla, vivit. Autor fui eidem, ut præter victûs rationem accuratam, quotidianæ digestionis ergò, sæpiùs Syrupo aperitivo Mind. Magist. Tart. Vitriol. ritè præp. cremore tartari subtilissimo, cum Magist. corall. decoct. cort. frax. in vino, cum sale Absinthii. vino chalybeato cum rad. aperientibus, & herbis spleneticis &c. utatur, ac naturam clysteribus abstergentibus singulis mensibus bis terve, pillulis Marocostinis, singulis septimanis Rhabarbaro cum Magist. Tartari vitr. & Elect. Magistrali adjuvet, quod

℞. *Fol. Senæ.* ℥ij. *Rhabarb.* ℥j.
Rad. Helleb. nigri præpar. ℥ß.
Crem. Tart. ʒjs. *Aq. Fumar. q. s. infunde in loco calido per triduum, coletur, & exprimatur, adde Cassiæ rec.* ℥ijs.
Sacch. albiss. ℥ij.
Coqu. lento igne ad consist. adde.
Crem. Tart. subtiliss. ʒjs. *M.*

Non negligat interim ea, quæ singulariter jecur roborant, quo fine Absinthii Extracto liquido, cum aqua propria præparato, frequenter utitur. Singularis est historia, quam habet *Argenterius in comm. ad aph.* 25. *l.* 24. *mihi in opere suo pag.* 1354. de Damiano Veraldo, homine pallido & gracili, qui in ætate consistente sanguinem in magnâ quantitate, per intervalla multorum annorum, vomuit, cui revellentia astringentia majus periculum creabant, quare usu tandem didicit, non esse viam ad salutem, nisi ut tantum sineret evacuari, quantum spontè excernere natura volebat; addit: cùm sæpiùs de causa mali disputatum esset, tandem probabile esse censuimus, id contingere in venis hepatis & mesenterii, quod accidit in venis ani; naturam enim illi viam aperuisse per orificia earum venarum, cum sanguis biliosus & adustus multus circa hepar cumulatus est, qui naturam ad vehementem excretionem stimularet, sicut aliis orificia hæmorrhoidum in simili affectu patefacit. At nostris historiis casus hic minimè convenit: magis huc quadrant illa, quæ *Schroderus in Obs. Brendelii. consil.* 66. refert, de sene quodam 56. annor. qui sanguinolentam materiam vomitu, cum quodam doloris sensu circa hypochondria, copiosè dejecit, ubi suspicio erat in corpore plethorico, magnam venam in ventriculum insertam aperiri, cui propterea sanguis è basilicâ mittebatur, exhibito Philonio Persico cum sacch. rosat. ana. ʒj. ferculis bolo armeno præp. aspersis, &c. Simili modo plurimùm nobis inservierunt ea, quæ *Clariss. Hochstetterus in part.* 1. *obs. singul.* refert. *decad.* 2. *casu* 5. *& seq.* cujus remedia selecta nostris etiã ægris præscripsimus, ut & illa, quæ *Platerus in obs. l.* 3. *proponit.* Quadrat huc etiam *Christoph. Guarinonii Consultatio* 596. ubi similis vomitus sanguinis cum dejectione nigra proponitur, ubi partem sanguinis, quæ per alvum viam sortita est, longi itineris spacio magis refrigerari, & humido unà cùm calore amisso ruborem in atrum calorem permutari statuit. Hic in ipsa invasione poscam & Rhabarbarum, cum conserva Rosarum, commendat. Tu, quæso, mentem tuam aperias, & quid præservationis ergò ulterius in casu præsenti, faciendum, candidè communica. Præstabis hac in parte, quod Amici requirit officium, & me vicissim ad omnia paratissimum habebis. Hisce benè Vale. Raptim Ulmæ, sub finem Anni M. DC. XXIIX.

Nobiliss.

Nobiliss. & Excellentiss. Vir
Dn. BERNHARDUS STIEBERUS, Medicus Ordinarius Aulæ Brandeburgicæ, & Physicus Reipub. Rotenburgo, Tuberanæ.

GREGOR. HORSTIO, D.
Χαίρειν.

QUod tandem Observationem tuam de vomitu sanguinis, & dejectionibus nigris, quam me legere, meumque de eâ judicium adjicere voluisti, attinet, mirificos ego naturæ lusus & reconditas vires, in talibus casibus mirari, quàm ἀκρίβειαν ejus scrutari frustrà malo. Similes verò casus in mea tot annorum praxi plurimos mihi obrigisse, & à me feliciter curatos esse, certum est, in quibus omnibus & singulis, singularem hepatis ἀσθένειαν, facilè sanguinem, Erethismate aliquo interno irritatum, & repetitis vicibus ἀθρόως per Os, aliasque vias rejectum, post digerentia & roborantia adhibita præsidia, ex succis alimentariis gratiosis & benignis sibi reparantem manifestè deprehendi. Unum addo nuperum exemplum notabile in nobili fœmina, Agnete Sidonia Senfrin de Sulpurg, aulæ Hohenloicæ Weickersheimiæ Magistrâ observatum. Hæc antè triennium gravida, duodecies sanguinis fluidi & puri fluxum uterinum abnormen, integram ferè mensuram semper adæquantem ad partum usque, sine ullo virium detrimento, aut fœtûs jactura, passa est. Puellam istam, antè mensem modo, ictericam & verminosam curavi. Et hæc ad tuas Nobiliss. & Clariss. D. Horsti, amicè respondere volui, & pro parte altera tuarum observationum mihi donatâ gratias habeo, relaturus, ubi potero pro viribus. Interim cum omnibus tuis Vale, & memoriam mei, quod hactenus benignè fecisti, retine.

IDEM EIDEM.

Salute & Officiis præmissis.

QUòd formulas ῥωστικῶν in vomitionibus sanguineis, cum dejectionibus nigris mihi familiares, utpote in nuperis meis omissas, desideras, Nobilis, CL. & Excell. D. D. Horsti, amice pl. colende, plus ex amoris ubertate, quàm quod his indigeas, videris facere. Quid enim ego NOCTUAM ATHENAS? eoque medicinas, ubi earum maxima copia est, mittam? Verum enim verò, ne uspiam meum in te claudier officium intelligas, lubens, quib. in proposito casu auxiliis usus sum, paucis adjiciam; in eam spem erectus, Clarissimum, N. N. de cujus salute impensè sollicitus es, exacta moderataque diæta, qua multi natura νοσηρώτατοι (exemplo illius Herodici & Pollionis Romuli, natura debilissimorum, vitam ad centesimum unum annum, Platone, Aristotele & Plutarcho testibus, ista diligentia producentium) tuisque salutaribus præscriptis medicamentis, tantum hactenus cum bono Deo, profecisse, ut aliorum consilia respuere jure possit. DIÆTA itaque, ceu fundamento Curationis omnis, competente præsupposita, EXTERNE Hepar primum, in quo ferè germen aliquod vitiosum in talibus ægris suppullulat, sequenti Emplastro diligenter munivi.

℞. *Ung. Hepatici pretiosi.* ℥ß. *vel q. s.*
Troch. de Absinth, subtiliss. pulv. ℈iiij.
Camphora. ℈ij.
Spec. Diarrhod. Abb. ℈ij.
Magist. Corall. rub. prap. ℈j.
Ceræ & Ladani. an. q. s. f. Emplastrum forma hepatis humani, inducatur corio, & syndone integatur atque interbastetur. S. Leberpflaster.

Unguenti verò Hepatici pretiosi descriptio hæc est.

℞. *Trium santal. Ligni Rhod.*
Ligni Aloës odoratiss. ana. ℥ß.

Redigantur omnia in pollinem. Hunc coque ex aqua Endiv. Ros. alb. ana q. s. per sesquihoram. Ubi aqua benè tincta fuerit, coletur forti expressione. Coque ad mellis crassitiem, adde postea succi Cichorei, Petroselini, ana ℥ß. Camph. ℈j. Ung. Santalini ℥ij. M. f. Ung. INTERNE ῥωστικὰ sequentia adhibita sunt.

℞. *Essentia Margaritar.* ℈ß.
Croci ♂. per ignem reverberii. prepar. gr. v.
Dissolve exactiss. cum aq. Plantag. & Ros. an. q. s. f. haustulus dilutus, huic adde Syrupi. Corallini Quercet. ℥ß. *M.*

S. Starck und Stel Tråncklein auff einmahl.

Inter Analeptica aquam sequentem reposui.

℞. *Aq. Analeptica pretiosæ Dorncreilii.* ℥iiij.
Cinam. vilior. sine vino destill. ℥j.
Tab. Man. Christi perl. ʒvj.
M. f. Aqua Perlata. S. Perlenwasser zur Labung nach gefallen zugebrauchen.

Cumque vinum in hoc casu in rarâ præsertim corporis textura, nisi admodum ὀλιγόφορον, rarò conveniat, sequentem Julepum pro potu quotidiano præscripsi.

℞. *Decoct. C. C. V.* ℔iij. *Cum his dissolve Syrupi Regis* ℥ij. *Jujubini. de Acredine Citri. ana* ℥j.
Cum ol. Sulph. acid. per camp. q. s. ad suavem acorem.
S. Kråfftiger Julep für den Durst.

Spinam etiam dorsi, ad sanguinis orgasmum demulcendum, sequenti unguento inunxi.

℞. *Ung. rosati albiss.* ℥j.
Mucilag. sem. Psyllii.
Cydon. cum aq. violar. extr. an. ℥ß.
Ol. stillat. Camph. g. N. v. M.
S. Sålblein zum gantzen Ruckgradt deß Tags dreymahl.

Carpo verò manuum sequens massa apposita fuit.

℞. *Pulv. Succini albi prap.* ℥ß.
Spec. Diambræ. cum Ambra.
Cordial. temper. ana ʒj.
Mucilag. gummi Tragac. cum aq. ros. facta. q. s.

Extracti

Extracti croci ℥ß. f. Massula, pulsibus utrisque in aluta, magnitudine & figura Daleri Joachimi extendenda, & cum Syndone, vel serico rubro probè deliganda.

Ubi vigiliæ, quod sæpè fit, molestias creare ceperint, sequenti emulsione succurri.

℞. *Sem.* iiij. *frigid major. ana.* ℥ij.
Papav. albi. ℥ij. *Amygd. dulc. excort.* ℥ij.
f. cum aq. Ceras. nigr. ℥iij. *fl. acaciæ.*
Meliss. ana ℥ß. *Emulsio, cum qua dissolve Syr. de flos. viol.* ℥ß.

S. Melonen mülchlein vor schlaffen gehen und sonsten bey Nacht zugebrauchen.

In virium defectu destillatum sequens singulis duabus horis propinavi.

℞. *Carnis Citri cond. & incis.* ℥iij.
Cinam. Elect. tenuiter incisi ℥ß.
Zing. Ind. in Ind. cond. & incis. ℥ij.
Conserv. Ros. rub. simpl. fl. Cichor, ana ℔ß.
Tunicæ, Borrag. Violar. ana ℥j.
Aq. Ros. alb. odoratiss. fl. Acac. Borrag. Meliss. an. ℔j. *Vini Malvatici,* ℥iij.

Infundantur omnia in cucurbita vitrea. Stent in tepore balnei per biduum aut triduum, deinde s. a. destillentur.

S. Krafftwasser / darvon alle zwo Stund 2. oder mehr gute Löffel voll zubrauchen.

Singulis etiam manè & vesperi Jusculum Regium & delicatum Analepticum calidè dedi.

℞. Caponem deplumatum & exenteratum, quem collo, alis & pedibus resectis in frusta minutim discinde, deinde.

℞. Perdices præp. N. ij. Coxæ vitulinæ. ℔ß.

Hæc omnia minutim incisa, & invicem commista, macerentur per horas XXIV. in vino albo, aqua rosat. fl. borrag. an. q. s. addendo Cin. confract. ℥ij. Sem. Melon. excort. ℥ß.
Amygd. dulc. excort. ℥iij.
Carnis Citri cond. incis. ℥j. Fl.
Borrag. Bugloss. ana Mß.

Omnibus ritè mistis & invicem agitatis, vasisq; orificio optimè clauso, ut nihil exhalare possit, ac in aheno aquâ repleto collocatis, coq. idque sine ebullitionis intermissione, usque dum carnes perfectè & sufficienter coqu. & jurulentæ fiant. Tepefactum vas aperiatur, jusque inde separetur, exprimemdo residuam carnium partem per linteum. Omnibus refrigeratis, pinguedo, si quæ restat, separetur, & si aliqua ad huc cruditatis vestigia appareant, jus inter duas patinas recoq., donec albedinem & decoct. perfectam assequatur: Detur deinde in vitro purissimo.

S. Kräfftige Koppenbrühe Morgens frühe nüchtern / und umb die Besperzeit zubrauchen.

Naturâ itaque hisce recreatâ, pro recidivæ metu Tabulas sequentes adornavi.

℞. *Extracti. seu Sanguinis Symphyti.* ℥j.
Glyzirrh. ℈j. *Ligni Aloës gr. v.*
Balsami Rosar. præstantiss. gr. ij.
Sacch. cand. alb. aqua Analeptica dissolut. ℥iij.
Fol. Auti fini Num. iiij.
f. l. a. Confectio in tabulis majusculis.

S. Kräfftige Küchlein Morgens frühe nüchtern und vor schlaffen gehen zugebrauchen.

Si ne sic quidem negotio satisfactum, Colophonidis loco Magisterium ☉, Bez. cum aq. fl. Acaciæ ad ℈j. manè & vesperi usurpandum dedi, itaque multis ad Dei gloriam, ipsorumq; salutem benefeci. Quæ omnia etsi unguibus tuis notiora tibi esse sciam, asscribere tamen malui, quàm petitioni tuæ refragari. Quod ut bono animo accipias, amicè & humaniter rogo? Benè vale, athleticè cum omnibus tuis longissimè, & me ama. Rotaburgi 1. Maij Anno 1629.

OBSERVATIO VI.

Inflatio ventriculi propter collectionem crudorum succorum.

Mulier honesta Wetzflaria cujusdam mercatoris Iacobi de Lanne conjunx, annorum, ætatis 30. circa 7. Ian. Anno 1614. de ventris intumescentia versus os sternum conqueritur, quæ prementibus digitis instar tympani vestigium non retinebat: dolor insuper cordis quasi torquebat, unà cum imminente difficili respiratione, dejectus erat appetitus, siti nihilominus urgente, cum calore momentaneo totum sæpius invadente, subindè dolorificis insultibus cor ipsum afficientibus, ac si mordicans animal in ventre contineretur.

RESOLUTIO.

Πνευματῶσιν γαςρὸς, seu ventris intumescentiam, hîc adesse conjiciebam, cujus causa non sit levis aliqua externa (quatenus interdum à cibis flatulentis & crudis, in imbecillitate ventriculi, quibusdam accidere solet, quæ suâ spontè somno concoctionem adjuvante, vel paucissimis etiam medicamentis pepticis, & flatus resolventibus emendari solet) sed interna crudorum succorum abundantia, quorum ratione, propter caloris imbecillitatem, flatuum oriri copiam statuebam, unde primum *intumescentia versus os sternum*, quam cavitatem ventriculus replet, minus eidem reliquis partibus cedentibus, *quæ prementibus digitis, &c.* quo differt hæc intumescentia ab œdemate, cujus vestigia in cute relinquuntur: *dolor cordis*, scilicet respectu superioris orificii ventriculi torquebat propter flatuum acrimoniam sensili substantiâ ejus divulsâ, *unà cum imminente difficili respiratione*, tàm quod inflato ventriculo diaphragma comprimatur, quàm quod sensus dolorificus ventriculi, propter communitatem membranarum, diaphragmati, & consequenter pectori quoque, communicetur. *Dejectus erat appetitus*, propter copiam cruditatum causis appetentiæ naturalis impeditis; *siti nihilominus urgente*, quatenus acriores fumi nervosam orificii superioris substantiam ad appetitum frigidi

Inflatio ventris quid?

Quomodo differat ab œdemate?

καρδιαλγία unde?

Difficilis Respiratio unde?

Dejectus appetitus unde? Sitis causa.

frigidi humidi stimulabant; *cum calore momentaneo totius*, quem nostri fliegende Hitz appellare solent qui frequens iis esse consuevit, in quibus calor nativus à copia crudorum succorum quodammodo premitur, alternatim videlicet cum peccante materia pugnam iniens, *subinde dolorificis, &c.* quod fit ea ratione, quatenus effervescens flatulenta materia sensiles ventriculi partes per se, vicinasq; per consensum (utpote quæ non raro convulsivo quodam motu præter naturam afficiuntur, quemadmodum sæpissimè tensiones earundem demonstrant) non semper, sed partitis vicibus, invadere solet.

Causa caloris momentanei. Morsus Cordis unde?

Huic ægrotanti primò per ea succurrendum, quæ crudos succos, in ventriculo per congestionem collectos, præparant, & evacuare solent. Deinde viscerum etiam & mesenterii incipientes obstructiones aperiendæ; 3. flatuum copia dissipanda, 4. ventriculiq; coctio juvanda. Quanquam verò non raro vomitus hic præsentissimum remedium fit, nihilominus cum ægra præsens ad vomendum habilis non esset, nodulum purgantem eidem præscripsimus, qui

Indicationes Curativa.

Materia auxiliorum. Pro 1.

℞. *Rad. Helenii* ℥ß.
glycyrrhizæ ʒvj.
Herb. Absinth,
Card. bened. ana Mj.
Flo. Chamæmel. Mßj.
Fol. senæ ʒx.
Agarici ʒiiij.
Turbith,
sum. sambuci in vere collect. ana ʒij.
sem. Carthami ℥ß.
Anisi
Cumini ana ʒij.
Passular. Minor. ʒxij.
Galangæ
Cinam. ana ʒj.
Tartari albi, vel cremoris ejus ʒjß.

Fiat infusio in vini Rhenani ℔ij. per horas 24. post vacuo Stomacho, tàm præparationis, quàm evacuationis gratiâ per dies aliquot ℥iij. cum syr. Rос. solut. cum Rhab. & Agarico ℥j. sumantur.

Quò autem primis hisce diebus minori cum difficultate fieret evacuatio; victum imperavimus tenuem, cui vis attenuandi calefaciendique conveniat, unà cum vino medicato sitis gratiâ sumendo, cui passulæ minores cum floribus chamæmeli, semineque fœniculi per noctem infundantur.

Hac evacuatione præmissa. *juxta secundam intentionem*, ordinavi syrupum de Baccis Juniperi, quæ decoq. cum vino Rhenano, donec mollitiem convenientem induant, pòst per colum trajiciatur decoctum, & addito sacchařo fiat syrupus, cui addatur spiritus salis gutt. v. vel vj: ad ℥jß. usurpeturque quotidie bis, mane, vesperique 3. horis ante cibum.

Pro 2.

Tertiò flatuum copiam etiam dissipare conabar, interius confectione aromatici Rosati cum ol. fœniculi tabulati, ut & usu Balsami fœniculi, quantitate pisi majoris assumti, tum etiam usu syrupi de s. anisi, vel per se, vel cum vino decoctionis fl. chamæmeli, seminisque cumini. Exterius etiam ad ventriculi totiusque abdominis regionem Emplastrum de baccis lauri commendavimus, unà cum inunctione sequenti, quæ

Pro 3.

℞. *Ol. Chamæmeli, Anethi, lilior. albor. ana* ℥ij. *fl. chamæmeli Rom. Sum. Rorismarin. an* p. j. *Baccharum lauri* ʒj. *Aq. Arantior.* ℥j. *f. decoct. q. s. coletur cum expreß. adde ol. nucis Mosch. per expreß.* ℈ij. *fœniculi, Anisi ana* ℈ß. *Misce.*

Tandem pro juvanda concoctione victus rationẽ convenientem ordinavimus, quæ facilimè ex lib. 2. de tuenda sanit. colligitur, unà cùm pulvere peptico calefaciente & flatuum generationem prohibente, qualis in observ. 1. describitur.

Pro 4.

OBSERVATIO VII.
Pica vel Malacia ab acribus & salsis humoribus in ventriculo collectis.

Illustris puella decem annorum, filia Ill. Alberti Ottonis, Com. Solmensis, p. m. habitu corporis gracili prædita, proximaq; cachexiæ, depravatâ appetentiâ frequenter afficitur, ita ut undiq; calcem de parietibus, terramque fornacum corraderet, & hoc modo ventriculum satiare conaretur. Aderat urina cruda, sicut & frequens alvi obstructio, quam ob causam Anno 1615. 25. Junij, medicum consilium Illustrissima mater à me expetebat.

RESOLVTIO.

Picam vel Malaciam seu cittam, quæ nihil aliud est, quam appetentia depravata, non tantum prægnantibus frequenter accidere suo loco demonstrabimus, sed in præsentiâ quoq; necessariò monere cogimur, aliis etiam, puellis videlicet, pueris & viris eandem accidere posse, quod præsens exemplum confirmat in *puella 10. annorum*, quæ à teneris ejusmodi depravatâ appetentiâ laboraverat, fortè quod nativâ quâdam imbecillitate fomitem hanc mali contraxerat, cum impossibile non sit, tale quid fœtui communicari posse, si mater tempore conceptionis ejusmodi morbo, qui Gynecæo frequens est, laboret. *Corporis constitutio gracilis & cachexiæ proxima* erat, quatenus vitium hoc primæ concoctionis consequens sanguificationis opus impediebat, unde totius nutritio depravabatur. *Calcem verò parietum, terramque fornacum*, undique corradebat, quatenus peccantem materiam in plicis tunicarum ventriculi collectam magis exustam, salsam, terreamque continebat, utpote cum depravatus appetitus in morbo confirmato feratur in id, quod cum peccantibus humoribus similitudinem obtinet, quamvis de hoc negotio inter Authores aliqua discrepantia sit, ut patet ex dec. 9. probl. q. 6. *Aderat urina cruda*, quatenus digestio prima justo modo fieri non poterat, unde necessariò sanguificatio jecoris etiam interturbabatur, obortis insimul venarum Meseraicarum, vicinarumque, propter colluviem cruditatis, obstructionibus, quarum ratione frequenter *alvus etiam adstrictior* videbatur.

Quid sit Pica vel Malacia.

Quomodo morbus hic hæreditarius esse posit.

Quomodo in hoc morbo cachexia jungatur.

Vide Gal. in ar. par. Fernel. 6. Pathol Varand. de mor. vent. p.

Indicationes Curativæ.

Hic peccantem materiam in stomacho collectam, quantum fieri potest, minuendam, alterandam, incidendam & evacuandam esse judicavimus. Hâc de causâ primò victus rationem præscripsimus, nimirum ut quantum possibile, custodiatur ab esu minus convenientium prædictorum; utatur autem cibis moderatis, qui non facilè corrumpantur, & vim detergendi simul possideant, ut sunt cremor hordei cum pauxillo aceti conditus, decoctum cicer. rubror. cum radicibus petroselini, panis cydoniorum succo conspersus, cydonia cocta cum sacharo condita, carnes succulentæ cum semine fœniculi, carui, rad. petroselini, mace, croco & similibus præparatæ: frequenter vacuo stomacho sumantur aliquot amygdalarum amararum, utpote quibus attenuandi & infarctos humores evacuandi vis inest: quoad potum cerevisiam probè defœcatam concessi, cui infundatur nodulus ex rad. Helenii, cum pauxillo Mentæ, macis, cinamomi & sem. coriandri. Porro, quoad præparationem collectæ materiæ sequentem syrupum ordinavi, qui

Materia auxiliorum Diæta.

Pharmacia.

℞. *Oxymellis squillitici* ℥jß.
Syr. de Absinthio
de Mentha ana ℥ß.
Aq. Arantiorum ℥j.
M. f. mixtura.

de qua per dies aliquot M. Vq; tribus horis ante cibum cochlearia tria sumantur. Hac digestione præmissâ purgationem sequentem ordinavimus, quæ

℞. *Rad. Storzoneræ* ℥ß.
fol. senæ ʒvj.
Rhabarbari ʒj.
sum. sambuci tempore verno collect. ʒvj.
sem. fœniculi
Cort. citri ana ʒj.
Macis ʒß.
Croci ℈ß.
Passular. minor. ℥j.
f. decoct. inf. q. seri lactis caprini ad 3. coletur. ℔ß.
℞. *colaturæ calefactæ* ℥ij.
Cremoris Tartari ℈j.
syr. de spina cervina ʒvj.
Misce fiat haustus: per triduum repetatur.

Evacuatione præmissâ, pulverem sequentem de limatura chalybis ordinavimus; qui

℞. *Limaturæ chalybis opt. præp.* ʒjß.
spec. diarrh. Abb. ʒj.
flor. sambuc. sicc.
glycyrrhiz. rasæ ana ℈jß.
Magist. tartari Vitriol. ℈ß.
Sach. Cand. alb. ad pondus omnium.
Misce. f. pulvis,

de quo ℈j. cum vino Absinthii vacuo stomacho quotidiè bis sumatur.

Hæc præparationis & curationis ergò, singulis mensibus, post plenilunium reiteranda præscripsimus, cum affectus hic diuturnus per vices etiam remedia sua requirat. Etsi verò spes erat, ætate procedente, potissimumque pubertatis annis appropinquantibus, malum hoc sponte suâ mensibus apertis emendari posse, timendum tamen esse dicebam, cum admonitionibus minus, quàm appetentiæ depravatæ tales ægrotantes obedire soleant, ne propter imminentem cachexiam morbus alius accersatur, quemadmodum ann. 1610. similis ætatis puellam illustrissimam, post ingentes viscerum obstructiones, & cardialgias crudeles, præeunte quoque per annum unum atque alterum ejusmodi depravatâ appetentiâ, præmaturâ morte sublatam fuisse vidimus. Quam gravia verò symptomata soror hujus, occasione datâ in difficili variolarum expulsione, propter eandem causam, passa fuerit, ex observat. 14. de febribus manifestum est. Sed quid fit? anno subsequenti dysenteriâ prehenditur hæc eadem puella, quæ tam gravibus accidentibus ob materiæ malignitatem invadebat, ut subitò viribus succumbentibus spes nulla restitutionis affulgeret.

Cautela in prognostico notanda.

OBSERVATIO VIII.

Cholerica passio cum recidiva lethali.

Vir Nobilis Ioh. Georg. **Holtzapffel zu Betzberg/** *annorum circiter 50. ætatis, podagricis fluxionibus aliàs obnoxius, hoc anno præcedente 1620. sub finem Octobris, cum vitam militarem æstate præcedente vixisset, in vomitiones biliosas & aqueas incidit, unà cum dejectionibus similibus, bilem excretam corrupta, fœtida & nidorulenta materia, non sine dolore & punctione ventris, sequitur, quibus ad plures horas continuatis, animi deliquia superveniunt, sitis urget, exudatio, magnaque virium imbecillitas per vices observatur. Adhibitis convenientibus remediis mediocriter ægrotus sibi restitutus videtur, donec ex usu vini recentis, nondum hoc tempore depurati, sitis extinguendæ gratiâ liberius contra præscriptum assumpti, recidiva gravis & lethalis, omnem remediorum vim eludens, orietur.*

RESOLUTIO.

Cholera, vel cholerica passio nihil aliud est, quàm violentissima biliosorum, acrium, corruptorum humorum, per superiora, & inferiora simul semelq; facta excretio, ubi principaliter ventriculus, quoad retentricem & excretricem p.n. læditur, à bile & aliis contentis ad biliosam naturâ accedentibus. Etsi v. Hippocrati de vict. rat. duplex cholera ponatur, nimirum humida & sicca, non tamen de hac admodù solliciti sunt practici, cum rara sit, & potius ad ipsius stomachi inflationem pertinere videatur.

Quid sit cholera.

Cholera Hipp. duplex. Sicca cholera potius ad inflation. stomachi pertinet.

Quod humidam attinet, pauca quædam pro resolutione præsentis casus addenda sunt. Proponitur a. ægrotans aliàs ab ineunte ætate bilis effusioni & commotioni subjectus, quam ob causam per annos aliquot arthride cholericâ frequenter laborabat. Cum autem æstate præcedente *vitam militarem* viveret, hoc est, causam antecedentem hujus affectionis colligeret, juxta Hipp. in Epidem. scilicet

Natura subjecti laborantis. Causa antecedens.

ſcilicet intemperantiæ ciborum, & vini generoſioris operam dans, *ſub finem Octobris* imminente ſcilicet hyeme, cacochymiâ magis interius ob denegatam eventilationem efferveſcente, nec propter imbecillitatem naturæ ſufficienter peccantibus ſeroſis & acribus humoribus, ad arthritidis generationem, ab internis viſceribus ad partes externas expulſis; in *vomitiones bilioſas & aqueas &c.* quatenus bilis unà cum acri ſero permixta, propter fluxibilitatem ad excretionem prompta, propter acrimoniam verò maximè facultates hîc læſas afficit, ita ut non tantum ſuperius ſed & inferius ejus rejectio ſubſequatur; *bilem excretam corrupta, fœtida, nidorulenta materia ſequitur*, quatenus non tantum bilis excrementitia peccabat, ſed etiam, ob diuturnas cruditates, corruptio contentorum circa primas vias aderat, quæ præcedenti tempore ſenſim collecta, nec dum actu ebulliens, non parum facultates totius corporis labefactabat, unde domum rediens ægrotans per ſeptimanas aliquot de nauſeativa ſatietate, viriumq; debilitate conqueſtus fuit; *cum dolore ventrisque punctione*, tam propter acrimoniam peccantis materiæ, ſenſiles partes vellicante & rodente, quàm quod in tali caſu convulſivi quoque dolores generari ſoleant, dum id quod noxium eſt, natura vi quâdam expellere conatur, de qua convulſione καταχρηστικῶς ſic dicta, in obſervationibus de Colicis & nephriticis doloribus occaſionem dicendi nanciſcemur.

Causa interna.

His continuatis, animi deliquia ſuperveniunt, per conſenſum ipſo corde etiam affecto, quatenus cordis & ventriculi ſumma eſt ſympathia, dum per ejuſmodi vacuationem, & conjunctos cruciatus, cor ſpirituoſâ ſubſtantiâ non parum privatur; *ſitis urget*, incaleſcentibus Ventriculi ſenſibilibus partibus, tum etiam humiditate conveniente reſoluta; *exudatio*, quam Hippocrates paſſim ἐφίδρωσιν vocat, quæque propter caloris nativi diſſipationem accidit, & *magna virium imbecillitas per vices obſervatur*, quatenus inter materiam commotam & calorem nativum pugna per vices agitur.

Prognosis.

Hic in conſilium vocatus, acutum quidem morbum adeſſe dixi, non tamen omnino deſperatum, quatenus antecedens cauſa propter contentorum corruptelam oborta videbatur: periculo verò morbum in hoc ſubjecto non carere colligebam ex eo, quod in corpore aliâs robuſto, ſatis magna virium læſio deprehendebatur, unà cum ſignis cacochymiæ, & multiplicis corruptionis contentorum, in ventriculo non tantum, ſed etiam aliis partibus, idque tempore minus conſueto, nimirum hyemali.

Indicationes Curativæ.

Natura tamen ſuccurrendum eſſe ſtatui per abſterſionem eorum, quæ ventriculum ad exernendum adhuc ſtimulabant, unà cum iis, quæ virtutem ejus confortarent.

Mox ergò, cum nauſea vomitionis adhuc adeſſet, decoctum ordinavi ſequens, quod

℞. *Hordei toſti* Mj ß.
f. decoct. in aq. chalybeata ad 3. Coletur ℔j.
adde ſyr. Cydoniorum.
Acetoſ. citri ana ℥j ß.
Mentha ℥ß.
Miſce, & poſt refrigerationem inſtar Iulapii frequenter uſurpetur.

Poſt abſterſionem hoc modo leniter factam, cum ſua ſponte peccans materia corrupta ſatis evacuata videretur, corroborans electuarium preſcripſimus, frequenter quantitate nucis caſtaneæ ſumendum, quod

℞. *Conſ. Roſar. Antiq.*
Rad. cichorei ana ℥j ß.
Sem. Acetoſæ
citri pulveriſat. ana ʒß.
Corn. C. uſt. prap. ʒj ß.
Carnis cydonior. ℥ß.
Syr. Acetoſit. Citri q. ſ.
f. Elect.

His ad 28. Octob. per triduum ſymptomatibus remittentibus, benè habet, quâ de causâ pro majori virium corroboratione, cum ſitis eundem urgeret, Emulſionem Amygdalarum dulcium cum *conf.* Manus Chriſti perlatâ, ſimul addito cornu C. uſto præp. præſcripſi, ſicut & ſyrupum ſtomachalem, ventris inunctionem corroborantem, & victus rationem convenientem. Dum hoc modo non parum levatus videretur, vino novo ſubacerbo, nondum perfectè defœcato ſe maximè recreari putabat, quam ob cauſam eodem ſitis levandæ causâ præ cæteris potulentis utens, recidivam patitur, primò quidem vomitionibus & dejectionibus ſeroſis iterum ſtimulantibus, ſed cum magnâ virium jactura, quod ſubſequentes, primò loturæ carnium ſimiles, poſt omninò cruentæ excretiones, ob ſummam retentricis facultatis imbecillitatem accidentes, confirmabant, quibus exhauſtus contabeſcens paucos poſt dies naturæ debitum ſolvit.

Recidiva lethalis.

OBSERVATIO IX.

Ruminatio Humana.

Ioh. Burgawer, Greg. Horſtio.

NUnc autem, quando Fabricianæ tam literæ, quam libri Excell. viro deferendi mecum hic parumper hoſpitati ſunt, ἀσυμβόλως eosdem rurſus dimittere, nec vel chartaceo, ſaltem (cum reliqua me dificiant) obſervantiæ meæ μνημοσύνῳ inſtructos, Tuam ad Excell. amandare mihi ducebam religioni. Etſi namq; de facie Præcell: Viro notus non ſim, hoc tamen, opinor non impediet, quo minus etiam in Celeberrimi nominis Tui Cultorum aſſcribi queam catalogum. Ore tenus, Te docentem, Vir Doctiſſime, fateor me non audiviſſe, ideoque hoc ipſo me infeliciorem exiſtere, mihi perſuadeo. Uſus ſum tamen mutâ Tua non minus fideli Inſtitutione, quando plures jam annos Philoſophicos ac Medicos Tuos Tractatus varios, non parvo cum fructu evolvi, & nuper etiam in deſideratiſſimas illas Obſerv. Tuas incidi. Quas quanto cum ardore expectarim, vel illud indicio eſſe poterit, quod ante quadriennium, & amplius, illarum complures ex Diſcipuli cujusdam tui manu ſcripto deſcripſerim. Annus jam eſt, ex quo primùm illas vidi Lutetiæ Pariſiorum publicè venales

Obſervationes Autoris commendantur.

exponi, emique à Regiis Medicis. Exinde Lugdunum revertens repetiturus Patriam, ibidem illas reperi, emi, legi. Nec parum utilitatis ex iis in hoc Praxeos meæ Medicæ, sat laus Deo felicis & frequentis, auspicio me haurire, eò confiteor libentius, quia optime Plinium pronunciasse existimo, quando ingenui gratique dicit animi esse, fateri, per quem profeceris: verum de hoc nihil ajo ulterius; ne, dum, quod veritatis amor, nominisque Tui colendi studium mihi extorquent, liberius proloquor, adulationis alicujus ab Excell. Tua accusari audiar. A quo sane vitio abhorrui totus, etiam à teneris statim unguiculis. Addidi Exemplar Thesium mearum Inauguralium, Basileæ nuper, feliciter, DEI gratia disputatarum. Quas, ut ea frontis, animique serenitate accipias, Præclarissime Vir, quantâ animi devotione à me offeruntur, etiam atq; etiam rogo. Arridebit fortassis materiæ raritas, licet ejusdem tractatio non pro dignitate, sed mei tantùm ingenii tenuitate sit instituta. Mallem de re adeò obscura, & minimè hactenus ab autoribus elaboratâ, audire aliorum celebrium virorum judicium, & in artis tàm usu, quam θεωρία consummatorum, quos inter Excell. Tua velut sol quidam reliquas inter stellas elucescit: quam verò meam hîc prodere infantiam. Verùm memor eram illius, quod Poëta Venusinus canit:

Est aliquid prodire tenus, si non datur ultra.

Quod si inposterum suis in visere literis Claris. Dn. Fabricium Excellentiss. Viro placuerit, commodissimè eas nullo non tempore Tabellario Ulmensi Ordinario, qui unoquoque mense bis ad nos appellit, tradere poterit, & si ita velit, apud me deponere. Dabo mox operam strenuè, ut quamprimùm Bernam transmittantur. Sat scio, Tuas pium senem nullo non tempore mirum in modum exhilaraturas. Sed plura forsan, quam decebat. Quare ne γρῦ quidem amplius, nisi quod Excellentiss. Virum ea, qua par est, reverentia, rogo, dignetur, qua est erga Musas ac earum cultores insigni humanitate, meam in scribendo importunitatem & verbositatem benignè interpretari, meque ignotum quidem de facie, at famæ Tuæ nihilominus studiosissimum, de meliore nota commendatum habere. Raptim è musæo Schaphusiæ Helvetiorum, V. Eid. Decembr. anni Gratiæ. 1626.

Summa

Disputationis Inauguralis, quam in Acad. Basiliensi *ad d. 12. Septemb. 1625.* publicè proposuit.

Iohannes Burgower Schaphusia Helvetius.

Omissis autem iis, quæ de Ruminatione brutorum præmittuntur, sic pergit:

Sed nimis multa de Brutorum Μηρυκισμῷ: æquum omninò est, ut modò ad *Hominum Ruminationem* saltum faciamus; quo loco primùm *duo* sanè ἀξιομνημόνευτα ex *Aquapend.* proponenda sunt *Ruminatorum exempla.*

Primum est de *Nobili quodam Patavo*, qui nullo non tempore, ab assumpto cibo circiter horam plus minûsve cibum in os attrahere, & rursus mandere, ruminareque cogebatur, ita quidem, ut hæc actio minimè de suo arbitrio, nutuque dependerit, sed vel invitus ad ruminandum impulsus fuerit, ab insigni quâdam oblectatione, quâ, ut ipse fatebatur, ruminandi cibum tenebatur, quod de brutis etiam asseverat Philosophus *lib. 9. de hist. anim. cap.* 8. Τὰ δὲ μηρυκάζοντα, inquiens τῶν ζώων χαίρει μηρυκάζοντα: Dicebat præterea, omnem cibum, sive solidum, sive mollem, se semper ruminare, & dum assumebat, deglutire absque ullo ferè dentium officio, quamvis dentes sortitus esset in utraque maxillâ, ut alii homines, & os aliquantò latius ac gulam, propter quam causam literam S. proferre ægrè potuerat. Sibi insuper videbatur quasi bolum quendam intra os continere, quod expeditam illi locutionem impediret, cujus modi ferè boli, sed deglutitionem remorantis, exemplum habet etiam incomparabilis ille Philosophus ac Medicus *Felicissimus, D. Platerus p. m.* Basiliensis olim ἀρχίατρος & Profess. celebratissimus *lib. 2. Observat. tit de dolore Cordis.* Dicto tamen Nobili Ruminatio, motusque maxillæ ad latera, longè mitior obtigerat ac cæteris; habebatque in usu vinum bibendi nigrum ac potens; album verò abhorrebat, præter malvaticum, potuique largiter incumbebat. Cùm ægrotabat, nequaquam ruminabat: sed ab omni Ruminatione tunc temporis cessabat, ut boves quoque faciunt, cùm ægrotant. Quod tanquam signum morbi illorum infallibile tenent Rustici. Post ipsius obitum aperto cadavere, inventus est ventriculus insignis magnitudinis, & internâ superficie valdè asper.

Mirabile est, quod subdit *Fabricius*, Patrem hujus Nobilis paulò supra frontem in capite *Corniculum* durissimum, crassitie digiti manus minimi, longitudine verò, olivæ Hispanicæ, habuisse insculptum & extuberans, substantiæ ungui persimile. Ex quo ille conjecturam facit, Parentis semen aliquam habuisse affinitatem cum Cornigeris animalibus, neque mirum fuisse, genitum filium simile quid à parente contraxisse.

Alterum exemplum de Monacho quodam est, iisdem conditionibus affecto, eodemque modo, quo Nobilis, Ruminationi subjecto. Vixerat autem Monachus hic in famoso illo, opulentoque S. Justinæ Cœnobio, quod Patavii vidimus, in quo se Excellentissimus *Dn. Pravotius,* illum Celeberrimo *Thomâ Minadoo* invisisse, posteaque historiam illius cum *Aquapendente* communicasse testatur, additque Monachi fratrem duorum quoque *Cornuum* vestigia gestasse *in prælect. publ.*

Duobus hisce forsitan non injuriâ *tertium* quoque *exemplum* adjicere possem ex Literis, quas non ita pridem Clarissimus Vir, *Dn. Guiliel. Fabricius Hildanus,* Medico-Chirurgus longè experientissimus, Præceptor ac Fautor meus perpetim colendus, ad me perscripsit: in quibus Civis cujusdam Lausannensis meminit; quem, quòd singularis apud suos autoritatis fuerit, nominare quidem non ausit; viderit tamen illum jugiter laterali ista dentium, mandibulæq; inferioris agitatione Ruminantium, animalium mores manifestè expressisse; cætera robustum fuisse, corporeque præditum εὐκράτῳ καὶ εὐσάρκῳ. linguâ insuper expedita, promptaq; vocum pronunciatione dotatum,

tum, ſeptuageſimum ætatis annum attigiſſe. Verùm cùm de eo non conſtet, utrum cibus in iſta maxillæ motitatione reverſus fuerit in os, ideò rem in medio relinquimus.

Itaque vitium hoc planè belluinum eſt, quod Veterum memoriâ non accidit, aut ſaltèm à nemine literis conſecratum; eſtque Symptoma in exeunte toto genere præter naturam, quod ſequitur læſam actionem facultatis expultricis ipſius ventriculi. Nam præter naturam cibus aſcendit in os, ab irritato protruſus ventriculo, perficiturque nobis invitis: ſiquidem Monachus ille omni conatu indecorum hunc edendi modum compeſcere voluerat; ſed nulla tamen ratione potuerat.

Quoniam verò *Ruminatio* non ſimplex tantùm cibi è ventriculo in os regurgitatio atque revolutio eſt, adeòque localis ejus motus ſive translatio, quâ hîc primùm deglutitus quidem, attamen immanſus, denuò per œſophagum aſcendit, ſed ex inſequenti etiam ejuſdem Maſticatione, ac repetitâ devoratione conſtat, idcircò compoſitum illam eſſe motum; quis non videt? Pro cujus quidem diverſitate *diverſæ quoque afficiuntur Partes*, interquas tamen *præcipua* eſt ipſe *Ventriculus*, utpote cujus ſtimulatâ virtute hæc oritur cibi reductio ad ſuperiora; *minùs principalis locus affectus* dici poteſt etiam *Oeſophagus*, per hunc enim abit reditque cibus; atque ipſæ quoque Oris internæ partes ſubjecti rationem habere poſſunt, quatenus in iis cibi retracti perficitur Maſticatio.

Cæterùm mox hîc diſceptatio de illo Ruminationis motu exſurgit, qua quæritur: *Num Naturalis, an potiùs Animalis ſit dicendus?* Quia verò ut ἰατρικώτατος inculcat *Galenus*, ὄργανα κινήσεως τῆς καθ' ὁρμὴν οἱ μύες εἰσιν, motus (inquam) ſpontanei inſtrumenta muſculi ſunt, 1. *de motu muſcul. cap.* 1. ideo Ruminationis ea quidem pars, quæ in ciborum aſcendentium remanſione conſiſtit, in animalium actionum cenſum referenda videtur, utpote quæ adminiculo & opera fit Muſculorum, Maſticationi inſervientium: At ipſam illam aſſumptorum regreſſionem, quoniam nullorum ope muſculorum perficitur, ut ut celer eſſe atque expedita videatur, è claſſe nihilominùs liberi voluntariique motûs illam ablegantes, coactam eſſe pronunciamus.

Rurſus autem, quia ἁπλῶς κοῦφον ἐστὶν, ὃ ἀεὶ ἄνω, καὶ βαρὺ, ὃ ἀεὶ κάτω πέφυκε φέρεσθαι μὴ κωλυόμενον ut dictat Philoſophus *lib.* 4. *de Cælo cap.* 4. hoc eſt, quoniam ſimpliciter leve id eſſe dicitur, quod ſemper ſurſum, niſi prohibeatur, & grave, quod ſemper deorſum aptum eſt ferri; exinde liquidò apparet, hunc cibi motum non ex prædominio Elementi, aliàs enim, cùm ſuapte naturâ gravis ſit, deorſum perpetuò tenderet, verùm ab alio aliquo externo movente principio oriri, adeoque coactum eſſe.

Extrinſecum autem *Movens* illud aut *Expellendo* tantùm aget, aut tantùm *attrahendo*, aut utroq; modo conjunctim. Solâ quidem Expulſione id fieri ſtatuit D.D. *Prevotius*, Eques autem Venetus *D. ab Aquapend.* etiam Attractione id effici credit, & omninò utraque ſimul ratione *nexu* nempe perfici, veroſimilius eſſe putarim.

Pulſu profectò, ſeu ὤσει fit, quando expulſoria ventriculi facultas alimentorum irritata aſperitate inſurgit, & ab eâ, quam ſibi ſentit inferri, moleſtiâ, quantum in ſe eſt, deonerari liberarique nititur. Hanc enim à triſti aliquo objecto ad illius excretionem incitari ſolere, vult anima Hippocratis *Galenus lib.* 13. *Meth. Med. cap.* 3.

Ἕλξει verò etiam ſeu *Tractu* id adjuvari credibile eſt, non quidem ob aliquam vacui fugam; aliàs enim citiùs multò, faciliusque aëris aliorùmve corporum levitas alliceretur, quam gravitas ac pondus ciborum, ſed potiùs ob peculiaris cujusdam qualitatis familiaritatem atque convenientiam.

Verùm quoniam *Attractio* illa, quæ à qualitatum fit ſimilitudine, vel gratiâ *Nutritionis*, vel cauſâ *oblectationis* primùm peragitur, ex ſententiâ Galeni *in lib.* 3. *de. natural. facult.* non illius quidem, ſed hujus tantùm ratione eam celebrari credidero. Neque enim ullas oris partis indigeſto illo, nec dùm concocto ali nutrimento, ex ſe ſatis patet: quippè cum ne chylo quidem vel illæ vel ipſe reſtauretur ventriculus, primæ concoctionis officina. Omnibus enim corporis noſtri partibus ex ſanguine alimoniam ſuppeditari, cum Præceptore *Galeno* tota aſtruit ſchola medentium.

Fieri verò ob ſingularem, quam in manſione ac Ruminatione perſentiſcunt, voluptatem, illam cibi in os reſultationem, ſatis edocet ipſa rerum Magiſtra experientia. Conſtat enim id cùm ex eorum relatione, quos hoc affectu infeſtari viderunt præcellentiſſimi Viri D. *ab Aquap.* & *D. Prevot.* tum etiam ex eo, quòd ſi animalia (uti nonnunquam uſu venit) ruminatoria facultate, morbo aliquo correpta priventur, vix alia, meliorive ratione priſtinæ ſanitati reſtituantur, quàm ſi ipſis cibi aliqua portio ex alterius alicujus ſani, ruminantiſque animalis ore deſumpta exhibeatur. Hac enim deguſtatâ, mox, ceu Panaceâ quadam curata, vires reſumunt, & ad conſuetum Ruminationis officium revertuntur, amicâ ſcilicet pabuli qualitate ad hoc mirificè illecta.

Definiri itaque poteſt *Ruminatio* per Regreſſum involuntarium cibi, à ventriculo non elaborati, in os, cum maſticandi voluptate. Ubi quidem immediata ac proxima iſtius cibi exitus cauſa eſt leve illud irritamentum expultricis ventriculi; ipſius verò Maſticationis, inſigne Oblectamentum oris partium.

Ad *Mediatas* quod attinet *cauſas*, oblectationem quidem illam à grata cibi evaporatione provenire dixerim. Cùm enim cibus vix ullam adhuc mutationem ſubiverit, priſtinamque ſuam naturam nondùm depoſuerit, gratos illos eduliorum ſapores etiam nunc redolet, iisque palatum ſuaviſſimè demulcet. Secus ſe res habet in Vomitu, Cholera, Ructu, in quibus materia vel flatulenta, vel humida quoque per ſuperiora erumpit, ſed jam alterata atque corrupta.

Excretoriæ verò ventriculi virtutis irritationem à cibi nondum comminuti aſperitate utplurimùm promanare arbitra-

arbitramur, cum *Dn. D.* Prevot. Nullis enim sordida hæc comedendi ratio accidit, quàm qui abusu quodam cibum ferè immansum, absque masticatione devorant veriùs, quàm deglutiunt. Unde facilimum est improportionato hoc objecto interioris ventriculi tunicæ lævitatem juxtà, atque sensibilitatem, oblædere, atque ad sui expulsionem proritare.

Quoniam verò *non solida tantùm, sed & liquida quosdam ac mollia ruminâsse*, superiùs recitata demonstrant exempla, ideò non malè hîc etiam agnoscendum esse videtur quoddam naturæ imperium, agentis boni alicujus gratia, dum turpissimam illam cibi non masticati ingluviem Ruminatione compensans, ut in brutis, meliori, quoad licet, corporis nutricationi studet.

Non enim tunc solum vires suas facultates exserit expulsiva, quando à re aliquâ per se noxiâ irritatur, sed & ad præsentiam utilis alicujus objecti, verùm improportionati. Sic namque sensitivo in appetitu, ex Motoriæ facultatis imperio, spiritus animales è cerebro feruntur, ac diffunduntur pernervos, sensus motusque organa, non quòd cerebro molesti sint, sed quia hoc expedit, & ex usu est ipsius animantis. Simili ratione vitales quoque spiritus, pulsatili cordis motu, ex ipso per arterias undique disseminantur, non quasi cordi sint adversi, sed ob usum quem toti præstant. Eodem pacto tùm Chylus è ventriculo, tùm è jecore sanguis aliò expelluntur.

Nullatenus tamen hîc omittenda est ipsa ἰδιοσυγκρασία seu *individualis quædam proprietas*, qualem in Monacho illo deprehendit *Dn. Prevotius*, qui sibi nolenti volenti cibum mox in ventriculum violenter rapi, ut in vehementi aliquando fame fit, confessus est, antequam dentibus illum conterere valeret.

Hanc adjuvant postea, & constituunt tùm occultæ quæpiam qualitates, tùm multorum quoq; accidentium concursus. Huc enim conspirat & ingens aliquis totius corporis calor, alimentum omne depascens, & inde scaturiens maxima nutritionis necessitas, & peculiaris etiam Oesophagi atque ventriculi caliditas, qua cibi devorationem accelerant, eamque illius comminutioni anteponunt.

Nunc enodanda veniunt jucunda quædam ἐπιζητήματα, quorum discussionem tribus tantum verbis expediemus. *Primum* est, *Eccur non omnes homines Ruminent?* Quem nodum ita resolvit Clariss. *Prevotius*. Quod non omnes homines pari voracitate alimenta ingurgitent: quinimò ne illi quidem omnes Ruminant, qui avidiùs more solito cibum non benè masticatum devorant; sed ii solum, quibus ex individuali quadam proprietate accidit, ut ipsorum perfici nutritio nequeat, nisi cibus denuò regeratur in os, & de integro dentibus conquassetur. *Secundum, qui fiat quòd non etiam cibus jam concoctus in os ascendat?* Ad quod respondemus, cibum alteratum atque in chylum commutatum non; redire in os, quia nullâ amplius asperdine ventriculum offendere potest, neque etiam, cùm jam coctus sit, ulteriore aut repetitâ illâ in ore præparatione indiget, ubi nullam quoque oblectationem, mutato priore sapore, ampliùs parere posset. *Tertium, Quid causæ sit, quòd dùm morbo aliquo, quæ Ruminant, afficiuntur, ampliùs Ruminare non possint, donec consuetæ sanitati restituantur?* Hujus rei hæc videtur ratio, tùm quod in statu morboso naturalis calor languescat, nec tantùm ipsi robur suppetat, ut ciborum expulsioni sufficere possit; tùm etiam quod ægritudinis tempore appetitus & ipse plerumque prostratus sit. Potest huc etiam facere læsio aliqua fibrarum ipsius Oesophagi & ventriculi.

Differentiæ Humanæ Ruminationis circa τὸ ἧττον καὶ μᾶλλον secundum magis & minus consistunt: visumque est ferino hoc affectu nonnullos mox in adolescentia, alios in consistente demùm ætate primùm prehensos esse. *D. Prevot.*

Signorum duplex hoc loco genus sese offert, *alterum* quidem *Diagnosticorum*, *alterum* verò *Prognosticorum*. *Illa* quidem jubare meridiano lucidiora hic conspiciuntur: præterquam enim quod ex ipsius ægrotantis narratione hoc haberi potest, in oculos insuper atque intuitum omnium incurrit affectus, inordinato illo maxillæ inferioris motu, & continua ab uno ad alterum latus concussione cognosendus. Nec sentiunt solum ægri, cibum è ventriculo rejici in os, sed illum primò sine masticatione absorptum, tùm demùm mandunt atque attenuant, iterumque postea abliguriunt. Præterea hac ipsâ ciborum ruminatione maximoperè delectantur: nec tamen illam ullatenus præpedire possunt, sed vel inviti ruminare tenentur.

Hæc autem nempè *Prognostica*, ex allatis ab *Aquapend.* historiis colliguntur; ex quibus palàm fit, vitæ ipsius cursui tandem insidiari hunc affectum, eosque, qui Ruminarunt, Βραχυβίους καὶ ταχυθανάτους, vitæ inquam brevioris fuisse: id quod ob impeditam imminutamque partium corporis nutritionem evenisse verosimile est. Præ nimiâ enim aviditate, quâ cibum regerunt in os, ipsum interea ventriculum, & ex consequenti jecur etiam suâ depauperant alimonia. Hinc *Monachus* ille marcore tandem consumptus obiit. Insuper etiam quia non universum è stomacho cibum refundunt, id, quod in eo relinquitur crassum atque inconfectum, reliquam postea concoctionem subvertit atque depravat. Undè rursus sufficiens totum in corpus alimentum erogari atque dispergi nequit. Hactenus quidem à malo præsenti liberatus curatusque qui fuerit, occurrit nemo, credibile tamen est, si priùs id oppugnemus, quàm altas in corpore defigat radices, ex iteratisque sæpius actionibus quadantenus naturę familiare fiat, aliquantum emendari, forsan etiam eradicari posse.

Quoniam verò ex summi in Medicinâ Herois *Galeni*, omniumque Medicorum sententia, Legitima omnis *Curatio* per *Indicationes* procedit; quæ quidem *definiuntur* συμπροσπίπτουσα κατάληψις τοῦ ὠφελοῦντος ἅμα τῇ τοῦ βλάπτοντος καταλήψει ἄνευ τηρήσεως ἢ ἀναλογισμοῦ, id est, Comprehensio juvantis cum comprehensione nocentis, cum re indicante simùl adveniens, citra observationem

aut

aut analogiſmum *lib. 3. Meth. M. cap. 1. Indicationes* autem *à tribus* decerpi ſolent, *à Morbo* quidem *Curatoriæ*, *à causâ morbificâ præſervatoriæ*, *à viribus conſervatoriæ*; ideò nobis hoc etiam loco Scopi quidam curativi erunt conſtituendi, ſecundum quos collimare liceat.

Hi verò ex conſilio Celeberr. *D. Prevotii*, *duo* ſunt præcipui, quorum, *alter* in ablatione cauſæ conſiſtit, ob quam Excretrix ventriculi facultas inſurgit ad cibi ex ſuâ cavitate eructationem; *alter* verò ſuavem illam ejusdem qualitatem, indeque ortum in Maſticatione oblectamen reſpicit, hujusque converſionem in contrarium molitum. Satis his fieri poterit ordinariis Medicinæ Præſidiis, *ex triplici illo fonte* delibandis, *Diætâ*, *Pharmaciâ*, *Chirurgiâ*.

Chirurgica tamen auxilia hîc non multùm requiri videntur, cùm neque *Venæſectio*, neque hujus vicariæ *Cucurbitulæ*, neque *Ligaturæ* aut *Frictiones*, vel id genus alia affectus hujus cauſam propriè reſpiciant, niſi fortaſſis hæc foveatur à plethoricâ quadam corporis conſtitutione. Quod tamen vix fieri crediderim, cùm Ruminatores ob intempeſtivam illam ciborum devorationem non admodùm benè nutriantur.

In *Diætâ* præcipuus Θεραπείας cardo vertitur; quæ & ipſa in recto Rerum VI. non naturalium Regimine conſiſtit; ubi potiſſimum *alimenta* conſideranda veniunt, & in his, tum vera illorum *præparatio*, tum *requiſita qualitas*. Itaque ante omnia lapis omnis movebitur, ut Cibus non niſi benè manſus deglutiatur: ubi & patiens continuò ad id à Medico & aſſidentibus inſtigabitur, & ille turpitudinis hujus vitio confuſus ſeipſum coget, quantum poterit. Quod ſi verò, ut Monacho illi accidit, omninò ἀδύνατον tamdiù cibum in ore retinere, donec incidatur, molaturque; ideò offerri debebunt liquida tantùm alimenta, neglectis ſolidis. Sin autem & hæc ruminent, ficuti fecit Nobilis ille Patavinus, tunc ulterius procedendum eſt, laborandumque, ut cibi aſſumantur ægrorum palato maximè ingrati, & quibus minimè tantâ poſſint ſuavitate oblini. Quibus itaque dulcia magis arrident, illis porrigantur, quæ amarore aliquo, aut aliâ minùs amicâ qualitate ori diſpliceant. Talia erunt acida omnia, auſtera item atque acerba; quo ſapore & juſcula ipſorum, & reliqui cibi condiantur. Hoc namque modo non diu morari poterunt in ore cibi, cum nullâ ex iis voluptate perfundi ſe ſentiant Ruminantes.

Itaque non ſine fructu ſperarem, adhibitum iri vinum aliquod abſynthites, cujus uſus alias ſat frequens in pleriſque Germaniæ oris exiſtit. Hoc enim, & liquidate ſua ſimul, & amaritudine Μηρυκισμὸν impediet. Quid ſi & ante ciborum aſſumptionem Linguæ Guſtus contrariâ aliquâ qualitate, V.G. aut ex aloë, colocynthide, aut ſimili quapiam re amariuſculâ inficiatur, undè poſtmodum dulcedinem Ciborum guſtare nequeat? Ex oleribus etiam pro pauperibus commodum in uſum ciborum Rapæ venient ſubamaræ. Si piſcibus delectentur, coquantur ipſis, ſed non exempta fellis veſiculâ, ut indè & illi amareſcant. Interea, quantum in ipſis eſt, avertant Ruminatores oculos à conſpectu animalium Ruminantium, ne horum occaſione ipſi quoque ad Ruminandum proritentur. Nónne etenim oſcitante uno, & alterum oſcitare vulgo notum eſt? Moderari etiam κακοδύναμιν Rationis Imperio tentent Gulæ πολυφαγίαν, atque impudentem illam integri cibi abſumptionem intentis eos oculis aſpicientes, qui naturali modo comedunt.

Tandem, ſi illud ventriculi Expultricis irritamentum foveri ſuſpicio eſſet ab Intemperie aliquâ frigidiore humidioreque, vel ipſius ventriculi, vel tenui, continuaque in eum deſtillatione aliis ex partibus, veluti in *Ptyaliſmo* ſeu *Salivatione* contingit, quæ ut obiter hoc dicam, aſſidua quædam eſt atque intempeſtiva humiditatis tenuis, atque inſipidæ, excretio per os, citra vomitum & tuſſim, (*D. Prævot. in definit. Med.*) multum familiaris Muſarum alumnis, aulicis autem moleſtiſſima; idcircò ex *Pharmaceuticis* ea quoque præſcriberem remedia, quorum beneficio tùm ſuperfluam ventriculi humiditatem evacuarem, tùm reliquias moderatè calefacientium atque exſiccantium uſu conſumendo, ventriculū corroborarem.

Proderit ergò hîc ſæpè repetitus *Pillularum ex Aloë* uſus; quales ſunt illæ per totam ferè Italiam laudatæ *Pillulæ ab Aquapendente*, quæ ex aloë Roſarum ſucco aliquoties impregnata preparantur: nec minus illę etiam ob excellentiam *Angelicæ* dictæ, quæ Francofurti ex præſcripto D. Hartman, Beyeri Med. & Cos. diſpenſantur: ut & Nobile illud *D. Mindereri Aloëdarium Marocoſtinum* proprio libello deſcriptum: quin etiam *Pillulæ de Gummis Riverii*, Regii olim in Galliâ Practici, quæ ℞. Gumm. ammon. bdell. elect. ana ℥j. Diſſolutis in aceto ſcyllitico, & per pannum trajectis adde Maſtic. benzoin, Myrrh. ana. ʒiij. Aloës non lot. ℥ß. croci ʒijß. ſalis abſinth. ʒjß. cum ſyr. de abſinth. F. maſſa. *Pill.* quoque de hierâ ſimplici; vel de hierâ cum agarico, nec non ſtomach. dictę, & Maſtic. ac ſimiles aliæ exhiberi poterunt, quarum δόσις plerumq; ad ʒj. excurrit. A magnis tamen antidotis, & fortiter nimium exiccantibus, calefacientibusque, veluti ſunt *Theriaca Andromachi vetus*, *Mithridatium*, *eſus carnis viperinæ*, *decoctum Guajaci*, *aquæ theriacales*, *Potus vini Cretici*, *Muſcatellini*, *&c.* abſtinerem. Pauperibus dari poſſet *Pulvis ex Myrrha*, *&* *maſtich.* in vino ad ℈ij. qui amaritie ſua quoque juvabit. Conferet etiam *aromat. roſ.* *&* *trochiſci de abſint.* aliaq; id genus.

Inter *Externa* ac *Topica* præſidia, *Fotus* fieri poſſent ex herbarum ſtomachicarum decocto, quales ſunt *abſinth. Mentha fœnic. roſmar. ſalv. laur. baccæ junip. ſem. aniſ. carui, cumin. &c.* applicabuntur etiam *Cerata* atque Emplaſtra ex Maſtiche, Stomachale Galeni. Ut verò amara illis præcipuè auxiliares porrigunt manus, qui aſſumptorum dulcedine libenter ineſcantur, ita viciſſim illis, qui eadem odio quodam vatiniano inſectantur, dare conveniet *Syrup.* de Ment. de abſinth. *Conſerv.* flor. beton. anthos, fol. abſinth. *Condituram* cort. Citri, nuc. virid. & ejusmodi alia. Atque hæc ſunt, quæ non pro rei dignitate, ſed brevitate tantùm temporis, & ingenii tenuitate ὡς τύπῳ delineare magis, quàm penicillo exprimere licuit.

Ad

Ad Clariss. Virum,
D. JOHANN. BURGOWERUM Med. D. & in Republ. Schaphusana Practicum.

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. Grata mihi fuit per literas facta compellatio tua, Vir clarissime, fautor & amice colende: gratior singularis amoris erga me tui affectus, quo lucubrationes nostras in gratiam tyronum, & potissimum auditorum olim meorum, publici juris factas, tibi non displicere demonstras: longe verò gratissima fuit inauguralis illa συζήτησις de rara, & hactenus inaudita, *Ruminatione humana*, pro quo munere gratias ago maximas. Quemadmodum vero singularis ἀκρίβεια tua perplacet, quam in causis eruendis, quo ad Brutorum Ruminationem, adhibes, ita miror sollicitudinem nimiam in humanæ Ruminationis thesibus, ubi posito, quod quibusdam hominibus ex singulari ἰδιοσυγκρασίᾳ Ruminatio convenire queat, frustrà sane tàm Indicationes curativæ, quàm earundem Indicata seu remedia quæruntur. Patet exemplum in iis, qui vino per naturam abstinent, abstemiis dictis, ut & aliis, qui singulari ἀντιπαθείᾳ, caseum, feles &c. perferre nequeunt. Hi sane respectu aliorum hominum aliquid præter naturam pati videntur, at sui ratione, singularis adest, individualisq; proprietas, cujus correctionem medicus frustrà tentabit, quatenus ipsis quasi naturalis potius, adeoque sui conservationem, quam ablationem indicabit &c. Sed ignosce παῤῥησίᾳ Philosophicâ liberius scribenti. Benè vale, meque amare perge, præsentesque literas Venerando Seni nostro remitte. Vale iterum, cum auspicio novi anni, quem DEUS nobis optatum, pacatumque esse velit. Ocyus Ulmæ prid. Kalend. Jan. 1627.

Vir Clariss.
DN. JOHANN. BURGOWER, Med. D.
GREGORIO HORSTIO, D.
Τὰ πρὸς εὐζωΐαν ἅπαντα.

E â frontis serenitate nuperas meas ab Excellentia Tua, Vir Celeberrime, Domine Observandissime, acceptas esse, qualem mihi Vix unquam ausus fuissem polliceri, id vero est, quod me incredibili sanè gaudio perfudit. Quando autem Clarissima quoque manu Tua me licet ignotum, tam humaniter salutari, honorarique video, tùm demùm animitùs lætor, mihique de tanto Patrono, cujus Nominis gloriam meritò omnes venerantur, qui virtutem amant, cœlitùs quasi delapso, mirifice gratulor, submissè rogans & orans, dignetur Excellentia Tua, quo me semel amplexari cœpit, & quo bonos omnes prosequitur, favore, amoreq; porrò quoque amplecti. Utinam verò interea qualiscunque mihi obtingeret occasio, qua meam Excellentiss. Viro inserviendi propensionem reapse magis, quàm verbis testatam facere possem: Sane non concederem, ut hac in re ulli uspiam forem secundus; ideoq; rem mihi gratissimam faciet Excell. Tua, si quali opella mea, ubicunque & quandocunque placebit, utatur, non secus ac sua. Quod tam candidè pariter, atque acutè, theses meas examinare libuit Clarissimo Viro, earumque transmissionem æqui bonique consulere, est, quod gratias agam immortales. Rudem illarum tenuitatem, & publicè in thesibus ipsis, & in meis etiam non ita pridem ad Excellent. Tuam datis καθ' δύναμιν excusavi; Curiosior autem fui in humanæ Ruminationis tractatione, præsertim quantum ad curationem attinet, quia de dicto affectu, aliorum more morborum, Disquisitionem aliquam instituere volebam, qua non tantùm ejus natura, dignotio & causæ, sed & curatio, aliqualis saltem, aut mitigatio, innotesceret. Ad quem conatum tantò facilius fui impulsus, quoniam hanc materiam pro publico Gradus suscipiendi specimine delegeram, ubi Scholæ Proceribus ea themata quam maximè arrident, quæ methodicam affectus alicujus Tractationem proponunt. Potui ego in hocce obscuro casu tanto magis ingeniolum meum exercere, quandoquidem nullibi ferè affectus istius absolutam enarrationem offendere potui. Medelam nihilominus etiam adjeci, vestigiis hac ratione insistens Præceptoris mei, *Clariss. Dn. D. Pravotii*, Patavini Professor. à quo primum Ruminationis curationem, sed quam brevissimè perstrictam, audivi. Neque tamen impossibilis prorsus videtur illius affectus curatio, eò quod ipsa illa Exempla ab Excellentia Tua in contrarium adducta, de abstemiis, de casei osoribus & similibus, aliquando correctionem admittant. Novi equidem, qui à teneris statim unguiculis caseum, novi, qui vinum pejus angue & cane odissent; adultiores tamen postea facti, utriusque esu ac usu gaudebant, paulatim sese ad id assuefacientes. Idem etiam in Ruminatoribus fieri posset, quorum affectus adhuc meliori jure morborum in classem referri potest, quam vini, caseique abstinentia, quippe, quâ nullæ actiones læduntur, quæ tamen in Ruminatione depravantur. Sed & cur doctissimæ Tuæ censuræ obstrepo? Rarissimus Ruminantium affectus, ideoque vix sub artem cadit, cum rara artis non sint, juxta commune πολυθρύλλητον. Solent tamen casus ejusmodi extraordinarii ingenia nonnunquam & exercere, & oblectare. Verum nihil addo. Nunc DEUM OPT. MAX. veneror, velit Excellentiss. Virum non vestræ duntaxat Reipubl. sed communi ac publico bono salvum sospitemque diutissime servare &c. Raptim Scaphusiæ XII. Cal. Febr. Anno salutis 1627.

Viro Clariss.
JOHANNI BURGOWER,
Med. Doct. & Physico Schaphusano.

S. Data hac occasione meis te salutare debui, Vir Clariss. Excellentiss. fautor & amice pl. colende, quò simul certior fieres, me cum familia, DEI gratia, ex voto adhuc valere: DEUS Ἀρχιάτρος inposterum etiam clementer ex omni parte nobis prospiciat. Summam Disputationis tuæ de Ruminatione humana lib. 2. Epist. Med. qui jam sub prælo est, unà cum Epistolicis nostris velitationibus addidissem, nisi propediem de auctiori editione Problematum θεραπευτικῶν solicitus essem, cui lib. 3. Epist. Medic.

Medic. annectam, eique materiam hanc, cum aliis similibus rarioribus, reservabo. Notabilis enim casus similis, quem 18. Junii 1630. Reverendus & doctiss. Dn. Cunradus Mutzschler/ Pastor Everdignensis, superioris Austriæ, mihi verbis sequentibus retulit. Johannes Mayer, (inquit) ex pago Saulgart, inclyti Marckthalensis ad Danubium Cœnobii sartor, homo macilentus, communis staturæ, obscuræ ac lividæ faciei, perfectè loquens, nec ullum reliquis hominibus non consuetum affectum vel defectum perpetiens, ab incunabilis lac maternum & pulmentum regurgitare, aliquando evomere, sæpius denuò deglutire visus est. Is puer factus hunc affectum non multum sentiebat, quia minus curabat: sed dum in arte sua vestes consuendi, solitarius deinceps sederet, iterum cum quodam naturæ oblectamento ruminare cœpit, ita tamen, ut in libera sua potestate esset, quòd tunc præcipuè factitabat, quando lautius convivebat, avidiusque commessabatur, unde sæpius, & per jocum, & seriò, à compotatoribus suis ad duplex in symposiis persolvendum symbolum, fuit objurgatus, eò quod in dupla etiam fermè quantitate, in brevissimo temporis spatio, cibum non probè masticatum voraret, potumque hauriret, ac deinde primum domi suæ, assumpta reassumendo, & denuò masticando, lautè viveret. Hoc in senili sua ætate in quotidianis habuit delitiis, quoad quinquagenarius tres ante annos peste obiit. In vivis tamen habet adhuc ejusdem nominis, opificii, & affectus filium, qui modò Ensishemii, si rectè memini, in Alsatia uxoratus degit, ac mercaturam simul exercet.

Casus alius ruminationis.

Reliquæ proles, (hoc filio excepto) nihil nuquam simile perpessæ fuerunt. Hactenus ille, quam historiam hac vice cum suis circumstantiis communicare placuit. Cæterum de Venerando nostro Sene Dn. Fabrico nihil hactenus literarum vidi, quam ob causam solicitus sum, num etiam fasciculum librarium transmissum acceperit. Per occasionem, quæso, eundem meo nomine saluta, meque, quod facis, amare perge. B. V. Dabam ocyus Ulmæ 17. Febr. 1631.

Tuus

Gregor. Horstius.

OBSERVATIO X.

Colicus dolor ab acribus & biliosis humoribus.

VIR juvenis annorum 34. Illustris L. B. à Starnberg Ephorus N. N. calida ficcæ constitutionis, anno 1617. circa solstitium Æstivum vehementissimos ventris dolores patitur, fixos ferè circa coli regionem, cum vigiliis, corporis æstu, siti, nausea, bilisque vomitu.

RESOLVTIO.

AB affectâ parte *Colicus dolor* vocatur, cum in intestino colo tanquam capaciori, multisque anfractibus prædito. causa materialis hujus affectus promptè colligatur. Etsi verò frequenter à lentis, pituitosis & flatulentis humoribus malum hoc oriatur; interdum tamen calidis etiam & acribus contentis originem suam debet, quale nobis hîc concurrebat exemplum, in *ægroto consistentis ætatis*, qui respectu *nativæ constitutionis* ad acrium & biliosorum humorum collectionem promptus erat, quorum copia suam ebullitionem in cavitatibus, & plicis intestini grandioris, *æstivo tempore*, nimirum in ipso solstitio, caloris ambientis externi adjumento, patiebatur. Hinc *vehementissimos ventris dolores*, maximè interius, puncturæ specie gravantes; *fixos ferè*, quatenus alii dolores à flatibus utplurimum producti, non admodum in uno loco morantur; *circa coli regionem* sentiebat, in quo malum hoc ab aliis ventris doloribus distinguitur; *cum vigiliis*, tàm quod sensationis actus ob dolores continuatos admodum, quàm etiam, quod biliosæ exhalationes alias etiam somnum impedire soleant; *corporis æstu, siti & similibus*, quatenus effervescens acris & biliosus humor non tantum partem affectam lancinat & mordet, sed etiam ebullitione suâ calorem in toto, frigidi verò ac humidi defectum in ventriculo producit; *unà cum nausea, bilisque vomitu*, non quasi bilis à parte affecta, nimirum ab intestino colo transferatur ad ventriculum quod facilè fieri non potest, utpote cum proximior via ad inferiora sit, & valvula ejus initio apposita difficulter hoc admittat, sed quatenus undique, & per consequens etiam in vesicula fellea, & duodeno intestino, bilis effera redditur, à qua ventriculo promtissimè communicatur.

Unde dicatur colicus dolor.

Causa doloris colici.

Causæ symptomatum enumeratorum.

Quomodo vomitio bilis fiat in colico dolore.

Cum autem malum hoc ab usu acrium, & calidorum exacerbatum esset, (frustra enim ægrotus usu vini calidioris, cinamo. garyophillis, zingibere, saccharòque conditi mox in principio sibi succurrere conatus erat) ideo per contraria naturæ suppetias ferendas esse statuebam, quam ob causam juxta sequentes canones procedendum.

I. Materia peccans in ipsis intestinis contenta sui evacuationem requirebat. 2. biliosus humor circa primas vias abundans per vices tollendus, 3. intemperies corrigenda, 4. viresque roborandæ veniebant.

Indicationes Curativæ. Materiæ auxiliorum.

Quoad primum, Enema statim ordinavimus, cujus usu non tantum alvus laxaretur, sed unà ad expulsionem acres & biliosi humores etiam disponerentur, quod ℞. *Glycyrrhizæ rasæ* ℥vj. *Altheæ* ℥j. *Herb. lactucæ, spinachiæ, Betæ recentium ana* Mjß. *Fl. chamameli, Sum. Meliloti ana* Mß. *Sem. lini* ʒiij. *Anisi* ʒj. *f. decoct. inf. q. aq. pluvialis vel fluvialis ad 3. colentur* ℥x. *adde Cassiæ pro clysteribus* ℥j. *ol. Rosar.* ℥ij. *Chamamelini* ℥j. *Vitell. ovorum numer.* j. *Salis* ʒj. *M. f. Enema.*

Pro 1.

Hoc per biduum repetito, non parum exacerbatio doloris remittebat, quam ob causam, *pro secunda intentione*, biliosos & acres humores undique circa primas vias cumulatos, per vices ulterius evacuare conabamur, usu infusionis sequentis in sero lactis caprini, quæ

Pro 2.

℞. *Passular. Minor.* ℥j.
Fol. senæ ℥vj.
Rhabarbari ʒjß.
Cort. rad. frangulæ ʒj.
Sem. anisi,
Fœniculi ana ʒß.
Macis ℈j.

Spicæ Indicæ ℈ß.

f. infusio in sero lactis caprini ℥viiij. Manè leviter ebulliat, & coletur cum expressione, de qua colatura sumantur ℥iij. syr. ros. solut. cum Rhabarb. ℥ß. ʒij. Misce fiat haustus, qui diebus alternis quatuor vicibus repetatur.

Pro 3. & 4. Cæterùm cùm etiam intemperies calidior corrigenda, viresque roborandæ venirent, *pro tertio & quarto* non tantum alterantia suasimus, sed & convenientem victum imperavimus: inter alterantia erant Morsuli de succo, & corticibus citri confecti, sicut etiam syrupus, qui

℞. *Syr. acetos. citri ℥j.*
Granat. acidor. ℥jß.
de Mentha ℥ß.
Aq. Arantiorum parum promistura convenienti.

Quoad victum, cremorem hordei propter abstersionem, & acrimoniæ peccantis materiæ correctionem, frequenter assumendam commendavimus, sicut etiam olera, quæ ex fol. cichorei, spinachiæ, betæ, cherefolio & similibus; cum passulis minoribus coquantur; vitellos itidem ovorum, pedes vitulinos, arietinos, cum carne juniorum animalium, in forma gelatinæ non admodum acidæ, præparatos; pisces saxatiles cum butyro & aqua coctos, volucres montanas &c. Potus sit decoctum hordei cum passulis minoribus, pauxillo cinam. & sem. fœniculi conditum, quod interdum cum emulsione Amygdal. dulcium permutetur. His brevi dolor hic ingens remisit, lassitudine totius in habitu corporis relictâ, cujus gratiâ tandem semel atq; iterum sudorem imperavimus, assumto Rob. Sambuci ʒiij. cum ℥iij. aq. Veronica ℥ß. spiritus Ebuli admixta.

APPENDIX.

Nota, quod sæpius vehementia doloris prædictam procedendi Methodum invertat, quod hisce dieb. cum hæc ad prælum reviderem, in illustri persona mihi accidit, ubi vocatus propter immensos cruciatus statim ad usum Laudani opiati progressus sum, illius octo granis exhibitis, ad cujus usum somnus, & consequenter doloris etiam levamen exoptatum subsequebatur. Fuit autem Laudanum opiatum nobis cum magisteriis dictum, diversum ab eo, quod aliàs absq; adjectione sic dicimus, quo superiorib. annis tribus tantum vel quatuor granis usi sumus. Utriusque descriptionem cum aliis vide sub finem libri quarti.

OBSERVATIO XI.

Colica gravissima.

Vir Clariss. & Experientiss.

DN. D. CORNELIUS THAURER, Medicus Hirschfeldensis Ordinarius,

GREGORIO HORSTIO, D.

Tam ex conventione nostrâ, quam etiam ad petitionem Nobilissimi & strenui Dn. *Christophori Dieden à Fürstenstein*, intermittere nolui, Vir Clarissime & Excellentissime, fautor & amice plurimum colende, quin te certiorem facerem, quod ad præscripta media, juxta consilium à te relictum, usurpata, Nobilissimus patiens, quoad colicos dolores, hactenus eundem circa regionem umbilici graviter afficientes, DEI gratiâ nihil amplius conqueratur. Supervenit autem Nobilitati ipsius anxietas admodum difficilis, incipientis instar lipothymiæ gravissimæ, potissimùm tempore noctis, cujus ratione singulis horis somnus interrumpitur: tandem, ructibus quibusdam emissis, utplurimũ symptoma prædictum remittit: quanquam sæpius etiam aliquandiu malum perduret, donec è lecto surgat, & hinc inde conductus ab aliis, obambulet.

Ubi de die paroxysmus ejusmodi præ foribus est, nausea quasi præcedit, cum indignatione quâdam Melancholicâ, ciborum appetitus adhuc dejectus est, alvus quotidiano stimulo eget, quâ de causâ, non tantum vinum laxativum continuavimus, sed etiam Manna, Rhabarbaro, & ordinatis pillulis, partitis vicibus aliquoties biliosam spumantem materiam evacuavimus, ad quorum usum paroxysmus levior apparuit.

Cum etiam Nobil. ipsius in ipso musculoso habitu dolores gravativos admodum percipiat, quibus procul dubio fumosæ exhalationes à centro ad circumferentiam communicatæ suam originem præbent, potionem sudoriferam ex Rad. Chinæ, sarsaparillæ, cum pauxillo ligni sancti præparatam, exhibere volui, cujus initium heri factum, tam ad sudorem promovendum, quàm ad serositates, & fumosas exhalationes discutiendas, quod te scire voluit Nobiliss. patiens, maximopere petens, ut ulteriori consilio tuo nobis non deesse velis, quod tabellario hoc, ea propter ablegato, cum desiderio expectamus. Hisce Clariss. Dn. D. DEO optimo maximo cum totâ familiâ commendo. Dabam in Immichein, Inferioris Hassiæ, 30. Sept. anno 1621.

GREGORII HORSTII, D.

RESPONSIO

Ad

Clariss. & Experientiss. Virum Dn.

D. CORNELIUM THAUREUM, Med. Ordinar. Hirschfeldensem.

Salutem & Officia. Vir Clariss. & Excellentiss. fautor & amice plurimum colende: libenter ex tuis intellexi, quod dolorificus affectus Colicus in patiente nostro Nobilissimo remiserit, remanente tamen, vel potius succedente symptomate novo, nimirum anxietate, subitò eundem graviter affligente, quam ego nihil aliud esse judico, quam Hypochondriacum affectum incipientem, ex materiâ circa venas mesentericas & splenicas residuâ, plurimum tunc temporis, ubi per somnum ad interiora calor revocatur, exacerbatâ, quod modus solutionis per ructus emissos, vel corporis commotione, fuliginibus dissipans, evidenter innuit; Rectè igitur eò respicis, quò convenientes evacuationes continuentur, subsequentibus etiam sudoriferis appropriatis, cum aliàs periculum, ne sputia

ne spuria paralysis hunc morbum excipiat: Inprimis verò digestionem ex infusione Limaturæ chalybis cum sulph. præparatæ, addito cremore Tartari, commodè fieri posse statuerem, subsequenti semel atque iterum evacuatione, per magisterium Tartari vitriolati, provocata. DEUS Archiater omnia dirigat in hoc gravissimo morbo pro Clementi sua voluntate. Benè vale, & Nobiliss. Dn. patientem officiosè saluta. Giessæ Cattorum, 8. Octob. anno 1621.

SEQUITUR CONSILIUM pro Eodem Nobiliss. Dn. patiente conscriptum,

à

Gregor. Horstio, D.

QUod attinet morbum, quo Nobiliss. ac strenuus patiens conflictatur, eundem nihil aliud esse judico, quam *Colicam passionem*, quam producit *phlegma*, quod infarctibus ac plicis intestinorum adhæret, & ex parte cum *excrementitiâ bile* permixtum est, unde *continuus dolor penetrans, circa umbilicum*, utpote, quo in loco major peccantis materiæ collectio est. Hic dolor *certis temporibus*, præsertim concurrente alvi obstructione, *exacerbatur*, cum hâc ratione non tantum flatus interius generentur, sed ipsa peccans materia quoque suam ebullitionem, diutius retenta, nanciscatur, quæ suâ acrimoniâ sensiles intestinorum partes vellicat, & distendit, quemadmodum tandem ex excretis coagulatis, rotundis, tenaci & mordaci phlegmate obductis, apparet.

Determinatio morbi.

Causa proxima.

Cur per intervalla dolor exacerbetur.

Cum dolore concurrit etiam *anxietas, circa cordis regionem*, quatenus dolor spiritus atque sanguinem attrahit, unde spiritu & sanguine plurimum ad partem affectam concurrente, propter defectũ spirituosæ substantiæ, circa cordis regionem *anxietas* oritur, cum subsequente *sudore*, propter retentricis imbecillitatem. Imò quamdiu superabundarunt succi crudi, phlegmatici, circa ventriculum, ibidem quoque propter eandem causam *καρδιαλγία* fuit oborta, cum *nausea*, subsequente materiæ pituitosæ *vomitione*, quod vicissim expectandum erit, quamprimum de novo quippiam in stomacho collectum fuerit. *Vrina crassa rubra* conspicitur tunc temporis, quando natura, vel sponte, vel medicamentorum beneficio, peccantem materiam digerit, ubi simul etiam bilis crassior permixta ad vias urinarias propellitur: hac alteratione absente, sæpius *urina naturalis* conspicitur, quòd concoctio jecoris in hoc affectu per se non laboret.

Prognosis.

Quanquam verò prædictus morbus hactenus aliquoties mediocriter lenitus fuerit, nihilominus facillimè recidivæ difficiles redierunt, unde colligitur materiam peccantem profundè satis radicatam esse, quam ob causam *diuturna Colica passio* Dn. patientem affligit, quæ quamvis remittere videatur, levi tamen negotio recurrit, imprimis ubi medicamenta convenientia postponuntur, & victus ratio negligitur; non rarò *paralysin spuriam artuum* eadem introducit, nisi natura debilior etiam ad imperfectam illam materiæ peccantis translationem sit insufficiens, & vi morbi penitus succumbat.

Necessarium igitur erit, ut juxta sequentes canones curationis processus instituatur. 1. *Alvi obstructio frequens præcaveatur.* 2. *Viscida phlegmatica, & tartarea materia emolliatur, & in venis meseraicis, quas unà etiam occupat, digeratur.* 3. *Eadem materia digesta & emollita sensim educatur.* 4. *Dolori quoque, ut & anxietati, tanquam symptomatibus urgentibus, succurratur,* 5. *Superflua materia serosa & acris, in habitu corporis abundans, per sudorifera discutiatur: & 6. Victus conveniens, ut & animi corporisque commotiones, justo modo instituantur.*

Indicationes Curativæ.

Quoad primum, per vices iteratas usurpetur Oleum commune cum haustu vini calidi: item oleum Amygdal. dulc. & vini malvatici ana cochl. iij. Item vitelli Ovorum numero ij. cum brodio carnis dissoluti: Item Syrupi de Althea ℥is. Item Syrupi rosat. solut. ℥iß. cum brodio prunorum Damasc. &c. de quibus simplicioribus quotidiè matutino tempore quidpiam sumatur, nisi vel ad evacuationem, vel ad sudorem aliud quid usurpetur.

Quoad secundum. Ut autem viscida tartarea materia emolliatur, & venarum meseraicarum obstructiones reserantur, necessum erit, ut sequens digestivum diligenter usurpetur.

℞. *Rad. Petroselini, Eryngii, Fœniculi an.* ℥j.
Passul. Min. ℥vj.
Her. Marrubii al.
Veronicæ an. Mj.
Sem. Fœniculi ʒij.
Macis ʒj.
Zedoariæ, Galangæ an. ʒß.

Coq. dimidia pars in lib. ij. *brodij galli decrepiti ad* 3. ℞. *Colaturæ* ℥iiij. *Cremoris Tartari cum tertia parte salis gemmæ permisti* ʒß. *Misce pro haustu quotidiè bis assumendo; & per octiduum continuando, vel per se, vel etiam* ℥is. *Syrupi de althea simul admisto.*

Quoad tertium: necessarium est, ut præmissa præcedenti digestione, subsequatur evacuatio conveniens, vel per ʒj. Pillularum ex Aloe rosata, cum dimidia parte Myrrhæ, superaddito haustu brodii prunor. Damasc. in quo Mannæ ℥ij. dissolutæ sint: vel etiam per usum vini laxativi, quod

℞. *Rad. Cichorei* ℥ß.
Glycyrrhizæ
Fœniculi
Helenii an. ʒij.
Herb. Veronicæ
Marrub. al.
Card. ben. an. Mß.
Absinth. pj.
Fol. Senæ f. f. ℥j.
Agarici ʒs.
Sem. Fœniculi, carvi an. ʒis.
Galangæ,
Zedoariæ,

Zingib. an. ʒj.
Passul. min. ℥is.

Fiat infusio in sacculo ex serico albo ad lib. iiij. *vini, stet per* 24. *horas: postea lib.* ß. *bibatur unâ vice, sumpto pro primo jusculo. Quod si præter spem obstructiones immineant, tempore prandii primus haustus de hoc vino Medicato fiat. Permutationis ergò, Rhabarbari* ʒj. *tenuiter incisa, cum* ℈j. *Crem. Tartari permista, commodè quoque brodio prun. affuso bibitur. Sic & pillulæ sequentes eodem fine convenirent, si numero* 5. *&* 6. *frequenter ante cibum sumerentur, hausto insuper brodio quodam emolliente.*

℞. *Aloës rosat.* ʒiß.
Rhabar. tenuiss. incisi ℈ij.
Agarici recent. trochisc. ℈j.
Myrrhæ
Mastich. an. ℈ß.
Ol. Fœniculi gutt. vj.
Syr. de absint q. s.
F. Pil. num xxx. *ex* ʒj.

Quoad quartum, dolor gravissimus & intolerabilis omni ingenio leniendus, quâ de causâ, si flatus fortassis eundem exacerbarent, mox eò respiciendum, ut per Enema venter laxetur, quod

℞. *Her. Veronicæ* Miiij.
Fl. Sambuci
Her. Marrub. al. an. Mj.
Absinth. Mß.

Coq. in brodio gallinæ, & post colaturam libræ unius adde Sacch. comm. ℥ij.
Pil. de Aloë & Myrrha ʒij.
Vitelli Ovor. num. ij.
Butyri recent. coch. iij.
Misce. fiat Enema.

Ubi non tam obstructio, quam flatus urgent, aliquid de pul. ex cort. arant. cum Caryophyl. parato vel 7. aut 8. gutt. spiritus Terebinth. cum aqua lil. convallium, vel de pulvere sequenti ʒj. cum pane albo tosto, in Malvatico tincto, sumat

℞. *Sem. Coriandri præp.* ʒj.
Fœniculi
Anisi an. ʒß.
Carvi ℈j.
Fl. Borrag. Buglossæ, rosar. viol. an. pß.
Fol. Melissæ pj.
Sacch. Rosati tabulati ℥j.
Misce fiat pulvis per cribrum.

Exterius Ol. Amygdal. dulc. cum ung. Rosat. Camph. permixtum, ut etiam Mithridatium ʒß. pondere, cum Oleo Amygd. dulc. & Ol. Nucis Mosch. pari quantitate permistum & umbilico inunctum. Præter hæc conveniet etiam usus Emplastri.

℞. *Empl. de baccis lauri* ℥j.
de meliloto ʒß.
Ol. Chamamel. q. s. f. Emplastrum.

Huc etiam pertinet, destillatum ex Galbano, cum Ol. Amygdal. dulc. permistum, ut & lapis Serpentinus calefactus. *Quoad anxietatem subitaneam*, in promptu sint troch. ex Conf. Rosar. Borrag. cum lapide Bezoar, Magisterio perlar. & Coral. parati. Sicut etiam externus usus unguenti sequentis ad regionem cordis, pulsuum, temporum, &c.

℞. *Succi Cardiacæ.*
Melissæ an. ʒs.
Ol. Nucis moschatæ per exp. ʒj.
Caryophyll. ℈ß.
Vng. Ros. ʒs.
M. lento igne, sub finem adde
Camphoræ gr. iij.
Croci ℈s. *M. pro linimento.*

Quoad quintum: Sudorem provocantia quoque conveniunt, ea propter, quod in hoc morbo serosi & acres humores, ad visciditatem inclinantes, in habitu musculoso, propter imbecillem digestionem, colligantur, qui procedente tempore gravitatem artuum producunt. Hoc fine singulis septimanis bis ℈j. Mithridatii, cum ℥is. aq. lilior. convallium, addita ʒs. Spiritus ejusdem, exhiberi poterit. Permutationis ergò conveniet etiam Rob. Samb. ʒiij. cum Mithridatii ℈j. Superaddito haustu aq. Samb. Post sudorem pro capitis corroboratione vertex inungatur Balsamo Rorismarini, Nucis Mosch. & Fœnic. Spina dorsi vero sequenti linimento fricetur.

℞. *Ol. Amygdal. dulc.*
Chamamel. ana ℥j.
Lumbricor.
Rutacei ana ʒs.
Nucis mosch. per expr. ʒj.
Anisi. destill. ʒß.
Misce.

Quoad 6. *tandem:* victus etiam observetur, ita ut cruda omnia vitentur, & ea tantùm eligantur, quæ facilis coctionis sunt, &c. Quibus omnibus Deus ex alto benedicat. Signatum Immichain, 8. Aug. 1621.

OBSERVATIO XII.

Colicus dolor vehemens post febrim tertianam.

VIR nobilis quinquagenarius, Strenuus Dn. Wilh. Balthasar à Schlitz/ *cognomento à* Görtz/ *Abbatiæ Fuldensis Mareschallus hereditarius, constitutione viscerum spleneticus, & nephriticis doloribus etiam obnoxius, sub initium Augusti, an.* 1617. *post febrim tertianam notham, eamq; duplicem (qua per æstatem laboraverat, & propter meam absentiam, qui tunc temporis per mensem unum atque alterum, in gratiam Illustrium quorundam personarum, ad acidulas Swalbacenses vixeram, verâ curandi methodo convenienti tempore non usus erat) me vocato, febri jam remittente, de totius corporis imbecillitate, de sputo copioso, capitis dolore periodico, pectoris compressione, ventriculiq; dolore conqueritur; urina admodum cruda & aqueæ existente. Cum verò per septimanam unam atque alteram prædictis sympto-*

ſymptomatibus ſuccurrere conarer, vehemens dolor colicus cum alvi difficultate conjungitur.

RESOLVTIO.

Modus generationis Colici doloris poſt febrim.

EX prædictis accidentibus poſt febrim reſiduis faciliмè colligebam, peccantem materiam circa primas vias è venis expulſam, ibique propter imbecillitatem viſcerum quotidiè per congeſtionem cumulatam eſſe, præſertim antea effervеſcente & ebulliente materia, per febrim convenientibus digeſtionibus & evacuationibus neglectis: hinc *totius corporis laſſitudo ſpontanea*, quam *Gal. de opt. ſect. ad Thraſyb. c.* 31. morbi nunciam vocat, ea propter, quod indicet ſuperfluæ materiæ conjunctionem, utpote quam hic imperfecta febris ſolutio, viriumq; debilitas reſidua producebant, *ſputum copioſum*, undiq; ſeri copia ſuperabundante, præſertim ipſo ventriculo & œſophago eodem admodum ſuffuſo; *dolor capitis periodicus*, per conſenſum ventriculi fere eodem modo, quo alias ex cruditate ſtomachi laborantes, capitis dolore per vices affici ſolent; *pectoris compreſſio*, propter diaphragmatis, vicinarumque partium tenſionem; *ventriculi dolor*, qualis poſt cibum aſſumtum frequenter accidere ſolet, in ejusmodi cruditatibus collectis; *urina cruda & aquea*, propter concoctionis & digeſtionis imbecillitatem, viſcerumque ventris infimi obſtructionem.

Laſſitudo ſpontanea quomodo nuncia morbi ſit.

Indicationes Curativæ.

His conſideratis, 1. reſiduam materiam circa viſcera concoctionis primæ per vices leniter evacuandam, 2. imminentes ſpleneticas obſtructiones reſerandas, 3. & viſcera concoctionis corroboranda eſſe ſtatuebam.

Pro 1.

Quoad primum, vinum laxativum ordinavi, quod ℞. *Rad. Cichorei* ℥j. *glycyrrhizæ, polypodii an.* ʒvj. *fol. Sena ſ. f.* ʒx. *Summ. Sambuci in vere collect.* ℥ß. *fl. Acaciæ* ʒvj. *Rhabarbari* ʒj. *Mechoacannæ* ʒij. *Agarici trochiſcati* ʒiij. *Epithymi, Cuſcutæ an.* Mß. *Sem. Carthami ponderoſi* ℥ß. *Fœniculi, Aniſi ana* ʒjß. *Cort. Citri. Arantiorum ana* ʒj. *Macis, Zedoariæ ana* ʒß. *Paſſularum Minor* ʒxij. *Inciſa & contuſa infundantur in* ℔iij. *vini veteris, ſtent per* 24. *horas, & poſtea per quatriduum jejuno ſtomacho, poſt juſculum aſſumptum, hauſtus plenior* ℥v. *vel* vj. *aſſumatur.*

Pro 2.

Cum autem æger aliàs ſpleneticis obſtructionibus obnoxius eſſet, *pro ſecundò*, poſt uſurpatum præcedens vinum laxativum per dies aliquot uſum ſalis abſinthii præſcripſi, modo ſequenti:

℞. *Salis Abſinthii* ℈j. *Miſceatur cum conſerva Roſar. fumar. ana* ʒjß. *Sumatur jejuno ſtomacho, & ſuperbibatur hauſtus decoctionis raparum, quibus etiam hoc modo uſurpatis inſignis aperiendi facultas ineſt.*

Pro 3.

Concoctionis etiam corroborationem *pro* 3. non negligendam eſſe ſtatuebam, quam ob cauſam victum convenientem facilis digeſtionis ordinavi, ſimulque cum acidulis Wildungenſibus vinum Abſinthites interdum conceſſi. Verum enim vero, dum hoc modo ſuperſtitem materiam expugnare, naturamque juvare conaremur, en! circa 10. Auguſt. *dolor colicus* oritur, quatenus materia peccans intimius plicis & anfractibus coli maximè infarcta, remotis impedimentis, actuata & effervеſcens, acrimoniâ ſuâ ſenſiles membranoſas partes vellicabat; *una cum alvi obſtructione*, quæ fieri ſolet, tàm propter indurata ventris excrementa, quam quod ſenſus doloris ad affectam partem caloris influxum revocet, ut hanc ob cauſam expultrix ſegnior fiat. Hîc bene ſperare juſſimus ægrum, ea propter, quod imperfecta criſi peccantem materia ad partes ignobiliores expulſam videremus: interim naturam adjuvandam eſſe diximus, *quam ob cauſam.* 1. *alvum ante omnia emolliendam.* 2. *peccantem materiam ſenſim temperandam.* 3. *tandemq; vacuandam.* 4. *& nova materiæ collectionem præcavendam eſſe monuimus.*

Occaſio doloris colici.

Indicationes Curativæ. Contra colicum dolorem.

Materia medica. Pro 1.

Hinc ergo juxta primam intentionem aliquoties clyſterem adhibuimus, qui

℞. *Rad. Cichorei* ℥j.
Altheæ ʒvj.
Herb. Malvæ,
Bis Malvæ,
Fumariæ an. Mij.
Fl. Chamameli Mjß.
Sem. lini, fœnugræci ana ℥ß.
Fœnicul. ʒij.
Ficuum num. vij.
f. decoct. in ſ. q. decoctionis hordei ad 3. *colent.* ℥xij. *adde*
Ol. Chamamelini,
Amygdal. amar. an. ℥jß.
Elect. Hieræ ſimpl. ℥j.
de ſ. roſar. ʒij.
Vitell. Ovorum num. j.
Salis ʒj. *Miſce.*

Exterius etiam frequenter pro doloribus leniendis ſacculos interpaſſatos ex fl. chamæmel. Meliloto, ſem. Lini. Fœniculi, Carui, Milii, ſaleque toſto confectos, inprimis ubi flatus unà laborantem torquebant, adhibuimus, ut etiam bovinas vel ſuillas veſicas decoctione clyſteris unà cum oleis reſolventibus repletas. Hoc modo ventre laxato, peccantem materiam ſenſim temperandam eſſe duximus, quapropter *juxta ſecundam intentionem* ſyrupum de Althæa Fernelii præſcripſimus, cujus virtus in acri ejuſmodi tartareâ materiâ temperandâ, & emolliendâ ſatis inſignis eſt, unà cum illâ potentiâ, quod vias urinarias, & alvi retineat apertas: cum autem flatus etiam urgerent ſui diſſipationem, ℥ij. ſyrupi ſemper gutt. iiij. vel v. Ol. Aniſi admiſcuimus, & ægrotanti quotidie bis exhibuimus, quâ præparatione per biduum præmiſſâ per Magiſterium tartari Vitriolati ʒj. cum gr. ij. diagrydii permixtâ, & in vino Abſinthii exhibitâ, felicem purgationem partitis vicibus (repetitâ ſemper dictâ digeſtione præmiſſâ) inſtituimus, donec ſub finem menſtrui ſpacii perfectè ſanaretur æger, cui poſtea præſervationis ergò pillulas Angelicas Francofurtenſium ex aloë depurata, cum ſuccis recentibus confectas, alternis diebus ante cœnam ℈j. quantitate ſumendas, ut & uſum ſalis Abſinthii cum decoct. raparum jejuno ſtomacho commendabam,

Pro 2.

 quibus

quibus, DEI gratiâ, priſtino vigori ſanitatis penitus reſtituebatur.

Obſervatio ſimilis.

Similem caſum anno eodem circa 14. Mart. in Secretarii noſtri Gieſſenſis Dicaſterii filio, Joh. Joachimo Junckhern / obſervavimus, qui Tertianâ cauſode laborans, poſt adhibita convenientia remedia, brevi à febre liberabatur, gravi nihilominus ſuborto dolore colico, quem criticâ motione fieri colligebam propterea, quod natura criſin per alvum moliri voluerit, impedita interim ob virium debilitatem ubi vix uno & altero enemate emolliente & detergente præſcripto, perfectè laborans, DEI nutu, convaluit.

OBSERVATIO XIII.

Colicus dolor cum ſubſequenti Paralyſi.

ANno 1604. *in inferiori Auſtria, fœmina quadam nativa conſtitutionis biliosa, ſed adſcititio temperamento plurimis cruditatibus abundans, ob continuas menſtruas evacuationes obſtructas, in vehementem ventris infimi dolorem incidebat, ita, ut terebra perforanti ſimilis in intima abdominis parte perciperetur: interdum inconſtans reddebatur, ut modò in hac, modò in aliâ parte magis urgere videretur: alvus adſtringebatur, & non niſi flatibus multis quippiam excernebat: cibi cupiditas, ejusdemq́; concoctio deterior, unâ cum præcedente vomitu & nauſea reddebatur. Tandem per ſeptimanas aliquot ingentibus ejusmodi doloribus affecta partium externarum, manuum nimirum pedumq́; præcedente urinâ ſubruffâ & craſſâ, imbecillitas, & ad motum atque ſenſum præſtandum inhabilitas, cum dolore ſæpius pungente & urente ſequebatur, ut ferè omninò paralytica videretur; conſtantibus interim cerebri affectionibus, de cujus affectione nihil omninò conquerebatur.*

RESOLUTIO.

Cur in Auſtria hic affectus frequens.

FRequens eſt in Auſtria *colicus dolor* vehemens & diuturnus, qui non rarò in *paralyſin* terminatur: tum quod pluribus adſit nativa quædam imbecillitas à parentibus tali morbo ſæpius afflictis propagata, tum quod maximè huc faciant vina tartarea, materiam huic morbo ſubminiſtrantia. Talis affectus in hoc caſu quoque proponitur: aderat enim *dolor vehemens infimi ventris*, ut terebræ perforanti ſimilis perciperetur, quia cruda materia mucilaginoſa & tartarea, ob laborantis adſcititiam naturam frigidiorem, & ad veram perfectamque digeſtionem ineptam ac inſufficientem, in inteſtino colo collecta erat, ideoque percipiebatur in intima abdominis cavitate, reſpectu ſitus coli inteſtini, *maximaq́; ex parte inſtabilis erat*, ob facultatis expultricis laborem, quæ cauſam morbificam jam huc, jam illuc impellebat: *alvus adſtringebatur*, tum quod crudis humoribus facultas expultrix ſuffocaretur, tum etiam, quod inteſtina contentorum induratione exiccarentur, nec aliquid niſi *flatulentum* emittebatur, quod pituitoſis humoribus in flatus diſſolutis accidit. *Cibi cupiditas ejusdemq́; concoctio depravabatur*, ob conſenſum inteſtinorum & ventriculi, cum præcedente *vomitu & nauſea*, propter materiam morbificam in ipſo ventriculo primitus ob imbecilliorem digeſtionem collectam. Tandem huic colico dolori *ſuccedebat manuum pedumq́; imbecillitas, & ad motum ſenſumq́; præſtandum inhabilitas, cum dolore ſæpius pungente & urente*, paralyſis nimirum non proprie dicta, quæ fit affecto nervorum principio, ſed abuſivè ſic appellata, quæ non totalis eſt ſenſus motusque privatio, ob denegatum animalis ſpiritus per nervos influxum, ſed potius functionis ſenſitivæ & motivæ depravatio, quia dolorificus ſenſus adeſt, ut in *Cent. Probl. Med. Decad.* 2. *q.* 8. pluribus demonſtravimus. Hæc paralyſis præcedente *urinâ ſubruffa & craſſa* fiebat, propterea quod materia morbifica tartarea & mucilaginoſa, per incipientem putrefactionem, reſolveretur, attenuaretur, & ſanguini communicaretur, cum quo poſtea vi facultatis expultricis ad partes ignobiliores & remotiores expulſa, primo *nervorum ac muſculorum imbecillitatem*, & ſenſim magis magisq́; collecta & imbibita, *ſenſus motusq́; privationem* introducebat, non quidem *totaliter*, *ſed cum dolore & difficultate*, acrimoniâ illius ſenſiles partes afficiente.

Paralyſis poſt colicam qualis.

In curatione laborantis hujus duo reſpicienda erant, *primò colicus dolor vehemens* & diuturnus, ac deinde, *paralyſis ſubſequens impropriè ſic dicta*, quæ nihil aliud erat, quam effœta, & debilis conſtitutio muſculorum manuum, pedumq́;, qui reſpectu ſubſtantiæ nervoſæ & membranoſæ, à materia affluente, p.n. afficiebantur, ita ut ſenſum & motum exactè præſtare non poſſent. *Reſpectu doloris colici alvus, quoad fieri potuit, laxanda, materia peccans attenuanda, reſolvenda atq́; evacuanda, inteſtina corroboranda videbantur.* Hinc igitur enematibus ex decoct. Rad. Altheæ, Malvæ, Mercurialis, Chamomil. Veronic. & ſimilibus, additâ Hierâ ſimpl. Benedicta laxat. cum Ol. Chamomil. Rutæ &c. interius adhibitis: & appoſitis exterius ovillis caſtratorum omentis, in lebete calefactis, aliisque inunctionibus humectantibus, potiſſimum ex oleo Chamomil. Lilior. albor. pingued. gallinæ, medull. cruris vitulini &c. alvum laxare & humectare conabamur: pro attenuandâ & reſolvendâ materiâ decoct. rad. aperientium, Chamomillæ, veronicæ, & ſimilium, cum ſyr. de quinque radicibus, aliquot gutt. ol. Salis additis, utebamur, ſuccedente vacuatione per pillulas de Ladano, quæ ℞. *Ladani* ℥ß. *Maſtich.* ʒj. *calefiant in Mortario, & diſſolutis, adde Troch. Alhandal.* ʒiij. *Elect. de ſucco roſ.* ℥ß. *Syr. roſ. ſol. q. ſ. fiat maſſa, cujus doſis eſt a* ℈j. *ad* ʒj. Porrò pro corroboratione, *Zingib. conditum & Malvaticum cum pane albo interdum concedebatur, ut & Aromaticum Roſatum cum Conſ. Borrag. anthos, & ſimilibus permixtum.*

Indicationes Curativæ.

Similem Maſſam vide ſimili caſu apud Cratonem in conſil.

Quoad ſubſequentem Paralyſin, omninò neceſſarium videbatur, cauſam foventem præcavere, quo dicta curatio colici doloris dirigebatur: inprimis v. corroborationem inteſtinorum Cratonis approbavimus hoc loco, qui deſtillatum ex Galbano confectum, umbilico inungit, poſt alvum ſubductam, & interius frequenter pulverem

ex C.

ex C. Cer. tenuiori *Myrrh.* ℨj. *piper. alb.* ℨß. *confect. cum haustu vini, concedit.* At respectu ipsius affectus paralytici, musculi, manus itidem & pedes, decocto rad. urticæ, Herb. Rorismarini, ivæ artheticæ, origani & similibus frequenter lavabantur, & postea inungebantur ejusmodi linimento. ℞. *Pingued. taxi, vulpis, ciconiæ an* ℥ß. *Succi salviæ, Absinth. an* ℨij. *Ol. Laurini* ℥j. *M. f. unguentum.*

OBSERVATIO XIV.
Colicus dolor post nephriticum.

VIR Nobilis sexagenarius, cujus etiam observatione 2. mentionem fecimus, 6. Novemb. anno 1618. post perpessos nephriticos dolores, in colicum incidit.

RESOLUTIO.

VOcatus, & ex signis *colicum dolorem* colligens, propter alvi obstructionem, postquam clysterem admittere nollet, nodulum laxativum ordinavi, quò ventris durities molliretur: hoc per biduum usurpato, decoctionem prunorum Damascenorum cum Ol. Amygdal. dulc. & Syrup. de Althæa per vices alternis diebus præscripsi, una cum aq. Arantiorum, roborandi ventriculi, dissipandorumque flatuum gratiâ, cochlearibus duobus interdum assumenda. Quò autem eò magis venter & intestina corroborarentur, linimentum ex Theriaca, cum pauxillo zibethi, ad inunctionem umbilici fecimus, quibus remediis optimè convaluit æger, cum tantum ex residua materia per nephriticos dolores commotâ, nec à segniore facultate separatâ, malum hoc originem suam habere videretur.

OBSERVATIO XV.
Iliacus dolor cum ruptura lethalis.

STudiosus, viginti circiter annorum, Thomas Gorlitz, Magdeburgensis, rupturam intestinalem patiens, anno 1606. Witteberga, post prandium lautius assumtum, ex haustu pleniori, descensum tenuiorum intestinorum ad scrotum, non absque dolore, subitò fieri deprehendit, quam ob causam domum se conferens consilii causa me vocat. Aderat autem tumor in scroto durus admodum, superius bilem & pituitam cum assumtis vomebat, dolor vehemens circa umbilicum interius increscebat, febris superveniebat, unà cum pervigiliis, alvi obstructione totali, viriumq; languore, delirio, extremisq; perpetuò frigidis.

RESOLUTIO.

ACutus & gravis affectus est, quem *Iliacum dolorem* vocant, ita ut plerumque lethalis pronunciari soleat, qui huic ægrotanti etiam accidebat, occasionem præbente causâ externâ, nimirum *subitanea ingurgitatione post ventris repletionem facta*, qua tenuius intestinum, quod alias in scrotum procumbere sæpè solebat, contentis durioribus infartum, ita convolvebatur, ut ad regressum versus superiora nullo modo disponi posset, quam ob causam inflammatione gravi mox obortâ, *tumor exterior durus admodum* apparebat, propterea, quod contentis transitus omnis denegaretur: *superius cum assumtis bilem & pituitam vomebat*, quatenus vehementia doloris per consensum excretricem partium vicinarum, ob communitatem membranarum, afficiebat; *dolor vehemens &c. increscebat*, subitò inflammatione, tanquam causa proxima mali, plurimùm apprehendente, locumque patientem designante, *febris superveniebat*, quatenus ex inflammatione tenuioris intestini per vasorum multitudinem partibus aliis, inprimisque cordi, febrilis fervor, & consequenter toti etiam communicabatur; *cum pervigiliis*, tam quod atrox dolor somnũ impediret, quàm quod etiam causa somni naturalis, ob denegatam concoctionem abesset, præsentibus exhalationibus febrilibus spiritus animales inflammantibus: cum *alvi obstructione totali*, ab expulsionis conatu quasi convolutis & impactis tenuioribus intestinis, omnem contentorum transitum denegantibus; *cum virium languore*, quem febris vehementia, vomendique conatus tandem inanis producebant; cum *delirio* propter inflammationis fervorem, respectu spirituum animalium communicatum: *cum extremorum frigiditate*, quatenus vehemens intestinorum inflammatio, tanquam cucurbitula, sanguinem, unaq; calorem ad se trahebat, naturâ simul eò inclinante, quæ propter vehementiam doloris excitata, tanquam suppetias latura parti laboranti, sanguinem & spiritus ab extimis partibus revocabat, & ad partem dolorificam transmittebat. Quanquam vero, propter concursum gravium symptomatum, spes curationis nulla nobis superesse videretur, utpote cum Hippocrati in Aphorismis, Aph. 10. lib. 7. ab Ileo vomitus, singultus, desipientia, convulsio, malum sit signum; eoque magis, quo febris vehementior cum virium jacturâ concurrit; nihilominus tamen omni ingenio eò allaborandum esse duximus, *ut in antecedenti causâ corrigendâ, dolore leniendo, & viribus corroborandis aliquid tentaremus.* Hinc ergò communicato consilio cum Clariss. Viro Dn. D. Tobia Knoblochio, tunc temporis Wittebergæ quoq; praxin exercente, ventris humectandi, dolorisq; leniendi causâ clysterem sequentem præscripsimus, qui

Prognosis.

℞. *Rad. Althea*
Lilior. alb. an. ℥jß.
Fol. Malvæ
Mercurial.
Violar. an. Mj.
Fl. Chamameli
Sum. Meliloti an. Mß.
Sem. Lini ℥ß.
Anisi ℨjß.
Coq. in s. q. aq. ad ℥. *coletur* ℔j. *adde*
Cassia pro clysteribus
Sacch. rub. an. ℥j.
Elect. Hiera ℨiij.
Ol. Anethini
Violarum an. ℥jß.
Salis ℨß.
M. f. Enema, quod adhibitum cum paucis induratis excretis, in crassioribus intestinis latitantibus, absq; juvamento mox reddebatur.

Exterius

Exterius emolliendi tumoris gratiâ Scroto sequens Emplastrum imposuimus, quod

℞. *Gum. Ammoniaci*
Bdellii an. ℥jß.
dissol. aceto & adde
Myrrhæ,
Thuris an. ʒj.
Ol. veteris ℥ij.
Ceræ q. s.
F. Emplastrum; ante cujus applicationem inungatur tumor linimento sequenti, quod
℞. *Ol. Chamæmelini* ℥j.
Vng. dialthea ℥ß. *Misce.*

Ventrem verò totum, ob inflammationem ac dolorem oleo rosarum inunximus, apposito cataplasmate, quod

℞. *Rad. Lilior. albor.*
Althea an. ʒvj.
Fol. Malvæ Mjß.
Flo. Chamæmeli Mß.
Coq. in aq. ad mollitiem, adde pul. sem. lini.
Fœnugræci an. ℥j.
Ol. rosar.
Chamæmelini ana ℥jß.
Misce f. cataplasma.

Corroborationis etiam gratiâ interius & exterius diversa præscripsimus, sed frustrâ: symptomatibus videlicet lethalibus, causâ mali minimè remittente, cumulatis, ut æger, die quintâ morbi, delirans, cum frigidis sudoribus expiraret.

Similem casum Iliaci doloris Anno 1622. in Nobili quadam fœmina habuimus, quæ aliquandiu calculo renum laborans, ex hernia umbilici, quam reticebat, eò usque ingentes ejusmodi dolores patiebatur, donec vomitiones continuę contentorum alvi subsequerentur, in quibus sistendis nihil quidquam profuit, excepto Elixire Proprietatis Paracelsi, cujus gutt. v. vel vj. in brodio exhibitis, ad miraculum per 24. horas, enormes vomitiones sistebantur, quanquam ægra, quod intestina inflammata nullatenus reponi possent, naturæ debitum solvere cogebatur.

OBSERVATIO XVI.

Diarrhœa periculosa cum imbecillitate ventriculi.

Virgo Nobilis Catharina à Wintzeroda, consistentis ætatis, anno 1607. tempore æstivo cum jactura virium, & appetitu dejecto, fluxum alvi per septimanas aliquot aquosum patitur, unde non tantum totius lassitudo, sed etiam atrophia subsequitur.

RESOLVTIO.

Vivebat hæc patiens in Monasterio Dambke; veteris Marchiæ, non procul à Soltquella, ubi tunc temporis Medicinam faciebam, ad quam vocatus, *diarrhœam* adesse dixi, quatenus aderat alvi fluxus, quodammodo quidem alteratorum contentorum (in quo morbus hic à *lienteria* differt, ubi rejiciuntur assumta, eâ formâ, quâ fuerunt, ingesta) *sed absq; exulceratione & inflammatione*, quod in dysenteria fieri solet. Conjungebatur *virium jactura, cum appetitu dejecto*, quatenus causa mali suam originem in imbecillitate concoctionis habebat, quod etiam *alvi fluxus aquosus*, per tot septimanas continuus, testabatur, imperfectè videlicet alteratis alimentis, iisque mox, ob retentricis languorem, ab officina concoctionis secundæ, sanguificationis videlicet, aversis, & per alvum, ante secretionem homogeneorum ab heterogeneis, expulsis, unde fieri non potuit, quin *totius lassitudo, viriumq; jactura, cum atrophiâ* sequerentur, cum vivifico refectionis alimento partes solidiores destituerentur, ut hinc consumptionis origo facilimè pateret. Etsi verò tales casus periculo non careant, cum nihil difficilius sit, quam virium omnium jacturam, sensim ob denegatum alimentum introductam, resarcire; nihilominus tamen juxta sequentes canones procedendum esse judicavimus.

Quid diarrhœa. *Prognosis.* *Indicationes.*

1. Fluxus continuus, tanquam accidens admodum urgens, sui constrictionem, 2. debilitas concoctionis ventriculi corroborationem, & 3. spirituosa substantia totius sui refectionem indicabant.

Quoad primum, syrupum sequentem ordinavimus, qui

℞. *Syr. Myrtini*
De Cortic. Citri an. ℥jß.
De Mentha ℥ß.
Miva Cydon. ℥j.
Spir. Vitriol. gutt. vij.
Misce fiat syrupus, de quo sæpius Cochl. j. assumatur, superaddito sequentis aq. corroborantis haustu, quæ
℞. *Aq. fol. querc.* ℥iij.
Borrag.
Bugloss. an. ℥jß.
Vini Cydoniorum ℥iiij.
Aq. Nucis Mosch.
Arantiorum, an. ℥ß.
Cinam. ʒij.
Corn. C. usti prep. ʒj.
Conf. Manus Chr. perlata ℥ß. *Misce.*

Electuarium quoque commendavimus, quod ℞. *Conf. Rosar. antiquæ* ʒvj. *Diacydonii cum spec.* ℥ß. *Cortic. Citri cond.* ʒvj. *Corall. rub. præpar.* ʒj. *Confect. Alkermes* ℈j. *Miva cydoniorum q. s. f. Elect. molle, de quo sæpius q. nucis majoris sumatur.*

Quanquam verò prædicta medicamenta non primam tantum, sed etiam secundam intentionem respicerent, nihilominus tamen, pro juvanda concoctione, simul etiam usum pulveris sequentis ordinavimus, frequenter ante cibum p. ʒß. cum pane albo tosto, parumper in vino Malvatico macerato, sumendum, qui

℞. *Sp. diarrh. Abb.* ʒj.
Dianisi, ʒß.
C. C. usti præpar.
Corall. rub. prep. an. ʒj.
Sacch. ad pondus omnium.
f. pulvis.

Porrò

Porrò cibum concessimus facilis digestionis, & astrictoriâ qualitate simul præditum, nimirum aves montanas, cum succis adstringentibus assatas, carnem quoque vitulinam, agninam, vervecinam, cum cort. arantiorum, succo limonum, cort. citri & similibus præparatam; pisces non nisi saxatiles, aceto parumper & mace conditos, jusculа ex vino cum vitellis ovorum, & parte dimidia aq. rosarum confecta; jusculа cerevisiæ cum nuce moschatâ conditâ; panatellam ex mica panis albi parumper tosti, cum brodio carnis confectam, & hujus generis alia. Potus sit vinum album non admodum generosum, optimè tamen depuratum, & infusione cydoniorum exiccatorum conditum, cujus refectio pro tertia indicatione plurimum faciet, inprimis ubi post cochlear unum atque alterum sequentis brodii corroborantis modicè bibetur.

℞. *Caponem exenteratum, vino lotum, & in partes parvas instar castanearum incisum: adde pul. Macis* ℥ß. *Nucis Mosch.* ʒj. *Cinam.* ʒß. *f. stratum s. s. in vase stanneo, quod optime claudatur. f. decoct. in diplomate, donec omnino caro ab ossibus abscedat, sub finem coctionis adde*

Aq. Arantiorum
Nucis Mosch. ana ℥j.
Cinam. ℥ß.

Post cum expressione separetur brodium, cujus usus pro virium refectione stomacho vacuo frequens sit.

Quemadmodum verò sæpius ex imbecillitate ventriculi fluxus ejusmodi generari solet, ita frequenter etiam observatur, quod ex depravatâ concoctione, maximeque propter alimentorum corruptionem, diarrhœa fiat, quâ ratione succurrit historia puelli cujusdam, ex collegis meis filioli, qui anno 1617. mense Martio diarrhœam ex corruptione ciborum patiebatur, quæ tanta erat, ut ex materia putrescente vermes etiam generarentur, cui præscriptis pręscribendis, vermes adhuc viventes per os & annũ rejiciebantur. Porro dantur etiam diarrhoęs Criticę, quę robore naturę fiunt, sicut & symptomaticę, quæ morbis aliis ex viribus succumbentibus succedunt, de quibus in præsentia non agimus, cum ex aliorum morborum, inprimisq; febriũ observationibus manifestæ sint: quæ vero dysenteriam præcedere solent, ex subsequentibus patebit.

Variæ diarrhœæ differentiæ.

OBSERVATIO XVII.

Diarrhœa biliosa subitò dysenteriam gravem introducens.

N*Obilis Invenis Raphael ab Herda. Eques Turingus, annor. circiter viginti, constitutione corporis biliosus, literis hic Giessæ operam dans, anno* 1608. *circa tempus autumnale diarrhœam biliosam cum jactura virium patitur, ita ut frequentioribus ejusmodi dejectionibus afficeretur, quas tertiâ die sanguinolenta, spermatique ranarum similima excretio sequebatur: tormina quoque ventris aderant, inprimis excernendi tempore: pulsus justò celerior, calor totius corporis acris & febrilis, Cibi fastidium, sitis vehemens, anxietas, & pervigilia subsequuntur.*

RESOLVTIO.

CUm tempore dysenterię Epidemiæ præsens æger nobis offerretur, non levi conjecturâ tali affectu eundem laborare collegimus, accedentibus potissimum signis enumeratis. Etenim primò ponuntur signa, Dysenteriæ simpliciter talis, pathognomonica, nimirum *excretiones continua sanguinolenta, & sperma ranarum repræsentantes*, quia dysenteria ejusmodi est alvi fluxus, qui cum exulceratione jungitur. Cum autem aliquot diebus diarrhœa fuisset affectus, *juxta Aph. 75. lib. 7. Hipp.* dysenteriam hanc ex Diarrhœa, propter acres humores intestina corrodentes, obortam fuisse cognovimus, accedente *causâ externâ, pyrorum facilè putrescentium copiâ ingestâ*, cujus ratione mordaces humores interni viscitatem nacti sunt, quâ cavitatibus intestinorum adhęrere potuerunt. Erat autem adhuc *in principio*, quia ventris excreta *mucilaginem*, pinguem humorem intestina naturaliter oblinentem, abradi tantum demonstrabant: illa enim materia pinguis & instar spermatis ranarum, verno tempore palustribus in locis projecti, conspicitur. Additur secundum signum pathognomonicum Dysenteriæ, nimirum *ventris dolor circa tempus excretionis*, qui fit propter partes intestinorum excoriatas & exulceratas, in quibus ob factam solutionem continui dolor oritur tunc temporis, ubi facultas expultrix materiam peccantem, & ex toto affluentem excernere conatur. Licet autem morbus esset in principio, protinus tamen ingravescebat; & febri jungebatur: hinc *pulsus justò celerior*, ob usum auctum, quia propter fervorem febrilem cor majore refrigeratione indigebat; *calor totius corporis acris*, ob humorem biliosum effervescentem, exhalationes febriles cordi, & per consequens toti communicantem; *cibi fastidium*, tàm propter consensum, qui est inter ventriculum & intestina, quàm quod totum corpus ob febrim, & humorum perturbationem, alimentum è ventriculo sugendum respueret; *sitis vehemens*, tàm propter humoris inopiam, ob continuas dejectiones, quàm propter caloris copiam, respectu febris conjunctæ, quia tot modis sitis intenditur, *juxta Gal. l. 1. simpl. c. 30. Anxietas*, ob lapsum virium ex continuis atq; frequentibus, & malignitate quadam, cum Epidemiis affectibus plerumque conjunctâ, dejectionibus provenientem; & *pervigilia*, tam propter denegatam quietem, respectu fluxus alvi, quàm ob febriles expirationes somnum impedientes.

Signa Dysenteriæ pathognomonica.

Diarrhœa præbere potest occasionem dysenteriæ.

Etsi v. secundum *Hipp. lib. 6. Aph. 3. cibi fastidium malum, & febris adjuncta pejus sit signum in dysenteriis*, nihilominus incurabilem hunc affectum non judicavimus, propterea quod Hippocrates tantum de longis, & diuturnis dysenteriis loqueretur. Quocirca statim ad curationem progressi sumus, eò totum negotium dirigentes, *ut abstergendo naturam in expellenda materia peccante juvaremus, intestinorum exulcerationem sanaremus, febrim corrigeremus, ac vires conservaremus.*

Prognosis.

Indicationes Curativa.

Hanc ob causam statim ejusmodi potionem præscripsimus, ℞. *Rhab. tosti* ℈iiij. *Syr. Ros. solut.* ℥jß. *Aq. hordei tost.* ℥ij. *Misce, fiat haustus*, quo calefacto & assumto,

assumto, frequentioribus dejectionibus materia peccans, & acrimonia, viscideitateq; sua parietibus intestinorum adhærens, copiosè evacuabatur. Peractâ quodammodo medicamenti lenitivi purgatione, subsequentem potionem alterantem, tam pro temperandis acribus humoribus, quàm pro febris correctione circa nocturnum tempus concessimus.

℞. *Aq. Acetosæ, fragar.*
Fol. querc. an. ℥iij.
Pul. Nuc. Mosch. Cinam.
Santal. Citrini an. ℈ß.
Coq. duabus ebullitionibus, colentur, & adde
Syr. Acetos. Citri ℥j.
Mivæ Cydoniorum ℥ij.
Misce, & fiat potio ad lubitum.

Die sequenti pro ulteriori abstersione decoctum hordei tosti chalybeatum, & pro corroboratione ac refrigeratione conditum sequens concessimus.

℞. *Cons. ros. antiq.* ℥jß.
Diacydon. simpl. ℥j.
Nuc. Mosch. cond. ʒj.
Spec. diarrh. ab. ℈jß.
Syr. Acetos. Citri q. s.
F. conditum, de quo sumat frequenter quantitate Nuc. Castaneæ.

Sextâ die morbi clysterem abstergentem, & simul refrigerantem, atq; astringentem præscripsimus.

℞. *Rad. Tormentil.* ʒß.
Herb. Plantag.
Endiv.
Lactuc. an. Mj.
Fl. ros. rub. Mij.
Coq. in s. q. aq. hordei tosti ad ʒ, *colentur* ℥xv. *& adde.*
Sacch. rubri ℥j.
Mellis rosat. colati ℥jß.
Vitel. ovor. num. 1.
F. clyster.

Hoc repetito per biduum satis detersa videbatur exulceratio, quam ob causam postea majoris adstrictionis & consolidationis gratiâ talia præscripsimus:

℞. *Rad. Tormentil.* ℥ß.
Herb. Plantag.
Saniculæ,
Bursæ pastoris ana Mjß.
Fol. rubi.
Querc. an. Mj.
Sem. plantag.
Sumach.
Oryzæ an. ʒjß.
Coq. in s. q. lactis chalybeati ad ʒ *colent.* ℥xv. *adde.*
Sevi hircini ℥j.
Succi acaciæ,
Hypocist. an. ʒj.
Vitell. ovorum, num. ij.
M. & f. Enema.

Quo repetito per biduum, varia constringentia per os assumenda concessimus, inprimis quotidianum fuit hoc Electuarium.

℞. *Cons. ros. antiq.* ℥j.
Croci Martis.
Corall. rub. præp.
Boli armeni præp.
Terræ sigil. an. ʒj.
Sem. plantag. tosti ʒjß.
Cum syr. de sicc. ros.
F. Electuarium, de quo aliquoties in die, quant. nucis jugland. sumebat.

Exterius unguenta & emplastra constringentia, & corroborantia ventrem, adhibuimus, & pro potu quotidiano aquam fol. querc. concessimus, quibus post quatuordecim dies pristinæ sanitati restitutus fuit, Deo sit laus & gloria.

OBSERVATIO XVIII.

Dysenteriâ sine febri cum materiâ paucâ.

I*Ctus quidam Clariss. Vir Dn. Theodorus Reinking, Consiliarius Hassiacus, constitutione corporis calidus siccus, consistentis ætatis, anno 1619. 26. Octob. medicamentum purgans, cum cremore tartari minus rectè depurato sumens, in alvi fluxum incidit, rejectis interdum alvi excrementis, unà cum admistis sanguinolentis & pinguibus ramentis: tormina ventris etiam unà cum excretione sensit, ut & desidendi crebriores conatus.*

RESOLUTIO.

PRoponitur hic exemplum *Dysenteriæ sine febri cum materiâ paucâ*, cujus occasio fuit externa, nimirum acrioris medicamenti purgantis usus, quatenus in macilentâ constitutione calidâ siccâ facilimè fieri potest, ut propter membranosarum partium ἰνῳδησίαν intestina p. n. afficiantur. Rejiciebantur autem *alvi excreta cum admistis &c.* quo signo colligebatur adhuc in fieri morbum esse, quatenus concoctrix in alteratione ciborum suum officium adhuc peragebat, quod non fit, ubi morbus confirmatus est. *Tormina ventris & desidendi conatus*, tanquam dysenteriæ pathognomica signa, jungebantur, sed absque febri vel alia totius alteratione, quod materiam paucam innuebat.

Medicamentum acre causa dysenteriæ.

Signa Dysenteriæ in fieri.

Signa Pathognomonica.

Signa Materiæ paucæ.

Hinc ergò spem bonam restitutionis ægro fecimus, & eò allaborandum esse diximus. 1. *Ut ulteriorem fluxum ad intestina præcaveremus.* 2. *& incipientem excoriationem intestinorum corrigeremus.*

Prognosis. Indicationes.

Primum in hoc subjecto non negligendum esse videbatur, cum in tali corporis intemperie sat prompti sint humores ad exacerbationem, & commotionem: præscripsimus ergò diætam, ut aër inæqualis aliquandiu vitetur, cibus sit tenuis facilisque concoctionis, ptisana videlicet, panatella, brodia carnis contusæ, ut & alia, quæ in Germanico nostro consilio, Anno 1616. & anno 1622. & anno 1624. impresso conceduntur. Potus sit hordei decoctum,

Pro 1.

decoctum, cum syr. acetosit. citri permixtum: rarò, & non nisi in declinatione, vinum concedatur, aquâ chalybeatâ dilutum, cui panis tostus, Nuce Moschata conditus, infundatur.

Extra prandium vel cœnam, pro siti compescendâ, solam aquam foliorum quercuum bibat, assumptâ primum particulâ diacydonii simplicis, vel conserv. Rosarum antiquæ.

Pro 2. Quò autem pro secundo pars affecta etiam respiciatur, sequentem clysterem ordinavimus, qui

℞. *Hordei tosti* Mj.
Rad. Tormentillæ,
Bistortæ an. ℥ij.
Herb. Acetosæ,
Cichorei an. Mj.
Sem. Acetosæ ʒjß.
F. decoct. in s. q. aq. hordei chalybeatæ ad ℥.
Coletur ℔j. *adde*
Mellis rosati colati ℥vj.
Vitell. ovor. num. ij.
Sevi hircini ʒß.
Misce f. Enema.

Exterius ventrem linimento sequenti frequenter inungere jussimus, quod

℞. *Ol. Absinthii* ℥ß.
Mastich. Cydoniorum an. ʒj.
Rosar. ʒjß. *Misce.*

Imò & pulverem sequentem, pane tosto, parumper aceto vini calido consperso, comprehensum, infimo ventri corroborationis gratiâ sæpius apposuimus, qui

℞. *Pul. Menthæ siccæ.*
Absinthii an. ʒj.
Nuc. Mosch.
Acaciæ an. ʒß.
Mastych.
Rosar. rub an. ℈j.
Camphoræ gr. iij.
M. f. pulvis.

Cur hæc Dysenteria facilis curationis. Ut autem hæc dysenteria, quam externa causa produxerat, quæque fomentum nullum in corpore evacuato reperiebat, adeoque cum paucâ materia erat, facilimè curabatur, ita grassante morbo dysenterico ante annos aliquot, per multos etiam paucissimis remediis, quorum in prædicto consilio Germanico mentio fit, sanitati pristinæ restituimus, ubi dysenteria simpliciter talis, absque gravibus symptomatibus aderat; periculosior autem affectus est, & diuturnior cura requiritur, ubi materia multa est, inprimisque gravibus aliis accidentibus concurrentibus.

OBSERVATIO XIX.

Dysenteria sine febri cum materia multa.

Studiosus quidam Gabriel à Wittersheim, Schaumburgicus, 20. circiter annorum ætatis, boni corporis habitus, anno 1608. *mense Iulio dejectiones frequentes patitur, ubi copiosa materia viscida, cruenta, cũ excretis alvi permista, secedebat: tormina ventris in ipsa excretione, sed non admodum gravia, sentiebantur, vires utcunq; constabant, nec appetitus admodũ dejectus erat.*

RESOLVTIO.

Dysenteriam hanc absq; febri concludebamus ex eo, quod nec in pulsu quædam febrilis inæqualitas, nec etiam præter naturalis aliquis totius corporis calor deprehenderetur. *Copiosam verò peccantem materiam* non tantum frequentes, sed etiam dejectiones viscidæ cruentæ testabantur, non quidem in omnibus, sed maximè tantum in crassis intestinis exulcerationem producentẽ, quod & *tormina* ventris mox ante excretionem non admodum gravia confirmabant, quatenus exulceratis tenuibus dolorificus sensus longè vehementius afficit. Hinc ergò *vires etiam utcunq; constabant*, quatenus perturbatio succorum omnium, respectu totius, non aderat, *nec etiam appetitus dejectus erat*, prout affectis crassis intestinis per consensum non tam facilè stomachus laborat, quam ubi tenuia vel omnia intestina sunt exulcerata.

Cognitio Dysenteriæ sine febri.

Signa copiosæ materiæ.

Signa crassorum intestinorum læsorum.

Prognosis. Indicationes. *Quocirca spe sanitatis factâ*, 1. *mox ventrem corroborandum*, 2. *affluentem materiam per vices convenientibus medicamentis evacuandam*, 3. *ipsam exulcerationem in principio detergendam*, 4. *& post consolidandam esse* conclusimus.

Materia Medica. Juxta prædictas intentiones statim in principio ventris corroborandi causa, linimentum ordinavimus, quod

Pro 1.

℞. *Ol. Absinthii,*
de Mentha, an ℥j.
Nucis Mosch. per express. ʒj.
Empl. de baccis lauri ʒjß.
Pul. Caryophyl. ℈j.
Misce fiat linimentum.

Post inunctionem, panis tostus aceto humectatus & pulvere obser. 15. conspersus, apponatur, & frequenter aceto calefacto renovetur. Interius verò pro potu quotidiano propter hanc causam aquam fol. querc. concessimus, ut & usum modicè astringentium, ut sunt conf. rosarum antiq. Diacydonium. Syr. de rosis siccis & similia.

Pro 2. Verum unà cum hac primâ Indicatione, perpendenda quoque secunda, quatenus materia multa sui ablationem indicat, quapropter evacuatio conveniens instituta fuit per enemâ, quod materiam peccantem minueret, & nihilominus partem affectam etiam adstrictione amicâ corroboraret, quod

℞. *Hordei tosti* Mjß.
Rad. Tormentillæ,
Bistortæ. an. ℥ij.
Fl. rosar. rub. Mj.
Sem. plantag.
Acetosæ an. ʒj.
Coq. in s. q. jusculi gallinarum ad 3. *coletur* ℔j.
adde.
Rhabarb. tosti pulverisati ʒij.
Electuar. diacarthami ℥ß.
Mellis rosat. colati ℥j.

 Vitell.

Vitell. ovor. num. ij.

Misce pro Enemate.

Notæ, quid faciendum læsis tenuibus intestinis. Quibus malum in intestinis tenuibus, vel qui penitus etiam ad usum clysterum persuaderi nequeunt, his ejusmodi potionem exhibebat patruus & præceptor noster olim p. m. *D. Iacobus Horstius, Profeß. Helmstadiensis*, quæ ℞. *Rhab. Elect.* ℈iiij. *Cinamomi* ℈ß. *Nucis Mosch.* ℈j. *Aq. fol. querc. torment. an.* ℥ij. *Stent in infusione horis 6. postea bis ebulliant, & fiat colatura cum expressione forti, cui syr. rosat. solut.* ℥jß. *addatur.*

Nos hujus loco cum felici successu, per multos annos ipsum Rhabarbarum tostum in principio morbi, tam evacuationis, quam corroborationis gratiâ per vices aliquot exhibuimus, hoc modo: ℞. *Decoct hordei tosti* ℥iiij. *Rhabarb. tosti & pulverisati* ℈iiij. *Syr. rosat. solut. Acetos. Citri ana* ℥ß. *M. f. haustus, qui reiteretur per biduum.*

Pro 3. Dum hoc modo materiam abundantem, & copiosè affluentem per vices evacuare conaremur, ipsa exulceratio, quam puris rejecti copia satis innuebat, juxta tertiam Indicationem primò detergenda videbatur, admistis etjam iis, quæ vim adstrictioriam obtinerent; quam ob causam decoctum hordei tosti chalybeatum pro potu contra sitim ordinavimus, ex eoque cum melle rosato colato, saccharoque rubro, vitellis duobus ovorum additis, detersivum enema sæpius præscripsimus, donec purulentâ dejectione remittente, non tantum detergendum, sed etiam consolidandum esse videretur, ubi clysterem ejusmodi frequenter admisimus, qui ℞. *Rad. Tormentillæ, Bistortæ,* ℥ß. *Herb. Agrimon. Anserinæ, Acetos. Perfoliat. an.* Mj. *fl. Rosar. rub.* Mjß. *Sem. plantag. Berberorum, Myrti an.* ʒjß. *Coq. in s. q. aq. bordei tosti ad* 3. *colentur* ℥xv. *adde Sacch. rub.* ℥j. *Mellis rosat.* ℥ß. *sevi hircini* ʒvj. *Vitell. ovor. num.* j. *Misce.*

Per superiora quoque juxta eandem intentionem, loco prædicti clysteris, potionem sequentem interdum ordinabam, quæ

℞. *Hordei tosti* pij.
Rad. symphyti majoris,
Tormentil. an. ʒij.
Herb. plantag. acetosæ,
perfoliatæ an. Mj.
Sem. Sumach. Myrtillor.
plantag. an. ʒjß. *Coq. in aq. chalyb. ad* 3. *coletur* ℥vij. *adde.*
Rob Ribes,
Syr. Myrtini ana ℥j.
M. fiat potio pro 2. *vicibus.*

Præter hæc, majoris corroborationis ergò, sequens Elect. etiam præscribebam, quod

℞. *Diacyd. simpl.* ʒjß.
Conser. Rosar. antiq. ℥ß.
Troch. de spodio.
de terra sigill. an. ʒß.
C. C. usti prapar.
Corall. rub. prapar. an. ʒj.
Cum succo Cydon. f. Elect. de quo bis in die vacuo stomacho ʒß. *sumatur.*

Signa febris concurrentis. His & similibus medicamentis, partitis vicibus, pro ratione circumstantiarum, & urgentium indicationum adhibitis, prædictus patiens optimè convaluit, ut & innumerabiles alii, qui hoc anno simili modo dysenteriâ Epidemiâ, sed non admodum malignâ, Giessæ & in vicinia, prehendebantur. Quibus verò non tantum crassa, sed etiam tenuia intestina per affluxum acrium humorum exulcerabantur, unà cum febrilib. symptomatis, his periculosior morbus erat, ut ex sequenti observatione patebit.

OBSERVATIO XX.

Dysenteria totius ventris cum febri.

Indicationes Curativæ. *Studiosus quidam Iuris, natione Brandenburgicus Georgius Vlricus, raræ corporis constitutionis, ad bilis abundantiam inclinans, anno 1608. cum Nobilib. discipulis hîc Giessæ studiorum gratiâ vivens, tempore dysenteriæ Epidemiæ sub initium Augusti, fluxum alvi patitur, primò biliosum, mox prorsus sanguinolentum, cum pure permixtum, absq; ulla stercoris admistione; tormina ventris maximè tempore excretionis, tam infra, quam supra umbilicum, sentiebantur, calor universi corporis acrior, pulsus justo celerior, & interdum magna virium imbecillitas observabatur, urina paucissima reddebatur, eaque biliosa; vigiliæ quoque cum incipiente lipothymia sæpius aderant.*

RESOLVTIO.

Dysenteria triplex ratione loci affecti. Quanquam communiter Practici, quoad partem affectam, dysenteriam aliam tenuium, aliam crassorum intestinorum esse dicant, minimè tamen negari potest, interdum tertiam quoque differentiam occurrere, quando scilicet omnia intestina simul afficiuntur, ubi morbus eò periculosior est. Talis erat etiam dysenteria præsentis ægroti, qui ex acribus biliosis humoribus in toto corpore commotis, & ad intestina debiliora confluentibus, eademq; corrodentibus, malum hoc patiebatur, ubi primò *fluxus alvi biliosus* aderat, tam propter nativam constitutionem bile plurimum auctâ, quàm quod hoc tempore, propter communem causam, tales naturæ plurimum ad alvi fluxiones essent dispositæ, præsertim in iis, qui ex septentrionalibus locis huc accedentes usui vini, tunc temporis ob fœcunditatem præcedentium annorum abundantis, non admodum assueti erant; mox *prorsus sanguinolentus, pureq; permixtus erat*, quo colligebatur, non tantum confertim succos biliosos ex toto naturam ad intestina exonerare, sed eosdem intestinorum tunicas etiam corradere, purisque generationem cum sanguinis profusione, propter oscula venarum aperta, producere; *absq; ulla stercoris admistione*, propterea quod venter totus, vel omnia intestina laborarent, nec quicquam in secretione primæ concoctionis agerent; *tormina ventris &c.* evidenti signo, quod venter totus omnium intestinorum respectu, partem laborantē constituat, cum alias non undique, sed tantum certis in locis dolor apparere soleat, juxta

Occasio fluxus biliosi in hoc subjecto.

Signa omnium intestinorum læsorum.

juxta situm intestinorum, exulceratione laborantium; *calor universi corporis acrior*, propter febrim, ob humores biliosos putrescentes concurrentem; *pulsus justò celerior*, ob majorem eventilationem, quam calor cordis, præter naturam auctus, requirebat; *& interdum magna virium imbecillitas &c.* propter malignitatem ob humores corruptos concurrentem, & evaporationibus noxiis vitales spiritus cordis interdum inficientem; *urina paucissima*, quod alias etiam dysentericis accidere solet, propterea quod omnis humiditas ad alvum confluat, *eaq; biliosa reddebatur*, bilis fervorem & putredinem in ipsis venis etiam indicant; *vigilia quoq; &c.* quæ symptomata frequens dejectio dolorifica, cum febrilibus exhalationibus, producebat.

Signa febris concurrentis.

Indicationes Curativæ.

In hoc periculoso morbo complicato diversa curationis indicationes oriebantur, juxta quas remediorum diversitas præscribebatur: primò enim fluxus admodum urgens & vires dejiciens astringentia, 2. deinde gravis omnium intestinorum exulceratio dolorifica, tàm abstergentia, quàm etiam dolorem lenientia, 4. tandemq; consolidantia requirebat.

Hinc ergo pro scoporum horum varietate medicamenta tàm externa, quàm interna, diversimodè composuimus, non unum tantùm, sed plura sæpius indicantia respiciendo. Mox ergo tàm febrim, quàm fluxum attendendo, clysterem sequentem ordinavimus, qui

℞. *Rad. Bistortæ,*
Symphyti majoris an. ℥ß.
Tormentillæ ʒij.
Cichorei ℥j.
Herb. Acetosæ
Plantag. an. Mjß.
Sum. 4. frig. major. an. ʒjß.
Coq. in s. q. aq. hordei tosti ad 3. colentur ℥xv.
Adde
Sacch. rub. ℥j.
Acaciæ opt. dissolut. ʒij.
Vitell. Ovorum num. 1.
M. f. Enema.

Per os concessimus Syr. Acetos. Citri, pauxillo aq. Cinam. conditum, tum etiam Morsul. ex cort. & succo citri confectos: potionem etiam sequentem ad 2. doses per biduum ordinavimus, quæ ℞. *Hordei tosti* pij. *Nucis Mosch.* ℈j. *Aq. Acetosæ fol. querc. Cichorei an.* ℥ijß. *Coq. ad 3. coletur, & adde Syr. de s. Acetosæ, Citri, Mivæ Cydon. ana* ℥j. *Misce & fiat potio ad 2. vices.*

Potus quotidianus erat aqua decoctionis hordei tosti chalybeata; vel etiam aqua simplex chalybeata, cujus mens. j. panis tostus contritus, Mij. admixtus sit; vel etiam aq. fol. querc. destillata cum Syr. Acetos. Citri, Miva Cydoniorum & similibus, ad formam Julapii permixta, maximè sequens etiam conditum conferebat, quod ℞. *Cons. Rosar. antiq. Acetosellæ an.* ℥jß. *Rad. Cichorei* ℥j. *Corn. C. usti præp.* ʒjß. *Croci Martis* ʒß. *Syr. Acetos. Citri q. s. f. Elect. Molle.*

Eodem fine fiebat etiam amygdalatum, quod

℞. *Amygdal. dulc. excort.* ℥ij. *Sem. papav. alb.* ʒj. *decoct. hordei tosti cum album. Ovi clarificat* ℔j. *f. Emulsio, coletur, & admisceatur Corn. C. usti præp.* ʒij. *Aq. Cinam.* ʒjß. *Conf. Manus Christi perlatæ* ℥ß. *Misce.*

His primis diebus continuatis, ob vehementiam fluxionis cruentæ sat dolorificæ, consequenter hunc clysterem refrigerantem, adstringentem & dolorem lenientem injecimus, qui

℞. *Rad. Cichorei* ℥jß.
Herb. plantag.
Acetosæ ana Mij.
Sem. Myrtillor.
Sumach.
Plantag. ana ʒj.
Furfuris in petia ligati Mjß.
Coq. in s. q. lactis chalibeati ad 3. colentur ℥xv. *adde Sacch. rub.* ℥jß. *pillul. de cynoglossa* ʒß. *Vitell. Ovor. num.* j. *Savi hircini* ℥j. *Misce f. Enema.*

Exterius venter inungebatur linimento sequenti, quod

℞. *Ol. Chamamelini*
Rosar.
Mastichini ana ℥j.
Fl. Chamameli, sum. anethi.
Fl. Rosar. rub. an. pj.
Mastich.
Nucis Mosch. an. ʒß.
Menthæ siccæ pß.
Vini adstringentis parum.
Fiat decoctio lento igne ad vini consumtionem, & cum pauca cera, post colaturam expressam, fiat linimentum.

Post cujus usum panis tostus cum pulvere, superius obs. 15. descripto, pro corroboratione ventris apponatur.

Usus narcoticorum quando conveniat.

Cum autem neque hoc modo sufficienter fervor, & affluxus biliosi sanguinis ad intestina, sisteretur, adeò ut propter virium dissipationem æger periclitaretur, sequens narcoticum per os exhibuimus, quod

℞. *Conf. Rosar. Antiq.* ʒij.
Laudani opiati gr. iij.
Conf. Alkermes ℈ß.
Syr. papav. err. q. s. f.
Elect. molle.

Hoc modo conciliatâ quiete, rariores dejectiones, & somnus interveniens effectum medicamenti comprobabant, quam ob causam partitis vicibus vires confortare, simulq; intestinorum exulcerationem curare conabamur. Prius tentabatur per corroborantia superius posita, tum etiam per victum convenientem, ut sunt juscula gallinarum cum ossibus minutissimè incisarum, & contusarum, additis succis citri, Berberorum & similibus, oryza cum lacte chalybeato, cydonia, pyra &c. magis assata, quam cocta, Posterius diligentem requirebat animadversionem, quam ob causam, cum satis detersa videretur exulceratio, *non scilicet amplius in tantâ copiâ materiam purulentam, sed ichorem cruentum potius per dejectiones*

 exhibens,

Vide problemata med. dec. 6. q. 5.

exhibens, ad consolidationem accedendum esse putavimus, ubi primum aliquoties pulverem Emplasticum ex Cerâ albâ, cum æquali parte Gummi Arabici, tenuiter incisâ, & pulverisatâ in pomo assato solutam, quantitate ʒj. exhibuimus, magno cum successu, simul per inferiora talem clysterem ordinando, qui

℞. *Rad. Tormentillæ* ℥ß.
Cichorei ʒvj.
Herb. Equiseti,
quinquefol.
plantag.
perfoliatæ ana Mj.
Sem. plantag.
Sumach. ana ʒj.
Oryzæ ʒjß.
Coq. in s.q. lactis bubuli chalybeati ad ʒ. colentur ℥xvj.
adde
Sacch. rub. ℥j.
Succi Acaciæ,
Hypocistidis an. ʒj.
Sevi hircini ℥j.
Vitell. Ovor. num j. *M. f. Enema.*

Per os etiam Julapium sequens ordinavimus, quod

℞. *Aq. fol. querc.* ℥x.
Mivæ cydonior. ℥jß.
Cornu C. usti præp. ʒjß.
Corall. rub. præp. ʒß.
Misce.

His medicamentis, pro respectu circumstantiarum urgentium, variatis & repetitis, præter multorum spem, DEI gratiâ pristinæ sanitati patiens restituebatur, quamvis aliàs periculosissimus, ac ut plurimum lethalis hic morbus esse soleat, ubi læsis omnibus intestinis, cum ejusmodi gravibus febrilibus symptomatibus, ægrum talis constitutionis invadere solet, quod anno subsequenti 1609. (ubi malum hoc gravius affligebat, majorique malignitate preditum erat) in viro optimo M. Nicolao Hermanni, primo Mathematum hujus Academiæ Giessenæ Ptofessore p. m. præ cæteris notavimus, qui vehementiâ febris, exulcerationis, & crebritate dejectionum, ita superabatur à morbo, ut tandem paulò ante mortem tucæ intestinorum in substantia separatæ, non absque magno fœtore, putredinis effecto, secederent.

Nota quid in Epidemia Dysenteria faciendum.

Obiter autem hîc notandum, quod tempore dysenteriæ Epidemiæ post malignitatem, cujus gratiâ sæpius etiam alexipharmaca cum reliquis medicamentis permisceantur, Medicus ante omnia constitutionem subjecti laborantis perpendere debeat, cum etiam tunc temporis malum hoc pro ratione illius, quatenus naturâ robustius vel imbecillius, respectu cacochymiæ purius vel impurius est, exacerbationem suam habere soleat, sicuti recordor anno 1614. sub finem Augusti, Nobiles duos Megapolitanos, Studiorum gratiâ, ad nos accessisse, quorum alter *Laurentius Rebenklauw*, alter *Valentius Sperling* vocabatur: uterque huc veniens dysenteriâ prehendebatur (ut putabant, ex contagio, cum paulò ante non procul abhinc in hospitio pernoctarint, ubi morbus hic plures detinuerat) sed modo penitus diverso, prior enim naturâ robustior dysenteriam patiebatur in crassis intestinis, cum materiâ paucâ, sine gravibus symptomatibus, qui post exhibitum Rhabarbarum tostum cum de coctione hordei, continuatâ potione detergente, ut & Aq. fol. querc. cum syr. Myrtino, mivaque cydoniorum, conserva Rosarum antiq. & similibus, brevi convaluit: at posterior, constitutionis tenerioris, dysenteria periculosa totius ventris prehendebatur, qui parum vel nihil proficientibus remediis, ob naturam succumbentem, à morbo superabatur.

OBSERVATIO XXI.

Dysenteria gravia accidentia post se relinquens.

Illustris Comes Solmensis, Dn. Philipp. Reinhardus, ætatis anno 21. raræ constitutionis & habitus, anno 1615. mens. Aug. in dysenteriam intestinorum crassorum. cum materiâ multâ incidit, qui post adhibita varia remedia, tandem convalescens, ophthalmiam primò gravissimam, mox brachij sinistri dolorem vagum vehementissimum, tandem articularem quasi dolorem circa genu sinistrum patitur, ubi materia collecta puris generationem producebat.

RESOLUTIO.

Quomodo Dysenteria sit contagiosa?

Quanquam Dysentericus affectus interdum contagiosus sit, quemadmodum experientia satis superque testatur; idque potissimum ea ratione, quam in problem. Med. decad. 10. q. 5. declaramus; nihilominus optimè notandum, contagium ejusmodi rarius efficax esse, quando totum à superfluis, & peccantibus humoribus, per venæsectionem, & purgationem, liberatum fuit. Hinc maximam præservationis cautionem, quoad dysenterias epidemias, in convenienti corporis evacuatione consistere, per experientiam edocti sumus, quam ob causam anno 1608. & 1609. omnibus, quotquot præservationis ergò me conveniebant, medicumq; consilium expetebant, pro ratione naturarum, & temperamentorum, venæsectione, quoad plethorica corpora, & purgatione, pro peccantium succorum qualitate, succurrere conati sumus, victus rationem moderatam, & abstinentiam à crapulâ simul imperando, nec non tempore prandii, pro ventriculi & intestinorum corroboratione, vini medicati sequentis haustum concedendo, quod

Quomodo præservatio sit instituenda?

℞. *Rad. Tormentillæ.*
Zedoariæ ana ℥ij.
Herb. Card. bened.
Absinthii an. Miij.
Scordii Mij.
Menthæ Mß.
Nucis Mosch. ʒiß.
Macis ʒß.
Infundantur 2. mensuris vini, & singulis septimanis renoventur.

Ut autem hoc modo sublatâ causâ fluxionis, morbus hic præcavetur, ita fit sæpius, ut ejusmodi colluvies non tantum

tantum affectum hunc producat, sed interdum etiam, ob vehementiam dejectionum, evacuationis occasione Medico denegatâ, gravia post se symptomata relinquat. Tale quid anno 1609. in Studioso quodam Hamburgensi, cum collega meo tunc temporis, *Dn. D. Mich. Doringio*, notavi, qui post dysenteriam legitimè curatam de capitis insigni dolore conquerebatur, quem tandem abscessus ad aures & tempora diuturnus sequebatur, quo per appositum corrosivum in aliquot locis aperto, magna copia puris per tempus aliquot, linimento digestivo, pro more chirurgorum cum turundis adhibito, quotidè profluebat, donec tandem sufficienter expurgatâ peccante materiâ, conveniens consolidatio vicissim fieret. Confirmabat hoc etiam præsentis observationis exemplum, in Illustri Comite, qui post dysenteriam convenienter curatam, (potissimum observatis iis, quorum in Germanico consilio, tunc temporis in arce Solmensi, in gratiam Illustris Domini Comitis, conscripto, & post aliquoties, sub titul. **Kurtzer Bericht von der rothen Ruhr**/typis subjecti, mentio fit) admodum *dolorificam ophthalmiam* patiebatur, quæ licet vesicatoriis ad Nucham, propter aversionem, & collyriis ex succino præp. Marg. præp. cum pauxillo croci, in aq. Euphrasiæ, Fœniculi & rosarum dissolutis, dissipationis gratiâ, tandem corrigeretur; fieri tamen non potuit, quin universali purgatione, propter metum recidivæ, respectu ventris infimi debilioris, non tentatâ, fluxus materiæ peccantis aliò vergeret, unde *vagus brachii dolor* subsequebatur, quatenus materia mobilis fixam sedem invenire non poterat, *donec tandem circa genu* colligeretur, ubi non tantùm *sensum dolorificum* producebat, more tumorum arthriticorum, sed etiam *sub cute fluctuans*, puris generationem innuebat, quam ob causam locum per cauterium potentiale tandem aperiendum esse statuimus, (concurrente simul Viro Cl. Dn. Johan. Hartmanno Bejero, Medic. Doctore Francofurtensi, & Dn. Johann. Pinciero, Medic. Doct. Marpurgensi, amicis meis honorandis) quo aperto, dolor mox desiit, magnâ puris copiâ quotidiè profluente, donec sat evacuatâ materiâ, vicissim locus apertus, aliorum vulnerum instar, consolidaretur, duritie quâdam tendinum vicinorum relictâ; quam patiens Illustris, fomentatione decoct. pedum vitulinorum, cum herbis emollientibus & corroborantibus, brevi post omnino sustulit.

Gravia symptomata post Dysenteriam. Observatio de abscessu in facie post Dysenteriam.

Ophthalmia post Dysenteriam.

Item vagus Brachii dolor.

Item abscessus circa genu.

OBSERVATIO XXII.

Dysenteria hepatica.

VIR Iuvenis 22. annorum, *Iohan. Daniel Struppius, à Gelnhausen, Ann. superiori 1620. sub initium Martij, consilii causâ me visitat, de cruentis dejectionibus quotidianis, carnis loturam ut plurimum repræsentantibus, absq; dolore, conqueritur: adest etiam sitis frequenter urgens, urina sub aurea, tenuis, appetitus dejectus, & nausea à carne.*

RESOLUTIO.

QUamvis dysenteriæ vocabulum propriè tantum illas alvi cruentas dejectiones includat, quæ cum intestinorum exulceratione dolorificâ fiunt, abusivè tamen, *juxta Hipp. & Gal.* interdum etiam pro aliis cruentis dejectionibus sumitur, qua ratione dysenteria quædam hepatica dicitur, *ubi intestinis illæsis, propter jecoris imbecillitatem, cruenta fit dejectio.* Talis affectus etiam in hoc ægro proponitur, *ubi cruentæ sunt dejectiones*, non dolorificæ cum pure permixtæ, quales hactenus in dysenteria propriè dictâ descripsimus, nec etiam puri sanguinis, quod venâ quâdam ruptâ vel apertâ fieri solet; *quotidianæ*, per intervalla scilicet, non tantâ crebritate, sicut in dysenteriâ propriè dictâ fieri solet, accidentes, *carnis loturam ut plurimùm repræsentantes*, quatenus jecur imbecillius sanguinem, perfectè nondum elaboratum, sibi non retinet, sed per meseraicas ad alvum transmittit, unde dejectiones ejusmodi similes aquæ redduntur, in qua nuper mactatæ carnes animalium abluuntur; *absq; dolore*, tali scilicet, qui dysentericis aliàs accidere solet, ob intestina p. n. affecta. Non enim negandum, quin hîc etiam gravativus dolor, ob jecoris imbecillitatem levi de causa sæpius observari soleat. Adest *sitis frequenter urgens*, tàm propter absumptionem humidæ substantiæ, respectu fluxionis præter naturam, quàm quod etiam hepar ad intemperiem calidâ inclinet, quod *urina subaurea, tenuis*, cum *appetitu dejecto, nauseaq; carnis* magis confirmabant.

Dysenteriæ vocabulum abusivè sumptum.

Dysenteria hepatica quid?

Etsi verò propterea, quod primis mensibus non admodum affligat hoc malum, ægrotantes interdum non admodum soliciti sint, nihilominus affectus hic periculo non caret, cum pars affecta princeps sit, totique singulis horis prospicere debeat, unde negligentiâ patientis facilimè cachexiam, hydropem, totius consumptionem, &c. producere potest.

Prognosticum.

Quocirca, cum affectus in hoc ægrotante adhuc in principio esse videretur, ante omnia

Indicationes Curativæ.

1. *Iecoris intemperiem calidam, obstructioni minimarum venarum occasionem præbentem, corrigendam.*
2. *Ejus robur dissolutum convenientibus adstringentibus reducendum.*
3. *Primamq; concoctionem corroborandam esse* statuebam.

Quoad primam Indicationem optimè conveniebat conserva Radicum Cichorei, modicè refrigerans & aperiens, respectu jecoris, cui juxta *secundam Indicationem* aliquid astringentium admiscuimus, ut sunt conf. Rosar. antiq. cum appropriatâ jecori carne, vel pulpa passularum corinthiacarum, & aliis hoc modo:

Pro 1.

℞. *Conf. Rad. cichorei* ℥j.
Rosa. antiq. ℥ß.
Pulpæ passul. Corinth. ʒvj.
Limaturæ chalyb. præp. ʒj.
Corall. rub. præp.
Cornu C. V. præp. an. ʒjß.
Syr. de s. Endiviæ q. s.
Fiat elect. molle, cui adde

Spir.

Spir. Vitriol. ex Marte
Præp. ℈ß. *Misce.*

Hujus Electuarii usus ℥ß. frequens sit stomacho vacuo, quotidiè bis, tribus horis ante cibum, cujus loco, variationis gratiâ, sumantur etiam interdum Rotulæ, quæ

℞. *Spec. diarrod. Abbat* ʒjß.
Diatrion Santalon ʒj.
Conf. Rad. Cichorei ℥ß.
Sem. Melon. ʒiij.
Sach. in aqu. Rof. & Endivia solut. ℥vj.
Fiat Confectio in Rotulis.

Pro 2. Porrò majoris corroborationis gratia, *juxta secundum canonem* interdum etiam usum Rhabarbari parumper tosti concessimus, quantitate ʒjß. cum pulpa passularum minorum permixtum, haustu vini medicati calefacti superaddito, quod

℞. *Rad. cichorei* ℥ij.
Herb. Agrimoniæ.
Marrubii albi an. Mjß.
Absinthii Mß.
Sem. fœniculi ℥ß.
Macis,
Nucis Mosch. ana ʒj.

Incisa & contusa infundantur in ℔viij. *vini Rhenani tenuioris, de quo tempore prandii quoq; corroborationis ergò primus haustus bibatur.*

Exterius inunctionem ordinavimus manè, vesperique:

℞. *Ol. Absinthii.*
Cydonior.
Amygdal. amar. ana ℥jß.
Fl. Chamæmeli.
Sum. Absinthii.
Agrimoniæ ana pj.
Mastich.
Nucis Mosch.
Garyophyllor. ana ʒj.
Aq. Absinth.
Aceti Sambucini an. q. s.
f. decoct. & coletur pro linimento.

Pro 3. Præter dicta, *quod tertium scopum* attinet, victum facilis coctionis modicè refrigerantem & adstringentem ordinavimus, inprimisque crapulam angue pejus fugiendam esse diximus, quibus monitis ad vernum usque tempus observatis, pristinæ sanitati patiens vicissim restitutus fuit, ita ut æstivis mensibus militiæ causâ ad Bohemos abiret.

OBSERVATIO XXIII.

Frequens biliosa collectio circa mesenterium.

I*CTUS quidam, Dn. D. Laurentius Heisterman, Rever. Capituli Bremensis Syndicus, amicus meus honorandus, constitutionis aliâs sanguineæ, Westphalus natione, consistentis ætatis. Anno 1616. tempore æstatis Wildungæ sanitatis recuperandæ gratiâ vivens, & acidularum potu utens, consilium nostrum expetebat, ea propter, quod affectu chronico laboraret, nimirum vomitum frequenter patiens, quo omnis generis biliosa colluvies, tam vitellinæ, quàm porraceæ, viridis & æruginosæ bilis, cum admixtâ pituitâ ejiciebatur, idq; fieri dicebat per intervalla, potissimùm verò tunc temporis, ubi crapula ex vino præcesserat, unà cum capitis dolore, totiusq; corporis lassitudine. Superato verò paroxysmo, crebrioribus ventriculi ructibus se macerari dicebat, quamvis aliàs, quoad animales, vitales & naturales facultates mediocriter valere sibi videretur.*

RESOLUTIO.

CUm præsens vir bonus diversorum Medicorum consilia diversa collegisset, inter omnes, quoad cognitionem & curationem hujus affectus, rem ipsam acu tetigisse videbatur Medicus peritissimus, Dn. D. Hermannus Cunerdingus, Archiater Schaumburgicus, cujus præscripto calculum etiam lubens addebam, utpote cum non solùm ex causis suis omnia symptomata deduceret, sed curationem quoq; convenienter Indicationibus constitutis institueret. Summa verò consilii talis erat. Quanquam vomitus expultricis ventriculi symptoma sit, nec negari possit ex corruptione esculentorum, & potulentorum bilem prassinam, & alios humores, in ventriculo generari, qui propter corruptionem & conceptam putredinem qualemcunque, postea ventriculum ad expulsionem extimulare soleant, inprimis post vini largiorem haustum, ubi vini partibus spirituosis consumptis, terrestres ac tartareæ ventriculo multum negotii facessunt; nihilominus cum hic vomitus per dies aliquot durare soleat, & sæpius recurrat, minimè dubitandum, quod hæc humorum saburra, maximâ ex parte, *ex venis & reduplicatione Mesenterii, glandulosoque corpore pancreatis* (in quæ loca, tanquam in sentinam, viscera naturalia sua supervacua deponere solent) in ventriculum eructetur, & diuturnioris vomitus, per quem varii generis, pro diversa viscerum constitutione & intemperie, excrementa purgentur, causa sit. *Proxima causa mali.* Colliguntur autem in prædictis locis ejusmodi contenta, propter *calidam hepatis & vicinarum venarum dyscrasiam*, ubi facilimè fieri posset, ut ejusmodi excrementa, venulas minores ac profundiores hinc inde per ventriculum, mesenterium, omentum & pancreas disseminatas, magis obstruerent, & affectui Hypochondriaco ansam præberent, prout *ructus crebriores* extra paroxysmum idipsum innuere videntur, propterea quod ex dictis locis plurimi halitus os ventriculi præter naturam afficiant. *Causa antecedens.* Datâ symptomatum hac ratione, facilimè patet *affecta pars*, ut & minera, seu causa proxima, sæpius recurrentis vomitionis, quę tamen semper ab externa causa irritari, moverique solet, nempe ex neglectâ vitæ victusque ratione, quâ convenienter observatâ, fors fieret, ut natura materiam morbificam partim concoqueret, partim successivè per convenientes meatus expurgaret, ne humores agitati, quâ datâ portâ, ruerent & vires prosternerent. *Causa externa.*

Horum

Indicationes curandi.

Horum omnium cognitio ea propter necessaria judicatur, ut indicationes curandi juxta theoriam hanc deducantur: *I. Ventriculus enim, ejusque orificium corroboratione indigent, ne biliosam illam colluviem tam citò recipiant. II. Deinde hepatis & Meseraicarum intemperies cum obstructione corrigenda venit, ne peccans materia inibi tam facilè generetur & succrescat.* In his scopis perficiendis tota curatio consistit, quæ triplici remedio peragitur, nimirum diæta, chirurgia & pharmacia.

Materia auxiliorum.

Diæta.

Quod diætam attinet, vitetur crapula quantum fieri potest, inprimisque fugiat æger vina sulphurata, sicut etiam admodum dulcia, Rhenanum album ætate medium eligatur, quod citò penetrat, nec epar admodum inflammat, sicut etiam ejusdem loci vinum rubrum, quod adstrictione modica ventriculum post vomitiones optimè roborat: inter cerevisias eligantur optimè depuratæ, quarum potu natura juvari videtur.

Quoad esculenta, fugiat pinguia, in sartagine frixa, nimis salita, piperata, cum sinapi, raphano rustico, cæpis & aliis præparata: carnes itidem senescentium animalium, ut etiam suillam recentem, & alia hujus generis, quæ superfluam biliosam & pituitosam colluviem generare solent. Contrà, pro jecoris refrigeratione, apertione, bilisque generandæ præcautione, conveniunt in genere ferè omnia acida & subamara, quam ob causam alimenta frequenter aceto parumper condienda: brodiis carnium sub initium prandii sæpius utatur, quibus incoquantur acetosa, lactuca, spinachia, quando haberi possunt: hordeum etiam excorticatum hoc modo coctũ, & parumper aceto rosaceo conditum, ut & passulæ minores atque majores, amygdalata cum seminibus 4. frig. majoribus confecta, carnes itidem vitulorum, hinnulorum, boum juniorum, capreolorum silvestrium, leporum juniorum, avium montanarum; pisces saxatiles, lucii, percæ, similesque squamosi conceduntur. In his & aliis cibis convenientibus assumendis liquidiora præmittantur, solidiora & assata postponantur, utpote quo ordine neglecto, cibus in ventriculo facilimè corrumpatur.

Ordo in cibis assumendis, de quo Vide quæst. in cal. Tract. nostri de Scorbuto.

Quoad ciborum quantitatem, ipsius ventriculi vires ponderandæ, ne copiâ facultas concoctrix obruatur. Primus haustus sit optimè defæcatæ cerevesiæ, propter intemperiem calidam, ad quam viscera inclinant, nisi fortassis interdum, roborandi ventriculi causâ, vini absinthitis haustum tempore prandii præmittere placeat. Cœna sit sæpius nulla, vel temperata satis, cum tali abstinentia multi morbi chronici curari soleant. Cum assatis carnibus intinctus ex aceto rosaceo, ex succo agrestæ, berberorum, Ribium, cerasorum acidorum, acetosæ, temperandi caloris causâ, sumantur: dulcia cum saccharo & melle præpræparata non conveniunt, cum plurimum bilem generent, & obstructiones augeant.

Chirurgia.

Quoad 2. fontem remediorum, nihil hîc indicationes curativæ suppeditant, præterquam quod interdum verno tempore venæsectio possit institui, cum Epar calidum, & ad bilis generationem promptum sit, ubi præcedenti leni corporis evacuatione, Basilica dextri lateris aperiri potest, quinque vel sex unciis sanguinis emissis, quâ ratione jecur refrigeratur, & massa sanguinis temperatur. Quodsi ipsa natura venas hæmorrhoidales apperire tentaret, conatus ejusmodi promovendus esset.

Pharmacia.

Quod pharmaciam attinet, consultum videtur, ut verno tempore, sicut etiam autumnali, post æquinoctium, naturæ per usum convenientium medicamentorum succurratur, ut intemperies maturè corrigatur, & excrementitii succi collectio præcaveatur. Primò igitur haustus lenitivus jejuno stomacho (sobriâ vitâ diebus aliquot præeunte) sumatur, qui

℞. *Fol. senæ mund.* ℥iijß.
Epithymi,
Fl. Acaciæ,
Violar. ana pß.
Sem. anisi ℈ij.

Infundantur in jusculo macro pulli, cum pauco vino, calidè per noctem, manè factâ ebullitione colentur.

℞. *Colat.* ℥iijß. *adde Mannæ calabrinæ* ʒx. *dissolutis ad ignem & colatis adde expressionem ex Rhabarb.* ℈iiij. *cum gr.* vj. *squinanthi per noctem in aq. cichor. cum pauco vino infusi, Aq. cinam.* ʒjß. *Misce fiat haustus: quo præmisso per quatriduum, pro digestione sumatur decoctum radicum cichorei & passularum* ℥iiij. *cui syrupum ex scoria ferri, superius descriptum,* ℥jß. *adderem, id q. singulis diebus bis, temperatâ victus ratione simul observata, repetatur.*

Digestionem hanc excipiat usus potionis sequentis, pro materiæ digestæ purgatione, quæ

℞. *Rad. graminis,*
polypodij ana ℥ij.
Cichorei ℥iij.
Liquir. rasæ ℥jß.
Herb. capill. Veneris,
Fumariæ,
Lupul.
Acetosæ ana pj.
Absinth. pß.
Passular. minor. pjß.
Prunorum Damas. num. iiij.

Coq. in sero lactis caprini, cum pauco vino & aceto separati q. s. ad ℔.

℞. *Colaturæ q. s. ad infusionem,*
Rhabar. ʒjß.
Fol. senæ ℥iij.
Epithymi pj.
Fl. borrag. pß.
Sem. Anisi ℈ij
Spicæ Ind. gr. vij.
Aq. cinam. ʒjß.
Manè factâ ebullitione colentur.

℞. *Colaturæ* ℥iijß. *adde*
El. de psyllio è med. pixide ℥ij.
Syr. rosat. solut. cum Rhab. ℥j.
Aq. cinam. ʒjß.
M. f. haustus.

Cum autem in chronicis his viſcerum obſtructionibus, partitis vicibus evacuationes inſtituendæ veniant, ideò conſultum erit, ut his adhibitis patiens per quatriduum quieſcat & moderatè vivat, uſque dum die quintâ viciſſim digeſtionem incipiat, & adhuc ſemel prædictam potionem purgantem ſuperaddat, ut venæ minores viarum primarum aperiantur, & à colluvie peccantium humorum purgentur. Interim pro corroboratione Morſuli ſequentes conficiantur, quorum uſus tribus horis ante prandium & cœnam, poſt præcedentia, quant. ʒij. vel ʒiij. frequens ſit.

℞. *Spec. diarrh. Abb. ſine camphora* ʒiij.
Roſatæ novellæ ʒj.
Trium ſantal. ſ. camph. ʒß.
Magiſt. Perlarum ℈j.
Corall. rub. ℈ij.
Extr. Rad. Cich. ʒß.
Sacch. in aq. roſar. ſolut. ℥v.
f. Morſuli.

Præter hanc anniverſariam curationem intermedia tempora diligenter etiam obſerventur, ubi præter obſervationem victus, ante notatam, in promptu ſint ejusmodi media, quæ ventriculum & Epar corroborare, bilisque proventum uberem, cum reliquis humoribus excrementitiis præcavere poſſunt.

Hoc fine ſequens pillularum maſſa præparetur, quæ

℞. *Fl. roſar. rub.* ℥j.
Extr. aloës puriſſ. ʒvj.
Rhabar. el. alperſi aq.
Cinam. ʒiij.
Maſticis ʒß.
Spicæ ℈ß.
Syr. roſat. ſolut. q. ſ.
f. paſta pro pillulis.

℞. *Hujus Maſſæ* ℈jß. ℈ij. *vel concurrentibus alvi abſtructionibus* ʒj. *formentur pillulæ, quæ horæ ſpacio, cum juſculo quodam, ante cœnam vel prandium, ſingulis ſeptimanis ſemel, vel ad ſummum bis ſumantur.* Hujus loco non inconveniens erit uſus paſſularum laxativarum cum ſenæ decocto, Rhabarbarique pulvere confectarum, quæ jecori ſingulariter dicatæ ſunt, venarumq; meſeraicarum obſtructionem aperiunt, ubi cochlearibus duobus vacuo ſtomacho benè maſticentur, & deglutiantur.

Cappares etiam aceto & pauco oleo conditæ, ut etiam recentes radices cichorei, ad mollitiem aliquam coctæ, paucoque aceto roſaceo, & olei aliquot guttulis aſperſæ, conveniunt diebus intermediis, ubi nec pillulæ, nec uvæ paſſæ laxativæ uſurpantur. Eodem modo conſ. Roſarum vitriolata, oxyſacch. ſimpl. ſyrupus de Agreſta, Rob. Ribes, Berberorum, Miva cydoniorum, cydonia condita, &c. jejuno ſtomacho conveniunt, quatenus ventriculum confortant, & ferocientem bilem compeſcunt. Æſtatis tempore frequens ſit uſus ſeri lactis caprini, cum ſuccis hepar refrigerantibus & aperientibus, cujus fructus eò major expectandus, ſi capra ſelectis herbis nutriatur, quâ de re videatur Galenus, & alii.

Hæc antecedentis cauſæ reſpectu ſufficiant: quoad ipſum paroxyſmum colophonidis loco notandum, quod poſt largiorem vini potum, qui malum exacerbare ſolet, non ſtatim dormiendum ſit, ſed vomitus excitandus aſſumpto pleniori hauſtu tepidæ decoctionis hordei, cum ℥ij. ſyrupi acetoſi, ſimplicis, idque non ſemel tantum, ſed aliquoties, ſi eo inclinat natura, ut omnes ventriculi cruditates rejiciantur; quo facto os eluat aqua cum aceto parumper permixta, faciem & oculos aq. Roſar. abſtergat, & ad ſomnum ſeſe diſponat.

Quid faciendum in inſultu morbi.

Superveniente verò nihilominus bilis vomitione poſt ſomnum, prædicto vomitorio leni facultati expultrici ſuccurrat, cum bilis ſincerioris vomitus difficilis eſſe conſueverit, quò colluvies illa tunicis, & fundo ventriculi adhæreſcens, diluatur. Nec inconveniens eſſet, hoc tempore clyſter leniens, quatenus materia in motu eſt, & hoc modo citius averſio aliqua fieri poteſt.

Exterius ventriculus foveatur ex roſis, abſinthio, Maſtyche, ligno Aloës, ſem. coriandri, ſpica celt. & ſimilibus in aq. & aceto roſaceo decoctis: caput oxyrhodino muniatur, ex aq. fl. ſambuci, cum aq. & ol. roſarum permixta, paucis aliquot Spir. vitrioli guttis additis. Tandem remittentibus vomitionibus aliquid ſuperius dictorum ſyruporum, bilem temperantium, & ventriculi orificium corroborantium, ſumatur, & contra ſitim Julapium Roſaceum cum ſucco citri conficiatur. Hæc erat ſumma conſilii à prędicto Medico clariſſimo pręſcripti, cujus rationes improbare non potuimus, eique nihil addidimus, prætérquam convenientem acidularum Wildungenſium uſum, de quo ſequentibus obſervationibus pluribus agemus.

OBSERVATIO XXIV.

Obſtructio Meſenterii cum incipiente inflammatione jecoris.

Nobiliſſ. fœmina, *Volperti* Riedeſels in Eiſenbach/ *junioris, conjux, circiter* 20. *annor. ætatis, calida ſicca, conſtitutionis corporis tenerioris, ſterile conjugium ducens, Anno* 1616. *ſub initium Ianuarij appetitu prehenditur dejecto, cum nauſea præſertim à carne, tormina ventris adſunt & dorſi, partium omnium imbecillitas, repentina frequens anxietis, corporis totius abſumptio: urina redditur ſubrubra, craſſa, cum alvi obſtructione per octiduum.*

RESOLUTIO.

Nativa ſubjecti laborantis *conſtitutio* promptitudinem ad *viſcerum obſtructionem* ſatis hîc innuebat; unde *ſterilitas conjugii* non difficulter quoque deduci poteſt, quemadmodum in obſervationibus de morbis mulierum ulterius patebit. Aderat autem ejusmodi *obſtructio circa meſenterium ejusq; vaſa, cum incipiente inflammatione jecoris*, unde primò *dejectus appetitus*, ventriculo per conſenſum debilitato, quatenus adjuvans concoct. cauſa, calor influens, aliò revocatus, ad partem ſcilicet primò laborantem in vicinia, chylificationis operationem imperfectam relinquit, quapropter neceſſariò cruditatis collectæ

Locus affectus.

collectæ causâ *nausea* oritur, præsertim *à carne*, quod jecoris inflammati signum est. *Tormina ventris*, propter membranosam mesenterii substantiam, circa vertebras lumborum duplicatam, ibidémque variis nervorum propaginibus exorientem, à succis putrescentibus vellicatam, oriebantur: *partium omnium imbecillitas*, ex defectu convenientis alimenti minimè restauratâ corporis substantiâ, *repentina frequens anxietas*, propter putridas exhalationes, spirituosam cordis substantiam sæpius afficientes, *totiusq; corporis absumptio*, concoctionis officinâ laborante, sequebatur. *Vrina subrubra crassa* reddebatur, propter bilis impurioris copiam ad putredinem inclinantem, quam jecoris calor intensior, convenienti materia sanguinis, propter obstructiones mesenterii, stomachiq; chylificationem impeditam, destitutus, producebat, *cum alvi obstructione*, quæ visceribus calidis siccis omnem fluidam materiam confertim haurientibus, & bile, quæ calcar excretionis, ad partem laborantem aversâ, frequens esse solet. His observatis communicato consilio cum *Clariss. Medico Profess. Marpurgensi, Dn. D. Nicolao Braun*, amico meo colendo, qui mecum vocatus erat, eò respicendum esse putabam.

Indicationes Curativa. *I. Vt quotidiana alvi laxatio diligenter promoveatur.*

II. Deinde, ut ejusmodi media præscribantur, quæ vasa mesenterii, jecoris & lienis aperiant, & intemperiem calidam siccam temperent.

III. Tandem ut viscera concoctionis, tam per medicamenta, quam alimenta corroborentur.

Pro 1. *Quoad primum* sequens vinum laxativum ordinavimus, quod

℞. *Fol. Senæ* ℥j.
Passul. minor. ℥ij.
Rad. Petroselini.
Asparagi ana ℥ß.
Cichorei ʒvj.
Sem. carthami ponderosi ʒjß.
Fœniculi,
Anisi ana ʒß.
Macis,
Cinamomi ana ℈j.

Incisa & contusa infundantur in vini oligophori ℔iij. *Aq. Endiviæ vel Acetosæ* ℔j. *fiant 24. horis, dein jejuno stomacho, post aliquot cochlearia brodii carnis, sumatur haustus plenus per dies aliquot.*

Cum vero delicata nimis patiens esset, hujus loco permutationis gratiâ, frequenter vacuo stomacho, mox ante cibum, florum Acaciæ infusum in vino cum aqua Cichorei diluto concessimus, unà cum ʒiij. Elect. de Tamarindis, cum extr. fol. senæ, quod hîc nobis in usu est.

Pro 2. *Quoad secundum*, cum urina obstructionem mesenterii in venis meseraicis & splenicis, ex latitante materia putrescente, satis demonstret, conveniens esset, ut una cum alvi evacuatione, quæ pro ratione præsentis casus, non simul & semel, sed pedetentim & partitis vicibus instituenda venit, talia media præscriberentur, quæ *factam obstructionem resolvere, materiam peccantem collectam dissipare, simulq; calorem internum p. n. viscera quasi exurentem temperare nata sunt.* *Intentiones pro Scopo secundo.* Hîc conveniens esset usus radicum cichorei, cum passulis decoctarum in brodio carnis, de quo M. Vq; quantitate ℥iiij. vel v. potiuncula sumi poterit, cujus loco conf. Radicum cichorei singulis diebus bis quantitate ʒiij. vel iiij. optimè quoque conveniet. Permutationis gratiâ ℞. gallinam decrepitam, quæ repleatur sequentibus.

℞. *Confer. Rosar.* ℥j.
Rad. cichorei ℥ß.
Pul. corn. C. usti præp. ʒij.
Cremoris Tart. ʒiij.
Macis,
Cinamom. ana ℈jß.

Incisa & contusa cum gallinâ coquantur, donec ab ossibus caro decidat, postea contundantur omnia, & succus exprimatur, de quo succo cum Aq. cichor. paululum diluto, M. Vq; sumantur ℥iiij. vel v.

Exterius venter infimus frequenter unguento Rosato, inprimis circa jecoris & renum regionem, inungatur, apposito interdum cerato Santalino cum oleo rosar. malaxato.

Pro 3. *Quoad tertium*, pulverem cordialem corroborantem ordinavimus: qui

℞. *Sp. diarrh. Abb. sine aromatibus* ʒjß.
Corall. rub. præp. ʒj.
Marg. præp. ʒß.
Cort. citri,
Sem. citri ana ℈j.
Cor. C. usti præp. ʒij.
Caryophyll.
Ligni Aloës ana ℈j.
Croci gr. vij.
Sacch. Cand. ʒiij.

F. pulvis per cribrum, de quo sæpius ℈j. *quotidie bis cum Aq. Acetosæ vel cichorei, vel cum pane tosto, parumper in vino diluto madefacto, sumatur.*

Hujus loco conserva Rosar. vitriolata, vel cum recenti succo citri permixta, sicut etiam sequens syrupus interdum usurpari poterit, qui

℞. *Syr. acetos. citri* ℥j.
de mentha ʒvj.
Rob. berberorum ℥ß.
Spir. Vitriol. ℈ß. *Misce.*

Porrò quod diætam attinet, alimenta difficilis alterationis, admodum salita, nec non aromatisata plurimum calefacientia, sicut etiam plerique pisces, lacticinia, caseus, brassica, sinapi, raphanus rusticus, &c. vitentur. Contrà caro bovina succulenta, vitulina, gallinarum, caponum, turdorum, capreolorum silvestrium, leporum juniorum, perdicum, &c. maximè verò brodia prædictarum carnium expressa, quemadmodum etiam decoctionis cerasorum acidorum exiccatorum, prunorum Damascenorum, hordei excorticati parumper aceto condita, avenæ excorticatæ cerevisiæ cum pane, amygdalarum

dulcium cum sacchoro, &c. conveniunt. Inter olera cherefolium cum spinachia, quam primum haberi potest, interdum decoquatur ad pultis formam; ova non nisi tremula recenter cocta concedantur, minimè frixa, cum difficilioris coctionis sint.

Quoad pisces saxatiles (quorum hoc loco copia dabatur) fundulos & auratas permittebamus, cum butyro videlicet & rad. petroselini, semineq; carui coctos.

Quoad potum, cum ægra plurimum à vino abhorreret, ejusque caliditas timenda, cerevisiam optimè depuratam (cum à teneris hujus potu educata esset) cum infusione radicum cichorei, ad jucundam amaritiem, & interdum unà cum cibis haustum vini cum aqua extracti (nostri vocant gezogenen Wein) concessimus, vel solitariè, vel cum passulis minoribus infusum & dulcoratum. Vicem præcedentium interdum permutationis gratiâ sequens aqua supplere poterit, quæ

℞. *Liquir. rasæ* ℥j.
Passul. minor. ℥ß.
Cinam. ʒij.
Cerasorum acid. exiccat. contusor. ℥jß.

Omnia immittantur in lagenam stanneam, cui infunde aq. ferventiss. ℔vj. exactè claudatur, donec suâ sponte refrigeretur. His ordinatis, & per mensem unum atque alterum continuatis, ægra sensim convalescebat, donec suasu nostro subsequente Junio, tam propter reliquias obstructionum in mesenterio, quam intemperiei calidæ corrigendæ, viscerumq; roborandorum gratiâ, Wildungenses acidulas convenienter præscriptas biberet, à quo tempore redeuntibus etiam mensibus optimè restituta fuit.

OBSERVATIO XXV.

Abscessus Mesenterii per cruentas & purulentas dejectiones solutus.

Virgo consistentis Ætatis, Herman von Cöln *filia,* in Butzbach *annos triginta superans, Anno* 1615. *mense Ianuario, postquam per semestre difficultatem circa os sternon, cum ructibus ascendentibus, respiratione difficili, nausea, palpitatione cordis senserat, alvi dejectiones cruentas & purulentas satis copiosas patitur, non sine virium lapsu, calore præter naturam, & urgente siti, licet extrema frigeant, leviq; de causa horror adsit.*

RESOLUTIO.

Cum, nativæ constitutionis respectu, plenior & carnosa videretur hæc patiens, & præcedentibus annis menses difficiliores & inordinatos habuisset, artificiali conjecturâ colligebam, sanguinis, aliorumque humorum abundantiam, in venis mesenterii, temporis diuturnitate collectam fuisse, quod testabatur *difficultas circa os sternon*, quam obstruens materia acrior ebulliens, *cum ructibus ascendentibus*, ob halitus corruptos, ventriculum afficientes, producebat; *respiratio difficilis*, qualis hypochondriacis, vel compressione diaphragmatis, ob evaporationes ascendentes, vel tensione & repletione partium subjacentium, accidere solet; *nausea*, propter cruditates in ventriculo, ob diminutam venarum suctionem, congestas: *palpitatio cordis*, ob seri copiam consequenter in toto superabundantis, cujus ratione cordis palpitatio frequenter accidere solet, ut supra monstravimus.

Causa antecedens.

Symptomata deducuntur ex causis.

His affligentibus per semestre, subito tandem *dejectiones cruentæ & purulentæ satis copiosæ* subsequuntur, manifesto indicio, quod abscessus aliquis ruptus fuerit, ipsâ naturâ delitescentia & cæca spiracula, viasque occultas sibi recludente.

Indicia rupti abscessus.

Talem enim purulentam collectionem *non in ipsis intestinis*, quod dysentericis accidere solet, progenitam fuisse satis ex eo patet, quod signa, superius in observationibus de dysenteria notata, non adfuerint, cum absque ventris dolore, torminibusque fierent, nec partitis vicibus, sed maximâ copiâ subito irruerent: *nec etiam jecoris hic abscessus esse potuit*, cum nulla febris aliaque signa, jecoris inflammationem, & purulentam collectionem comitantia, deprehenderentur. Relinquitur ergo *circa mesenterium* affectionem hanc fuisse, præsertim cum in hac corporis parte, sæpius ad miraculum usque, sine dolore admodum insigni, non tantum inflammatio, sed etiam purulenta generatio satis copiosa fieri possit.

Non esse abscessum in ipsis intestinis.

Nec in jecore.

Quod in Mesenterio fuerit.

Quanquam verò præcedenti observatione tormina ventris & dorsi, propter membranosam mesenterii substantiam cum nervis complicatam, fieri diximus, nihilominus notandum, id rarius accidere, teste experientia, quatenus hæc membranosa substantia plurimis glandulis, & adipe copiosa vestiri solet, quod corpulentis naturis his obstructionibus obnoxiis præ macilentis convenit, unde facilimè patet, cur ægra præcedentis observationis exquisitiores dolores aliis habuerit.

Dubitationis Solutio.

Ut autem aliàs evacuationes ἀθρόως factæ debilitatem introducunt, sic etiam hoc loco *virium lapsus* accidebat, unà spirituosâ cordis substantia tetris & malignis vaporibus lacessitâ; *calor præter naturam & sitis urgebant*, tàm propter intemperiem ex commotione sanguinis in toto, quàm propter resolutionem caloris nativi, quę nimias evacuationes consequi solet; *extremis frigescentibus*, propter caloris ad principium, internaque viscera, concursum; levique de causâ suborto *horrore*, propter extimarum partium in utrumque citam mutationem, ob caloris paupertatem provenientem, quemadmodum talia symptomata sæpius acutis etiam accidere solent, ut pluribus ex *Coacis Hipp. prænotionibus* manifestatur. Posteaquam vero, me vocato, natura, quod abscessus rupturam sibi ipsi viam aperuisset, consequenter has indicationes observandas esse dixi: 1. *Emollientibus & moderatè discutientibus residuum inflammationis mitigetur,* 2. *purulentæ materiæ copia superstes detergeatur,* 3. *quoad consolidationem natura juvetur,* 4. *& viribus prospiciatur.*

Scopus Curationis.

Secundum has indicationes consilium præscripsimus, nimirum, ut *quoad primum*, eò respiciat, quò laxa retineatur alvus, ubi loco potus, pro siti compescendâ, sequens decoctum conveniret, quod

Pro 1.

℞. *Rad.*

℞. *Rad. glycyrrhizæ,*
Scorzoneræ ana ℥j.
Cichorei ʒvj.
Vvarum passar. minor. ℥ij.
Caricar. ping. num. vij.
Sem. melonum ʒvj.
Fl. Rosar. rub. M ß.
Bugloss.
Violar. ana p ij.
Santali albi ℈ij.
Cinam. ʒiij.
Tartari albi ℥ iß.

Infundantur in Aq. fontanæ ℔vj. vini ℔ij. per noctem: mane coq. in Balneo per horas 4. vel 5. dein per manicam Hipp. colentur. Hujus loco, permutationis ergò, serum lactis caprini non inconveniens esset, inprimis modico mellis rosati conditum, quibus aliquantisper continuatis vinum oligophorum, passulis conditum, interdum assumat.

Quoad alimenta respiciat eò, quo cibus vitetur, qui difficilis est coctionis, ut & nimium aromatisatus, salsus, acidus, vel excedente dulcedine novas obstructiones venarum producente præditus.

Non negligat singulis septimanis bis electuarii sequentis usum, quod

℞. *Elect. de Tamarindis cum*
extract. fol. Senæ.
d. n. ℥iij.
Cremoris Tartari ʒiij.
Syr. rosat. solut. cum Rhab. q. s.
F. Elect. de quo ʒiij. *cum sero lactis caprini dissolvantur, & vacuo stomacho sumantur.*

Pro 2. *Quod secundum* attinet, usum Elect. de limatura chalybis commendavimus, quod

℞. *Limaturæ Chalybis prap.* ℥ jß.
Spec. diarrh. Abb.
Diacurcumæ ana ʒij.
Pul glycyrrhizæ ʒj.
Cinammom. ʒß.
Conf. Fl. rosar.
Rad. cichorei ana ℥j.
Syr. de Eupatorio q. s.
Fiat Electuarium molle, quod misceatur lento igne, & post fermentationem usurpetur quotidiè vacuo stomacho quantitate ʒij. *cum decoctione radicum cichorei, & passularum.*

Hoc modo non tantum detersioni, sed etiam viscerum corroborationi satisfit, quatenus hæc remedia jecoris robur conservant, ipsamque facultatem naturalem juvant. Pillulas etiam de succino singulis septimanis bis ante somnum concessimus, quantitate ℈ß. tam propter concoctionem juvandam, quàm etiam, ut superflua citiùs absq; vehementiâ detergeantur.

Pro 3. *Quoad tertium.* Terebinthinam Venetam ordinavimus, primò quidem diligenter in aq. rosar. elotam, & cum ol. amygdal. dulc. permixtam, quantitate ʒij. jejuno stomacho bis assumendam, deinde etiam in formâ pillularum cum pul. Rhabarbari confectam, prout hîc in officinis habetur.

Pro 4. *Quoad quartum,* præter victum facilis digestionis, confectionem pro virium corroboratione frequenter assumendam ordinavimus:

℞. *Spec. diarrh. abb.*
Diamarg. frigidi an. ʒß.
Diatrag. frigid. ʒj.
Sacch. in aq. Rosar. soluti ℥iiij.
Ol. citri,
Cinam. ana gut. iij.
anisi gutt. v.
f. confectio in Morsulis, cujus usus frequens sit.

Lassitudo totius in convalescentia quomodo curanda. Cæterùm cum lassitudo totius habitus corporis, benè refectis internis visceribus, non remitteret, fortè quod ex imbecillitate caloris crudius serum in musculosâ substantiâ, propter denegatam discursionem, colligeretur, domesticis remediis interdum sudorem provocandum esse dicebam, nimirum usu aq. Veronicæ, cum ℥ij. El. de baccis sambuci dilutæ, pro sufficienti haustu matutino, simul ℈ß. Theriacæ vel Mithridatii addito, quibus aliquoties repetitis optimè convaluit; nec in posterum de recidiva conquesta fuit.

OBSERVATIO XXVI.

Abscessus Mesenterii diuturnus, cum excretione puris paulatim factâ.

PUer decem annorum, Quæstoris Alsfeldensis, Christophori Eckardi filius, per annum integrum fluxum alvi cruentum & purulentum patitur; respectu totius absumitur: dolores gravativos interdum circa umbilicum in abdominis dextrâ parte patitur: somnus est interruptus, perturbatus, post somnum melancholicâ anxietate prehenditur, urina alba & spicea apparet.

RESOLUTIO.

Locus affectus. HIC casus an. superiori 1620, sub initium veris, à prædicti pueri parente, per literas mihi proponebatur, ubi malum circa mesenterium latitare judicabam: aderat autem *fluxus alvi cruentus purulentus*, qui sensim fiebat, sine præcedentibus torminibus, unde facile colligebam, *non ob intestinorum exulcerationem* eum accidere, nec etiam *propter febris*, aliorumq; gravium symptomatum absentiam, ex parte quadam principe, *jecore videlicet, vel alia quadam* provenire, sed in *mesenterio*, ejusque glandulosâ substantiâ, suam originem habere; quod etiam *dolores gravativi* circa umbilicum, potissimumq; dextram abdominis partem, ubi glandulosum pancreatis corpus residet, satis innuere videbantur. *Somnus autem interruptus & perturbatus* erat, propterea, quod hæc collectio convenientes exhalationes somniferas fumis adustis inficeret, unde post somnum iisdem spiritus animales infecti, cogitationes melancholicas producebant, quod aliàs ex eadem causâ hypochondriacis etiam accidere solet.

Totius absumptionem impedita sanguificatio generabat, cujus causa mesenterii abscessus, quem aliquando phthisin causare posse satis ex iis patet, quæ à nobis *lib 7. de Hist. Med. mirab. cap. 5. in editione Marcelli Donati* proponuntur, hinc etiam *urina alba & spicea* reddebatur, propter cruditates ex imbecillitate caloris nativi collectas.

Victus ratio. Consilii causa, quoad victum ab acribus, salsis, acidis, aromatisatis, cæpis, raphano rustico, & similib. abstinendum esse dico: contrà cremorem hordei frequenter, ante cibos alios facilis digestionis, assumendum commendo. Potus sit maxima ex parte decoctum hordei, cum rad. glycyrr. passulis minorib. & ficubus confectum, cui interdũ, corroborationis gratiâ, vini passulati haustus addatur.

Lenis evacuatio. Pro leni evacuatione fiat ex infusione vini tenuioris, cum fol. senæ, Agarico & passulis laxativum; quo præmisso, digestionis ergò per dies aliquot serum lactis caprini cum rad. glycyrrhicæ, cichorei & her. fumariæ decoquatur, & quotidie bis, tribus horis ante cibum, bibatur; *Digestio.* digestâ vero peccante materiâ, pro ulteriori evacuatione & purificatione, quatuor dosibus ol. amygdal. dulc. cum Terebinthinâ Venetâ lotâ concessimus, quibus remediis melius habere cœpit, nec ulterius per annuum spacium hucusque de symptomatibus prædictis conquestus est, quanquam vitreâ valetudine præditus periculo recidivæ non careat. *Appropriata evacuatio.*

OBSERVATIO XXVII.

Hypochondriaca affectio incipiens.

VIdua *Illustrissima, cujus etiam* observat. 10. de mor. pect. *mentionem fecimus, sub finem Iunii præcedentis an. 1620. cum in vehementiori æstu, peregrinationem suscipiens, haustu frigidioris potus ferventem stomachum satiare conata fuisset, in diuturnam inflationem sinistri hypochondrij incidit: adest quasi singultus vacuo stomacho: compressio dolorifica post cibum, anxietas interdum subitanea sine causa; palpitatio quasi cordis molesta est: gravitas capitis per intervalla sentitur, alvus difficilis, somnusq́ perturbatus est: menses consueto tempore cum præcedentib. doloribus difficulter fluunt: urina alba tenuis redditur.*

RESOLVTIO.

Morbi determinatio. **H**Ypochondriacum affectum hîc adesse judico, qui in Melancholiam hypochondriacam facilimè mutari queat, cujus origo, *collectio & obstructio venarum splenicarum & meseraicarum*, cui externa causa dicta protinus ansam præbuit. *Causa interna. Causa externa.* Hinc *urina cruda alba tenuis*, propter obstructiones venarum minorum, digestione sanguificationis impeditâ; *Deductio symptomatum hypochondriacorum.* *inflatus est interdum venter & regio sinistra*, quatenus ebullit peccans materia & effervescit; *quasi singultus adest*, jejuno stomacho propter viciniam affecto, quando vis expultrix ad expellendam materiam in viciniâ latitantem excitatur: *post cibum compressio dolorifica*, propter extensionem stomachi sensu dolorifico in hypochondriis oborto: *anxietas subitanea*, propter effumationes peccantis materiæ cor & cerebrum, spirituosæ substantiæ ratione, subitò lædentes; unde & *palpitatio quasi cordis*, ubi cor comprimi videtur tamdiu, donec vicissim ejusmodi fumi dissipentur. *Somnus perturbatur*, propter eosdem fumos impuriores cerebrum replentes, unde & *capitis gravitas* suam originem obtinet: *alvus ad obstructionem* inclinat, quod humiditas vehiculum, & bilis stimulus excretionis, aliò rapiantur, ad lienis & mesenterii scilicet venas: *menses* consueto tempore *difficiles* fiunt, ex eadem causa sanguine crassiori reddito, & ad fluxionem propter obstructiones impedito, *cum praeunte dolore infimi ventris*, quod fit propter difficilem sanguinis commotionem, tunicis & sentientib. partibus dilatatis.

Accommodatio causæ ad subjectum laborans. Manifestum hinc est, causam affectus hujus in imbecillitate lienis consistere, quam adjuvat constitutio corporis plenior, hactenus in vita sedentaria superfluitates colligens, unde juvante externâ causâ, nimirum ingurgitatione frigidioris cerevisię tempore caloris ambientis intensissimi, *difficultas mensium* oborta fuit, quæ non parum obstructiones circa venas lienis & mesenterii augere potuit. Facto prognostico, quod diuturnus sit affectus, non tamen omnino periculosus, eò respiciendum esse dixi, ut 1. *Symptomata prædicta graviora leniantur, & 2. radix morbi, quantum fieri potest, expugnetur.* *Prognosis. Indicationes.*

Pro. 1. Scopus 1. *Quoad primum membrum* I. *alvus semper aperta* teneatur, quam ob causam sæpius jejuno stomacho sumat haustum brodii prunorum cum Manna, vel in principio prandii bibat vinum fl. Acaciæ, frequenter etiam ante cibum, vacuo stomacho, cochlearia 2. vel 3. syrupi de Althea lambat, & in ordine ciborum liquidiora alimenta semper præmittat.

Scopus 2. II. Cum etiam *stomachi ructus & quasi singultus* admodum molesti sint, conveniens erit, ut jejuno ventre sæpius Aq. Arantiorum cochl. ij. bibantur, & sequens Plateri pulvis.

℞. *Sem. Coriand. præp.* ʒij. *Fæniculi, anisi ana* ʒj. *carui* ʒß. *Fl. borrag. bugloss. Rosar. Violar. ana* pß. *Fol. Meliss.* ℈j. *Majoran.* ʒß. *Sacch. Rosat. tabulati* ʒij. *f. pulvis per cribrum, qui sæpius* ʒß. *quantitate, cum pane tosto in Malvat. macerato sumatur.*

Exterius *ventriculus & hypochondria* fomententur & inungantur sequentibus.

℞. *ol. anethini,*
Chamæmel. ana ℥j.
de capparibus ℥ß.
Succi Menthæ,
Absinth. ana ʒiij.
Aceti coch. ij.
Coq. ad succorum consumptionem
f. linimentum.

℞. *Cort. Ebuli, Sambuci ana* ℥j. *Rad. Asari* ℥ß. *Herb. Abrotoni, Absinth. Matricariæ, Marrubii albi, Melissæ, ana* Mß. *fl. Chamæmeli Meliloti ana* pjß. *Sambuci* p. ij. *Sem. carui* ʒj. *cumini* ʒij. *incisa comprehendantur sacculis duobus, coq. in vino, & per vices hypochondriis & regioni ventriculi applicentur.*

Scopus 3. III. Contra *cordis compressionem & apparentem palpitationem*

palpitationem fiat inunctio per sequens linimentum.

℞. *Succi cardiacæ, Citri ana* ℥ß.
Ol. nucis Moschat. per express. ʒj. *garyophyll.* ℈ß.
Vng. Rof. ℥ß. *Camphoræ gr.* iiij. *Croci* ℈ß. M. S. Hertzsälblein.

Scopus 4. IV. Ne verò *capitis gravitas* increscat, frequenter balneo pedum utatur ægra, quod decoq. cum fl. Chamæmeli, Her. Salviæ, Betonicæ, origani, fol: vitium, additis aliquot manipulis cinerum: ante somnum de sequenti condito quantitas nucis majoris sumatur.

℞. *Conf. rosar.*
Cort. citri cond. ana ℥ß.
Conf. Majoranæ,
Anthos,
Buglossæ ana ʒij.
Conf. Alkermes ℈ij.
Syr. papav. errat. q. s.
f. Elect. molle.

Diæta. Porro quoad res non naturales dictas, vitet aërem nebulosum. Esculenta sint facilis concoctionis, humidiora potius quàm sicca, non admodum salita, nec admodum aromatisata, nec admodum acida. Vinum purum bibatur, non generosum nimis, cui interdum Rad: helenii, Benedictæ, pæoniæ, cum herbis scolopendrii, ceterach, Melissa, marrubio albo, sem. fœniculi & similibus infundantur.

Pro 2. His, in æstu canicularium, leniendorum symptomatum gratiâ, præscriptis, quoad radicem morbi expugnandam, quod secundum curationis membrum requirebat, optimè convenisset usus acidularum Schwalbacensium. Cum autem occasio eò abeundi non daretur, ob tumultus bellicos in viciniâ, suadebam 14. Iulii, ut ante novilunium, quod instabat, per triduum evacuatio sequens sumeretur, quæ

℞. *Rad. polypod. liquir. ana* ℥ß.
Cichorei ℥vj.
Passul. minor,
Fol. senæ ana ℥j:
Rhabarb. ʒij.
Fl. Chamæm. Rom.
Sambuci an. pj.
Herb. Scolopend. Fumariæ,
Cent. min. ana Mß.
Sem. fœniculi ʒij.
Cinamo.
Caryophyll. ana ʒj.
Croci ℈ß.

f. infusio in vino tenui q. s. stet per 24. horas: post ℞. *Colat* ℥iijß. *Syr. rosat. solut. Rhab.* ℥ij. *Cremoris tartari* ℈j. *Misce fiat haustus.*

Hâc evacuatione laudabiliter operante, pro minorum vasorum obstructione reserandâ, per dies aliquot usum pulveris de limaturâ chalybis præscripsimus, qui fiebat hoc modo.

℞. *Limaturæ chalybis (ex acubus detrita, quæ sæpius cum vino eluatur, ac dein sufficiente q. aceti acerrimi in crucibulo igne circulari tam diu coq. donec omni absumpto aceto limatura igniatur & candescat, quæ postmodum in marmore levigetur)* ℥vj.
Spec. diarrh. abb. Diacurcumæ ana ʒiß. *Pul. cinam.*
Caryophyll. ana ℥ß.
Rad. glycyrrh. ʒij. *Croci* ℈ß.
Manus Christi perlatæ ℥j.
M. f. pulvis.

Hujus pulveris ʒß. quotidie bis vacuo stomacho cum haustu vini medicati sequentis ordinavimus, usque ad instans mensium tempus, quorum promovendorum gratia, præter ingredientia superiora pro vino, rosmarinum etiam, pulegium, aliquid Macis, cinamomi & croci tantillum addidimus. Exterius etiam balneum non pedum tantum, sed femorum quoq; cum decoctione Matricariæ, Melissæ, Chamæmeli Romani, Pulegii, Artemisiæ & Menthæ concessimus, quibus usurpatis mensium purgatione ritè subsequenti, prædicti morbi paroxysmi remiserunt, donec rursus, appropinquante mensium tempore consueto, difficultas ex fluxionibus à capite cum animi deliquio laboranté urgeret, de qua vid. *obs. 16. de morb. pect.*

APPENDIX.

Observ. Hypochondriacus affectus confirmatus. Cum Anno 1622. Ulmam vocatus venirem, inter alios opem Medicam implorantes, obtulit sese Vir quidam Nobilis, hypochondriacâ Melancholiâ confirmatâ per annum unum atq; alterum laborans. Huic unâ cum Clariss. Excell. Viro, *Dn. Ioh. Regulo Villingero*, Med. Doct. in hac Republ. meritissimo, amico meo pl. colendo, juxta necessitatem Indicationum varia remedia præscripsimus, *partim ad causam antecedentem, partim ad Symptomata lenienda*, quibus DEI gratiâ melius habere cæpit, ut ulteriori medicamentorum usu jam in annum secundum non admodum indigeat.

Ad causam antecedentem. *Respectu causæ antecedentis*, alvo primum emollita, quo retineretur quotidiana laxatio, simulque venæ minores sensim aperirentur, sequentem syrupum laxativum appropriatum ad imitationem *Plateri* confecimus.

℞. *Rad. 5. aperient. ana* ℥ß.
Cortic. Tamaricis
Sambuci ana ℥j.
Rad. Cichorei
Scorzoneræ ana ℥vj.
Buglossæ, Acetosæ ana ʒiij.
Herb. fumariæ
Thymi, Melissæ,
Ceterach, Chamædryos an. Mj.
Fl. Corialium, Genistæ,
Chamæmeli ana pj.
Lavendulæ pß.
Sem. Anisi ℥ß.
Citri ʒij.
Ocymi ʒj.
Carthami contusi ℥ij.
Fol. Senæ ℥iij.
Rad. Polypod. q. ℥iß.

Fiat decoct. in s. q. aq. & vini albi q. s. ad 3. colentur.

℞. Cola-

℞. *Colatura* ℔ijß.
Sacch. albi ℥v.
Coq. ad consist. syrupi.

Ex hoc syrupo magistrali potiunculam laxativam, per dies 12. circiter, quotidiè sequenti modo præscripsimus.

℞. *Syr. ordinati* ℥ij
de elleboro nigro ℥ß.
de pomis ʒiij.
Misce pro dosi.

Hoc modo per Augustum primis viis evacuatis, & aliquo modo apertis, sub initium Octobris digestionem majorem instituimus per pulverem sequentem.

℞. *Cremoris Tartari* ʒij.
Fœcula Bryonia ʒj.
Magist. Corall: rub. ℈ij.
Sacch. Cand. al. ad pondus omnium:
dividatur in octo partes.

Hujus pars una, singulis diebus bis, in brodio decoct. raparum sumebatur per octiduum, subsequente pleniori purgatione, qua recipiebat Electuarii Diamanna Nicolai ʒiij. *Confect. Hamech* ʒij. *Syrupi Diasereos* ℥j. *de helleboro nigro* ℥ß ʒij. *decoct. Fl. & fruct. cum Fol. Sena q. s. Spiritus Vitrioli gutt.* v. *Misce fiat potio.*

His adhuc semel iteratis, optimè levatus fuit æger, ut in annum usque sequentem naturæ negotium committeretur, ubi vicissim, communicato consilio, circa vernum tempus similis ferè præservatio fuit instituta. Sub initium hyemis digestio talis fiebat.

℞. *Syr. aperitivi Mindereri* ℥ix.
de fumar. ℥iij.
de pomis ℥jß.
Spirit. Vitriol. ℈j.
Aq. Melissa ℥iij.
Cinamom. ℥ß.
Misce pro 6. dosibus.

Purgatio sequebatur hoc modo.

℞. *Syr. superius ordinati laxat.* ℥j.
de helleboro nigro ℥ß.
Fl. Diamanna ʒiiij.
Crem. Tartari ℈ß.
Decoct. fl. & fr. cum fol. sena q. s. f. haustus.

Quò autem permutatio medicamentorũ fieret, & nihilominus materia peccans pedetentim educeretur, interdum loco Syrupi Laxativi pillulas sequentes concessimus.

℞. *Aloës Rosat.* ʒij.
Myrrha ʒß.
Gumm. Ammoniaci aceto dissol. ℥j.
Agarici troch.
Rhabarb. Elect. ana ʒjß.
Rad. Asari,
Gentiana ana ʒß.
Mastich. ℈j.
Spica In.
Sem. petrosel. ana ℈ß.

Cum Syr. Absi. fiat massa: forment. pil. ex ℈ij. *num.* xv. *pro dosi, per octiduũ hora* 1. *ante cœnam continuandâ.*

Quoad symptomata, pro *somno provocando* semel atq; iterum sequens narcoticum exhibuimus, cum æger diu noctes insomnes haberet. *Ad symptomata lenienda.*

℞. *Syr. papav. errat* ℥jß.
Laudani opiati gr. ij.
Conf. Alkermes ℈ß.
Aq. cinamom. ℈jß.
Misce.

Ad evaporationes ascendentes reprimendas ordinata fuerunt sequentia.

℞. *Cons. fumaria,*
Citraria ana ℥j.
Chalyb. cum Sulphur. praparat. ʒij.
Spec. diarrh. Abb. ʒj.
Spirit. Vitriol. ℈ß.
Syr. de pomis q. s. f. conditum.

Item ℞. *Syr. aperitiv. Magistr.*
Minder. ℥iiij.
De borrag.
De pomis ana ℥ij.
Spir. Vitriol. ℈ß.
Misce: usurpetur cum condito.

Ad stomachi inflationes.

℞. *Extr. Card. bened.*
Sp. dianisi,
Diagalanga ana ℈j.
Ol. fœniculi,
Roris marini ana gutt. iij.
Sacch. ℥iiij. *cum*
Aq. Cardui Benedicti & Meliss.
fiat confect. in Rotulis &c.

OBSERVATIO XXVIII.

Hypochondriaca singularia.

Clariss. Vir
JOHANNES BENEDICTUS BERGER,
Med. D. & Physicus Rotenburgensis ad Tuberim,

GREGORIO HORSTIO, D.
Salutem cum officiis.

Amplissime & Excellentiss. Dn. Doctor, ob singularem Eruditionis famam multis nominibus suspiciende, ex jussu Nobilissimi ac strenui Viri, Equitis Franciæ, familiâ antiquissimâ N. N. tuam Excellentiam hisce literis certiorem facio, quâ ratione Nobilissimus Vir, variis ac diuturnis affectibus obnoxius, qui cum hactenus non intermittere, sed vires sumere viderentur, ita ut summa jactura omnium facultatum, tàm naturalium, quàm vitalium, animaliumque sequuta sit, usum Acidularum Gœppingensium aggressus est. Quandoquidem autem Nobilissimus Vir, ob contumaciam & gravitatem symptomatum, valde sit sollicitus de successu Acidularum, num in depellendis affectibus sufficientes progressus fecerint, verendumque ne, uti ante annum, post usum Acidularum Schwal-

Schwalbacensium, deterior recidiva fiat, nisi malum radicitus evellatur, Ecce! Excellentiæ tuæ judicium exoptat, ut fideli consilio suo non deesse velit, quid faciendum, si ex usu fontis acidi effectus felices (uti quidem speramus) minime sequantur, præcipuè cùm adhuc repullulent semina mali. Quò autem Excellentia tua rectius judicium ferre queat, paucis Nobilissimi viri naturam, & morborum ac symptomatum urgentium statum, quibus hactenus obnoxius, & adhuc conflictatur, delineare volui.

Proponitur casus. Nobilissimus patiens agit jam annum ætatis trigesimum tertium, habens à natura constitutionem corporis calidam, siccam, biliosam, teneram & macilentam.

Incidit circa ætatis annum decimum sextum in quartanam diuturnam, quæ tandem per crisin abscessum in coxâ sinistrâ faciebat, unde tumor, inflammatio, dolor acerbissimus, femorisq; luxatio & dislocatio suboriebantur, quæ symptomata ulcera plurima, in sinus & fistulas degenerantia, excipiebant, unde tandem extenuatio pedis, abbreviatio, cum motus & ingressus abolitione, sequebatur. Hic affectus, diu quidem à Medicis & Chirurgis tractatus, tandem beneficio thermarum Piperinarum adeò mitigatus fuit, ut Nobilissimus patiens, præterquam quod sinus duo in parte affecta aperti manerent, & ingressus beneficio adminiculi, fieri deberet, pro reliqui corporis constitutione longo tempore bene vivere inciperet, & peregrinando regiones alienas visitaret. Ante triennium autem Nobilissimus Vir, nescio an ex antegressâ victus ratione inordinatâ, quam satis interdum fovebat, putans naturam excessus & errores per femoris affectum, sinus videlicet, quasi fontanellas corporis constitutas, citra noxam deponere: aut ex assumpto quodam (uti suspicio, quamvis incerta est) haustu, subitò in totius corporis mutationem incidit insuetam: calor præternaturalis in extremitatibus pedum & manuum oriebatur, qui ita molestus fuit, ut vigilia & inquietudo per noctem continuò adessent: Melancholia, mœror, fuga conversationis, & amor solitariæ vitę superveniebat: circa præcordia anxietas, & palpitatio cordis sequebatur. Unde per novæ materiæ μετάστασιν ad femur & coxam, ex catarrho per medullam spinalem, ulcera antiqua excitata, multiplicataq; fuêre, cum summis doloribus, tumore & inflammatione partium adjacentium. Verum licet, quoad coxendicis affectum & Symptomata, media adhibita, quibus ad pristinum statum fere redactus fuit, ita ut de hoc Nobilissimus patiens querimoniam potissimum non faciat, sed jam naturę relinquat: tamen quia indies Symptomata nova concurrebant, febris ardens ante biennium, flatulentæ affectiones in hypochondriis & pedibus, consumptio & extenuatio corporis, constitutio corporis universi valdè debilitata, quæ tandem deterior facta, ex catarrho & destillationibus capitis, circa initium Januarii in hoc anno ventriculum afficientibus, unde nausea, ructus, vomitus, qui initio per intervallum temporis, postea verò quotidiè fiebant, ita ut materiam crudam, inconcoctam, cum saburrâ biliosi corrupti humoris evomeret, & profluvium alvi superveniret, quod tandem in veram lienteriam degenerare voluit, ubi ingesta, incocta & cruda dejiciebat. Ex quibus cum sanguificationis officina valde debilitata sit, cacochymia introducta est, quam inflatio faciei, tumor hypochondriorum & pedum potissimum (qui quatenus remotiores à fonte caloris facilimè, serum superfluum in sese recipiunt) indicat. Hæc ferè, Clarissime Vir, morbi & symptomata, quibus hactenus Nobilissimus Vir graviter laboravit & adhuc laborat. Ad quos affectus varia quidem curationis media adhibita, spem tamen maximam ad Acidularum usum posuit, quibus etiam hactenus per septimanas ferè quinque feliciter uti cepit. Nam vomitus & nausea cessant, appetitus redit: Excrementa alvi concocta rursus interdum apparent: calor faciei pallidus quodammodo evanescit. Catarrhus interim & destillationes, præcipuè nocturnæ, adhuc molestias creant, unde metus, ne facilè nausea & vomitus recrudescant, tumor quoque pedum & inflatio hypochondriorum, licet balneum ex Acido fonte adhibitum, non cedit. Hæc ut consignarem, & Excellentiæ Tuæ transscriberem, æquitas postulabat, quæ raptim scripta, ut boni consulantur, rogo, nec non salutiferum, de gravi hoc affectu & symptomatibus, judicium ab Excellentia Tua per præsentem tabellionem expecto, quid finitis acidulis, curationis, ulterioris, etiam præcautionis ergò, sit tutò faciendum. Pro labore munusculum inclusum Tua Excell. habet, quod ut accipiat bono animo, Nobilissimus patiens rogat, vicissim sua officia promittens, uti & ego mea studia, & officia promptissima offero. Hisce Tuam Excellentiam divinæ protectioni, meq; ejus favori commendo. Dabam Gœppingæ, 2. Aug. Anno 1625.

Viro Clariss.

DN. JOHAN. BENEDICTO BERGER, D. Med. & Physico Rotenburgensi,

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. Quemadmodum nihil gratius mihi accidere potuit, Vir Excellentissime, fautor & amice singularis, quam contrahendæ amicitiæ sese offerens occasio: sic nihil magis in votis haberem, quam in gratiam Nobilissimi ac strenui N. N. ita tuis respondere literis, ut non tàm vestræ expectationi, quam rei difficultati satis fieri possit. Verum valde vereor, ne quod hactenus celebriores alii Medici perficere non potuêre, frustra suscipiam, qui *vulgi pars ultima nostri*. Quandoquidem, verò favore vestro meam quoque sententiam dicere cogor, fanè lubens id, prompteque faciam, in totum eandem tuo, aliorumque præsentium Medicorum liberrimo judicio subjiciendo. Ne autem pluribus casum à te propositum repetam, mox ad quæsitum propositum me confero, nimirum cum in constitutione hac τῶ νοσηρῶ σώματος maxime timendum, ne post acidularum usum prædictorum symptomatum recidivæ sint expectandæ, quâ ratione commodùm naturæ prospiciendum sit, præsertim cum catarrhus ac destillationes noctu plurimùm adhuc ægrum molestent, nec tumor pedum & hypochondriorum inflatio cessârint? Hic ante omnia

Resolutio Autoris ad casum propositum.

Indicationes ægrotorum.

omniatecum, Excellentissime & Clarissime Vir, eò respiciendum esse ducerem. *1. Ne de novo peccans materia circa Viscera primæ concoctionis colligatur, tam convenientem & moderatam diætam imperando, quàm frequentes modicas evacuationes instituendo. 2. Deinde ventriculum & intestina per ea corroborarem, quæ collectionem cruditatum & serositatum præcavent. 3. Tandem robur viscerum secundæ concoctionis omni ingenio observarem. Et. 4. cerebrum fluxionibus obnoxium non negligerem. Quoad primum*, cùm quoad hujus subjecti laborantis nativam constitutionem ita sit comparatum, ut s. n. alvus in expellendo sit segnior, quod hypochondriacis frequens, nequid dicam de iis, quæ per congestionem jam p. n. colliguntur, ubi per acidularum usum appetitus excitatior plus ingerit, quam φύναμις θρεπτικὴ concoquere potest, omninò conveniens esset, vim excretricem stimulare per ea, quæ sine commotione totius contenta primarum viarum expurgant, ubi maximè conveniret usus cremoris Tartari ℈ij. vel ℈j. Magisterii Tartari vitriolati, cum brodio, paulo ante cibos alios assumpti, nec non (quod in hypochondriacis ob humectationem maximè convenit) electuarium de Tamarindis, cum foliis senæ, quod in calce priorum nostrarum observationum describitur. Marocostinas pil. Mindereri plurimum huic intentioni inservire posse non dubito, quarum operationem sæpissimè in tantula δόσεως quantitate, quatenus vix ℈j. vel ℈ß. pondere dantur, miratus sum, ubi materiam circas primas vias latitantem, imò in ipsius etiam mesenterii recessibus radicatam, tantâ copiâ spatio duodecim horarum, ubi ante cœnam parcam exhibentur, educunt, quod non tam purgando, quam extimulando, virtutemque naturalem roborando fieri posse statuo, quando simplicium ingredientium naturam perpendo. Francofurtenses etiam, ex aloë insuccatâ, similem effectum ℈ß. sumptas præstare nosti, qua de causâ facilimè pro lubitu laborantis hic electio fieri poterit. Quoad *Secundum*, plurimum spei ponerem in Elixire proprietatis Paracelsi, quod juxta præparationem Crollii nobis hîc in usu frequenti est. Cum enim Myrrha, Aloë & Crocus, quoad essentiam, per Spiritum vini commodum extrahantur, & additione vitriolatæ qualitatis, per oleum sulphuris figantur, non dubitandum, quin in calore nativo roborando, coctione juvanda, superfluitatibusque absumendis, & putrescentibus contentis coercendis, hoc remedium (modo diligenter vacuo stomacho, guttis sex vel septem cochleari vini dilutus, continuetur) convenientissimum & præsentissimum sit. Interim destillatum ex zedoaria, quod in observat. prioribus lib. 4. sub initium habetur, ut & Zingiber in India conditum, nux muscata conditura siccæ, & similia permutationis gratiâ, non negligantur, sicut & confectiones, tam ex speciebus Diagalangæ, Diamosch. dulc. diambræ, cum Extr. ligni Aloës &c. quam ejusdem generis tragemata. *Tertium* viscera concoctionis respicit, quæ calida sicca, tàm nativæ constitutionis ratio, quam subsequentium præternaturalium dispositionum determinatio subinnuit; quam ob causam eò hîc respiciendum, ne talis intemperies ἀτροφίαν in habitu, fluxionesque spatiis intermediis introducens, imò proprias etiam obstructiones in minoribus infimi ventris venis augens, ulterius increscat, tam victus ratione, quam etiam remediis convenientibus, ubi maximè frequentem usum conservæ radicum Cichorii, brodium cum iisdem radicibus, adjectis passulis minoribus, suaderem, nec non post æquinoctium autumnale, vinum aliquod chalybeatum, vel etiam ipsa chalybis essentia, prout eandem subtilissimè præparatam, juxta modum, quem tua Excellentia videt in Epist. Medic. hic in usu habemus, conveniret. *Tandem* quoad cerebrum corroborandum, ante somnum non rarò pil. de Succino Crat. ℈j. vel ℥ij. Morsel. contra fluxiones ex Nuce Mosch. Olibano, Mastiche, Coriand. pp. Cons. Rosmarini, cum granis aliquot Ambræ gryseæ &c. confectorum, concederem; non neglectis aliis, quæ *libr. 2. de tuend. sanit. liter. capitibus prioribus* enumeravimus, in quibus omnibus nihil quicquam præscriptum esse cupio. Faxit DEUS ἀρχίατρος, ut Nobilissimus ac strenuus Dn. patiens, cui pro honorifico munere transmisso gratias officiosas ago, tàm usu acidularum, quàm etiam aliis necessariis mediis præscriptis, constantem valetudinem nanciscatur, quò diutissimè felicissimè Reipubl. sibi, suisque superesse possit: tibi verò Clariss. Vir. maximas pro amoris erga me tui affectu repono gratias, meque promptissimum & obsequentissimum in omnibus polliceor. Bene Vale, Chartaceum munusculum additum boni consule, & per occasionem Clariss. Collegam, Dn. D. Stiberum amicè saluta. Dabam raptim Ulmæ 4. Augusti, Anno 1625.

Usus Marocostinarum.

Elixir proprietate.

Vir Clariss. Excellentiss.

JOHANNES PLACHETIUS, Med. D. & Archiater Wirtembergicus,

GREGORIO HORSTIO, D.

Salutem cum officiis paratissimis.

Nobilis, Excellentissime & Clarissime Dn. Doctor. Fautor & Amice unice, intime & optime: vel tandem Nobilissima Fœmina N. N. tuo consilio morigera facta, me ad se accersiit, & de affectu suo pluribus, etiam à longè petitis, conquesta est. Principes querelarum ceu Antesignanos in prima ponit acie, linguam ac ventriculum. Linguæ in Sapore quidem nihil deest, præterquàm quod vinum album non sapiat, potius fastidiat; Ita verò potum omnem nimis calefacientem. Rubello, sed fracto, hactenus usa est, idem nunc itidem aspernari incipit. Maximè autem nescio quam in parte sinistra, intus ad linguæ radicem tensionem quandoq; ad aurem interius usq; protensam, deglutitioni potissimum, sermoni omninò nihil, infestam, queritur, Sed & ambulatoria est illa tensio, quippe jam relicta aure, à sinistrâ radice, per mediam linguam, ferè ad cuspidem ejusdem oblique protenditur: nunc relicta parte sinistra, dextram occupat. Est & evanida: Fit enim, ut intra biduum, triduum, quandoq; octiduum, nihil negotii facessat, sed quasi sopita latitet; Quin & horas

Symptomata varia complicata.

& horas ipsas aut mutat, aut silet; paulò tamen post redit. Interim tumor, tuberculum, grando, ulcusculum, aut simile quid, nec intus, nec foris conspicuum; læsio certe nulla, etiam Chirurgorum instrumentorum operâ, visa. Ventriculum haud aliter in jus Medicum vocat, quam quod existimet, ejus orificium rectè non claudi; unde fervëntem quandam auram ascendentem, & ad fauces, linguam, palatum, tendentem, oppidò persentiscit: In ciborum appetitu non ita multum desiderat: De siti nihil queritur, quam quod de vino dictum. Suasu Medici cujusdam, uno atq; altero cochleari succi Cydoniorum cœnam, sub somnum, claudit. Id applaudit. Aceto etiam ferventem illam auram commodè frenat. Sed & non sine fructu acidularum Daynachensium usus, horam unam ante quemlibet insessum in Thermis Zellensibus, præterita æstate, quod ait, abiit; Unde, in futurum, D E O dante, Ver, acidulas unicè adspirat, si jusseris. Harum duarum partium querimonia illi Princeps est. Sunt verò & alia, quæ altiore indagine, ad affectus dignotionem, prænotionem & curationem, opus habent. Ea tumultuatim persequar, more pedum rebellium jam hîc, jam ibi sanitatis Acropolin impugnantium. Cerebri functionibus nihil detraho, neque ut fiat, causam video. Sensus interni & externi omnes in vigore pristino sunt, nec enim ante prius dicta, ullo peculiari morbo, præter unum atque alterum, totâ vitâ se afflictam profitetur. Mœrorem tamen ex metu hujus vel alterius futuri mali, quo se anxie torquet, deprehendo. Etenim ex tensione illa, quæ supra fuit, Epilepsiam, vel Apoplexiam impendentem; ex tua verò sententia, quam se habere dictis nurûs suæ in Bollensibus, ait, Scorbutum veretur. Suspicatur & venenum occultum in usu alaudarum assatarum, ante annum avidè comestarum, porrectum. Hîc inquit, præsente Nobili Marito, & assidentibus ad mensam hilariter liberis, cum aviculam frustatim deglutiret; subitò nescio quid radici linguæ ad fauces impactum sensit, quod prius pungeret, postea verò tenderet. Inspectum os ilico, nihil intus, nec foris in conspectum dedit. Et hoc mali fuit initium. Ob id successu temporis, cum tensio illa & deglutitionis difficultas subindè incrementa sumeret, mutaret, nutaret, integrè nō cederet, habitus corporis macresceret, (quod & nunc est) in veneni suspicionem abire cepit. Est & aliud, quod metuit, Materni nempe morbi hæreditatem. Quæ illa? Dicam, Fors miraberis. Mater hujus Nobilissimæ, floridi, rosei, & pleni corporis in facie habitûs (ita enim illam vidi, novi, memini meis primis nuptiis Annò 1605. Tubingæ præsentem) paulò post quàm vidua secunda ad vota transiit, deflorescere, macrescere & marcescere incipit pedetentim, per totum biennium ferme, carne omni absumpta, usque dum sceleton levè à morte fieret. Aperto cadavere (sic enim filia hæc fieri voluit) præsentes Medici morbi & mortis focum perquirunt sollicite. Cor, Hepar, Lien, Ventriculus, Renes, Uterus, visa sunt salva & integra omnia. Tandem ad folliculum fellis accelerant, intensè durum scindunt; at verò vesicula sic aperta fellis nihil, calculum autem totam illam capacitatem replentem oculis objicit.

Inquiritur in facultates animales.

Symptomata ... [margin cut off]

Calculus in vesica fellea.

Hunc ipsum diligentissime asservatum, Nobilissima nostra mihi nuperrime spectandum dedit. Is cylindrum ferè refert, paululum tamen in utroque extremorum depressum, colore variegatum, pars subalbidum, pars subflavescentem, alicubi sub viridem, quasi ex arenulis pluribus (fast wie die Fischrogen) conflatum, compactum, solidum, ut atteri nequeat, radi queat; quantitate quanta esse potest ipsius cystidis, extensæ tamen: pondus nunc expendere non licuit, mox habebis. Et hoc itidem est, quod illa nimium atq; nimium veretur, ne scilicet fiat, ut bonorum, ita morborum (quod Fernelius in calculis vult) maternorum hæres, & quidem ex asse, quòd unica sit. Sed & in Hypochondriacam prona videtur. Alias etiam cordis palpitationem olim fatetur, nunc nihil agnoscit. In naturalibus, ventriculus is est, quem dixi; assiduò ferè Aethneū sulphur exhalans. Hepar calidiusculum, exsiccans, haud inficias ierim. Renes quotidie arenulas absque dolore, tenui primum, posterius crassiusculâ urinâ, cum laudabili hypostasi, non sine bile tamen modicâ, eodem manè, constanter fundunt. Olim in Hypochondriorum sinistro latere, borborigmos, & tumorem, instar pugni, post tamen evanidum, tibi ipsi ex relatu compertum fuisse adserit, ubi de venarum spleneticarum divaricatione ad ventriculum etiam iter facientium, differeres, quod proculdubio meministi. Alvus quotidiana quidem est, sed lenta, pressu in excernendo difficilis, scibalis ipsis duris exuccis. Uteri, quæ ante fuit, ceu Nili exundatio, desiit, & quidem nec ante annos (nam ad quinquagesimum properamus) nec præter antecedentes largius profluvium, neque minima pars in partu effusa est sæpius. Color in vultu ad fuscum abit. Habitus ipse paulatim maciem inducit. Ultimò addam: Vigor ingenii præstò est, Virium sic satis, nec tamen sic satis, ut superfit. Lassitudinem tamen membrorum negat. Fermè, quod necessarium est, oblivîscor. Dum quandoque in interscalpilio dolorem tendentem, qua ventriculus dorso annectitur, peculiari filo, experitur, plerumque illa linguæ tensio in fumum abit. Hæc illa sunt, mi Dn. Fautor & Amice, quæ te scire Nobilissima nostra voluit; orat insimul, tuo nobis consilio & auxilio ut adesse ne graveris. De animo grato non erit, quod dubitare possis, certum est. Ego tuo judicio meum non præpono. Pace tamen, tuâ, quæ sentio, dixero. In linguæ & oris hoc affectu ego Continentem in sexti & septimi nervorum paris propaginibus, quæ ad linguæ, Hyoidis & Laryngis musculos excurrunt, ponerem, Antecedentem in Inferioribus quærerem, Ventriculum & Meseraicas non negligerem. Hypochondriacum, plusquam Scorbutum, vel alia, quæ Patiens metuit, metuerem, nec tamen & illum pro prophylaxi flocci facerem. Tua, quæ de Hypochondriaco & Scorbuto in Observationibus, vidi, legi, animo insculpsi, egregiè huc facere videntur, mutatis, quod ajunt, mutandis. At verò meum non est præscribere, sed scis citari, audire, obsequi, & quicquid imperâris, exequi. Denique vestrarum selectiorum præparationum copia cùm nos hic deficiat. Nobilissima rogat, quę ad hanc rem in parato sunt, nobiscum

Facultatis naturalis determinatio.

Causæ symptomatum prædictorum.

 ut com-

ut communicare ne graveris. Gratam experieris abunde, ſat ſcio, & ſpondeo. His ita vale, ſalve plus millies, tum ex me, tum ex meâ, cum tuâ, tuiſque omnibus. Sturgardiâ 10. Novembr. Anno 1627.

De eodem caſu.

Clariſſ. Vir

HELVICUS Dieterich/ Med. D.

GREGOR. HORSTIO, D.

Salut. & Obſervantiam cum officiis plur.

ETſi tardius, quam deceat, reſpondeam, Vir Excellentiſs. confido nihilominus, facile ob id apud Te excuſari me poſſe. Partim enim dubitavi, num crebrioribus, eiſque parvi momenti, ut ſolent eſſe, quas ſcribo, literis, inter negotia tua plurima moleſtandus eſſes: partim etiam ne ſcriberem diuturnior, extra Argentinam in praxi, cui addictus jam dudum, occupatio fecit. Nunc ubi identidem rogatu Nobiliſſimi N. N. Stutgardiam ad Nobiliſſimam quandam, quæ varia ſubinde ex hypochondriis mala patitur, veni, Tu quidem, Vir Magne, in conſilium Medicum coram à me trahendus eras, ſed itineris inclementia ab Ulmâ veſtra me retraxit, quare non tam Patientis noſtrę, ejusq; Nobiliſſimi mariti, cujus hic quoque literas accipis, juſſu, quàm inſtinctu proprio per manum hanc meam Te certiorem reddere debui, quomodo patiens illa, quoad antiquum morbum nunc ſe habeat. Expedirem hoc pluribus, ſi ob inſtans modo iter Argentinam, hîc inter hominum etiam turbam, quæ ob Principis ſui Wirtembergici pręſentiam mirâ exſultatione excitata eſt, liceret. Quare paucioribus expediam, quod volo & quod debeo. Conqueritur Nobiliſſa noſtra de continuis quaſi flatibus ex ſiniſtra regione caput petentibus, ubi ſubinde convertuntur in aquam, quæ per ſputum & nares quoque exit: majus quod eſt, melancholica eſt, & metuit Apoplexiam, multoties ex ructibus acidis, affligitur, dolores graves circa œſophagum patitur, altumque clamat, nervi in lingua contrahuntur, primum in ſiniſtrâ, deinde & in dextrâ parte, unde & lingua dolet, mox aures & ſcapulæ hoc ipſo dolore tanguntur, alvus pertinax eſt, & venti, quos vocat, ſemper ſuperiora petunt &c. Ego omnia iſta ex melancholia hypochondriaca oriri dixi, & rationes ſingulorum Symptomatum in conſilio relicto dedi, modum quoque remediorum parum oſtendi, cum nec dulce, nec acidum, aut alio modo, quod ſapitur, remedium ipſa ægra mulier ſumere queat: Conſului in Magiſteria & ſalia, & ante omnia lienem cum toto meſenterio recludendum, flatibuſque iter infra oſtendendum monſtravi. Spiritum etiam antapoplecticum, quem Argentinæ compoſueram, reliqui, ut præſervationis gratiæ quid haberet, quo inſigni malo viam occluderet. Mirũ, quam acuti Ingenii ægra in morbi cognitione me detinuerit, quam ita tradidi, ut contenta mecum fuerit. Num rem acu tetigerim, cum ſpiritibus melancholiæ acidis, cum ſero melancholico, cum bile interveniente, uno verbo, cum obſtructione totius meſenterii & lienis (is quidem tactu durus nondum eſt, ſed quandoque diſtenditur, & ex tenſione illa regio dolet) ex Te, Præceptor Excellentiſſime, mox audire, ſi voles, cupio, &c.

Enumeratio ſymptomatum.

Viro Clariſſ. & Excellentiſſ. Dn. Iohanni Plachetio, Med. D. & Archiatro Wirtembergico,

Gregorius Horſtius, D.

S. Quæ rogatus in gratiam Nobiliſs. Fœminæ nuper ad me perſcripſiſti, Vir Clariſs. & Excellentiſſime, fautor & amice pl. colende, ea diebus hiſce diligenter examinavi, ſimul conjunctis iis, quæ Dn. D. Helvicus Dieterich/ doctè quoq; per literas ſuas de eodem affectu communicavit. Quanquam vero, quantum colligo, quiſque veſtrûm ſeparatim auditus fuerit, ita tamen, & quoad morbi cognitionem, & quoad indicationes generales inter vos convenit, ut ex compoſito omnia facta videantur. Uterque veſtrum conſenſum tantum expectat, num ſcilicet mali ſedes originalis circa meſenterium, & ſplenis regionem quærenda? Et cum admodum ab uſu medicamentorum abhorreat ægra, quomodo per ſelectiora, quæ minus tædium moveant, naturæ ſuccurrendum? Quod primum attinet, non video rationes aliud ab opinione veſtrâ ſuadentes, ſive naturam ſubjecti laborantis, ſive variorum ſymptomatum congeriem enumeratam perpendam. *Eò igitur vobiſcum reſpiciendum eſſe judico, quo latens materia circa Meſenterii, ſplenis q; vaſa, tanquam cauſa antecedens, digeratur & pedetentim evacuetur, non neglectis interim gravioribus, ſymptomatibus, ſuam quoque correctionem urgentibus.* Quoad prius, quandoquidem ab uſu medicomentorum admodum abhorret ægra, cum prognoſtico, præſertim hoc brumali tempore, agendum erit, ne plenariam reſtitutionem, pauciſſimis remediis, præter intentionem Medici, nec non contra naturam Chronici morbi, ſibi polliceatur. Non dubito, quin verno tempore plus auxilii ex ſuccis depuratis, recentium herbarum, ſale [volatili quidem, quem in exiccatis noſtra quærimus] incidente, attenuante ac reſolvente prægnantium, ſperandum: ſed occaſione hâc nobis denegatâ, digeſtio tentanda erit aliis, ubi pro tempore, lenitâ primum alvo, quod commodum Enematibus, lenientibus, emollientibus, ac ſingulariter flatus diſcutientibus, ſubſequenti quoque *Clareto laxativo* per quatriduum, fieret, *pulverem digeſtivum* continuarem *ex Cremore Tartari* ℥ij. *Fæculæ Aronis, Bryoniæ an.* ℥j. *ſalis abſinth. Card. ben. an.* ℈j. *pro quatuor doſibus*, qui matutino tempore cum decoctione rad. Petroſelini vel fœniculi ſumatur, additis aliquot guttis Elixiris proprietatis Paracelſi. Veſpertino tempore per horam antè cœnam *Magiſterii Corall. rub.* ℈j. *Magiſt. lap. ſpongiæ* ℈ß. *cum pauxillo Sacch. Cand.* permixta darem in brodio decoctionis raparum cum corticibus præparatæ. His per quatriduum continuatis, evacuatione opus eſſet die quintâ, quæ fiat

Magiſt. Tartari Vitriol. ℥ß.
Pul. Mechoacanigræ ℈ijs.

Scopi agendorum.

Origo ... lingua.

Adde

Adde gr. v. vel vj. Diagrydii cum vapore Sulph. praeparati.

Si potius alia forma placeret, fiat potiuncula brevis syrupo de pomis composito, qui ex descriptione D. D. verbezii Augustanis in usu est, hoc modo:

℞. *Syr. de pomis comp.* ℥js.
Ext. Rhabar. ℈js.
Mag. Tartari vitriol.
Cum decoct. fl. & fr. cum fol. sena fiat haustus ad ℥ijs.

Imò etiam in forma syrupi fieret hoc modo.

℞. *Syr. praedicti* ℥js.
aperitivi Mind. ℥j.
Ext. Panchymagogi cum aq. fumar. solut ℈js. *Misce.*

Reiterata hoc modo digestione & evacuatione, fiat Syrupus splenecticus, si placet ad imitationem illius, qui in observationibus nostris prioribus pag. 249. describitur, de quo singulis diebus addito syrupo de helleboro nigro Ulmensium, dosis conveniens adhibeatur, superaddito haustu decoctionis raparum, quam, ut nosti, crato noster singulariter hic commendat. Interim, dùm haec peraguntur, alterum quoque non negligatur, nimirum ut symptomatibus urgentibus etiam quantum fieri potest, succurramus: Hic primum *dolor convulsivus in linguae radice* sese offert, qui nullatenus à causa quadam externa (sicuti falsa suspicio veneni est) sed ab interna quoque singulari corruptione per evaporationem eò translata, nervosis partibus inimica, suam ducit originem, unde partis istius nervos ob singularem habilitatem receptivam (cujus ratione aliàs etiam unam partem prae caeteris, datâ quamvis communi causâ, in dolorificis nervosarum partium affectibus apprehendi videmus) certis temporibus, ubi evaporationibus suis exacerbatur, affligit. Si quid erit, quod accidens hoc temperabit, unà cum aurâ fervidâ quasi ascendente per gulam, idipsum praestabit *syrupus ex summitatibus fol. quercuum*, verno tempore praeparatus, qui vitriolatâ qualitate vegetabili temperatâ plurimùm aliàs ardori gulae succurrere solet: quo fine *conserva quoquè ex iisdem summitatibus* confecta conveniet. Inflationibus per inferiora monstrabitur exitus enematibus simplicioribus, frequenter adhibitis, additis iis, quae flatus discutiunt, & ventrem sicciorem emolliunt. Corroborationis gratia *Magister. perlarum* ℈j. *cum lap. bezoar. gr.* viij. interdum ante somnum, cum aquis cordialibus, inprimis illa, quae ex corde cervino cum appropriatis destillatur, conveniet: loco Magist. perlarum sumatur interdum *Magist. Matris perlarum*, utpote quod aliàs in affectibus muliebribus prospecifico venditatur. Matutino verò tempore, vel ante coenam, ubi manè forsan alia usurpantur, *Elixiris proprietatis gutt.* vij. cum brodio quodam sumantur, quod ipsum instante paroxysmo eructationis praesentissimum erit, si in aq. Card. bened. vel veronicae gutt. XV. exhibeatur. His pro tempore administratis naturae inducias concedendas esse judicarem, usque ad Februarium circiter, ubi *usum Chalybis praeparati*, vel potius essentiam ejus, ritè & laboriose praeparatam, per septimanam unam atque alteram, praemissis praemittendis, ulterius suaderem, de quibus in posterum communicatio fieri poterit. Haec sunt, quae paucis respondere debui, nihil quicquam praesentibus Dnn. Medicis praescribendo, sed tantùm Nobilissimae expectationi satisfaciendo. Benè vale, quodque prae caeteris praesens aegrotantis conditio requirere videbitur, audacter perage, caeteraque DEO ἀρχιάτρῳ committe. Vale iterum cum amantissimâ conjuge, quodque facis me amare perge. Ocyus Ulmae 23. Novembr. 1627.

Origo doloris in lingua.

Vir Clariss. & Excellentiss.
Dn. CHRISTOPHORO WITKE,
Med. D. & Practicus in Republ.
Soltquellensi.
GREGORIO HORSTIO, D.

S. Cùm commodè praesens nuncius, Vir Clarissime Excellentissime & Experientissime, Fautor ac amice pl. colende, sese mihi, hesterna die, offerret, salutare hisce te volui, simulque judicium, consiliumque tuum de valetudine minus prosperâ Viri Amplissimi N. N. exquirere. Laboratis Melancholiâ hypochondriacâ, in Scorbutum tendente, cujus mali ferociam animi anxietas & maeror, ex obitu filiorum Generi sui contractus ita adauxit, ut quamvis, pro Indicationibus, crassos humores vitriolaceâ suâ qualitate incidentia, extergentia & leniter purgantia medicamenta sint adhibita, unà admistis confortantibus, pro tono viscerum servando ita ut DEI gratia signa concoctionis jam appareant, & patiens aliquo modo rursus incedere, muniaque solita obire queat; tamen dolores vagi in dextro hypochondrio adhuc nullis pharmacis, debito modo adhibitis, cedere voluerunt, incurrit in illos saepe ter, saepe quater in hebdomadae spatio, statimque eos subsequitur obstructio alvi, difficultas mingendi, & q. stranguria, quia, quemadmodũ omnes in declinante aetate constituti hypochondriaci, Nephritidem etiam minatur.

Singularis inflatio hypochondriaca.

Limaturam chalybis non inutiliter, reliquis additis necessariis, exhibui, levamenque inde quodammodo sentit, statim tamen post intervalla aliquot, dolores redeunt. Quaeso igitur, quae T. Excell. hoc in casu multâ experientiâ salutaria esse cognoverit, ea communicare mihi haud gravetur: quod si occupationes concesserint etiam, sententiam tuam addere de casu subsequenti esset id mihi perquam gratissimum. Uxor N. N. per semestre febri nocturna, cotidie recurrente, angustiis Scorbuticis, Cephalalgia intensa, aliisque symptomatibus vexata, in sinistra manu ante aliquot dies sentire cepit tumorem levem, instar venae cujusdam oblongum, incipientem à carpo, ubi pulsum Medici inquirere solent, & perreptantem musculum circa pollicem, extendentemque se fere ad indicem & medium. Plenus is est tumor sanguine spirituoso pulsante, & tactu deprehendi potest, remittitq; interdum, & citius vel tardius redit, absque dolore atq; molestia. Increscit tempore paroxysmi febrilis, ita ut manus interna, praeci-

præcipue circa pollicem tota q. tumida videatur. Quando tumor premitur, tactui is cedit, statimque rursus impletur. His tecum totâ familiâ divinæ protectioni commendo.

CONSILIUM.

In affectu complicato hypochondriaco pro Nobili quodam conscriptum

à

Clariss. & Experientiss.

Dn. D. FRIDERICO FUCHSIO, Olim Reipubl. Ulmensis Archiatro Celeberrimo.

MUlta sunt in Nobili isto viro annorum XXXVI. atque Temperaturæ calidæ & siccæ quæ diligenti indigent consideratione. Ut autem relinquamus præterita accidentia, quæ sanè multa & varia sunt, febri etenim, passione colica, ictero & similibus fuit molestatus, ad ea tantum symptomata, quibus in præsentia affligitur, consideranda deveniamus oportet.

Symptomata ut accidentia. Symptomata ergo sunt, Melancholia quædam, (quoniam subtristis est, timet sine ratione, imaginatur varia, & solitudinem amat) ardor, gravitas atque tensio hypochondriorum [maximè tamen sinistri] adhæc vertigo, tremor seu palpitatio cordis, erosio ventriculi, & corporis ipsius decoloratio.

Locus malè affectus seu actiones læsæ. Hæc Symptomata cum sint preter naturam, & non solum in præsentia corpus abundè molestent, verum etiam aliis longè gravioribus occasionem satis amplam exhibeant, ideo accurata diligentia, & singulari industria removenda erunt, & inquirendæ horum causæ, sine quibus Curandi ac Præservandi modus inveniri haud potest. Cum autem imaginatio & cogitatio [ut à præcipuis, & quidem notioribus, incipiam] quæ actiones cerebri sunt animales, lædantur, manifestum sit, cerebrum ipsum, ad quod actiones istæ propriè pertinent, affici. Et licet omne id quod afficitur, aut per se, aut per consensum, hoc est, per accidens, afficiatur; nos tamen in præsenti nostro casu, cerebrum non per se, vel primario affectu, sed potius per consensum lædi affirmamus.

Morbus. Verum cum id duplici ratione ac via accidere constet: ex ambitu nimirum venarum, totiusque corporis, & ex membris naturalibus, quæ scilicet concoctioni & nutritioni inserviunt, idcirco facilè colligitur, Morbum, qui omnia prædicta symptomata excitat, esse intemperiem hepatis, lienis, & ventriculi. Nam cum hepar plus justo sit calidius, atque adeò multum generet sanguinis calidioris, crassi, adusti, melancholici: Lien vero, propter ipsius debilitatem, hasce sanguinis fæces non probè attrahat, tum etiam propter crebras obstructiones ab excrementis istis non expurgetur, fieri solet, ut non tantum ibi ditineantur, verum venæ etiam his repleantur, & hinc evaporatione assidua ad cerebrum facta, melancholia oboriatur. His accedit; quod ob ventriculi frigiditatem (quæ licet naturalis non sit, acquisita tamen est) multi humores crudi ac depravati coacerventur, qui cum propter hepatis validam caliditatem continuò attrahantur, contingit, ut in venis Meseraicis, inter hepar & ventriculum, fiat ebullitio aut inflammatio, unde demum vapores copiosi elevati non tantum melancholiam, sed alia etiam symptomata, vertiginem, nempe, hypochondriorum tensionem, cordis tremorem inducunt. Hac etiam de causa factum est, ut veteres Medici ventriculum, quod melancholiam, syncopen, tremorem cordis, atque alia Cerebro & cordi communia vitia excitet, καρδίαν seu cor appellaverint. A prædicto morbo proveniunt cætera quoque symptomata, ut macies, atque corporis color vitiatus. Cum enim nec hepar, nec ventriculus humores laudabiles, ac naturæ gratos generet [ut dictum est] fieri non potest, ut hi corpori probè calendo sufficiant: & hinc pro natura vitiosi sanguinis, color etiam totius corporis vitiatur.

Causa. Causæ jam, ex qua morbus seu intemperies illa dependet, rationem obtinet victus ratio inordinata. Retulit enim mihi, se nimis liberè vixisse, ac miris modis in sex rebus non naturalibus, nulla habita, nec temporis, nec modi, ratione deliquisse. Undè membra naturalia principaliora paulatim debiliora facta, ad dispositionem præsentem devenerunt, ac cerebrum tandem in consensum traxerunt. Præterea bilis quoque flava (ratione temperamenti calidioris) copiosior procreata, jam ætate crescente in Melancholiam sive atram bilem mutatur & transmigrat.

Signa. Melancholiam hanc non primogenio cerebri malo, sed per consensum membrorum inferiorum esse ortam, vel hoc saltem manifestè declarat, quod non perpetuò, sed per intervalla, nec una eademq; semper ratione, sed diversis modis hac molestetur. Confirmat idipsum, quod potissimum in fine concoctionis, & ante cibum, jejuno ventriculo omnia percipiat symptomata.

In causa est, quod tunc temporis membra reddantur avidiora, & venæ trahant ab hepate, hepar à venis meseraicis, venæ meseraicæ à ventriculo, & sic humores crudi commoveantur, unde cum evaporationes quam plurimæ ad cerebrum transmittantur, quibus spiritus obtenebrescunt, perturbantur, atque inordinatè moventur, melancholia augetur, vertigo quoque & ventriculi mordicatio suscitatur. Hæc tamen singula, cibo aut potu sumpto, cum venæ & Hepar inveniant quod attrahant, humorum motus cesset, horumq; acrimonia obtundatur, ac vapores, quo minus ascendant, intercipiantur mitiora fieri, ac penitus etiam cessare cernimus.

Prognosticum. Cognitâ ergo causâ & natura symptomatum, ad Prognosticum deveniendum erit, de quo hoc in præsentia dixisse satis sit: cum habeat duas causas validissimas, partim ab ortu tales essentialiter, partim vero postmodum acquisitas, intemperiem scilicet frigidam ventriculi, & calidam hepatis, atq; periculum sit, ne sine judicio ac ratione calefaciendo ventriculum, noceat hepati, ac refrigerando hepar, obsit ventriculo, sive interius, sive exterius id facere conetur: Ideo necesse erit, si à difficili illa & longa ægritudine liberari cupiat, ut fidelibus bonorum Medicorum

rum consiliis obtemperet, & in illis tantùm confidat, nec ab iis discedat: interim etiam diligentissimè victus & pharmacorum rationem observet, sine quâ frustra implorabit Medicorum auxilium. Præsertim cum hujusmodi dispositiones in plerisque non solum prolongentur, sed & gravioribus occasionem præbeant.

Ratio victus. Cum autem nulla salus à medicamentis expectari debeat, nisi prius in ratione victus, & reliquis omnibus rebus non naturalibus, sobrietas, summa cautio & diligentia accedat: nec ullum fructum adferant pharmaca, si vivendi ratione importuna vis eorum interturbetur, ideo legitimo ordine, antequam curatio subjungatur, salubria & expetenda, insalubria quoque ac fugienda, proponenda erunt.

Aër. Caveat igitur tam à frigore intenso, quam etiam à calore. Unde & ventos omnes evitabit, nebulas, nivesque horridas, & pluvias, moram item sub sole, atque hypocaustum calidius; Exponat autem se aëri puro, temperato, tranquillo & lucido. Et si aliquando, urgentibus sic negotiis, cogatur in aërem intemperatum exire, aut itineri se committere, tum optimè se muniat iis, quæ illi temperaturæ adversari possunt.

Potus. Vinum eligat album, clarum, maturum nec admodum potens, aut valdè antiquum. Quod etiam vinum moderatè bibat in prandio tantum & cœna, & crebras compotationes omninò fugiat. Abstineat autem à vino potenti, antiquo, crasso, novo, dulci, rubro, vel nigro, ac fumoso: Similiter ab austero, acerbo & non benè maturo. Cerevisiam & aquam penitus fugiat.

Cibus. Cibo unico & simplici, nec illo admodum copioso, sit contentus, huncque bis in die, hora nimirum consuetâ, sumat. Panis sit purissimi tritici, optimè fermentatus. Caro perdicum, Caponum, gallinarum, pullorum, avium omnium montanar. vitulorum & hædorum lactentium. Piscibus rarò ac moderatè quidem utatur, ex quibus tamen eligat, squamosos, & qui in aquis saxosis immorantur, ut sunt Auratæ, Lupi, percæ & Carpiones. Ova illi conveniunt recentia, sorbilia, vel tremula, aut sine cortice elixa. Ex oleribus & fructibus accipiat asparagos, Lupulos, Radices cichorei & Cappares, in principio cænæ, in fine vero pyra atque cydonia cocta. Ex leguminibus hordeum, aromatis autem cinnamomum & Moscatæ nuces competunt. Fugiat singulari cura & studio omnia, quæ sequuntur. Edulia varia, diversa ac intempestivè oblata. Ex carnibus, bovinam, suillam, hircinam, caprinam, cervinam, Leporum, cuniculorum, pavonum, columbarum, coturnicum, & omnium avium palustrium, ut sunt anates & anseres. Similiter omnes carnes vetustas ac salsas, cerebrum, intestina atque viscera omnium animalium. Ex piscibus omnes palustres, & qui squamis carent, quemadmodum sunt anguillæ & tenchæ. Adhæc cancros, omnisque generis pisces assatos, & sale conditos. Præterea ova frixa, pastilia, lac, lacticinia, caseum. Ex fructibus, oleribus & leguminibus, poma & pyra cruda, nuces, allia, cepe, porrum, raphanum, fabas, ervilia, milium, panicum & lentes. Ex aromatis & condimentis Zingiber, Piper, salsa & acria omnia summè illi nocent. Postremo brassicam & rapas evitet.

Exercitium. Exercitium sit moderatum & tempestivum: hoc enim calorem nativum auget & ciborum concoctionem promovet, aliaque multa commoda affert. Ideo exerceat se in aëre temperato, ante cibum, potissimum tamen horis matutinis & rejectis excrementis consuetis, suaviter deambulando, equitando, vel intra domum alicui familiari exercitio incumbendo. Abstineat autem ab omni motu vehementiori, aut violento, præcipuè post cibum sumptum.

Otium. Otium quoque immodicum & perpetuum, quod non solum corporis, sed & animi vigorem obtundit, cruditates ac vitiosorum humorum copiam parit, calorem naturalem extinguit, atque ciborum concoctionem impedit, evitet, & quieti debitis tantum temporibus incumbat.

Somnus. Somni tempus convenientissimum erit nocturnum, una aut duabus à cœna horis. Nox enim propter suam humiditatem & tranquillitatem ad somnum est aptissima. Satis quoque temporis, quoad absoluta fiat ciborum concoctio, habet, ita ut somnum interrumpere negotiorum causâ noctu non sit necesse. Diurnus contra est nocentissimus, tempus enim quo quis interdiu dormit, ad perfectam concoctionem non sufficit, unde cerebrum nimia humiditate repletur, variaque detrimenta sequuntur. Hinc est, quod diuturno utentes somno, meridie excitati, ob interruptam ante horam suam concoctionem subinde acidos ructus edant, flatibus impleantur, & gravitatem totius corporis percipiant. Ut autem somnum à prandio arceat, deambulationibus molliter indulgeat, animi laxamenta adhibeat, nec ulla ratione somnum admittat, suademus.

Vigiliæ. Vigiliæ quoque modum nequaquam excedant: hæ enim bonam temperaturam corrumpunt, sensus debilitant, ac vires miris modis dejiciunt.

Venus. Venus moderata mediocriter illi conveniet, si modò commodè & suis temporibus illâ utatur. Tempus vero opportunum Veneris est, cum ventriculus sit à cibo vacuus, facta ergo prima concoctione ad Venerem accedat.

Alvi beneficium. Præ cæteris vero omnibus procuret, ut quotidie habeat beneficium alvi. Et si hac in parte naturam cessare deprehendat, tunc habeat familiarem Therebinthinam Cypriam, quam manè tribus ante prandium horis, ad quantitatem nucis parvæ, hostiæ involutam deglutiat. Hæc enim non tantum alvum mollem efficit, sed etiam ventriculum purgat, obstructiones aperit, urinam provocat, renibus confert, calefacit ventriculum, neque propterea hepar lædit: imo & illi mirum in modum aperiendo, abstergendo & mundificando prodest.

Animi perturbationes. Jam vero, cum animi perturbationes, quæ non sunt nisi turbidi, concitatique, & à recta ratione aversi animorum motus, miram & insignem in alterandis corporibus obtineant vim atque efficaciam: nec præsentia tantum symptomata augere, verum etiam alia de novo creare possint: Ideo has omnes potissimum tamen Iram, timorem & mæstitiam, omni studio & diligentia, tanquam infe-

infestissimum hostem depellat, nec legat, scribat, aut grave aliquid cogitet statim à cibo.

Curatio. Expedita ratione vivendi convenienti, curatio quoque ipsa subjungenda erit.

In curatione autem duo potissimum nobis proponuntur scopi. Nam cum duo sint humores, tam ventriculi, quam hepatis & Lienis ratione, præter naturam in corpore multiplicati (crudi nimirum, crassi obstruentes & adusti) ideo ad veram curationem primò cacochymia removenda erit. Hac enim remanente intemperies hepatis, lienis & ventriculi non redigetur in melius: imò potius augebitur, & vel in veram Melancholiam, vel in deteriorem ægritudinem incidet. Et hæc est prima indicatio rectè operandi. Deinde cum membra jam commemorata per se intemperie laborent, ac postea cerebrum & cor in consensum rapiant, idcirco remota vitiosorum humorum abundantia, mox intemperies illa auferenda, & membra quidem ipsa ad naturalem statum reducenda, atque corroboranda erunt.

Ut hæc secunda etiam sit curandi indicatio. Et sic præsens noster casus evacuantia, alterantia, & Confortantia requirit. Evacuatio autem duobus perficiter modis, per sanguinis detractionem scilicet, & per medicamenta purgantia. Licet autem uterque curandi modus conveniat, nihilominus tamen venæsectionem (exhibito prius Lenitivo, ad educendum id, quod in ventriculo, intestinis & primis venis detinetur) purgationi præmittendam affirmamus Consulimus ergo, ut bis singulis annis, mensibus nimirum Aprile & Septembri, evacuationem ad modum sequentem instituat.

Præparatio ad venæsectionem. Die prima pro lenitione alvi, duabus ante prandium horis, accipiat bolos sequentes.

℞. *Flor. Cassia cum aq. bethonic. &*
Cichor. nuper extract. ℥j.
Rhabarbari opt.
Pulveris anisi ana ℈ß.
Cum Saccharo albo q. s. fiant boli.

Venæsectio. Die sequenti & mense Aprili, dextri brachii vena jecorariâ (quam Basilicam etiam vocant) in Septembri vero, ex sinistri brachii vena Lienari, mittat sanguinis Uncias sex vel septem.

Præparatio ante purgationem. Cum vero concocta medicari atque movere, non ea quæ cruda adhuc existunt, oporteat, ideo diebus à venæ incisione quinque continuis, pro obstructionum apertione, ac humorum præparatione assumat potionem infrascriptam, manè in lecto, calidam, & postea per horam dormiat.

℞. *Flor. borragin.*
bugloß.
violar.
Citraria
Herb. fumar.
bethonic.
Ceterach.
capill. vener. ana Mj.
Cortic. Radic. Cappar.
Tamarisc. ana ℥iij.
Radic. Cichor.
fœnicul.
Petroselin. ana ℥j.
Glycyrrhizæ ℥jß.
Polypodii ℥vj.
Epithymi ℈jß.
Coquantur omnia in Aq. fontana ℔iij. *ad dimidium. Dein exprimantur, colentur ac purificentur, serveturque decoctum pro Syrupis. Postea.*

℞. *Decoct. ordinat.* ℥iij.
Syrup. bizantin.
de fumar.
Cichor. simpl. ana ℥ß.
Commisceantur pro potu unico, & sit pro aliis quatuor.

Purgatio. Proxima ab hisce Syrupis die, mane circa horam quartam, bibat hunc potum sequentem calidum, ac postea usque ad horam decimam se à cibo, potu, somno & sudore contineat.

℞. *Rhabarb. elect.* ʒij.
Spicæ ℈ß.
Concisa minutatim macerentur horis XII. in seri lactis Caprini ℥iijß.
Dein probè exprimantur & colentur, adjicianturque.
Confect. Hamech. ʒijß.
Syrup. Rosat. solut. ℥j.
Commixtis omnibus fiat potio.

Confortatio. Corpore sic vacuato, & per medicamenta illa familiaria atque benigna purgato, pro confortatione membrorum principalium, horumque intemperie emendanda, in frequenti usu habeat Electuarium sequens, atque de hoc quidem quotidie, hora una ante prandium & cænam, accipiat quantitatem nucis:

℞. *Conserv. Rosar. rubr.* ℥ijß.
borragin.
bugloß.
Citrar. ana ℥ß.
Spec. Lætificant. Gal.
Aromat. Rosat. ana ʒjß.
Pler. archontic. ʒß.
Corticum citri. ℈j. *cum Syrup. ex acid. citr. succ. q. S. fiat mixtura.*

Therma Cellenses. Magnam quoq; ac manifestam, tàm roborando, quam alterando, utilitatem præstaret, ac miris modis utrumque membrum malè affectum, ventriculum nempe & hepar, respicerent *Thermæ Cellenses.* Hæ enim obstructiones tollunt, ventriculum & membra naturalia omnia confortant, nec hepati propter caliditatem noxam inferunt: Ita ut & ratio & Experientia comprobent, illas aquas conferre hujusmodi dispositionibus ac melancholiæ. Quare vellem, ut harum usum ad vernum tempus, ratione tamen victus præscriptâ interim diligenter observatâ, ac corpore prius pharmacis præcedentibus præparato & purgato, nulla penitus ratione omitteret, & se

& se non solum in istis lavaret & immergeret, sed aquam etiam illarum biberet.

Hæc igitur omnia si diligenter, & suo quoque tempore rectè peracta fuerint, sperarem Nobilem hunc virum cum ab his symptomatibus, quibus nunc afficitur, liberari, tum etiam à deterioribus, quæ neglectâ curatione contingerent, præservari posse; ad laudem DEI Omnipotentis, &c. Ulmæ 5. Idus Febr. Anno 1616.

OBSERVATIO XXIX.

Exacerbatio dejectionis virium, circa tertium, ex materia corrupta biliosa, in regione venarum meseraicarum & splenicarum.

VIR Nobilis, cujus in Obs. 6. lib. 2. facta fuit mentio, postquam aliquo modo thermarum usu restitutus videretur, alternatim die tertio languore totius prehenditur, appetitus dejicitur, & febrilia quasi, leviora tamen, symptomata sentit, una cum difficultate lateris sinistri.

RESOLUTIO.

Modus generationis præcedentium symptomatum.

CUm aliàs hic æger spleneticis obstructionibus obnoxius esset, mirum non erat, quod materia peccans, quæ primo colicos dolores excitaverat, post translationem ad paralyseos spuriæ generationem, ut supra patet, fomitem aliquem in venis minoribus circa splenis regionem reliquerat, ubi materia peccans bilis crassioris per usum thermarum magis (tenuioribus partibus resolutis) impacta, de tertio in tertium, quod hujus humoris effervescentis & putrescentis proprium, dicta symptomata producebat. Vocatus igitur ad ægrotantem Anno superiori 1620. circa vernum tempus, reliquias hasce morbi gravioris præcedentis hoc modo expugnandas esse statui, nimirum ut sub initium Maij, 1. *Per vices sensim primæ viæ purgentur, 2. purgatione lenitiva præmissa materia peccans circa regionem mesenterii & splenis digeratur & præparetur, 3. digestionem & præparationem plenior appropriata purgatio sequatur, 4. alterationis ergò vena aperiatur, 5. imbecillitas ex collectione seri peccantis in massa sanguinea, & habitu musculo, per appropriata sudorifera discutiatur, 6. & corroborationis ergò subsequente mense Iunio vel Iulio Wildungensium acidularum potus usurpetur.*

Scopi curationis.

Pro 1. *Quoad primum*, leniens infusum ex vino sumendum esse dixi, quod

℞. *Rad. glycyrrhizæ,*
Polypodii ana ℥ß.
Bryoniæ ℥ij.
Fol. senæ s. s. ʒx.
Rhabarb. opt. ʒjß.
Herb. Scolopend.
ceterach. ana Mj.
Fl. Violar. recent. Mß.
Sem. Carthami ℥iij.
Sum. Sambuci,
Fl. Acaciæ ana Mß.

Passular. minor. ʒvj.
Macis,
Cinam. ana ʒj.

Fiat infusio 24. horis in ℔iij. *vini tenuioris de quo jejuno stomacho* ℥iiij. *cum* ℈jß. *Cremoris tartari per quatriduum sumantur.*

Pro 2. *Quoad secundum*, pro digestione & præparatione materiæ peccantis circa venas meseraicas & splenicas infartæ, sequentem decoctionem ordinavimus, quæ

℞. *Seri caprini destill. q. s. in quo coquantur.*
Rad. polypod.
Scorzoneræ,
Graminis ana ℥j.
Cichorei ℥jß.
Her. Absinth. pj.
Fumar.
Scolopend. ana Mj.
Sem. fœniculi ℥j.
Passular. minor. ʒx.
Fiat decoct. ad 3. colentur ℥xviij.
℞. *Colaturæ* ℥iij.
Salis Absinth. ℈ß.
Syr. de s. fumar. ℥ß.
Misce f. haustus, qui per octiduum quotidiè bis sumatur.

Pro 3. His præmissis, *quoad tertium*, evacuatio plenior instituatur per infusum Rhabarbari, quo diluatur ℈j. extract. panchymagogi Crollii, quod secunda vice repetatur. *Pro 4.* Factâ vero purgatione pro sanguinis liberiori commotione & alteratione vena mediana brachii sinistri secetur, & subsequentibus diebus, juxta quintam indicationem, *Pro 5.* serum corruptum in massa sanguinea superabundans sequenti destillato (quod ad aperiendas obstructionum reliquias, circa viscera plurimum accommodatum est, ipsiusque sanguinis corruptioni scorbuticæ repugnat) per sudorem discutiatur.

℞. *Rad. raphan. sylv.* ℔j.
Polypod.
Liquiritiæ ana ℥iij.
Capparor. ℥jß.
Herb. Nasturt. aq.
Barbareæ,
Cochlear. ana Mvj.
Fumar. Miiij.
Beton.
Veron. ana Mij.
Sem. fœniculi ℥jß.
Tartari opt. aliquoties loti & purificati ℥ij.

Infundantur in sero lactis caprini destillato, stent in loco calido per octiduum, destillentur in B. M. dosis sit ℥iiij. *singulis diebus ad octiduum.*

His juxta præscriptum usurpatis, nobiliss. æger sub dato 6. Jan. Anno 1620. rescribit, quod prædicta symptomata diebus alternis affligentia remiserint, nec aliud

desiderat,

desiderat, quam ut corroborationis gratiâ modum potandarum acidularum Wildungensium præscribam, quod etiam factum, nec sine fructu, cum hactenus negotium valetudinis adhuc nutantis naturæ commiserit, & ab eo tempore melius habuerit.

OBSERVATIO XXX.

Obstructio jecoris.

Civis Wetzflariensis, Præfectus hospitalis egenorum, inferiùs natalitiis Anno 1614. post haustum cerevisiæ, in gravitatem dextri lateris incidit: appetitus, præsertim à carne, dejicitur: difficilis fit respiratio, præsertim cum corpus ascendendo movetur: calor excedit circa vesperam: cruda est urina, & alvus ad obstructionem inclinat.

RESOLUTIO.

Jecoris obstructi signa. Jecoris obstructionem hîc adesse colligebam, quam *dextri lateris dolor gravativus* indicabat, tam respectu situs, quam ratione proprietatis, quatenus gravativus & obtusus dolor eo in loco jecori laboranti proprius est, nisi per consensum, partibus vicinis affectis, punctorius & tensivus fiat: *appetitus, præsertim à carne. dejicitur,* quatenus jecore p. n. affecto suctio chyli deficit, unde consequenter etiam dejectus appetitus & nausea: *difficilis fit respiratio,* quatenus hepar per ligamentum proprium diaphragmati nectitur, unde, quò major requiritur respiratio, quod inter ascendendum apparet, eò magis etiam hæc læsio deprehenditur, ut non rarò *tussis sicca* subsequatur: *calor excedit circa vesperam,* ex debilitate videlicet, viribus per vigilias diei magis resolutis: *cruda urina est,* aquosa scilicet ac tenuis, propterea quod parum humoris excrementitii, cujus ratione juvante coctione crassior & colorata possit evadere, cum eâ permisceatur; *& alvus ad obstructionem* inclinat, quod signum erat gibbam jecoris partem magis, quàm simam laborare.

Prognosis. Quanquam verò constitutio laborantis plenior huic morbo videretur obnoxia, nihilominus externa etiam causa sat indicabat occasionem hujus mali, quatenus nimirum ingurgitatio cerevisiæ copiosior, post crapulam è vino, præcesserat, quam ob causam ægrotantem benè sperare jussi, cum adhuc in principio morborũ esse viderem.

Indicationes. Ante omnia eò respiciendum esse dicebam *I. ut alvus convenientem suam laxationem haberet. II. collecta materia obstruens attenuaretur & digereretur. III. digesta evacuaretur. IV. & victus ratio conveniens institueretur.*

Pro 1. *Quoad primum,* electuarium leniens ordinabam, quod

℞. *Elect. de Tamarindis cum extr. fol. senæ d. n.* ℥ß.
Diacarthami ʒijß.
Cremoris tartari ℈j. *Misce cum sacch. fiat bolus.*

Cum autem per usum hujus electuarii mediocriter alvus laxaretur, alterationis ergò, cum plenior esset habitus ægrotantis, venam aperire jussimus, ut eò citius postea secundę indicationis requisita peragerentur. Quibus factis *juxta secundam intentionem,* materiam obstruentem, & in venis minoribus latitantem, attenuare & digerere conabar per digestivum sequens, quod *Pro 2.*

℞. *Rad. Cichorei, filicis ana* ℥j.
Passular. ℥jß.
Her. marrubii albi.
Centaur. minor. Cuscutæ
Agrimon. ana Mj.
Cuscutæ, Fumariæ an. Mß.
Sem. fœniculi ʒij. *f. decoct. in s. q. seri lactis caprini ad 3. colent.* ℥x. *adde Syr. de cichor. cum Rhabarbar. oxymellis. squill. ana* ℥ij. *Misce fiat haustus pro 4. vicibus, quotidie bis per octiduum assumendus, cui semper* ℈ß. *cremoris tartari pro qualibet vice addatur.*

Hoc modo digestione factâ, quod indicatio tertia requirit, evacuatio instituenda veniebat, tam per alvum quàm per urinas; quâ de causâ semel atque iterum pulverem purgantem ex speciebus diaturb. cum Rhabarb. addito pauxillo Magisterii Tartari vitriolati, cum fructu præscripsimus hoc modo,

℞. *Sp. diaturb. cum Rhabarb.* ʒj.
Magisteris tartari victriolati ℈j.
Misce f. pulvis in brodio pisorum assumendus.

Interdum jejuno stomacho sequentis decoctionis haustum ad dies aliquot ordinavimus, quò per urinas etiam eò melius materia peccans promoveretur, quæ

℞. *Rad. glycyrrh.* ℥ß.
Eryngii, Cichorei ana ℥j.
Passular minor. ℥ß. *Sem. fœniculi, Dauci ana* ʒij.
f. decoct. in aq. pluviali destill. ad 3. colentur ℥vj. *& adde Syr. de althea, fragorum ana* ℥j.
Misce. S. Tranck auff zweymal.

Interim *pro quarto,* victus rationem convenientem observandam esse monuimus: nimirũ cibus quantitate sit moderatus & exiguus, ut eò minus cruditas sanguinis augeatur, & illud quod adhuc emendari potest, ad perfectionem suam à calore nativo debiliori perducatur: qualitate sit extergens & attenuans; bibat itaque vinum tenue, cui passulæ minores, cum radicibus liquiritiæ, centaureo minore, marrubio albo, & similibus per vices infundantur. A cibariis difficilis coctionis, & quæ glutinosum succum generant, abstineat, potiùs carnibus facilis coctionis utatur, quæ præparentur cum capparib. fœnic. thymo, salv. petrosel. aniso, cumino & similibus sicuti pluribus *lib. 2. de tuend. sanit. cap. prop.* monstravimus.

Hic observatis ægrotans brevi vicissim sanitati pristinæ fuit restitutus, propterea, quod adhuc in principio malum esset.

Inveteratæ obstructio jecoris dif- Ubi verò morbus inveteratus est, ibi longiori tempore magnaq; diligentia opus est, ne tumor jecoris scirrhosus hydrops,

facilis est curatu.

hydrops, febris lenta consumens, vel alvi fluxus lethalis subsequatur.

Observatio.

Sic anno 1614. circa 20. Febr. Ludimoderator tunc temporis Gleibergensis, Georg. Schottius, Consilii causâ me conveniebat, qui faciem habebat Hippocraticam, & hecticâ ferè consumtus videbatur, ob jecoris diuturnam scirrosam obstructionem, quam dolor obscurus dextri lateris sub manu tangentis intumescentis, cum urina cruda, aliisque signis innuebant; cui quidem consilium medicum præscripsimus, ut si non omnino tolleretur, ad tempus tamen affectus leniretur.

Observatio alia.

Sic eòdem tempore Chirurgus Grunbergensis, adhuc vivens, Wolff Gebhardt, in hydropicam affectionem incidebat, haustu cerevisiæ post crapulam factò, primò febrilem quasi dispositionem cum horrore & calore p. n. sentiens, mox subsequenti jecoris obstructione, quam promtè hydrops excipiebat, qui nihilominus ex præscripto nostro vivens, brevi vicissim, DEI gratia, restituebatur, ubi primò per infusum aliquot diebus alvum lenire, deinde per aperientem & resolventem decoctionem longam, cum Syr. de Cichor. cum Rhabarb. proximius morbi causam attenuare & digerere, tertiò per convenientia medicamenta purgantia materiã digestam & attenuatam evacuare, & quod supererat, vi sudoris dissipare conati sumus, eo modo, quem in aliis observationib. describemus.

OBSERVATIO XXXI.

Hydrops post febrim.

Nobilis Studiosus Bertram à Below/*Eq, Pomeran, annorum circiter 22. Anno 1614. circa Febr. initium, cum præcedenti autumno febri tertianâ laborasset, & absens, propter pestem hîc grassantem, in pago quodam vicino perfectè non curaretur, in tumorem ventris & pedum incidit, cum virium imbecillitate, appetitu dejecto, colore faciei florido deperdito, pectoris angustiâ, difficili respiratione, præsertim commotionis tempore; urinam crudam aqueam, absq; sedimento persistentem, reddebat.*

RESOLUTIO.

Cur febres hydrops sequatur.

Aderat hîc *hydropica affectio*, quæ febri minus rectè curatâ superveniebat, quod frequenter tertianis & quartanis accidere solet, ubi conveniens medicamentorum, victusque ratio negligitur.

Hydrops post febrim non ita periculosus.

Quanquam verò morbus morbo superveniens aliâs gravior pronunciari soleat, quàm ubi sponte suâ corpus à præcedente morbo non debilitatum invadit, hîc tamen curatonis spes major, experientiâ teste, cum in ejusmodi dispositionibus hydropicis post febres obortis, tanta non sit viscerum concoctionis labes, quam aliâs ubi per sese incipiat: *ratio est*, quod origo talis affectionis non tam principaliter ab ipsis organis concoctionis, quàm à superflua peccante materia, per imbecillitatem caloris collectâ, nec justo modo per adhibita medicamenta separata, suam originem habeat. Talis superfluitas serosa *tumorem ventris, pedum, totiusq; corporis* interdum producens,

Modus generationis dupl.

vel per congestionem vi caloris debilioris, vel etiam per affluxum, copiâ potulentorum, tempore febrilis exustionis ingestorum, cumulatur; cujus ratione *dejicitur appetitus*, quatenus viscera concoctionis aquosâ superfluâ materiâ obruuntur, & in attractione & alteratione alimentorum impediuntur; *color floridus deperditur*, quod in facie potissimum observatur, utpote cum circa faciem nutritivæ facultatis operatio recta vel depravata mox appareat, quatenus in hâc corporis parte, propter carnis cutisq; teneriorem substantiam, noxa nutritionis præ cæteris observatur; *pectoris etiam angustia sentitur*, quatenus copia materiæ, circa cavitatem infimi ventris abundans, diaphragma comprimit, unde consequenter commotionis tempore difficilis respiratio suboritur, liberiori pectoris, pulmonumque motu, propter copiosæ materiæ contentæ ebullitionem impedito. Cæterum *Urina* reddebatur, *cruda, aquea, sine sedimento persistens*, quo ipso jecoris refrigeratio, venarum minorum obstructio, serosique sanguinis abundantia colligebatur.

Symptomatum causæ deducuntur.

Prognosis.

Quoad restitutionem, consideratis his, bene sperare jussimus ægrum, eique juxta sequentes indicationes consilium præscripsimus: 1. *vias primas leniter per vices evacuandas esse monuimus*, 2. *dein digestionem longam cumulatæ materiæ peccantis & venas minores obstruentis instituimus*, 3. *digestione præmissâ plenius evacuavimus*, 4. *materiam peccantem superstitem per sudorem & urinam dissolvere conati sumus*, 5. *& viscera concoctionis interim, tam convenienti victu, quàm aliis corroborantibus confortavimus.*

Indicationes curandi.

Pro 1.

Quoad primum nodulum pro vino laxativo præscripsimus, qui

℞. *Rad. Cichorei* ℥j.
Fœniculi, glycyrrh. ana ℥ß.
Fol. senæ s. s. ʒx.
Rhabarb. ʒjß.
Cort. inter. Sambuci
Rad. frangulæ ana ʒij.
Sem. carthami ponderosi ʒiij.
fœniculi ʒj.
Passul. min. ʒx. *Macis* ʒß.
Cinamom. ʒj.

Incisa & contusa infundantur in ℔iij. *vini tenuioris, stent. 24. h. postea per triduum matutino tempore, præmisso jusculo vel brodio gallinæ, sumatur* ℔ß.

Pro 2.

Hâc evacuatione lenitiva præmissâ, *quoad 2 intentionem* præscripsimus digestionem ejusmodi:

℞. *Rad.* 5. *aperient. aceto præp.*
ana ℥ß.
Ireos florent. ℥j
Asari ʒij.
Cort. sambuci Mj.
Her. Absinthii Mß.
Centaur. minor.
Card. bened. an Mj.
Sem. fœniculi
Anisi ana ℥ß.

F. decoct.

F. decoct. in s. q. seri lactis caprini destill. ad ℥. colentur ℔jß. de qua colaturâ M. V℥. tribus horis ante prandium sumantur ℥iij. cum ℥j. syr. de s. Eupatorii permixta, & per octiduum continuentur.

Pro 3. Hoc modo digestâ materiâ, juxta *tertiam intentionem*, evacuabatur per electuarium purgans, quod

℞. *Elect. de Tamarindis,*
cum extract. foliorum
Senæ d. n. ℥ß.
Caryocostini ʒijß.
Cremoris tartari puriss. ℈ß.
Misce cum sacchar. fiat bolus,
qui bis repetatur.

Pro 4. Porro, quoad *indicationem quartam*, Rob Ebuli cum aq. florum sambuci commendavimus; ut eò magis obstructiones venarum minorum aperirentur, & superstes materia per sudorem resolveretur: imò per vices etiam, quò per vias urinarias simul serum superabundans excerneretur, syrupos diureticos de Althea, de 2. & 5. radicibus, de s. anisi & similes exhibuimus. Exterius decoctionem Bachbungæ, Ebuli, cort. sambuci, sum. Juniperi cum baccis, fl. chamæmeli & similium, pro balneo sudorifero suasimus, assumpto primum haustu aq. fumariæ vel fl. sambuci, cum pauxillo Mithridatii.

Pro 5. *Quoad Quintum*, victum ordinavimus modicè calefacientem, facilisque concoctionis, una cum vino medicato, cui infundantur Radic. helenii, pimpinellæ, Herb. card. bened. Absinth. sem. anisi, fœniculi, fl. sambuci &c. Corroborationis ergò per vices Elect. de passulis usum commendavi, sicut etiam conf. Rad. cich. cum aliis conditis hepaticis. His per mensem continuatis, nobilis æger pristinæ sanitati restitutus, ad me redit, urinam coctam & subflavam, crassam tamen cum sedimento mediocri exhibens, aliàs naturali ciborum appetentiâ vicissim pæditus, & ventris tumore penitus sublato; ubi suadeo, ut semel adhuc electuarium purgans, antea præscriptum assumat, & postea corroborantia continuet.

Observatio alia. Similem casum anno eodem, mense Novembri habui, in quinquagenario quodam *Arnsburgi*, qui etiam ex reliquiis febris, quâ per æstatem præcedentem affectus fuerat, ventris, pedumq; tumore laborabat, ita ut pro confirmato hydropico haberetur, cui præscribebam duabus vicibus evacuationem sequentem, quæ

℞. *Spec. decoct. splenet. Mij. f. decoct. in s. q. seri lactis capr. ad 3. colentur ℥vj. adde syr. de spina infect. ℥ij. Elect. caryocostini* ʒjß. *Misce* S. Tranck auff 2. mal.

Cum hoc modo sufficienter evacuatus esset, digestivam potionem ex rad. & herbis aperientibus ad octiduum ordinavi, cum subsequentibus aliis, juxta præcedentes indicationes, quibus brevi quoque convaluit.

Eodem modo hoc an. 1621. præcedentibus septimanis, febri quoque tertiana laboravit typographi nostri Academici filiolus, natu minimus, duorum circiter annorum, qui febri tandem desinente, tumore ventris & cachexiâ, propter viscera concoctionis debilitata, etiamnum prehenditur: huic diebus præcedentibus vinum medicatum ordinavi, nimirum ex passulis minoribus, cum radicibus aperientibus, addito marrubio albo, centaurio min. Card. bened. pauxillo Absinth. & sem. fœniculi, quo per dies aliquot usurpato, per additionem Mannæ semel atque iterum alvum laxandam esse dixi, subsequenti quotidiano usu confect. diarrhod. Abb. & Elect. de passulis, cujus antea quoq; facta fuit mentio, quod *à Solenandro sect. 3. conf. 2.* describitur hoc modo ℞. *Passul. Corinth.* ℔ß. *coq. in vino generoso ad pultis consistentiam: tusas excerne per setaceum, & admisce cons. Anthos. Cort. citri condit.*
Cinam. acerr. an ℥j.
Sp. arom. rosat. diamarg. cal.
Diacinam. ana ℈ij. *Ligni Aloës*
odorif. ʒjß. *Croci* ℈ß.
Misce.

Præter hoc Electuarium confectio dianisi quoque pro corroboratione flatuumque dissipatione, conveniet, exterius apposito sacculo ex Absinthio chamæmelo, mentha & similibus, cum sem. fœniculi, carui &c. confecto, præeunte inunctione ex ol. absinthii, anethino, chamæmelino, paucis adjectis guttis ol. fœniculi vel anisi per destillationem facti.

Observatio alia. Sic recordamur etiam cujusdam Theol. Cand. qui an. 1618. per menses aliquot quartanâ laborans, tandem tumore ventris prehendebatur, cui primò, cum admodum ab usu medicamentorum, ob morbi diuturnitatem abhorreret, pulverem hunc purgantem jucundum, semel atque iterum ordinavimus, qui ℞. *pul. Mechoacan recent. parati* ʒjß. *Cremoris vel Crystallorum tartari* ℈ß. *Misceatur & una vice cum haustu vini absinthitis exhibeatur, quâ purgatione præmissâ, tumorem vi sudoris resolvere conati sumus, exhibendo Spiritus Ebuli* ʒß. *cum aq. fl. Sambuci* ℥ij. *permixtam. quod remedium aliquoties reiteravimus, non neglectis iis, quæ ad corroborationem facerent, quibus brevi patiens pristino sanitatis vigori restituebatur.*

OBSERVATIO XXXII.

De hydropicis dispositionibus aliis.

CONSILIUM.

Pro Generosâ quadam Comitissa, consultante simul Collegio Medico, conscriptum

à

GREGORIO HORSTIO, D.

Symptomata. Cum Illustris & generosa fœmina, jam annum ætatis sexagesimum tertium, climactericum magnum agens, ob varias corporis debilitates anno currente, potum acidularum Sualbacensium, cum subsequenti thermarum Wilbadensium usu frustrà visitaret, parum vel nihil levaminis inde sensit, utpote increscente magis intumescentia ventris, pedum, ac dextri quoque brachii, cum intermedio horrore, sopore, vomitione salsi phlegmatis, angustia respirationis & similibus. His consideratis, luce meridiana clarius

Morbum. clarius est adesse hydropem incipientem, cujus origo dependet à debilitate caloris nativi circa viscera concoctionis infimi ventris, ex quo fundamento non difficulter *Causa.* causæ symptomatum præcedentium deducerentur. Quanquam vero morbus hic chronicus, in ejusmodi declinan- *Prognosis.* tis ætatis subjecto minimè nobis ad plenariam sanitatis restitutionem pervenire posse videatur: spem tamen aliquam concipimus, prædicta symptomata, dei benedictione, lenire posse, juxta scopos subsequentes diligenter observandos. Eò igitur respiciendum, ut 1. superflua ichoro- *Indicationes.* sa, serosaq; collectio per diversa convenientia media vacuetur. 2. ut jecur, aliaque viscera concoctionibus inservientia confortentur: & 3. Symptomata varia & gravia leniantur.

Pro primo, non dissuademus usum Enematis, quod fiat juxta consilium præsentium Dnn. Medicorum hoc modo:

℞. *brodii decoctionis gallinæ* ℔j.
adde Herbæ veronicæ Mij.
Flor. Chamameli, fol. Malvæ,
Althea ana Mj.
Sem. Anisi ʒij *coq. ad medietatem coletur,*
& adde vitell. ovor, num. ij.
Sacch. rub. ℥js. *ol. Chamamel. lilior. al.*
ana ℥js. *Misce.*

Usus curæ sudoriferæ. Quo præmisso, reiterentur evacuationes non admodum nauseabundæ, quæ fiant *Magist. Radicis Icalapæ* 14. *vol.* 15. *cum* ℈j. *Extracti Diacarthami.* Quibus aliquoties præscriptis, spem nobis faceret mediocris cura sudorifera, cujus beneficio serosæ superfluitates consumerentur, calor nativus confortaretur, membrorum, tam interhorum, quam externorũ intemperies frigidior calefieret, & abundantes ichores tam per sudores, quam etiam per alvum & urinas educerentur. Nec dubitamus, quin generosa patiens, eo modo, quem determinabimus, sudoriferam hanc curam absque difficultate sustinere queat. Primo itaq; fiat decoctum Rad. Chinæ hoc, vel simili modo, juxta beneplacitum præsentium Dnn. Medicorum,

℞. *Rad. Chinæ ponderosæ* ℥iij.
Sarsæ parigl. ℥j.
Ligni Lentiscini ℥ß.
Infunde per noctem in aq. ferventis ℔xij.
manè tecto vase coq. ad 3. *sub finem coct.*
adde Passul. min. ℥js.
Cinam. Sarsafras ana ℥ij.
Post refrig. coletur.

De hoc decocto matutino tempore sumatur haustus quatuor Unciarum, & in sudatorio, quod sit justæ altitudinis, sudor provocetur, ignitis silicibus affusâ decoctione sequenti, quæ

℞. *Her. Anagall. aquat, Nasturtii*
aq. recent. ana Miiij.
Rad. Ebuli cum toto M. vj.
Fl. Chamameli Mis.
Bac. Lauri, Iuniperi ana Mj. F.
decoct. in s. q. aq.

Ejusmodi sudor, quo citius natura perferat, semel tantum quotidiè provocetur: protinus à sudatorio patiens ad lectum sese conferat, quò reliquiæ sudoris in lecto per udam transpirationem ulterius consumantur. Quo facto, diebus alternis, duabus horis ante prandium, haustum sumat laxativum, qui fiat hoc modo:

℞. *prædicti decocti sudoriferi* ℔js.
Fol. senæ s. s. ℥js.
Agarici in petia ligati ʒij.
Mechoacæ nigræ ʒijs.
Sem. Carthami ℥ß.
Cryst all. Tartari ʒj.
Her. Soldanellæ ʒvj. *Stent. per noctem*
in loco calido per 24. *hor. Manè colentur*
per Manicam Hipp. addito, pro lubitu,
sacch. Cand. al. ʒj. *plus minus, dosis* ℥iij.
vel iiij.

Hujus beneficio peccans attenuata materia simul per proximiores vias educeretur. Non negligatur interim cõveniens victus ratio, potu quotidiano simul ordinato, qui

℞. *Rad. Chinæ* ℥iij.
Ligni lentiscini ℥js.
Santali citrini ℥ß.
F. infusio per noctem in s. q. aq. manè
coq. tecto vase ad 4. *partis consumpt.*
Sub finem coct. adde
Passul. min. ℥iiij.
Cinam.
Sarsafras ana ʒiij. *colentur lib.* xxiiij.

Pro secundo, non repetimus corroborantia jam dudum ab aliis Generosæ Matronæ præscripta, quibus addi posset usus *Elect. Passulati, sive de Vino, ut vocat Solenander in Consiliis Medicis*, item usus *Magist. Corall. rub. Cremoris Tartari, cum margar. præpar.* Sicut etiam *confectio de Extract. Ligni Aloës, Zedoar. cum ol. Macis, Nucis mosch. Margar. pp. &c. Elixir proprietatis Paracelsi ritè digestum sæpius ad gut.* vij. viij. *vel* ix. cum syrupis appropriatis, vel in brodio quodam decoctionis radicum aperientium, plurimum quoque concoctioni serviret.

Pro tertio, nimirum, quod Symptomata lenienda concernit; non opus est pluribus hic agere, propterea quod pro re natâ præsentium Dnn. Medicorum directioni idipsum relinquatur, utpote ejusmodi remedia sæpius varianda veniant. Unicum addimus, ob urgentem sæpius difficilem respirationem usurpandum, *mixturam videlicet hanc pectoralem*, de qua sæpius cochlear unum lambendo sumatur, juxta determinationem præsentium Dnn. Medicorum, quæ

℞. *Spir. Veron.* ℥js.
Anisi ℥ß.
Sulph. acidi ʒß.
Sacch. Cand. al. ʒvj. *Misce.*

Hæc sunt, quæ absentes ad petitionem factam, communicare volumus: faxit DEUS, ut omnia succedant ex voto. Dabantur Ulmæ.

Vir Clariß. Excellentiß.

Dn. PETRUS **Krauß**/ Phil. & Med. D. ac Physicus Reipubl. Numburgensis.

GREGOR. HORSTIO, D.

SUt nuperrimæ meæ, Vir Clariss. Affinis, & Amice medullitus colende, tibi admodum jucundæ, sic & tuæ sale humanitatis ac benevolentiæ undique conspersæ, longè jucundissimæ mihi fuerunt. Ex animo gaudeo, nostrum olim Horstium non modò benè vivere, verum etiam sui Crusii memoriam apud ipsum adhuc integram vigentemque florere.

Quod si quis locus hîc votis; ex corde voverem.
Esset ut haut Animo, at corpore junctus Amor.

Verum quod hac in parte utrique denegatum, id crebriori literarum permutatione resarciendum esse puto.

Porro cum chymicis remediis te quoque delectari videam, intermittere nolui, quin aliquibus observationibus te certiorem facerem, quid ego nuperrimis hisce annis, dum operam dedi Chymiæ, præsertim in chronicis ac fixis morbis, σὺν θεῷ, Medicamentis Chymicis præstiterim. Inter alios autem fixos & maximè rebelles morbos nosti, quod hydrops Medicorum auxilia præ cæteris eludat, de quo lubet exempla quędam desperatorum ferè subjicere. Anno 1625. sub initium Julij, civis & scriniarius apud nos, vir aliàs integer & probus, natus annos 36. Epaticus & spleneticus, diu cachexia cum pedum tumore laborans, neglectis principiò medicamentis, hydropicus asciticus redditur; toto ventre, scroto, ut utroque crure tantum in tumorem elevatis, ut neque stare, neque sedere, neque jacere sine difficultate posset. Ad illum vocatus, qualiacunq; aliàs in usu esse solent Galenica juxta Methodum administro: Sed omnia incassum, tumore indies ingravescente, cum tussi magna, metuque suffocationis. Dato prognostico, tanquam deploratum ipsum relicturus eram, nisi consensum dedisset in usum quorundam Chymicorum medicamentorum. Primò igitur ipsi exhibeo *purgans meum Catholicum Antimoniale*, post unam atq; alteram horam, magnam variorum humorū copiam suprà & infrà dejecit, cum allevatione, ut liberius respiraret.

Observationes hydropicorum.

Per quatriduum propino *alterantia & aperientia*, cum Tartaro, vitriolato, Arcano vitrioli, & spiritu salis, diversimodè mixta. Quinto die iterum *Catholicum purgans* in majori dosi præbeo, à quo pauca per vomitum, quam plurima verò per secessum diversis vicibus exoneravit, ita ut hac die ultra 12. lib. aquraum, sine molestiâ, effluxerint, magno cum ipsius emolumento, tumore facto remissiore, pręsertim in scroto ac pene, qui mirum in modum inflatus & contortus apparebat: simul etiam utrumque crus aquam stillabat. Aliquot diebus pergo cum alterantibus, aperientibus & roborantibus internis, admotis simul ad totum ventrem & utrumq; hypochondrium inunctionibus diversis. Sexto die tandem, Catholici dosin repeto, è qua ἄνω καὶ κάτω ἀθρόως ingentem iterum serosorum humorum copiam effundit, sine omni molestiâ. Posthac omnia in melius, toto ventre, uti & cruribus maximè flaccescentibus, appetitu quoq; hactenus dejecto, nunc redeunte. Deinceps à catarcticis abstineo, propino vinum Absinthites, cum Epaticis & diureticis mixtum. Sępius offero Tartarum vitrolatum cum Rhabarbaro contrito, Do Electuaria hepatica cum Spir. Salis & Arcano vitrioli &c. Hac curâ per duos menses ritè continuata, DEO feliciter annuente, præter omnium opinionem integræ valetudini restitutus fuit hic æger; unde manifestum redditur, quantum præstent Medicamenta Mineralia vegetabilius vulgaribus, in morbis præsertim fixis & radicalibus. Eodem mense, quo prædictam curam gero, vocor ad hydropicum servum hospitis publici Tobiæ **Harnisch**/ ubi symptomata fere eadem deprehendo, nisi quod tonus hepatis non ita resolutus, nec morbus tâm diu duraverat. Præmissis præmittendis, tribus vicibus meum catholicum purgans ipsi exhibeo, cujus beneficio intra mensis spacium, DEO benedicente, magnâ meâ cum laude pristinæ sanitati restitutus fuit. Porro, ne solis Chymicis confidere videar, dum hæc de curationibus hydropicorum recolligo, casus hic sequens memoriæ succurrit, de cive quodam Eckartbergensi, Barthol. Schrœter, qui Ascite deploratè laborabat, cum maximo scroti tumore, valde crassis & tinctis urinis. Huic sequentibus remediis succurrebam.

℞. *Spec. Diaturb. cum Rh.* ℈ij *Extract. Diagryd. Salis Chamameli ana g.* iij. *olei carvi (propter flatus) gut.* j. *detur cum brodio prunorum, pro leni evacuatione.*

℞. *Aq. locustar. Sambuci (qua in hydrope mihi valde familiaris) cuscutæ, Vrtica min. Veron. Chamamel. ana* ℥ij. *Extract. Ireos Florent.* ʒß. *Syr. de cichor. cum Rh.* ʒijs, *de Eupator, comp.* ʒx. *Arcani Vitriol. g. xxv.* M.

S. **Morgens und Nachmittags Trunck uf** 4. **mal.** Hoc præmisso per biduum reiteretur pulvis purgans hoc modo.

℞. *Spec. Diaturb. cum Rhab.* ʒß.
pul. Mechoacæ nig. ℈s.
Extr. Diagryd. g. iiij. *salis Chamamel. g.* iij. *Sacch. Ros. tab. g. v.*
ol. Anisi g. j. *Misce.*

Hoc sumpto aliquoties alvum exoneravit, cum multi seri ejectione, postea ad sequentia alterantia & aperientia perventum est.

℞. *Aq. locust. Sambuci Vrticæ min. ana* ℥iiij.
Cichor. Chamamel. Agrimon. ana ℥js.
Syr. de cichor. cum Rhab. ℥js. *de Eupator. Compos.*
De Soldanella ana ℥j.
Tartari vitriolati ℈iiij. *M.* S. **Morgens und Nachmittags Trunck.**

Post sumptum haustum utatur *Rotulis Diarrh. Abb.* tribus vel quatuor. Porro cum scrotum maximè tumefactum esset, hoc Epithema præscripsi, quod

℞. *Lixivii ex cineribus vitis viniferæ lib.* ij.
Fl. Chama-

Fl. Chamamel. Sambuci ana Mß. *colentur* post coctionem, & cum linteis humectatis in eo applicetur.

Ratione ventris tumescentis & flatuum: ℞. *Vng. Agrippæ* ℥ß. *Alabastrini percolati, olei Absinth. Chamamelini, Anethini, fl. Sambuci ana.* ʒij. Misce pro linimento ventris. Tandem hoc apozema, cujus usum in hydropicis aliàs maximo cum successu sæpius sum expertus, fuit ordinatum:

℞. *Cort. rad. interior. frangulæ, Ebuli Sambuci, cichor. urticæ ana* ℥j. *Levistici Polypod. ana* ℥ß. *liquiritiæ* ʒvj.
Ireos nostratis ʒß.
Herbæ Gratiolæ, Cuscutæ, Ageratis Argimoniæ ana Mj.
Absinth. Rom. Mß.
F. Calthæ, Chamameli, Cyani Violar. Sambuci ana Mß.
Sem. Melonum ʒiij.
Petroselini. Levistici, Fænicul. ana ʒij.
Fruct. Alkekengi num. xi.
Acinar. Sambuci integr. ℥j.
Medul. Sem. Carthami ℥js.
Calam. arom. ʒß.
Passul. min. ℥ij.

Incisa & contusa coq. in s. q. aq. ad 3. addendo in fine spec. Arom. rof. Diarrh. Abb. ana ʒj. *Sacch. Cand. al.* ʒjs. *iterum bulliant: colentur & clarificentur* ℔ij. *quibus adde Arcani Vitrioli* ʒj. Usurpetur haustus quotidie bis, duabus horis ante cibum. Hoc apozemate continuato fiant evacuationes intermediæ:

℞. *Spec. Diaturb. cum Rh.* ℈ijs.
Pul. Rhabarb. el. Ext. Esulæ ana ʒß.
Troch. de Eupatorio spec. Diatrionsantal. ana ℈j. *Salis petrosel. Absinth. Cichorei ana g. v. cum syrupo de Soldanella & viol. F. Elect. pro tribus vicibus, quod usurpetur loco apozematis die quaque tertiâ.*

Roborandi jecoris causâ horis pomeridianis etiam usurpabat sequens conditum, quod

℞. *Conf. rad. cichor.* ℥j.
Agerati, Argimon ana ʒvj.
Rosar. Damasc. Absinth. ana ℥ß.
Viol. ʒij.
Spec. Dialaccæ major. Diacurcum. Diarrh. ab. ana ʒß.
Spir. salis ℈j.
Cum syr. de cich. cum Rhabarb. & de Absinth. F. Elect.

Cerevisia Numburgensis nitrosa. Pro potu concessi cerevisiam Numburgicam, quæ quia multum Nitri continet, potenter alvum & urinas movet, unde rarius de morbus Tartareis, ut sunt nephritis, calculus, & podagra, nostri homines conqueruntur. His, DEO sic benedicente, perfectè quoque præsens æger convaluit. Dabantur Numburgi, &c.

Viro Clariss. Excellentiss.
Dn. PETRO CRUSIO, Phil. & Med. D. ac Physico Numburgensi,
GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. P. Grata mihi fuerunt, quæ de quibusdam desperatis ferè laborantibus Hydropicis communicasti: non dubito quin plures ex Orci faucibus liberarentur ex his ægris, si paulò fortioribus, inprimis mineralibus remediis, natura juvaretur. Ejusmodi casum æstivo tempore Anno 1632. hîc habui cum puero cujusdam Mercatoris filio, novem circiter annorum, qui per Menses aliquot hydropicus ex cachexia factus, ab aliis pro desperato relinquebatur: in tibiis undiq; mali moris ulceribus, ichorem copiosum fundentibus, præditus erat, cum intumescentiâ non tantum abdominis, scroti, sed faciei quoque, totiusque corporis; ita ut Ascites atque Anasarca conjungerentur. Ego vocatus suadeo primum evacuationem per *Mercurium dulcificatum cum Diagrydio,* qua semel atq; iterum repititâ fontem medicatum in vicinia nitro sum, ac sulphure atque vitriolo perfusum, cum spongiis novis primùm, post etiam in balneo & potu adhibeo, simul aliquoties adhibito purgante, quod fiebat infusione fol. senæ, Agarici, Mechoacæ nigræ Sem. Carthami, cum passulis minoribus, Aniso &c. in prædicta aqua minerali, cujus beneficio non tantum alvus laxabatur, sed etiam urina copiosè profluebat, detumescente pedetentim abdomine, consolidatisque malignis ulceribus, ut circa Septembr. puer pristinę valetudini DEI gratia restitueretur. Similiter eodem anno patritii cujusdam filiola, trium annorum, Anasarcæ totius corporis inflata, penitus abhorrens ab omni medicamento, per usum Mercurii dulcificati, cum granis aliquot Magisterii Jelapæ, restituta fuit, morti proxima; quæ repetitis vicibus sine molestiâ copiosè prædictis evacuata fuit, subsequenti quoque balnei medicati usu, corroborationis gratiâ. Porro quod ad Tympanitidem, vel Hydropem flatuosum, sequentibus Generosæ cuidam me consuluisse memini, nimirum ut antecedentis causæ respectu decocto galli decrepiti, cum radicibus & herbis appropriatis, uteretur, unà cum syrupis aperientibus, additis spiritibus penetrantibus. Cum autem nauseabundus ventriculus à talibus abhorreret, suasi sequentis digestivi pulveris usum, qui

Observatio hydropici pueri.

Fons medicatus im Striedelhof.

Hydropica puellæ.

Consilium in Tympanitide.

℞. *Crem. Tartari albiss.* ʒij.
Sal. Crystalli ʒij.
Magist. perlar. ℈j.
Fecula Aronis, Bryon. an ℈s.
M. divide in 6. partes.

Hujus pulveris continuatio fiat quotidiè bis, duabus horis ante cibum, cum haustu decoct. *rad. petroselini vel fæniculi.* Quarto die post usurpatum hoc digestivum fiat evacuatio, per *Laxat. min. compos.* ℈s. *Crem. Tart. Diag. cum Sulph. calc. ana gr.* viij. *Magist. perl. gr. v.* Misce.
vel ℞. *Merurii dulcif.* ℈js.
Crem. Cryst all. g. v.
Diagryd. cort. ℈s. *Misce.*

His

His ita continuatis per menſtruum ſpacium, non negligenda ſunt interim Symptomata, quam ob cauſam, propter urgentem difficilem reſpirationem *Spiritus Veronicæ cum Saccharo Cand. diſſoluto* frequenter uſurpetur. Ventriculus uſu *Elixiris proprietatis*, ut etiam *Elixiris Terebinthinati*, quod ſimul per vias urinarias movet, corroboretur. Capiti ſuccurrat *confectio Alkermes*, item *Rotulæ dianthos cum Extr. ligni Aloës*. Contra tormina flatulenta ſępius *aqua Carminativa Dorncrelii*, vel etiam *Spiritus Sambuci, cum Spir. liliorum convallium*, tum etiam *Balſamus Fœniculi. ex oleo, tinctura & ſale ritè præparatus*, uſurpetur, exterius ad umbilicum ſimul adhibito *Galbanato Cratonis, & inunctione Zibethi*. Tandem *Balneum ſudoriferum decoct. fol. Sambuci cum flor. Abſinth. Rutæ, Meliſſæ, Aneth. Chamæm. Anagall. aq. &c.* cum *rad. vincetox, Ireos, Aſari, bacc. Iuniperi &c.*

Præmiſſo hauſtu *aquæ deſtillati Raphani* (cui recenter deſtillatæ ſingularis vis aperiendi, quoad obſtructiones viſcerum ineſt) præſcriptum & ordinatum fuit, & ſimili modo cum aliis etiam non ſine ſucceſſu ſæpius progreſſus ſum. Verum.

Non eſt in Medico ſemper
relevetur ut æger,
Interdum, doctâ (præſertim in hydropicis)
plus valet arte malum.

Hiſce benè Vale. Ocyus Ulmæ, &c.

APPENDIX.

Catholicum purgans, cujus hîc fit mentio, ferè præparatur ad normam illius, quod à Crollio ſub titulo Electuarii de Vitro Antimonii deſcribitur: cujus doſis à ʒß. ad ʒj.

Ejuſdem Cruſii pulvis Alexipharmacus annis pręteritis feliciſſimo cum ſucceſſu permultis exhibitus, ita habet:

℞. *Pul. Moibani* ʒj. *pul. Rub. pann.* ʒij.
Bezoart. min. Solaris ʒß.
Salis Card. ben. ʒj.
Camphoræ ℈ij. *M. doſis ſumma* ʒj. *cum*
Aceto Bezoart, & aquis appropriatis.

OBSERVATIO XXXIII.

Tympanites incipiens.

PRæfectus & Conſiliarius Comitum Solmenſium in vicinia, Dn. Otto à Rehe, ferè ſexagenarius, anno 1618. *ſub initium Aug. de tumore ventris & pedum, gravitate totius, difficili reſpiratione, de alvi & urinæ conſtipatione, totoq́ abdomine tympani modo extenſo, conqueritur, & urinam quidem pauciſſimam, eamq́ crudam excernebat.*

RESOLVTIO.

QUanquam hîc generalia hydropis ſigna mox apparerent. *tumor videlicet ventris & pedum*, qui tam in *aſcite & anaſarcâ*, quàm in *tympanitide* ſolet occurrere, una cum reliquis additis, ut ſunt *gravitas, difficilis reſpiratio, excernendorū retentio &c.* nihilominus tamen in hac hydropis ſpecie, quæ maximâ ex parte copiâ flatuum oritur, *tympani modo venter totus extenditur*, ita ut impreſſi digiti veſtigium non tantum non retineat, ſed ſubjacentis flatuoſæ materiæ copiam ſatis indicet. *Hipp.* 4. *Aph.* 11. ſiccus hydrops vocatur, ſcilicet ad differentiam reliquarum ſpecierum, quatenus hic affectus ex flatibus ut plurimum conſtat, utpote cum originem ſuam habeat ab imbecillitate concoctionis, quâ materia cruda flatuum productioni ſatis apta gignitur, quæ propter calorē diminutum perfectè non reſolvitur, ſed in flatus convertitur.

Signa tympanitidis. *Cauſa.*

Hinc *tumor ventris*, propter flatuoſam materiam, unà cum ſero ſuperabundante partes abdominis extendentem; *imò & pedum*, quatenus, remotiores à fonte caloris, facilime ſerum ſuperfluum in ſeſe recipiunt, & reſpectu frigidioris naturæ, quâ præditi ſunt, ob calorem nativum totius quodammodo ſuffocatum, per congeſtionem etiam cruditates promptè colligunt. Hinc *totius gravitas*, calore nativo, quoad liberiorem ſuum motum impedito: *difficilis reſpiratio*, quam diaphragmatis compreſſio, muſculorumq́ue abdominis extenſio neceſſitate quadam introducunt: *alvus & urina conſtipantur*, tàm propter obſtructiones venarum concurrentes, quàm quod flatuum copia ſuperſtitis humoris excrementitii motum, & ſecretionem impediat: hinc *urina pauca, eaq́ cruda*, quæ languentis concoctricis indicium eſt.

Symptomatum declaratio.

Etſi v. tympanites, ob difficilem curationem, reliquis hydropis ſpeciebus periculoſior à Medicis ſtatuatur, bene tamen hunc ægrum noſtrum ſperare juſſimus, propterea, quod malum adhuc eſſet in principio. Mox igitur juxta ſequentes indicationes curationem inſtituendam eſſe duxi.

Prognoſis.

Primò ſeroſitates unâ cum flatibus ſenſim evacuandas: deinde per appropriata reſiduam flatuoſam materiam diſcutiendam: & tandem concoctionum viſcera corroboranda eſſe ſtatui.

Indicationes.

Quâ de causâ ſtatim *juxta primam indicationem* potionem ſequentem præſcripſi, quæ

Pro 1.

℞. *Rad. Ireos* ℥j.
Cort. inter. Sambuci,
Ebuli an. ℥ß.
Fœnic. Petroſelini an. ʒvj.
Herb. Centaur. minor.
Agrimoniæ,
Marrubii albi an. Mj.
Soldanellæ Mß.
Fl. Chamæmeli,
Geniſtæ an. pij.
Sem. Fœniculi, Carui an. ʒjß.
Fol. ſenæ ſ. ſ. ʒx.
Turbith opt. ʒij.
Sem. Carthami ponderoſi,
Sum. Samb. in vere collect. an. ʒiij. *fiat decoctio in ſ. q. vini & aquæ ad* 3. *ſtent in infuſione per noctem: manè colentur* ℥xij.

℞. *Colaturæ* ℥iij.
Syr. de ſpina cervina ℥j.

Miſce

Misce f. haustus, qui reiteretur per quatriduum.

Hâc evacuatione præmissâ, quò magis flatuosæ materiæ dissipatio fieret, *pro secunda indicatione* perficiendâ, per dies aliquot sequentem potionem diaphoreticam ordinavi, quæ

Pro 2.

℞. *Aq. fl. Sambuci,*
Arantiorum an. ℥jß.
Spiritus Ebuli ℥ß.
Cremoris Tartari ℈j.

Misce & vacuo stomacho tempore matutino exhibeatur, sudore simul provocato.

His medicamentis semel atque iterum permutatis, & per mensem continuatis, victus insuper tenuis imperabatur, & pro potu parciori vinum aquâ decoct. Sassafras, Glycyrrhizæ, Sem. Fœnic. &c. diluebatur, interim non neglectis, quæ segniorem alvum ad excernendum stimularent, flatuumque discussionem adjuvarent, ubi pulverem ad suppositoria ex ficubus confecta præscripsimus, ex ruta, cumino, aniso & aliis: semina quoque flatus discutientia, ante pastum in formâ trageæ ordinavimus, donec tandem corroborationis gratia, frequenter confectio sequens in Rotulis usurparetur, duabus horis ante cibum, quæ

Pro 3.

℞. *Spec. Arom. Rosati, dianisi ana* ʒiß. *Ol. Fœniculi* ℈ß. *Sacch. in aq. Arantiorum solut.* ℥iiij. *f. conf. in Rotulis.*

Præter hanc concoctionem manè post somnum in promtu erat Aq. vitæ Juniperina, quam ex Spiritu Juniperi, cum ejusdem extracto digestam, comparare solemus, cujus cochlear dimidium assumebatur, quibus remediis ab eo tempore restitutus DEI gratiâ hucusque vir optimus bellè valuit.

OBSERVATIO XXXIV.

In singulari dispositione ad Anasarcam, per modum consilii, concurrente Clariss. Viro, Dn. SEBASTIANO STROMEIERO, Med. D. & Physico Ulmensi, conscripta.

Determinatio morbi.

MOrbus, quo Vir Juvenis N. N. affligitur, nihil aliud est, quam *Cachexia hydropica, ad Anasarcam proximè vergens*, quod ex *urina cruda colligitur*, quatenus ventriculus quidem appetit, & concoctionem primam dextrè tentat, ubi tamen concoctio *jecoris scilicet & lienis* minus perfectè subsequitur, utpote quæ viscera propter *siccam intemperiem*, citò nimis aquositates à ventriculo attrahunt, unde tota massa sanguinea aquea & serosa redditur: hinc *urina copiosa*, & accedente refrigeratione *dysuria*, sæpius etiam circa pubem atque partes genitales, ob affluxum aquositatis, *intumescentia* generatur. *Stomachi compressivus* etiam *dolor* post cibum frequenter adest, quod à cruditatibus in ventriculo relictis oritur, unde post potum frequens est *faciei intumescentia*, quatenus hac ratione phlegmaticæ & aquosæ collectiones ebullire incipiunt. Maximè *superfluitas illa serosa per tempus aliquot pedes occupare consuevit*, ubi quotidiè sudoris instar transcolatur, unde morbus levior redditur, cum aliâs procul dubio totius corporis hydropicam intumescentiam produceret.

Deductio symptomatum.

Ut autem huic dispositioni præter naturam, per convenientia remedia obviam eamus, necessariò eo respiciendum erit, 1. *ventriculo, jecori & cæteris membris concoctioni prospicientibus illa convenient, quæ digestionem promovent*, 2. *collectio aquosæ serosæ materiæ dissipanda veniet*, 3. *tandem interna viscera, tanquam partes mandantes, & exterius pedes, ut partes recipientes corroborandi erunt.*

Indicationes.

Quoad primum, vinum laxativum conveniet, tam ad primas vias evacuandas, quàm etiam ad aperiendas obstructiones in venis minoribus.

Pro 1.

℞. *Fl. Persicor.*
Genist.
Sambuci an. pj.
Centaur. minor. pß,
Herb. Agrimon.
Epaticæ nobil.
Gratiolæ,
Soldanellæ,
Card. bened.
Com. Absinth. an. Mj.
Fol. Senæ Alexand. s. s. ℥j.
Mechoacæ,
Turpethi gummosi.
Rhabar. Elect. an. ʒiij.
Rad. Ebuli,
Hirundinar.
Ireos nostr. ana ʒvj.
Cichor. ℥ß.
Cort. Sambuci ʒvj.
Cal. Arom.
Galangæ an. ʒij.
Sem. Carthami ℥ß.
Card. bened.
Anisi ana ʒj.

Incisa & contusa dentur in sacculo exserico albo, pro vino laxativo.

Ubi per octiduum usus vini laxativi continuatus fuerit, necessarium erit, ut singulis diebus bis per quatriduum assumatur pulvis digestivus ʒß. pondere, cum vino absinthii vel Card. benedicti, qui

℞. *Magisterii Tart. Vitriol.* ʒjß.
Fæculæ Bryoniæ ʒj.
Salis Card. bened.
Genistæ an. ʒß.
Magist. Corall. rub. ℈ij.
Misce & divide in 8. *partes.*

Hoc modo digestione factâ sequens electuarium hydropicum aliquoties, interpositis diebus, provocatione sumatur jejuno stomacho, quod

℞. *Mercurii dulcificati ritè præp. gr.* xv. *Guttæ gamandræ gr.* v. *Conser. Rosar.* ʒij. *Misce cum Syr. rosat. solut. q. s.*

Pro 2. *Quoad secundum*, copia serositatum ulterius minuenda & discutienda venit, quod fieri potest, tàm *per urinas*, quò etiam sponte vergit, quàm *per sudores*. *Per urinam* promovebitur, ubi frequens erit usus Spiritus Salis Vitriolati gutt. v. vel vj. matutino tempore, cum brodio decoctionis rad. petroselini sumti: permutationis ergò Spiritus Terebinthinæ recens paratus etiam usurpari poterit; ut & syrupus sequens, cochlearibus tribus, ℞. *Syr. de Althea Fernelii* ℥vj. *Spir. Tart.* ʒij. *Misce.*

Ad sudorem promovendum plurimum inserviet decoctum sudoriferum, quod hoc modo paretur:

℞. *Rad. Chinæ* ℥iiij.
Sassafras ℥ij.
Rad. Cichorei,
Fœniculi.
Asparagi
Eryngii an. ℥j.
Sem. Dauci
Fœniculi
Petrosel. an. ʒiij.
Passul. min. ℥iij.
Tartari albi purificati ℥j.
Incisa dentur.

De speciebus his dimidia pars in 6. ℔. aq. ferventis infundatur per noctem in loco calido, manè coq. ad 3. Hujus decocti ℥vj. *matutino tempore sumantur, sudoris provocandi gratiâ, quod per octiduum repetatur.*

Nota vero quod ʒiij. *de Rob. Ebuli, cum* ℈j. *Mithridatii interdum præmitti possint, decocti* ℥iij. *tantum superadditis, quo tantò felicior expulsio reddatur.*

Pro 3. *Quoad tertium, interius* pro corroboratione viscerum diligenter Tragema sumatur, cum pane tosto ex malvatico, quod

℞. *Sp. diarrhod. abb.*
Diatrionsantal. an. ʒj.
Dialacca
Diacurcumæ an. ʒß.
Magist. Margar. ʒß.
Corall. utriusq. an. ʒj.
Tab. Manus Chr. perlat. ℥j.
Sacch. albiss. parum, ad saporem jucundum f. Tragema.

Exterius pedes etiam topica requirunt, ubi conveniet balneum sudoriferum, partim aquositates eò translatas discutiens & resolvens, partim etiam corroborans, quod fiat ex decoct. Nasturtii aq. Bachbungæ, Betonicæ, Chamæmeli, bacc. Juniperi, lauri, cort. Ebuli, Sambuci &c. Sudor linteo, mastiche perfumato, detergeatur, adhibito simul pulvere pro fumo, qui.

℞. *Mastich.*
Succini
Olibani an. ʒjß.
Tacamachacæ ʒiij.
Ligni Aloës ʒij.
Rof. rub. Mj.
f. pulvis pro fumo.

Absterso sudore, pulvis, corroborationis ergò, aspergatur.

℞. *Absinth. vulg.*
Hederæ terrestr.
Scordii ana Miij.
Sabinæ Miß.
Fl. rof. rub.
Anthos
Stachad. Salviæ an. Mß.
Farinæ fabar.
Lentium
Lupinor. an. ℥jß.
Bacc. lauri
Juniperi Myrtill. an. ℥j.
Myrrhæ
Mastich. an. ℥ß.
Misce f. pulvis per cribrum.

Indicatum Curativa.

In victus ratione caveantur δύσπεπτα, quæ difficilis sunt coctionis: carnes potius assatæ quàm elixæ sint: potus parcus sit, ubi vinum decocto sassafras diluatur. Sitis interdum passulis in vino maceratis, cerasis acidis conditis, Syrupo Citri, Granatorum, Berberorum & similibus fallatur. Hæc sunt, quæ pro tempore præscribere voluimus, quibus Deus ex alto benedicat. Ulmæ, 14. Novem. 1622.

OBSERVATIO XXXV.

Anasarcæ principium in septuagenaria.

Abbatissa quædam septuagenaria, pallore totius, subitaneâ faciei intumescentiâ, membrorum carnosorum flacciditate, pedum œdematode tumore, pectoris angustiâ, lipothymiis instantibus, subitaneâ lassitudine, dejecto appetitu, & similibus prehenditur.

RESOLUTIO.

Determinatio morbi. Cum sub initium Febr. 1623. in consilium vocarer, protinus *Anasarcam* adesse dicebam, ex imbecillitate digestionis provenientem, quod non tantum *externa signa* testabantur, ut sunt *pallor totius*, sanguine phlegmatico & seroso cutis substantiæ imbibito; *subitanea faciei intumescentia*, propter crudum sanguinem in carnosâ cute faciei minus ritè digestum; *membrorum flacciditas*, unâ cum laudabili sanguine plurimis excrementis in ipsis carnosis partibus abundantibus; *pedum tumor œdematodes*, qualis ex abundantia pituitosi sanguinis oriri solet: sed *interna quoque symptomata* satis hoc ipsum confirmabant, uti erat *angustia pectoris*, tàm propter diaphragmatis compressionem, quàm etiam propter pituitam viscidam in bronchiis pulmonum, & congestione, & catarrho materiæ defluentis, collectam: *instans lipothymia*, quatenus serum copiosius cordis capsulam quoque replebat, ibidemque ebulliens ejusmodi symptoma producebat: *subitanea lassitudo totius*, ob caloris nativi sæpius imminentem suffocationem: *dejectus appetitus*, ob copiam peccantis materiæ, vias primas etiam replentem, unde *sitis etiam nulla* admodum urgebat.

Externa signa. Symptomata interna.

In-

In hoc casu leniendi affectus gratiâ, in tam decrepitâ ætate, eò respiciendum esse dixi: 1. *ut singulis mensibus, lunâ declinante, lenitivum aliquod phlegmagogum exhiberetur*, 2. *concoctio ventriculi roboraretur*, 3. *jecur etiam ab obstructionibus liberaretur*. 4. *tandem interius angustia pectoris, & exterius etiam tumori pedum, tanquam symptomatibus urgentibus, succurreretur.*

Indicationes Curativæ.

Pro primo dilutum Agarici ordinavimus, quod

℞. *Agarici* ℥ijß.
ZZ. ℈j.
Fiat infusio per noctem vino & aq. Veronicæ q. s. manè colentur ℥ijß. *adde*
Syr. rosati solut. ℥j.
Extr. diacarthami ℈j.
Misce f. haustus.

Pro secundo: corroborationis gratiâ sæpius usurpet Trageam, quæ

℞. *Corall. rub. præp.* ʒjß.
C. C. usti præp. ʒj.
Succini albi præp. ʒß.
Conf. arom. rosat. ℥j.
Manus Chr. perlatæ ℥jß.
M. f. Tragea.

Pro tertio: frequens fit usus conservæ Radicum Cichorei per se, vel cum brodio quodam decoctæ & extractæ.

Pro quarto: angustiæ pectoris succurrendum; exterius inunctione, quæ

℞. *Ol. Amygd. dulc.*
Lilior. alb. ana ℥j.
Anethini ℥ß.
Terebinth. al. ʒß.
Ceræ parum. f. linimentum.

Interius ℞. *Oxymellis squill.* ℥j.
Syr. de hyssopo,
de glycyrrh. an. ℥ß.
Aq. prasii,
Card. bened. an ℥vj.
Misce f. potio pro 3. vicibus.

Item ℞. *Aq. Asthmat.* ℥vj.
Prasii,
Tussilag. an. ℥jß.
Conf. Manus Chr. perlatæ ʒvj.
M. S. Krafftwasser für die Enge.

℞. *Fl. Sulphuris opt.* ʒjß.
Sacch. Cand. ʒiij.
M. Fiat pulvis.

Contra tumorem pedum.

Tumori pedum, totiusq́ corporis ordinavimus Electuarium sequens, quod

℞. *Rob. Sambuci* ℥jß.
Mithridatii ʒjß.
Syr. papav. errat. ℥ß.
Aq. aureæ Lang. q. s.
f. Elect. sumatur ʒß.
ante somnum.

Exterius fiat fomentatio per decoctum sudoriferum hoc modo.

℞. *Rad. Ebuli* ℥iiij.
Her. Salviæ,
Betonicæ,
Rorismarini an. Miij.
Bacc. lauri Mß.
Iuniperi Mjß.
Incisa & contusa cop. pro balneo sudorifero pedum.

Hæc in gratiam ægrotantis, ab omni medicamentorum usu abhorrentis, paucissima fuerunt ordinata, quibus aliquandiu fuit sustentata, donec morbo, senioque confecta, naturæ debitum solveret.

OBSERVATIO XXXVI.

Icteritia cum febri.

Ivvenis, annor. circiter quindecim, Prætoris, anno superiori 1619. demortui p. m. filius natu major. Georg. Daniel Schautantz / *sub finem anni sexcentesimi decimi quarti in febrilem dispositionem incidit, quæ cum horrore prehendit, succedente calore p. n. affligente, dejecto appetitu, siti præternaturali, totius lassitudine, cum alvi obstructione, tandem colore bilioso totum corpus exterius tingente.*

RESOLVTIO.

Occasio collectionis biliosæ.

Calida sicca nativa constitutio subjecti laborans, hoc loco non difficulter ad bilis copiosorem proventum inservire poterat, unde primum circa jecoris regionem ebulliente biliosa materia *febris* oriebatur, quæ *cum horrore* prehendebat, quatenus bilis sincerior, cum massâ sanguineâ plurimum permista, suis evaporationibus partes sensiles aliquanto lenius, quàm in rigore, pungebat, *succedente calore præternat.* quem fervor ebullientis bilis producebat; *dejecto appetitu*, propter languentem nutritivam; *siti præternaturali*, ob intemperiem calidam; *totius lassitudine*, quatenus liberior sanguinis, spiritusque motus impediebatur; *cum alvi obstructione*, tàm quod humidior excretorũ substantia vi caloris exurentis absumeretur, quàm quod stimulus excretionis, bilis scilicet, à consuetis viis aliò transferretur; *superveniente tandem corporis totius colore bilioso*, quem *Icterum* vel *Icteritiam, seu morbum regium* vocant Medici, propterea quod excrementitia bilis, una cum sanguineâ massâ permixta, superficiem cutis alieno, sibique proprio, colore flavo tingeret.

Causa febris.

Causa icterici.

Cum verò bonum sit signum, ubi post 7. in febribus Icteritia supervenit, absentibus etiam aliis signis minimè bonis, ut est durities hypochondrii dextri, vehemens inflatio, totalis appetitus dejectio, pervigilia, delirium, loquela difficilis &c.

Prognosis. Indicationes.

Idcirco brevi restitutionem hic etiam speravimus, quam ob causam, 1. *per vices leniter evacuandum*, 2. *obstructiones venarum minorum aperiendas*, & 3. *calidiorem jecoris excessum temperandum esse statuimus.*

Pro 1.

Quoad primum, laxativum nodulum ordinavimus, qui

℞. *Rad. Cichorei* ℥j.
Glycyrrhizæ ʒvj.
Cort. rad. frangulæ ʒij.
Fol. senæ s. s. ʒx.
Rhabarbari ʒj.
Sem. Fœniculi ʒjß.
Passul. minor. ℥j. *Macis*
Cinamom. an. ʒß.
Spicæ Ind. ℈ß.
f. Infusio in ℔jß. *vini, & ℔ß. aquæ: post 24. horas, una cum liquidiori cibo prandii, sumatur haustus plenus per triduum.*

Pro 2. Hâc evacuatione lenitivâ præmissâ, *quoad secundam indicationem*, sequenti formula potionem aperientem & digerentem præscripsi, quæ

℞. *Rad. Cichorei* ℥j.
Fœniculi,
Petroselini an. ʒvj.
Herb. Agrimoniæ,
Marrub. alb. an, Mjß.
Sem. Fœniculi,
Anisi an. ʒij.
Cicer. rubror. ʒvj.
Coq. in s. q. seri lactis caprini ad 3. colentur ℥x.
adde.
Syr. de Cichoreo cum Rhabarb.
De Eupatorio an. ℥jß.
Misce pro tribus vicibus.

Pro 3. His iteratis, nec interim neglectis iis, quæ ad intemperiem calidam corrigendam facere poterant, tam in victus ratione, quàm quoad alterantia medicamenta, brevi vicissim convaluit æger. *Occasio recidivæ.* Postquam verò paulo post appetitui indulgens, castaneis & pomis comestis recidivam sibi conciliasset, propterea, quod facultas concoctrix, morbo præcedente debilis adhuc, ad cruda ejusmodi digerenda non sufficiens esset, vicissim laxativo nodulo eidem succurrere conabar, sed frustrà cum vomitus ad assumtum medicamen mox oriretur. Quò ergo citius evacuationem instituerem, Magisterii Tartari Vitriolati ℈ijß. diagryd. gr. ij. in vino absinthii exhibebam, ubi non tantum sufficiens alvi laxatio, sed etiam sudor subsequebatur, desinentibus vicissim recidivæ symptomatibus, coloreq; flavo per sudorifera balnea discusso.

OBSERVATIO XXXVII.

Icteritia sine febri.

PAtritius Noribergensis, Georgius Holtzschucher/ studiorum gratiâ nobiscum vivens, 30. Novembr. anni superioris 1619. de lassitudine spontaneâ, & incipiente lipothymia subitò prehendente conquerebatur, urinam transmittebat impensè flavam, atque crassam: alvum habebat adstrictam, & excrementa cineritia cum difficultate reddebat: aliis symptomatibus omnino carens, undique tamen flavo colore tingebatur.*

RESOLUTIO.

QUanquam de causa *lassitudinis spontaneæ*, tum etiam *subitaneæ lipothymiæ*, primò dubitarem, nihilominus sequenti die, conspectâ urinâ *croceâ & crassâ*, statim colligebam, in meatibus bilariis adesse obstructionem, ita ut bilis excrementitia commodum non secerneretur, sed unà cum massâ sanguineâ commisceretur, quæ *lapsum virium subitaneum*, una cum *lassitudine* totius excitabat, antequam scilicet in totius corporis habitum distributio fieret: *alvus adstringebatur*, quod frequens est huic morbo, propter bilis aversionem; *& excrementa cineritia cum difficultate* reddebantur, quatenus tincturâ bilis aliò translatâ destituebantur, quod Ictericis iis proprium est, quibus morbus hic propter felleæ vesiculæ, meatuumque ejus obstructionem oritur. *Declaratio symptomatum.*

Prognosis. Cum autem alia graviora symptomata, præterquam quod bilis effusio ad habitum corporis colore flavo sese manifestaret, hic non deprehenderentur, idcirco paucis septimanis restitutionem DEI gratiâ laboranti promisimus, eò respiciendo, 1. *ut lenis evacuatio per vices institueretur*, 2. *eademq; præmissâ materia peccans magis digereretur*, 3. *digesta partim per alvum, partim per sudores discuteretur*, 4. *& ipsum jecur cum adjuvantibus visceribus corroboraretur.* *Indicationes.*

Pro 1. *Quoad primum*, vinum laxativum per quatriduum ordinavimus, ferè ad eundem modum, sicut in observatione præcedenti, nisi quod cuilibet haustui; stimuli gratiâ, propter majorem apertionem, Cremoris Tartari ℈j. adderetur.

Pro 2. *Quoad secundum*, majoris digestionis causâ, sequentem potionem, ad 4. vices, ordinavimus, quæ

℞. *Rad. Cichorei* ℥jß.
Herb. Agrimon.
Centaur. minor. an. Mj.
Sem. Fœniculi ʒjß.
Cort Arantiorum ʒj.
Passul. minor ʒvj.
f. decoct. in s. q. aq. & vini, ad 3. colentur ℥xij.
adde
Syr. de Cichor. cum Rhabar.
Bysantini s. an. ℥iij.
Misce S. Tränckhlein auff 4. mal.

Hujus potionis parte quartâ tempore matutino sumtâ pomeridianis horis digesto prandio, ℥ß. sequentis Electuarii concessimus, quod

℞. *Cons rad. Cichor.* ℥iij.
Salis Absinth. ʒß.
Syr. de Cichor. cum Rh. q. s.
f. Elect molle.

Quoad indicationem tertiam, semel atque iterum potio sequens ad exturbandam peccantem materiam per alvum sumebatur, quæ

℞. *Syr. rosat. solut. cum Rhab.* ℥jß.
decoct. prunor. Damas. ℥ij.
Rhabar. tenuiss. incisi. ʒß.
Misce.

Sudoris

Sudoris provocandi gratiâ, diebus sequentibus diaphoreticum hoc pro 2. vicibus ordinabam, quod

℞. *Conf. fumar.* ʒß.
Rob. sambuci ʒij.
C. C. usti prap. ʒj.
Syr. de s. fumar. q. s.
f. Elect. molle.

Cujus dimidia pars jejuno stomacho sumatur, cum aqua sequenti, qua

℞. *Aq. fl. Sambuci* ℥iß.
Card. bened. ʒvj.
Misce.

Pro 3. *Tandem pro viscerum corroboratione*, cum urina ad meliorem statum, & alvi excreta vicissim ad colorem naturalem mutarentur, sequens electuarium commendavimus, quod

℞. *Conf. fumaria* ℥jß.
Cichores ℥ij.
Sec. Dianisi
Diarrh. Ab. an. ℈ij.
Syr. de cort. Citri q. s.
f. Elect. molle, quotidie bis, duabus horis ante cibum ʒiij. *assumendum.*

Post cibum tragea sequens commendabatur, quæ

℞. *Coriand. prap.* ʒß.
Sem. Fœniculi
Anisi. Carui an. ʒjß.
C. C. usti prap.
Corall. rub. prap.
Cinam.
Nucis mosch. an. ʒß.
Sacch. opt. ad pondus omnium.
f. Tragea.

Eodem fine melioris præcautionis ergò, ne de novo quid colligeretur, sequentem potionem aliquoties exhibuimus, quæ

℞. *Syr. de Cichor. cum Rhabarb.* ℥jß.
de s. Endivia ℥j.
decoct. rad. Cichor. cum Passul. minor ℥viij.
f. potio ad 3. vices per octiduum reiteranda.

Postremò majoris discussionis & resolutionis ergò, quò color cutis externus penitus dissiparetur, semel atque iterum sudorem imperavimus medicamento sequenti, quod

℞. *Conf. fumar.*
Rob. Sambuci an. ʒß.
Pul. Card. bened. ʒj.
Theriaca And. ℈j.
Syr. de fumar. q. s.
f. Elect. molle pro 2. vicibus, cum aq. florum Sambuci ℥iij. *& aq. Cichores* ℥jß. *assumendum.*

OBSERVATIO XXXVIII.

Intemperies jecoris cum obstructione circa mesenterium.

VIR Nobilis, annor. 28. ætatis, Liborius à Busch/ Eq. Brunsuicensis, anno superiori febrim patitur, à quo tempore calor hecticus absumens, cum atrophiâ totius, levi de causa febriles insultus, concoctio ventriculi imbecillior, cum inflatione post cibum eundem hactenus afflixerunt: paucis abhinc septimanis Icteritiâ laboravit, à quâ quodammodo restitutus, de reliquis prædictis symptomatibus adhuc conquerens, consilii causâ me hoc mense Iulio, anno 1621. Wildungæ commorantem ad acidulas, convenit, urinam exhibens auream, cum sedimento tartari rubicundi, post coagulationem, apparentis.*

RESOLUTIO.

DEprehendo hîc *intemperiem jecoris calidam cum bilis abundantia*, cujus crassior & impurior pars, cum viscidis ac lentis pituitosis humoribus permixta, pertinaces obstructiones in quibusdam partibus mesenterii produxerat, quam internam omnium symptomatum radicem, *urina aurea cum sedimento tartari rubicundi post coagulationem*, satis innuebat: hinc non tantum *calor p. n.* æqualiter habitum corporis invadens, qui hecticus & absumens est, ita ut nutritio totius ea propter langueat, sed levi de causâ *febriles insultus* suboriuntur, accedente videlicet immoderatiori usu vini, quò latentes obstructiones effervescunt, & febrilibus exhalationibus calorem cordi, totique de novo p. n. communicant: *concoctio ventriculi redditur imbecillior, cum inflatione post cibum*, utpote cum calor nativus imbecillior alimenta quidem concoquat, sed imperfectè, nec non cum flatuum generatione: *paucis abhinc septimanis Icteritia laboravit*, tàm propter bilis abundantiam, quàm quod propter increscentes obstructiones in venis minoribus, vasa bilem ad intestina deferentia fuerint etiam obstructa. *Determinatio morbi.*

Quanquàm verò complicatus hîc affectus diuturnus sese offerat, ubi unus morbus alterius causa existit, non tamen desperatus est, propterea quod in partibus à vitali principio remotioribus, consistat: nec terreat nobiliss. ægrum totius corporis atrophia, cùm eadem non ex ulcere pulmonum, quæ lethalis proclamari solet, sed ex depravatis concoctionibus infimi ventris originem suam habeat. *Prognosis.*

Quibus omnibus consideratis usum acidularum Wildungensium convenienter præscripsi, cùm hac ratione non tantum superfluus calor temperari, sed etiam obstructiones pertinaces in mesenterii venis, vicinisque partibus, imo in ipsis etiam vasis minoribus jecoris aperiri possint. His ergò, præmissâ convenienti purgatione, per integras tres septimanas cum fructu continuatis, domum abeunti sequens consilium communicavi, nimirum ut post dies aliquot domi quiescens, juxta sequentes indicationes ulterius naturæ succurrat: 1. *Lenis fiat alvi evacuatio per vices aliquot: 2. tam pro corroboratione jecoris, quàm pro præcavendis novis minorum venarum obstructionibus appropriata sequatur; 3. nec etiam ventriculi inflatio negligatur.* *Usus acidularum in hoc casu.* *Scopi curationis post usum acidularum.*

Quoad primum conveniens esset vinum passulatum, quod

 ℞. *Pas-*

℞. *Passul. minor.* ℥jß.
Rad. Cichor.
Scorzonera
Liquirit. an. ℥ß.
Fol. senæ s. s. ʒx.
Rhabarb. ʒjß.
Cort. rad. frang. ʒij.
Sem. Fœniculi ʒjß.
Cort. arantior. ʒj.
Macis ʒß.
Cinam.
Galang. an. ʒj.
Spicæ Ind. ℈ß.

Incisa & contusa pro ℔iiij. *vini ad nodulum. Stent infusa 24. horis: post tempore prandii moderatissimi sumatur plenus haustus per triduum.*

Quoad secundum, sumatur gallina senescens, repleatur sequenti mixtura:

℞. *Cons. rosar. recen.* ℥vj.
Acetosæ ℥iij.
Sp. diarrh. Abb. ʒij.
C. C. usti præp. ʒiij.
Corall. rub. præp. ʒjß.
Cum syr. de Cichor. cum Rhab. q. s. M.

F. decoctio in s. q. quo ad caro decedat ab ossibus: contundantur omnia conjunctim, & liquor per setaceum trajiciatur, de quo per octiduum duabus horis ante cibum 7. vel 8. cochlearia calidè sumantur, semper, majoris digestionis & apertionis ergò, cremoris tartari purissimi ℈ß. *adjecto.*

Quoad tertium, symptoma inflationis ventriculi minimè negligendum esse dixi, quam ob causam duo monenda veniebant, nimirum primò victus ratio conveniens ut instituatur, deinde quotidie quoq; stomachica medicamenta observentur, Victus rationem ex *cap.* 3. *& 6. lib. 2. de tuen. sanit.* colligendam suasi, simul observatis medicamentis sequentibus: interius vacuo stomacho tempore matutino frequens sit usus confectionis arom. rosati, cum ol. Fœniculi præp. ut etiam post cibum sequens tragea, quæ

℞. *Sem. Coriand. præp.* ℥vj.
Anisi, Fœniculi an. ʒjß.
Zinziber.
Galangæ an. ʒß.
Rös. rub. ʒj.
Ligni Aloës ℈j.
Cinam.
C. C. usti præp. an. ℈jß.
Sacch. ad pondus omnium,
f. pulvis per cribrum.

Exterius *Empl. de Baccis Lauri* ad regionem ventriculi apponatur, ex ol. Menthæ & Absinthii duabus horis ante cibum inunctione primum facta.

His ordinatis, post acidularum usum, Nobiliss. æger, ex potu acidularum, primò quidem diebus aliquot satis per alvum evacuatus, quod materiam circa primas vias latitantem indicabat, ac deinde respectu virium recreatus, bene sperans domum abiit, cui DEUS benedictione suâ pristinam sanitatem largiatur.

APPENDIX.

Nota, quod sub finem Septemb. rescriptum fuerit, ad usum præcedentium pristinam sanitatem DEI gratiâ perfectè restitutam esse.

OBSERVATIO XXXIX.

Dispositio ad Scorbutum.

Nobiliss. matrona, triginta circiter annorum, constitutione corporis plenior, de diuturna cephalæa per vices apprehendente conqueritur, ut etiam de lassitudine manuum, pedumq; totiusq; corporis, de difficili respiratione, de mensibus inordinatis, de palpitatione cordis, de maculis crurum, brachiorumq;, quæ cum languore totius apparent, primò rubicundæ, sensimq; subflavæ, donec penitus discutiantur: interdum orificium stomachi cardialgiâ laborat, mox appetitus ad cibum, qui eodem momento vicissim deperditur.

RESOLUTIO.

Cum ante mensem nobiliss. Fœmina me Wildungæ conveniret, consideratâ corporis constitutione, mox *dispositionem ad Scorbutum* adesse dixi, cum quâ *jecoris constitutio calidior* conjungatur, ita ut eam ob causam non tantum *lien* inoperatione sit imbecillior, & massam sanguineam Scorbuticâ qualitate inficiat, sed etiam *intemperies viscerum sanguificationis calidior* malum hoc augeat, & symptomatum prædictorum generationem promoveat. *Determinatio morbi.*

Hinc diuturna cephalæa per vices apprehendit, quatenus imbecillior capitis constitutio, fluxionibus alias respectu nativi temperamenti plurimum obnoxia, non difficulter exhalationes è sanguine crudo, viscidoque, vi caloris viscerum excitatas, recipit; easdem, vi densitatis membranarum cerebri, vicissim coagulatas promptè retinet, quæ materia coagulata tam diu Cephalæam producit, donec vi caloris nativi rursus dissipetur, unde post dolorem ejusmodi *destillationes dolorificæ* sæpius ad collum, humeros, dentes, vicinasque partes descendere consueverunt. Apprehendit autem *dolor hic per vices*, propterea quod causa dicta nondum in cerebro radicata sit, sed adhuc à visceribus infimi ventris communicetur. Adest etiam *lassitudo spontanea*, propter sanguinem crudum, viscidumque, non tantum in venis, sed etiam in habitu musculoso superabundantem, utpote cum vi nutritivæ facultatis, ejusmodi materia penitus maturari nequeat, unde necessariò spiritus animalis liberior motus in partibus motui destinatis impeditur: *difficilis respiratio*, non propter pectoris affectum, sed quatenus ebulliens & effervescens materia in hypochondriis sub diaphragmate, liberiorem respirationem compressione diaphragmatis, & extensione musculorum abdominis perturbat: *menses inordinati*, quatenus sanguis crudus & viscidus, ad scorbuticam corruptionem dispositus, peculiares suas

Occasio Cephalæa.

Cur per vices apprehendat.

Lassitudo spontanea unde in Scorbuticis.

Item difficilis respiratio.

Unde menses inordinati.

suas ebullitiones patitur, non ordine naturæ, sed prout juvantibus causis morbosis interdum effervescit: *palpitatio cordis*, quatenus serum abundans eandem producere potest, juxta observat. 13. de mor. pectoris: *maculæ crurum, brachiorumq́*, quæ signa sunt impurioris scorbutici sanguinis, ex ejusdem sero corrupto prodeuntes, quas natura non sine difficultate, pugnans quasi cum effervescente causâ morbificâ producit; unde simul *anxietas & languor virium* apparet, quæ postea sensim vicissim, calore nativo superante, discutiuntur: *cardialgia*, propter pravos, & morsu vellicantes humores in orificio ventriculi, vel per congestionem relictos, vel eò transmissos, quod etiam in formâ vaporum fieri potest, qui suâ acrimoniâ stimulare, famemque *mox excitare, mox etiam resoluti* nauseam creare possunt.

Unde maculæ Scorbuticæ.

Cardialgia unde.

Prognosis.

Quanquam verò diuturnus hic affectus sit, eundem nihilominus adhuc nondum confirmatum esse pronunciavi, qui tamen procedente tempore, nisi naturæ diligenter succurratur, in *Melancholiam hypochondriacam & scorbutum* abire queat.

An acidularum potus hic conveniens.

Cum autem ægra nobilissima sollicita esset, num etiam usus acidularum Wildungensium eidem conveniret, propterea quod hanc ob causam ex inferiori Saxonia, per sex circiter dierum iter, eò sese contulisset, affirmativè respondi; sed cum limitatione, quatenus harum potu conveniens præparatio ad aliam pleniorem, magisque appropriatam curam singulis semestribus instituendam, expectari queat.

Cum enim acidularum continuatus potus non tantum intemperiem viscerum calidorum corrigat, materiam obstruentem attenuet, attenuatam per omnes ferè vias excretionum expellat, & ipsa viscera, totumque corpus adstrictoriâ amicâ facultate corroboret, non dubitandum, quin convenienter adhibitus, huic affectui plurimum conducere possit. Mox ergò modum potandarum acidularum præscripsi, nimirum ut per biduum, post peregrinationem absolutam, quiesceret, & interim pro primis viis evacuandis laxativo uteretur, quod

Modus utendi acidularum.

℞. *Spec. diaturbith cum Rhabarb.* ʒj.
Cremoris Tartari ℈j.
Misce & cum brodio pisorum f. haustus.

Hoc præmisso, potum acidularum incipiat tribus vitris, quæ libram mensuralem constituant, quotidie bis, & sequentibus diebus dosin unico vitro semper augeat, usque dum libras quatuor compleat, quam dosin per octiduum continuet, ac deinde sensim etiam à summa dosi vicissim descendat. Antequam verò tempore matutino ad acidularum fontem se conferat, omni ingenio eò allaborandum erit, ut per motum temperatum non tantum corporis vires suscitentur, sed etiam excrementa, quò ad alvum & urinâm expellantur, quo facto, corpus ab aëris externi frigiditate vestibus bene muniatur, & locus fontis destinatus, motu mediocri, vel curru, vel pedibus, petatur; interim pro stomachi corroboratione de Morsulis Imperatoris, de confectione Anisi, Fœniculi, Cinam. Cort. Arantiorum & similibus, particulâ quâdam assumptâ, quod delicatis, & quibus stomachus imbecillior est, concedimus, qua ratione nobili præcedentis observationis hoc fine conf. aromat. rosat. cum ol. Fœniculi commendabam. Inter bibendum non plenis haustibus majoribus, sed sensim portio conveniens absolvatur, ut pedetentim aquæ distributio fieri queat, quâ de causâ necessum est, ut interim, dum dosis summa bibitur, hinc & inde ambulando horę spacium absumatur. Post absolutam potus portionem, motus corporis subsequatur per gradus, ubi diligenter notandum, ut naturam in operatione suâ non impediamus, quod fit, quando secretionis modum observamus. Maximè verò, quò ad præsentem casum, conveniret, si per alvum etiam actio acidularum juvaretur, utpote cum radix mali circa ventrem infimum lateat, & alias ejusmodi naturæ pronæ sint ad alvi obstructiones, quam ob causam sequens vinum passulatum ordinavi, de quo plenus haustus tempore prandii bibatur.

℞. *Rad. polypod. liquirit. an.* ℥j.
Cichorei ℥jß.
Scorzoneræ ℥ß.
Herb. Scolopend. fumar.
Centaur. minor. an. Mß.
Fol. Senæ s. s. ℥jß.
Agarici troch. ʒvj.
Rhabarb. ʒjß.
Fl. Chamæmeli
Sambuci an. pij.
Sem. Fœniculi
Dauci an. ʒjß.
Cinam.
Caryophyll. an. ʒj.
Zedoariæ ʒß.
Croci ℈ß.
Passul. Minor. ℥iij.
f. Infusio in ℔viij. *vini per noctem.*

Ubi, quoad alvi obstructiones, hoc modo naturæ prospectum fuerit, reliqui secretionis modi quoque non negligendi, quam ob causam, alternis diebus tempore summæ doseos, excretio per urinam & sudores promoveatur: prius fiat assumptâ ʒß. pillularum de Terebinthina, quæ deglutiatur manè post somnum, subsequente postea consuetâ potionis acidularum portione: posterius tentabitur per motum corporis eò usq; donec sudor profluit, quem domi postea coopertis lectis ulterius provocare licet, hypocaustis calefactis, ubi aër ambiens frigidior est.

His & pluribus instructa nobiliss. fœmina potum acidularum cum fructu continuabat, meque 15. Junii per literas certiorem reddebat, quod potus acidularum convenientem operationem habeat, nec se hactenus dolore capitis afflictam fuisse, resolutam quidem pituitosam materiam inter bibendum à capite defluxam, expectorari, sed absque difficultate; addit, *gravitatem membrorum superesse, cum intumescentibus pedibus, simulque confitetur, maculas superius descriptas in cruribus & brachiis vi sudoris* expulsas esse. Quibus intellectis per literas respondi, bene sperandum, propterea quod nulla

sympto-

symptomata graviora suscitentur, nec etiam *dolor capitis alias frequens* sentiatur, ea propter, quatenus evaporationes calidiorum viscerum usu acidularum impediantur, *subsequenti materiæ defluentis expectoratione*, prout serum in cerebro copiosè cumulatum fluxibilius reddatur. Quod verò *gravitatem membrorum* attinet, illam sanguis viscidus & crudus p. tempore quadantenus eò magis continuat, donec vi sudoris quotidiè magis magisque discutiatur, quam incipientem resolutionem *maculæ scorbuticæ* supervenientes testantur quas eodem modo vi sudoris per usum acidularum Wildungensium, Anno 1616. cuidam *viro Nobilissimo*, sat copiosè expulsas fuisse recordor, qui eo ipso, quod ad scorbutum inclinaret, oppidò convincebatur. Imò *pedum etiam intumescentia* nihil aliud indicat, quam crudioris & viscidioris sanguinis attenuationem, vel tartari massæ sanguineæ resolutionem, cujus gratiâ non inconveniens esset pedum balneum ex aq. acida, cum herba Bachbunga seu anagallide aquaticâ decoctum, & frequenter ante cibum usurpatum. Absoluto verò tempore præscripto, Nobiliss. vicissim iter ingrediatur, ac domum veniens, per menstruum spacium quiescat, nec deinde sequentem curam ulteriorem negligat, quam singulis semestribus, mutatis mutandis, pro circumstantiarum ratione, repetat.

Observatio.

Victus ratio.

Inprimis vero victus rationem observet sivi convenientem, de qua pleniorem informationem *in lib. German. de Scorb. cap.* 4. *&* 7. legat, ubi inprimis eò respiciat, ut quotidiè alvus laxa reddatur, cum suâ naturâ ad obstructionem inclinet, quo fine non improbo pillularum sequentium, à *Dn. D. Adamo Luchtenio*, eidem communicatarum usum, ante somnum quantitate ℈j. sumendarum, quæ

℞. *Aloës insuccatæ* ʒj.
Rhabar. opt. subtil. pulver.
& aq. Cinam. aspers. ʒij.
Extr. panchymagogi Croll.
Helleb. nigri Querc. an ʒj.
Chalybis præp. ʒij.
Troch. de Eupator.
de Absinth. an. ʒß.
Syr. de pomis laxat. q. s.
f. Massa.

Præterea, permutationis ergò, tum etiam pro majori humectatione, non inconveniens esset Electuarium de Tamarindis cum fol. senæ quod nobis frequenter in usu est, cujus descriptio in eodem libro de Scorb. pag. 97. legitur, de quo frequenter ante cibum ʒij. vel. ʒiij. cum brodio prunorum dissolvantur, & ebibantur.

Autumnalis cura talis fit, nimirum post octiduum, absolutis menstruis, utatur purgatione sequenti, quæ

℞. *Fol. Senæ s. s.* ʒiij.
Epithymi ʒij.
Ceterach.
Thymi an. ʒj.
Sem. Anisi ʒß.
Cremoris Tartari ℈j.

Stent in infusione seri lactis capr. destillati q. s. manè ebulliant semel atque iterum: Colentur ℥iij.
adde.
Syr. rosat. solut. cum Rh. ℥j.
Cremoris Tart. opt. diss. ℈jß.
Misce.

Hâc evacuatione præmissâ (quæ ratione operationis subsequentis alternis diebus bis repeti potest) venæsectio poterit institui, quò sanguis viscidus & crudus minuatur, cum constitutio corporis plenior concurrat. Quibus peractis, *eò allaborandum, ut per appropriata medicamenta venarum minorum obstructiones solvantur, & peccans materia massam sanguineam occupans discutiatur*, quo fine conveniens esset sudorifera potio sequens per 10. vel 12. dies continuata, quæ

℞. *Rad. Raphani sylv.* ℔j.
Cichorei ℔ß.
Polypod.
Glycyrrhizæ an. ℥iij.
Herb. Cochlear.
Nasturt. aq.
Barbareæ an. Mviij.
Betonicæ,
Veronicæ an. Mij.
Sem. Fœniculi ℥jß.
Tartari opt. aliquoties loti & purificati ℥ij.

Omnia recentia, si haberi possunt, infundantur in sero lactis capr. destillato ad octiduum: Balneo M. destillentur: dosis ℥iij. cum Syr. de Fumar. ℥ß. Hæc sunt, quæ præservationis ergò post acidularum usum adhibenda duximus, quorum operationem DEUS benedictione suâ promoveat.

OBSERVATIO XL.

Scorbutus confirmatus.

Consiliarius Hassiacus Marpurgensis, Dn. Christoph. Pauli, I. V. D. anno 1614. *sub initium veris, per literas ad me datas conqueritur, quod per annos aliquot lassitudine totius, difficultateque respirationis affectus, ubi tamen medicamentis pectoralibus nihil obtinuerit: successit inflatio & tensio stomachi, cum quotidianis ructibus: adest cachexia totius, graveolentia oris, dentium mobilitas, catarrhus cum expectoratione materiæ viscidæ graviter olentis: in humeris, cruribus & pedibus maculæ subrubræ frequenter apparent, quibus sensim discussis, aliæ cum virium debilitate succedunt: urina interdum admodum rubra, sed sine calore febrili totius.*

RESOLUTIO.

Varietas signorum in Scorbuto.

Vide lib. de Scorb.

Quemadmodum in dispositione Scorbutica non semper iisdem signis malum hoc sese manifestat; cum in aliquibus mox in principio *sanguinolentia gingivarum*, in aliis verò, quod etiam ex præcedenti observatione patet, minimè hæc sese offerat; Sic etiam *Scorbutus confirmatus*, pro ratione dispositionis in subjecto laborante, jam

jam hæc, jam graviora symptomata secum habet, sicut hac de re pluribus suo loco tractatur. Impræsentiarum *confirmatum Scorbutum*, esse colligebam, cùm non tantum per annos multos dispositio ad hunc affectum per signa sua communia sese manifestasset, sed iisdem perdurantibus, reliquâ gravioris radicati mali indicia concurrerent. Mirum ergo non erat, quod medicamentis pectoralibus, frequenter usurpatis, contra difficultatem pectoris æger nihil obtinuerit, propterea quod hîc non tam in pectore, quàm sub eodem, in infimo ventre, radix morbosa sit inquirenda. Successit antem *inflatio, & tensio stomachi cum ructibus*, eò usque scilicet labefactatis organis concoctionis, ut imbecillitate caloris nativi copia flatuum mox etiam in prima concoctione suboriretur: *cachexia totius*, ob sanguinem depravatū, & ad nutritionem corporis ineptum; *graveolentia oris*, ob causam putrescentium gingivarum: *dentium mobilitas*, resolutis quasi, vi tartarei sanguinis affluentis, eorum sedibus; *catarrhus*, propter resolutionem crudi sanguinis, in capite quasi in mucum corruptum degenerantis; *cum expectoratione materiæ viscidæ graviter olentis*, ibidē à defluxione collectæ, nec nō suâ naturâ corruptionem inducente; *maculæ frequenter* apparent, ob ebullitionem sanguinis corrupti; *urina interdū alba*, quiescente sanguineâ massâ, quo tempore concoctionum imbecillitatem indicat: *interdū admodum rubra*, scil. ebulliente tartaro scorbutico, respectu massæ sanguineæ, quâ de causâ febrilis quasi videtur.

Conjectura de confirmato Scorbuto.

Prognosis.

Quanquam verò, propter virium omnium languorem, restitutio vix hic esset expectanda: nihilominus tamen ad tempus aliquot optimo viro succurrendum esse duxi, quâ de causa per literas eundem monui, ut post evacuationes lenitivas, per 14. dies potione sequenti uteretur, quæ

℞. *Cochlear.* Mij.
Nasturt. aq.
Anagall. aq. an. Mjß.
Com. Absinth.
Rutæ viridis,
*Sedi minor. an.*pj.

Cum sero lactis caprini contundantur in mortario lapideo: succus exprimatur & depuretur.

℞. *Succi istius* ℥iiij.
Aq. Cinam. ʒjß.
Misce f. haustus.

Quoad alia, eundem ad lectionem libri nostri de Scorbuto remisi, quâ ratione per tempus aliquod vitam sustentavit, donec tandem, mole symptomatum gravatus, naturæ debitum solveret.

OBSERVATIO XLI.

Mictio sanguinis absque dolore.

PUer annorum octo, Magnifici Cancellarij Ioh. Struppij à Gelnhausen, filius, macilentæ constitutionis corporis, dejectum patitur appetitum, siti premitur, & urinam omnino sanguineam, emittit, absque omni dolore lumborum, nec etiam in ipsâ excretione quicquam sentit.

RESOLUTIO.

ETsi *cruenta mictio* frequenter accidat, quod in calculo renum, in eorum, vicinarumq; partium exulceratione, similibusque morbis manifestum est, rarus tamen hic affectus est respectu præsentis casus, ubi talis mictio sanguinis omnino absque dolore accidit, quò colligitur *nec à calculo* continuum solvente, nec etiam *ab exulceratione* quadam cruentam hanc excretionem fieri: restat igitur in *acrimonia biliosi sanguinis, & imbecillitate renum* hujus affectus causam esse quærendam; quod non tantum *constipatio totius*, sed etiam *dejectus appetitus*, & *sitis intensior* facillimè confirmabant.

Inquiritur causa morbi.

Hinc eò respiciendum esse putavi, ut *sanguis acrior temperaretur, & renum retentrix corroboraretur*: Illius ratione præscripsi digestivam potionem sequentem, quæ

℞. *Rad. Cichor.* ℥j. *Herb. Endiviæ, Acetosæ, plantag. fumar. an.* Mj. *Fl. Nymphææ, Rosar. Violar. an.* pj. *Sem. Portulacæ, Acetosæ, 4. frig. Major. an.* ʒj. *Hord. mund.* pj. *Jujubarum num.* v. *Glycyrrh. rasæ* ʒvj. *Coq. in brodio cicer. coletur* ℔j. *dulcoretur Sacch. Cand.* ℥ij. *fiat potio, de quâ tertiâ pars vacuo stomacho sumatur per octiduum.*

Quoad renum corroborationem, sequens Electuarium ordinabam, de quo 2. horis ante cibum ʒß. sumatur, quotidie bis.

℞. *Sacch. rosat. antiq.*
Diacyd. s. s. an. ℥jß.
Coralli rub. præp.
Corn. C. usti præp. an. ʒj.
Syr. de rosis siccis q. s.
f. Elect. molle.

His per octiduum adhibitis mictio cruenta desiit, paulò post *urinæ stillicidio, cum acrimonia succedente*, propterea quod serum acrius adhuc superesset, utpote quod antea sanguine permistum, ac temperatum vias urinarum non arroderet. Hinc pulverem ordinavi sequentem.

℞. *Rad. Glycyrrh. rasæ* ʒij. *glandium* ʒjß. *sem. 4. frigid. major. ex cort. an.* ʒj. *Portulacæ, Lactucæ ana* ℈ij. *Fl. rosar. rub.* pj. *Succini albi præp.* ʒß. *Corn. C. usti præp.* ℈j. *Sacch. Cand.* ℥ß. *Misce fiat pulvis, de quo m. vḡ* ʒj. *sumatur cum aq. mulvæ, cui sem. cydoniorum aliquandiu infusum fuerit.*

His anno 1614. usurpatis, ab hoc accidente prædictus juvenis hucusque liber fuit.

OBSERVATIO XLII.

Mictio purulenta & sanguinea cum dolore.

VIR Nobilis, ultra 30. annos, constitutione corporis plethoricus, ad Scorbutum dispositus, per annum unum atque alterum in urinando dolorem, & sæpe subitam compressionem sentit, tandem cum an. 1616. mense Iulio, propter lienis inflationem, usum Wildungensium acidularum continuasset, paulò post in cruentam & purulentam mictionem dolorificam & molestam incidit, eâque per biennium, variis remediis frustrà tentatis, ita labefactatur, ut vi morbi tandem naturæ vires succumberent.

RESOLUTIO.

Prognosis. Cum hoc anno 1621. sub initium autumni, primus inter alios Medicos ad ægrum hunc Nobilissimum vocarer, statim periculosam hanc affectionem judicavi, eique sequens consilium præscripsi: nimirum *in viis urinariis esse exulcerationem*, ea propter, quod non tantum adhuc dolor & compressio inter urinandum sentiatur, ut antea, sed unà cum urinâ sanies cruenta copiosa satis emittatur. *Qualis sit affectus.* Hanc exulcerationem *non esse in renibus* inde patebat, propterea, quod in lumborum regione nullus dolor appareret, nec etiam *in ipsâ vesicâ*, cum extra emissionis tempus dolor abesset, unde sequebatur locum affectum esse *ipsum vesicæ collum*, unde tam *urina*, quàm etiam *alvi excretorum dolorifica* fiebat *dejectio*; quatenus propter viciniam & cohærentiam vesicæ collum in dilatatione recti intestini comprimebatur. *Inquisitio partis affectæ.* Originem hujus mali statuebam fuisse *tuberculum vel carunculam*, per tempus aliquod in vesicæ collo subsistentem, quod ipsum impedimento hactenus fuerat, quo minus absque dolore & confertim urina redderetur, ita ut falsò lapidem aliquem vesicæ subesse laborans interdum opinaretur. *Origo mali.* Hoc tuberculum diuturnitate temporis maturatum, & vi acidularum, aliàs etiam acriores materias per vias urinarias ablegantium, ita digestum fuit, ut paulò post solutio continui subsequeretur. *Exulcerationis occasio.*

Quanquam verò periculo non careret hoc malum, nihilominus naturæ, quantum fieri potest, succurrendum esse dixi, scilicet eò respiciendo. *ut* 1. *affluxus acriorum humorum præcaveatur*, 2. *exulceratio purificetur*, 3. *solutio continui leniatur*, & 4. *consolidetur*. *Indicationes.* Hæc omnia non sine difficultate tentari posse dicebam, ea propter, quod locus affectus ob quotidianum urinæ transitum remediorum efficaciam difficulter admittat; quàm ob causam autor eram ægrotanti, ut peritũ quendam advocaret chirurgum, ejusque operâ per tempus aliquod uteretur. *Difficultas curationis.*

Diæta. Interim juxta priores indicationes diætam convenientem observet: vitet aërem frigidum, motum corporis vehementiorem eques ac pedes, iracundiam, veneris usum frequentem, utpote quibus omnibus sanguis admodum commovetur & acrimoniam induit. Quoad alimenta, eligantur illa, quæ facilis coctionis sunt, eaque in moderata quantitate, sine variorum mistione sumantur: quæ verò difficulter coquuntur, & ad inflationes faciunt, acida etiam, aromatisata nimium; & salsa vitentur: frequenter hordei excorticati cremor ante cibos alios bibatur brodii loco: fiat etiam panatella ex pane albo cum decoctione gallinæ: brodia quoque pisorum abstersionis, & lac decoctum cum ovis, consolidationis gratiâ, sæpius aliis præmittantur. Ex oleribus spinachia, lactuca, portucala, cherefolium, brassica rubra cum butyro decocta, conveniunt: ex volatilium genere præter gallinas, columbasque domesticas, sylvestres omnis generis comedantur, utpote siccioris naturæ, & propterea minus excrementorum generantes; carnes etiam juvencorum, vitulorum adultorum, vervecum, cervorum, juniorum, hinnulorum, leporum, conceduntur. Contrà vitentur suillæ carnes, anseres, brassica muria condita, & alia, quæ vulneratis aliàs nocere solent. Potus quotidianus sit vinum Rhenanum, non admodum generosum, quod aquâ sequenti temperari poterit: ℞. *Hordei tosti* Mij. *coq. in* vj. ℔. *aq. ad* 3. *postea mox ab igne infundantur in lagenam stanneam, cui primo Rad. liquir. rasæ* ℥jß. *immissa sit: imò conveniens esset etiam usus hydromellis simplicis, ex una parte mellis, cum* 9. *partibus aquæ, decocti, & convenienter depurati.*

Pharmacia. Quo ad usum medicamentorum, cum universalis evacuatio præmissa esset, eò tantum respiciendum esse dixi, *ut affluxus acrium humorum ad partem affectam præcaveretur, ipsaq; exulceratio temperaretur ac leniretur.* Hanc ob causam interius decoctum Cicer. rub. cum syr. de Althea, lac caprinum recens mulctum cum melle rosato permixtum, Aq. Malvæ cum syr. violar. vel prædicto melle rosatu suasimus, sicut etiam quotidianum usum morsulorum, qui

℞. *Fruct. pinear.*
Amygdal. dulc. excort. ana ʒß.
Sem. Altheæ
Halicacabi ana ℈j.
Lactucæ
Papav. albi ana ℈ß.
Amyli,
Tragacanthi ana ℈jß.
Rad. glycyrrh. rasæ ℈ijß.
Sem. melon. excort. ʒv.
Sacch. ℥x.
Solvantur in aqua plantaginis
F. Morsuli.

Unà cum horum remediorum continuatione, proximius exulcerationem attingentia medicamenta per injectiones omninò necessaria judicebam, ubi sequens detergens ordinatum fuit, quod

℞. *Hordei tosti* Mj.
Fol. plantag. Mjß.
Rad. glycyrrh. rasæ ℥ß.
Coq. in s. q. aq. ad 3. *Coletur* ℔iij.
℞. *Colaturæ* ℔ß.
Mellis rosati colati ℥jß.
Misce, f. per catheterem injectio.

Quod si dolor urget, unà cum præcedentibus decoquantur Sem. altheæ, malvæ, cucumerum & papav. albi.

Satis detersâ, mundificatâq; exulceratione, Chirurgus eò respiciat, ut injectiones mutentur, adhibitis iis, quæ leniunt & consolidant, ut sunt amylum, osteocolla, cerussa, thus, Mastyx, ol. rosar. lac &c. quo tempore non incommodè balneum ex fol. salicis, vitium, plantaginis, symphyti majoris perfoliatæ, Bistortæ, Tormentillæ, Saniculæ &, similibus etiã conveniret. Quanquam verò circa 28. Aug. an. 1616. consilium hoc candidè communicarem, nihilominus tamen, quò nobilissimus patiens aliorum etiam judicia de morbo suo cognosceret, autor eidem fui, ut me, propter officium Rectoris occupatum dimitteret, & Dn. D. Georg. Fabrum, Med. Fridburgensem, amicum

amicum meum, advocaret, qui meas intentiones, non improbabat, & pro leniendis doloribus pillulas sequentes, cum emulsione 4. sem. frig. major. & pap. albi, ante somnum num. iij. vel iiij. sumendas ordinaverat, quæ

℞. *Terebinth. lota in aq. plantag.* ℥iij.
Succi liquiritiæ ℥ij.
Troch. de Thure ℥jß.
de Alkekengi ℥j.
Mumiæ ℈j. *cum s. q. syr. de liquir.*
F. pil. instar pisorum.

His, pro mitigatione dolorum, mundificatione & consolidatione frequenter usurpatis, paulò meliusculè sese habere cepit ægrotans: sed continuò adhuc purulentam urinam cum grumis sanguinis & puris, non sine cruciatu, reddens, quam ob causam consilii mei summam per literas adhuc ingeminabam, inprimisque medicamentorum usum urgebam, à quo cum propter dolorem, & fortè etiam pudorem abhorreret æger, in deterius semper vergebat malum, donec diuturnitate temporis, phthisi quasi consumptus, naturæ debitum solveret.

OBSERVATIO XLIII.

Maligna renum exulceratio & carunculæ.

Casus Autori propositus.

S. Nobilis, Magnifice & Excellentiss. Domine fautor & amice colende, ac æternum venerande; Excellentiæ vestræ consilium atque auxilium obnixè rogo atque imploro, circa valetudinem adversam viri cujusdam perillustris, sacræ Cæs. Majestatis consiliarii intimi. Est verò Dominus iste patiens vir quinquagenarius, raræ texturæ, hypochondriacus, ut ad oculum etiam patet, & facies flava ad nigredinem vergens clarè demonstrat, obstructionibus diu gravatus: ex sequenti, & quasi continuo in consilio consessu, aliquot jam ab annis renum vitio & arenulis laborare cœpit, adeò ut sæpius cum viscosâ purulentâ, & non rarò etiam sanguinolentâ urinâ, sabulum aliquod & arenulas excreverit. Hic affectus ab aliquot mensibus in tantum increvit, ut plurium jam Medicorum operam eluserit. Verum cum ii in ipso affectu non consentiant, sed quot capita, tot sententiæ: quid mirum, si etiam in cura aberrent? Putant aliqui exulcerationem renum esse, ab acri & adustâ materiâ, & præacutis lapillis, eò, quod circa lumbos acutissimos patiatur dolores: alii non ipsos renes, sed illorum venas corrasas & ruptas statuunt, cùm coagulatum & grumosum aliquando emittat sanguinem: alii tandem hæmorrhoides eò diductas arbitrantur, quod ultimum non probatur, quia rarò purus excretus sanguis reperitur, sed plerunque cum quodam sabulo in fundo. Hinc varias ad intentiones varia fuêre adhibita media, sed sine remedio; spiritus Terebinthi; consolidantia, conglutinantia, emollientia; exterius etiam cerata & unguenta; sed ab omnibus his nihil levaminis sensit, nisi à Clysteribus aliquantillum. Jam tandem ad liquorem Betulæ ex recenti frutice stillantem, & decoctum cicerum rubrorum deventum est; sed ut hactenus, exiguo

Diversæ Medicorum opiniones de hoc casu.

valdè cum emolumento. Unde tot frustrà adhibitis medicamentis, medicisq; ipsis in cognitione & causâ morbi discordantibus, symptomatibus verò ingravescentibus, dejecto videlicet penitus appetitu, nauseâ vini, pervigiliâ ob acerbitatem dolorum affligentibus, omnem penè abjecit animum; solum & unicum illi superest solatium Excell. Vestr. cujus nominis, doctrinæ atque humanitatis fama permotus, omnem in illam ponit spem atque confidentiam, & maturum ipsius judiciũ, operam & opem unicè implorat, atque ardentibus simul votis officiosissimè rogat. Quod si tanti viri salus in tuto restituatur, debitam recompensationem certò sperare licebit. Ego certè, cum & perillustris Dn. patientis animus, & Excellent. Vestræ erga omnes, qui se curæ suæ committunt, diligens juvandi studium, & ingenita propemodum in iisdem restituendis dexteritas perpenditur, de felici successu nullatenus dubitabo, ad quem assequendum, divinæ nos dispositioni & gubernationi humiliter, Vestræ verò Excell. me, unà cum perillustri Domino nostro ægroto, instanter atq; officiosè commendo: & quam potest fieri brevissimè responsum rogo. Datæ Everdingæ, 10. Aprilis, Anno 1629.

RESPONSUM AUTORIS, GREGOR. HORSTII, AD præsentem casum.

S. Reverende & Doctissime Vir, fautor & amice plurimum colende, binas tuas literas, quarum priores propriam, posteriores verò perillustris & Generosiss. cujusdam Magnatis sanitatem concernunt, rectè me quidem accepisse scias, ad quas tandem ex parte, serius, non oblivione tui, sed occupationibus & absentiâ, impeditus, respondeo. Quod Illustriss. & Generosiss. attinet, nihil magis in votis haberem, quàm eidem inservire, nec non pro expectatione suâ consilio meo succurrere. Non dubito, cùm diuturnus affectus sit, quin hactenus varia remedia doctorum virorum exhibita fuerint. At verò cum parum, vel nihil malum remiserit, mirum non est, quod indies natura debilior reddatur, quemadmodum non tantùm ingravescentia symptomata; sed insuper etiam appetitus ciborum dejectus, & pervigilia satis testantur. Quod rem ipsam attinet, vix negari poterit, renum adesse morbum, tam quod situs doloris idipsum confirmet, quam quod purulentæ cruentæq; urinæ secernantur, variis absentibus aliis notis, quæ vesicæ collum ex carunculis ulceratis laborans aliàs manifestare soleant. Quomodo verò Chronico huic malo succurrendum, hoc opus, hic labor est! Contumax hoc est, & sui ratione, quod ulceratio talem partem afficiat, quam assumptorum remediorum vis serò nimis, jam plurimum per tot membra transiens alterata, tandem attingit; & respectu causæ antecedentis, quatenus plerunque fieri solet, ut ejusmodi diuturnus affectus malignas aliquas reliquias, à lue venereâ toti massæ sanguineæ per multos annos invisibiliter, & absque dolore penitius impressas, præsupponat, ubi natura malignitatem repullulantem ita ad affectam partem

Sententia autoris de affectu isto ejusq; causis & curatione.

 able-

ablegare solet, ut omnis generis remedia, satis aliâs convenientia, morbus eludat, ipsaque exulceratio semper in deterius vergat, donec tandem interna Luis appropriata remedia pro totius correctione justo modo præscribantur. Hujus observationis exemplum habui ante sexennium in sene quodam hujus Reipubl. cive: qui ulcus cacoethes, vel mali moris, sordidum ac dolorificum in tibiâ ferè totâ habebat, quo per multos annos graviter afflictus fuerat, variis internis atque externis adhibitis, sed absque omni successu, semper in deterius vergente malo. Vocatus ego protinus Luis radicatæ, juvenili tempore fortè superficialiter tantũ expugnatæ, suspicionem concepi, quam ob causam circumstantiis pluribus inquisitis, autor fui, quò curam morbo appropriatam usu Mineralium ritè præparatorum susciperet, quo facto, spontè ferè, desperata aliàs, exulceratio consolidata fuit, ut ab eo tempore, viduus factus, senex non tantùm iterum conjugem duxerit, sed hucusque nihil quicquam conqueratur: Quod autem in hoc & sexcentis aliis observatur, ut malignitas ista repullulans robore naturæ partem aliquam externam alteratam occupet, eò sese exonerante superfluâ peccante materiâ, nihil interim in reliquo corpore de pustulis, tophis, & aliis accidentibus, huic malo propriis apparentibus, quemadmodum idipsum quoque testantur historiæ nostræ l. 2. part. 2. observat. propositæ: idipsum fit quoque non rarò partibus, internis hujusmodi malignitatis affluxum recipientibus: præsertim circa vias urinarias, vel alias debiliores, quatenus Chronicis gonorrhæis, ischuriis & similibus longè ante præcedentibus, partes istæ laborârunt, adeoque peccantis materiæ, noviter ex antiquâ radice pullulantis, & ebullientis affluxum promptè recipiunt, vel quod jecur & sanguificationis officina reliqua superfluitates tartareas, singulari proprietate naturæ inimicas, hic ablegare soleat. His ita consideratis, frustrà penitus laboramus in curanda tali exulceratione, nisi causam antecedentem primò corrigamus, sicut illud etiam in aliis particularibus exulcerationibus, à communi totius cacochymiâ provenientibus, apparet, inprimis in ulceribus Scorbuticis diversis, quibus frustrà remedia communia præscribuntur, nisi per appropriata morbi, toti primùm convenienter prospiciatur. Hinc ergò non difficulter colligis, quò collimem, eò scilicet, quod suspicer malignitatem aliquam Luis istius, fortè per multos annos latitantem, vicissim in subjecto laborante noxias suas qualitates massæ sanguineæ impressisse, quas ad loca debiliora, renum videlicet ac vesicæ deponit, ibidemque vasorum ac substantiæ carnosæ erosionem atque exulcerationem producit. At sicuti causâ præsente, foventeque frustrà laboramus in effectu tollendo, sic etiam admiratione non caret, quod hactenus, respiciendo tantùm ad affectæ partis læsionem, totius appropriatâ curatione neglecta, frustrà sine successu quam plurima exhibita fuerint. Non quidem improbo diligenter hactenus administrata, quæ leniendi doloris, mundificationis, absterfionis, ac consolidationis gratia frequenter adhibita fuerunt, in quibus etiamnum subsistendum esse statuo: principaliter tamen eò respiciendum esse judico, quò per curationem appropriatam Mineralium ritè præparatorum, cum aliis, tota massa sanguinea cum visceribus concoctionis, ac tota œconomia corporis dextrè purificetur, adhibitis maximè iis, quæ singulariter in ejusmodi diuturnis renum ac vesicæ morbis naturæ succurrere consueverunt. Quoad prius, nunquam non Clysteribus alvus eluenda, facultas excretrix per lenientia stimulanda, siccitasque imminens humectanda erit, simul reiteratis iis, quæ renibus laborantibus ac viis urinariis conveniunt; inter quæ materiam remediorum libellus meus de tuendâ sanitate, l. 2. c. 7. p. 249. & ibidem appendix, p. 252. subministrat, ubi syrupus iste consolidans & astringens p. 253. præ cæteris placeret, quibus adderem etiam syrupum è Crystallo spagyricè præparatum, tum etiam sal & liquorem Crystalli; quorum medicamentorum copiam ex Laboratorio collegæ D. Stromajeri lubentissimè communicabo. Quoad posterius, præparato primum corpore, per menstruum spacium ad summum curationem appropriatam suaderem, exhibito decocto sudorifero, cum Bezoartico Minerali, reiteratis frequentibus evacuationibus, oleo isto vel liquore Mercurii guttis aliquot exhibitis, cujus usu similes malignas exulcerationes curatas experientia confirmat. Habes amice optime, quid sentiam, nec de remediorum justâ præparatione quidquam dubita, modo certus sim; in morbi præcedentis suspicione me non aberrare, quâ de causâ proximis tuis informitationem expecto: Interim prædicta, primum scopum respicientia, non postponantur, ubi simul etiam præter symptomata cætera ἀγρυπνία vel somni defectus non negligatur; quam ob causam optarem vobis Laudanum cum Magisteriis ritè confectum, prout nobis hîc in usu est, cujus usus esset tempore necessitatis, extremisque doloribus urgentibus ad somnum conciliandum, vel in forma pillulari solitariè quatuor aut quinque granis exhibitum, vel cum syr. fl. papav. err. aut è succo violar. dissolutum. Hisce benè Vale, & Illustrissimo & Generosiss. servitia mea submissè offero. Dabam raptim Ulmæ. $\frac{10}{20}$ Aprilis 1629.

Casus practicus luis venereæ diu latitantis.

Sal & liquor Crystalli.

DELINEATIO CURÆ HYPERSARcoseos in Stranguria virulenta,

PRO NOBILISSIMO QUODAM conscripta

à

Dn. D. LAURENTIO WALTHERO Kuchelio p. m. Archiatro Ulmensi.

COnstat hæc curatio medicamentorum genere triplici: Epuloticorum, quæ levissima sunt: prima illa verè epulotica, validissimâ siccandi, adstringendique, & penetrandi facultate suâ, sine ullo doloris & acrimoniæ usu, fungosam & luxuriantem carnem consumunt: hoc genere continentur metallica omnia, usta quidem, & sæpius lota liquore, vel succo refrigerante, ut rosarum, plantaginis, solani, donec acrimoniam omnem exuerint, qualia sunt.

Epulotica med.

sunt Cadmia, Spodium, pompholyx sive Thutia, Plumbum, Antimonium, Vitriolum, Æs, squama Æris, Ærugo, Calx viva, Alumen, scoria Ferri. Hujus quoque generis sunt Cerussa, lithargyrum, terra Armena & Lemnia, Malicorium, Balaustium, Equisetum, Myrthus, Sabina siccata, sicuti folia Oleæ sylvestris, & Sumach. Composita etiam sunt Unguent. alb. & rubr. Diachalcitheos, & Diapompholygos. Catharetica eximio calore suo ad quartum usque gradum, & prætenui substantiâ, tuberculum, verrucas callosque sensim tabefaciunt; sed hæc quod acrius rodunt, sæpè partis sanæ substantiam unà cum hypersarcosi depopulanter, doloresque, fluxiones, ægroque tandem perniciem moliuntur, si sincera immixtaque usurpentur: ideoque à Carunculæ medicatione longissimè removenda putat *Fernelius*, quæcunque cum Ærugine, Vitriolo Alumine, flore Æris, ejusq; squama, & aqua Chymistarum, aliisque similibus Cathareticis & Escharoticis parantur, nisi forte multâ & laboriosâ præparatione mitigata, vel aliorum Epuloticorum mixtione retusa, atque adeò in duriore corpore & carunculâ inveterata adhibeantur: semper enim longa, tutaque, breviori & periculosæ curationi est anteponenda. Tertium genus est ex clementioribus Epuloticis & acrioribus, quibus non sola carunculæ callosæ & verrucosæ emollitio extenuatioque præmittenda est, ut etiam recentioribus placet, sed ejusdem etiam per Catheterem ductum sæpius & reductum, dilaceratio.

Catharetica medicamenta.

Indicatio Generis Remediorum.

POrrò à recenti mollique caruncula, exquisito laborantis sensu, raroque & laxo habitu, primi generis Remedia verè Epulotica indicantur, sicuti ab eadem caruncula inveteratâ, durâ callosâ vé, densoque & duro ægri habitu, & sensu hebetiori, alterius generis validissimorum Cathareticorum indicatio est: idque post præmollitionem, & attritionem etiam carunculæ. Tertii denique generis mediocris insinuatio est, à mediocri carunculæ substantiâ & ætate, sicuti ab habitu, sensuque moderato, aut quoties affectus exigit validiora, quæ sensus acutus ægri contra indicat, doloris vitandi gratiâ. Usus remediorum omnium continuetur tempore, loco & forma eorundem. Et quæ sequuntur, &c.

Locus applicandi Remedii.

IMmittenda quidem sunt, Remedia per Urethram ad sedem usque carunculæ unius, vel plurium, Cereolo antea exploratam, sicuti jam expositum est, idque candelis, vel fistulis diversis: neque enim secantis vel urentis ferri usum urethræ exquisitus sensus, & angustia perferre potest; neque rursus ellychniis aut penicillis, tuberculo altius latitanti, medicamenta admoveri poterunt.

De Forma Remediorum.

ITaque Remediorum istorum substantia, aliàs dura, lentaque est, & emplastica, aliàs media, ut unguenta, aliàs liquida, ut liquores. Sed prima illa, quam duæ posteriores, multò tutior est, quod hæ duæ in sanas & tenellas urethræ partes diffluant, easque pariter atque carunculas ipsas, cruciatu intolerabili, & laniatu irreparabili sæpissimè corrodant; præsertium si acria illa, vereque Catharetica sunt: Levium enim & Epuloticorum nulla ejusmodi noxa metuenda; formantur tamen Topica hæc aliquando utrâque specie, mediâ, liquidâque, & Carunculę aptantur, quo deinceps scribemus modo. Ampliter autem Emplastra candelæ cereæ albæ, justæ magnitudinis, longitudinis & crassitudinis, cujus pars cuspidi propinqua modicè derasa sit, excavataque ad latitudinem unius pollicis, ideoque uno, vel pluribus Candelæ locis, pro tuberculorum istorum perspecto, exploratoque numero & sede. Est quidem altera magis insolens & ardua pulveris usurpandi species per fistulam plumbeam cavam, & parum infra cuspidem suam fenestratam, per quam immissus pulvisculus virgulâ argenteâ sursum impulsâ in carunculam impellitur, moxque fistula ipsa inversa, sursum fenestra eximitur. Tertia ratio est non minus quàm hæc laboriosa, sub unguenti specie, quo oblitum prius linteolum tenuissimum, & candelæ cereæ obvolutum, in urethram infertur ad carunculam usque, moxque torsionibus contrariis revocata candela, extremo linteoli extra urethram forâs prominente, quo retrahatur, premente desiderio mixtionis, Cereoli vicem virgula argentea tenuissima subire potest, cui vetustissimum & tenuissimum linteolum unguento superpositum, & superlitum, obvolvatur, penitusque in urethram ad Carunculam usque devolvatur. Quarta quædam ratio est ejusdem unguenti Catharetici admovendi, per candelæ extremum nonnihil cavatum & ad carunculam usque deterendam promotum. In omni denique utendi via & ratione singulariter ægro curandum est, ne à mictione urinæ guttula, aut seminis à coitu, caruncularum obicis restitet, sed tota, pene diutius concusso, excernatur, ne Topicorum Medicamentorum vires omninò retundat; aut ulceris vellicatione ægrum molestet.

Exempla primi ordinis ex Fernelio.

℞. *Aloes opt.* ℥ij. *Myrrhæ, Aristol. rotun. an.* ℥jß. *Tutia pp.* ℥ß. *Fiat omnium pulvis subtiliss. ex quo cum Styrace liquida fiat Emplastrum, quod validissimè terget & siccat.*

Simile est Unguentum ejusdem.

℞. *Cerussæ, Lithargyr. auri pp. ana* ℥ij. *Ol. Rosar.* ℥j. *Ol. de myrrhâ* ℥ß. *Liquefiant igne lento, dein adde Tutiæ, Stibii & Spongiæ, omnium quidem ustorum, & succo Plantaginis, vel simili probè lotorum, donec omnem acrimoniam deponant, & probè siccatorum sole (non post fornacem) ana* ℥ß. *Rad. Aristol. rotundæ, Myrrhæ, Aloës, Mastich. & plumbi crudi an.* ℈j. *Caphuræ* ℈iiij. *Irrigatò diligenter omnia super lapide marmoreo, mox in mortario plumbeo diu multumq; versando in Unguentum, ut artis est, conformetur.*

Similia

Similia sunt ex Alphonso Ferrio, sed dissimilis compositionis ratio: Debilium enim pulveres miscentur cum emplastris siccantibus & viscosis, ut de Muccag. Diachylo parvo, Cerato, de Cerussa, de Minio, de Lithargyro, lento igne dissolutis, eâ tamen cautione, si pulveris mistione emplastrum durius evaserit, ut oleum & axungiam gallinæ, vel similia addendo, tandem manibus tractetur, donec coalescat.

℞. *Cort. Gran. acid. in umbra siccat. & pulverisat.* ℥ij. *Alum.* ℈j. *Emplast. de Cerussa ad ignem liquefacti* ℥j. *M.*

Item ℞. *Mass. Emplast. de Muccag.* ℥ij. *succ. cort. Cappar. succ. Ingland. viridium (in cujus locum ego hoc tempore reponerem succum Nicotianæ) vel nuc. Cupreßi, vel Olivarum sylvestr. aut immaturarum* ℥iij. *M.* omnia ad ignem in forma Cerati.

Aliud ejusdem longè valentissimum. ℞. *Calc. vivæ & Arsen. rubr. macerentur in aceto forti, diu incorporentur cum Cerati de Muccag.* ℥ß.

Hoc tantum in corporibus duris, & agrestibus locum habet.

Illud tutissimum & saluberrimum cujusdam Alexandri Græci apud eundem Ferrium.

℞. *Vitriol. Rom. Auripigm. Alum. Rochæ, Aeruginis, an.* ʒj. *macerentur in aceto albo, & ad solem, vel fornacem siccentur, repetito toties hoc labore, donec medicamenta omnem acrimoniam deponant; postremo misceantur emplastro de Cerussa* ℥ij. *lento igne dissolvantur, donec Cerati formam acquirant.* Et quæ plura apud eundem Ferrium describuntur, haud perinde magni momenti, inter quæ etiam sequens habetur in Philipp. quendam Hispanum autorem relatum.

℞. *Aerug. rasæ, Auripigm. Chalcitidis, vel vitrioli albi, Alum. Rochæ, an.* ℥ij. Hæc autem per novem dierum spacium contineantur inter duos lapides marmoreos, & exsiccentur, vel ad fornacem, donec omnem acrimoniam deposuerint, tuncque reponatur pulvis seorsim, &c.

De Correctione Symptomatum.

CUrationi Carunculæ collique urethræ gravissima sæpè superveniunt symptomata, quæ illam non modo interpellent, sed ægrum etiam, Medico quantumvis sagaci, eripiant. Ejusmodi sunt Hæmorrhagia, dolor, ardorque, & inde rigor, febris, fluxio, inflammatio, abscessus, ischuria irrecuperabilis, Sphacelus, mors, quibus omnibus promiscuè occurritur cùm diæta frigida, humidaque & tenui, per totum curationis carunculæ spacium, ita, ut omnis intemperies calidior, frigidiorque aëris ciborum, animique & corporis motus longissimè arceatur: Tùm pharmacia, per lenem purgationem in ipso curationis tuberculi progressu frequenter usurpandam, tàm per injicienda, ut Clysterem lenientem, quàm per assumenda, ut Mannam, Cassiam Syr. de Cich. comp. & rof. lax. compos. Diaprun. simp. Infusum Rhabar. & Agar, Trochiscati: tum denique Chirurgiâ per phlebotomiam sub initium curationis celebrandam: Eodem verò symptomata præsentia, & jam ægrum prementia, peculiariter, propriisque remediis curanda sunt. Si qua igitur insignis hæmorrhagia & uberior sanguinis profusio ex rupta à Cathetere vel erosâ Catheretico medicamento mentulæ Venulâ arteriâ ve obrepserit; ea protinus quidem comprimenda tam revulsionum speciebus omnibus, per phlebotomiam venarum cubiti paucam, crebramque, brachiorum frictiones & deligationes dolorificas, per cucurbitularum siccarum ad hypochondria & lumbos appositionem, tum verò repercussionibus per Topica, siccaq; & adstringentia admovenda, emittendaque. Exempli gratia: ℞. *Succor. plantag. & solani an.* ℥iiij. *aceti rosac.* ℥ij. foveatur inde regio pubis & perinæi & lumborum. Iisdem liquoribus adde *albumina ovorum duorum. pulv. Boli arm. myrtill. rof. rubr. sang. Dracon. Cort. mali punici an.* ℥ij. *mastich.* ℥ß. *M. ad ignem ad Cataplasma*, quod à fotu stupis Canabinis exceptum eidem regioni admoveatur, ter aut quater in die: Ex iisdem succis cum farina hordei, fit quoque Cataplasma: Salutare admodum est unguentum de Cerussa Camph. sicuti Lumbis quoque post fotum prædictum, aut ex aqua aluminosâ, apprimè conducit, lamina plumbea superinducta, quæ hydrargyro illita sit. Ex immittendis alia liquida sunt, per syphunculum urethræ injicienda, quales sunt succi & aquæ stillatitiæ herbat. refrigerantium plantag. Solani sempervivi, Equiseti, permixto ovi albumine, vel bolo armeno, sang. Draconis & corallio dissoluto & colatis: alia duriora sunt, ut Unguenta & Emplastra Epulotica prædicto per ceream candelam intromittenda ad carunculæ sedem.

Dolor, ardorque vel ex Catheteris attritu, vel catheretici remedii erosione, vel ex ulceris puri undique ab urina acri vellicatione accersitus, anodynis refrigerantibus humectantibusque sedandus & extinguendus est, omissâ interim carunculæ curatione, detractâque ad tempus candelâ cereâ. Ex injiciendorum genere sunt lac caprillum, asininum, vel sincerum, vel dilutum succo vel aqua plantaginis, solani, sempervivi, equiseti; muccag. etiam sem. Psyllii & cydoniorum extractâ ex iisdem succis, aquisque frigidis, multumque cum Camphoræ ʒß. agitata liquidior fit, ut injiciatur, sic & albumen ovi cum aqua rosata & Camphora eâdem dosi multum agitatum: Simile est decoctum hordei mundi, fol. violar. rosar. sem. Psyllii & cydoniorum, addito præsertim syr. violato, quæ omnia in penem per syphunculam sunt injicienda: foris autem succi, & aquæ destillatæ, & oxycratum, vel cataplasmata Anodyna admovenda. Quod si dolor, ardorque exurens ad cervicem vesicæ aut carunculæ sedem fluxionem prolectârit, unde inflammatio & pestifera metuatur Ischuria, tum verò revulsionis species omnes in hæmorrhagię curatione modò enumeratæ, quamvis eædem quoque sub initium curationis tuberculi usurpatæ fuerint, denuò tamen usurpandæ sunt, maximè vero purgatio & sanguinis missio per venas cubiti, quanquam saphenæ in poplite

poplite aut malleolo apertio recentis influxionis derivationi, partisque oppressæ evacuationi primùm conducit, mox quoque Topica repellentia in eadem Hæmorrhagiæ curatione proposita super dolentem & æstuantem partem, aliasque vicinas applicanda, eaque tepida, non valdè calida, ne humores fusi concitentur: postmodum autem in augmento, statuque repellentibus mixta digerentia, sicuti in declinatione digerentia sola, ut

℞. *Ol. Chamamel. Lilior. al. Rosat. & myrtillorum ana p. aequal. cum Cera al. f. Vng.*

℞. *Fol. plantag. Solani, sum. Rubi Absinth. Origani, Calaminth. ana* Mj. *Rosar. rub. fl. Chamamel. Meliloti ana* pj. *Coq. & hoc decocto foveatur pars dolens.*

℞. *Residentiam contusam & cribratam, cui adde farina hordei & fabar. an.* ℥iij. *axungia porci* $\frac{1}{4}$ ℔. fiat Cataplasma. Et illa quidem in augmento & statu; in declinatione verò hæc:

℞. *Ol. Chamom. & Aneth. vel Lilior. albor. & Sapa. an.* ℔ß. *farina lentium, fabarum, Cicer. rubror. an. quart. f. sem. Cumini.* ℥ß. *fiat Cataplasma, addendo pulv. flor. Camom. & Meliloti an.* ℥j. Jam verò si non repulsa digestione phlegmone vel nullis vel tardiùs adhibitis remediis in abscessum degeneret, qui forâs vergat manifesto humore, rubore & dolore lancinante, tùm suppuratio ejus arte adjuvanda, & suppurantibus remediis acceleranda; quæ sequuntur de sphacelo & gangræna, propterea recensere supersedeo, quod meliora de ægri nostri curatione mihi pollicear, iisque opus nobis, Deo fortunante, non fore putem.

CONSULTATIO MEDICA DE EODEM CASU, CONSCRIPTA à MARCO WOLFFHARDO, Phil. & Med. D. & Reipubl. Bibracensis Physico.

PRincipalem & primarium affectum Nobiliss. Dn. Patientis statuimus, fuisse excoriationem Urethræ & meatus urinarii, hincque secutam internam vomicam inflammatoriam, quâ disruptâ & saniem eructante malignam & virulentam, partes quoque adjacentes inquinatæ & coaffectæ fuerunt: Primùm quidem vesica, ejusque pars carnosa & musculosa, hujus utique fomitis magis capax: Hinc exulceratio & inflammatio colli ejusdem: Tandem & partium seminalium vicinarum labes secuta, corporum scilicet glandulosorum, sub finem & radicem Urethræ ad latus ejusdem colli vesicæ subnexorum, prostatarum dictorum, hinc gonorrhæa causata maligna: adeò, ut tandem partibus hisce simul læsis, inflammatis, excoriatis, & exulceratis, nil aliud, nisi dysuria & stranguria: Imò aliquoties omnimoda ischuria ex retentione materiæ crassæ, ichorosæ, saniosæ & purulentæ subsequi potuerit: Hæcque eò acrior, quò totum Patientis corpus primâ statim à naturâ calidioris temperiei esse videtur, quod & ipsum exhalationibus istis putridis & acrioribus indies magis excalefieri, & quasi per circulum labes corporis indies magis magisque augeri potuit. Hinc & secuta partium naturalium, concoctioni dicatarum, dyscrasia, labefactato quippe tenore ventriculi, & quasi exhausto ab æstuoso calore, hepatis adjacentis: quò & subsecutæ acriores istæ & salsæ destillationes. Quibus omnibus adeò favebat corporis Juvenilis habitus Plethoricus sub Biliosus, ut acriore huic accedente & virulento fomite, non nisi, gravissima insurgere potuerint symptomata. Causam horum affectuum primariam quidem & primogeniam, quasi remotiorem tamen, & procatarcticam, impurum fuisse concubitum, ex ipsiusmet Nobiliss. Patientis relatione cognoscere, symptomatum autem vehementia malignitate & diuturnitate, partiumque affectarum natura conjicere licet.

Conjunctam verò & proximam eorundem causam malignam, virulentam, ichorosam, saniosam & putridam fuisse materiam, eamque variam & diversam, prout nunc partes seminales, nunc urinales, nunc communem harum meatum magis afficiebat, ab Excretis certò decernere datur. Accedit hisce remotior causa externa, totius quippe corporis naturalis Dyscrasia calidior, ex parte hepatis & renum: & hinc secuta Passi Habilitas ad recipiendum scilicet & continendum fomitem istum Virulentum & malignum. Adeò ut ex hisce facili labore concludere liceat, non tantum partes seminis & urinæ recipientes, continentesque, harumque communem ductum, urethram, cum partibus annexis, renibus scilicet & urethe- ribus, sed & totam sanguinis massam, totumque genus venosum, atque adeò & hepar, cum reliquis partibus principibus, esse affectum, maleque vel saltem temperatum, quæ forsan est causa, quod Nobiliss. Patiens nuperrimè in febrem incidit tertianam intermittentem, ventriculum autem & cerebrum læsa, ex crebris destillationibus, nauseâ, βραδυπεψία, &c. certò colligitur.

Utrum autem affectus isti Nobiliss. Dn. Patientis nostri, curari, & quidem ex toto curari & auferri possint? Dubium profectò & anceps occurrit responsum. Est quidem habitus plethorici nec adeò cacochymia oppressi, est corporis Vegetioris, & ætatis Juvenilis: est quin & ipse Medicorum monitis obtemperans; nihilominus affectus primò enumerati sunt & numero plures, & natura sua infensissimi, dum insignis sunt activitatis, & vi sua virulenta, & occulta totum corporis thesaurum consumunt, & exhauriunt: sunt, quin etiam in subjecto nostro, jam quasi confirmati & stabiliti, dum per multorum annorum decursum, altas quasi radices egerunt, & partibus affectis habitualem quasi hecticamque labem impresserunt. Accidit, quod totum corpus coaffectum, quod indies humores sibi molestos, ad partes læsas demittere jam adsuevit, hæque ipsæ eorundem admodum capaces esse solent, dum corporis nostri quasi sentinam referunt, atque inde virus impressum diutius retinent, & manui Medicæ acerbius reluctantur. Ut autem, primâ, quàm fieri potest, occasione, sedulò studendum, ut præ-

ut præhabita Totius providentia, curâ universali, Labes virulenta proprio suo & accommodato remedio Alexipharmaco radicitùs extirpetur & absumatur; humorum affluxus inhibeantur, & revellantur; partibus affectis impactum quod fuerit, abstergatur & discutiatur; tandem partes læsæ exsiccentur & consolidentur; quod ut fiat, partibus quoque principibus, generantibus & demandantibus; cerebro, hepati & renibus, curâ particulari prospiciendum erit, illud exsiccando & confortando, hæc verò contemperando & flabellando. Itaque lenitâ prius alvo, Clysmate aliquo emolliente temperato, aut assumpto Minorativo, ex Cassiâ Solutivâ, Pulpâ Tamarindor. aut Elect. Dia-Sebest. Montag. in Decocto cordiali communi dissolutis: aut devorato Bolo in regimine transmisso à Clarissimo Dn. D. Küchelio præscripto. Vena secetur Basilica seu interna, aut media brachii sinistri, tempore hocce autumnali, tantumque sanguinis detrahatur, quantum pro tolerantia ægri & morbi natura, Medico adstanti videbitur. Quin & scarificationes partium superiorum, potissimùm ad inhibendum & revellendum Catarrhum salsum & tenuiorem, singulis mensibus, Luna decrescente, ut & partium inferiorum frictiones & lotiones summoperè probo. Dein factâ humorum peccantium, & in toto redundantium, convenienti & debitâ præparatione, Apozemate aliquo seu Julepo longo accommodato, ex hepaticis temperatis, seu potius refrigerantibus, Splenicis & Cephalicis, Bilis & Melancholiæ præparationi potissimùm dicatis, cùm humores hi potissimum redundare videantur, iidem educendi maturè erunt. Cujusmodi in transmisso regimine à Clariss. Dn. D. Küchelio delineata fuerunt. Absolutâ Curâ hacce universali, & corpore convenienter præparato debitâque & legitimâ diætâ institutâ, quæ & in præfato regimine ὡς ἐν τύπῳ quasi adumbrata, à Medico verò adstante pro re nata & symptomatum præsentiâ, regulanda veniet; Alexipharmaco virulentum fomitem suoque determinato & appropriato quasi ariete depopulari accelerabimus. Qui cum Luem Gallicam præ se ferat, uti jam inter nos constat, mirum non est, frustrà hactenus omnia tentata fuisse remedia, cum non nisi certo suo Antidoto, occultum hoc & innominatum quasi Veneni genus domari queat. Curam itaque Rad. Chinæ adhuc dum eligendam, cæterisque Antidotis & Antigallicis præferendam censeo: Hæc etenim cùm virulentiam hancce summè exsiccet & consumat, corpus antea excandefactum tantum abest, ut inflammet, ut potius eventare & alterare illud, Nicolao Monard. Garc. ab Horto, & aliis Exoticorum indagatoribus statuatur. Quod nec palus sanctus, nec radix sarsæ, aut cortex Sassafras præstare creditur. Hanc itaque corporis Plethorici sub Biliosi, cùm hepatis & renum, totiusque massæ sanguineæ excandefactione, vel saltem ἐγκαύσει non contemnenda, potissimum ratione habitâ eligerem: Nec salsâ, nec alio quopiam admixto: Cùm ipsam Chinam, omni ex parte, labem hanc penetrare, & vi suâ occultâ, summeque

Rad. Chinæ qualitates.

siccante, absumere & dissipare, meritò ducatur. Licet etenim Sarsæ radix ulceribus occultis & malignis potissimùm, gallicum virus redolentibus, magis accommodata, salubriorque credatur Fallopio, tamen corpus cùm inflammet, sitimque cieat inexhaustam, teste prædicto Monarde, totius habito respectu, hancce omitterem, & Alexipharmaco, subjecto nostro maximè accommodato unicè insisterem: potissimùm cum & aliis ejusdem affectionibus stomachi debilitati, hepatis intemperiei, renum obstructioni, capitis & cerebri rheumatismis, artuum lassitudini succurrere commode possit, idque citra omnem virium jacturam. Sudorem hoc eodem proliciendum suadeo, cùm aliâs fomes mali commodiùs dissipari, & radicitùs extirpari nequeat. Sin φλόγωσις renum & ardor hepatis, hincque rheumatismi acrioris commotio metuatur, eò modestiùs id fieri poterit; juxta quod alterantia & confortantia post & ante sudorem, sumenda, cum omni in cura ordinari consueverint; quæ concoctionis correctioni & hoc in casu accommodare liceret. Tandem fomite mali absumpto, & materiâ virulentâ, quantum possibile, exhaustâ, particularibus quoque & topicis remediis incumbendum nobis erit. Quæ cùm varia esse debeant, primùm internal partibus principibus accommodabimus. Stomachia quippe, Hepatica & Cephalica. Stomacho itaque inunctio detur, seu Embrochatio conveniens, ante cibum sumendum administranda: huicque confectio addatur temperata, ventriculi tenorem restituens, & hepatis ardorem demulcens: qualis Arom. Ros. Diarrh. abb. Ros. Novel. Trium Santal. Cord. Temp. &c. Hepati quin etiam suam inunctionem attemperantem abscriberem ex succo Cichor. Sonchi, & Lichenis, cum Ol. Ros. comp. aceto Ros. & unguent. Gal. &c. Quod & renibus accommodare licet; juxta usum seri Caprini, cum succo Cichor. & Endiv. Cerebro ipsius Chinæ usum sufficientem fore sperarem; sin minus Embrocham suaderem, seu lotionem exsiccantem temperatam.

Partium denique Lue Gallica obsessarum Infectionem quod attinet, illud unicum nunc sub calcem adnecto, harum abstersionem & consolidationem tum demum omni ex parte absolutam fieri posse, si prius virus illud occultum devictum & debellatum fuerit; quo facto, facili labore & hoc secuturum, non diffido, illud saltem hîc monens, quod & Garcias ab horto diligenter in explanatione radicis nostræ notavit, ulcera Gallica non minus, quàm in cura Ligni, Decocto Chinæ salubriter lavari, foveri & abstergi: imò & spumam ejusdem, vaporemque, eundem effectum salubriter præstare; quod utrum nostro in casu locum haberi possit, judicandum relinquo.

Atque hæc sunt: quæ pro salute Viri Nobiliss. pro qualicunque ingenii mei captu, referre placuit, DEUM OPT. MAX. obnixè rogo, ut ad exoptatam ægri salutem cuncta eveniant. Amen. Act. Biberaci, 6. Septembr. 1610.

DE

DE PRÆCEDENTI CASU,
Ad
Clariſs. & Excellentiſs. Virum
DN. MARCUM WOLFFHARDUM,
Medicum Doctorem Ordinar. Reipubl.
Biberacenſis.

GREGORIVS HORSTIVS, D.

S. Quæ per occaſionem inter te & Clariſſ. Dn. D. Laurentium Küchelium, anteceſſorem meum p. m. de carunculæ malignæ curatione quondam agitata fuêre, Vir Experientiſſime, fautor & amice plurime colende, lubenter legi, quæ nonniſi cum fœnore viciſſim remittere volui, quam ob cauſam addo Curationem notatu dignam, à Clariſſ. Viro *Dn. D. Samuele Gloſſæo, Medico Metenſi,* non ita pridem mihi communicatam, talis eſt: N. N. ante annum, nimirum 1628. virulenta Gonorrhæâ laboravit, à qua perfectè, ut ſibi videbatur, liberatus, uxorem ducit, Venerique litat, ſed non absque difficultate: Nam ſemini cum impetu prorumpenti exitum denegari, viamque ferè ex toto intercludi, ac veluti ad radicem penis conglobari ſenſit cum moleſtiâ: Sequenti die accerſiri Chirurgum jubet, qui importunâ, frequentique Catheteris intruſione naſcentem fungum ita confricat, ut intra octiduum meatum urinarium completè obſtruxerit, urinaque (quæ prius liberè & ſine labore profluebat) omninò ſuppreſſa fuerit. Vocor illicò, unà cum Rolando, Chirurgo noſtrate experientiſſimo, & variis inſtrumentorum generibus inſtructiſſimo: cumque hic affectus non daret inducias (jam enim ingeſta removebat æger, veſica ei diſtenta, abdomen inflatum, venæ turgeſcentes, ſcrotum tumidum cum dolore & inflammatum) ſtatutum fuit communi conſilio, Carunculam ſtylo, cujus acies in formam lanceoli quadrati fabricata erat, perforare. Fiſtulam igitur argenteam intortam usque ad excreſcentiæ locum immiſimus, ſtyloque indito circa radicem penis fungoſum thymum offendimus, quem uno ictu perfodimus. Effluxit ſanguinis & urinæ parum, ſtatimque vulnus ab utriusque copiâ occluſum eſt; ſed intruſo Cathetere perforato, eoque ſubinde retracto, mirum! quantam ſeri copiam projectaverimus. Biduo poſt ſuppurando vulneri vacavimus, immiſſo ſyphone ad latera pertuſo, cujus cavitas Unguent. Baſilic. diluto cum ol. de vitellis ovorum, repleta erat, quibus præſtitis ad exeſionem Carunculæ devenimus, ſed fortiori medicamento, propter inſignem ſpongioſæ illius carnis luxuriam.

Medicamenta comp. ad carunculæ in urethra extirpationem idonea.

℞. ☿ij. præcipitati rubri ſ. v. quinquies imbuti, totiensque exſiccati (ſic enim paratus minus dolorificas molliores que facit eſcharas) ʒij. fol. Sabin. præpar. ʒj. croci metallorum ℈j. unguenti roſar. aq. flor. Sambuc. pluries abluti ℥iij. M. F. Linim. de quo per ſyphonem ʒij. pro vice impellantur. Die ſequenti ad Anodynas injectiones, deinde etiam ad digeſtiva, & ab iis iterum ad Eſcharotica regreſſum fecimus, ſicque intra menſem pertinaciſſimos illos obices perfectè attrivimus. Hactenus amicus meus, cui par pari referendo ſequentia per celebrem Archiatrum Heidelbergenſem Cl. Dn. D. Petrum de ſpina ſimiliter in Carunculis extirpandis approbata medicamenta tria communicavi, quæ ſic ſeſe habent:

℞. *Croci ♂ Sine igne pp.* ℥ß.
Tutiæ pp. ʒij.
Minii, Ceruſſæ, cum aq. roſ. in marm. pp. an. ʒjs.
Spodii pp. ℈iiij.
F. pulvis ſubtilis.

℞. *Saturni uſti* ʒij.
Antimonii crudi ʒj.
Tutiæ pp. ℈iiij.
Ceruſſ. Sacch. Saturni ana ℈ij.
Camphoræ ℈ß.
Cum ol. roſ. M. F. Vng.

℞. *Aq. roſ. plantag. Centinod. an.* ℥iiij.
Tutiæ pp. ʒj.
Vitriol. al. ℈j.
Alum. ʒß.
M. pro injectione.

Uſus poſt univerſalia ceſſante affluxu talis eſt: Unguentum candelæ cereæ (ut moris) ſuperiori parti illinitur q. ſ. ſuperinſperſo pulvere, & per urethram ex ♃ & ♄ paratam usque ad locum carunculæ intruditur, donec ſarcoſis ablata: poſtea ut & inflationis tempore, aqua cum Syphone, q. ſ. injicitur. Sanè multum laboris & faſtidii periculoſus & difficilis atque chronicus ejusmodi morbus, tàm laboranti, quàm Medicis faceſſit, unde *Rod. à Fonſeca l. 1. Conſult. 36. & lib. 2. Conſult. 15.* morbum hunc moleſtiſſimum per totam vitam durare, difficulterque medicamentis cedere pronunciat, cum excrementa vim medicamentorum impediant, & præterea locus anguſtus ac valdè ſenſilis pharmacorum appoſitionem non promptè ſatis admittat, quod olim expertus ſum in Nobili quodam, cui *Obſervat. 38. l. 4. Par. 1.* conſilium præſcripſi, præſertim ubi delicatulus eſt æger, ipſumque malum ad exulcerationem pervenit. Nobilis iſte nullis pepercit ſumptibus, ſed præter Medicos vicinos, inter quos honoris cauſa nomino *Dn. D. Hartmannum Bejerum* Francofurtenſem, & Dn. D. *Georg. Fabrum,* Fridbergenſem, Archiatros, qui ſæpius mecum concurrentes erant, advocavit etiam celebrem tunc temporis Chymicum *Michaëlem Mejerum*, ſcriptis ſuis probè notum, qui per uſum Auri potabilis Anglici naturam roborare, adeoque univerſali quaſi Medicinâ morbum, ſed penitus fruſtrà, vincere conabatur, ut & Clariſſ. *Dn. D. Fabricium Hildanum,* cujus reſcriptum eruditum hîc communico, quod boni conſulas, & ea, quæ prædictus Fonſeca loco citato proponit, conjungas, meque quod facis amare, pergas. Dabam Ocyus Ulm. 28. Maji, 1630.

De Affectu Nobilissimi Viri, cujus facta fuit mentio in præcedentibus literis,

Ex Epistola

DN. GUILIELMI FABRICII HILDANI,

Ad

D. GEORGIUM FABRUM missâ.

CAsus Nobilissimi Viri gravis, & quantum ex tuis percipere possum, adeò intricatus est, ut qualis reipsa sit morbus, non facilè absente ægro judicari possit. Putas esse ulcus in vsicâ, quod quidem concedo, sed num adjunctus sit calculus valdè dubitatur. Ego ex calculo vesicam exulceratam fuisse, sæpissimè observavi, præcipuè si inæqualis, & asper fuerit. Et quia signa nonnulla, quæ apud calculosos observari solent, in nobilissimo ægro quoque adsunt, in eam utcunq; inclino sententiam, præter ulcus adesse quoque calculum, ac propterea iterum non solùm Cathetere, verùm etiam indice in podicem immisso explorandam esse vesicam, idque quàm diligentissimè. Lapidem etiam adesse, & primum quidem in Rene delituisse indicat Nephriticus dolor, quo ante hâc laboravit æger. Dolor enim iste non solùm calculo renum, verùm etiam vesicæ, laborantes propter sympathiam & vicinitatem partium plurimùm excruciare solet, quemadmodum ego aliquoties observavi. Ex usu porrò acidularum calculum ad vesicam detrusum fuisse, testis est dolor; qui post usum acidularum auctus fuit; testis quoque est urina turbida, imò & cruenta & purulenta, quam ab eo tempore excrevit: præcipuè cum difficultate & conatu. In ulcere vesicę materia purulenta & furfuracea cum dolore quidem & difficultatibus excernitur, sed conatus non tantus est in calculo. Si ergò simplex adfuisset exulceratio vesicæ, procul dubio ex usu acidularum Wildungensium, si non integra sanitas, levamentum tamen maximum morbi secutum fuisset: Eis enim, qui urinam purulentam & cruentam cum dolore reddunt, maximè convenire post *Dn. D. Wolfium* testatur *Tabernæmontanus in Thesauro Acidularum cap.* 61. Anno 1608. Cùm illustrem Dn. Eustachium de Refugo Regis Christianissimi apud Helvetios legatum prudentissimum, ex fistula in podice maximâ cum difficultate, multisq; curis ac laboribus divino favore sanitati restituissem, ac in ipsâ vesicâ, ulcus quoque ex sententia cùm *D. D. Plateri & D. D. Pauli Lentuli* p. m. tum etiam Collegii Medicorum Parisiensium (quibus morbus consulendus propositus fuit) restaret, omnium nostrorum consensu acidulas Grisbacenses invisit, ubi à vitio vesicæ adeò restitutus fuit, ut ab eo tempore hucusque ne minimum quidem vestigium hujus mali senserit. Hæc propterea scribo, ne aliquis existimet, malum ex usu acidularum Wildangensium exacerbatum fuisse, si ulcus tantummodo adfuisset. Quia enim ut prædicti viri testantur, præter vitriolum & alumen, nonnihil boli, aut potius limum ferri in se continent, in ulceribus vesicæ illas minimè rejiciendas esse arbitror. At quia ex usu acidularum nihilominus exacerbatus fuit dolor: Vereor præter ulcus, ut antea quoque dixi, calculum in vesicâ latitare; inprimis verò cum egregia, & quàm maximè appropriata remedia hactenus à vobis adhibita apud Nobilissimum ægrum nihil effecerint. Porrò cùm sæpissimè post Gonorrhœam sequantur, ulcera carunculæque in ductu urinario non immeritò in hoc ægro quoque dubitatur, subsit caruncula, nec ne? cum & ipse Gonorrhœâ, ut scribis, aliquandò laboraverit. Hîc iterum ut attentus sit Medicus necesse est: Aliquando enim signa adeò inter se sunt similia, ut caruncula vix à Calculo discerni queat: ut plurimum tamen dolores & conatus, reliquaque symptomata inter mingendum aliquandò sunt mitiora in caruncula, quàm in calculo. Nisi dum æger capite declivi, pedibus verò in altum elevatis supinus jacet: sic enim calculus retrò cedit versus fundum vesicæ, & minori cum difficultate redditur lotium, præcipuè si corpus prius aliquo modo concutiatur: in caruncula verò ex decubitu isto, & agitatione corporis nullum levamen percipit æger. In calculo vesicæ materia quædam lenta maximeque viscosa, quæ matulæ veluti albumen ovi adhæret, cum lotio copiosè excernitur: In caruncula non item, sæpissimè enim, imò ut plurimùm in carunculosis urinam veluti puram excerni observavi: nisi quod furfures in ipsa appareant: & ante emissionem urinæ guttula una aut altera puris sensim effluat. Quod si caruncula in ductu urinario tantùm (inveni enim etiam in ipsâ vesicâ versus sphyncterem) adfuerit, urina utplurimùm erit tenuis, etiamsi furfures adsint. Sin verò vesica scabie aut exulceratione laboraverit, urina non solum erit furfuracea, verùm etiam, *testante Hippocrate lib.* 4. *aphor.* 77. crassa. Sunt autem hujusmodi furfures nihil aliud, quàm crustulæ, ex materiâ purulentâ & viscidâ in eum finem à natura procreatæ, ut essent veluti tegumenta ulcerum in ductu urinario existentium. Has etiam crustulas, urina cùm effluit, emollit, & secum educit.

Quomodo calculus vesicæ à caruncula dignoscatur.

Superiùs dixi, dolores & conatus inter mingendum, reliquaq; symptomata in caruncula mitiora esse, quàm in calculo; quod quidem de recenti & nondum inveteratâ ac induratâ carunculâ intelligendum est.

In inveteratâ enim aliquando lotium tanto cum dolore & conatu excernitur, ut vix credibile sit. Vidi Civem Coloniensem, cui propter carunculam ita retenta fuit urina, ut tandem in ipso perinæo erumperet. In inveterata quoque caruncula urina guttatim effluit, & quidem semper: In recenti verò non item. Caruncula enim cum adhuc sit mollis, retrocedit, cùm urina profluit. In Caruncula quoque urina non rectâ, sed nunc in hanc, nunc in illam partem profluit. Si enim in dextra parte penis fuerit caruncula, versus sinistram profluet urina, sic & de aliis. Verùm id præcipuè in carunculis, quæ propè glandem, aut in ipsâ glande sitæ sunt, observavi. Si enim versus perinæum fuerint urina aut guttatim aut rectâ effluet. Scribis quoque ægrum exonerando ventrem atro-

atrocissimos pati dolores: Ast dolores isti potius in calculosis, quàm in carunculosis observantur, & tales quidem, ut propter maximum conatum intestinum rectum nonnunquam promineat, & simul excrementa excernantur: Quod & *Aretaus de signis & causis diuturnorum morborum lib. 3. c. 4.* testatur. Calculosi quoque inter mingendum, & paulò post acutissimos dolores in ipso balano sentiunt, ipsumque balanum mirum in modum trahunt, mulctantque. Carunculosi verò inter mingendum non tantos patiuntur dolores circa glandem. Unum quoque minimè omittendum est, nimirum calculum in vesica rarò inducias dare ægro: Sua enim asperitate & pondere cùm vesicam indesinenter pungat; continuos quoque parit dolores. In carunculosis verò aliquandò contrarium observavi. Ante annos 18. Genevæ carunculam in ductu urinario curavi, quâ æger ultra annos 4. absque insigni incommodo laboraverat. Ante annos 2. in Generoso quodam idem hîc mihi observare licuit, qui & interim, dum morbo isto laboravit, proles (quod tamen in Carunculosis rarum) ex uxore sua suscepit. Fui aliquo modo prolixus, quò tandem ad cognitionem morbi pervenire possis. Nisi enim cognitus fuerit morbus, non facilè curabitur. Quapropter suadeo, ut Nobilis æger iterum Cathetere per artificiosum & ingeniosum aliquem Lithotomum exploretur. Non enim in prima exploratione semper invenitur calculus, præcipuè, si parvus fuerit. Primò autem Enemate aliquo lenienti exonerato ventre Lithotomus indice suo inuncto oleo amygdalarum dulcium & scorpionum in podicem immisso explorabit, num durities aliqua circa fundum vesicæ subsit. Quod facilè deprehendet, si digitum versus os pubis aliquantum elevârit: ut plurimum enim calculus hoc modo percipitur. Nonnunquam tamen digito quidem duritiem insignem reperi, cùm tamen nullus adesset calculus, uti obs. 65. cent. 2. videre poteris. Ut igitur certus sis, an calculus, vel scyrrhus subsit, clementer immittendus est Catheter, prius inunctis oleis supra dictis. Dum autem immittitur instrumentum, quonam in loco ductus urinarii sit caruncula, diligenter observare & notare convenit, quò postea medicamenta, beneficio candelæ cereæ, commodè loco affecto applicari possint. Explorato ductu urinario; paulatim Cathetere ad vesicam transeundum est; tunc, si durities ista, quam lithotomus immisso in intestinum rectum digito percepit, sit calculus aut Scyrrhosa excrescentia Cuti in sene illo, cujus obs. 65. centur. 2. fit mentio, inventa fuit, facilè judicabit. Magnitudinem quoque calculi ex exploratione aliquo modo observabit. Ulcus tamen, si in vesica adfuerit, neque Cathetere, neque digito percipi potest: nisi forsan istius labia jam callosa fuerint. Certissimum quoque indicium calculi sunt arenulę ut plurimum in calculosorum hominum urinis apparentes.

Modus explorandi calculum & carunculas.

An autem in Nobili vestro ægro visæ fuerint, nec ne, non scribis: observavi tamen non semel calculos prægrandes in vesica hominis concretos fuisse, etiamsi antea nunquam arenulę cum urinâ rejectæ essent. Præcipuè id mihi in Coloniensi quodam decrepito cujus mentio fit Obs. 70. Cent. 3. observare contigit. In hujus vesica enim, etiamsi post mortem lapides 4. reperirem, in urina tamen nunquam sedimentum sabulosum repertum fuerat; Ego ex aliis quamplurimis indiciis calculum in vesica latitare, certior factus; etsi sæpissimè suaderem, ut Cathetere exploraretur vesica, nunquam tamen paruit: planè enim sibi persuasum habuit, non posse esse calculum in vesica, nisi urina habeat sedimentum arenosum.

In calculosis urina num semper sabulosa.

Superiore anno Mazonopoli in Alsatia puerum 10. annorum vidi, in cujus vesica, & digito, & Cathetere, calculum satis magnum inveni: cùm tamen nunquam arenulæ in urina conspectæ fuissent: Quapropter quoque parentes ante meum adventum nunquam eò adduci potuerunt, ut explorationem vel digito, vel Cathetere concesserint.

Nemini autem mirum videri debet, quod arenulæ non semper appareant in urina calculosorum. Qui enim ex pituita maximè viscosa & glutinosa concrescunt calculi, citò nascuntur, & rarissimè arenulas cum urinâ ejiciunt. Cùm itaque, Vir Amplis. adhuc in dubium vocetur, qualis sit morbus, & absens Medicus difficulter de his judicare possit, ut omnem moveas lapidem necesse est, quo tandem integram perfectamq; cognitionem morbi habere possis. Quod si caruncula adfuerit, præmissis, quæ præmittenda, primò emollienda, deinde absumenda, tandemque ulcus cicatrice obducendum est. Sin calculus reperitur, ut auferatur, necesse quoque est. Volunt nonnulli & quidem Viri Clarissimi, quorum in numero Galenum quoque fuisse ipsius scripta multis in locis fidem faciunt, id medicamentis fieri posse: Experientia tamen docet rarissimè, imò vix unquam calculum præcipuè in adultis, sine incisione curatum fuisse. Quod & idem *Galenus* alibi testatur: Sic enim *lib. 6. Epidem Hipp. Comment. 5.* disertè scribit. Lapis autem (inquit) vesicæ non ab ætatis permutatione, sed à manuali sola operatione sanatur. Et *lib. de arte Med. c. 89.* de obstructione loquens habet hæc verba: Quæ autem, scilicet obstructio, à lapide fit in vesica, subitò quidem illius transpositionem requirit: Integræ verò sanitatis gratiâ incisionem & extractionem. *Aretaus de signis & causis diuturnorũ morborum lib. 2. cap. 4.* de calculo vesicæ sic scribit. Lapis magnus tolli nequit, neque enim potione, aut medicamento frangitur, aut circumteritur. Hujus quoq; sententiæ est *Petrus Francus insignis Chirurgus lib. de Herniis c. 31.* ut & alii ex Neotericis. Observatione dignissima sunt, quæ Generosus ac Strenuus Vir, Dn. Zacharias Geitzcoflerus, à Geitenbach, Cæsareæ Majestatis consiliarius, cum calculos binos ex vesica sua extractos, & instar silicis duros, vidisset, coram me, aliisque Medicis, qui operationi interfuerant, protulit aliquando: Medicamenta, inquit, calculum in vesica frangentia per os sumpta, nondum hominibus à Deo patefacta esse, planè mihi persuasum habeo, & in morbo meo expertus sum. Ad morbum enim meum tollendum omnem diligentiam adhibui, præclarissimos, & quidẽ multos Medicos, non tantùm in Germania, verũ etiam apud exteros,

Carunculæ Curatio.

Calculus quomodo curandus.

consului: præscripta ab eis medicamenta sumpsi, sed frustrâ. Hactenus Geitzcoflerus. Hujus rei causam *Avicenna* & alii habent. Erant autem calculi isti, alter ℨxiij. alter ℨjß. pondere, ubiq; etiam perpoliti: color erat in ambobus intensè ruber, instar minii. Hæc propterea scribo, ne forsan nobilis æger, si calculus in vesicâ repertus fuerit, ipsius extractionem frustrà protrahat: ac interim calculus accrescat. Quæris præterea, cùm nobilis æger ante decennium Gonorrhæâ laboraverit, potueritne aliquod virus ab eo tempore in abditis corporis partibus delitescere? non facilè id, salvo tamen tuo judicio, concederem. Cùm enim virus istud ex impuro coitu contractum, naturæ nostræ adversissimum sit, non diu ipsum in visceribus delitescere concedit natura, quin potius illud protinus expellit, præcipuè, si valida fuerit. Quapropter à decennio virus aliquod in corpore absconditum latitare non potuit, quin æger, si non graviore symptomate, mingendi tamen ad minimum difficultate molestatus fuerit. Tu hæc omnia facilè ex ipso percunctari poteris. Sed de curatione quid dicam? cùm morbus mihi nondum satis sit cognitus. Ad symptomata tamen, quorum mentionem in tuis literis fecisti, compescenda, corpus infusione Rhabarbari, cui nonnihil Elect. de succo rosl. syr. item rossol adderem, expurgarem, quod tamen rarò fieri debere experientia docet. Medicamenta enim, quæ per inferiora purgant, materiam noxiam ad renes & vesicam magis magisque protrudunt. Vomitus verò, si æger ipsum facilè sufferre potest, magis convenit, conveniunt & Enemata anodyna, inprimis si Lumbricos recentes addideris. Ego sequens exhibere solitus sum: ℞. *Rad. Alth. malv. Eryngii marini an.* ℥iij. *fol. alth. malv. viol. pariet fl. melilot. Chamom. Sambuc. summit. anethi, an.* Mß. *Lumbricor. in aqua lotorum & incis.* ℥ij. *Sem anisi, anethi an.* ℥iiij. *sem. lini & fænic. ana* ℥ij. *Coq. in lact. vaccini* ℔j. *in colaturâ dissolve vitellos ovorum numero* 2. *Ol. Camom. anethi, lil. alb. & Scorpion. an* ℥ß. *Croci* ℈ij. *Misce, F. Enema.* Si adstricta fuerit alvus, addatur parum *Elect. de succo rosl. & nonnihil mellis rosl. colati*, usus hujus Clysteris ægro frequens esse debet: Lenit enim dolores, meatusque adeò laxat, ut urina minori cum difficultate profluere possit. Renes quoque viasque urinarias per intervalla abstergere convenit: hîc Cassia utuntur Medici, verùm ardorem urinæ ab ipsa augeri observavi, quod & Generosus Dn. Geitzcoflerus in Epistola quadam ad me scripta, & insignis ille Chirurgus *Petrus Pigray lib. 7. cap.* 4. testantur. Ego per intervalla in ulceribus vesicæ Terebinthinam, pulvere liquiritiæ involutam, cum successu exhibeo, non lotam tamen: abluendo enim subtiliores, quæ sunt in illa, partes deperduntur, crassæ remanent.

Cautio quoad usum Cassiæ.

Spiritum quoque Terebinthinæ, sed lentissimo igne separatum, cum decocto liquiritiæ, agrimoniæ, veron. & flor. cordial. propino. Dolor si vehemens, sequenti utor potiuncula: ℞. *Confect. alkerm.* ℈j. *Laud. gr.* 4. *Syr. de Alth. Fernel. & viol. an.* ℥ß. *cum decocto præscripto q. s. f. potiuncula*, detur 2. horis post cœnam. Renes sequenti ungento inungo. ℞. *Ol. rosl. viol. Nymph. Scorpion. an.* ℥j. *Camph.* ℈ß. *Misce.* In maximis quoque harum partiũ doloribus semicupium ex radicibus, herbis, floribus & seminibus emollientibus, relaxantibus & dolorem lenientibus maximè convenire sæpissimè observavi. Regionem vesicæ, perinæum, & membrum virile, *oleo amygd. dulc. lil. albor. Scorpion. Lumbric. & pinguedine humana* inungere convenit. Superiori anno Soloduri Matronam Nobilem, cancroso affectu vesicę & matricis, cum maximis doloribus, laborantem, curandam habui, cui pro potu ordinario sequens decoct. maximo cum fructu præscripsi: ℞. *Agrimon. Veron. an.* Mj. *ficuum* ℥iij. *liquirit.* ℥j. *aq. font.* ℔ix Coq. ad consumpt. tertiæ partis.

A vino & piperatis omnibus planè abstinuit, maximo cum fructu in mensa, jusculus avenæ decorticatæ cum butyro recenti utebatur. Hæc sunt, quæ ad tuas pro tempore respondere potui utinam tibi accepta, ægro verò salutaria esse possint. Interim si exspectationi tuæ minimè satisfecero, ut mihi ignoscere velis, obsecro. Bernæ, 13. Januar. Anno 1617.

OBSERVATIO XLIV.

Calculus renum cum colicis doloribus.

Matrona honestissima ac Nobiliß. vidua **Jobst Rawen von Holtzhausen**/ *tempore hyemali anno 1611. in vehementissimos dolores sinistri lateris circa lumbos incidit: succedunt ventris tormina per intervalla, nausea, vomitus, alvi obstructio. Urina merè aquea & cruda cum difficultate, sed non perpetuâ mingitur, & noctes insomnes, ob summos dolores, aculei infixi sensum præbentes, ducuntur.*

RESOLUTIO.

Ægra præsens tertia die morbi medicam implorat opem, & rectè statuit, calculo renum sese laborare, cui aliâs obnoxia, hoc enim testabatur *dolor fixus* circa locum affectum, propterea quod calculus exitum sibi quæreret. Succedunt *ventris tormina*, ob colicam conjunctam, collectis scilicet plurimis cruditatibus in intestinis eandem producentibus: *nausea & vomitus* sequuntur, ob consensum ventriculi, qui fit per peritoneum, à quo renes & ventriculus communem obtinent tunicam. Imo *alvi obstructio diuturna* conjungitur, ob cruditates colo intestino impactas, una cum flatibus retentis. Tandem *urina aquea & cruda redditur, non rarò cũ difficultate*, ob coarctatas vias urinarias, & digestionem depravatam.

Morbi determinatio.

In curatione *vehementia symptomatis, nimirum doloris, indicat anodyna*, potissimùm externa, nimirum epithemata & fomenta ex Meliloto, Malva, Rad. althea, flo. chamomil. &c. in vino decoctis: *alvus obstructa* aperitur per clysteres reiteratos per triduum: *materia renibus impacta* tandem per pulverem diureticum ex sem. petrosel. pastinacæ, rad. pimpinellæ, oculor, cancri &c. in aqua petroselini assumptum, in balneo convenienti singulis diebus ad exitum præparatur, non neglectis iis, quæ ad virium confortationẽ inserviunt. Nota ad hanc observ. 39. quod.

Curatio.

Observatio

quod urina dicta cum doloribus nephriticis perpetuò talis non sit: fit enim sæpius ut etiam in principio statim *crassa subrubra, quasi sanguine mixta sit*, reddatur, quod sæpissimè terret ægrotantes; ut omninò sanguineam putent, cum tamen ejusmodi materia nihil aliud sit, quàm tartarum resolutum, ex quo coagulatione postmodum arenulæ generantur, quod inde collegimus, quia tales urinæ per evaporationem exiccatæ subtilissimum pulverem subrubrum post se relinquunt, quemadmodum in nobis ipsis experti sumus, ubi tali urinâ copiosè profluente postea penitus à nephriticis doloribus liberati sumus, sublatâ videlicet, arenularum proximâ materiâ, quæ plerumque separatur externâ quadam commotione corporis vehementiori præeunte, sicuti novi virum doctum in hac urbe Giessena, qui frequenter post equitationem, vel aliam corporis commotionem, ejusmodi urinam cum dolore renum gravativo copiosè reddit.

OBSERVATIO XLV.

Causæ Calculi & suppressionis Urinæ.

JOHANN. FREITAGIUS D.

GREGORIO HORSTIO, D.

IN observationibus Tuis offendi consilium, quod stante pede Generoso cuidam dedi, suffultus ratione & experientia, ad Lithotomiam dissuadendam, adhibito prognostico, coràm, quod Patiens pro ætate & corporis dispositione, vel post sectionem moreretur, vel ab inflicto vulnere, fistula, vel urinæ incontinentia perpetuò laboraret, quod prognosticum eventus confirmavit, cum Patientis immorigeri vitæ dispendio. Hæc materia ansam mihi præbet, quædam plenius & planius, pro mea tenuitate addere illis, quæ T. Exc. cum Medico Stetinensi de generatione calculi per thesin & antithesin in lib. 5. Ep. M. s. 9. nervosè & dogmatice tractat, in quo negotio ratione causæ efficientis & materialis etiam Medicinæ Coryphæi caligant, quando humores simplices, qualitates primas, & renum vim λιθοποιητικὴν causas statuunt; quod pace magnorum illorum virorum rationi & experientiæ non videtur consonum. Nam humor simplex nec salem, non tartarum, nec calculum efficere potest, nisi sal vel tartarea materia ei primum fuerit admixta, quæ sine calore ullo extraneo suapte natura vergit ad congelationem & indurationem: quod attestantur lapidum atque plurimæ corporum extra humanum corpus concretiones, ut sæpiusculè videmus in Thermis, fontibus Salinis, Acidulis, Gypsi, Calcis similiumque feracibus fontibus, stirias quasdam, & tophos canalibus accretos habentibus; Et ego Francofurticis viadrum juxta Carthusiam. aliquoties αὐτόπτης admiratus sum, quod aqua præterlabens ligna, cochleas & nucum putamina in lapidem mutaverit. Rationem hujus, si inquirere velimus, nullam aliam inveniemus, quam quod istæ aquæ spiritu salino præ cæteris sint imprægnatæ. Multò minus qualitates primæ hoc præstare possunt: siquidem qualitas substantiam producere nequit, nec res quæpiam dare potest id, quod non habet.

Contra communem assertionem de generatione calculi.

Causam concretionis calculi esse in materia.

Vis λιθοποιητικὴ si concederetur, facultas aliquid generandi, Renibus omninò adscribenda esset, quod hactenus à nemine factum. Hinc liquidò apparet in ipsis partibus sufficientem generationis calculi causam vix inveniri posse, sed in ipsa materia potius præcipuam concretionis causam quærendam esse. Quod attestatur quoque *Gal. quandoque 6. Epid. com. 3. t. 15.* scribit; non præcipuè caliditatem in pueris, sed materiæ, ex qua fit lapis qualitatem ipsius compactionis causam existere. Statuo itaque cum sanioribus Medicis, ratione, experientiâque edoctis, calculi efficientem materiæ inesse, ubi materia serum, causa efficiens, sal coagulans in sero, subjectum adæquatum Renes sicci, in quibus citius faciliusque fit concretio. Videmus enim in coctione salis, quod sal neque calore, neque frigore, neque exsiccatione concrescat, sed vi naturali, atque insita quæ cuivis salis generi propria est, ut meritò rimemur & miremur, quod quodlibet salis genus, nisi obstaculis externis impediatur, in certam figuram concrescat? siquidem suam figuram habet nitrum, suam sal communis, suam vitriolum, suam alumen, ut sæpenumero in ἐγχειρήσει demiramur! Instantiæ omnes, quæ possunt afferri, facili negotio solvuntur, cum partim committatur petitio principii, partim commisceatur Genus cum Specie, partim causæ immediatæ confundantur cum remotis & adjuvantibus, partim materia apta & copiosa negligatur, partim conditiones necessario requisitę non percipiantur: nam specialis effectus specifica reddenda est causa. Rationes confirmat experientia, cum calculus in Bavaria, Austria, Moravia & Ungaria frequentior sit, quam in aliis regionibus ob potulenta: nam quò magis sunt nitrosa, salsa, vitriolata, aluminosaque, eò magis & citius in corporibus nostris calculus accrescit, quòd in proprio corpore alias indispositο expertus sum. Nam Ratisbonam veniens, elegi præ Rhenensi Bavaricum vinum, ob saporem, quem vocant picantum, Zapfraß/ sed appetitus fuit nequam, illumq; è vestigio comitabantur dolor dorsi, effluxus urinæ, præter solitum urgens, viasque lancinans, quæ symptomata me ad οὐροσκοπίαν adduxerunt, & in illâ sabulum, calculumque mihi monstrarunt, à quo malo, solâ vini Bavarici abstinentiâ, gratia Dei sum liberatus. Nec refert cur alii magis, alii minus calculo sint obnoxii? Ratio temperamenti habenda est: Nam cum mali, partiumque dispositio adsit, & exhibeantur quæ causæ morbi naturâ sunt similia, facilè illiciuntur, quæ ipsi sunt homogenea. Nec consentio cum illis, qui semper rudimentum calculi vesicæ in Renibus statuunt: Nam eædem sunt causæ augmentationis & generationis, quæ omnes in vesicâ ac Renibus reperiri possunt. Interea silentio non prætereundum, quod elapso anno in duobus senioribus observavi, quorum alter 73. annorum, per 14. dies totali urinæ suppressione laboravit; alter 70. annorum, per 9. dies aliquot tantum guttulas emisit. Non de hoc, sed de illo cepi dubitare authoritate *Galeni, qui l. 1. loc. aff. c. 1.* in hæc formalia erupit verba: Si quis enim tribus diebus nihil urinæ reddidit, protinus in quâ corporis parte sit hujusmodi symptoma investigandum, an scilicet in Reni-

Apparatus ad generationem calculi.

Cur in una regione magis quam alia calculus generetur.

Cur alii magis, alii minus calculo obnoxii?

An semper in renibus primo rudimentum fiat?

Totalis Urinæ suppressio in senibus duobus.

Renibus, aut ureteribus, aut urinæ fistula, cum aliàs nullum sit mejendi instrumentum, quod tentavi candela cerea, dimidiæ ulnæ nostratis, indeque certior factus sum, hanc suppressionem, Ischuriam non esse veram, sed obstructionem ureterum, ubi ob impedimentum, nec facultas ureterum attractrix trahere, nec expultrix expellere poterat. Ne per longius intervallum suppressionis, urina in venis computresceret, & in consensum nobiles partes traheret, præmissis universalibus evacuationibus singulis diebus, pro diversione, clysteres emollientes & laxantes adhibui, qui affluxum materiæ peccantis ad locum affectum prohibuerunt: quibus diligenter adjunxi decocta attenuantia, incidentia, deobstruentia & lenientia: Victus ratio fuit exquisita, Potus appropriatus & moderatus, ne materia serosa multiplicaretur, de foris, circa abdomen, & Renes, fotu & inunctione convenienti usus sum: his factis Emplastrum dolori fixo applicavi: non omisi diuretica & lithontriptica, inter quæ maximi fuit usus aqua destillata composita Besardi, & electuarium diureticum Montagnanæ, quod exaltavi Magisterio Crystallorum Ludi, lapidis lyncis, semine virgæ aureæ, Bardanæ, cinere millepædum, debitè præparatorum, spiritu Salis dulci, & oleo destillato composito Plateri. His duobus medicamentis, & lacte terebinthinato, cum 9. die ceperim uti, citra Medicorum prognosticum, & adstantium expectationem, 14. die parum urinæ sanguinolentæ, cum tribus lapillis grandiusculis purpurei coloris, prorumpebat, paulò post, intrà 10. horarum spatium ℔. XVI. & ultrà, urinæ serosæ, absque sedimento turbidæ, cum Domini Patientis levamine, & admiratione emittebantur. Subsequentibus diebus urina satis copiosa emingitur, absq; medicamenti beneficio, cum multa calcis materia, quę fundo & lateribus matulæ accrevitc, ultelli crassitudine, instar gypsi, quæ materia fuit involucrum, & integumentum calculi: qua sublata, post mensem, & quod excurrit, tandèm ipse calculus glaber, siliceusque magnitudine & forma nuclei Dactylorum, summo nisu prorupit. Ab illo tempore Dominus Patiens gratiâ Dei immunis mansit ferè per sesquiannum hucusque. Ductus ille à Renibus ad vesicam antiquioribus non adeò fuit manifestus, quorum duo dantur insignes, ureteri dicti, qui ex inferiori renum sinu secretum serum & calculum in vesicæ fundi humiliorem partem deferunt, uti ego ipsa in Anatomia manuductore Experientissimo Arnisæo illum ductum tubulo tentavi, qui valdè amplus & capax deprehendebatur, & pręcipuè summitates versus, ut mirum amplius non sit, quomodo grandior calculus, membranoso corpore dilatato potest penetrare. Cur totalis acciderit suppressio tantum ex sinistro uretere obstructo meritò quæratur? Hoc factum esse ratione flatuum, sympathiæ, & facultatis expultricis læsæ, quotidiana attestatur experientia.

Appropriata in urina movenda.

Cur totalis suppressio urinæ sinistro uretere tantum obstructo?

Restat adhuc dubium de frangendo vesicæ calculo, quod multi in totum negant, multi frigidè affirmant. Ego cum *Galeno, Hippocrate, Dioscoride, Rhase, Avicenna* & infinitis classicis Authoribus statuo, qui præscribunt, multa simplicia & composita, à tenuitate, ab aciditate, ab asperitate, & vi diureticâ agentia quod dentur frangentia lapidem vesicę: quid repugnet, non video, cum æque detur sal resolvens, quam coagulans, & virtutes rerum non sint abnegandę in plantis, herbis & lapidibus; videmus etiam aquam mollem cavare lapidem continuatione, ferrumque vi simplicium erodi, nec non dari simplicia, lapides emollientia, cur non & frangentia. Præterea legimus *Philagrium ex Aëtio l.* 11. curasse vesicæ calculū sanguine hirci cum passerculo troglodytico permisto: Jesuitam Romæ curasse filium typographi millepedibus ritè præparatis: *Rhasin l. 9. ad Almansorem* curasse vetustum vesicæ calculum suis pillulis, quibus *Horatius Augenius*, ipsius Pater, & alii Medici, multos sanarunt calculosos. Si præscripti Authores medicamenta commendarent, & non haberent talem vim, quid agerent in tàm gravi negotio, quam ut humanum deluderent genus, quod de *Hippocrate* nefas esset dicere, qui ex *Macrobio* nunquam alios, nec seipsum fefellit? Et *Gal. de comp. f. l. habet*: se velle conscribere medicamenta experimento cognita. Verùm cur eventus curæ non semper respondeat, ipse Medicus, Patiens, & calculus in causa est, de quibus omnibus prolixius agere lex Epistolaris vetat. Hæc si ad gustum T. Excell. fecisse experiar, propediem insigniter mirabilis & mirabiliter insignis subsequetur casus, qui DEI providentiam, & naturæ sollicitudinem adumbrabit. Commendo nos tutelæ DEI Ter. Opt. Max. Dabantur Ratisbonæ Id. Julii 1631.

An calculus vesicæ frangatur per medicamenta?

Viro Clariss. Excellentiss.
DN. JOHANNI **Freytag**/ Philos. & Medico Doctori Reip. Ratisbonensis.

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Gratissima mihi fuit Epistolica tua compellatio, Vir Clariss. &c. non tàm quod amoris erga me tui testimonium perhiberet, quàm quod calculorum in humano corpore generationem dilucidius declararet. Rectè statuis concretionis causam in ipsâ materiâ quærendam esse, quod innumerabiles, & sæpius admiratione non carentes effectus in Naturâ confirmant, quemadmodum ex diversis Authoribus in fasciculum tales collegit *Iacobus Mockius lib. de causis concret. & dissolut. &c.* Egregium concretionis exemplum ejusdem ante paucos menses ad *Thermas Wisbadenses* observavi, quarum aqua ferventissima destillans, tandem è canalibus in tophum concrescit, quo pulverisato commodùm in Magnate quodam ad indurationem articulorum, à diuturnis podagricis doloribus relictam, usus sum. Observationem, quam addis de urinæ per multos dies suppressione facta, libenter legi, nec dubito quin gravativus dolor circà regionem ureterum causam indicaverit, quocirca rectè medicamentis eò allaborandum fuit, ut hærens calculus, unà cum viscida sabulosâ materiâ impactus solveretur. Fit aliâs non rarò decrepitis totalis urinæ suppressio, sed absque omnibus indiciis materiæ obstruentis, quod unâ atque alterâ observatione l. 4. partis primæ demonstravimus. De frangendo

Concretio lapidescentis materiæ ad Thermas Wisbadenses.

Vide Obs. par. 1. l. 4. Obs. 41. gendo vesicæ calculo legatur discursus *Guil. Laurenbergii*, qui in semetipso periculum fecit, eventu exoptato. Quod si natura per acidularum quarundam potum continuatum interdum vesicæ calculum atterit, & frustulatim expellit, quemadmodum Wildungæ conjugi *celebris; ICti D. D. Vulteii* contigisse memini, cur Arti idipsum penitus denegaretur? Plura p. t. non patiuntur occupationes. Vale. Ulmæ 21. Aug. 1629.

Vir Clariss. Excellentiss.
DN. JOHANN. Freytag / Philos. & Med. D. Ratisbonæ,

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Gratissima responsio ad nuperas meas literas, Clarissime Experientissimeque Dn. D. fautor colende, facit, ut fidem, licet serius, ob remelignes, meam solvam. En! relationem casus per formalia ipsissima ipsius patientis cape. Anno 1594. sub initium Augusti, egò Marcus Jacobus Seitz, Anno ætatis decimo quarto, in areâ ludicrâ sagitta per medietatem oli læsus fui, ita ut sagitta in oculi cavitate firmaretur, ubi procidens, ex oculo extraxi, & interram projeci. *Historia mirabilis.*

Cum autem Chirurgus vulneri prospexisset, & interim pueri colludentes jaculum sine extremitate ferreâ attulissent, Chirurgus instrumento quodam eandem inquirere conatus fuit, sed vori compos, propter incidentem lipothymiam, fieri non potuit, ita ut hac ratione ferrea extremitas in oculo post consolidationem relinqueretur. Ita verò curatus sum, ut oculus pellucidus, mobilis, sed absque apprehensione visibilium, adeoque cæcus relictus fuerit. Cum autem Anno M. DC. XXIV. In mense Septembri, febri ardente laborarem, subsequente vehementiori catarrho, cum multâ sternutatione, particula ista ferrea liberata, trigesimo Octobris per cavitatem naris sinistræ prodire voluit, quam propter longitudinem ad fauces retrò trahere coactus sum, ita ut ex ore postea separaretur: adeoque per annos Triginta, & tres Menses, absque dolore in anteriore capitis parte latuit, quæ postea per menstruum spacium plurimorum manibus contrita, duas in partes dissiluit. Hinc tria occurrunt ventilanda dubia: Primo, *quas partes sagitta attigerit, quod motus manserit illæsus, sublato sensu, & ubi fracta sagitta fuerit, illæso nervo optico?* Secundo. *Ad quem locum ferrum Sagittæ pervenerit, & ubi tam diu hæserit sine ullo meningum offendiculo?* Tertiò. *Per quem locum exiverit, & cur sine noxa?* Quas partes sagitta attigerit ex relatione patet: Penetravit enim pupillam, & visum abstulit; Siquidem Medici rectè statuunt, quod vulneratâ pupillâ visus recipi non possit, quamvis humor Crystallinus sit illæsus. Quod manserit motus, ratio est in promptu, quia nervi secundi paris & musculi sunt illæsi, qui omnes in corneam implantantur, & in oculo manifestè distinctus est nervus visorius à motoriis, quod in aliis partibus usu non venit, ubi idem nervus causa est motus simul & sensus, nec perire potest sensus illæso motu in unâ & eadem parte signatâ, quanquam in eodem membro dissimilari id fieri non sit impossibile. Fracta est sagitta, ob resupinum lapsum, denegatam extensionem, & ponderis inæqualitatem in oculi orbitæ foramine. Quod nervus opticus non fuerit læsus, ratio est: Quia omnium corporis nervorum facilè est mollissimus, qui duriori corpori naturaliter cessit & omnis impulsio non adeò vehementer percutit, rem propè objectam, ut rem ipsam longius semotam. 2. Ad quem locum ferrum sagittæ pervenerit, ubique tamdiu hæserit sine ullo offendiculo? Rationalis conjectura edocet. Cuspis enim sagittæ pervenit ad os Cuneiforme quod πολύμορφον meritò dicitur, imò basilare, tam à figura, quam à situ, habetque processus sinus & foramina, ut cuspidi vix commodior, tutiorque locus fuisset relictus. Verum cur, cum ferrum facilius contrahat rubiginem, vicinis corporibus non intulerit erosionem, aliorumque symptomatum syndromen non causaverit? Dignè demiremur naturam providam, verissimam hominum medicatricem, quæ colligit mucum, corpori heterogeneo habitaculum, inde materia quædam callosa procreatur, quæ duræ matri instar culcitræ subjacet, quod attestatur *Guiliel. Fabric. Obs. secunda Cent. 2.* Et similem ferè Historiam habemus *cap. 24. lib. 4. Anat. apud Alexan. Benedictum* 3. Per quem locum exiverit & sine noxa? Facilius est inventu: nam crisis à febre acutâ frequentes excitavit sternutationes, quæ cuspidem sagittæ, amoto habiculo ad exitum disposuerunt, inde natura, quod sibi molestum fuit, expellere conata est, & quæsivit viam vi, ubi se offerebant quatuor meatus conspicui, quorum anteriores duo per foramina, ad sedes oculorum collocata, in narium cavitatem descendunt: Posteriores duo in os & palatum egrediuntur. Per illos, cum cuspis egredi ob longitudinem non posset, per hos tentavit egressum, quem liberum offendit. Pondus cuspidis granorum octo erat. Pro morâ compensandâ & chartâ complendâ, addam duos casus satis raros. Primus est monstrosæ Herniæ, quæ in viro primario 54. annorum, paucis elapsis septimanis, contigit. Is ultrà 20. annos Herniâ intestinali laboravit, quam ex incuriâ incrementum sumpsit, cum patiens corporis cacochymici & cachectici in publicâ plateâ, frequenti sternutatione & vomitu corriperetur, Scrotum adeò fuit expansum, abdomenq; depressum, ut nullum vestigium membri virilis appareret, sed illud planè fuit retractum, & glans ipsa in scroto abscondita, instarque umbilici contorta. Sanctè affirmare possum, quod pondus fuerit dimidii centenarii præter propter, tumor totus ratione caloris & coloris, planè erat æqualis. Ego cum *Paulo* judicabam illum affectum esse *Aquintestinomentherniam*, & successivè στεατοκήλην effecisse, quod octiduo ante obitum varices in scroti fundo attestabantur, ex quibus singulis diebus stillabat materia, quæ concreta sevum æmulabatur. In cadavere scrototomiam urgebam, quam delicatuli hæredes recusabant; certè invenissem, quod me confirmasset; & diversorum diversa judicia convicisset. Secundus est *vomitio sanguinis continuata*, quæ in virgine illustri ex quo-

Dubium 1. *Dubium 2.* *Dubium 3.* *Responsio ad 1.* *Responsio ad 2.* *Responsio ad 3.* *Casus monstrosæ Herniæ.* *Casus vomitionis sanguineæ.*

ex quolibet leviusculo motu exurgit, & jam ultra 16. Annos durat. In hoc casu multii Experientissimi Medici oleum & operam perdiderunt, & omnem spem tandem in phlebotomiam iteratam partitis venis, supernè & infernè, collocarunt, quod quidem hactenus feliciter successit, sed posthac partes naturales debiliores redditæ, & venter intumescens frequentes phlebotomias recusabunt. Corpus est plethoricum, rarioris texturæ cerebrum catarrhosum, Epar calidissimũ & biliosum, menstrua debitè fluunt, quod aliâs *Hippocr. Aphor.* 32. *l.* 5. pro solutione hujus morbi in sexu fœmineo habet; Abest in hac ægra quoque febris, quod *Aphor.* 37. *l.* 7. pro signo salutari reputat. In hoc casu cur non succedat, facit consuetudo, altera natura, & copia sanguinis serosi & biliosi, qui infarctus splenis & meserei causat, inde ad ventriculum regurgitat, & vomitiones parit. Nam Illustris patiens sensibiliter observat ductum, quo sanguis ex latere sinistro ad ventriculum progreditur: & quò diutius sanguis in ventriculo moratur, eò crassior, nigrior, & magis fœtens redditur: Exterius apparet conspicua rubedo, quæ pustulas ichorosas monstrat. Cura ratione subjecti patientis indispositi est difficilima: Quia ventriculus nauseabundus omnia respuit medicamenta, cujuscunque sunt generis, etiam cibos optimè præparatos: Clysteres, Emplastra, Illinitiones, ægra prorsus aversatur, frigida & astringentia, secundum Hippocrat. natura non fert; alvus & vesica vix faciunt officium, nisi stimulentur, & quando benignissima etiam propinantur, subsequuntur lipothymiæ. Supra hos casus si T. E. Judicium suum maturum aperuerit, non solum mihi, sed & Reipublicæ Medicæ multum inserviet. Ignoscat mihi T. E. meam importunitatem negotia negotiis cumulando: tentavi illud eò audacius, quò laboriosius & fructuosius tu vitam tuam transigis. Commendo nos tutelæ Dei ter Opt. Maximi. Dabantur Ratisbonæ Idibus Novembris M. D C. XXIX.

RESPONSUM AUTORIS
Ad præcedentem Epistolam.

S. Annotatione digni sunt Casus isti singulares, pro quorum communicatione gratias ago maximas, Vir Clariss. Fautor & amice colende; horum primus protinus in memoriam mihi revocavit Historiam, quam ex *Albucasi* refert *Marcellus Donatus lib.* 2. *Hist. Med. Mirab. cap.* 12. de quodam, cui sagitta violenter in lachrymalem angulum oculi, circa nasi radicem, adacta fuit, quam ipsemet *Albucasis* ex posticâ parte sub adipe auris ejus extraxit. Notum insuper est, tam ex Epistolicis meis velitationibus, ubi de variis calculis in humano corpore productis agitur, quam etiam ex *Cent.* 5. *Observat. Chirurg. D. Fabricii sub initium*, quomodo calculus, circa os cunei forme genitus, cephalæam multo tempore producens, tandem per palatum excretus fuerit. Imò recordor Nobilissimi ac strenui Viri, Domini **Wilhelm Schetzel** à **Merrhausen**/ Equitis Hassi, qui multos ante annos in juventute, contra Christiani Nominis hostem in Hungaria militans, sagittâ Turcicâ vulneratus fuit, ita ut extremitas ferrea, per medium nasum penetrans, relinqueretur, ac postea per ossa palati transiens, acumine suo, beneficio instrumentorum, extraheretur, optimè rursus consolidato vulnere, nisi quod respirationis difficultatem, per nares quodammodo relinqueret.

Historia singularis.

Vide lib. 2. Epist Med. sect. 5.

Historia alia.

Patet ex dictis, quod rectè statuatur, ferrum istud acutum per oculum, ipsiusque orbitam adactum, in os basilare deorsum versus (si enim sursum violentia cessisset, idem, quemadmodum in rustico nostro, p. 1. Observat. pag. 490. eventus fuisset expectandus) immissum fuisse, qua in parte latuit per multos annos, donec à natura seipsam ab heterogeneo corpore liberare conante sternutationis beneficio, rejiceretur. Hoc eo magis fidem meretur, quò sphenoides istud os, palatum versus, spongiosius ac mollius deprehenditur. Proculdubio mirabilem historiam ad *Guil. Fabricium* ab amico meo *D. Georgio Fabro*, præscriptam legisti *Cent.* 3. *Observat.* 24. de vinculo vaginæ ferreo per tot annos propè Zygoma maxillæ superiori violenter impresso, propter ossis istius majorem soliditatem firmiter inhærente, quem bonum virum ante 20. circiter annos *Rosbachii Wetteraviæ* vidi, nec non eidem Autor fui, cùm non tantùm fistula perpetuo faciem saniosam redderet, sed insuper Cephalæa frequens adesset, ut apertionem tentaret majorem, quò si quid alieni latitaret, aut caries ossis fors subesset (vix enim credibile nobis videbatur, tantam ferream capsulam ibidem occultari posse) suum haberet exitum. Non dubito, si post mortem aliquando *Bleidenbachii istius* cranium aperiretur, quin foramen istud, callo quidem à natura consolidatum, ad os usque basilare sub oculis, sicut etiam in ægro tuo, transeat. *Cur autem illæso motu visus ægro tuo perierit*, planum est, præsertim ubi non tantùm pupillę læsionem, sed simul etiam dilaceratam tunicam Retiformem, verum visus organum, perpendimus, utpote quæ posticam oculi partem occupans necessariò per ferrum transiens læsa quoque fuerit. Quomodo verò per tot annos absque dolore ferrum istud in osse basilari firmatum fierit, cum tamen extremitas illa ferrea stileti, quod apud *Dn. Fabricium Cent.* 5. *refert. Claud. Deodatus, Panthei Hygiastici Autor*, post vulnus in infimo ventre relicta, perpetuum dolorem produxerit, ea propter factum fuisse reor, quod ossea substantia sensu destituatur, concurrente simul ratione loci muco copioso, nunquam non circa partem illam abundante. Sed priusquam ad casum secundum progrediar, non possum intermittere, quin in memoriam T. Excellentiam revocem historiam ferè eandem, quam publicavit cum aliis *Dn. D. Hochstetterus Medicus Augustanus, amicus meus, in par.* 2. *Observat. dec.* 6. *cas.* 9. ubi eadem Comœdia mutatis tantum personis agitur.

Historia alia.

Cur illæso motu visus perierit.

Quod *herniam monstrosam* attinet, non tantùm intestinalem, sed etiam carnosam per multos annos adfuisse puto, cujus pondere postea, vehementiori sternutatione superveniente, ruptura facta fuit amplior: Similem monstrosam omninò sarcocelen in studioso quodam olim Argentinę me vidisse memini, cujus membrum virile faciem eandem

Responsio ad Casum. 2.

eandem exhibebat tuberosam cum eo, quod idem Hochstetterus citato quoque loco depingit. Qualis autem substantia deprehensa fuerit per Anatomiam, ibidem legitur.

Responsio ad Casum 3. Tandem quod addis *de vomitione sanguinis*, proculdubio legisti, quæ similem ob casum inter me & Collegam agitata fuerunt, quarum historiarum utraque, si non ex toto, nihilominus eò usque inter sese conveniunt, ut omninò prognosticum idem de utroque subjecto laborante ferendum esse videatur. *Vide Epist. Med. Lib. II. Sect. 17.* Plura non addo, sed te cum tuis DEO Opt. Max. commendo. Dabam ocyus Ulmæ VI. Xbr. 1629.

OBSERVATIO XLVI.
Calculus Renum.

Vir Clariss. Excellentiss.

MICHAEL DORINGIUS. Med. D. & Physicus Reipub. Uratislavensis.

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Mercatoribus nostris Francofurtum proficiscentibus, facere non potui, quin chartam cum ipsis ablegarem. Quanquam vero, quod scriberem in præsentia, ferè inveni nihil: vel eo tamen nomine ad te modo scribere placuit, ut salvam tui adhuc apud me esse memoriam aliqua ratione testarer, atque similiter te ad mutuum scribendi officium invitarem, &c. Ne verò hac vice nihil præterea scriberem, singularem hunc casum tecum communicare libuit. *Obs. calculi renis.* Laboravit civis quidam, (cujus nomen data opera reticeo) hujus Reipubl. primarius, ab aliquot annis, renum calculo. Is ante paucos menses acerbius ex eo malo decumbere cœpit. Urinæ ipsi mox substiterunt, mox profluxerunt. Dolore in sinistra renis regione cruciatur intensissimo. Tandem, viribus exhaustus, & urina nullatenus profluente, extinctus est, crure sinistro post mortem præ altero non parum intumescente. Cadaver, post unum atq; alterum diem *à D. Bucretio*, præsentibus *D. Georgio Rhumbanum, Physico, D. Hennemanno, D. Chunrado, D. Kirstemo, D. Nagelio, D. Gerlachio* & me, Medicis, Pharmacopœo item & Chirurgo, cum aliis viris honestis, apertum est. Abdomine dissecto & intestinis remotis, ante omnia renis sinistri constitutio conquisita: qui prægrandis fuit magnitudinis, superne (qua parte lumbis adhærebat) vesica aquosa satis magna ipsi adhærescente. Rene novacula paululum aperto, sanies quædam, sive rectius serum album effluxit, aptissima, meo judicio, pro generando calculo materia. Aperto penitius rene, abscessus aliquis insignis repertus non est. Reperti tamen in renum substantia hinc inde calculi majusculi, cum non parva sabuli copia. Repertus tandem in ipso infundibulo (qua scilicet serum è rene in ureterem transire solet) lapis insignior, radici Zingiberis mediocri, & magnitudine, & forma, facieque per omnia respondens. Dexter ren flaccidus planè fuit, utpotè qui à multo tempore munere suo perfunctus fuit minimè. Quippe ureter extra renem ad digiti articuli unius altitudinem à calculis penitissimè & firmissimè obstructus visebatur.

Dicebatur in frequenti usu habuisse Baccas Juniperi: *Quæst. 1.* Tu quid de casu præsenti sentis? putasne ullo modo, & remedio obstructiones calculosas expediri potuisse? *Quæst. 2.* censesne etiam calculi renalis exectionem, quam nonnulli profitentur, possibilem, similiter ac tutam? *Quæst. 3.* imo vero diureticorum usum frequentem in tali affectione an arbitraris esse satis salubrem? de calculi quoque materia & generationis modo non minus commodè hoc in loco quærere possem: sed de his inposterum. Tu ad præsentes per occasionem respondere, & ex me Dn. Cancellarium Struppium, D. Gothofredum, Menzerum, Frederum, Quæstorem, &c. humanissimè saluta, Vale. Dabam Breslæ, die 30. Aug. Anno 1612.

RESPONSUM.
GREGORII HORSTII D.

Ad Virum Clarissimum,

Dn. D. MICHAELEM DORINGIUM, &c.

S. Gratæ mihi fuerunt literæ tuæ duplici de causa, tam quod ad tuos salvum atque incolumem te pervenisse testarentur, quàm etiam, quod amici favoris erga me tui constantiam simul declararent, quem affectum reciprocum vicissim offero. Casum singularem additum libenter legi, cujus generis quotidianæ fortassis observationes darentur, nisi vulgus à dissectione mortuorum ita abhorreret, ut hac de causa rarius annotandi occasio sese offerat. Ad quæstiones propositas breviter respondeo: *primo quæris, an etiam putem ejusmodi calculosas obstructiones expediri potuisse,* *Resp. ad quæst. 1.* difficulter sanè, præsertim in ejusmodi affectu confirmato, viribus totius penitus exhaustis. At non dubito, si lenientibus & emollientibus remediis potius, quam calidis diureticis frequenter, robore viscerum adhuc durante, fuisset usus, quin diutius malum istud lenire potuisset. *Secundum, quod quæritur, est de calculi renalis exectione,* *Resp. ad 2.* num eadem in vivente possibilis atque tuta videatur? Scio quid referat *Paræus* de quodam latrone ad mortem condemnato, quem aliquando vivum dissectum fuisse dicit, in gratiam Medicorum, ut calculi tormenta rimari possent, eumque sanitati vicissim restitutum, & libertate donatum addit. Verum cum hæc relatio non sine causa Rousseto videatur imperfecta, potius ad confirmandum τὸ ὅτι singularia exempla ex observationibus *Camerarii & Bauhini,* par *Schenckium* adducta, consideranda venient. Imò etiam ipsius *Rousseti* memoratæ observationes id ipsum confirmant, ubi merito pro limitatione responsionis notanda veniunt, quæ idemmet addit. Ego, ut ingenuè fatear, cum *Serapione, Avicennâ, Bachanello* & aliis sectionem hanc periculi plenam esse judico, quanquam eandem *Hippocrates lib. de affect. internis* innuere videatur; nisi manifestum sit, ipsammet naturam apostemate quodam facto, viam sibi quærere, quemadmodũ experientia confirmat, non rarò factum fuisse. Sic per scrotum superius prope *Observ. singularis.* virgam abscessu facto calculum extractum fuisse memini,

 cum

cum incisio fieret, ubi calculus prædictus, meatu urinario corroso, viam sibi quæsiverat, ægro nihilominus integrè restituto. *Tertio loco quæris, an in tali affectione diureticorum usum frequentem approbem*? Etsi vero non dubito, quin mens mea aperta tibi sit ex iis; quæ in problematibus meis Medicis proponuntur, nihilominus tamen tribus tantùmmodo verbis hic etiam me expedio; nimirum propriè dictorum diureticorum in tali casu frequenter exhibitorum noxam evidentem esse, cum verisimile sit, obstuctiones indè quotidiè, propter adductionem cruditatum, majores fieri posse. Imò cum illa propriè dicta diuretica, calida sicca, resolvendi maximam vim habeant, vereor profectò, ne prius quam ad vias urinarias perveniant, visceribus concoctionis in ejusmodi neutrali constitutione nocumentum imprimant, τινον eorundem resolvendo, quod memini factum *in Proprincipe Darmstadino, strenuo Ioh. Philippo à Bussegk, cognomento* Münch / qui postquam ab Empirico quodam per septimanas aliquot ʒj. pulveris diuretici ex sem. fœniculi, anisi, bac. hederæ & similibus in aquis diureticis usus esset, tantam concoctionum imbecillitatem acquirebat, ut postea cachexia superveniente brevi naturæ debitum solveret, qui tamen antea concoctiones ventriculi laudabiles habebat, quamvis per annos aliquot arthriticis doloribus frequenter obnoxius esset. *Tandem, quo ad calculi materiam atque generationem*, nosti quid sentiam, qua de causa nihil addo, donec videam nunc ab assertione mea sis alienus. Benè vale, & sæpius literis tuis amicitiam nostram refricare tenta. Raptim Giessæ Cattorum Calend. Septembr. 1612.

Resp. ad quæst. 3.

Vid. Problemata therapeutica.

* OBSERVATIO XLVI.

Generatio Calculi, de cornu cervino, de hæmorrhagia, de gutta gamandra, &c.

Clariss. & Excell.

DN. ANDREAS HILDEBRANDT, Phil. & Med. D. & Medicus Reipubl. Stetinensis meritissimus,

GREGOR. HORSTIO, D.

S Miraberis forsan, Vir Clariss. fautor & amice æternùm colende, quod te, gravioribus alioquin, & magè seriis districtum, negotiis, hisce meis interpellem: Importunitati quæso ignoscas. Partim enim humanitas illa tua, & benevolus in me adfectus, primaque conversatio Dresdæ inter nos, ante triennium in exequiis Electoralibus, acta, ubi tum temporis Illustrissimæ viduæ Stolpensis Pomeranicę Medicum agebam, (jam certis de causis Aulæ valedixi, & in Patria liberam praxin exerceo) partim etiam singulares isti tui, & nunquam satis laudandi labores, ad scribendum me, ceptamque inter nos familiaritatem ulterius per mutua literarum alloquia continuandam, impulére: Unicè siquidem delector dissertationum tuarum lectione. Optimè herclè abs te factum, Clariss. Dn. D. quod talia edideris, quæ non tantum Medicinæ studiosis maxumo emolumento, verum etiam doctissimis quibusque oblectamento esse possint. Imprimis placet correctior ista tuæ Historiæ mirabilis Marcelli Donati editio, quam tu pleniorem & integro insuper libro, rarissimarum, lectuque dignissimarum observationum refertissimo auctiorem reddidisti; Id certè (verè & sine blanditiis dico, οὐ κερκῶ σαίνων cum Aristophane) famam tibi, & posteris æternum feret fructum.

Vid. Marcell. Donat. Hist. Med. Mirab. Francofurt. editam.

Ego sanè ante biennium literas tibi deferendas studioso cuidam Medicinæ Borusso tradidi, qui Stolpam transiens ad vestram Academiam se iturum tum dicebat, verum cum responsi nihil acceperim, oblatas tibi eas haud crediderim; quibus quidem, præter quod conversationis inter nos initæ, & amicitiæ contractæ indices erant, dictumquæ studiosum tibi commendarent, de nonnullis, quæ in Problematibus tuis Medicis elegantissimis observâram, differendi tecum & amicè conferendi initium feceram; Ideoque cum incuriâ & negligentiâ istius boni viri eas periisse penitus mihi persuasum habeam, has jam ablegare volui. Tu quæso pro candore tuo, eo quo profluunt animo, candido nimirum & benevolo, excipias, & per occasionem (si prę nimiis occupationum impedimentis tantillum tibi otii supererit) respondeas: Quantum in me erit, faxo ut istud feliciter inter nos inchoatæ amicitiæ vinculum, adamantinum quasi, firmiter perduret, quod nulla vis, nulla fraus laxabit, aut solvet, donec

Lumine adempto animam moribundo corpore fundam.

In Centuria tua Problemat. Med. Decad. 8. quæst. prima, Efficientem calculi causam statuit Excell. T. peculiarem coagulandi vim ipsi materiæ inhærentem; Hinc ergò sequeretur certè omnes eos, qui eodem victu, unde ejusmodi limosa ac terrestris calculi materia progigni & procreari in renibus possit, utantur, æquè calculis & nephriticis doloribus infestari; Atqui hoc non fit: ideóque necessariò videtur requiri alia, quam ego *validum calorem renum esse puto*, cui ut plurimum copulari solet calida hepatis intemperies: vel cum *Fernelio potius lib. 6. Pathol. c. 12.* singularem renum διάθεσιν seu dispositionem, quæ in certis quibusdam subjectis materiam istam fæculentam, & tartareo succo imprægnatam, fortius coagulet, & lapillos efformet.

Quæstio de causa calculi efficiente.

Calor etiam internus renum, prout magis, vel minus est intensus, ita etiam colore & consistentiâ diversi prodeunt calculi: v. g. si materia fæculenta primum adustionis gradum acquisivit à calore renum, albidior adparet, minusque aspera & dura: si v. ulterius aduratur, durior quoque & lapidosa evadit. Alimentum idem est. Renum autem dispositio & calor diversus.

Decade 1. quæst. 4. optimè differis de vero ac legitimo usu cornu cervini, ejusque præparatione, ubi nimirum Excell. T. calcinatum crudo præstantius esse vult, melius ac perfectius in corpore operari; Contrarium tamen adserit *Martin. Rulandus in Tractatu suo, quem de Lue Vngar: scripsit c. 17. hist. 10.* qui nimirum rasuram in simplici aqua decoctam mirificè prædicat: imò, quod ipsemet etiam

Quæst. de cornu cervino.

etiam sæpissimè dixi, nimium ei tribuit, quamvis non negarim, me in pleuritide contagiosâ, quæ ante triennium maximopere in nostris locis sæviebat, felici cum successu decoctione istâ ex crudo cornu raspato multos curasse, quod etiam Gedani se fecisse *Excell. & Peritiss. Dn. D. Ioach. Olhafius*, Amplifs. istius Reip. Medicus ordinarius, ad me perscripsit. Interim quid de aqua per B.M. destillata, ex recens prognatis cornibus cervinis sanguine adhuc turgentibus, minutim concisis sentias, doctissimum mihi judicium tuum candidè & sincerè exponas, rogo. Ea in frequentissimo hîc est usu, in ardentibus & malignis febribus, inque æstu flagrantissimo, officinis vocatur Aq. ex Tiphis cervorum, vulgò **Hirschkolben Wasser**. Ego non tam refrigerare, quam malignitati resistere puto, ob Balsamicam ejus virtutem, quam tu ei singularem attribuis, quamvis nonnulli ex nostris Medicis refrigerii loco potissimùm exhibeant. Deniq; ut colophonem Epistolæ addam, singularem subjungam casum, qui *ad quæst. 6. Decad. 3.* accommodari poterit; ubi de Epithemate hepatico agitur, an illud in Hæmorrhagia narium conducat, nec ne: Is autem talis est: Anno 1618. quo primum ad aulam Stolpensem deveni, Nobilifs. Dn. Johan. à Miltitz, Capitanei filiolus, octo circiter annorum puer, Johan. Fridericus, frequentissimâ narium hæmorrhagiâ laborare cœpit, ita ut interdum unâ die bis, terve, copiosissimè sanguinem profunderet, modò è dextrâ, modò sinistrâ nare. Ego in consilium vocatus, partim renũ & hepatis calorem satis intensum animadvertens, partim etiam ex parentũ propagine malum oriri reputans, sedulus suasi, ut acriora omnia & calidiora, quò ad fieri posset, evitaret, vinoque abstineret, & succo ribium expresso atque congelato per intervalla uteretur; Humectantibus & leniter refrigerantibus Syrupis & aquis destillatis biliosam materiam attemperavi, eamque postmodum Syrupo rof. solut. ex multiplici infus. Item de Cich. cum Rhab. additâ infusione ex Rhabarb. Spicâ & Santalo citrino expurgavi. (Abhorrebat enim à multo & vario medicamentorum usu.) Præterea Terram sigillatam Silesiacam, Bolum Arm. præparatam, cum aq. Cichor. & Endiviæ, addito pauxillo aq. ex Tiph. Cor. cerv. Syrupum itidem Corallorum, Ribium, cum speciebus Diarrhod. & Diatr. Santal. aliaque hepati convenientia exhibui. Tandemque exteriora, Epithemata scilicet ad regionem hepatis, consilio quidem *Clariss. & celeberrimi Dn. D. Constantini Oesleri*, Illustrissimor. Pomeraniæ Ducum Archiatri, applicare jussi, ex aquis per Bal. destill. Endiv. Cichor. Nymph. Rosar. Acetos. cum flor: rosar. rub. Santalo atque Camphorâ. Quibus mediis, DEO trino adjuvante, id effectum, ut hæmorrhagia paulatim cessaret, nec adeò frequenter & copiosè recurreret.

Quæ sit facultas aquæ ex tiphis cervorum cornuum destillatæ.

Observ. de Epithemate hepatis in hæmorrhagia narium.

Sed vide, quid acciderit, sequenti post adhibitum Epith. die retulit mihi Aulæ magistra, puerum statim post Epithematis impositionem plurima acria & biliosa aliquoties dejecisse, ita, ut Diarrhæam verita fuerit, ideoque ab ulteriori ejus usu eam abstinuisse. Paulò post ipsamet præmissis universalibus ad contemperandum hepatis ardorem (calidissimâ siquidem ejus intemperie laborat) & choleræ acrimoniam retundendam, me inscio eodem usa fuit Epithemate hepatico, unde etiam pari ratione fluxus alvi subsecutus est, ita ut syrupum corallorum cum pulv. Terr. sigillatæ assumere coacta fuerit, unde postmodum melius habere cœpit. Ego ut insolitum id, ita individuale puto, causam tamen istius profluvii, salvo aliorum judicio, bilem istam acrem & turgentem, per refrigerantia exterius admota temperatam, atque ob additam camphoram, quæ attenuandi & penetrandi vim habet, commotam, expultricem facultatem stimulasse arbitror: vel quod ob frigiditatem concentratus quasi calor, & adauctus, excretionem causaverit: Ita enim T. Excell. *Decad. 5. quæst. 2. §. 3.* scribit, Frigida interdum exterius admota ex accidenti calefacere, quatenus scilicet calorem ad suum revocant principium, eundemque augent. Tu, si aliam hujus subsecuti profluvii agnoscis causam, quæso rescribas, & ut inposterum ulterior de aliis etiam conferendi occasio detur, respondeas, πάντα περὶ πάντων, unicè rogo. Hisce quàm felicissimè valeto cum totâ domo, meque tui amantissimum redama. Dabam ocyus tumultuario calamo, Proprid. Ascensionis Dominicæ, Anni M.DC.XIV. Stetini Pomeranorum.

Epithemata jecoris quomodo diarrhæam causare queant.

Viro Clarifs. & Excellentifs.

Dn. ANDREÆ HILDEBRANDT,
Philos. & Med. D. & Practico Reipub.
Stetinensis meritifs.

GREGOR. HORSTIVS, D.

SUt promissioni satisfaciam, Vir Clarissime & Excellentissime, fautor & amice plurimum honorande, plenius ad tuas respondeo, nihil videlicet ægrius mihi accidere, quàm quod cæpta nostra conversatio Dresdensis sat perbrevis fuerit, partim, quod propter adversam valetudinem, quâ tunc temporis afficiebar, rarius ad conversationem Clarissimorum Medicorum præsentium venirem, partim quod citius aliis, matris visitandæ causâ, Torgæ adhuc Dei gratiâ viventis, discederem. Quod ergo coràm fieri non potuit, absentes literarum crebritate compensare conabimur. Quæstionem de calculi generatione dignam omninò judico, in quam docti viri inrant. Assertionem nostram quod attinet, non nego pluribus eandem, autoritates veterum respiciendo, dubiam videri posse; satis tamen est, ut cum naturæ principiis maximè convenire videatur. Quod autem Excell. T. dubitationes attinet, ad eas breviter ex naturæ fundamentis hæc repono: Nimirum, non esse necessarium, ut omnes, in quibus limosa, terrestrisque materia calculi superabundat, mox etiam æquè calculis & nephriticis doloribus infestentur: Hoc enim facillimè per instantiam solvitur.

Quæstio de calculi generatione repetitur.

Data materia non statim datur effectum.

Ponamus enim, quod vulgò statuitur, generationem calculi crassitiei humorum, & caliditati renum tribuendam esse: At, quot numero reperiuntur, qui quotidiè lacte, caseo, & similibus, inprimis atro pane victitant, magnam-

Materiæ crassitiem & renum caliditatem non

esse causas sufficientes calculi.

magnamque renum caliditatem conjunctam habent, in quibus tamen de calculo nulla querela.

Quod autem renum calor concretionis causa sufficiens esse nequeat, partim ex problematibus nostris patet, quatenus tantus calor materiam exurens, & superfluam humiditatem absumens in corpore nostro fingi nequit; partim quod experientia testetur, non rarò renum frigiditatem cum calculo conjunctam, immunibus, contra iis, quibus renes calidissimi. Hoc fortè prævidit *Fernel.* dum generationem calculi deducit à calculosa renum constitutione, quam tamen non explicat. At qualis qualis sit hæc διάθεσις, dubium est, num eidem generato calculi possit adscribi? Si enim est vis quædam λιθοποιητικὴ fæculentum & tartareum succum fortius coagulans, & in lapillos efformans, necessariò sequitur, ipsam renum facultatem ad generationem calculi concurrere, quod concedi non potest, cum actiones perfectæ & læsæ easdem causas principales habeant in corpore nostro: quod enim secundum naturam est causa immediata perfectæ actionis, idem in statu præter naturam est causa immediata functionis læsæ. Jam verò satis ἄτοπον esset, in statu secundum naturam renibus generandorum calculorum vim quandam tribuere, quod hactenus à nemine factum, propterea quod renes omnibus id officii publici possideant, ut serosum excrementum à sanguine alliciant & secernant. Si tamen eò inclinat T. Excell. per istam renum dispositionem, non tàm formalem agendi vim, quàm materialem quandam compositionem intelligendam esse, facile consentio: plurimum enim ad calculi concretionem inservit meatuum laxitas, *Gal. 8. Epid. com.1. tex.6. l.14. meth. med. c.16.* imò & renum densitas, & vasorum angustia, diutius materiam calculosam retinens, non parum ad concretionem facit, accedente simul siccitate, & expultricis debilitate, quâ ratione calorem quoque tanquam causam adjuvantem non penitus excludimus. Inprimis autem calculosæ materiæ copia consideranda venit, quam producit alimentorum minus accurata digestio, vel quod objectum minus ritè proportionatum sit, vel quod singularis concoctionis imbecillitas ex præcedentibus morbis, vitæ genere, vel etiam hæreditaria dispositione concurrat. Hinc pueris vesicæ calculus frequens; non tantum ob laxitatem meatuum calculos à materiâ non difficulter eò translatâ, sed adjuvante quoque copiâ cruditatum, quam voracitate colligunt, de quo vid. *Gal. 6. Epid. com.3. tex. 15.* Subsequentibus ætatibus, deficiente laxitate, superfluisque humiditatibus consumptis, potius in renibus materia coagulatur, ibidem citius adherens, ob meatuum angustiam & siccitatem indies auctam.

An calculosa diathesis Fernelii sit causa sufficiens?

Quomodo renum compositio occasionem præbeat calculo?

Quomodo calor ad calculum faciat?

Cur pueri calculo obnoxii?

Quæstio de usu cornu cervini.

Quod secundo loco *de cornu cervino* subjicit T. Excell. non improbo; quamvis pulverem usti & præparati præferam rasuræ crudi, non tamen à ratione & experientia videtur alienum, decoctionem rasuræ crudi cornu cervini laborantibus iis præscribere, qui medicamentis putredini resistentibus, & à centro ad circumferentiam corporis, id quod malignum & naturæ inimicum est, expellentibus indigent.

Non verò absonum videtur per ejusmodi decoctionem salem istum volatilem, qui mox in principio destillationis cornu cervini, quando liquorem ejus oleagineum per retortam elicimus, exit, & sæpius retortæ collum penitus obstruit, ab aqua imbibi, ut hujus ratione talis decoctio, non tantum vim refrigerandi, sed etiam aperiendi & resolvendi possideat. Quod aquam ex recentibus destillatam, tecum consentio, potissimum eam ob causam, quod in aulis Magnatum ista aqua cum vino affuso eliciatur, quo felicior posteà successus in expellendo sudore subsequatur. Tandem, quod casum, quem de Epithematis epatici operatione colophonidis loco subjecisti literis tuis, attinet, non video, quid aliud statuere possim, quàm quod tuæ sententiæ subscribam, jecoris scilicet virtutem corroboratam, humores acres, ob imbecillitatem fortassis antea sanguini commistos, per consuetos ductuum χολοδόχων & intestinorum meatus separare voluisse: Mirabilis enim est natura τῦ μικροκόσμυ sæpius, ubi parum adjumenti solùm per remedia convenientia, in tempore exhibita, nanciscitur.

De Epithematis hepatis in hæmorrhagia.

Nec mirum in his & similibus hæmorrhagiis non rarò magnam sanguinis copiam profundi: Rarius enim iste sanguis purus, sed plerumque serosis, interdum etiam aliis humoribus peccantibus permistus est, de quo vid. *ter. centur. chirurg. observat. Guilhelmi Fabricii* amici mei optimi. Hoc ita breviter ad tuas respondere volui: omnia pro tuo candore boni consule, cum totâ familia ex voto vive, meque, quod facis, amare perge. Dabam Giessæ raptim 12. Septemb. 1614.

Vir Clariss. & Excellentiss. Dn.

D. ANDREAS HILDEBRANDT.

GREGOR. HORSTIO, D.

Salutem amiciss. cum omni officiorum genere. Utramque Epistolam tuam Clariss. Excell. Dn. D. fautor & amice perpetuum honorande, rectè accepi: priorem quidem quinto Augusti die, alteram ab Eichornio, Bibliopola Francofurtensi ad Oderam, nundinis hisce nostris, hyemalibus, 25. Novemb. Unde equidem benigniorem Excell. T. in me animum, & adfectum magis magisque augeri, & amoris nostri fruticem, quem amanter ego evocavi, indubitatæ benevolentiæ tuæ radiis ali, atque foveri video;

Idem quod Excell. T. accidit in conversatione Dresdensi, eam videlicet cum aliis Illustrissimorum præsentium Medicis breviorem tibi fuisse, & quasi abruptam, dum matris invisendæ gratiâ Torgam abieris, mihi quoque obtigisse scias. Illâ ipsâ namque die, quâ Freybergam Electorale funus deferebatur impetratâ ego veniâ à Ducissâ, Budissinum iter suscipiebam, ad avunculum meum *Dn. D. Ambrosium Hadamarum,* Syndicum, quem tamen, cum domi non offenderem, ulterius ad 8. milliaria insequebar. Cumque per octiduum integrum abessem, discesserunt interim omnes Personæ Illustres, quotquot exequiis

exequiis istis interfuerant; Ubi inter alia Excell. T. inprimis gratissimâ conversatione, eâque diuturniore privatum me graviter ferebam.

Cum verò eandem modò per Chartaceum hoc æquor continuari videam, unicè lætor, & mihi gratulor. Jam thema illud de calculi generatione quod attinet (quæso T. Excell. haud ægrè ferat, quod eandem crambem denuo recoctam obferam) video priorem adhuc defendi opinionem, fundamentis iis atque rationibus, quæ in problematibus doctissimis habentur suffultam; quod videlicet neque materia lenta, terrestris & viscosa calculo generando materiam præbeat, neque etiam calor renalis concretionis causa sufficiens esse possit; Cui quidem, ratione materiæ facillimè adstipulari vellem, nisi idem illud inde sequi videatur incommodum, quale Excell. T. alterius opinionis de fæculenta & crassâ materiâ consectarium esse scribit, omnes nimirum eos, qui cibis sale & muria conditis, fumoque induratis vescuntur (qui nostratibus communia sunt fercula atque deliciæ) calculosos fieri.

Quæstio de calculi generatione repetitur.

Materiam itaque calculi serum esse puto, lentum quidem, & fæculentem, salsedine tamen aliquali etiam impregnatum, ut & Doctiss. *Dn. D. Hartmannus in disputationibus suis, Disput.* 1. regiones renum & vesicæ mucilaginibus tartareis infertas scribit; Si enim nulla omninò prædita esset visciditate, non tam facilè adhæreret renibus, Efficientem verò, si calor penitus excludatur, non video aliam in Excell. T. literis, aut etiam in Problematibus statui, quam vim coagulandi ipsi materię inhęrentem, unde idem ille scrupulus remanet, qui in prioribus quoque meis dubitandi causam præbuit, quod videlicet necessariò sequatur, si materia unà efficientem quoq; calculi causam in se contineat, omnes eos, qui eodem victu, ubi idonea ejus materia, utantur, nephriticis passionibus tentari; Ideoque alia erit assignanda Efficiens causa in ipsis renibus, quæ non omnibus æquè communis sit, velut est materia assumpta, & ad calculum generandũ apta, ubi etiam Excell. T. in literis calorem non omninò rejicit, neque siccitatem renum, cum tamen in Problemati. *Dec.* 7. *quæst.* 1. *thes.* 4. dicatur, exsiccationem non esse extimescendam, propterea, quod renes & viæ urinariæ quotidiana scateant humiditate. In historia medica *Marcelli Donati lib.* 4. *cap.* 30. plurimis confirmatur, & à diversis quidem magni nominis Medicis, materiam lapidum in corpore nostro mucum seu humorem viscosum, lentum & crassum, efficientem verò calorem esse; Si itaque illi omnes in constitutione causæ aberrarunt, utique etiam illegitimus eorum curationis erit scopus, à morbifica causa desumptus, & per consequentiam, omnia ista veterum remedia in cura calculi, nullius fuerunt virtutis aut efficaciæ, neque etiamnum erunt, præsertim, quæ præservationis gratia, tàm ad materiæ lentæ & viscidæ generationem impediendam, quàm ad concoctionem & eductionem ejusdem promovendam præscripta sunt. Huic quæstioni subjicere placet historiam non absimilem iis, quæ in Marcello Donato eodem capite enumerantur, Quod videlicet in vicinia hîc tenuioris fortunæ homo quidam, postquam gravissimos in imo ventre dolores atque cruciatus perpessus, multaque ob id Medicorum consilia, quamvis frustrà, adhibuisset; lapidem magnitudine ovi gallinacei, glabrum & lævigatum, colore fusco, per anum (salvâ veniâ) vi magna rejecerit, qui quidem lapis, uti ex una ejus parte parum vulnerata adparet, quam plurimis constat pelliculis, arctissimè sese invicem complectentibus, ut lapidem Bezoardicum referre videatur.

Novæ dubitationes.

Observ. de calculo per anum rejecto.

Pro transmissa parte priore *conciliatoris enucleati* gratias ago grandes Excell. T. grandiores aliquando relaturus, ubi tempus & occasio sese obtulerint, non modio, sed horreo toto. Non minus etiam grata erit, reique publicæ literariæ, præsertim Medicæ, utilis pars altera, ut & *tractatus isti duo de sanitate literatorum tuenda, & de visu*, quando in publicum prodibunt, quorum delineationem synopticam in tabella depictam, antehac prioribus tuis literis adjunctam, accepi & perlegi. Ego sanè, si quos hic novero arti medicæ operam daturos, iis (Deum testor) vestras Athenas, & T. Excell. inprimis studium, quo veros Asclepiadas exerces, unicè commendabo. Quod de *corde Leporino in quartana c.* 6. *lib.* 7. (quem peculiariter observationibus Marcellinis adjecisti) scribis, ejus periculum feci in quibusdam, satis felici cum successu. Accidit præteritâ æstate, ut tres infantuli 5. 6. annorum ex incuria ancillæ, hypocaustum repurgantis, Arsenici pollinem, à parentibus ad glires enecandos forte coemptum, pro sacchara pulverisato comederint, quorum grandiores duo Dei præpotentis beneficio, dato pulvere nostro Saxonico (quem Meibani vocant) & aqua ista cordiali *Nobiliss. Dn. Herculis Saxon. Præceptoris mei in Acad. Patavina* venerandi, & æterna memoria dignissimi (cujus ego antehac etiam in variolis, febribus petechialibus, item in puerorum vermibus, successum expertus sum felicissimum) liberati sunt, & præsens mortis periculum evaserunt: Tertius, natu minimus quidem, Medicamentorum usum omnino respuebat, qui secundâ statim die extinctus est, quam historiam integram uberius explicatam in fasciculum mearum observationum retuli.

Experimentum in quartana.

Observ. de sumpto Arsenico.

Unum denique ab Ex. T. perlubenter scirem, quidnam videlicet de novo isto Gummi purgante Peruviano statuat, de quo judicium *D. Reudenii* nuper editum legi, & antehac summis laudibus decantavit illust. Saxon. viduæ Pharmacopœus, Wilibaldus Schawer / qui illud ad gr. 7. 8. 9. in jusculo se feliciter exhibuisse, interdum etiam gr. vj. cum ℈ß. pillular. permiscuisse referebat. Semel ego alicui 8. gr. in liquore convenienti dissoluta dedi, unde quater dejecit citra molestiam, & saporem ejus quasi terræ sigillatæ fuisse retulit. Recentis jam à Mercatore Hollando, qui ipsemet ex India se attulisse ajebat ℥j. emi floreno. Quæso itaq; an ullus ejus apud vos usus sit, rescribas. Hisce Excellent. T. in tutelam τοῦ μεγίστου, καὶ κρατίστου καὶ παναρίστου Θεοῦ commendo. Salutant te per officiosè, Rev. & Clariss. Viri, Dn. D. *Crugerius*, (cui hesterna die conjux filiolã enixa est) & Dn. *Fabricius*. Vale feliciss. Dab. ocyus ipsis Nonis Decembribus, 1614. Stetini Pomeranorum.

Quid statuendum de gutta gamandra.

Viro Clariss. & Excellentiss.

Dn. ANDREÆ HILDEBRANDT, Med. D.

GREGOR. HORSTIVS, D.

S. Literas tuas, Vir Clarissime & Excellentissime, fautor & amice plurimum colende, quas tu Nonis Decembribus præcedentis anni dederas, hac æstate primum circa Maij finem accepi. Grata mihi est continuatio amicitiæ nostræ, quæ cùm coràm fieri nequeat, meritò crebritate literarum absolvitur.

Resp. ad instantias priores

Quod attinet instantiam duplicem, quam infert T. Excellent. de generatione calculi eam non difficulter ex hypothesibus antea positis refelli posse statuo.

Ad 1.

Quamvis enim illi, qui frequenter cibis sale, muriaque conditis fumove induratis vescuntur, quod T. Excell. infert; cum præsente materia non statim ponatur effectus, nisi reliquæ causæ quoque concurrant, & simul omnia impedimenta removeantur, quod fit in illatione nostra.

Ad 2.

Deinde ponamus causam coagulationis proximam in materia contineri; Non tamen propterea sequitur, data materia, dari statim affectum: Quia efficiens non efficit, nisi conditiones necessariò requisitæ concurrant.

Ad 3.

Coronidis loco quod additur de curatione veterum, nos minimè tangit: Notum enim est, in generatione æquivoca (quo pertinet omnis mutatio, quæ fit in humano corpore) unum, eundemque effectum à causis diversis dependere posse. Ita viscida, mucosaque pituitosa materia pravam concoctionis agnoscit causam, à qua consentientibus omnibus dependet debilitata secretrix, quæ crudam tartaream calculi materiam in massa sanguinea relinquit, quod alias in perfectè sanis facilimè per consuetas vias cum sero expurgatur. Patet ergo cur medicamenta contra calculum à veteribus excogitata, eorumque curandi methodus non penitus rejicienda sit, de quo pluribus vide Florilegium de calculo conscriptum, à Medico Halensi, Dn. D. *Vnzero*, amico nostro, recens impressum.

Cæterùm observationes, quas addis, gratæ mihi fuerunt.

Judicium de Gutta gemu.

Quod attinet recens istud purgans, Gutta Gemu dictum, illud hactenus etiam nostris regionibus fuit in usu. Sed postquam observavimus, in quamplurimis diversa, & sæpius periculosa (non alia quadam manifesta causa concurrente) symptomata fuisse subsecuta, ab usu ejus abstinendum esse putavimus, ne per aliorum dolores experimenta faceremus. Sed inter turbas nundinarum filum abrumpo, maximoperè petens, ut calamo properanti ignoscere velis. Benè vale cum tuis, inprimis etiam cum meis, quos amicos habeo, Dom. Doctoribus *Crügerio & Fabro*.

Iterum ἐπὶ μάκιστον Vale, & me amare perge.

Dabantur Francofurti raptim in Nundinis 17. Sept. Anno 1615.

GREGOR. HORSTIO, D.

Vir Clariss. & Excell.

Dn. ANDREAS HILDEBRANDT, Med. D.

SALUTEM. Tuas, Clarissime, Excellentiss. Dn. Doctor Gregori, fautor & amice æternùm colende, cum adjunctis disputationibus Medicis rectiss. accepi ab affine meo, Reverend. & Clariss. Dn. D. Cramero, qui reciprocam, eamque amicissimam tibi salutem remittit, unde affectum in me tuum, & amoris constantiam satis superq; deprehendo, ita ut speciosa isthac excusatione haud quaquam opus fuisset; cognita mihi namque negotiorum & occupationum tuarum moles, quin & animus jam pridem mihi notus: Nec est quod tantas, tamque prolixas agas gratias pro exiguo isthoc munusculo, libelli de peste tibi inscripti, quum longè majoribus devinctum me tibi agnosco, utpote qui eruditissimis tuis scriptis aliquoties me beasti, quæ unicè mihi placuerunt, ut non minus verè, & absque ullo fuco de te dici possit, quod olim de *Iosepho Scaligero, Lipsius*, Felicem Germaniam, hoc sole, cujus claritas non solum ad eos, qui nunc sunt, sed ad posteros quoque diffundetur, quam diu quidem in terris erit nomen literarum. Interim quod benigni creditores facere solent, voluntate meâ sustentaberis. Præter alia ex literis tuis, comædiolam Calend. Decemb. Anni 1615. per Joan. Eichornium Bibliopolam Francofurtensem transmissam, nunquam tibi oblatam, atque ita plures meas intercidisse video: (quo fato, aut qua fortunæ inclementia id fiat, pol nescio!) eas præsertim quas 29. August. ejusdem, & sexto Februarii subsequentis anni, decimo octavo itidem Januarii Anni 1618. ad te perscripsi, quod sane ægrius fero, cum de nonnullis doctissimum tuum expetierim judicium.

Plura jam propter occupationes alias non addo, nisi quod te, tuosque omnes Divinæ protectioni commendo, Comædiolamq; meam denuò in locum deperditæ transmitto, obmissè rogans, benevolo animo eam excipias, & me amare pergas, quod jam dudum facis, non quidem meo merito, tuo autem affectu generoso ac laudabili, omnibus officiorum generibus demerendo. Dabam Stetini-Pomer. XII. Maij. Anno 1620.

POST SCRIPTUM.

Ejusdem ad Eundem.

QUoniam priores meæ aliquot intercidêre, nonnullâ ex iisdem repetere placet. Primo quidem, cum in eruditissimo tuo *tractatu de Cruentatione Cadaverum* scribas, fallax signum ab ea desumi, & quidem Autoritate Clariss. aliquot Medicorum, *Valeriolæ* inprimis & *Galeoti Martii*, qui asserit, sanguinem fluere præsente homicidâ, verum intra spacium 10. vel 12. horarum ut plurimum illud contingere; rarissimè ulterius sese extendere. Jam tibi casum admiratione certè dignissimum referam. Accidit, cum Stolpis adhuc essem apud Illustris. viduam,

Observatio singularis de Cruentatione cadaveris. viduam, ut in vicino pago Schmolsin, præfecti ejus loci expatiatum euntis canis aquaticus, forte fortunâ infantem terrâ reconditum, & jam semiputridum erueret, quem, cum præfectus in pagum reportari curasset, puellas, viduas, reliquasque omnes extra matrimonium viventes convocari jussit, & singulas infantem ulnis gestare ac sequentia verba eloqui (**so fern ich an diesem Kind schuldig bin so thue GOTT ein Zeichen an mir**/) Inde cum ad agnatam proximam reæ ordo pervenit, pauxillum sanguinis è naribus, & quidem lente, effluxit: ubi verò in manus propriæ matris traditus est, (quæ virginali adhuc incedebat habitu, &, ut postmodum per torturam confessa est, Dantisci à primario quodam Mercatore impraegnata) copiosissimum ac rubicundissimum stillare cepit sanguinem; multis instar miraculi id spectantibus, cum ante octiduum jam terræ commissus, nec ut ipsamet fassa, vitalis unquam fuerat, quod tamen vix verum (ferum satis) putaverim. Mater, cum nihil aliud ab eâ per carnificem extorqueri potuit, quàm quod fœtum mortuum noctu clam terræ mandaverit, ne vel ita famæ jacturam pateretur, non capitis supplicio affecta, sed tantum proscripta fuit. Deinde gratissimum mihi fuit candidum tuum judicium de Gummi isto Peruviano; *Dn. D. Backmeisterus* Rostochio idem ad me perscripsit, corpus videlicet vehementer id perturbare, vomitumque simul & alvum movere, non citra tædium & nauseam adsumentis, ideoque usum ejus penitus apud illos defecisse, nisi quod robustioribus interdum exhibeatur, qui alia reformidant.

De Gummi Peruviano et. Dn. D. Backmeisteri judicium.

Miror sanè: iis enim quibus hactenus illud à gr. 10. ad 12. dedi, nunquam tale quid contigit, sed lentissimè ac lenissimè citra ullam perturbationem purgati fuerunt. Literas accepi nuper à Pharmacopœo quodam Amsterodamo Petro Garneto, qui mirificas ejus, & penè divinas virtutes atque affectus præsertim in hydrope Anasarcâ satis deprædicare nequit. Iterum vale.

Viro Clariss. & Excellentiss.

Dn. ANDREÆ HILDEBRANDT, Med. D. &c.

GREGORIUS HORSTIUS, D.

Εὐπράττειν. Ab acidis Hassiacis Macro Sualbacensibus σὺν θεῷ feliciter hâc septimanâ domum rediens, responsorias tuas sub dato 12. Maij, unà cum elegantissimâ Comædiolâ accepi, pro quâ maximas ago gratias, eoque allaboraturus sum, ut cum honorificâ tui memoriâ aliquando à studiosis nostris in publicum theatrum producatur.

Cætera, quæ pro amoris erga me tui affectu subjicis, non repeto, qui nihil quicquam aliis præferendum in me deprehendo. Quod addis in postscripto *de cruentatione cadaveris* historiam, eo ipso nihil aliud probare videris, quàm quod in assertionibus nostri libelli demonstratur, posse scilicet aliquando sanguinem floridum in venis latitare, præsertim subitaneæ putredinis causis absentibus, qui nihilominus pôst ebulliens, vi caloris putredinalis fluxu quodam sese exerat, externâ commotione accedente, cujus rei exemplum non ita pridem hîc etiam in viciniâ habuimus, in infante per matrem ancillam occiso, atque in fossam, acri nobilis cujusdam vicinam, per locum secretum hyemali tempore projecto, qui per prætorem loci tandem post septimanas duas observatus, & exemptus, recenti sanguine stillare cepit copiosissimè, non quod mater præsens fuerit (quæ incognita adhuc alibi, morbum simulans, decumbebat) sed potius quod ambientis caliditate pori cutis aperirentur, & sanguis interius turgens à centro ad circumferentiam moveretur.

Resolutio ad quæst. de cruentatione cadaveris.

Observ. singularis cruentationis.

Nec omninò impossibile judico, quod in tuâ historiâ mater infantis demortui reperti eundem nunquam vitalem fuisse dixerit: quid enim obstat, quò minus etiam infans partu difficili suffocatus, aliâs tamē perfectus, sanguinis stillicidium pati possit, si aliquandiu reponatur, donec per incipientem putredinem ebullitio sanguinis oriatur?

Quoad exoticum istud purgans nihil aliud hactenus observare licuit, nisi quod assertio mea nuper etiam à Medicis Heidelbergensibus, qui Sualbaci ad acidulas amicè mecum conversabantur, confirmata fuerit. Commendabant illi radicem Mechoacannæ nigræ, quâ nondum usus sum, miror num apud vos etiam habeatur?

Judicium Heidelbergensium de Gutta gemu.

Cæterùm quod attinet statum publicum Comitiorum Francofurtensium, quò ad electionem Regis Romani, felicem eventum votis ardentibus quotidiè precamur: Plura non licet addere, sed Deo opt. Max. Ecclesiam & rempubl. commendans, te cum familiâ totâ ditutis. felicissi. valere jubeo. Raptim Gissæ 20. Julij, 1612.

GREG. HORSTIO D.

Clariss. & Excellentiss.

ANDREAS HILDEBR. Med. D.

SALUTEM cum omni obsequio Clariss. Excellentissime Dn. D. Gregori, amice nullis seculis obliterande.

Et ego à nobili quodam Marchico domum rediens, literas tuas accepi desideratissimas, quibus non modò valetudinem integram adhuc [quam supremus Archiatros vegetam & validam in multos annos largiri tibi velit, quò reipubl. nostræ literariæ Medicæ quam diutissimè maximo cum fœnore præesse possis, ardentibus votis precor]: sed & amoris constantiam, & affectus pariter in timi singularem ἀκρίβειαν magna cum voluptate deprehendi: tu reciproca amoris & candoris officia à me expectabis, dum Spiritus hos reget artus.

Casum quod attinet nuper à me propositum, de Puero stillante sanguinem, omnimodè rationibus, & in eruditissimo tuo tractatu de cruentatione cadaverum, & his ipsis literis à te prolatis adstipulor, hoc tantum miratus sum, quod licet à loco sepulturæ mediâ æstate ad aliū transportatus, & quidem à plurimis mulierculis contrectatus fuerit, sanguine tamen adeo copioso non stillaverit, nisi tertio demùm post effossionem die, ubi videlicet in propriæ matris manus pervenit, unde certè hoc sympatheiæ potius, vel

vel antipatheiæ peculiari, aut arcano Dei judicio, qui atrox istud scelus diutius inultum esse noluit, abscribendum arbitror. Alterum, quod de nigra Radice Mechoacannæ subjungis, ea neque apud nos in usu est: ante semestre Pharmacopæus quidam in officinâ parentis mei miris encomiis eam celebravit, videre tamen mihi nondum contigit. Plura non addo, nisi quod gratias agam, quod curaturum te scribis, ut comædiola ista pastoralis à Studiosis vestris in publicum theatrum aliquando producatur. Hisce cum conjuge mellitissimâ, liberis, totâque familiâ felicissimè vale, & me amare perge, qui te æternùm. Dabam è Stetino Pomeranorum veteri, ipsis KL. Septembribus Anno, quem JUDICIUM Jehovæ exprimit.

Viro Clariss. & Excellentiss.

ANDREÆ HILDEBRANDT.

Med. D. &c.

GREGOR HORSTIVS, D.

SLITERAS tuas ipsis KL. Septembribus datas, & aliquandiu latitantes in Aula Illustriss. Labacensi propter absentiam meam diuturniorem, Vir Clariss. & Excellentiss. fautor & amice plur. colende, tandem domũ rediens ex itinere Wirtembergico rectè me accepisse scias, ad quas ut breviter respondeã, primo mihi gratulor de reciproca tuâ affectione erga me, quam magnifacio.

Distinguo inter illa, quæ fiunt arcano Dei consilio, & quæ naturaliter.

Quoad casum Cruentationis cadaveris, non nego sæpius arcano DEI consilio præter naturam quædam accidere posse, quod aliorum exempla vera testantur: Interim eo ipso non tollitur assertio illorum, qui naturaliter quid fieri possit, ex ipsâ naturâ deducunt. Inter recentiores Anno Superiori librum observationum Medicarum, de morbis ex seroso diluvio provenientibus, edidit Carolus Piso, Profess. in Ponte Musso.

Mirum? quantâ dexteritate multos morbos ex sero deducat, experientiâ profectò non reclamante. In hystericis affectibus, quæso! legas eundem: ut enim in aliis plerisque abundè mihi satisfacit; sic in his vel mentem ipsius non assequor, vel à principiis veritatis mihi discedere videtur, dignus aliâs lectione eruditorum. Hisce benè vale & me amare perge. Dabantur in nundinis Francofurt. Vernalibus, 8. April. 1620.

IDEM EIDEM.

SQUÆ in Illustriss. Genealogiâ Würtenbergicâ desideras, Vir Clariss. & Excellentiss. fautor & amice plur. colende, prout ab Aulico Medico Stutgardiano, Viro Clarissimo & Experientissimo *Dn. Ioh. Plachetio*, Med. Doctore solertissimo, fautore & amico meo colendo, mihi communicata fuerunt, transmitto. Cæterùm memoriæ succurrit, quod aliquoties à te, quo ad operationem guttæ gamandræ, per literas quæsitum fuit.

Plenior relatio de usu guttæ gamandræ.

Illius usum hic frequentiorem, quam in Hassia esse video, ubi correctivum ejus modis diversis addi solet. In postrema *Mindereri* p. m. editione Aloedarii, mihi pag. 50. sic additur: gummi hujus q. v. dissolve probè spiritu vitrioli in vase vitreato, postea per Alembicum spiritus omnis extrahatur: gummi in vase residens exiccetur, cavendo tamen ne nigrescat, sed colorem suum nativum reservet luteum si dulcius reddi volueris, aquâ pluviali semel atque iterum abluatur, donec acorem amittat.

Additur ibidem esse succum undecimum *Caroli Clusii lib. 4. Exoticor. cap.* 8. quem incolæ Ghittajemon appellent, eoque à 15. usque ad 20. gr. ad educendos humores aqueos utantur. Manifestum hinc, ea propter spiritum vitrioli pro correctivo concurrere, quo vis vomitiva, quam habet, cujus ratione vehementiores perturbationes subsequuntur, sistatur.

Hoc fine nostris in officinis Diacydonium lucidum laxativum, cum extracto Scammonii, & gutta gamandra conficitur, quod minimâ dosi ad aquas educendas in hydropicis dari solet. Sunt qui maximè commendant sequentem præparationem, ubi guttæ gamandræ gr. vij. & Troch. Alhandal. gr. iiij. additis olei anisi gutt. ij. cum sacch. in aq. cinam. soluto fit confectio in Rotulis vel Morsulis, pro dosi communi, qua ratione non tantùm vis purgans versus inferiora dirigitur, sed simul etiam ventriculus corroboratur. Sed hæc obiter.

Confectio purgans ex gutta gemu.

Tu bene vale cum tuis. Dabantur Ulmæ Nonis Februarii Anno M.DC.XXIV.

OBSERVATIO XLVII.

Calculi in diversis corporis partibus inventi.

Nobilis, Magnificus & Clariss. Vir

DN. JOHAN. FABER, D. Comes Pal. Cæsar. Sereniss. Elect. Bavarici Consiliarius & Medicus, Statuum Inferior. Bav. Physicus Landishutanus.

GREGOR. HORSTIO, D.

SAlutem & officia paratissima, &c. Generosus Vir, Dn. à Franckingen L. B. cujus in proximis literis mentionem fecisti, obiit calculo vesicæ maximo, ponderante decem Unicas, civilis ponderis, cujus anima requiescat in pace. Cæterùm transscribo duas historias memorabiles, unamque de puella tredecim circiter annorum [ad quam curandam antè mensem vocabar,] Nobilissimi Viri Domini à Gayßhorn / in Reispach Præsidis, in qua omnia signa morbi virginei, unâ cum ventriculi gravitate, apparebant, cui cùm in principio curæ minorativũ, ut dicitur, exhiberem, elapsâ unâ horâ, à medicamento assumpto, in præsentia mea, cum stupore omnium, evomuit fila, cum pituita viscida immixta, in quantitate magna, quorum in adjecta charta, particulam accipies, de qua re, cùm puellam examinarem, an forsan per os ingessisset, negavit, nec sibi in mentem unquam venisse affirmabat. Quare de hac re lubens tuum judicium intelligerem. Ego, licet sciam, simile quid in humano corpore gigni posse (si autoribus fides habenda:) verum hæc fila tam artificiosè partim ducta, in ventriculo genita non credo, nec patiens in tam

Calculus vesicæ ponderè ℥x.

Observatio de filis ventricum per vomitum rejectis.

tàm magna quantitate deglutire potuisset, ergò dolo & astu veneficorum ingesta esse planè mihi persuadeo: ab illo tempore optimè valet, nec amplius medicamentum sumpsit. *Altera est*: Vir quidam nobilis, annorum 40. cum ab annis octo gravitatem aliquam in interno corpore circa umbilicum sentiret, & remedia multa, variaque à variis adhiberet, malum tamen crescere potius, quàm minui, doloremque gravativum majorem indies magis, magisq; in ambulando, (sedendo & cubando non item:) ac si pondus aliquod in ventre gestaret, sensit, frustrà adhibitis omnibus mediis; tandem me ad videndum & curandum decem milliaribus Landishuto, die 12. Februarii, hujus anni currentis, vocavit: bonum virum examinavi, inveni colore, appetitu, reliquisque actionibus naturalibus sanum, nec ab eo tempore, quo hanc gravitatem sentire cœpit, morbum sustentavit ullum, nisi quod aliqua per intervalla cholera laboraret, non sine levamine; & in vehementiori exercitio respirationis aliquam, non tamen magnam, difficultatem sentiret: tetigi hypochondrium utrumque, ventremque circum circa, tumorem deprehendere potui nullum, quare statim occurrebat mihi casus similis infra dicendus: prædixi materiam aliquam tartaream, concretamve, vel etiam calculos in intestinis hærere & accrevisse. Pro evacuanda itaque prima corporis regione præscripsi ad octiduum continuandum vinum aliquod medicatum: Secundò ad materiam resolvendam, *Cremorem tartari, cum Cremore Crystalli*, in similibus casibus usitato, cum sale tartari singulari modo præparato, addito pauco sale absinthii; ordinavi per quatuordecim dies, ita tamen, ut quinto quoque die, *Balsamo meo Hellebori nigri*, ad materiam resolutam expurgandam, uteretur; & ecce cum secunda vice dictum Balsamum sumeret manè, de die movit sedem nullam (quod tamen in eo observavi sæpius, quod aliquando altero die primùm operationem perficeret: medicamentum enim lenissimum est, quod pueris & senibus innoxiè adhibetur:) nocte verò intempestâ, derepente sonitus in ventre exauditur magnus, cum clamore & lamentatione patientis, ruptam in sese vesicam esse; insequitur statim magna vi sedes copiosa, & vix dum se attolleret, altera, & sic tertia præcedente semper clangore eodem, priori non absimili, absque tamen singulari dolore, & ab ultima sede liberatus est à malo suo gravativo diuturno, & adhuc in hodiernum optimè valet: excrementa verò cùm inspicerentur, reperti sunt 233. calculi, unus nucis juglandis, reliqui fabæ, pisi majoris, minorisvè magnitudine: à specie externa silices planè diceres, ex concreta pituita & bile mixtâ, durissimi, penè instar lapidum vesicæ, non tamen friabiles, sed compacti, interius è nigro spadicei ferè coloris, paulatim exterius ad flavedinem tendentes. Similem casum habui ante annos 14. cum Ingolstadii adhuc medicum agerem, in uxore molitoris cujusdam, Schneemüller dicti, quam iisdem penè symptomatibus longo tempore vexatam, curavi similibus ferè medicamentis, ad centum & quinquagenta, & ultrà, lapides excrevit, & ab illo tempore sanitate fruitur optimâ. Hos calculos in intestinis locum habuisse non dubito, miror tamen tantam copiam latere absque majori dolore, excrementorum impedimento tamdiu potuisse, cum flatus soli nonnunquam acerbissimos excitent dolores, quid tibi videtur? &c. Datæ Landishuti die 5. Julii, Anno 1626.

Calculi 233. per alvum rejecti.

Calculi 150. ex alvo rejecti.

Ad prædictas Observationes.

RESPONSIO

GREGORII HORSTII D.

S. Serius ad tuas respondeo, Vir Magnifice, Nobiliss. & Clariss. fautor & amice plur. colende, &c. Generosum Dn. L. B. à Fränckingen vesicæ calculo laborare satis indicabant signa, cum annis superioribus nobiscum ad Acidulas Ulmensium esset. Miror autem tantam magnitudinem. Lithotomus noster in hac arte peritissimus, Johan. Jacobus Merckius, sub initium hujus anni perfectionem à textore quodam calculum ℥viij. artificiosè extraxit, adhuc superstite laborante, qui vicinus meus tunc temporis erat, feliciterque restituto, cujus calculi figuram exterius & interius, totaliter & partialiter hîc addo.

Calculus vesicæ ℥viij. perfectionem feliciter extractus.

Singulares observationes additas lubenter legi: primam quod attinet omninò T. M. subscribo, non absque Dæmonis astu accidisse, quod accidit, quemadmodum colligis ex iis, quæ inter me & Wormatiensem Medicum, *Dn. Doct. Schlanhovium p. m.* per literas fuêre tractata, in *additionibus Observ. mearum. Epist. Med. Sect. 7. lib. 1.* Altera observatio non caret admiratione; quanquam enim *Gilbertus Anglicus*, *Brassavola*, *Fernelius*, *Mercurialis*, *Columbus*, *Ioh. Matthæus & alii*, calculos etiam in Intestinis genitos observarint, tantâ tamen copiâ, quam utraque tua testatur annotatio, neutiquam ab ullo hactenus fuit observata. De lapidibus equorum per alvum dejectis vide pulchrum discursum *Libavianum in Cista Medica, pag. 182. Norimbergæ impressum.* Cremoris Crystalli mentionem hic facit Excell. Tua, num alcool. istud Crystalli, seu pulverem Crystalli intelligat, scire gestio, qui fit igniendo Crystallum in Crucibulo, atque in aquam frigidam projiciendo, quo processu ter, quaterque repetito Crystallus in pulverem abit, quam præparationem aliis *Poterius* præfert? gratissimus erit præparandi modus genuinus, ut etiam illius Salis Tartari, cum quo commiscetur. Imò Balsami quoque tui Helleborini si me participem feceris, reciprocâ promptitudine, si modò quidquam à me expectare poteris, gratus ero, &c. Ulmæ 12/22. Augusti 1616.

Calculi equorum per alvum rejecti.

Clariss. & Excellentiss. Vir

DN. JOHANNES BILGERUS, D. Reipubl. Campodunensis Physicus,

GREGORIO HORSTIO D.

S. Opinione mea tardius, Vir Clariss. & Experientissime, affinis plurimùm honorande, ad te scribo, &c. Præcedentibus historiam subnecto. Vir quidam 40. aut circiter annorum natus, corpore robustus, in oppido quodam,

quodam, Immenstadium dicto, (quo in loco Generosiss. Barones à Königseck / Dn. mei Clementissimi sedem suam habent:) habitans, ingenti siti ad aliquod tempus ita pressus fuit, adeò ut singulis fermè diebus (penè omnem superat fidem, quemadmodum à fide dignis recensere sæpius audivi) 12. mensuras aquæ, & quidem sine omni noxâ, evacuaret. Prædictus hic vir, cùm ante duos menses die quodam pondus grave in corpore, huc atque illuc, globi instar grandis, movere sese sentiret, ratus excrementa forsan dura esse, quibus exitus non pateret, protinus ad latrinam perrexit, in qua cum sederet, & globum ad intestinum rectum descendere amimadverteret, quem cum præ magnitudine excernere non posset, ut sibi suppetias quispiam ferret, grandi clamore totam replevit domum, dicendo sibi globum quendam in ani orificio hærere, cui exitus esset denegatus. Accitus igitur statim lithotomus, & explorante digito in anum immisso, calculum, magnitudine pomi majoris prægrandem esse cognovit, qui haud cunctanter arrepto suo instrumento, quo in vesicæ calculis eximendis utuntur, calculum prædictæ magnitudinis, cui quasi cacodæmonis facies erat insculpta, maximo cum ægri cruciatu, exemit, quem meis oculis præsente generosiss. Barone à Königseck / vidi, & manibus meis contrectavi. Sequenti die, cum ægrotus immanes vicissim in secessu sentiret dolores, parturientis instar, accito denuo lithotomo, alter calculus eximitur. Prædicti calculi magni quidem erant, at pondere admodum leves, & fusci coloris, quos Lithotomus in memoriam hujus operationis sibi etiamnum domi reservat. Jamne videar tibi molestus, filum abrumpo. Vale Vir Excellentiss. mihique summopere observande, meque ob multa tibi beneficia devinctissimum in posterum redames obnixè rogo. Dabam Campoduni. 7. Decembr. anno 1626.

Ad prædictum

Clariss. & Excell.

DN. JOHANN. BIGERUM D. Reipubl. Campodunensis Physicum Ordinar.

RESPONSIO,

GREGORII HORSTII, D.

S. Notatu dignus est Casus iste tuus relatus, Vir Clarissimè, affinis honorande, cum rarius accidat, ut calculus in intestinis coaguletur. Nisi magnitudo nobis obstaret, calculos istos in vesicula fellea genitos fuisse statuerem: recordor n. Helmæstadii quondam, ubi Medico studio operam dabam, patruum meum p.m. Dn. D. Jacobum Horstium, Medicum celeberrimum, aliquoties ejusdem coloris & levitatis calculos plures, instar fabarum, cum excrementis rejecisse, quos mihi sæpius monstrabat, & à vesica fellea sibi descendere statuebat. Singularis est observatio Clariss. D.D. *Iohannis Fabri*, Medici Bavarici Landishutani, nuper ad me perscripta, quâ colicam gravissimam & diuturnam 233. Mediocris magnitudinis solidissimorum calculorum excretione per alvum, finitam ac sopitam fuisse testatur, ut patet ex ipsius Epistola, cui & alia similis observatio annectitur. Huic historiæ, per literas communicatæ, subjicit Clariss. Medicus *Bernhardus Stieberus*, Rotemburgi ad Tuberim ordinarius, quod in Nobilissimo sene Sexagenario, doloribus intestinorum annuis exquisitis tandem jugulato, post mortem globulos, ovum gallinaceum æquantes, quam plurimos colo affixos, distinctos & planè inspissatos, per anatomiam invenerit, in calculos, proculdubio, si diutius vixisset, abituros, quod ex ipsius Epistolis cum aliis suo tempore videbis. Hinc ergò verum esse didici, quod *Hollerius lib. 1. cap. 48.* de internis morbis in scholio dicit, nimirum referente *Musa*, mulierem ex ano quinque lapides reddidisse, quod ipsi verisimile, quia pituita sæpe lentissima intestino adhæret, quæ dum satis non detergitur, concrescere possit. Bene Vale. Raptim Ulmæ 15. Decemb. 1626.

Calculi vesicæ felleæ per alvum excreti. Vide Epist. 3. hujus sectionis.

Nobiliss. Clariss. & Excell.

DN. BERNHARDUS STIEBERUS, D. Archiater Brandeburgicus, & Reipubl. Rotemburgensis Physicus Primarius.

GREGOR. HORSTIO D.

S. Languidi certè solatii est, Vir Clariss. & Excellentiss. pro Matronâ honestissimâ, doloris gravativi circa regionem hepatis etiamnum hodiè, post usurpata competentia medicamenta, durantis, & in tumorem notabilem abeuntis, causam in calculos vesicæ felleæ occultos convertere, propterea quod simile quid non ita pridem in L. Barone quodam, de consimili dolore in vitâ conquerente, post mortem fuerit inventum. Enim vero diu jam est, cum Nobilissimum virum *Dn. Valentinum de Hées*, ordinis S. Johannis Equitem, Commendatarium Roteburgensem ac Herbipolensem &c. per integrum penè annum atrophiâ laborantem, tandemq; lenta tabe extinctũ, unà cum Clarissimo Viro, *Dn. D. Ieremia Sengio*, p.m. collega meo honorando, secarem. In hujus vesica fellea lapilli plus quam ducenti ferè, partim quadranguli, partim cineritii, partim subflavi, & auro quasi micantes, quos prædicti Dn. D. Sengii vidua adhuc penes se habet, reperti sunt, jecorisque substantia plane exesa; de dolore vero gravativo dextri lateris nihil unquam conquestus est. Utrum vero dolor talis lapillorum istorum pathognomicum signum censeri debeat, & an calculi isti arte humana comminui & educi possint, ex te, viro eruditissimo, audire summopere cupio. Colicam verò diuturnam & exquisitam, Calculorum 233. per alvum excretione finiri sopirique per rarum est, & miraculo penè apponendum. Ante multos annos Nobiliss. viri, *Dn. Ioh. Conradi de* Wonershausen / in Amlishagen, Burleswag, & Neidenfels, &c. optimus parens, *Wernerus*, Sexagenarius, exquisitis cruciatibus intestinorum, omnia interna & externa præsidia eludentibus, miserè per integrum annum conflictatur, tandemq; dolorum atrocitate jugulatus est. Hujus demortui intestina exempta; cum diligentius scrutarer globulos,

Lapides in vesica fellea cum jecoris substantiâ exesâ.

Globuli tartarei in intestinis diu latitantes.

bulos, ovum gallinaceum adæquantes, colo affixos purimos & distinctos, planè inspissatos, sed nondum in calculum versos deprehendi, in calculos veros, procul dubio, si vita longius protracta esset, abituros. Ita rari quidem calculi in intestinis sunt, at rariores longè, qui in ipsa cavitate cordis solidissimi reperiuntur, qualem ego aliquando in sectione Nobilissimæ fœminæ *N. Rüdin de* **Collenberg**/ ex antiquissima Rosenbergiorum familia oriundæ conspexi: pondus, cum à Bibliotheca mea absim, adscribere non possum Curavi autem tunc temporis exactè eum depingi, & historiæ Calculorum Kentmanni adjici: totam cordis cavitatem adimplebat, corpore incurvo, colore cineritio, in cujus apice duo veluti rostra prominebant. Hisce Vale, Vir Clariss. & excellentiss. amice honorande, meque amore incepto prosequi perge. Scripsi ex arce Oetingensi Horburg. 18. Octob. 1626.

Calculus insignis in cavitate cordis. Vide Holler. lib. 1. de inter. mor. cap. 29 in scholio, & cap. 50. ibidem, ubi cordis quoque calculi reperti. Item Th. Erastum in Consil. Scholzij, num. 103.

Nobili, Clariss. & Excell. Viro

DN. BERNHARDO STIEBERO, D. &c.

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. Quod affectum chronicum honestæ Matronæ concernit, quanquam, Vir Clariss. & Excell. locus affectus exterius deprehenditur, sua tamen difficultate non caret inquisitio proximioris causæ latitantis, tanto temporis spacio, præsertim ad exhibita tot nobilissima remedia nihil quicquam affectu remittente. De calculis vesicâ felleâ collectis, & continuum gravativum dolorem circa jecoris regionem producentibus ante hac, αὐτοψίᾳ edoctus, aliquid addidi, quod tamen perpetuum non esse per observationes tuas additas demonstrâsti, quantumvis apud *Forestum lib. 19. Observ. 17.* simile quid legatur de vestali virgine, continuis sub hypochondrio dextro torminibus afflictâ, quorum diuturnorum dolorum, cùm neque causam reddere, nec iisdem opem ferre possent Medici, defunctæ corpus post mortem dissectum fuit, ubi folliculus fellis, pondere lapidis inclusi pendulus, in substratum intestinum procubuerat, quod, mirum in offensâ fellis capsulâ, motu attriverat. Sed hâc suspicione dimissa, propter chronicorum symptomatum à causis suis proximioribus à te factam deductionem, potius tuæ sententiæ subscribo, &c. Observationes quas addis, libenter legi, nec dissentio, quod rarius in ipsis intestinis eò usque retineatur materia tartarea, ut in calculum concrescete possit. Quemadmodum admiratione quoque non caret, in ventriculo calculos quam plurimos concrescere posse, de quo observationem in *Epist. Med. lib. 1. Sect. 9.* videre licet, ex literis Dn. D. Bilgeri consignatam. Rarissimum est, in cordis cavitate calculum generari, quam ob causam observationem tuam notatu dignam judico. Lubet hîc subjicere sequentem: cùm sub initium anni currentis vobiscum in Franconia per septimanas aliquot commorarer, honesti cujusdam civis ac mercatoris nostri filia, anteà frequenter hæmorrhagiæ obnoxia, ac proinde cachexia ferè consumpta, in febrim biliosam continuam incidit. Ordinatum in mea absentia vinum laxativum (cum ab aliis omnibus abhorreret) inde pejus habet. Rediens igitur enema tantùm præscribo, leniendi ventris gratia, simul non neglectis alterantibus & corroborantibus. Succedit autem pervigilia, dolor capitis, intumescentia ventris, cardialgia frequens, fit pulsus intermissus, convulsiones prehendunt, ἀσφυξία tandem totalis adest, fluxu alvi symptomatico succedente; prognostico facto, roborantibus tantum naturæ suppetias ferre conati sumus, inprimis tunc temporis, ubi exacerbatio καρδιαλγίας vehementissima affligebat, quam admodum leniebat roborans istud, cujus usum mihi commendaveras in palpitatione cordis dolorifica, Chrysolithus videlicet præparatus, cum lap. bezoar. Margar. magist. &c. Hoc sæpius adhibito, non tantùm ad miraculum vehemens dolor cordis remisit, sed rediit etiam appetitus cum somno moderato, vires vicissim colliguntur quadantenus, pulsus, qui per octiduum ferrè nullus, jam vermiculans, pòst intermissus redditur. Sed plenaria restitutione gravius erat malum, ob incipientem hydropem, qua de causa virium recollectio diuturnior esse non potuit, ideoque paulò post, me rursus Onolsbachium abeunte, naturæ debitum solvit. Post mortem à Collegis meis aperitur: abdomen ichore fœtido repletum, omentum putrefactum, lien atque hepar scirrho laborans, pulmones pleuræ adnati, cum capsula cordis, in qua humor putridus, cor duplo majus, bubulum referens, inveniuntur: quodque notatu dignum, circa valvulas dextri ventriculi calculus ex tartaro concretus, instar minoris castaneæ nucis compressioris, membranosæ valvularum substantiæ adnatus conspicitur, vehementioris καρδιαλγίας proculdubio causa proxima, &c. Vale ex voto cum tota familia. Ocyus Ulmæ 20. Novembr. 1626.

De calculis in lingua, aliisque variis partibus, conjunge Forestum. l. 14. Observat. XXVI.

Vide Epist. Med. Lib. 1. Sect 9. de calculis in ventriculo. Adde Nicol. Flor. Ser. 5. tr. 4. c. 53. Guanier. de calcul. pass. c. 1.

Calculus valvulis cordis adnatus.

Vir Clariss. & Excell.

DN. JOHANNES BILGERUS, D. Reipubl. Campodunensis Physicus,

GREGORIO HORSTIO D.

Ὑγιαίνειν καὶ εὐπράττειν.

Diuturnum literarum silentium, Vir Clarissime ac Experientissime, affinis ac Præceptor nullis non honoribus observande, &c. diutinam amicorum memoriam obscurare, imò nonnunquam prorsus extinguere, priscis qui vixerunt seculis, conquesti sunt. Hujus extinctionis ne fortè & ego abs te insimulari possem, qui tamen impensius tuam recolo memoriam, hanc ipsam, præsenti hac observatione anatomica renovare, ac pristino suo nitori reddere statui: extra omnem dubitationes aleam ponendo, utpote qui rerum anatomicarum abstrusarum indagator es solertissimus, imò alter Democrates, quin libenter, pro tua humanitate, eam sis lecturus. Præterito mense Decembri, fæmina quædam benignitate Amplissimi nostri Magistratus vivens, in hydropem incidit, à quo tamen, Dei beneficio, & meâ opera (ut, quæ ab omnibus vicina partui putabatur:) spacio 4. septimanarum, convenientibus medicamentis fuit liberata, ita, ut in publicum vicissim prodire potuerit, mihique pro curatione gratias egerit; sola duntaxat infimi ventris exigua

Observatio.

 duritie,

duritie, instar saxi durissimi, remanente. Verum haud longo interjecto tempore, ob crassam victus rationem, mensiumque inordinatè fluentium suppressionem, recidivam experta est, à qua tamen ob virium debilitatem, & cachexiam, denuò contractam (utpote qum recidivæ ut plurimum soleant deteriores esse, ut nosti, prioribus morbis) medicamentorum beneficio, liberari non potuit, & sic misera vitam cum morte commutavit. Hæc fœmina, qum infimum ventrem, instar saxi, ad tactum durissimi haberet, in hanc deveni suspicionem, in utero forsan, aut aquam collectam, aut aliud quippiam præter naturam latitare, quod postremam curam vel difficilem nonnihil reddiderit, vel fomentum subministrârit. Cadaver ergò, præsente meo Chirurgo, disseco. Quo dissecto, aqua statim profluit ubertim: & sanè quod non caret admiratione, universa intestina, quaqua versum, & ambo latera, circa diaphragma, quod certè in vita mea mihi nunquam observare licuit, multis millibus granulis, instar suum grandinosarum, referta visebantur: insuper etiam spacium illud, quod inter intestina & mesenterium, cui annexa hærent, interjacet, muco quodam viscido, gelatinæ colorem ac substantiam referente, repletum scatebat. Reliqua viscera (excepto solo pulmone, qui in locis quibusdam quoque granulis infectus conspiciebatur) omni labe sensibili carebant. Cæterum, dissecta vesica fellea, lapillum hunc, magnitudine nucis juglandis, reperi: quem tibi visendum, ac donandum transmitto. Ultimò demum sectionis ordine ad uterum deveniens, nihil eorum, de quibus suspicio erat, sed parvum ac flaccidum, crassumque sanguinem menstruum in venis restitantem reperi. Circa præsentem hunc Casum, nonnulla consideratione digna occurrunt, quæ nonnullis scrupulum injicere possent: ut 1. An omnis hydrops sit ex intemperie epatis frigida, ut communiter ab omnibus statuitur, sive illa sit per essentiam, sive per consensum aliorum viscerum? 2. Qui fiat, quod hydrops non uniusmodi, sed sui dissimilis, ut nonnunquam cum visceribus læsis, nonnunquam illæsis (ut in hac patiente contigit) medico anatomico sese exhibeat? 3. Nunquid revera obstructiones venarum meseraicarum, ut & epatis, de quibus somniant Medici, ab ullo anatomicorum unquam sint repertæ, ac observatæ? Quæstionem primam quod attinet, videtur illa non universaliter vera, ac rationi experientiæq; consona, propterea quod observatum fuerit, quosdam patientes, maximè usu calidorum medicamentorum fuisse læsos. Huic meæ opinioni, *Vir Clarissimus Dn. Heinricus Smetius in suis miscellaneis l. 8. Epistol. 4.* subscribit, in qua duorum hydropicorum fit mentio, ab ipso curatorũ, quos contra communem medendi methodum solis refrigerantibus curavit. Ex qua curatione patet, non omnem hydropem, ex refrigeratione epatis nasci. Rationibus videtur etiam hæc opinio non carere, quas nisi prolixitate mea tædium parerem, Excell. T. recenserem. Digrediamur ad secundam quæstionem. Hydrops non est uniusmodi semper, sed dissimilis; id quod ex sectione anatomica liquidò constat: Siquidem cum Patavii studiorum causâ commorarer, vidi hydropicum dissectum, cujus epar quam plurimis vesiculis, aquâ plenis, à cunctis conspiciebatur. Insuper etiam Marpurgi vidi epar suis domesticæ voracissimæ totum aquæ vesiculis plenum. In hoc autem meo hydropico, ne minimum quidem læsionis vestigium (licet in minutissimas partes à me fuerit dissectum:) apparuit, sed hepati sanorum simile fuit. Ad tertiam: Obstructiones à me nullæ sunt visæ sensibiles ac notabiles: num ab aliis sint observatæ, mihi non constat. Urina semper fuit rubicundissima, nec præcessit, nec etiam adfuit febris ulla. Talis autem urina, non solet esse soboles læsæ sanguificationis, sed epatis plus justo fervidi. Sed satis de hisce. Vale cum tuis, meque amare perge. Raptim Campoduni 26. Febr. 1626.

Calculus in vesicâ felleâ.

Dubitationes.

An omnis hydrops ex intemperie frigida?

Cur hydrops dissimilis.

Clariss. & Excell. Viro
DN. JOHANN. BILGERO, M.D. Reipubl. Campodunensis Physico.

Gregorius Horstius, D.

S. Ad amicas tuas literas, ut breviter respondeam, Vir Cl. affinis & amice pl. honorande, primùm pro continuatione favoris atque amoris erga me tui gratias ago, tum etiam pro communicatione singularis observationis, inprimisque pro transmissione lapidis grandioris è vesicula fellea post mortem extracti. Plures quidem vidi, sed non tantæ magnitudinis, cujus levitas, color, inprimisque sapor (utpote, qui linguæ leviter admotus amaritiem singularem exhibet:) originem ejus ex bile crassiore testantur. Notatu digna sunt, quæ de Calculis vesicæ felleæ ex *Kentmanno, Fernelio, Langio, Coitero, Vesalio, Benivenio, Dodonæo, Cardano, Fallopio, Cratone, Ferrando, Gemma, Valetio, Foresto, & aliis Schenckius lib. 3. Observ. de vesica fellea* refert, ubi tamen hydropicæ affectionis hinc exorientis mentio non fit, quam ob causam productionem hujus calculi separatam ab hydropis origine dicerem. Quod autem additur, intestina, vicinasq; partes, innumerabili copia granularum, instar suum grandinosarum, infectas fuisse, per depravatam concoctionem factum fuisse reor, ubi partes crassiores indigestæ per adustionem huic malo occasionem præbuerunt, tenuiori sero interim in intermediis spaciis abdominis collecto. *Quæstiones* additas quod attinet, nota est tibi mens mea, ex iis quæ in *Problem. Medicis* olim à me proposita fuerunt, ubi *Dec. 7. q. 9. § 3.* controversia deciditur, ac per distinctionem monstratur, quomodo hydrops non solùm à calore & frigore, sed etiam substantiali quadam corruptione fieri soleat, &c. quod ad primæ quæstionis ulteriorem declarationem faciet. Alteram quæstionem, an hydrops salvo jecore dari possit, in *lib. 7. Histor. Medic. Mirab. cap. 7.* tetigimus, ubi pluribus quidem idipsum confirmatur, salvo jecore tumores hydropicos datos fuisse sed additur postea limitatio, propriè dictum hydropem ab iis esse distinguendum &c. Tandem quod tertio loco quæritur, nimirum an obstructiones mesenterii tales observatæ fuerint, quales sæpissimè præsupponuntur à Medicis, dubium videtur,

Grandinosæ infectionis causæ.

Vide Probl. Medica Autoris.

Vide lib. 7. hist. Med. mirab Marcelli Donati additum cap. 7.

videtur, præſertim cum nihil tale, reſpectu præſentis ſubjecti fuerit obſervatum. Hic quidem non nego, quin frequenter fieri poſſit, ut in ſimilibus caſibus, ubi unus idemque effectus, à cauſis diverſis provenire ſolet, in determinatione cauſæ proximioris errare poſſimus, quod vel maximè teſtantur poſt mortem ejusmodi apertiones, inprimisque notabilis eſt hiſtoria *de tumore omenti*, qui quondam Aſcitem exhibere nobis Medicis videbatur, donec tandem poſt apertionem defunctæ mulieris pondere 56. ℔. conſpiciendum ſeſe præberet, ut videre licet in *Problem. meis Medicis, Decad. 6. q.* 10. non tamen video, quî penitus obſtructiones meſenterii negari queant, quamvis in hoc vel illo ſubjecto non occurrant: nota eſt hiſtoria ad me perſcripta per *Clariſſ. Bauhinum*, qui meſenterii glandulas intumeſcentes totalem obſtructionem introducentes, phthiſeos cauſam fuiſſe refert, quam hiſtoriam *lib. 7. Hiſt. Mirab. Marcelli Donati cap.* 5. addidimus: nota ſunt illa, quæ de variis meſenterii collectionibus ab aliis ſunt annotata, quæ *citatâ Dec. 6. Probl. q. 9.* à nobis referuntur. Inprimis verò eſt memorabilis hiſtoria Nobiliſſimi cujusdam paucos ante annos, qui ictero diuturno, tandemque hydrope laborans, tantas habuit meſenterii obſtructiones, ut poſt mortem meſenterii vaſa glutine quaſi repleta viderentur, quam hiſtoriam integram ſuo loco videbis. Sed lubenter ſententiæ tuæ ſubſcribo, quod frequentiſſimè Meſenterii obſtructionibus plurima ſymptomata communiter adſcribantur, quæ tamen ſæpius originem aliam habere poſſunt. Plura non addo, ſed te cum tuis divinæ protectioni commendo. Bene Vale. Raptim Ulmæ prid. Cal. Martii. Anno 1626.

Vide lib. 4. par. 2. obſerv. 2.

Vir Clariſſ. & Excell.

DN. JACOBUS ECKOLDUS, D. Reipubl. Memmingens. Phyſicus.

GREGOR. HORSTIO, D.

S. &c. Communicata mihi eſt à Domino Collega meo, Cl. Viro, Dn. D. Stegmanno, dum forte de ejusmodi rebus nobis ſermo eſſet, hiſtoria medica rara, & obſervatu haud indigna, de calculo videlicet, magnitudine nucis Caſtaneæ minoris, poſt continuum capitis dolorem, è naribus per palatum rejecto. Hanc quin Excellent. tuæ transmitterem, ejusque judicio in rebus medicis acutiſſimo & ſolertiſſimo ſubjicerem, intermittere non potui nec debui: digna eſt ea augendis & exornandis obſervationibus medicis. In variis aliàs corpori noſtri partibus, adeoq; in ipſo etiam capite lapides generari poſſe, multiplici experimento confirmatum eſt: in quâ verò capitis particulâ hic productus ſit, & delituerit, non adeo conſtat: facilis ejus exitus non intra, ſed extra calvariam genitum eſſe, & hæſiſſe confirmat: forſan circa Cuneiformis oſſis foramina, per quæ Cerebri mucoſa ſecrementa, à pituitaria glande prius excepta, in palatum defluunt, vel ſenſim deſtillant, ortum ſuum acquiſivit, ex materiâ viſcidâ & corrupta, ibidem collectâ & hærente, ubi ſenſim concreſcens, ſpatium ſibi formavit, & ex affluente, ſibique adhæreſcente materiâ putreſcente tanquam è matrice, tetros vapores ad caput ipſum ſubmiſit, doloresque induxit: pòſt verò ſatis induratâ, dum contineri diutius non potuit, exitum paravit, & per palati foramina egreſſus motum hunc naribus, cum quibus palato per foramina ſua & per nervos, qui ex tertio pari orti, ad narium tunicam ſimul & palatum ſparguntur, magna eſt ſocietas & connexio, exhibuit. Verum quod in os deſcendit ſine dolore & moleſtiâ, nec ullas alias difficultates induxit, difficilius videtur explicari poſſe: ſed judicium tuum exquiro, & arbitrum te unum exopto, nec non Obſervationes tuas Medicas reſiduas, quæ ſub prælo forſan adhuc hærent, cum deſiderio expecto, &c. Hiſce valeat & vivat feliciſſ. Excell. T. mihique favere pergat. Dabam Memmingæ 16. Jan. 1625.

Calculus è naribus per palatum rejectus.

Viro Clariſſ. & Excell.

DN. JACOBO ECKOLDO, D.

Gregor. Horſtius, D.

S. Grata mihi fuit hiſtoria ſingularis de calculo per palatum rejecto, poſt diuturnam Cephalæam, de quâ nihil ulterius addo: dum enim reſponſum meditor, en amicus meus honorandus, *Clariſſimus Fabricius Hildanus*, Centuriam Obſervationum quintam transmittit, in quâ ſtatim in frontiſpicio plenariam iſtius hiſtoriæ deſcriptionem cum omnibus circumſtantiis invenio, nec non additas epiſtolicas velitationes inter ipſum, atque *Clariſſimum Hofmannum* cum delectatione lego. Ne igitur actum agere videar, acquieſco hîc aliorum doctiorum judicio, & ad citatum locum Domini Fabricii te remitto. Quod ſi per otium licuerit, Epiſtolarum noſtrar. Medicinalium lib. 2. inſpicias, ubi peculiari ſectione de Calculis diverſarum partium humani corporis agemus, cum quibus per otium conjungantur *Kentmannus libello de calculis, Hollerius lib. 1. de morb. internis, Schol in cap. 48. Cornel. Gemma coſmocrit. cap. 6. Laurent. Joubert. Parad. 7. dec. 2. qui in capite quoque calculos repertos fuiſſe annotarunt.* Memorabilis eſt locus *Scaligeri de ſubtil. Exer.* 108. *ſect.* 3. ubi inquit: *De non naturalibus (lapidibus in humano corpore) multa poſſum narrare tibi nova, tùm admirabilia. In jecore & aliorum olim, & poſtremo Senatoris, inventos lapides atros, qui in aquam injecti intumuêre. Deſperatâ ab omnibus valetudine ſenem, ſummo dolore inteſtinorum, cum videremus carere febre, neque tumorem extare quempiam: quotidianis dejectionibus alvum exonerare: pondus in ipſis inteſtinis ſentire, fatali quadam conjectura lapidem ſubeſſe rati, enemata ex Bdellio & oleo noſtro Telino, croceo malagmate, butyro certo decocto infundi juſſimus. Tertio clyſmate magna vis lapidum educta eſt. In renibus & veſica vulgares ſunt. In ſanguine craſſam deprehendimus ſaburram. In remigis hepate unum duriſſimum carnei coloris, diluti. In pulmonibus Quaeſtoris Albretici duriſſimos aliquot, aequabili ſuperficie, argillaceo colore.*

Varietas calculorum diverſorum à Scaligero obſervata.

Multos è vesica ceparum more lamellis incrustatos, inferiore subinde coloris diversi. Duo præter hosce genera. Vtrumq; apud me est. Ex Bovillis oppidanus nostris adjutus medicamentis eminxit vitreum: sane ex illa nobili Praxagoræ pituita. Dum mingeretur, albuminis mollitie, emissum vitri duritie ac splendore. Senatoris filius ejecit pultis modo multos & maximos: qui aëris contactu postea in gypseam tum speciem tum firmitatem concrevére &c. Vale.

OBSERVATIO XLVIII.

Dolor nephriticus ex obstruente viscosâ materia cum arenulis.

CVm anno 1619. mensibus postremis Illustrissimam Elisabeth Magdalenam Würtenbergicam, Illustrissimi nostri filiam, sanitatis gratiâ, in Alsatiam usque comitarer, mense Decembri, gravitatem circa regionem dextram renum, mox dolorem ingentem, urinæ stillicidium, testiculi dextri versus superiora tractionem, alvi fluxum, nauseam, cum subsequenti vomitu, totiusq; lassitudinem sentiebam.

RESOLVTIO.

QUanquam ab ineunte ætate nihil quicquam de doloribus nephriticis ad annum usque 35. ætatis perceperim, nihilominus ab eo tempore sæpius hoc malo laboravi, cujus vehementiam Fribergæ Misenorum, an. 1611. cum Illustrissimus meus Princeps, Ludovicus Hassiacus, deductioni funeris Serenifs. Elect. Sav. Christiani II. piæ recordationis interesset, occasione cerevisiæ istius loci, tempore canicularium, plenioribus haustibus assumptæ, primum expertus sum, à quo tempore ferè annuatim recidivos dolores habui, donec anno 1615. & sequentibus acidularum potu, tàm intemperiei calidæ renum corrigendæ, quàm arenularum collectarum expellendarum gratiâ usus sum, à quo tempore prædictus affectus rarior & levior fuit; inprimis præservationis ergò, frequenter etiam usurpato Spiritu Juniperino, cum ejusdem extracto permisto, digestoque. Sic etiam ante sesquiannum recidivam patiebar, cui non parum occasio præbebat aulica vita, quo ad victus rationem satis inordinata, quam durantibus venationibus hyemalibus per mensem unum atque alterum continuare cogebar, accedente peregrinatione diuturniore. Primum vero *gravitas* aderat *circa renum regionem*, propterea quod materia obstruens, ibidem collecta, meatus ipsius renis obstrueret, *mox dolor ingens*, eâdem materiâ vias urinarias sensiles, ureteres scilicet, occupante; *urinæ stillicidium*, per consensum expultrice vesicæ stimulatâ; *testiculi dextri versus superiora tractio*, quod fit quasi convellente motu, quatenus natura pellere & excutere conatur, quod meatuum transitum impedit, unde vasorum contractione simul etiam annexæ partes, non absque dolore, trahuntur; *alvi fluxus*, ob irritatam expultricem intestinorum; *vomitus*, ob consensum communis tunicæ, quam peritonæum omnibus infimi ventris partibus communicat; *totius lassitudo*, per consensum reliquis facultatibus languentibus, ea propter, quod doloris vehementia spirituum substantiam resolveret.

Vide Epist. Medicas. sect. 16.

Declaratio symptomatũ nephriticorum.

Hic anodyna primum externa non negligebam, quorum in præcedenti observatione fit mentio: *mox etiam interius* Terebinthinæ ℥iij. cum Ol. Amygd. dulc. ℥jß. permixtas, & aqua Malvæ dilutas assumebam, quam potiunculam aliquandiu, sed difficulter ob nauseam ventriculi, continebam, quâ de causâ clysterem etiam adhibebam, qui

Intentiones Curativa.

℞. *Rad, Althea* ℥j. *fol. Malvæ, sum. Melilotifl. Chamameli ana* Mij. *Sem. Fœniculi* ℥ß. *f. decoct. in s. q. aq. ad* 3. *colentur* ℥x. *adde Ol. Chamamelini, Anethini ana* ℥jß. *Terebinthinæ* ℥ß. *Vitell. ovorum num* 1. *Misce.*

Hoc modo non tantum *acres humores, ad intestina confluentes, temperare, dolorem vicinarum partium demulcere: sed etiam tensionem seu convulsivum quasi motum ureterum corrigere conabar.*

His, per biduum repetitis, melius habere cepi, doloribus remittentibus, ipsâque urinâ cum arenulis & viscidâ materiâ permistâ copiosè profluente.

OBSERVATIO XLIX.

Retentio totalis urinæ absque dolore.

VIR Nobilis Ioach. à Walsburg/ *Consiliarius Hassiacus, Vir integerrimus, septuagenarius, per multos annos renum calculo laborans, tandem anno 1619. circa tempus autumnale diuturno morbo prehenditur, ubi succumbentibus ferè facultatibus vitalibus, urinæ totalis suppressio succedit, absq; dolore, cum superveniente lienteria.*

RESOLVTIO.

CUm hoc tempore, personæ Illustrissimæ causâ, Darmbstadii viverem, ægrotantis hujus status advenienti mihi referebatur, ubi prognosticum dabam, ejusmodi retentionem esse mox instantis mortis signum, ea propter, quod à facultate succumbente, nec serum secernente proveniret, inprimis hoc ipsum *lienteriâ* confirmante, quod alvi dejectio frequentior, assumptorum penitus non alteratorum, testabatur. Hinc etiam *nullus* sentiebatur *dolor*, utpote cum non obstruens aliqua materia profluentem urinam impediret, quod aliâs in suppressione dolorifica fieri solet.

Prognosis.

Eodem modo Magnifico Viro Dn. Joh. Struppio à Gelnhausen/ Cancellario Hassiaco, p. m. per multos dies urinam absq; dolore suppressam fuisse recordor anno 1617. qui simili modo virium omnium facultatibus resolutis naturæ debitum solvebat. Vide plura de tali retentione urinæ in morientibus apud *Valles in sacrã Philos. c. 66.*

Observatio alia.

OBSERVATIO L.

Dolor hæmorrhoidum cœcarum.

MAtrona honesta gravissimis uteri symptomatibus, concurrente mensium obstructione, laborans, tandem in vehementissimum ani dolorem incidit.

RESO-

RESOLVTIO.

Mox hæmorrhoidalium venarum obstructionem & extenſionem in cauſa eſſe ſtatui, quapropter nihil magis neceſſarium ducebam, quàm vehementiæ ſymptomatis per anodynum appropriatum ſuccurrere, quâ de causâ (cum anno ſuperiori 1622. circa tempus autumnale idpſum accideret) protinus herbæ linariæ cum floribus manipulum unum atque alterum conquiſivi, quibus contuſis, & cum adipe porcinâ coctis q. ſ. linimentum fieri curavi, cui expreſſo & parumper refrigerato, vitellum ovi permiſcui, quò poſtea cum goſſipio, vel lanâ, dolenti parti applicetur, quod ejusmodi dolores ad miraculum usque confeſtim ſiſtit. Hoc tanti fecit benè meritus & celebris in Haſſia Medicus, *D. Iohannes Wolfius*, piæ memoriæ, amicus olim noſter honorandus, ut (quemadmodum ex ore ipſius habeo) tanquam ſecretum aliquod, Illuſtriſſimo ſuo principi, *Ludovico ſeniori, Haſſiæ Landgravio*, p. m. toties rogatus, non revellare vellet, priusquam ipſi annuatim bovem ſaginatum promitteret: quâ promiſſione factâ, non tantum herbam linariam ei monſtravit, ſed etiam, addendo verſiculum conſuetum, differentiam hujus ab Eſula patefecit, nimirum, quod

Eſula lacteſcat, ſine lacte Linaria creſcat.

Hoc poſtquam aſſidens Nobiliſs. ac ſtrenuus, Johannes Rideſelius ab Eiſenbach/ hæreditarius Mareſchallus Haſſiæ, piæ recordationis, perciperet, per jocum verſiculum invertit, hoc modo:

Eſula nil nobis, ſed dat Linaria taurum.

Hæc pro candore noſtro placuit adjicere, quò multis ſimplici, & paratu facili hoc remedio ſuccurrere liceat. Idem præſtat unus de liquir. & ſemper viv.

OBSERVATIO LI.

Cruenta quaſi mictio ad levem corporis motionem.

Vir Nobilis ac ſtrenuus, cujus etiam obſerv. 9. hujus libri ſit mentio, ætatis jam declinantis, habitus corporis plenioris, acri ſeroſo ſanguine per multos annos abundans, doloribus nephriticis, & calculo renum obnoxius, anno præcedenti 1621. ſub initium Novemb. conqueritur de urinâ cruentâ, poſt quemcunq; corporis motum, ſine dolore profluente, niſi quod gravativum quippiam circa renum regionem ſentiatur, Adhibitis diverſis mediis, frequenter affectus nihilominus redit, idq; circa vernum æquinoctium, cum urinæ ardore dolorifico, non absq; ſecretione materiæ ſabuloſæ & arenoſæ. Tandem calculum inſtar nuclei perſicorum excernit, à quo tempore cruenta mictio remiſit.

RESOLVTIO.

Determinatur affectus. Affectum hunc *nephriticum* judico eſſe, quatenus materia calculi & arenularum, unà cum ſero ſanguinolento, propter renum imbecillitatem, cum urina propellitur. Confirmat hoc *conſtitutio patientis*, cujus plenior habitus ad acrioris ſanguinis copiam diſpoſitus fuit per multos annos, unde non rarò ſcorbutica quoque ſymptomata ſeſe obtulerunt, quod vel maximè *gingivarum ſanguinolentia* & *dentium caſus ſpontaneus*, hactenus ſatis demonſtrârunt, quâ de causâ quotannis ſemel atque iterum cura plenior, ad ſcorbuti præſervationem pro ſanguinis purificatione directa, non absque fructu præſcripta fuit. Hac per biennium neglectâ, ſucceſſit hæc *mictio cruenta*, quatenus ſanguinea maſſa tartarum & ſerum acrius copioſè cumulavit, quod natura præ reliquis corporis partibus ad *renes*, tanquam aliâs debiliores, propter frequentes calculi renum inſultus, ablegavit, quò copioſè confluens, partim digeſtionem renum, adeòque ſecretionem ſanguinis à ſero convenientem impedit, partim etiam copiâ ſuâ coagulationi, arenularum & ſabuloſæ, cruentæ quaſi urinæ, occaſionem præbet. *Occaſio præſentis affectus.* Hinc *renum ſubſtantia laxior* facta, quocunq; motu accedente, profluentem urinam emittit *cruentam*, interdum ob ſanguinem cum ſero permixtum, interdum ad ſpeciem talem, quatenus tartarum fœculentum, quod materia calculi eſt, copioſè cum ſero permixtum ſecernitur, quemadmodum ex ſedimento tali perſpicuum eſt, partibus reliquis poſtea minimè cruentis apparentibus, quæ ſedimenti craſſa limoſa materia per bibulam chartam exiccata, minutiſſimam arenulam ad oculum refert. Profluit autem ejusmodi materia *ſine dolore*, quatenus in ſubſtantia renum locus affectus eſt, unde *tantum gravavativum quid* circa lumbos ſentitur, quod non fieret, ſi vel in ureteribus, vel veſica malum hoc originem ſuam haberet. *Prognoſis.* Nec mirum, quod hactenus affectus adhibitis variis mediis non remiſerit; eſt enim ſuâ naturâ chronicus & diuturnus morbus, inprimis in hac ætate declinante, cauſis foventibus, tàm internis, quàm externis adjuvantibus, ubi prædicta corporis conſtitutio, tum etiam Saturnina aëris ambientis qualitas perpendenda, quatenus hic Planeta, in ſigno Cancri hactenus exiſtens, non tantum calori nativo plurimum repugnavit; ſed etiam poſt nebuloſam & pluvioſam autumni conſtitutionem, ejusmodi frigus intenſum produxit hac hyeme, ut mirum non ſit, interius, ob cutis obturationem, ſerum acrius & ſanguinem tartareum impurum copioſè collectum fuiſſe. Quod verò circa *vernum hoc æquinoctium prædictus morbus cum urinæ ardore dolorifico* prehendat, copioſâ ſimul *materiâ ſabuloſâ dejectâ*, propterea fieri puto, quod excitata virtus expultrix, omni conatu propellere tentet illud, quod impurum eſt, utpote cum aliâs humores, per hyemem latitantes, hoc tempore ſoleant ebullire, quam ob cauſam propter acrimoniam majorem, cum urinâ commixtam, in glande tempore excretionis tantùm ſenſus dolorificus percipitur. Quanquam verò propter vaſorum ἀναβρωσιν ſanguinis mictio fieri poſſit, non tamen hic illud ipſum fieri videtur, propterea, quod rarius urina verè ſanguinolenta, ſed frequentiſſimè tantùm rubicundo tartaro tincta, & ſabulosâ materiâ, cruentâ quaſi, mixta videatur: ubi tamen concedimus, cum hactenus non rarò calculi minores etiam projecti fuerint, unum atq; alterũ eorundem, renes lancinando & vellicando, cruentam dejectionem adjuvare poſſe. *Curationis Scopi.* Quoad curationem eò reſpiciendum eſſe duxi: 1. *ut impuritas ſanguinis*

sanguinis in toto corpore corrigeretur: 2. collecta copiosior materia in renibus & viis urinariis blandè abstergeretur; 3. & ipsa pars affecta, tam alterantibus, quam abstergentibus appropriatis corroboraretur.

Pro 1. *Ad primum*, quoad impuritatem sanguinis acrioris ac serosi, respectu totius abundantis, præmisso lenitivo, talem digestionem præscripsi sub initium Novemb. anno 1621.

℞. *Rad. Cichor.* ℥ij.
Herb. Endiviæ
Acetosæ
Fumar. an. Mjß.
Plantag. Mß.
Fl. Nymph.
Ros. rub.
Viol. an. Mj.
Sem. portulacæ
Acetosæ
4. frig. major. an. ʒij.
Cicer. rub. ℥jß.
Hordei p. ij.
Jujubar. num. vj.
Rad. Glycyrrh. rasæ ℥jß.

F. decoct. in sero lactis caprini q. s. pro 4. vicibus, ne prop. seri aciditatem citò corrumpatur, de quo ℔ß. *m. v. q. tribus horis ante cibum per octiduum sumatur.*

Hâc digestione præmissa, subsequatur evacuatio plenior per Electuarium, quod

℞. *Elect. caryocostini* ʒijß.
de Tamarind. d. n. ℥ß.
Cremoris tartari ℈j. *Misce.*

Hoc modo non semel tantum, sed ferè singulis mensibus naturæ succurrendum esse statui, quò non tantùm in toto corpore sanguis purior evadat, etiam quantum fieri potest, materia peccans à viis urinariis avertatur, adhibitâ simul etiam hoc tempore venæsectione, quâ sanguis adustus, & acri sero copiosè præditus, eductus fuit. Hujus generis medicamenta, cum reiteratâ venæsectione, post æquinoctium vernum, omninò repetenda esse judico, cum impossibile sit, ut antecedens causa totaliter unâ vice expugnetur.

Pro 2. *Ad secundum*, post ejusmodi remedia totum, adeoque antecedentem causam respicientia, diligens & frequens sit usus illorum medicamentorum, quæ materiam in renibus, & viis urinariis copiosè collectam, blandè abstergunt; ubi sæpius vacuo stomacho sumantur pil. de Therebinth. quæ fiunt hoc modo.

℞. *Massæ pillul. de Tereb. cum Rhabarb.* ℥ß. *formentur pil. num. XXX. ex* ʒj. *involvantur pulveri glycyrrhizæ: dosis* ʒß. *cum cochl. aliquot syr. de Althea Fernelii.*

Loco pillularum alternis diebus, M. U. q; tribus horis ante cibum usurpentur, etiam sequentia, nimirum pulvis, & morsuli.

Pulvis. ℞. *Rad. Glycyrrh. rasæ* ʒij.
Sem. 4. frig. major. excort. an. ʒj.
Portulacæ
Lactucæ an. ℈jß.
Succini alb. prap.
C. C. usti prap. an. ℈j.
Sacch. ad pondus omnium f. pulvis per cribrum, de quo ʒj. *sumatur, cum aq. Malvæ, cui sem. Cydoniorum aliquandiu infusum fuit.*

Morsuli. ℞. *Fruct. pinear.*
Amygd. dulc. excort. an. ʒß.
Sem. Altheæ.
Halycacab. an. ℈j.
Lactucæ
Papav. alb. an. ℈ß.
Amyli
Tragacanth. an. ℈jß.
Rad. Glycyrrh. rasæ ʒijß.
Sacch. opt. ℥vj. *cum aqua fœniculi f. conf. in Morsulis, de quibus manè & vesperi sumatur* ℥ß.

Efficaciora diuretica non conveniunt, utpote quæ materiam aliàs è toto magis ad renes & vesicam propellunt, & morbum deteriorem reddunt.

Ad 3. Quoad renum corroborationem, temperatè refrigerantia & astringentia conveniunt, ubi quoad alimenta vitentur illa, quæ salsedine, acrimoniâ & aciditate excedunt: sint autem facilis concoctionis, nec obstructionibus ansam præbeant. Potus sit vinum tenue, astringens, vel naturâ suâ, quale est rubrum, vel arte paratum, quod fieri potest infusione fol. Sanguisorbæ minoris, vel pimpinellæ Italicæ, prunorum sylvestrium, cidoniorum exiccatorum, cerasorum acidorum, &c. Quoad medicamenta, interius frequens sit usus sequentis Electuarii.

℞. *Cons. rosar. antiq.*
Diacydon. simpl. an. ℥jß.
Cornu C. usti prap.
Corall. rub. prap. an. ʒj.

Syr. de rosis siccis q. s. f. Electuarium molle, de quo ʒiij. *sumantur frequenter vacuo stomacho, superbibendo pleniorem haustum vini, cui per noctem veronica & prunella infundantur. Proderit etiam infusum Chalybis cum aceto pp. cujus usus in extergendis renum infarctibus plurimum præstare solet.*

Exterius fiat inunctio lumborum & regionis renum, unà cum appositione Emplastri.

℞. *Cort. medior. querc.*
Granat. ana ℥ß.
Gran. Myrti
Sem. Sumach.
Fl. rosar. rub.
Balaustior. an. Mß.

Incidantur & coquantur in vino astringente ad medietatem.

℞. *Colaturæ* ℔ß.
Ol. rosat. Complet. ℔j.

decoq. ad consumptionem vini, adde ceræ q. s. fiat Emplastrum, quod post sequentem inunctionem applicetur.

℞. *Oleum*

℞. *Oleum Cydoniorum Mastichini ana* ℥ jß. *Amygdal. Amar.* ℥ j. *Misce.*

Quod si patienti tam inunctio, quam Emplastri usus, propterea quod nigredinem introducat, ob vitriolatam tincturam, quam ingredientia producunt, tædium afferat, aliquandiu loco horum poterit esse contentus balneo aquæ dulcis, cui cineres ligni quercini copiosè injiciantur, unà cum herbis astringentibus, ut sunt plantago, fl. rosar. rub. fol. querc. Salicis, Sempervivi, Consolidæ majoris &c. Sed nota quod balneum temperatum esse debeat, excessu caloris omnino carens: post balneum fiat inunctio lumborum cum Unguento Rosato & Oleo Cydoniorum permixtis. His observatis usque ad Maij tempus anni sequentis, Nobilissimus patiens tandem calculum quantitate nuclei persici cum aliis minoribus rejicit, ubi mox cruenta mixtio remisit. Ne autem vicissim de novo malo huic ansa præbeatur, suadeo, ut herbam auriculæ muris & pimpinellæ Italicæ coquat in lacte caprino, eoque quantitate ℔ß. quotidie manè vesperique utatur. Ante cibum hora 1. Syrupi de Altheæ ℥ jß. lambat, & in principio prandii & cœnæ, cremoris hordei haustum bibat. Permutationis gratiâ frequens etiam sit usus Spiritus vini cum fragorum infusione, tum etiam Spiritus vini, cui hedera terrestris & aliquid allii infundatur, qui cochlearis dimidij quantitate, cum successu, singulis septimanis semel atque iterum, pro præservatione sabuli, sumi poterit.

OBSERVATIO LII.

Fluxus hæmorrhoidalis.

MAURITIUS SCHROETER, D.

EXcellentiss. & Clariss. Vir, Domine & amice honorande, jucundissima mihi semper fuit recordatio amicitiæ inter nos contractæ in nuptiis Dn. D. *Michaelis Ledereri*, ac continuatæ in itinere Wittebergam versus. Præsertim verò memoriam hujus subinde mihi refricavit *Problematum Medicorum*, qua tunc à te donatus fui, & selectissimorum & utilissimorum. Neque destiti inquirendo, donec, quas postea addidisti Decades nancíscerer omnes, doctas, Jupiter! & laboriosas, ut Catullo utar. Commodum autem accidit, ut, dum has legó, relegoque, è Giessa vestra illustri ad nos rediret Vir Clar. Dn. D. *Ludovicus Iungerman*, amicus ubiq; nostrum, qui interrogatus de te aliquoties, humanitatem tuam prædicando, me sic commovit, ut sæpius, quod jam facio, mihi proposuerim. Verum impeditus, distiti usque in hunc diem, ubi & otii paululum, & occasionem tecum conferendi nactus, in calamum incumbere potui, & has ad te exarare volui: officiosè rogans, interpellationem hanc occupationum tuarum multiplicium, haud ægrè feras, &, cum per eas licuerit, respondeas.

Vides, Vir Excellentissime, me literis his imposuisse theses de fluxu, uti inscripsi, hæmorrhoidum secundum naturam, quas pro antidoto Decadis, dudum à te mihi donatæ, habeas velim, quanquam, ut est in proverbio, sint χάλκεα χρυσῶν.

Tomus secundus

Has si ad problema Decadis tuæ sextæ octavum adhibueris, deprehendes, me in nonnullis dissentire. Quapropter, ut uter nostrum rei magis consentanea scripserit, constet, & tua modestè examinabo, & tuorum defensionem aut interpretationem præsto labor.

Dicis initio: *Fluxum venarum hæmorrhoidalium accidere viris quibusdam.*

An viris tantum hæmorrhoidalis fluxus conveniat?

Hoc quanquam verum sit, quia tamen ne semel quidem per totam quæstionis exegesin, quod etiam mulieres quædam hoc fluxu repurgentur, innuisti: imò hunc fluxum in viris fluxui mulierum menstruo opponendo, quemadmodum menstruus mulieribus à natura datus sit, ita hæmorrhoidalem viris per naturam concessum esse, ostendisti, adeoque mulieres ab hoc ceu exclusisti, strictum ferè & angustum nimis pronunciatum est.

Mulieres etiam per hæmorrhoides evacuari.

Quod autem mulieribus quoque per venas hæmorrhoidales sanguis evacuetur, indicat *Aristoteles* 3. *de hist. anim. cap.* 9. & 9. *de ead.* 11. *item* 1. *de gen. anim.* 19. concedit *Galenus* 5. *Aphorism.* 33. & observationes autorum fide dignissimorum complurimæ testantur.

Habes apud *Fernelium consil.* 39. Leonoram, Reginam Galliæ: Habes apud *Solenandrum consil.* 20. *sect.* 4. Annam è Ducibus Clivensium prognatam, Comitissam à Waldeck: habes apud *Hollerium in scholiis capitis* 51. *lib.* 1. *de morbis internis* duas mulieres nobilissimas gravidas. Neque nullus est, qui fœminam, quæ αἱμοῤῥοοῦσα ab Evangelista dicitur, non uteri hæmorrhagia, sed hæmorrhoidum ani fluore immodico & diuturno, laborasse putet. Rationem, cur illis æquè contingere possit, reddit *Gordonius in Lilio medic. part.* 5. *c.* 21. *Rubric.* 9. *notâ* 5.

An senibus præsertim hæmorrhoides accidant?

Dicis secundò, *Fluxum venarum hæmorrhoidalium accidere præsertim senibus.* Contra *Hippocrates* 3. *Aphor.* 30. *Contra Galenus l. de humoribus comm.* 3. *text.* 26. *Contra Celsus lib.* 2. *cap.* 1. in ætate declinante constitutis hunc præsertim accidere asserunt.

Jam autem ætatem declinantem aliam esse à senili, & illam hanc antecedere tibi ignotum minimè est, per dictum *Aphor.* 30. item 31. *sect.* 3. cum non saltem internis secundum naturam, & sensibilibus temperamentorum corporis mutationibus, sed & luculentis annorum spaciis à se invicem distinguantur, & illa ut plurimum à quinto septenario terminato incipiens ad septenarios duos sequentes, hæc postea in finem usque vitæ extendatur.

An hæmorrhoides ob calorem debilem accidant?

Dicis 3. *Ob caloris debilitatem sanguinem, qui per fluxum hunc vacuatur superabundare.* Contra de calore valido in iis, qui fluxu hoc repurgantur, testatur. 1. forma sanguinis, qui vacuatur. Si enim laudabilis & purus sit, quemadmodum quandoque excerni annotarunt tum *Hollerius*, & *Scholiastes ejus lib.* 1. *de morb. intern. c.* 51. *tum. Andreas Laurentius hist. anat. l.* 6. *qu.* 25. *tum Solenander sect.* 4. *cons.* 20. *p.* 375. nonne calorem minimè debilem, sed vegetum arguit? Sin verò illaudabilis & impurus existat, quemadmodum frequentissime prodire observarunt, tum *Gale.* 6. *Aph.* 11. *in com.* 6. *epid. com. l. de humor. com.* 3. *tex.* 26. & *alibi passim* cum

reliquis,

reliquis, qui hac de re, vel incidenter, vel ex professo scripsêre omnes, nonne tantum abest, ut calorem debilem generationis suæ causam efficientem habuerit, ut potius ab excedente eo productus sit? quandoquidem tunc cum Galeno uno ore omnes affirment, evacuari sanguinem crassum humore plenum melancholico, talem habente in sanguine consistentiam, qualis est in vinis fex.

Humorem autem melancholicum fieri à calore vehementiore, & valde immoderato, non solum idem *Gal.2. Cris.12.* habet apertissimè, item 3. *Prog.*28. cum, quantum in ætatis vigore ferbuit humorum, in atram bilem mutatum scribit, *&* 5. *de l. a. 7. ac 2. artis medic.* 41. cum judicium epatis calidi fæcem sanguinis & consistente ætate, atram bilem plurimam facit, nec non 3. *de l. a. 7.* cum melancholicum humorem ideo quandoque in cerebro ipsomet gigni affirmat, quod multis ejus loci calor aut flavam bilem*, aut crassum, atrumque sanguinem superassavit, & 3. *de sympt. causs.*2. cum alteratricis potentiæ intemperiem, quæ ad calidius sit versa, melancholicum efficere excrementum dicit, testatur: *sed & ratio evincit*, quandoquidem, ut Philosophus de mari alicubi loquitur, nisi superassetur, aliquid humidum non possit fieri terreum. Neque obstat, quod quibusdam proximè citatorum locorum Galenus atram bilem, non succum melancholicum, nominet.

Per atram bilem enim cum istis, ut & pluribus in aliis, succum seu humorem melancholicum denotare, nemo in ejus lectione versatus serio negaverit. Utut *lib. de plenitud.* 11. 3. *de locis a. 7. & 6. Aphor.* 53. id minus rectè fieri ipsemet fateatur.

Nominibus abutentes, dicto aphorismo inquiens, & atram bilem aliquando vocamus, quoniam si non prius evacuetur, paulò post atra futura est. Multo minus obstat, quod succus melancholicus sit humor frigidus & siccus.

Haut enim inconveniens est à calidissimo agente produci materiam frigidam, exemplo ignis & cineris.

II. De calore valido in iis, qui fluxu hoc repurgantur, testatur *habitus, seu constitutio eorum calidior.* Haud namque homines, qui molles & candidi & obesi, sed qui hirsuti, & nigri, & macri existunt, plerumque huic fluxui sunt obnoxii, itemque, qui prærubro colore præditi, aut flavi, præsertim, si quando vigiliis, laboribus, solicitudinibus, jejuniis, tenuive victu educati fuerint.

Hos autem calidioris temperamenti esse, probatione apud te, virum undiquaque doctum, minimè eget.

Legi tamen hac de re poterit *Galenus 6. Epid. com.2. text.44. l. de salub. diæt. text.5. & 6. item* 14. *M. M.*15. Neque hoc mirum. Quandoquidem in fluxu hæmorrhoidum frequentissimè sanguinem humore melancholico plenum evacuari supra ostensum.

Humori autem melancholico cumulando dictas temperaturas aptissimas esse demonstrat *Gal.3. de l. a.7.* & videatur nonnihil hac de re apud *Andream Planerum in lib. de methodo medendi, cap.*17.

Qualis sit sanguis non digestus.

Dicis IV. *in fluxu hoc aliquid sanguinis non digesti*, quod superabundet, evacuari. Hîc si *non digesti* idem tibi est, quod *in partium Naturam non conversi*, uti è mox additis mihi imaginor, nulla tecum mihi propterea erit controversia. Sanguinem enim, vel ob quantitatem inutilem, vel ob qualitatem ingratam redundantem evacuari & mea est sententia. Sin autem *non digesti* tibi idem est ac *Crudi*, de quo modo examinata caloris debilitas suspicionem movet, omninò dissentio. Excerni enim sanguinem, vel laudabilem, vel melancholicum (quorum neuter crudus dici potest) abundè evictum est. Neque juvabit te, quod interdum etiam sanguis serosior, dilutior, & aqueus in hoc fluxu prodire animadvertatur. Rarum enim id est, & tum demum accidit, quando fluxus hic symptomaticus prorsus, nimiusque factus, hepar adeò refrigeravit, ut hydrops sit præ foribus. Quæ autem rara sunt, ab arte non attenduntur in theorematis generalibus, quale tuum circa hoc problema, seu hanc quæstionem primum.

An fluxus hæmorrhoidalis possit esse jucundum naturam?

Dicis V. *quod hæmorrhoidum fluxus, quatenus fit ab expultrice coacta à sanguine superfluo & noxio propriè & absolutè loquendo sit præter naturam.* At nonne fluxus mulierum menstruus etiam fit ab expultrice coactâ à sanguine superfluo & noxio? Numne verò hic propriè & absolutè loquendo præter naturam? Nonnè superius, theoremate primo hujus quæstionis, quemadmodum provida natura singulis mensibus mulieres evacuet, ita etiam viris quibusdam accidere dixisti? Si autem hoc facit natura, quomodo erit præter naturam? Nonne quod moderatum est, secundũ naturam est, 2. *de diff. morb.*12. *de constit. artis* 1. *de diff. respir.*1. alibique passim? Ergo quamdiu hic fluxus moderatus erit, nondum præter naturam erit. Nonne quod finis boni & secundæ valetudinis tuendæ ergò fit, secundum naturam fieri dicetur, ac propriè secundum naturam? Fieri autem fluxum hæmorrhoidum moderatum fine optimo, & magno cum usu individui, tàm firmum est, & Hippocrati & Galeno, ut ferè numerari nequeant loca, in quibus utilitatem ejus summam prædicant. *Videatur l. 6. Epid. comm.3. t.37. l. de humorib. comm. 3. t.26. lib. de V. S. adversus Erasistratum c. 5. 6. Aphor. 11. 4. Aphor. 25. 6. Epid. comm.6. text.8.* Neque citra insignem individui noxam supprimitur, de quo *l. de V. S. adversus Erasistrat. c.6. 6. Aph.12. 6. Epid. comm.5. text.25. lib. de humorib. com.3. t.26. Actarius l. medici 1. c.20. Celsus l.7. c.18.*

An hæmorrhoidũ fluxus optimè valentibus accidat?

Dicit VI. quod in differentiam fluxus menstrui, qui sanis etiam constitutionibus conveniat *optime valentibus, beneq; constitutis, hæmorrhoidum fluxus non accidat*, idque è *Solenandro.* Verum ego eundem *Solenandrum* tibi oppono, qui in allegato à te consilio, alterâ mox pagellâ, aliquoties hunc fluxum naturæ operâ, item naturæ beneficio contingere scribit, & naturæ cursum vocat: Imò, licet quod excernitur toto genere præter naturam videatur, tamen elegans & absolutum naturæ benevalentis, muniaque sua tum rectè administrantis, opus esse dicit.

Quod

Quod autem locum ex hoc consilio à te depromptum attinet, restringit eum autor ipse: Nisi, inquiens, singulari naturæ beneficio quandoque fiat, toto genere præter naturam est, atque ob id optimè constitutis, benéque valentibus neque accidere solet, neque iis conciliarii debet. Ac si dicat: Fit quandoque hic fluxus singulari naturæ beneficio, & tum benevalentibus accidit. Si autem non fiat naturæ beneficio, sed symptomaticus sit, tum toto genere præter naturam est, atque ob id non optimè constitutis & benevalentibus, sed malè se habentibus accidere solet; neque hic fluxus symptomaticus optimè constitutis & benevalentibus conciliari aut procurari debet. E quibus vides, haud absolutum hunc sermonem *Solenandri* esse, ac si omnem omninò hæmorrhoidum fluxum præter naturam esse, & à sanis abesse dixerit, sed conditionatum, & exceptione, ut docuit, limitatum. Neque si *Solenander* sanis eum plane denegasset, vicisses. Quod enim sanum hominem servat, id sano ipsi contingat necesse est.

Aliàs qui talis non est, neque talis servari poterit. Jam autem sanum servare hæmorrhoidum fluorem, si moderatus & secundum naturam sit, hominem eum, cui obtigit, vel vulgo perspectum est, qui propterea aureas venas vocat hæmorrhoides, & testatur id *Galenus* in locis non ita pridem citatis luculentissimè, præsertim verò *l. de V. S. adv. Erasistrat. c. 5. de humoribus comm. 3. t. 26. & 6. Aph.* 12. quid ni ergo sani homini contingat? Accedit, quod dicente *Galeno* 1. *& 6. de S. T.* salubris & inculpatus corporis status in latitudine intelligi debeat, sicut etiam ipsa sanitas: Et, quod sani illi putandi sint, qui nec parte aliquâ corporis dolent, nec ad vitæ munera sunt impediti.

Jam verò qui fluxu hæmorrhoidum moderato per periodos fruuntur; ut plurimum nec dolent parte aliquâ corporis, nec ad vitæ munera impediti sunt.

Ergò ut plurimum adhuc in latitudine sanitatis continetur. *Vt plurimum dico*, quia accidere interdum excretioni huic naturali dolor potest. Tum autem non ratione fluxus hæmorrhoidum, verum ratione symptomatis, doloris nempè, latitudinem sanitatis egrediuntur. Atque hinc constare tibi potest, non neutrali quadam corporis constitutione præditis, uti tu in decisione hujus problematis asseris, sed sanis adhuc, certis temporibus fluxum hæmorrhoidum contingere. Verum prolixior sum, quàm me futurum cogitavi. Ne ergò mox prima epistola nauseam tibi moveam, desisto hîc, atque, quæ hactenus studio veritatis indagandæ placidissimè à me scripta sunt, in optimam partem accipias, ac mentem tuam explicando, & rationes meas infringendo, cum per ocium licebit, me erudias, haud perfunctoriè rogo. Gratissimum enim mihi id erit, & amicitiæ nostræ pluribus scriptionibus continuandæ ansam præbebit. Bene vale, Vir Excell. ac Clariss. & quæ chartacea munuscula præterea his adjeci, ea quoque ab amico animo profecta puta.

Lipsiâ 23. Augusti. Anno 1612.

RESPONSIO
GREGORII HORSTII, D.
Ad
Clariss. & Excell.
DN. MAURITIUM SCHROETERUM,
Phil. & Med. D. &c.

Saliquoties hactenus, Vir Clarissime & Excellentissime, fautor, & amice plurimum honorande mecum cogitavi, tandem aliquando veterem nostram amicitiam refricandam esse, quam ob causam non semel statum tuum ab aliis expiscari volui, qui autor fuissem Senatui nostro, ut honorificâ vocatione pro Medico Professore te solicitassent, nisi Dnn. Schilteri me certiorem reddidissent, vitæ statum cælibem te mutasse, quam ob causam colligebam, spei nobis parum superesse, propterea, quod vestra Respub. talis mihi videatur, ex qua vix medicus, qui doctrinâ & peritia pluribus innotuit, sedem suam moveat. Postquam verò prævenisti, nihil superest, quam ut silentium meum excusem, quod citius fecissem, nisi sat serò, vix ante septimanam, Francofurti apud Mercatorem latitantes tuæ mihi redditæ fuissent. Ad medicas tuas dubitationes, quas contra quæstionem de hæmorrhoidibus proponis, breviter respondendum esse duco.

Quidquid autem adducitur, illud omne potissimum contra §. 1. *quæst.* 1. *Decad.* 6. dirigitur, ubi dico: *quod, sicuti mulieribus sanguis superfluus per menstrua, sic viris quibusdam hæmorrhoidibus evacuationem fieri.* Quæ comparatio, cum mea non sit, necessarium videtur, ut antequam ad instantiam respondeam, adducam verba *Marcelli Donati lib.* 4. *Med. hist. mirab. c.* 19. *Non desunt viri*, inquit, *quibus instar menstruorum ab hæmorrhoidibus sanguis, statis temporibus fluere consuevit, quo fluxu suppresso, in varia mala incidunt. Colligis primò* strictum nimis & angustum esse pronunciatum, quod mulieres à fluxu hæmorrhoidali exclusæ videantur, quam ob causam autoritate & observatione demonstrare conaris, mulieres etiam hæmorrhoidum fluxu laborare.

Primum respondeo, quod plus sit in conclusione tuæ argumentationis, quam in præmissis, juxta quas illæ tantùm excluduntur mulieres, quæ menstruum actu patiuntur.

Mulieres menses habentes non facilè naturalem etiam hæmorrhoidū fluxum habent.

Dico dein, quod autoritates *Aristotelis* gratis adducantur: etenim *lib.* 3. *de histor. anim. cap.* 19. Philosophus paucis mulieribus hæmorrhoides accidere dicit, idque, si fiat, detrimentum in menstrua incumbere. *lib.* 8. *hist. c.* 11. nihil de hac materia. *lib.* 1. *de gen. an. c.* 19. probatur, menstrua esse fœminarum excrementa, propterea, quod his maximâ ex parte hæmorrhoides non fiant. *Galenus* etiam non nisi menstruis deficientibus, sanguinis per sedem excreti fluxum approbat.

Hinc igitur manifestum est, his autoritatibus nihil omninò te obtinere, contra dictam nostram assertionem, quod mulieres menstruū patientes viris fluxu hęmorrhoidali laborantibus opponantur. Illa *Leonora Regina* non dicitur

dicitur apud *Fernelium* laborasse fluxu hæmorrhoidum, sed autor menstrua & hæmorrhoides conjunxit, & utrisque deficientibus, cum alias unum alterius supplementum esse queat, indicationem inde deducit. *Observatio Solenandri* penitus huc non quadrat, quia monstrat fluxum hæmorrhoidalem p. n. & morbosum, quem cum menstruis comparare non possumus.

Nec negamus, quod observavit *Hollerius* in gravidis cum successu fluxum hæmorrhoidum affuisse: sed quis non videt, superfluum sanguinem loco menstruorum, ob conceptum & uteri clausuram impeditorum, per ani venas exoneratum fuisse.

De fœmina *αἱμοῤῥοούσῃ* in Evangelio statuat alius quicquid velit: eandem verò fluxu hæmorrhoidali naturæ convenienti laborasse nullus mihi persuadebit, quod hic ut plurimum nullâ medicâ, multo minus divinâ & miraculosâ curatione indigeat.

An senibus præsertim hæmorrhoides conveniant.

II. *Displicet secundò*, quod dicam, *senibus præsertim hunc fluxum accidere*, proptereaque rursus autoritatibus illud impugnas, quæ tamen meam assertionem non labefactare videntur, tùm quod non *ἁπλῶς* senibus hoc accidens attribuam, quam ob causam, *præsertim* additur, tùm etiam, quod non distinguas inter differentias senectutis, cum alia sit subsistens, alia declinans & alia decrepita, juxta *Mercat. de temp. q.* 54. quas ipse *Galenus* etiam innuere videtur *in com. ad aph.* 3. *&* 31. *lib.* 3. *Aph.* ita ut ex hujus etiam sententia subsistens seu incipiens ætas senilis ad mediam revocetur. Quod etiam cuique patet, qui saltem considerat illa, quæ *Hipp. Aph.* 31. *lib* 3. de senum morbis proponit, ubi profectò tantùm illi morbi proponuntur, qui senibus declinantibus & decrepitis conveniunt.

An propter caloris debilitatem sanguis abundet in senibus?

III. Illud, quod dicam, *ob caloris debilitatem* sanguinem abundare in viris iis, qui fluxum hæmorrhoidum patiuntur: contrarium demonstrare nititur epistola tua: 1. quod sanguinis illius excreti substantia sit laudabilis & pura, quandoque verò crassa & melancholica: illius causa necessariò calor nativus vegetior, hujus verò adurens & corrumpens statuatur. 2. quod habitus & constitutio illorum, qui evacuantur hæmorrhoidibus, plerumque calidior. Respondemus, in utraq; ratione facilimè deprehendi posse elenchum à dicto *κατά τι*, ad dictum *ἁπλῶς*. Concedimus interdum per hæmorrhoides sanguinem evacuari laudabilem: at inde non sequitur, propterea caloris debilitatem non esse in causa collectionis ejus: potest calor debilis considerari dupliciter, in respectu scil. totius, quâ ratione sufficiens quidem est, debilior tamen illo, qui in vigente ætate non solum coquebat, sed insuper etiam plurimum sanguinis resolvebat. Porrò peccans etiam & adustus sanguis evacuatur, qui qualis sit, subsequenti responsione patebit. Nec obstat, quod habitus & constitutio videatur calida in iis, qui fluxum hunc patiuntur, quia negari non potest, quod frigidiores atque imbecilliores seipsis inveniantur, ubi tempus hæmorrhoidalis fluxus cum ætate præcedenti confertur.

Quid intelligatur per sanguinem non digestum.

Quartò quæris *quid per non digestum sanguinem*, quem evacuari dico, sit intelligendum, ubimetipse colligis, sanguinem à superabundanti materiâ nutritionis proxima posse intelligi, sed non absurdè *crudum sanguinem* quoque hic ab aliquibus denotari patet ex *Valesco lib.* 4. *Philon. c.*31. ubi causas generantes hæmorrhoidum ponit secundum *Rabi Mosen* malitiam digestionis, quia natura cibaria non benè digerat, nec in bonum sanguinem naturalem, & membris consentientem convertat; addit, quod adjuvet acceptatio ciborum, à quibus generatur sanguis grossus, melancholicus, ut sunt fabæ, lentes, cæteraque legumina, caules, caseus, carnes bovinæ, cervinæ, &c. imò & cibi multas superfluitates habentes, ut aquatilia sine squamis, vinum grossum, novum, cerevisia crassa &c.

Instantia.

Sed instas, *crudum sanguinem* per hæmorrhoides non evacuari, propterea, quod autoritates præmissæ tantùm de laudabili, vel melancholico sanguine concludant: at sanguis melancholicus crudus non est.

Solvitur.

Ex hypothesibus Galenicis hoc ipsum deduci posse concedimus: at verò num salvâ veritate hoc ipsum fiat, ex iis patebit, quæ *lib. de Scorbuto*, tum etiam *lib.* 1. *de naturâ humana* de vero lienis usu proposuimus; Istic enim luce meridianâ clarius est, sanguinem aliàs melancholicum dictum, reverâ crudum esse, cum ex crudiori chyli parte, à sanguificatione jecoris aversâ, in ipso liene generetur.

IV. Hinc ergò quintò manifestum est, *illum fluxum hæmorrhoidum reverâ p. n. esse*, quando cruditate peccans ejusmodi sanguis noxius, abundantiâ suâ virtutem expultricem extimulat. Nec obtinet aliquid instantia adducta, quod mulierum quoque menstrua semper p. n. essent; propterea, quod in iis etiam natura sanguine superfluo & noxio coacta, statis temporibus eundem expellat: hic enim hypothesis nondum concessa ponitur, nimirum sanguinem menstruum esse noxium, cujus assertionis contrarium abundè satis *in lib.* 1. *de Nat. hum. exercit.* 1. *& alibi* demonstravimus. Et licet porrò viris, uti mulieribus menstrua, per naturam hunc fluxum accidere dixerim, non tamen hoc simpliciter accipiendum, sed de illo, qui laudabilis est sanguinis in ætate declinante superabundantis, ac solâ quantitate peccantis. *Vrges porrò*, quod inconcinnè dicatur fluxus ejusmodi, *præter naturam*, cum tamen concedatur à natura & in gratiam valetudinis eundem fieri. Sed non video, quid obstet, quin à natura fieri possit illud, quod p. n. est, scilicet à causa morbifica eâdem irritatâ, quod ex Epilepsiâ, sternutatione, pandiculatione, vomitu cholerico, fluxu dysenterico, & sexcentis aliis probari posset. Nec universale est, illud quod in gratiam accidit, secundum naturam propterea esse: Sic enim spasmus esset secundum naturam, quia 4. *Aphor.* 57. solvit febrim, ubi supervenit. Sic s. n. esset, ubi supervenit dejectionibus biliosis, quia bonum signum, *Aphor.* 28. *lib.* 4. Ructus acidus esset s. n. *libro sexto Aph.* 1. quia solvit diarrheam. Hinc manifestum est, non esse negligendam illam distinctionem Savanarolæ, quod secundum naturam esse dupliciter accipiatur: 1. eâ ratione, quatenus aliquid fit à natura naturaliter operante: 2. Vel quatenus illud ipsum etiam ita sese habet, ut si à natura in

Dupliciter aliquid secundum naturam fieri potest.

speciei

speciei & individui conservationem ordinatum. Priori modo latior est significatio, quæ sæpius includit ea, quæ per naturam fiunt, considerando videlicet eas operationes, quæ s. n. aliàs nobis convenire dicuntur. Constat igitur adhuc absolutè loquendo fluxum hæmorrhoidum quemvis esse p. n. quatenus fit à natura coacta à præternaturali copia collecta sanguinis superflui, licet non negemus in respectiva consideratione, quando hunc vel illum hominem consideramus, ejusmodi fluxum convenientem dici posse, quatenus causas morbificas avertit, & à generatione gravium affectuum præservat. At quis non videt hoc ipsum ex accidenti tantum secundum naturam esse, cum nec perpetuum sit, nec immediatè functionem quandam secundum naturam constituat.

Quomodo fluxus hæmorrhodalis præter naturam dici possit.

Quis enim statuet, humoris melancholici peccantis collectionem secundum naturam nobis convenire, cum aliam originem habere nequeat, quàm depravatas functiones coctioni sanguinis prospicientes? At hunc ipsemet extimulatâ facultate expultrice per hæmorrhoides evacuari, satis demonstrare conatus es. Patet igitur, quid dicendum ad sextam instantiam; ubi de *Solenandri* mente quæritur, cujus verba à me adducta satis manifesta sunt, & in illo consilio pluribus demonstrantur. Quod autem postea fluxus hic ab eodem, tanquam opus naturæ, commendetur, id non simpliciter accipiendum, cum secundum naturam non subjecto laboranti, sed causæ propulsanti materiam morbificam conveniat. Vocantur igitur hæmorrhoidales venæ aureæ, non propterea, quod immediatè sanitatem defendant, sed quia justo sese habentes à morbis præcavent, causas eorum avertendo. Quocirca non video, quid intersit inter neutrum decidentiæ, & ejusmodi statum hæmorrhoidalem, cum utrobique coacervatio causæ morbificæ deprehendatur. Hinc experientia testatur, non paucos, etiamsi per annos aliquot subleventur hoc morbo, tandem eodem interire, quemadmodum observatum fuit in patruo meo p. m. Medico celebri, JACOBO HORSTIO, qui inordinato hoc fluxu, succumbentibus viribus, vitam cum morte commutavit.

Hæc Vir Clarissime, raptim, subitò hoc tabellario occurrente, tuis respondere volui. Vale, & hæc inter meas Academicas occupationes in chartam conjecta boni consule. Iterum ἐπὶ μήκιστον valeas, & me amare pergas. Dabantur Giessæ Calend. Novemb. 1612.

OBSERVATIO LIII.

Trichiasis seu mictio pilorum.

Vir Clariss. Experientiss.

DN. GUILIELM. FABRICIUS, Med. & Chir. Bernensis ordinar.

GREGORIO HORSTIO, D.

S Jam ad aliquot menses me hîc Durlachii, circa Illustrissimam ægram occupatum fuisse, Vir Ampliss. fautor & amice æternum honorande, proculdubio ex Dn. D. *Georgio Fabro*, communi ac intimo nostro amico, (ad quem superiori Hyeme Durlachio scripsi) intellexisti. Quia tamen Deus, pro sua crementia, medicamentis ita benedixit, ut brevi veniam impetraturum, & ad meos me reversurum sperem, ante abitū meum Epistolio hocce te, tuosque omnes, quam amicissime salutare, & ut amicitiam nostram scriptis fovere non desinas, peramanter rogare volui. Scripsi Oppenhemium ad Dn. *Combillionem*, ibidem Ecclesiæ Gallicanæ pastorem, amicum meum intimum, & ab ipso petii, ut meo nomine quartam centuriam observationum ad te mitteret, quod omni proculdubio faciet. Obsecro itaque ut ipsam hilari fronte accipere, & pro summa tua humanitate benignè interpretari velis, sed ignosce quæso, Clariss. mi Dn. D. *Horsti*, ipsam tot, tamque monstrosis mendis atque erroribus conspurcatam, commaculatamque esse; Id non mea culpa accidisse, omnes qui manuscriptum exemplar (quod absoluta impressione à typographo recepi) videbunt, testabuntur: sed in causa fuit Dom. de Bry, qui ineptum & semifatuum adhibuit correctorem. Cæterùm observationes, quas ante annum promisisti, etiam nunc expecto. De generatione quoque crinium in dextro testiculo mulieris, ex hydrope mortuæ, inventorum, judicium tuum videre percuperem. Sed quid, quæso, tibi de generatione crinium in ipso utero repertorum videtur? Historiam paucis narrabo. Vidua quædam honesta, quinquaginta circiter annorum ætatis, mola laborans, in aula Serenissimi Principis ac Domini, Dn. *Georgii Friderici*, Marchionis Badensis ac Hochburgensis, &c. ante annum naturæ debitum persolvit.

Crines in utero reperti.

Hujus matronæ, ex jussu Principis, aperto cadavere, hepar & lien sine noxâ, pulmo verò semiputridus repertus fuit. Separato & exempto utero, qui ad libras octoginta septem mercatorum ponderavit. Ille autem partim ichore flavo, partim quoque materiâ adiposâ & oleaginosâ infarctus erat. Sed, quod admiratione non vacat, in medio ipsius utero crines, aut veluti lana, flavescens, & adiposâ illâ materiâ involuta, reperti fuerunt. Quia verò jussu Serenissimi Principis aliquantum hujus lanæ communicatum mihi fuit, portiunculam quoque ad te mittere volui, ut illam inter rariora tua reserves. De hac matrona Clarissimus & Doctissimus Vir, Dn. D. *Ludovicus Schmidt*, Serenissimi Principis ac Domini, Dn. *Georgii Friderici*, Marchionis Badensis & Hochbergensis, &c. Archiater longè celeberrimus, & amicus meus singularis, inter alia hæc annotavit, mihique communicavit. *Venter*, inquit, *huic fœminæ intumuit, ut in prægnante, urina coloris ac substantiæ mediocritatem servavit. Functiones naturales, vitales, & animales ferè sine noxa. Alvus tamen segnior ferè semper: quippo molis pondere compressa. Pedes ac tibiæ longè post in tumorem sublatæ durum, renitentem, qui pressus nullas foveas œdematesas recipiebat, nec scarificatus aquâ exsudabat. Carminantia, incidentia, purgantia, balnea, nihil proderant.*

Uterus 87. librarum.

Usa fuit victu mali succi, refrigerante, præsertim

Brassicâ muriaticâ, (Sauerkraut) acetariis, tantâ copiâ, ut de pluribus mensis, quæ horum supererant, colligeret, ebibito insuper, quod his affusum erat, aceto. Venter prædurus erat, sensim à pondere dolor inprimis hypochondria affligebat. Si verò antrorsum propensa, ventrem scamno imponens suffulciret, majorem quam excubatione, aut alio situ, levationem sentiebat. Plus quadriennio duravit affectus iste. Hactenus Dn. D. *Schmidt.* Præteritis diebus cum Spira circa matronam, cancro exulcerato, & gravissimo in mamma sinistra laborantem, occupatus essem, unà cum Dn. *Iohan. Hulderico Streitter*, Doctore Medico Excellentissimo, matronam quandam, molâ laborantem, aliquoties invisi: cujus venter in monstrosam fere magnitudinem extensus erat. Circumferentia enim, ducto filo per medium, continebat pedes Geometricos quinque cum dimidio. Sedendo præterea ad genua usque propendit. Tumor ille ventris à quatuor ab hinc annis incepit, paulatimque auctus est.

Tumor ingens ex Mola.

Ab initio morbi utero se concepisse, cùm ipsæmet ægra, tùm obstetrices putârunt.

Motus enim, ac si fœtus adfuisset, persensit: & ubera lacte abundare cœperunt, aliaque signa conceptionis aderant, post menses tamen aliquot, lac in mammis evanuit, motus quin etiam in utero paulatim, & indies, imminutus, tumor verò adauctus est. Nam etsi venter præmagnus ac durus sit, facultates tamen naturales, vitales & animales integras habet. Sed de hoc casu absque ullo dubio fusius ad te scribet *Dn. D. Streitter*, ut ordinarius illius Medicus. Ante annos viginti *Genevæ* similem vidi Molam, in matronâ quadam honestâ, quæ per annos sedecim morbo isto laboraverat; qualis autem fuerit finis, & quidnam in ipsâ repertum sit, observare non potui: ante obitum enim ipsius Genevâ discessi. Illud tamen scio, ipsam multis, variisque medicamentis, ex consilio medicorum præscriptis, absque fructu usam fuisse. Hæc obiter, ne planè vacuas ad te mitterem literas. Vale Vir Amplissime & Amicorum optime, cum tuis omnibus. Raptim Durlachii, 8. Maij, 1619.

Observatio alia de mola.

Idem eidem.

S. Non exiguo gaudio affectus fui, Vir Amplissime, fautor & amice æternùm honorande, cum fratrem tuum hîc offenderem, inprimis verò, quia de optimâ valetudine tuâ & familiæ tuæ per eundem certior factus fui. Faxit Deus opt. max. ut, Clar. Vir, in multos annos eâ, in bonum Reip: literariæ, & inprimis familiæ Medicæ frui possit. Ego quoque, laus sit Deo, satis benè habeo. Jam in secundum mensem, propter ægros quosdam, hîc Basileæ hæreo, brevi tamen, uti spero, ad meos reversurus sum. Observationes, quas ante annum promiseras, etiam nunc avidè expecto. Ego quod speculationibus tuis dignum esse possit, nunc nihil singulare habeo; nisi quod ante mensem cum *Bauhino* nostro *Magno* hydropicam hîc in xenodochio aliquoties inviserim, cujus venter post puerperium in tantam magnitudinem excreverat, ut, an unquam similis visus sit, valdè dubitem. Circumferentia enim, ducto per medium umbilici filo, continebat pedes Geometricos quinque. Miseram aliquandiu vixit vitam, tandem triduo ante obitum, rupto umbilico, ultra mensuras octodecim aquæ effluxit. Vigesimo Septembris, cum debitum naturæ persolvisset, & vigesima prima cadaver à Clarissimo viro, Dn. D. *Thoma Plattero*, præsentibus item Clarissimis Viris, Dnn. Dd. *Casparo Bauhino*, *Petro Ryffio*, *Frid. Wertenbergio*, multisque aliis apertum fuisset, iterum aquæ ultra mensuras viginti effluxit. Præterea testiculus dexter, ad ovi anserini magnitudinem adauctus, pilis (materiæ cuidam purulentæ & oleaginosæ commixtis) infarctus fuit, major autem pars pilorum quasi confusè in globum acta, prædictæ materiæ immixta erat: multi quoque interiori membranæ tenaciter inhærebant. Mitto portiunculam horum pilorum, ut videas veros fuisse pilos. Causam generationis eorum libenter, si quando per otium licebit, ex Clariss. Viro intelligam. Hæc raptim ad te scribo, & obnixè rogo, Clarissimum & Doctiss. Virum Dn. D. *Fabrum*, communem nostrum amicum, si quando ad ipsum pervenies, meis verbis amanter salutare non dedigneris. Vale, Vir Amplissime, & cum tuis omnibus æternùm quàm felicissime vive. Dabam Basileæ 15. Octob. 1624.

Ingens tumor ventris post puerperium.

Hydrops uterinus.

Pili intesticulo reperti.

(2.)

De Trichiasi, seu pilorum mictione, ejusque felicissima curatione

Clarissimi Viri

GUILIELMI FABRICII HILDANI.

Ad

GREGORIUM HORSTIUM, D.

perscripta.

S. Ante octiduum, Vir Amplissime, fautor & amice æternùm honorande, observationem de tuberculis quibusdam in utero matris, propter fortem imaginationem contractis, eorumque curatione ad te scripsi. Ab eo tempore, cum adversaria mea revolverem, incidi in observationes duas ad te perscriptas, quarum una Basileæ 15. Octobris Anno 1618. data, de testiculo dextro, ad ovi anserini magnitudinem adaucto, & pilis infarcto, in Hydropica reperto, agit. In altera, quam Durlachio 8. Maij, 1619. ad te misi, mola monstrosa, in qua crines reperti fuerunt, describitur.

At quia nullum à te accepi responsum, valdè dubito, an ad manus tuas pervenerint, nec ne. Quapropter ut significare velis, quomodo res se habeat, obsecro. Porrò, quia de crinibus in penitioribus corporis partibus repertis in binis istis observationibus mentio facta fuit, visum est hic adscribere simile, & quidem perrarum exemplum.

Vivit etiam nunc hic Bernæ apud nos vidua, singulari virtute & pietate prædita, quæ nunc sexagesimum annum ætatis prætergressa est.

Observatio rara de mictione pilorum.

Illa

Illa ante octennium doloribus, torminibusque ventris & lumborum correpta fuit, eisque ultra annum continuò ferè laboravit. Interim urina (quam non nisi maximo cum conatu excernebat) nunc sanguinolenta, nunc purulenta & turbida erat. Verùm, quod admiratione non vacat, non solùm purulentis & viscidis humoribus referta erat urina, sed & pili plurimi rufi & oblongi quotidiè cum ipsa urina excernebantur, idque non sine dolore maximo. Nonnulli enim duri ac rigidi, & velut setæ porcinæ erant, & proinde partes, quas transibant, mirum in modum pungebant. Multis usa fuerat medicamentis, cùm à viris doctis, tùm ab idiotis, Empiricis, & mulierculis præscriptis, sed sine successu.

Ego, cum Anno 1616. ad ipsam vocatus essem, & quæ recensui, præcipuè excretionem pilorum ex ipsa intellexissem, pilos quin etiam ipsemet in urina vidissem, admiratione captus fui.

Casus enim mihi novus, & veluti inauditus fuit. Referunt quidem *Nicolaus Florentinus serm.* 5. *tractat.* 10. *cap.* 21. *Et Ioh. Schenckius Observ. Medicinalium l.* 3. simile quid, sed ægros ita laborantes maximis cum doloribus obiisse addunt.

Methodica curatio in Trichiasi adhibita.

Rogatus tamen sequentibus remediis curationem aggressus sum. Vires, cum propter doloris vehementiam & diuturnitatem, vigiliarumque frequentiam summopere labefactatæ essent, inprimis ea, quæ insigniter nutriunt, præscripsi. Deinde suasi, ut Clysteres sibi familiares faceret, quod vix ab ipsa obtinere potui. Nostri enim homines singulare ac salutare hoc remedium, veluti crudele & inhumanum, abominantur.

Cum verò mediante instrumento à me invento, & in tractatu de dysenteria depicto, eam sibimet ipse dare posse Enemata significassem, paruit tandem. Sequenti itaque Enemata usa est: ab initio cum fructum ejus percepisset, semel aut bis in die: deinde per intervalla, veluti de tertio in tertium, aut quartum quemque diem. ℞. Rad. Altheæ, Malvæ ana ℥ij. Herb. Meliss. Arthemisiæ, Origani, Fol. Malvæ, Altheæ an. Mij. florum Sambuci Meliloti, Chamom. an. Mj. Sem. Anisi, Carui, Seseleos an. ℥ij. Fœnu græci, Lini an. ℥j. Incidantur omnia in minutissimas partes, misceanturque diligenter, ac reserventur in sacculo, aut pyxide benè clausa. Harum herbarum accipe manipulos duos, aquæ fontanæ ℔ij. coquantur ad consumptionem medietatis: in ℔j. colaturæ dissolve Benedictæ laxativæ ʒvj. Ol. Anethi, Chamomillæ an. ℥ß. Butyri recentis ℥jß. vitellos ovorum n. ij. Misce, fiat Enema. Corpus per intervalla expurgavi sequenti potiunculâ:

℞. Rad. Fœniculi; Cichorii, Polypodij ana ℥ij. Herb. Scabiosæ, Melissæ an. p. j. Cuscutæ, trium florum cordialium, & genistæ Hispanicæ an. p. ß. Sem. Seseleos & fol Senæ an. ʒjß.

Coquantur, ut colatura redeat ad uncias duas, in quibus dissolve Benedictæ Laxativæ ʒjß. Diacarthami ʒj. Syrupi rosati laxativi compositi cum Rhabarbaro, Agarico & Sena ℥ß. Aquæ Cinnamomi ʒiiij. misce fiat potio. Renes sequenti linimento bis in die inungere jussi: ℞. Unguenti rosarum ℥ij. Ol. Amygdalarum dulc. & liliorum alborum an. ℥j. misce, fiat linimentum. Ex præscriptis radicibus, herbis, floribus & seminibus, pro Enemate paratis, etiam sacculos paravi, quos aqua coctos, ventri & perinęo applicandos curavi. Hisce ad tempus adhibitis remediis, ita restituta fuit matrona illa, ut in hunc usque diem 13. Septemb. 1620. quo hæc scripsi, commode & feliciter inter nos vivat, & rem familiarem administret. Ante paucos dies ipsamet mihi significavit, se jam aliquot ab hinc annis alvum adeò liberam habuisse, ut Clysteribus nihil amplius opus fuerit: urinam quin etiam absque difficultate reddidisse: præterquam quod ut plurimum bis in anno, veluti tempore veris & in autumno præcedentis morbi gravissimi reliquias aliquas, quamvis exiguas persentiat, & crines paucos excernat, sed sine magnâ molestiâ. Utinam aliquis lynceis oculis præditus nobis locum, in quo pili hujusmodi nascuntur, investigare vellet. Tu, ut id tentare velis, obsecro. Vale, Vir Amplissime, & æternum quàm felicissimè vive. Dabam Bernę 13. Septembr. Anno 1620.

(3.)

Semen Anisi, Carbones & pili cum urina rejecti.

Ad eundem Virum Ampliss.

Dn.

GREGOR. HORSTIUM, D.

Cui

GUILIEL. FABRICIUS Hildanus, D. S. P.

De Trichiasi admiranda, superiori an. ad te scripsi, Vir Amplissime, fautor & amice æternùm honorande; sed nihil responsi à te accepi: propter turbulentissimum enim statum Germaniæ literas interceptas & deperditas esse, haud dubito, Matrona illa, de qua scripsi, ab eo tempore, quo ipsam restitui, in hodiernum usque diem (res profectò miranda) satis commodè vivit, pręterquam, quod superiori vere ad mensem ferè integrum eodem morbo affecta fuerit, non usque adeò graviter. Dolores quidem, tam è regione renis & ureterum, quam in ipso collo vesicæ (quotiescunque urinam reddebat) sensit; acuti tamen & vehementes non erant, quapropter nullum insigne symptoma supervenit. Interim ego corpus aliquoties cum medicamentis, quibus anno 1616. in ipsa usus fueram, tum etiam prunis laxativis, expurgavi: Enemata quoq; frequenter instrumento ad id aptato sibimet ipsi adhibuit, & per intervalla Terebinthinam Venetam, ad Drachmam unam, aut Drachmam unam & semis sumsit: Renes unguento ex oleo Rosato inunxit, & imo ventri & pudendis, sacculum ex Radic. Herbis, floribus, & seminibus emollientibus applicuit. Interea non tantum crines, verum etiam Sem. Anisi (quo post pastum quotidie utebatur) imò & carbones rejecit, absque insigni tamen dolore atque incommodo, uti mecum observavit Doctissimus

Semen Anisi & Carbones per urinam rejecti.

ſimus quidam Medicinæ Candidatus, Dn. *M. Iacobus Hagenbachius Baſilienſis*, convictor meus ſuaviſſimus, qui crines & ſimilia, quæ excrevit, diligenter in rei memoriam ſibi reſervavit. An autem carbones iſti in corpore fuerint geniti, dubitamus: Ego cum juſculis & pane ipſo potius devoratos, quàm in parte aliqua corporis ipſos genitos fuiſſe arbitror. Convaluit intra menſis ſpatium, & nunc priſtina valetudine utitur. Qualis verò hujus tandem morbi futurus ſit exitus, & quanam in parte corporis pili naſcantur, DEO, qui ſcrutatur abyſſos & theſauros illarum, qui menſus eſt mare & conceptum ejus, ſoli cognitum eſt. Ego hic obmuteſco. Cæterùm valeo cum meis per DEI miſericordiam, & ex graviſſimo morbo, quo ſuperiori hyeme per menſes aliquot lecto affixus fui, reſtitutus ſum. Hæc propter latoris, ad nundinas Silbertinas proficiſcentis, feſtinationem, raptim ad te ſcripſi. Vale, Vir Ampliſſime & amicorum optime. Bernæ Helveticorum, 23. Junii, 1621.

Carbones in corpore non fuiſſe genitos.

Idem eidem.

SEtiam ſola inſpectio literarum tuarum, Vir Ampliſſime, & amice æternùm honorande, Genevâ mihi miſſarum, me exhilaravit; ſed multò profectò magis earundem lectio animum meum gaudio explevit, cum ex eis intelligerem, Ampliſſimum virum cum familiâ ſuâ, ſalvum & incolumen Ulmam appuliſſe: à Senatu enim Ampliſſimo ejus urbis, in Archiatrum te vocatum fuiſſe, ante annum à Reverendo & Doctiſſimo Viro, Dn. Franciſco Arnoldo, relatum mihi fuit, cujus amicitiam & familiaritatem in Aula Sereniſs. Principis ac Domoni, Dn. *Georgii Friderici*, Marchionis Badenſis & Hochbergenſis &c. mihi comparavi. Gratulor itaq; tibi, Vir Ampliſſime, & multis nominibus mihi Chariſſime, atque imo quidem ex corde tibi gratulor; non tantùm de nova dignitate, verùm etiam quòd DEUS Opt. Max. te, ex medio armorum ſtrepitu, in locum, uti ſpero, & opto, tutiorem conſtituerit, in locum, inquam, ubi arma ſenectutis, videlicet artes, exercitationesque virtutum, ut loquitur Cicero, quoque exercere, DEO quin etiam & familiæ Aſclepiadeæ inſervire poteris. Ulmenſem enim Rempublicam ex familiis antiquis, viriſque nobilibus & egregiis non tantum eſſe compoſitam, verum etiam literatos & peregrinos ampliſſimis honoribus afficere, ſæpenumerò, & ex aliis intellexi, & Anno 1610. ipſemet expertus ſum; cujus rei causâ multum ipſis debeo, ipſorumque in me humanitatem, quoad vixero, celebrabo. Tu verò, ut provinciam illam, ad quam ab Ampliſſimo Senatu vocatus fuiſti, diu ad DEI gloriam & utilitatem proximi, adminiſtrare poſſis, ex corde opto.

Commendatio Reipubl. Ulmenſis.

Cæterùm, etſi aliquandiu ad te non ſcripſerim, amicitiam tamen olim inter nos contractam, religioſè conſervo & porro conſervabo, quò ad ſpiritus hos reget artus. Quia verò proprius ad nos acceſſiſti, ſæpius volente DEO, ad te ſcribam, & ubi quid rari in praxi advenerit, communicabo. Reſponſum ad binas meas de Trichiaſi, etiam nunc avidè à te expecto. Quia enim obſervationem illam Centuriæ quintæ (quæ nunc ad calcem ferè deducta eſt) inſerere cuperem, libenter quoque reſponſum tuum adjungerem, & quoniam in hoc turbulento ſtatu, & ſtrepitu armorum literæ forſan meæ ad te non pervenerunt, En! iterum apographum hiſtoriæ iſtius matronæ, trichiaſi, ſeu piliorum mictione laborantis, ad te mitto. Vivit illa etiam nunc apud nos, & quidem pro ætate ſua (appropinquat enim ad ſeptuageſimum annum ætatis) ſatis commodè.

Porrò, quia antehac aliquoties inter nos de maculis, aliiſque affectibus corporis, ob imaginationem prægnatis fœtui advenientibus, per literas facta fuit mentio: Viſum eſt nunc exemplum unum aut alterum tecum communicare. Anno 1608. cum Aquilam, ad Rhodanum fluvium, à generoſo quodam vocatus fuiſſem, puerulus hydrocephalo laborans, adductus mihi fuit, quemodmodum videre poteris cent. 3. obſerv. 17. Erat autem inter domeſticos iſtius generoſi puella undecim, aut duodecim circiter annorum ætatis, quæ ob intempeſtivam curioſitatem, continuò circa infantulum hydrocephalicum verſabatur, & caput tractabat. Hæc quum poſt annos aliquot viro nupſiſſet, & infantem hydrocephalo laborantem enixa fuiſſet, poſt menſes ſex, capite mirum in modum acreſcente, & paroxyſmis Epilepticis ſupervenientibus, in conſilium ego vocatus fui; cum itaque eâ, quâ fieri potuit, diligentiâ, ex matre inveſtigarem, quænam poſſit eſſe cauſa morbi, nullam verò ſatis validam reperirem, in mentem veniunt ea, quæ cent. 3. obſerv. 17. de hydrocephalico puero commemoravi.

Obſervatio ſingularis de imaginatione prægnantis.

Ex matrona itaque perquiro, anne aliquando, dum uterum geſtaret, puerum iſtum hydrocephalicum in memoriam ſibi revocaverit. Reſpondit ſæpiſſimè, & quidem toto geſtationis tempore, monſtroſum illud caput continuò ferè ſibi ante oculos obſervatum fuiſſe.

Imaginationem itaque hujus mali præcipuam fuiſſe cauſam, apud me non eſt dubium; tibi quid videatur, ſignifica. Vixit puer iſte in ſecundum uſque annum, & , niſi me fallit memoria, ex variolis & paroxyſmis Epilepticis obiit.

Superiori ſeculo, quum matrona quædam hernioſa, ex nobiliſſima familia Bernenſi oriunda, ſecta, & feliciter curata fuiſſet, & poſt menſes ſex à curatione puellum progenuiſſet, vulnus non exiguum in inguine infantis repertum fuit; cujus cicatrix, quamvis nunc trigeſimum annum ætatis prætergreſſus ſit, etiam nunc apparet.

Alia obſervatio imaginationis in prægnante.

Non abſimilis eſt hiſtoria, quam tu recenſes in appendice tua, ad *Marcellum Donatum, libro videlicet 7. cap.* 3. de gravida Monomachiam duorum obſervante, quæ cum alterum ab altero transfodi videret, admodum perterrita, digito oculorũ palpebram petiit, & paulò poſt puerum mortuum, cui caput transfoſſum erat, genuit, Hiſtoriam hancce Clariſſimus & Doctiſſimus Vir, Dn. D. *Daniel Danielis*, Dusburgi Medicus ordinarius, & celeberrimus, tanquam teſtis ocularis, anno 1612. eodem modo, ut tu illam deſcribis, mihi retulit. Anno 1613. Neuburgi Helveticorum, unà cum Clariſſimo & Doctiſſimo Viro,

Obſerv. 4.

Viro, Dn. *Ioh. Iacobo Crafftio*, ejus Urbis Doctore & medico Ordinario & celeberrimo, puerum octennem vidi, qui cataractam sinistri oculi in ipso utero matris contraxerat. Mater enim dum gravida esset, ob intempestivam lachrymationem, cataractâ affecta fuerat. Ex quibus iterum videmus, quàm fortis & valida apud prægnantes sit imaginationis vis atque efficacia. Hæc obiter, ne planè nudas ad te mitterem literas. Vale, Vir Amplissime, & cum tuis omnibus æternum quàm felicissimè vive. Raptim Bernæ Helvet. 6. Sept. 1623.

RESPONSIO GREGORII HORSTII, D.

Ad Experientiss. & Doctiss.

DN. GUILIELMUM FABRICIUM, Poliatrum Bernensem.

S. Ingenti gaudio literis tuis me affectum esse scias, Vir Clarissime & Experientissime, fautor & amice plurimum honorande, tam quod cum tuis ex voto te vivere, quam quod amicum erga me tuum affectum sat constantem declararent. Pro ipso voto, quo novæ meæ functioni, cui jam in annum secundum pro virili, & etiam ad nutum & spem amplissimi mei Magistratus, præsum, gratulatus es, maximas habeo gratias. Deum Opt. Max. ardentibus votis invocans, ut inposterum, sicut hactenus, ex utraque parte nobis clementer adsit. Binas tuas epistolas, quarum prior *Basileæ* 25. *Octob.* 1618. & posterior *Durlachii* 8. *Maij* 1619. data erat, de Trichiasi seu capillitio, quibus *sub dato* 12. *Septemb.* 1620. & 23. *Iunii* 1621. alias adhuc duas epistolas, novis de eadem materia notatis observationibus additis, rectè me accepisse scias, ad quas, nisi me fallit opinio, breviter annis superioribus, ante meum ex Hassia abitum respondi, quanquam dubito num ad manus tuas his turbulentis temporibus literæ meæ pervenerint.

Cum autem impræsentiarum, pro rei gravitate, plenius responsum desideres, annitar, ut ex parte tantùm expectationi tuæ satisfaciam. Primò Durlaci post obitum honestæ fœminæ ex uteri tumore morientis, in utero, materia ichorosâ & oleaginosâ repleto, pilos subflavos, instar lanæ, dissectione factâ, repertos esse dicis, eorumq; portiunculam mihi transmittis, & ex relatione *Clar. Viri, Dn. D. Ludov. Schmidt*, Archiatri Badensis, amici & fautoris mei singularis, subjecti laborantis naturam pluribus describis: addis deinde sub dato Basileæ, quod ibidem, præsentibus Clariss. Medicis, hydropica post mortem aperta fuerit, quæ in dextro testiculo, ad ovi anserini magnitudinem adaucto, pilos copiosos, materiæ purulentæ & oleaginosæ permixtos, habuerit. Tandem tertio loco notabilem, *sub dato* 13. *Sept.* 1620. addis historiam, de mictione frequenti pilorum in fœmina decrepitâ, quam aliquandiu optimè restitutam, tandem quartâ epistolâ, sub dato 23. Jan. 1621. de novo non tantùm τριχίασιν, sed etiam rejectionem seminis anisi & carbonum, per vias urinarias, passam esse scribis. Ut ergò, quod in communi proverbio dicitur, non tantùm duos, sed etiam plures parietes unâ fideliâ dealbare possim, ad omnes unius argumenti ferè, breviter respondeo. Τρῶτον planum est, quod videlicet in partibus corporis internis pili sæpius inveniantur, sicut hirsuto corde præditum *Aristomenem Messenium* fuisse *Plinius* refert, *lib.* 11. *cap.* 37. & addit, hirsuto corde natos fortioris esse industriæ, vel ut *Dalechampius* lectionem antiquam habet, fortiores industriâ, cujus exempla similia ex *Cælio, Benivenio, Lusitano & Mureto refert Schenckius observat. Med. lib.* 2. *mihi pag.* 448. in mammis etiam pilos generari posse *Vesalio lib.* 5. *c.* 18. *& Her. Saxon. lib.* 10. *Panth. cap.* 41. non omni ex parte absonum videtur, unde *pilari morbo*, quem Hispanæ fœminæ, juxta *Christ. à vega lib.* 3. *Artis Med. sect.* 6. *cap.* 10. *pelo* vocant, mulieres interdum cum flacciditate mammarum laborare dicuntur; ubi falsò propter pilum quendam devoratum idipsum fieri statuunt, quanquam anili huic commento summus Philosophus, ut habet Vesalius, subscripserit, ut videre licet *l.* 7. *hist. anim.* quâ de re plura leguntur apud *Rod. à Castro lib.* 4. *de morb. mulie. cap.* 26. *in scholio*. In renibus pilosum quid. ὥσπερ τρίχες, generari posse, patet ex *Hipp. lib.* 4. *Aph.* 76. ut etiam ex *Galeno* ibidem, in comm. In inveteratis etiam abscessibus, ob varias humorum qualitates, materiam in calculū, arenam, ligna, carbones, amurcam, fæcem, setas porcinas, in aliasque ejusmodi formas converti constat, quemadmodum ex *Galeno quoq; Alex. Bened. l.* 3. *Anat. c.* 4. *refert*. Sic *Christoph. Guarnonius consult. Med.* 163. in dissectione corporum post mortem tumorum internorum variam materiam se depræhendisse asserit, ut viderit etiam verissimos crines equorum, ac si tunc recenter modo detonsi fuissent, præter multa alia, lanam & pilos referentia. Sic & *Wierus lib.* 4. *de præstigiis c.* 16. refert, *Iohan. Evichium Medicum* varias pilorum & lanarum species per urinam in nephriticâ fœminâ nobili rejectas vidisse. Nihil addo de conglomeratis crinibus prodigiosè, non sine facini suspicione, per vomitum rejectis, de quo *Clusius in Monard. de simplic. exoticis, Forest. l.* 15. *c.* 29. *Alex. Bened. l.* 5. *pract. c.* 25. *Benivenius l. de abd. & alii* videri possunt. Imò maximè etiam fide dignis diversis observationibus manifestum est idipsum, non tamen rò tale quid in humano corpore fieri; quâ de causâ restat inquirendum τὸ διότι, nimirum quomodò, & qua ratione idipsum fieri soleat. Physiologiam de pilorum generatione communi, de quâ pluribus *Marcell. Donat. in princ. hist. Med. Mirab. Hercul. Sax. lib.* 10. *Panth. c.* 35. *& sequent*, & alii disserunt, hîc repetere nolo: Sufficiat nobis, *quod l. de nat. hum. Exer.* 3. §. 13. innuimus, pilos tertiæ concoctionis excrementum esse; ex sicca videlicet & vaporosâ materiâ, tali tamen, quæ soliditate quâdam pingui sit prædita, productum: *Excrementum* dico, non penitus inutile, sicuti de fine pilorum dicto loco quæst. 7. satis apparet. Hanc pilorum generationem, num partibus internis etiam attribuere liceat, dubium est, cum non sufficiat materia generationis, nisi quoque simul adæquatum & conveniens subjectum adsit, unde ratione partium, quibus

Planum quod in partibus internis pili generari possint.

Pili in corde.

Pili in mammis.

Pili in renibus.

Pili in abscessibus.

Pili in tumoribus.

Pili per vomitum rejecti.

Inquisitio in causam generationis pilorum in ipso corpore.

An internis partibus talis generatio pilorum conveniat.

quibus innaſcuntur pili, plurimum eoſdem variare videmus, quod maximè barbæ, palpebrarum, ſuperciliorum, axillarum, cæterorumque membrorum teſtantur pili, de quo *Gal. l. de comp. med. S. L. c.* 1. & *l.* 11. *de V. P. cap.* 14. videatur. Pilos oblongos in lingua cuidam enatos ſcribit *Amatus Luſitanus*, ex eoque repetit *Marcellus lib.* 6. *hiſt. Med. c.* 2. quos etiam evulſos aliorum inſtar viciſſim renatos fuiſſe aſſerit: Mirum profectò, & non ſine causâ monſtroſis apparentiis à *Marcello* annumeratum oſtentum, cum pars hæc perpetuâ ſcateat humiditate, ſingularis utilitatis gratiâ, propter ſapores judicandos eidem conceſſa, quâ ſublata, quod incendiis febrium fieri ſolet, guſtus etiam neceſſariò deficit. An autem calor nativus vehementior eò usque proceſſerit in hac parte, ut abſumptâ convenienti temperie generationi pilorum anſam præbuerit, dubium eſt, nec circumſtantiæ neceſſariò hic perpendendæ, per prædictos Autores annectuntur. *Hirſuto corde* prædiri, quotquot enumerantur ab Autoribus, ferociores & animoſi, dùm viverent, prædicantur, quam ob cauſam temperamento partis calidiori meritò idipſum tribuimus: cum enim quotidiè mactatorum brutorum, frequenter etiam corporum humanorum diſſectiones demonſtrent, in corde copioſam adipem, pro ratione temperiei cujusque generari, cujus generationem, nos etiam datâ materiâ & aliis calori adſcribimus, ut patet *de Nat. huma. lib.* 1. *Exer.* 3. *q.* 4. quid mirum, ſi datis requiſitis convenientibus, etiam pili generari poſſint, cum utraque productio ſeparationi tertiæ concoctionis excrementorum tribuatur? ut ita penitus impoſſibile non videatur, etiam in partibus internis pilorum productionem naturaliter interdum fieri poſſe, quod inter cætera fætus in utero quoque teſtatur, inſtar partis maternæ, donec excludatur, vivens, quem ſæpius non capite tantum, ſed ferè toto corpore hirſutum in mundanam ſcenam prodire videmus, pilis ſæpiſſimè ſatis oblongis, idque tunc temporis maximè, quum matres conſtitutione corporis calidiores, uteroque robuſtiore præditæ ſunt, quanquam connati pili tales ſponte ſuâ, cute poſt partum tam propter aëris ambientis naturam, quâ alias ob cauſas alteratâ, decidant, novis poſtea ſenſim progenitis. Sed minus ad rem, inquis; cum non tàm de eo ſoliciti ſimus, quomodo partibus internis pili, tanquam excrementum concoctionis tertiæ, licet rariſſimè, innaſcantur, quàm quâ ratione fieri potuerit, ut in morboſâ conſtitutione, utero, teſtibus, ipſisque renibus tale quid, non ratione ſubſtantiæ, ſed ratione cavitatum acciderit, quemadmodum exempla ſingularium obſervationum idipſum confirmant. Fateor equidem communem & naturalem pilorum generationem hactenus me præſuppoſuiſſe: reſtat impræſentiarum, ut videamus, num etiam alius productionis modus dari poſſit? innuebat idipſum ſuperius *Alex. Bened. ex Galeno*, præter naturam varia, pilos etiam referentia, generari poſſe, quemadmodum hac de re variè varii diſſerunt, inprimis illi, qui ſupra nominatum Aphoriſmum Hippocraticum declarare conantur. Nos non negamus, præter *univocam* & communem pilorum generationem, *aequivocam* etiam dari poſſe, quo modo videlicet in diſpoſitione corporis morboſâ ſeu præter naturam, calor nativus id elaborare & producere conatur, quod pro diſpoſitione materiæ fieri poteſt. Sic cum urinâ craſsâ veluti capillos exeuntes à renibus excerni ſtatuit *Hipp.* cui experientiâ ſuâ, tàm in *comm.* quàm in 6. de *locis affectis* ſubſcribit *Galenus*, qui craſſum humorem in renib. ad aliquem usque modum torrefactum pili formam induere putat, unde tales ægrotantes, medicamentorum tenuantium & incidentium uſu, cum, victus ratione humectante, ſanatos eſſe teſtatur. Non admodum abludit ab hac aſſertione *Cardanus in comm:* dum inquit: *generantur hi pili prælongi in renibus, ex materia tenui, lentâ, terrea, à calore immodico, ut reliqua omnia, quæ conſiſtentiam habent. Vnde curatur patiens, humectantib. attenuantib. ac diſſecantib. quatenus ſc. magis attenuata materia non poſtmodum coire poteſt. Viſcerus in com. ad aphoriſmum* mavult ex mente *Hipp.* renum ulcus ſubintelligere, nempe quod fibroſæ renum carnes in hujusmodi quaſi filamenta reſolvantur, ulcere attritæ & laceratæ, quod etiam *Paracelſo placet*, dum ad Aphoriſmum inquit: *quando renes lacinioſi & plumoſi fiunt, ſicut fortis quoq; fieri poteſt, ut ſc. ulcera naſcantur, quam in forma pilorum, aut ſicut ſciſſura fibroſe carnium abſumantur, ſicut ſolent ulcera plumoſa; quia, inquam, renes ejusmodi ulceribus obnoxii ſunt, atque ita corraduntur, ea omnia in urinam tranſeunt, ſæpe in tanta quantitate, ut meatus obſtruantur, & urina impediatur, atq; ita in urina poſt exitum conſpiciantur: ſi igitur tales Laciniæ in urina reperiantur certiſſimum ſignum eſt, in viis urinoſis ulcus pulmoſum deliteſcere.* Non difficulter hoc ipſum concederemus, niſi non tantum filamenta ulcerum abraſa, ſed etiam pilos revera tales, cum urina excretos experientia tua & aliorum confirmaret, quâ de cauſa, τριχίασιν ab ulceratione renum meritò diſtinguimus, ipſo etiam *Galeno l.* 6. *de l. a. c.* 36. ſtatuente, veriſimilius ſibi videri, in venis ex craſſa & lenta materia pilos ejusmodi fieri, quando calor in venis materiam illam habilem exiccat & in crinem efformat.

Montanus in vaſis urinariis materiam illam viſcidam aduri putavit, ita ut præ anguſtia & longitudine ureterum in pilos efformetur. *Fernelius lib.* 3. *Pathol. cap.* 16. ex vaſis ſpermaticis, quæ paraſtatæ dicuntur, derivari dicit, in quibus teretem figuram ſortiantur, ex ſeminis materia; quæ vi morbi ſenſim defluens calore craſſeſcat, quo etiam inclinat *Hercules Saxon. cit. loco*, qui omnium pilorum materiam ſtatuit vaporem pinguem, quaſi ſeminalem, utpote cum craſſa pituita, ſæpius etiam per vias urinarias ablegata, nunquam ſufficiens materia generationis pilorum eſſe poſſit. *Probabilius dici poſſe videtur* (inquit *Viſcerus*) *craſſos iſtos ac lentos humores, è quibus fila iſta tenuia naſcuntur, in venis quidem coacervari, conſiſtentiam verò pilorum accipere in anguſtis renum meatibus, per quos pituitoſa materia, una cum ſeroſo ſanguine tranſit ac trajicitur; Poſtea deſcendere in ureteres, in quibus magis exiccetur, donec à lotio abluta, in veſicam protrudatur, ob tenacitatem tamen non abrumpa-*

Pilos in lingua enatos.

Hirſutum cor unde?

An detur alius productionis modus.

Fundamentum reſolutionis.

abrumpatur: id quod etiam curandi ratio ostendit, quâ usus est Galenus per extenuantia & incidentia, victumque humectantem: ita namque prohibetur, ne materia ista, lentore sublato amplius coëat: Brassavolas etiam ad Aphor. prædictum, non à renum exulceratione τριχίασιν fieri putat, ea propter, quod affectus diureticis curetur, quæ tamen renibus exulceratis minime conveniant. Absint igitur *filamenta*, quæ ulceris abrasi particulę esse possunt: absint *fibrosæ sanguinis partes*, quas propter commistionem sanguinis & urinæ sæpius excerni vidit *Christoph. à Vega, commen. de Vrinis cap*.4. more fibrarum sanguinis, post venæsectionem in aqua separatarum: absit, quod *ex reliquiis gonorrhææ* virulentæ, vel mulieris menstruatæ, seu viri complexum jam tùm passæ; cum urina pilorum & filamentorum instar excretum est, ut innuit *Fernelius citato loco*: de eo quæritur, *quomodo pilosa substantia lanuginem diversi coloris exhibens*, qualem portiunculam ex utero dissectæ hydropicæ desumptam, ante annos aliquot mihi transmisisti, *in renibus, testibus, utero vel aliis partibus, generari possit?*

Resolutio ad quæst.

Hîc necessario duplicem pilorum generationem repetere cogimur, dicendo, quod æquivocâ quâdam productione tale capillitium producatur, idque in statu præter naturam, quemadmodum omnia tua exempla & aliorum observationes testantur: scil. *non intentione primâ*, prout in statu secundum naturam maximâ ex parte pili progenerantur, ita, ut ex quorundam mirabili structurâ *Galenus* DEI Opt. Max. singularem providentiam colligat; sed *secundariâ*, quatenus vis formatrix, convenienti materiâ datâ, etiam in abscessibus & læsis partibus nostris, otiosa non est, quod generatio puris & aliorum contentorum præter naturam testatur. Maximè verò hîc conveniens pilorum materia perpendenda videtur, quam *Her. Sax.* seminalem & propriâ formatrice præditam asserit, quâ ratione videmus etiam sub cute, priusquam per poros ejus egrediantur, pilos formari, quemadmodum apertè satis aprugna caro testatur, quæ sæpius ex substantia carnis, quasi setas provenientes, & cutem postea transeuntes exhibet: Similem ergò materiam in abscessib. glandulosarum partium dari verisimile videtur, utpote cum glandulosa corpora superfluitates utiles tertiæ concoctionis, quò etiam seminalis pilorum materia pertinet, promptè recipiant. At verò datâ materiâ mirum non est, quin agente calore, interdum eò usque elaborari possit eadem, ut pilosum quid inde producatur, cum mille artifex sit calor innatus, qui gradibus licet alteratus, in abscessibus & collectionibus nunquam otiosus est: ne quid dicam de putredinali cadaverum calore, quem etiam post mortem pilorum proventum in locis consuetis, datâ materiâ, promovere videmus. Obiter dum prædictum *Saxonium* inspicio, *pilaris puerorum affectus* occurrit, quo ipso prædictus etiam Autor demonstrare conatur, pilos non semper in ipsa cute, sed interius quoque formari posse, quemadmodum affectum hunc pilosum ex *Buditio, Paræo* & aliis describit, cujus assertioni calculum addo, qui diligenti inquisitione factâ, qualis nam sit iste affectus pilaris (quem nostri die Mitesser vocant, ea propter quod infantes, hoc morbo laborantes atrophiâ quasi laborent) tandem observavi, puerulos illos, qui pilosi, tàm capite, quàm toto corpore nascuntur, hoc morbo non affici, sicuti in filiis meis duobus prioribus, ut & filia nihil tale licuit observare, qui tamen omnes pilorum subtilium proventum aspectabilem secum attulerunt, mox postea suâ sponte, cadentium: at ultimus natu, quem DEI gratia hîc Ulmæ Hedwiges mea enixa est, prima tali lanugine destitutus, sed mox cęteris tenerior & magis macilentus, revera *Pilarem hunc affectum*, ut vocat *Montuus de morbis puer.* perpessus est, ubi mellis inunctione factâ cum subsequenti frictione, tàm in dorso, quàm in brachiis atq; femoribus, per poros cutis, innumerabiles, *Cridones, Paræo* à crinium formâ sic dictas, seu eminentias quasi crassorum pilorum evocatas vidi; vermiculorum intercutaneorum quoddam genus putat *Küfnerus, Schenckius, & alii*; quanquam ego nil quicquam, quod vitæ testimonium perhiberet, in ejusmodi eminentiis observaverim, utpote, cum instar sordium, in poris cutis hęrentium, per reiterata balnea abstergentia postea tollantur, subsequente puerorum nutritione & refectione conveniente, quemadmodum in filiolo meo ab eo tempore hucusq; præ cæteris ἰσοσάρκῳ & DEO benedicente quasi τετραγώνῳ, satis apparuit, quod qua ratione fiat, ulterius inquirendum. Verisimile videtur, hecticam dispositionem & maciem in tali casu pueris accidere, propterea, quod materia illa viscida, quæ præter naturam in poris cutis retenta fuit, impedimento sit, quò minus calor insitus convenientem transpirationem habere possit, quam ob causam idem calor interius augetur, ita ut admodum quidem appetant pueri, & fame quasi torqueantur, nihilominus autem convenienti nutritione & augmentatione destituantur. Quamprimum v. cutis ab ejusmodi materia obstruente prædicto modo liberatur, mox partes antea flaccidæ suum habent incrementū, & reliqua pilaris affectus symptomata desinunt, quod in proprio meo filiolo, cui ex alto DEUS ulterius benedicat, satis superque sum expertus. Sed quò labor, optime Fabrici? probabilem tantummodo, non demonstrativum hunc discursum judico, tecum sentiens, quod multa nos in hac densa mentis caligine lateant, quæ tandem in DEO contemplabimur, cui miram nostri corporis conformationem soli S. Scriptura tribuit meritò. Interim dum hîc cum Æsopicâ vulpe vas lambimus, non penitus aberrasse videor, dum etiā curationem tuam in τριχιάσει adhibitam perpendo, quia causæ antecedenti prospiciendo, per Clysteres emollientes, incidentes, & abstergentes, per ejusmodi quoque potiones lenitivas ad vias urinarias expurgandas simul directas, non neglectis iis, quæ exterius huic intentioni servire poterant, feliciter diuturnum hunc affectum extirpasti, quò luce meridiana clarius redditur, pilorum ejusmodi proventum collectione pravorum humorum originem suam debere. Tu bene vale, & me, quod facis, amare perge. Raptim Ulmæ
12. Octob. 1623.

Quid pilaris affectus puerorum.

Probabilis assertio de causa pilaris affectus.

POST SCRIPTVM.

QUÆ sub dato 6. Septemb. currentis anni, subjicis, Vir Clarissime, de imaginatione, prægnantis, exempla, libenter legi: ni fallor dissertationem de hac materia publicè in actu Doctorali Dn. D. *Streitteri*, Medici Spirensis habitam à me tibi communicavi. Pluribus eò in loco id ipsum, sicut etiam *in lib. Histor. Med. Mirab. Marcello addito* declaratur. Unicum tantùm addo, nimirum notatu dignum exemplum honestæ fœminæ, quam lithotomus noster, Dn. Joh. Jacob. Merckius, arte sua ac peritia tibi notissimus, in sextum circiter mensem prægnantem, à calculo satis insigni per Chirurgiam liberavit, ita, ut optimè restituta certo tempore fœtum perfectum ac vitalem ederet, cum antea calculi magnitudine impedita, tempore partus aliquoties periclitaretur. Hic terror & imaginatio fœtui nihil quidquam nocuerunt, quam ob causam videmus imaginationis impressiones diversimodè fieri, quod ego magnanimitati & constantiæ matrum tribuendũ esse censeo, cum non omnes æqualiter affectibus abripiantur. Iterum ἐπὶ μήκιστον. Vale. Dabam, ut suprà.

Experientissimus & Clarissimus
Dn. GUILIELMUS FABRICIUS,
Pollater Reipubl. Bernensis.
GREGOR. HORSTIO D.
Archiatro Vlmensi.

SDoctissimâ tuâ responsione ad epistolas meas de Trichiasi, Vir Amplissime, fautor & amice æternum honorande, abundè mihi satisfecisti, multumque familiam Æsculapideam, me verò inprimis tibi obstringis: locum enim, Deo volente, in quinta Centuria habebit.

Vivit etiam nunc apud nos vidua illa, quæ pilos excernit; & jam annum Climactericum magnum prætergressa est. Hodie consilii causa me convenit, & significavit, se adhuc per intervalla crines per urinas excernere, imò & nonnunquam carbones. Laborat morbo isto, ut refert, nunc in decimum tertium annum; ab eo tamen tempore, quo meis usa est consiliis, & remediis, se ne quidem per diem integram decubuisse, etiam hodie apud me candidè testata est. Corpus per intervalla expurgat, therebinthinam quin etiam in substantia per intervalla, Clysteres verò frequenter sumit. Medicamenta enim pro Clysteribus, apud se semper habet in promptu: quamprimum itaque alterationem aliquam, aut calorem præternaturalem in renibus, partibusque inferioribus persentit, protinus sibi Enema præparat, & beneficio instrumenti mei, cujus delineationem habes in tractatu de Dysenteria, sibi ipsimet infundit. Sic, per DEI gratiam satis feliciter vivit, & provinciam, quam habet publicam, alacriter, & cum laude administrat: jussi hodie ut crines mihi colligat; id si fecerit (faciet autem sine dubio) specimen ad te mittam, ut videas veros esse crines. Benè Vale.

Bernæ Helvet. 28. April. Anno
1624.

OBSERVATIO LIV.

Singulares læsiones partium genitalium.

CASUS.

QUidam annorum quinquaginta trium, mediæ, uti videtur inter sanguineam & cholericam, complexionis, vir robustus & corpulentus, justæ staturæ, sub rubicundus, hepatis calidioris, unde perpetua ferè siti premitur victu utens euchymo & largiori, anno præterito, æstate media, sub finem Julii, flagrante æstu insolito, incidit primò in insuetum quoddam accidens, quod sic habebat; Glans penis præputio tegitur semper, nec retractum est præputium, ut in cæteris viris, Venere utentibus; imò adeo tunc coarctatum erat præputium, ut tandem vi retrahere necesse fuerit, quod cum fiebat, rimulas agebat præputium in circuitu, sanguine etiam manante, non sine magno cruciatu, & pruritu, ita ut penem usque ad sanguinis effusionem fricare cogeretur, nunc autem ita coarctatum est paulatim præputium, ut retrahi nullâ amplius vi possit, neque in ipso opere.

At quamvis præputium amplius retrahi nulla vi possit, nihilominus rimæ istæ per intervalla sponte apparent, & per se iterum disparent. Medicus tunc præsens culpam conjecit in nimium ferviorem sanguinis, unde pars illa adeo exiccata & coarctata. Usus est ergo patiens acidulis continuò, maximè matutino tempore, non quidem medicinaliter, uti loquuntur, sed saltem ad refrigerandum Hepar, à vino tamen ratione stomachi in totum abstinere non potuit. Purgatus est à Medico, & præscripta linimenta emollientia & consolidantia, quorum usu rimulæ illæ quidem ad exiguum tempus sanabantur, brevi autem recrudescebant. Non fuit vena secta tunc, quia neque propter negotia gravia fieri poterat, & erat insolens & maximus æstus. Alioquin singulis annis in autumno & vere saluatellæ utriusque manus secantur, sanguine largiter fluente. In brachiis verò nulla vena tundi potest, ob nimiam brachiorum crassitiem, idque jam ab annis quasi viginti. Sanatis utcunque his vel ulcusculis, vel rimulis, supervenit aliud accidens gravius, gonorrhœa, non virulenta quidem (de qua etiam nulla suspicio) sed involuntaria saltem & modica, non tanquam in coitu, neque ullo sensu delectationis seminis, per intervalla, diu, noctuque, profusio. Semen autem, quod ita per intervalla & modica quantitate effluebat, hærebat circa colen intra præputium, & maximum excitabat pruritum. Atque hoc etiamnum durat, aliquando bis in die, & noctu etiam, & Dn. Patiens semen ita profluere sentit, potissimum ex ingenti pruritu circa colen, ita ut digitum intra præputium immittere, & fricare, & semen in viis hærens, quod crassum est aliquando instar pultis, exprimere cogatur, quod cum factum, cessat pruritus. A nimia seminis copia & acrimonia id evenire putatum, cum alioquin Veneri assuetus, nunc per aliquot menses hoc exercitio careret, eò quod conjugem suam non habebat secum. Spes igitur, si reverteretur domũ, & moderata uteretur Venere, fore, ut hoc malum per se cessaret: & quia imminebat profectio,

profectio, nulla tunc medicamenta interna præscripta sunt. Quando verò ventum est domum, & affectus non cessabat, varia sunt præscripta, balnea, inunctiones, pillulæ, tragemata, quorum omnium descriptiones in fine adjectæ, variè item purgatum corpus, quin & proximo Majo, (quia ex acrimonia seminis & copia malum hoc ortum duxisse non dubium, sentit enim patiens se in coitu plus seminis emittere, quàm ante hac solitus) acidulis Geppingensibus usus est methodicè, & cum in summo erat, ad sesquimensuram Würtembergensem pervenit, itaque per octiduum perstitit, & in victus ratione conveniens etiam huic malo regimen tenuit. At his omnibus administratis, malum hoc non modò nihil remisit, sed indies augetur, & jam Dn. Patientis vires notabiliter satis prosternit. Hactenus quidem ad ea, quæ Medici pro semine extinguendo præscribunt, non est progressum, neque etiam consultum videtur, quia Dn. Patiens est uxoratus, & uti mox dictū, aliàs vires elanguescunt. Cum igitur pejora inde timenda, si malum ita planè radices agat (uti jam egisse videtur: jam enim integer annus ab initio mali lapsus est) Excellentissimorum Medicorum consilium exquiritur, quid porrò agendum censeant, & si quod fortè longâ experientiâ, ratione & usu compertum habeant remedium, quo Dn. Patiens ab hoc tam oneroso & gravi affectu liberari posset, id candidè impertiri ne graventur, de quo omnes & singuli ad quorum manus scriptum hoc pervenerit, ex parte Dn. Patientis, & ex parte Medici assistentis rogantur, utque quivis, qui consilium hac super re impertiturus est, nomen suum addat, nullo modo dubitans, quamvis nec æger, nec Medici ipsius nominantur, quin dignum industriæ, ingenii & opis Medicæ præmium sit reportaturus. Medicus etiam præsens omnibus consilia sua conferentibus, quorum fortassis nonnulli ipsi familiariter & à multis annis collatis consiliis noti erunt, amicè se commendat, & sua itidem exigua officia, si quando sors feret, vicissim pollicetur, omnesque & singulos tanquam dilectissimos in arte fratres valere precatur & optat quàm diutissimè.

Formulæ autem medicamentorum
præscriptorum hæ sunt:

℞. *Extracti Cephalici* ℈j.
Balsam. aloëtici gr. xj.
Extr. Pil. cochiar.
Crem. Tartari ana gr. v.
M. f. bolus. sæpius est repetitus.

℞. *Sassafras inc.* ℥j.
Passul. min. ℥j.
Liquirit. rasæ ℥ij.
Sem. Anisi ʒß.
Coriandr.
Cinam. acutiss. ana ℈j.
Incisa dentur ad chartam septies repetitum.

℞. *Therebinth. Veneta lotæ cum aqua plantagin. & paulatim cocta, ut in pill. redigi possit* ℥ij. *Pulv. liquirit. rasæ* ʒjß.
Trochisc. alkekengi s. opio
Succi liquirit. inspissat.
Spec. diatragac. frig. ana ℈j.
Syr. myrtini q. s. F. Pill. instar. cicerum.

℞. *Vngu. Santalini*
Comitissæ ana ʒß.
Ol. nymphea ʒiij.
Camphora ℈j.
Aceti rosac. ʒjs.
Ducantur aliquandiu in mortario plumbeo, donec in linimenti formam redigatur.

℞. *Spec. diamarg. frig.*
diatrionsat.
diatragac. frig. ana ʒj.
Corallor. rubr. ppt.
Trochisc. alkekengi. s. opio an. ℈j.
Sem. Plantag.
Flor. nymphea alb.
Rosar. rubr. ana ℈j.
Sacchari albiss. ʒiiij.
f. l. a. Tragea.

RESPONSIO
Ad præsentem casum.
GREGORII HORSTII, D.

Duplex est affectus p. n. præsentis ægri, quorum alter ad morbos organicos, alter ad gonorrhææ differentias pertinet. Quod primum attinet, nimirum præputii coarctationem, conjugalem congressum, ipsiusque seminis ejaculationem impedientem, una cum subsequenti, propter vehementiorem attritum, pruritu, dolore, excoriatione, in fissuras sanguinolentas desinente, &c. necessarium esse videtur, ut manuali operatione parti, quâ viri sumus juxta Plautum, succuratur, idque fiat eò modo, quem in *Epistol. Med. lib. 1. Obs. Med. p.* 5. 18. descripsimus: nimirum sectio fiat in præputio recta, secundum longitudinem membri in 4. partibus, ut omnes istæ sectiones præputio glandem adhuc tegente, quasi crucem referant, ubi tamen sensim sectio tentanda, multis vicibus, ut interior pars cutanea præputii maneat integra, quæ facilimè postea extenditur, ut sine dolore præputium trahi, retrahiq; possit, quod ante annos aliquot ad votum successisse memini: nec dubito, quin Chirurgiâ hac administratâ, propter denegatam collectionem acrioris seri, seminalisque materiæ intra præputium & glandem, pruritus, inflammatio dolorifica, & excoriatio præcaveatur.

Præputii coarctatio quo modo secanda.

Quod secundum affectum concernit, eundem ad gonorrheæ differentias pertinere diximus, quanquam considerato subjecto laborante pleniori, ferè declinantis ætatis, tum etiam propter imbecillitatem partis recipientis, inprimisque, quod copiosè, sine voluptatis sensu involuntariè per intervalla, diu noctuque, seminalis ista materia dicta profundatur, non propriè dictam gonorrhœam, quæ fit juxta *Lucretium.* ubi

Gonorrhææ differentia.

Irritata tument loca semine. fit q; voluptas
Ejicere id, quo se contendit, dira libido
L. I. 3. *Incitat,*

Incitat, irritans loca turgida semine multo,
Idq́; petit corpus, mens unde est saucia amore:

Sed illam adesse speciem opinor, quam *Langius in Epist.* vulgarem esse dicit, ex putrilagine phlegmatis vel salsi, vel etiam crudi copiâ (quod apparet etiam in hac constitutione corporis sanguineâ cum cholerâ permixtâ, cujus fomentum sit sanguis in toto cum crudis humoribus abundans) obortam. Hanc non modò propriè dictæ gonorrhœæ, ob renum fervorem ac seminis copiam, mentisq́; intranquilla somnia, refrigerantibus, astringentibus & siccantibus, sed ob malorum humorum ad partes genitales alluvionem, purgationibus, sobria victus ratione, curandam esse rectè statuit. Hinc ego, salvo tamen aliorum, doctiorumque, inprimisq; præsentium Medicorum judicio, patienti decoctum radic. Chinæ cum Sarsapariglia, sub finem decoctionis passulis, jujubis & rad. glycyrrhicæ adjectis, per menstruum spatium, cum diæta, & secundario decocto, ligno lentiscino superaddito, vino interim interdicto, plurimum profuturum non dubito, præsertim eò respiciendo, ut singulis septimanis per triduum pomeridianus sudor omittatur, post sudorem matutinum, duabus horis ante prandiũ, assumto infuso laxativo, quod fiat ex decocto sudorifero Chinæ, cum purgantibus non admodum ingratis, ut sunt folia senæ, Mechoaca, Turbith, Hermodactyl. &c. serosos potissimum & acres humores educentibus, quæ omnia præsens Dn. Medicus pro re nata, cum iis etiam, quæ præparationis gratiâ præmittenda, diligenter ordinabit. Hæc sunt, quæ communicare debui. Faxit Deus, ut omnia cedant ad ægrotantis exoptatam valetudinem. Dabam Ulmæ.

Vir Clariss. Excellentiss.

JOH. CHRISTOPH. EISENMENGER, D. Reipubl. Hailbrunnensis Physicus,

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Præm. P. Cæterùm sæpius consilii causâ molestor à Chirurgo nostro, cui est patiens ann. 48. homo parvæ staturæ, constitutionis biliosæ, nec non ab ineunte ætate fluxionibus obnoxius. Hic ante 15. annos gonorrhæâ, laboravit diuturna, cui ante biennium pustula glandis in membro virili successit, degenerans paulo post in verrucam. Quanquam vero medicamentis hæc ipsa verruca deleretur, brevi tamen tempore rursus incrementum sumpsit, qua de causa patiens, Chirurgum suum post ponens, aliorum consilio, per oleum Mercurii curationem tentat, sed frustrà, donec aliis Empiricis etiam adhibitis omnia deteriora fiebant, multis verrucis, cum tumore & inflammatione membrum virile circumdantibus.

His Chirurgus noster, ad quem rediit æger, per oleum Antimonii, non sine dolore gravissimo, succurrere conatur, ubi quidem mundificatio sequitur, sed absque spe consolidationis: imò subitò glandi successit putrefactio, quæ quinque vel sex diebus penitus putredine consumpta fuit, ubi per ea, quæ putredini & corruptioni resistunt, hoc obtinuimus ut sphacelus ulterius non serperet, Quanquam vero decocto ligni potus loco utatur, & exterius unguentum de Mercurio sit usurpatum, ita ut etiam salivatio copiosa sit subsecuta, parum tamen spei restitutionis nobis affulget, cum bubo, simul in dextro inguine subortus fuerit, qui ad suppurationem veniens, omnia consolidationis remedia respuit, quanquam inter cætera balsamus hypericonis cum oleo Guajaci & tartari fætido mundificando commodùm adhibeatur. Patiens de lue Venerea nihil sibi conscium esse jurat, nec de aliis luis hujus accidentibus conqueritur &c. Hailbrunnæ, 29. April, 1629.

RESPONSUM

GREGORII HORSTII D.

P. P. Quod attinet bonum istum virum, cujus in literis tuis, mentionem fecisti, merito condoleo, quod potissimum laboret ea parte, qua viri sumus. Ante omnia eò respiciendum, ut per interna naturæ succurratur, ita ut potus quotidianus sit decoctum Ligni Guajaci, cum sarsapariglia, additis quibusdam herbis vulnerariis. Alternis diebus sumat Mercurii dulcificati ℥ß. cum ℈s. Diagrydii cum fumo Sulphuris præparati, pauxillo Cremoris Tartari addito, cujus beneficio lenis evacuatio subsequetur, inprimis si pedetentim Mercurii dosis ad ℈ij. augeatur, quo paulatim affluxus malignitatis absumatur, idque beneficio medicamenti appropriati, ubi non obstat, quod alia Symptomata communia luis non deprehendantur: cum enim externis ejusmodi ulceribus ægri laborant, eò omnis malignitas confluit, ad miraculum usque, quatenus inveterata ejusmodi ulcera sunt instar fonticulorum, omne malum ad sese attrahentium; hinc malum inveteratum minus molestum, minusque contagiosum, tam in proprio corpore laborantis, quo ad partes reliquas sanas, quam in alieno, quo ad astantes & concumbentes.

Externa quod attinet, mundificationem intelligo convenientem esse, modò consolidatio quoque subsequatur. Cum autem simul certior fiam, quod labia ulceris, ut & extremitas in pene refractoria sint, spem conciperem, fore, ut sequens linimentum naturæ succurreret, quod ℞. Fol. Sabinæ exicc. tenuiss. pul. ℥js. croci metall. ℈ij. butyri recentis in aq. rosͨ. multoties loti q. s. F. in mortario plumbeo linimentum. Ubi purificatum est ulcus, tam in extremitate penis, quam etiam in exulcerato bubone, Saccharum Saturni cum decocto ligni & corticum ejus dissolutum, linteolis humectatis usurparem, addito interdum Ung. aureo, defensionis gratiâ, exterius undique Empl. de spermate ranarum simul addito &c. Hisce benè Vale. Dabam Ulmæ, 2. Maij. 1629.

OBSERVATIO LV.

Consolidatio partium genitalium.

Clariss. & Experientiss.

DN. THEOBALDUS FETTICH, Phil. & Med. D. & Physicus Wormatiensis,

CLA-

CLARISSIMO VIRO,
D. PETRO FUHRMANNO,
Med. D. affini suo.

Coalitus Cunni muliebris ex vulnere consolidato.

S. HERI hanc à te, mi Domine Doctor affinis, historiam audivi. Fœmina, si benè memini, maritata cadens, lignum aliquod in manu tenens, ex improviso impegit in pudenda, & ita istum transitum ad uterum & vesicam vulneravit. Huic data est potio vulneraria, & forsan alia ad vulnus apposita, hinc paulatim vulnus coaluit, & meatus pudendi & urinæ paulatim totus clausus, ita ut nihil quasi ratione pudendi apertum appareat, loco isto admodum sicco, urinâ nullâ per loca ista permeante. Interim illa ab hoc tempore, nihil urinæ per locum naturę consuetum, taceo de uteri excrementis, excernit, locis istis naturalibus semper, ut mihi videtur, preter naturam siccis. Fœminam verò illam singulis vel alternis diebus per vomitū materiam aqueam, quam tu urinam esse dicis, excernere.

Hæc hujus fœminæ tua est historia, quam jam ad biennium & triennium benè vivere ajebas. Sit multa & rara in Medicinâ faciendâ medicos experiri, ut habet *Donatus Marcellus in suâ historiâ medica mirabili, quam* Anno 86. dum ex Italia irem, Placentiæ aut Mantuæ emptam mecum domum reportavi, apud quem urinæ retentæ historiæ aliquot.

Novi quoque apud *Mercatum* & apud *Salium Diversum* non modò historias, sed etiam curationes haberi urinæ retentæ ex obstructione, aut conniventiâ, aut confidentiâ venarum emulgentium: Apud Galenum vix tale aliquid, si benè memini. Et ego tres hujusmodi historias vidi, & interfui; unam in Magistro artium, Carpentarii nomine, cui urina ultra 10. dies retenta, quem instrumento in vesicam immisso tentavi primò frustrà curare per exsuctionem, sed nihil in vesicâ repertum, ex qua urinæ retentione obiit. Alteram in quæstore Palatini Heydelbergense, Joanne Mejer, abstemio, cui ad tres, & ultrà, septimanas, urina retenta, aut ad renes & vesicam non transmissa fuit, interim toto corpore, maximè verò venis admodum turgidis, quæ ex levi frictione multam aquam resudabant, in quo difficillima & gravis mors, ex suffocatione & tumore totius corporis, secuta.

Observationes de urinæ retentione 1. 2. 3.

Tertiam historiam vidi in quadam honesta fœmina, conjuge Dionysii Tirrii, mercatoris Franckentalensis, cui urina ad tres vel quatuor septimanas retenta, quæ, magnis cum doloribus & tumore ventris, frustra adhibitis diversissimis, obiit. Exoptassem horum corporum sectionem post mortem, sed recusatum ab adstantibus fuit. In hac autem tuâ historiâ non solum urina retenta, meatus urinarius clausus, sed etiam meatus pudendi aliàs satis amplus omninò conclusus, qui tamen propter sordes humidas illic semper, maxime in defloratis, præsentes, coalescere ne vix quidem potuit. Ad hæc urinam retentam fuisse, quod statim fieri oportuit, & ita simul vesica, ureteres, renes, venæ emulgentes suo munere destituti, totum illud serosum excrementum per venam cavam magnam ad hepar, ab hepate ad mesaraicas, ab his ad intestina, ab his ad ventriculum transmiserunt, unde illum vomitum singulis diebus factum & secutum fuisse ajebas.

Dubitandi rationes contra propositam historiam. 1.

Quæ excrementorum horum humidorum apud me impossibilis videtur expulsio in homine sano, aut potius neutro. Adhæc (medicè mihi liceat tecum agere) mihi impossibile videtur, potiones vulnerarias partes non læsas, ut hîc fuit vesica, ureteres, renes, emulgentes venæ, vena cava, hepar, mesaraicæ, & meatus ad ventriculi inferius orificium consolidare potuisse (cum illæ non vulneratæ fuerint) & ita consolidare, ut nihil omninò eò deferatur, colligatur, aut excernatur, tempore maximè ita longo. Taceo hîc, me vix aliquid apud Gal. legisse de potionibus vulnerariis, tu si quid habes apud Gal. me moneto; omninò enim mea Bibliotheca, propter nostri belli tumultus aliò transmissa mihi abest.

Hanc tuam historiam, si mihi explicaveris, & per *Dn. D. Horstium* confirmaveris, & rationes addideris, eris mihi magnus Apollo.

Observatio de oris coalitu præter naturam.

Sed ne videar tibi totus adversari, quasi verò partes naturaliter patentes non possint uniri: ecce! affero tibi exemplum. Anno 73. aut 74. dum essem Argentinæ, me puero hoc accidit: Molitori **in der acht rader mühl**/ ex levi aliqua vel pustula, vel vulnere in angulo oris aut labii orto (num ex diligentia Chirurgi, aut negligentiâ, mihi non constat) paulatim ita totum os coaluit & clausum fuit, ut infundibulo ali illum oportuit, cui tandem omninò os clausum fuit, quod per incisionem denuò apertum, iterum paulatim clausum, & secundâ sectione apertum, denuò clausum fuisse, aut coaluisse, tertio denuo clausum fuisse, & ita molitorem istum (noluit enim tertiò aperiri) fame obiisse.

Causam hujus vulgus **in das tieff in Sack greiffen** (erat enim summa annonæ caritas, j. **Malter um** 7. **fl.**) retulit &c. Ex Musæo 17. Martii 1621. Wormatii.

Vir Clariss. & Peritiss.
DN. PETRUS FUHRMANNUS,
Med. Doct. in Republ. Wormatiensi, *Gregorio Horstio*, Profess. Primario & Archiatro Hass. fautori & Patrono suo &c.

Salutem cum officiis.

TAcui hactenus: sed rumpendum est tandem silentium, Vir Clariss. & Experientiss. fautor, Patrone & Promotor observande, qui ab eo tempore, quò Giessam deserui, nihil literarum ad te dedi, & de statu, conditioneque mea, certiorem te non feci.

Aliter enim amor & benevolentia T. E. in me collata postulat. Verum tu pro candore tuo hoc silentium mihi condonabis, ut qui probè nosti, illas occupationes, quibus hactenus in hoc turbulento & bellicoso statu, juxta curationibus ægrotorum, ac aliis domesticis impedimentis subinde detentus implicer.

Scio his consideratis te mihi condonatum ire, si quid in silentio hactenus peccatum fuerit. Ego cum uxore & filiola mea recens nata, laribusque meis prospero fortunæ statu,

statu, per DEI gratiam, utor: Idem si de te, tuisque audire mihi contingat, est, de quo gaudeam. Dominum Doctorem *Iacobum Müllerum*, T. Excellentiæ fratrem, Mathematices Professorem Giessæ, de sceleto mihi huc transmittendo sum alloquutus: Quod si precibus & remuneratione ab ipso mihi acquirere possem, gauderem, qui me ad omnia officia tam promptum, quàm promptissimum habebit.

Libellus T. Excellentiæ de variolis & morbillis germanicè editus à Secretario Erpacensi mihi est oblatus, pro quo maximas habeo gratias: Si quid in meis observationibus Chirurgicis & Medicis & Chymicis, quas sub manibus habeo, est, quod tibi inservire possit, propediem, quo ad tibi visum fuerit, transmittam. Affinis mei minorennis, quem præteritis Francofurtensium nundinis Giessam studiorum gratiâ adduximus, in ædibus M. Macrandi degentis, uti, quantum ad sanitatem corporis attinet, inspectionem habeas, tota familia te obsecrat. Beneficia ei tùm præstita, tùm præstanda soluturi sumus animo grato. Non possum, quin informationem aliquam à T. Excellentia hoc loco petam. Negotium non ita pridem cum Medicinæ Doctore apud nos, affine meo, cujus literas has T. Excellentia legat, mihi erat. Tum incidebam ei narrando, in hanc historiam satis infrequentem, atque adeò nostratibus inauditam, de muliercula quadam apud vos ante triennium, nisi me fallit memoria, lignum asportante, graviter sauciatâ: cuique pudenda læsa postmodum ita curata fuerunt, ut urinam etiamnum excernere nequeant, salso vomitu quotidiè materiam aqueam expellente. Obnixè ergò pro nostra amicitia, quæ mihi tecum intercedit, oro, ut nos certiores reddas de modo hujus curationis, & quomodo valetudine illæsâ natura aqueam hanc materiam excernat. Hic ignorantiæ & dubitationis nostræ scrupulus ut eximatur, ad satietatem usque nos edoceas, obsecro. Schillingius noster ante semestre, bona pace, ut à me discessit, decimo quarto Augusti Doctoratus titulo in Academia Patria Argentoratensi fuit insignitus, qui nuperrimè literis ad me exaratis Tuam Excellentiam benè valere jussit. Velim ut meis verbis professores omnes salutes.

Observatio de pulmonibus vulneratis.

Addendum videtur, quod Galenus aliique Medici pene omnes ad unum negent, vulnerationem pulmonum curari posse, propter continuum eorundem motum. Contrarium ego observando deprehendi in nostra civitate, ubi civis alicujus pulmones sinistri lateris globulo sclopeti trajecti & vulnerati fuerunt, ut utrinque spiritus, sive aër attractus, regurgitârit, qui tamen à me, per Dei gratiam, feliciter sanatus & curatus est; Sed de his pluribus brevi ad T. E. perscribam, ne garrulitate Atticâ tuum benevolum offendam animum. Benè vale totâ cum familiâ. Dabantur Wormatiæ, die 24. August. Anno 1621.

Viro Clariss.

DN. PETRO FUHRMANN, Med. D. & Medico Wormatiensi meritissimo,

GREGOR. HORSTIVS, D.

Somnino supervacanea erat silentii tui excusatio, Vir Experientissime, Doctissimeque, fautor & amice plurimum colende, cum in bonâ causâ tacens etiam consentire videatur; qua propter de studiosâ tui erga me affectione nullatenus dubitare potui. Postquam verò de occupationibus tuis tantum otii nactus es, gratæ mihi fuerunt literæ tuæ, inprimis quod nata filiolâ fœcundum conjugium indicarent.

Jocus.

Sed miror, quod in incipiendo segniores sartores imitatus sis, qui nodi, filio adjiciendi, sæpius obliviscuntur; imposterum ergò cautius mercari discas. Me quod attinet tertia vice sequioris quoque sexus prole gaudere scias, fortassis etiam quod progenitorum duorum filiorum laboribus prioribus exantlatis rem ipsam segniter tractasse videar: Sed nosti quod actionis vehementia circa finem remittat. Affinis tuus ante mensem circiter Wildungæ me convenit, ubi, præmissis præmittendis, modum Acidarum assumendarum præscripsi, à quo tempore melius habere cepit: Si quid pro conservandâ sanitate optimo huic juveni deerit, eidem, ut debeo, promtissimus ero.

Historia mirabilis de vulneratis muliebribus.

Casus iste, quo ad vulneratam mulierem, ita habet, pro ut *Dn. D. Fettech.* retulisti, quod bona fide testari possum, nec de rei veritate quicquam dubitandum, cum in illo statu mulier adhuc vivat nobiscum. Verum error est in tua relatione, quod eandem quotidiè vomitionem aquosæ, salsæque materiæ habere dixeris, quod in hac fœmina non fuit observatum hactenus, cum potius per alvum aquositas ista quotidiè secernatur; unde Dn. *Fabricius Hildanus* in hac opinione est, sicut ex literis ipsius ad me datis manifestum, unà cum collo vesicæ rectum intestinum etiam læsum fuisse, ut hac ratione, mediante vesica, serum eò expellatur.

Historia de abscisis virilibus.

Erroris hujus causa fuit historia alia, quam fortassis etiam ex me audivisti, pueri videlicet prefecti sylvarum in Ahrheilign/ propè Darmstadt/ filii; Quem ante 9. vel 10. circiter annos Darmbstadii vidi, qui pene, testibusque penitus carebat, cute istius loci totaliter consolidatâ, quem defectum puer ex morsu porci dicebatur habere, quo in primo ętatis anno genitalia penitus ablata fuerunt, ex incuria pòst membro isto totaliter consolidato. Hic puer annorum circiter 12. tunc temporis, ubi Darmbstadii à me videbatur, candidè referebat, quod quotidiè bis compressionem aliquam circa regionem vesicæ sentiret, subsequenti mox vomitu salsæ aquæ, quam ob causam semper etiam vocem ferè raucam habebat, unde ab Illustrissimo ad Musices exercitium (num fortè tanquam Eunuchus singulare aliquid præstare posset,) cujus gratiâ tunc vocatus erat, adhiberi minimè poterat. Cæterùm quod ipsam consolidationem cunni muliebris in prędicta fœmina attinet, res ita sese habet.

Factum

Plenior relatio prioris historiæ.

Factum fuit ante biennium circiter, ut ingentibus colicis cruciatibus mulier ista satis enormiter torqueretur, ita ut non tantum in consilium me vocaret, sed simul etiam certior à me fieri cuperet, num sectio aliqua partium præter naturam consolidatarum tentari posset? Ex commiseratione igitur pauperculam, unâ cum chirurgo, Adamo Stoß, visitavi,& per chirurgum dilatatis cruribus ventrem inspexi: exterius primo adspectu nihil præter naturam erat; At dilatatis nymphis, mox callus induratus, loco foraminis undique quatuor carunculis aliâs ornati, sese offerebat, omni humiditate tota ista cavitate carente, quam ob causam vix risum continebam, ubi chirurgus Germanicè dicebat, **das Ding sol naß seyn.** Quibus consideratis, sectionem omninò dissuadebam, cum ex consideratione partium istarum vulneratarum non, nisi cum læsione gravi, tale quid tentari posse statuerem: Interim per clysteres, fomenta & alia, doloribus urgentibus, & alvi obstructionibus succurrebam. Hæc ita non obstantibus quotidianis sordibus humidis istarum partium coaluisse rei veritas testatur, etiamnum hodie superstite fœminâ: Cui ansam præbuerat pudor istius, vel etiam paupertas, quæ ad curandam vulnerationem non chirurgum, sed domestica tantum interna & externa media consolidantia adhibuerat.

Occasio coalitus in partibus obscœnis.

Consolidationem hanc adjuvare potuit, urinæ affluentis ad intestinum rectum aversio, cui vulnus inflictum ansam præbere potuit. Vidit hâc ratione senem paterniaci *Dn. Hildanus*, qui longo tempore non per penem, sed podicem urinam reddidit, ut literæ ipsius ad me datæ testantur, in quo post mortem aperto, vesicæ sphincterem scirrho occlusum invenit. Cæterùm quòd impossibilis videatur expulsio excrementi serosi per vomitum (quemadmodum historia pueri testatur,) ea propter, quod vesica, ureteres, renes, emulgentes, hepar, meseraicæ, intestina, tandemque ventriculus, omninò contra naturam suam, simul & semel hîc agere videantur, ulteriori consideratione dignum est.

Observatio similis.

Quomodo natura serositatem per vomitum expellat.

Totus in hac opinione sum, non statim ab initio, sed pedetentim hanc expulsionis viam naturam in puero hoc invenisse: Nec etiam verisimile primùm in vesicam materiam illam colligi, moxque regurgitare, tempore secretionis, cum serum denegatâ naturali convenienti expulsione undique, imò in ipso etiam ventriculo tanquam primo concoctionis organo, necessariò superabundet: Cum verò viæ urinariæ præ cęteris etiam serosâ copiâ scateant, mirum non est, quod excretionis tempore circa regionem vesicæ sensus aliquis compressionis percipiatur.

Quod autem potiones vulnerariæ non læsas partes minime consolidare queant, facilè concedo, cùm nunquam idipsum affirmatum fuerit; aliud enim est partes illas, suâ naturâ cavas, esse consolidatas, aliud etiam easdem in attractione feri quiescere: Prius absit ut affirmemus: At posterius asserere cogimur, propterea, quod officiales actiones in corpore nostro ita sibi invicem sint subordinatæ, ut una absque altera non agat. Sic sæpius ventriculi appetitus dejicitur, quod suctio venosi generis deficiat, ipso ventriculo interim secundum naturam constituto. Cæterùm, quod potiones vulnerarias attinet, de iis videri potest *Tagaultius*, *Guido de Cauliaco, Aquapend. Paraeus, Quercetan. Platerus, Sennertus* & alii. Historias de urinæ retentione, quas *Clarissimus Dominus Doctor Fettich* addidit, libenter legi, quibus adderem observationem urinæ retentæ per septimanam unam atque alteram in Nobilissimo Joach. à **Walsburg**/ Consiliario Darmbstadino, & Magnifico Cancellario *Struppio*, quibus utrisque ad extremum usque vitæ halitum, urina sine omni dolore & gravitate circa vesicam, & vias urinarias retinebatur, quod ego succumbentis naturæ signum esse statuebam; ea propter, quod propter secretricis imbecillitatem serum à sanguine non secerneretur in uno; In altero verò propter defectum alterationis, more lientericorum, per alvum assumptis non mutatis subitò decedentibus, simul dejiceretur. Sed abrumpo. Tu benè vale, & Clariss. *Dn. D. Fettich*, tuosque omnes ex me officiosè saluta. Benè iterum ἐπὶ μήκιστον vale. Giessæ raptim, 18. Novembris, 1621.

Observationes singulares.

Vide observation. lib. 4. ad finem.

Clariss. & Excellentiss. Vir
Dn. GUILIELMUS FABRICIUS HILDANUS, Med. & Chirurg. ord. Bernensium.

GREGORIO HORSTIO, D.

SLITERAS tuas Vir Amplissime, Fautor & amice æternùm honorande 15. Septembris *Licha* datas, ante paucos dies accepi, quæ mihi summoperè gratæ fuerunt, propter singularia, quæ in ipsis recenses. Inprimis autem multum admiror historiam de vomitu aquæ salsæ, quam ego serum ab ipsis renibus à sanguine segregatum, & attractum esse, non dubito. Per quas vias autem ex ipsis renibus, imò & ipsa vesica (gravitas enim, quam circa pubem aliquando persentit puer, urinam ad vesicam descendere satis superque denotat) ad ventriculum regurgitet, non facilè est scire. Vivit etiam nunc Soloduri matrona nobilis, quæ per annos circiter tres, ulcere renis dextri, non sine molestia, laboravit. Ego quintâ die Julii superioris Anni 1617. unà cum Clarissimo atque Doctissimo Viro *Dn. Ludovico Charandæo*, ejusdem Reipubl. Doctore Medico ordinario, in consilium adhibitus fui. Ipsa de dolore maximo & pungitivo lateris dextri sub costis mendosis, regionem renis versus, conquesta est, cum febre, aliisque indiciis, quæ materiam purulentam inter musculos abdominis & peritonæum contentam esse significabant. Factâ incisione, pus tam copiosè effluxit, ut spatio quatuor dierum ad libras duas & semis emanaret. Ante apertionem autem sæpissimè, & toties quoties lotium excernebat, grumi sanguinis ipsi admixti erant.

Observatio de abscessu renali aperto.

Cum primum verò abscessus fuit apertus, grumi isti non amplius cum urina, sed cum materia purulenta effluxerunt. Vidimus & aliquoties materiam serosam, aut potius ipsam urinam cum pure effluentem. Ex quibus perspicuum fit, abscessum illum cum rene dextro communica-

tionem habere maximã, per quas autem id fiat vias, latet nos; naturales enim dantur nullæ. Cæterùm intra paucos menses consolidato ulcere, cum plenissimè se restitutam esse matrona sibi persuaderet, & usum medicamentorum, ad integram curationem ulceris in rene, necessariorum negligeret, denuò post menses circiter decem à curatione, malum recrudescere cœpit, tandemque de novo abscessum in musculis abdominis procreavit: Quem iterum, in alio tamen loco & quidem non longè ab ipsâ spinâ, ante menses aliquot incidi.

Multum usque nunc effluit puris, sed qualis tandem futurus sit finis, suo tempore ex me intelliges.

Iterum redeo unde digressus sum. Quid quæso sentis, mi Domine HORSTI, possitné cutis, quę radicem virgæ tegit, in puero, cujus mentionem facis, incidi & ductus urinarius detegi? Simile quid refert *Bartholomæus Cabrollius, Chirurgus magni nominis observ.* 20. de virgine quâdam, ex nobili familiâ natâ, viginti circiter annorum ætatis, cui collum vesicæ membranâ crassâ & durâ obductum fuit: Urinam autem per umbilicum excernebat.

Observatio de coalitu colli vesicæ & urinæ per umbilicum rejectione.

Incisâ membranâ istâ, & filo ligato umbilico, plenissimè restituta fuit. In fæmina illa, quæ urinam per alvum excernit, frustrà administrari incisionem pudendorum & colli vesicæ verendum est; plane enim mihi persuasum habeo, non tantum collum vesicæ, & uteri, verum etiam ipsum intestinum rectum, ab arbore læsum atque perfossum fuisse, & proinde naturam pro excretione urinę viam sibi facilimè per alvum facere potuisse: Quæ via, cum nunc callosa reddita sit, difficulter coalescet, etiamsi circa collum vesicæ fieret incisio. Sed observa, quæso, anne etiam menses posthac per alvum effluant: Id haud difficulter fieri posse arbitror. Vidi senem quendam Paterniacensem urinam omnem per podicem sine insigni molestiâ excernentem, in quo post mortem, ductum urinarium circa sphyncterem scirrho occlusum esse reperi. Variolas quarum mentionem feci observatione 55. cent. 4. potius ex corruptione sanguinis, quàm imaginatione matris, provenisse tecum sentio.

Opinio Fabricii de historiâ propositâ.

Observatio de sene per podicem urinam reddente.

Affectus, qui cum pueris nascuntur, non omnes insanabiles esse, in aliquibus, uti etiam hîc ante annos tres, in Domini NICOLAI SINNERS, Patritii Bernensis, & nunc præfecti in Signauw filio (qui tunc tertium annum ætatis agebat.) expertus sum. Puer ille tuberculum rubicundum in medio nasi, ad instar cerasi, ex forti imaginatione matris ab utero, contraxerat: Hic tam feliciter à me sanatus fuit, ut nullum amplius appareat vestigium.

Connati affectus non omnes incurabiles.

Olim Coloniæ similem affectum in eodem loco, nec non ex eadem causa existentem curavi; sed de his aliâs plura. Generosus ille ex illustri familia Hatzfeldiorum oriundus, cui circa annum 1592. cum Coloniæ Praxin exercerem, pedem intortum restitui, uti observ. 56. Cent. 3. vidisti, etiam nunc tam ornatè & rectè incedit, ut ne minimus quidem defectus appareat. Ante annos duos ex Hassia rediens ipsum Moguntię invisi, pedemq; nudum conspexi. Hinc manifestum fit, non penitus de hujusmodi affectibus, ab imaginatione matris contractis, desperandum esse.

Catarrhum illum suffocativum in Generoso illo incurabilem fuisse, rectè statuisti. Non enim musculi pectoris tantũ, propter affluentem materiam ex capite imbecilles, verum etiam vires totius corporis, propter vehementiam Nephritici & Colici doloris, vigilias & appetitus prostrationem labefactatæ, & pro excretione sputi non satis validæ erant. At in catarrho suffocativo, nisi vires validissimæ fuerint, res in angusto cum ægro posita est. Vidi id ante annos aliquot in infantulo ex variolis viribus prostrato, cui cum adstantes margaritas crassiusculè confractas, liquore aliquo infudissent, & inopinanter per asperam arteriam ad pulmonem pervenissent, incredibili cum cruciatu intra paucas horas extinctus fuit. Aliàs integram historiam videbis. Nunc ut plura addam, tempus & occupationes non permittunt. Vale itaque Vir Amplissime, & amicorum optime, cum tuis omnibus, quos tecum demissè saluto, ut etiam Nobilissimum Virum Dn. Dörenbergium, à quo post meum Eisenbachio discessum nihil literarum accepi. Raptim Bernæ 17. Nevembr. 1619.

Catarrhus suffocativus periculosus.

Vir Clariß. & Excell.

Dn. JACOBUS MULLERUS, Med. D. & Mathem. Profess. in Academia Giessena,

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Vir Clarissime & Excellentissime, frater & compater honorande. Statum istius mulieris in pudendis vulneratæ, quem pro tempore, post tot annos scire desideras, talis est, qualem reliquisti. Vivit adhuc, sed miserè satis, sicut ex ore ipsius proprio intellexi, nec aliter urinam atque menses quam per alvum, sæpius non absque gravissimis doloribus, excernit, muliebribus penitus adhuc consolidatis &c. Hisce benè vale. Raptim Giessæ 24. Febr. Anno 1624.

Viro Clariß. & Excell.

Dn. JACOBO MULLERO, Med. D. μητραδέλφῳ suo pl. dilecto,

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. ADMIRATIONE sanè non caret, frater Clarissime, quod mulier ista, partibus generationi dicatis penitus p.n. consolidatis, per tot annorum spatia vitam adhuc, quamvis miseram, continuet, cum toties gravissimis accidentibus, ob internam læsionem, simul concurrentibus affligatur. Jam intermittere non possum, quin te certiorem faciam de casu simili satis etiam singulari.

Præcedenti 14. Januarij rusticus quidam ex pago Holtzschwang/ cui nomen JOHANNES MEIER, nos accessit, monstrans membrum virile, quo ad præputium penitus consolidatum, ita ut urina inter glandem atque præputium copiosè colligeretur, tam diu, donec intumescentiâ, sæpius ovum anserinum repræsentante, pars anterior in præputio sic attenuaretur, ut urina per foramen minutissimum summo cum dolore secerneretur.

Observ. De præputio coalescente.

Huic

Huic non aliter quam beneficio sectionis succurri posse diximus, quâ de causâ consensum dedit, & administrationem Chirurgo perito, Johanni Georgio Baulero commisit, qui primò sensim stylo obtusiori præputium in anteriori parte magis attenuatum perforavit, eodemque stylo immisso glandem undique à cute præputii liberam deprehendit. Hinc igitur quatuor in partibus scalpello convenienti ferè crucis instar incidere jussimus, ita tamen, ut interior præputii cuticula non divideretur, sed externa cute divisa tantum extenderetur eò usque, donec glans egrederetur, & præputium à glande duceretur, ubi convenientibus defensivis & aliis medicamentis, quæ vulnera recentia requirunt, adhibitis, optimè restitutus fuit æger, ut post paucas septimanas uxori procul dubio magis acceptus redderetur. Nosti quod interdum præputium ob freni soliditatem à glande secedere nequeat, nisi sectio adunco gladiolo, in imâ glandis parte, ubi præputium glandi annectitur, cautè peragatur: At hic casus omnino alius est, ubi freni sectione penitus opus non fuit. Conjunge quæ proponit hac de re Jessenius in Instit. Chirurg. mihi pag. 39. Hisce benè vale. Raptim Ulmæ 28. Jan. 1625.

FINIS LIB. IV. DE MORBIS INFIMI VENTRIS.

LIBER QUINTUS
De
MORBIS MULIERUM.

OBSERVATIO I.
Complicatus affectus ex imperfectâ mensium purgatione.

ILLUSTRISSIMA Maria Mansfeldica, Illustrissimi Hassiæ principis LUDOVICI Senioris relicta vidua, circiter annor. 36. ætatis, cum conjugium sterile habuisset, & per annos aliquot in viduatu vixisset, consilii causâ me vocat, Anno 1609. & conqueritur de dolore gravativo non solùm, sed etiam mordicante circa mucronatam pectoris cartilaginem, de lateris, inprimisq; sinistri, circa regionem hypochondriorum inflatione, de difficultate respirationis, de incipientibus lipothymiis, & cordis palpitationibus, cum subsequentibus doloribus capitis, potissimùm circa partem anteriorem, inprimis circa tempus mensium instantium: Urina redditur alba & spicea.

RESOLUTIO.

Origo mali. COMPLICATUM affectum hîc adesse statuebam, qui suam originem *à superfluâ collectione sanguinis cum excrementitiis humoribus collecti, potissimùm in venis mesenterii, jecoris, lienis & stomachi* haberet.

Causa antecedens. Ansam huic collectioni præbebat *ventriculi concoctio imbecillior & jecoris imperfecta digestio*, quam satis superq; *urina alba & spicea* demonstrabat: Hinc impuritates à sanguineâ massâ non depurabantur, ea propter *mensium* etiam *fluxus imperfectè* tantùm deprehendebatur, venis uteri prædictis ex causis etiam obturatis, unde mirum non fuit, frequentissimè Patientem Illustrissimam *dysenteriis & fluxionibus alvi sanguinolentis* obnoxiam fuisse: *Spicea & alba urina* non difficulter hinc quoad causam suam deducitur, quatenus jecoris concoctio debilior non à massâ sanguineâ, quod biliosum & tartareum est, ad ipsiusq; seri tincturam facit, separat, sed acres, & salsas impuritates in sanguine relinquit, quæ postea collectę, circaq; venas minores viscerum quodammodo coagulatæ, miram variorum symptomatum συνδρομὴν efficiunt. *Deductio symptomatum.* Hinc *dolor circa mucronatam pectoris cartilaginem*, qui propter superius orificium ventriculi, satis exquisito sensu præditũ, p. n. affectum accidit, vel quod ibidem etiam aliqua materia colligatur, vel quod evaporationibus salsis & acribus extimuletur: *Latera hypochondriorum* inflantur, tàm propter materiam copiosè ibidem latitantem, quàm propter ebullitionem latitantium obstructionum, quam ob causam suas etiam intermissiones hoc malum obtinet: *Difficultas adest respirationis*, non propter membra respirationis primò laborantia, sed quatenus diaphragma sursum versus premitur, & in liberâ suâ motione impeditur: *Incipientes lypothymiæ & cordis palpitationes* fiunt, quatenus ex obstructione circa venas splenicas effervescente, mediantibus arteriis, quas copiosè lien insertas obtinet, sursum cordi vapores noxii communicantur, unde per consensum, non pertuò, sed interdum accidentia talia percipiuntur, *cum succedentibus doloribus capitis*, quatenus ulterius ad cerebrum ejusmodi fumi penetrant, ubi, membranas attingendo, vehementes dolores acrimoniâ suâ gignunt: *Potissimum circa partem anteriorem*, ubi copiosa vasa duplicatam membranam exteriorem pervadunt; Quod non quocunque, sed potissimùm *mensium tempore instante* fieri solet, quando natura massam sanguineam commovet, & impuritates secernere conatur. *In hoc casu eo respiciendum esse duxi,* quò

Nota affectionis per consensum.

Indicationes.

quò primum origini tot symptomatum succurratur, deinde viscera concoctionis corroborentur, & supervenientia varia symptomata leniantur, victûs ratione convenienti non neglectâ.

Materia auxiliorum.

Prout autem diuturnus est affectus, ita etiam pedetentim curari debet, unde necessarium est, ut primò ventriculus per lenitivam evacuationem purificetur sensim, quò medicamenta alia, quæ internis obstructionibus viscerum, venarumque debentur, eò meliùs penetrare, suamque operationem absolvere queant. Hoc fine fiat vinum Laxativum, quod

Lenitiva evacuatio.

℞. *Rhabarb. el.* ʒjß.
Agar. troch. ʒijs.
Fol. Senæ ℥j.
Flor. Chamæm. p. j.
Sem. Anisi. ʒj.
Zingib.
Galangæ. ana ℈j.
Spicæ Ind. ℈ß.

Incisa & contusa infundantur in ij. ℔. Vini per horas 24. de quo postea manè sumpto jusculo bibantur ℥v. per quatriduum.

Quod si loco Vini Laxativi magis Electuarii forma placeret, fiat Elect. Lenit. hoc modo.

℞. *Elect. de Tamarind. d. n.* ℥ß.
Caryocost. ʒijß.
Aq. cinam. gutt. iiij.
Cum Sacchar o f. Bolus, qui bis in septimanâ sumatur, superbibendo brodii pisorum haustum:

Præparatio & digestio.

His præmissis ulterius illa medicamenta necessaria sunt, quæ ad internas viscerum, venarumq; obstructiones resolvendas diriguntur, quorum usus continuatus esse debet, unde non dissuaderem hîc ea, quæ ab aliis Medicis etiam præscripta fuerunt, nimirum decoctum seq. à D. Cunerdingo ordinatū per septimanas aliquot hoc modo:

℞. *Rad. Chinæ solidæ non exoletæ.* ℥j.
Tartari vini albi prius aqua, dein vino sæpiùs eloti & exiccati, vel Crystallor. Tartari ʒvj.
Fol. Senæ mund. ℥ß.
Sem. Carthami excort. ʒvj.
Rad. Polypod. q.
Cichorii ana. ʒv.
Galangæ major.
Acori veri, ana ʒiij.
Cinam. acerrimi. ʒiij.
Flor. Chamæm.
Rorismarini. ana P. j,
Herb. Menthæ.
Majoranæ.
Thymi.
Epithymi.
Satureiæ. ana. P. jß.

Incisis & contusis impleatur gallus decrepitus, coquatur in s. q. aq. prius vino elotus, ad s.q. ut caro abscedat ab ossibus, & ℔ij. remaneant, de quâ decoctione manè & vesperi tribus horis antè cibum haustus integer ℥v. sumatur.

Alternatim etiam pulvis sequens eodem modo pro materiæ præparatione conveniret, qui

℞. *Spec. Arom. Ros.*
Diarrhod. Abb.
Diacurcum. ana. ʒjß.
Limaturæ Chalibis ritè præp. ʒvj.
Cinam. acerr. ʒj.
Pulv. Glyzirrh. rasæ. ʒß.
Conf. Manus Christi Perl. ʒjß.
F. Pulvis, de quo ʒj. alternis diebus bis, tribus horis antè cibum cum brodio gallinæ sumatur.

Quod si Illustrissimæ simpliciora arriderent, *spiritum salis* commendarem, vij. vel viij. guttis in liquore convenienti, nimirum brodio decoctionis Rad. Petrosel. quotidiè bis per septimanas duas vel tres sumendo; Similiter *Sal. Corallor. Cremor. & Crystallus Tartari*, & similia convenirent.

Purgans appropriatum.

His præparationis ergò præmissis, appropriatæ purgationes repetantur, ubi infusum superius præscriptum additione Magisterii Tartari Vitriolati ℈j. pro quâcunque dosi poterit augeri, quò magis vis purgans versùs interiora penetrare possit.

Menses promoventia.

Cùm verò *mensium imperfecta secretio* non parùm huic malo occasionem præbeat, exquisitè tempus mensium post prędictam curam continuatam observetur, quò per omnia generis remedia venæ minores viscerum, inprimisq; uteri emolliantur, ipseque sanguis viscidior attenuetur.

Instantibus igitur mensibus, post lenitivam evacuationem, Balneum usurpetur Decoctionis Chamæm. Puleg. Absinth. Baccar. & Summit. Junip. & similium.

Post Balneum extractum Castorei. gutt. iiij. vel v. sumantur in Aq. Pulegii: vel Trochisc. de Myrrhâ ʒj. & in lecto sudor ulterius provocetur.

Acidularum usus.

Pro viscerum corroboratione Swalbacensium Acidularum usus non inconveniens esset, inprimis cùm ad intemperiem jecoris & Lienis calidiorem corrigendam, & obstructiones resolvendas, & attenuandas multùm faciant.

Contra symptomatum exacerbationem.

Porrò quòd symptomatum varietatem attinet, *contra Stomachi ructus & Inflationem*, D. Joan. Gottfridus Beuterus has Rotulas præscripserat, quæ

℞. *Angelicæ: Ostrucy.*
Rhabarb. el. Cinam. el.
Nucis Mosch. Macis.
Zedoar. Calam. Arom. ana ʒj.
Ireos Flor. Zingib. al. ana. ʒjs.
Nucis Vomicæ. Dictam. al.
Pimpinellæ, cubebar.
Piperis longi. lap bezoar. an. ʒß.
Marg. præp. C. C. usti Pp.
Cor. rubr. præp. & alb. ana ʒß.
Croci orient. gr. XV.

Pulverisentur omnia separatim, & misceantur cum Sacch. in Aq. Ros. soluit. ℥vj. F. Conf. in Rotulis, quibus pro-

pro lubitu, manè, vesperiq; numero iij. vel iv. utebatur. Eodem modo fiebat etiam Aqua destillata, quæ

℞. *Zedoar.* ℔j.
Excorticetur & incidatur,
Adde Anisi ℔ß.
Vini Mens. ij.

Stent per 14. dies, Fiat destillatio in B. M. reiteratâ vice superinfundendo primam destillationem.

Hâc destillatione, Ventriculi inflatione urgente admodum, quantitate coch. j. utebatur, ut etiam Lipothymiis & Cordis Palpitatione supervenientibus. Urgentibus *Capitis doloribus* conveniret. Balsami seqq. inunctio ad verticem, qui fiat ex

Ol. Nucis mosch. per Express. ʒj.
Rutæ, Carui ana gutt. vj.
M. in cochleari argenteo lento igne.

Victus ratio. Quoad Victus rationem vitentur Lacticinia, tùm etiam illa, quæ Melle & Sacharo condiuntur, quæ omnia viscerum, eorumque venarum obstructiones augent: Abstineat etiam Illustrissima à frixis in sartagine, & aliâs etiam ab iis, quæ difficilis coctionis sunt, & facilimè inflationes excitant, ut sunt legumina varia, Brassica muriâ condita, & hujus generis plura; cumque caput evaporationes continuò recipiat, à Raphano Rustico, Sinapi, Cæpisque cavendum erit.

OBSERVATIO II.

Menses impediti propter cruditates & δυσκρασίαν viscerum concoctionis.

Puella Nobilis, Sydonia Göritiana, ad pubertatem accedens, singulis mensibus circa Novilunium doloribus circa umbilicum & regionem lienis, anxietate circa cordis regionem, ejusdemq; palpitatione, difficili respiratione, ventris inflatione & similibus afficitur, & urinam crudam ac spiceam reddit, quam ob causam Anno 1609. medicam opem implorat.

RESOLUTIO.

Origo mali. Originem hujus affectus potissimum ex *imbecillitate primæ secundæq; coctionis* provenire statuebam, ita ut hanc ob causam *sanguis tenax & phlegmate plurimùm abundans* generetur, cujus copia, propter angustiam venarum minorum & subtilium infimi ventris, ad uterum nondum ablegari queat, unde licet ætas pubertatem ferè superare videatur, mensium defectus adhuc adsit.

Deductio symptomatum. Hinc ergò circa *Novilunium*, ubi sanguis ad motum natura sua movetur, & quasi ebulliens exitum quærit, *doloribus circa umbilicum & regionem lienis* afficitur, quatenus tunc temporis ex materiæ frustranea commotione circa colon intestinum flatus excitantur, & ibidem murmura, ventriculique ructus producunt: *anxietas adest*, propter pectoris angustiam, quam diaphragmatis ab abdominis inflatione compressio excitat, unde *difficilis etiam respiratio* & consequenter, serosis humoribus circa cor etiam ebullientibus, *ejusdem palpitatio* sequitur, unà cum *inflatione ventris*, quæ sæpissimè tantum tensio quædam est, ipsis musculis abdominis impropriè quasi dicta convulsione laborantibus, unde plerumque talis tensio *cum exquisitis*, sed tantùm *momentaneis doloribus* conjungi solet, quod non fieret, si semper à materia quadam oriretur. Urinam reddit *crudam ac spiceam*, propterea, quod ex retentione crudioris sanguinis necessariò quoque serum aquosius ac minime, per secretionem elaborati Tartari tinctum, oriantur.

Prognosis. His consideratis, morbi diuturnitatem prædixi, tam quod à teneris prædicta puella fuerit imbecilliorum viscerum, quàm etiam, quod menstruus fluxus instet, ac nondum ad actum pervenire possit: Quanquam verò non dubitandum, quin supervenientibus mensibus spontè prædicta symptomata tollantur, non tamen interim ob mensium difficultatem negotium totaliter negligendum, sed necessum est ut præcavendæ cachexiæ gratiâ, juxta sequentes scopos procedatur.

Indicationes. 1. Collectio pituitosæ viscidæq; materiæ circa ventriculum & vicinas partes, sensim præparanda & leniter evacuanda est.

2. Viscera concoctionis imbecilla propter refrigerationem calefacienda & corroboranda sunt.

3. Singulis mensibus Luna declinante non negligantur illa, quæ ad venarum apertionem, corporis & sanguinis præparationem, adeoque excretionem menstruam inservire possunt.

Ad 1. Ad 1. Post Plenilunium usurpet Mannæ ℥ij. cum brodio Prunor. dissolutæ, stimuli gratia Cremoris Tartari ℈j. adjecto, vel quod magis adhuc phlegma tenacius exturbat ʒj. Mechoacannæ, sel. albiss, recenter pulverisatæ sumat, addito ℈ß. Magisterii Tartari Vitriolati; Vel fiat Vinum Laxativum, quod

℞. *Rhabarb.* ʒj.
Fol. Senæ, s. s. ℥ß.
Agarici ℥ij.
Passular. minor. ℥ß.
Sem. Anisi.
Fænic. ana ʒß.
Zingib.
Macis.
Cinamom. ana. ℈ß.
Fiat infusio in ℔j. ß. *Vini per noctem, de quo postea sumatur cum jusculo matutino tempore* ℔ß. *per biduum vel triduum.*

Ad 2. Ad 2. Tali evacuatione præmissâ semel atque iterum, eò respiciendum, ut etiam viscera imbecilla corroborentur, quò coctiones meliùs absolvantur. Hoc fine fiat *Syrupus è Baccis Iunip. tali modo.*

Syrupus è Baccis juniperi. ℞. *Baccar. Iunip.* select. & succulent. q. v. Coquantur in s. q. Vini generosi ad molliciem; Exprimantur, & Colaturæ adde tertiam partem Sacchari; fiat decoctio ad consistentiam Syrupi.

De hoc Syrupo singulis diebus bis, tribus horis antè cibum ℥ij. interdum solitariè, interdum cum vino Zedoariæ, vel Card. bened. dilutas assumat, idque per octiduum continuet: Eodem fine permutationis ergò præscripsi quoque Rotulas, quæ

℞. *Spec. Arom. Caryoph.* ʒjß.
Ol. Fænic. ℈ß.
Sacch. in aq. menth. ſolut. ℥iiij.
F. Confectio in Rotulis, de quibus alternis diebus loco Prædicti Syrupi iiij. *vel* v. *ſumat, vacuo Stomacho.*

Diæta. Huc etiam pertinet victus conveniens, ubi vitanda ſunt, quæ cum lacte conficiuntur, ut etiam omnia frixa, & alia difficilioris concoctionis, ut ſunt farcimina, capita & pedes Vitulorum, carnes ſale maceratæ, fumoque induratæ. piſces in genere, paucis exceptis, qui rarius apponuntur, ut ſunt lucii, funduli, auratæ, &c. Braſſica etiam, & omnis generis cibi frigidi, ſicut etiam obſoniorum varietas, Potus in principio menſæ ſit Vinum Paſſulatum, poſt Cereviſia benè defæcata, quæ condiatur infuſione Radicum Benedictæ, Helenii, baccar. Lauri, Zedoar. Cinam. Croci, & ſimilium: Aër etiam ambiens temperatus ſit, ubi frigiditas admodum noxia.

Ad 3. Ad 3. Obſervatis præcedentibus circa ultimam Lunæ quadraturam inſtituatur Balneum hoc modo:

Balneum pro menſibus movendis.

℞. *Aſari cum toto.*
Chamam. cum toto.
Valerianæ cum toto,
Herb. Betonicæ,
Meliſſæ,
Artemiſiæ,
Pulegii ana. M. vj.
Baccar. Lauri.
Iuniper. ana. Mij.
Incidantur pro decoctione.

Hoc balneo ſingulis diebus usque ad Novilunium bis utatur, tribus horis ante cibum, aſſumpto Rob. Sambuci cochleari dimidio, cum ℈ß. Mithridatii permiſto, ac in Vino Card. bened. vel Enulato diluto, primùm ſudorem Balnei vapore provocans, ac poſtea totum ventrem infimum in idipſum immitens. Inprimis autem hoc tempore

Victus. victus exquiſitus obſervetur, ut natura in menſibus promovendis omni ingenio juvetur, ubi potus Cereviſiæ penitus omittatur, ejusque loco Vinum Paſſulatum fiat ex ℥iij. Paſſular. min. quibus addatur Herbæ Roriſ. Mj. ſem. Fænic. ℥ß. Macis. ʒij. Cinam. ʒj. Croci ℈j. cum vini menſuris ij. His obſervatis, pedetentim obſtructionũ cauſis ſublatis natura conſuetum menſtruorũ fluxum promovere cepit, ſponte pòſt prędictis ſymptomatis ceſſantibus.

OBSERVATIO III.
Obſtructio menſium varias excretiones p. n. producens.

Non tantùm prædicta accidentia frequenter ex obſtructione menſium oriuntur, ſed fit etiam non rarò, ut copia ſanguinis luxuriantis vias alias, p. n. conſuetis obſtructis, ſibi quærat, quod in Puellâ Nobiliſſimâ

Obſervatio de menſium excretione per alvum. Anno 1608. propè Gieſſam obſervavimus, quæ conſueto menſtruorum fluxu diſtituta, ſingulis menſibus per alvum aliquot diebus ſanguinem excernebat, idque propter uteri venas ſubtiliores obſtructas, cui eodem modo, ſicuti præcedenti, ſuccurrere conati ſumus, de quo vide Problem. Therapeut. Decad. 9. q. 1. Huc etiam pertinet hiſtoria, quæ proponitur lib. 1. Epiſt. Med. Sect. 19. de muliere, quæ conſolidatis partibus naturalibus per alvum ſingulis menſibus expurgabatur.

Sic antè paucos annos Ancillam alui, quæ 20. circiter Annor. ætatis, obſtructionẽ menſium ob uteri frigiditatem laborabat per annos aliquot, cui ſingulis menſibus

Menſes per vomitum rejecti. *Vomitus ſanguineus* per biduum vel triduum accidebat. Alios excretionum modos apud Practicos obſervare licet,

Imperfecta menſium translatio. *Obſerv.* 1. imperfectos tamen, quâ ratione Anno 1614. propter menſium obſtructionem ſingulis ferè menſibus juvenculam quandam articulares dolores invaſiſſe novimus.

Per mammæ ſiniſtrę papillam mulieri apud Cordæum p. 272. menſtrua excreta ſunt. Per Umbilicum apud Florent. f. 2. c. 8. per digitos manuum apud Mercat. l. 1. d. m. m. 7. Anno 1650. Mulier Neoſtadienſis Swalbaci fuit, cui ex cruribus menſes fluebant.

Talis inordinatus motus non tantùm juvenibus, ſed ſæpiùs etiam ſeneſcentibus accidit, circa tempus illud, ubi aliâs menſes ſubſiſtere ſolent, ſicut Anno 1619. ſub initium, Schlizii, Ditionis Fuldenſis, obſervavi in matronâ,

Obſerv. 2. 52. Annor. quæ poſtquam frequenter hyſtericis ſymptomatibus afficeretur, tandem in pectoris difficultatem, Scotomiam, & animi deliquium incidebat, quæ omnia ſubſequente vomitu ſanguinis copioſo ſolvebantur.

Obſerv. 3. *Cachexia ex menſium defectu.* Non rarò contingit, ut Cachexia incipiens circa tempus pubertatis ob Menſium defectum oriatur, cujus rei Exemplum Anno Superiori 1622. hîc Ulmæ nobis occurrit, quod ex pluribus addere lubet. Puella, 15. circiter annorum, ſpectatæ familiæ, ſenſim atrophiâ conſumitur, compreſſione pectoris, ſtomachi dolore, ſimilibusque ſymptomatibus frequenter afficitur, urinâ crudâ & ſpiceâ exiſtente. Colligo Cachexiam ex menſium defectu hic adeſſe, quâ de causâ cruditates collectas circa primas vias evacuo per Vinum Laxativum.

℞. *Paſſul. minor.* ℥j.
Rad. Helenii ℥ij.
Herb. Abſinth.
Meliſſæ. ana. P. j.
Flor. Chamam. P. ß.
Fol. Senæ. ʒ. v.
Rhabarb. ʒjß.
Mechoac. ʒij.
Sem. Aniſi. ʒjß.
Zingib.
Galangæ. ana. ℈j.
Croci ℈ß.
Cremor. Tart. ℈jß.
Inciſa & contuſa dentur in nodulo ex ſerico rubro pro ℔. iij. *Vini.*

Hoc modo per dies aliquot evacuatione convenienti factâ, viſcera concoctionis corroboranda eſſe duxi, quod fiebat per dies quatuordecim, ſubſequentibus tribus Remediis, partitis vicibus adhibitis: Nimirum per *tragæam* poſt cibum aſſumendam.

℞. *Spec.*

℞. *Spec. Diagalangæ.*
Aromat. Caryoph. ana. ʒj.
Dianisi. ʒ ß.
Sach. rosf. tabul. ad pondus omnium.

Deinde per *Conditum & Confectionem*, alternis diebus vacuo stomacho sumendam.

℞. *Passular. min. q. s.*
Coq. in Vino Malvatico ad consistentiam pultis, fiat Extractio cum expressione ad ℥iij.
Adde *Spec. Arom. Ros.* ʒß.
Ol. Anisi gutt. iij.
M. pro condito.

℞. *Spec. Diagalangæ.* ʒj.
Extract. Zedoar. ℈ß.
Ol. Anisi. gutt. iij.
Sacc. in Aq. Menthæ. q. s. soluti ℥iij.
M. F. Confectio in Rotulis.

Cùm autem ex urinæ indiciis & aliis manifestum esset, materiam peccantem nondum expugnatam esse, secundâ vice tàm Vinum Laxativum, quàm etiam alterantia & corroborantia prædicta reiteravimus, subsequente postea sudorifera potione per biduum assumenda.

℞. *Rob. Ebuli.* ʒij.
Mithridatii. ℈ß.
Aq. Calendulæ.
Card. bened. ana. ℥j.
Aceti Sambucini. ʒij.
M. F. Haustus.

His peractis, per octiduum naturæ negotium commisimus, postea Syrupum digestivum ordinavimus per triduum, subsequente purgatione per Mechoacæ pulverem.

℞. *Syr. de Baccis Iunip.* ℥vj.
de Cinam.
de Menthâ. ana ℥j.
Aq. Melissæ comp. ℥jß.
M. S. Safft auf 4. mal.

℞. *Mechoac. albiss. opt.* ʒj.
Cremor. Tart. ℈ß.
M. F. Pulvis.

Tandem Balneum Sudoriferum adhibuimus quatuor vicibus, assumpta primùm subsequentis Elect. portione.

℞. *Rob. Sambuci.* ℥j.
Mithridatii. ʒjß.
Syr. de Succo Fumar. q. s.
F. Elect. pro 4. vicibus.

℞. *Radic. Asari cum toto M.* iiij.
Herb. Artemis.
Absinth.
Melissæ.
Calaminth.
Thymi.
Flor. Chamæm. ana. M. vj.
Baccar. Iunip. ℔jß.
Lauri. ℔ß.

Incidantur grosso modo pro decoctione ad Balneum.

Hâc ratione procedendo symptomata gravia remiserunt, urina cocta magis apparuit, & vires totius redintegratæ videbantur, qua de causâ corroborationis gratia subsequentia ad iter (cùm extra urbem nostram ad parentes suos vicissim abiret) præscripsimus, nimirùm quotidiè tempore prandii primus haustus sit Vini Medicati, quod

℞. *Rad. Enulæ.* ℥ß.
Herb. Rorismar.
Salviæ. ana. M. j.
Galangæ.
Zedoar.
Cinam. ana. ʒj.

Incidantur pro Mensuris ij. Vini.

Matutino tempore sumantur iij. vel. iiij. Rotulæ confectionis seq.

℞. *Spec. Aromat. Caryoph.* ʒjß.
Diagalangæ.
Dianisi. ana. ʒj.
Sacch. in Aq. Meliss. sol. ℥vj.
Ol. Macis. gutt. iiij.
Rorismar. gutt. iij.
F. Confectio in Rotulis.

Post cibum frequens sit usus Trageæ seq.

℞. *Sem. Coriandr. præp.* ʒij.
Mastich. el. ʒjß.
Spec. Diacymini. ʒj.
Conf. Aromat. caryoph.
Diagalangæ. ana. ℥.
Sacch. opt. ℥js.
M. F. Pulvis pro Tragea.

OBSERVATIO IV.

Inflatio & Hydrops uteri.

CASUS

à

MARCO WOLFFHARDO,

Physico Biberac. propositus.

In honestissima Virgine etiamnum propriè dictum hydropem non invenio, scil. ex tribus hujus speciebus, hepate vel liene cum Mesaraicis ad habitualem frigiditatem disposito, vel obstructo, vel scirrho, aliove tumore, vel abscessu detento; cum signa pathognomonica horum omnium desint. Fere autem per annuum spacium & ultra, sensim venter inferior intumescere cepit, ita ut jam totum abdomen instar tympani sit elevatum, ex uteri & partium adjacentium inflatione, nunc forsan & hydrope uteri, unde tumor hic mox post intermissas menstruas evacuationes in subjecto quinquagenario suam originem habuit, ex detenta cacochymia, colluvie & saburra viscidorum, crassorum & phlegmaticorum humorum, utero refrigerato mucosa & varia colluvie refecto, sicuti antea ex mensibus malè dispositis apparuit. Similem affectũ in Hospitali nostro, paucos ante annos, in Virgine quinquagenaria Cacochymicâ, cum uteri hydrope subsequente, vidimus, qui ad triennium duravit, ubi sæpius propter pathognomicorum

Observatio similis.

micorum

micorum Signorum absentiam diversi diversa suspicati sunt. Tandem post obitum dissecto cadavere, non tantum uterus pustulis, aquâ refertis, inventus, sed in ipso etiam abdomine saniosa colluvies fœtida subpurulenta ad aliquot heminas deprehensa fuit. Hinc igitur prædictæ Virginis affectus ad inflationem uteri referendus esse videtur, qui non difficulter posthabitis convenientibus remediis ad hydropem uteri, ac tandem per consensum totius, in hydropem verum abire poterit. Quamquam verò post universalem corporis emundationem, cum subjectum sit cacochymicum, pituitosâ saburrâ refertum, Clysteres carminativi, abstergentes, admodum convenirent, nihilominus, cum ab hoc remedio ex vanâ nostrûm & falsâ persuasione laborans abhorreat, illius loco, boli & pillulæ ex Terebinthinâ ritè præparatâ & lotâ, cum carminativis, & matricalibus ordinari poterunt, unà cum intrinsecis confortantibus, uterinis abstergentibus & aperientibus. Imò localia quoque ad matricis ventositatem dirigi possent, insessionibus nimirum, fomentationibus, inunctionibus, &c. Quemadmodum talia hactenus præcedentibus universalibus, cum fructu fuerunt adhibita. Tandem decoctum Sassafras, cum aperientibus uterinis calefacientibus & carminantibus cum vino præscribi posset, vel ad minimum ejusmodi vinum medicatum: Quæ tamen aliorum judicio submittens tandem specialia, quid agendum, consignare haud gravabor. Paucula hæc ὡς ἐν τύπῳ saltem petitioni satisfaciendo, delineare placuit. Raptim ex Musæo Bibraci, Ult. Septembr. Anno 1623.

Viro Clariss. & Excellentiss.

Dn. MARCO WOLFFHARDO, Medic. D. & Physico Ordin. Biberacensium.

GREGORIUS HORSTIUS, D.

SAb eo tempore, Vir Clarissime & Excellentissime fautor & amice colende, quo tuum obstetricale examen prælo nostro subjecisti, te, licet ignotum, amare cœpi, cum viderem, omnibus conatibus eò te alloborare, quò multis tuis laboribus inservire posses, inprimis eo in loco, ubi amor proximi potissimùm hoc requirit. Jam datâ occasione, rogatus *à Dn. Straussio*, nolui intermittere, quin breves has, tàm amicitiæ contrahendæ causâ, quàm ut prædicto viro bono, ejusque conjugi satisfiat, ad te ablegarem, maximoperè petens, ut in meliorem partem hoc, quicquid est, audaciæ, tumet interpreteris. Casus proponitur honestæ cujusdam Virginis, de qua, ut audio, superiori anno, meum etiam Consilium, sed prout fieri solet, per vetulam quandam, nomine suppresso (quamvis illius, quod talia frequenter, ut nosti, præsertim in populosis hisce rebuspublicis fieri soleant, non amplius recorder) fuit imploratum, quam non vero hydrope dicto, cujus tres species enumerantur, communiter accidentes, sed potius uteri & partium adjacentium inflatione, forsan etiam hydrope, laborare statuis: Argumento sumpto ab origine affectus, quod intumescentia talis post mensium defectum in subjecto quinquagenario suum initium habuerit, abdomine primum inferius adaucto, quod incipientis *hydropis uterini* signum *à Varandao* quoque ponitur. Causam antecedentem uterum refrigeratum, cum cacochymia & Colluvie viscidorum, phlegmaticorumque humorum ponis, eò adductus fortè, non tantum subjecti laborantis naturâ consideratâ, sed etiam, quod additur, mensibus antea malè dispositis. Historiam mihi adjungis gratissimam, de virgine quinquagenaria, hydrope uteri per triennium in Nosocomio vestro laborante, cujus affectum, ob concurrentia alia cacochymiæ signa vix discernendum, sectio post mortem satis demonstravit.

Memoriæ succurrit similis casus singularis, quem ad me superioribus annis perscripsit celebris Medicus & Chirurgus *Guiliel. Fabricius*, de fæmina quadam, cui venter prægnantis instar intumuit, subsequentibus etiam pedibus tumore duro, nullas ex pressura foveas recipiente, prædit is, in qua post mortem hepar & Lien sine noxa, pulmo verò semiputridus repertus fuit: Uterus exemptus intumescens libras octoginta septem Mercatorum ponderavit, partim ichore flavo, partim etiam materia adiposa & oleaginosa repletus. Mirum verò, quod ulterius addit *Fabricius*, in medio ipsius uteri cum prædicta materia copiosos pilos, instar lanæ mollioris, flavescentis, cujus particulam mihi transmissam adhuc mecum habeo, fuisse inventos, quemadmodum hoc pluribus in meo responso, brevi σὺν Θεῷ in Centuria ipsius quinta publicata, videbis. (*Vide Epistol. Med. Sect. 23.*) Imò, non raro fieri solet, ut etiam linceis oculis eò usque penetrare non possimus, ut exactè signis externis colligamus illa, quæ ludens natura (quasi p.n.) sæpius in Corpore nostro producit, quemadmodum satis etiam apparet ex tumore omenti, qui ante annos circiter 16. plurimis excellentiss. Medicis imponebat, donec tandem post mortem pondere quinquaginta sex libr. deprehenderetur, sicut in probl. nostris Medicis, ante plures annos idipsum publicè, additis *Cl. Bauhini & Fabricii* Epistolis testati sumus.

Sed ad rem præsentem, tuam sc. ægrotantem redeo, cui meritò post universalem emundationem, enemata flatus discutientia suades, & in eorum locum pillulas & bolos ex Terebinthinâ ritè præparatâ & lota, cum Carminativis & matricalibus substituis, eaque media sæpius repetenda judicas, non neglectis interim intrinsecus confortantibus, ubi præ cæteris etiam Elixir proprietatis, ex Croco, Myrrha, & Aloe, ritè paratum, & quotidiè guttis aliquot in syrupis, vel aquis appropriatis exhibitum, non inconveniens judicarem, victu interim convenienter instituto, cum aliis generaliter indicatis, quorum omnium determinationem præsens subjecti laborantis conditio subministrat. Cæterùm cum videam Cl. tuam communes tantùm hydropis species fundamenti loco proponere, lubens per bonam temporis successivi occasionem responsum expectarem ad illas rationes, quas in additamentis *Marcelli Donati* contra communem Dd. sententiam, ante decennium & ultrà, proposui, quas partim etiam brevibus in problematibus θεραπευτικοῖς attigi. Interim eandem tuam Clarit. Deo optimo maximo commendo. Raptim Ulmæ, 15. Octobr. 1623.

Vir

Vir Clariss. & Excell.

Dn. MARCUS WOLFFHARDUS, Medic. D. & Physicus Reipub. Imperialis Biberacensis,

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Literas tuas, Clarissime Dn. D. Dominicâ superiore, mihi pergratissimas, rectè accepi, quibus, quænam tua sit sententia de statu, quem nosti, virginis nostræ, significas: Pro quo responso gratias tibi habeo maximas, & vicissim mea, quæ possunt esse, officia, nunquam non promptissima offero.

Ego certè indies de uterinâ inflatione firmiorem concipio spem, & à Juvante quoque animum certiorem obduco.

Scis, quid schedâ transmissâ de Terebinthinæ usu monuerim, cujus periculũ cum fecissem, spe mea minimè frustratus, unà cum muco crasso tenacique, insignem flatuum copiam eduxit, maxima cum virium allevatione; aliquali quin etiam subsecutâ suminis detumescentiâ, quæ tamen propediem rediisse videtur, adeo ut suspicandum, partes adfectas Colluvie illâ mucosâ, crassâ, phlegmaticâ, nondum satis emundatas, majorem ad se curam pertrahere; quo facto, quin deinde commodior, felicior tutiorque terebinthinæ usus futurus sit, nil certè diffido.

Itaque de vino aliquo Medicato modesta manu œconomiam respiciente, per epicrasin partes tàm nutritorias, quàm genitales everrente & eluente cogitarem, cui potissimum agaricum, mechoacam & alia modestè pituitam subtrahentia, forsan & carthamum medullosum adderem, adjunctis penetrantibus, loco vehiculi, & carminantibus. Cui pillularum ex Terebinthinâ Cypriâ lotâ & legitimè pp. additis suis Corrigentibus, & scopo nostro adpropriatis, usum substituerem, & pro familiari haberi remedio juberem.

Adderem quin etiam pubis, suminisque inunctionem ad interiorum usum provehendum, promovendumque: Et his insistens proficuum & exoptatum finem aliquantisper expectarem.

Quæ calculo Exc. T. committens, ὡς ἐν τύπῳ saltem delineare volui, speciatim perpolienda tibi relinquens; malim equidem hæc omnia in vestra officina, te præsente & astante præparari, modò ipsa ægrota voto nostro annuat, quod equidem suadeo & moneo.

Prognosticum quod attinet, ominosum illud profectò suspicor, & ex variis Classicorum annotationibus tale deprehendo. Scit Exc. tua, quæ in ejusmodi casibus *Dodonæus*, *Mercatus*, *Mercurialis*, *Altimarus*, *Saxonia*, *Platerus* & *alii* proposuerunt: Fermè omnia dubio & ominoso eventu. Interim nos nostrum faciamus, quod reliquum Numini Altiss. committentes.

Transmitto simul munusculum Chartaceum, quod boni consulat, rogo, & amicitiam jam literis inchoatam reipsâ fartam velit, ex animo precor: Me certè ad sua promptissimum semper habebit, quem cum suis valere opto. Vale. Raptim ex Musæo Calend. Novembr. 1623.

Viro Clariss. & Excell.

Dn. MARCO WOLFFHARDO, Medic. D. & Physico Biberacensi.

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Gaudeo, Vir Clarissime & Excellentissime, fautor & amice plurimum colende, literas meas per occasionem ad te datas, tibi gratas fuisse, quod vel maximè non tantum responsum humanissimum, sed additum quoque chartaceum munus satis superque testatur: ἀντίδωρον hoc leve (cum pro tempore de libellis meis editis nihil aliud in promptu sit) boni consule. Cæterùm quod Virginis vestræ statum morbosum attinet, omninò tuæ sententiæ subscribo, nimirum inflationem uteri ad hydropem uteri tendentem adesse, quam affectionem non dubito, quin hactenus præcesserit & adhuc comitetur pedum, totiusque corporis segnities, atque impotentia, sensus circa pectinem, lumbos, & crura, stupidus (quâ de causâ conjugibus hoc morbo laborantibus, Veneris appetitus rarus, vel nullus, ita ut congressu conjugali nil quicquam delectentur) uteri gravitas, instar oneris cujusdam pendentis, venter ad tactum frigidus, unde fortè menses etiam aquosi, decolores, pituitosi, mucosi & inordinati fuerunt.

Prognostico tuo non difficulter subscribo, præsertim tanto temporis spacio sensim intemperie totius conspirante, eaque non simplici, sed cum phlegmatis abundantia conjuncta, quæ cum diuturna sit, per ἐπίκρασιν, quantum fieri potest, corrigenda, tàm evacuantibus, quàm alterantibus, quibus primò præmissis, ut juxta principium Methodi rectè statuis, commodiùs postea magis appropriata præscribentur. Quod ergo materiam auxiliorum attinet, ante omnia monenda erit ægra, quò victus rationem calefacientem & exsiccantem observet, qua de causa aërem Austrinum, loca subterranea, vel stagnis & putridis exhalationibus vicina vitabit. Cibus frequentius assatis, quàm elixis carnibus paretur, ubi maximè caro leporina, avium montanarum, capreolorum, & similium conveniet.

Materiæ auxiliorum.

Diætetica.

Quod autem reliquis alimentis deest, idipsum conditurâ compensetur, ubi vitulina, arietina, bovina, similesq; carnes aromatibus, Zingibere, mace, nuce moschatâ, Caryophyllis, pipere condiantur, aut seminibus anisi, cumini, fœniculi, herbis Salviæ, rorismarini, saturejæ, majoranæ, thymi, &c. præparanda: Id quod etiam in piscibus, parca manu præbendis, iisq; saxatilibus quoque tantùm observandum erit. Potus sit vinum ætate & virtute medium, cum recentia flatus & cruditates augeant, annosa verò generosiora naturæ vim inferant: Vino jungatur decoctum ebullitione leni factum ex Sassafras, cui aliquid passularum minorum, Galangæ, nucis mosch. & Caryophyllorum addatur. Exercitatio Corporis non penitus intermittatur, quę tamen sensim fiat, ne vires collabantur, vel ejus loco frictio partium superiorum pannis durioribus instituatur. Somnus non nisi nocturnus sit, tribus horis post cœnam, isque brevior, quàm forte natura consuevit. Alvus & urina quotidiè promoveantur, neque

ſudores matutini ſeſe offerentes impediantur. Affectus animi concitatiores ſint, unde levis excandeſcentia interdum non nocebit. His obſervatis vinum Medicatum laxativum ſimul ac digeſtivum tuum probarem, quod fortè concinnari hoc modo poterit.

Pharmaceutica.

℞. *Rad. Ireos, Fœniculi an.* ℥iij.
Helenii, paoniæ ana ℥ß.
Her. Meliſſ. Agrimon. praſii,
Scordii, ana Mj.
Fol. Senæ ſ. ſ. ℥j.
Agarici pp. ℥iiij.
Mechoacæ, Rhabar. an. ℥jß.
Cort. med. Ebuli, Sambuci, ana ℥j.
Sem. fœniculi, aniſi ana ℥ß.
Carthami excort. ℥ij.
Fl. geniſtæ, Calend.
Sambuci, ana Pij,
Galangæ Zedoariæ, Caryophyll. ana ℥j.
Paſſul. min. ℥x.
Crem. tartari ℥ij.
Inciſa dentur in nodulo ex ſerico albo.

Hoc per octiduum continuato, ſequentem ſeptimanam alterantibus conſumerem, ubi duabus horis ante prandium & cœnam de Elixire Proprietatis Paracelſi gutt. iij. vel iiij. in vino Salviæ, vel Rorismarini concederem: Poſt cibum vero, juvandæ concoctionis gratiâ, convenientem ducerem Trageam.

℞. *Sp. Dianthos, Diacalamen, ana* ℥j.
Diagalangæ, Dianiſi ana ℥ß.
Nucis moſch. ℥js.
Magiſt. Corall. rub. ℥ij.
Sacch. ad pondus omnium.
F. Tragea, coch. dimidio ſumenda, cum pane toſto, vino Malvatico impregnato.

Hunc proceſſum ad minimum bis, lunâ declinante, repetendum eſſe judico, quem poſtea ſudorifera ſequantur per decoctum ſaſſafras, cum Mithridatio, quibus aliquoties iteratis, non tantùm, quod in habitu corporis ſupereſt, ſeroſitatum diſcutitur, ſed refrigeratæ etiam partes calefiunt & roborantur. Huc etiam ſpiritum Sambuci vel Ebuli referrem, qui minori quantitate facilius cum aq. florum Sambuci, Meliſſæ & ſimilibus, iteratis vicibus, uſurpari poſſet, quem per convenientem fermentationem & digeſtionem quotannis in pharmacopoliis noſtris parari curamus, cujus copia ſi deeſt, communicari poterit. Præter hæc univerſalia ferè, particularia magis appropriata probo, quâ de cauſa rectè facis, quod his præmiſſis, etiam uſum pillularum de Terebinthina ulterius urgeas, idque frequenti repetitione. T. Clar. diſcretioni committo, num convenientem etiam ducat ſequentium pillularum hiſtericarum uſum, quæ ℞. Aloës ſuccotrinæ ℥iij. Myrrhę opt. ℈j. Ext. cal. arom. card. bened. ana ℈s. Extr. Croci. gr. iij. Rad. Gentianæ, Ariſtol. lon. Dictam. ana gr. v. cum Rob. Sambucino, f. pil. quarum ℥ß. per dies aliquot continuando frequenter in impuritate uteri, & menſium obſtructione, à craſſis & pituitoſis humoribus proveniente, cum ſucceſſu utor. Quod ſi inunctionem infimi ventris, quam proponis, fomentatio præcederet, ex decocto Meliſſæ, Artemiſiæ, Chamedryos, Beton. Salviæ, Origan. fol. Lauri, bacc. Junip. lauri, ſem. Carui & ſimilibus, eandemque ſequeretur Emplaſtri ſequentis geſtatio, plurimum id ipſum profuturum ſpero.

℞. *Rad. Cyperi rotund. Calami arom.*
Helenii an. ℥j. *Leviſtici* ℥ß.
Rad. Meliſſæ, Scordij.
Pulegii ana Ms.
Maſtich. ℥ß.
Thuris ℥ij. *Myrrhæ* ℥jß.
Storacis liq. ℥j.
Tachamacæ ℥ß.
Ladani opt. ℥js.
Cum Cera & Terebinth. f. Emplaſtrum.

Verum hæc omnia Cl. T. judicio permitto. Faxit Deus Opt. Max. ut in ęgrotantis priſtinę ſanitatis reſtitutionem omnia vergant. Benè valeat Cl. Tua, & me amare pergat. Ulmæ, Ocyus, pridiè Calend. Novembr. 1623.

Vir Clariſſ. & Excell.

Dn. JOHAN. HULDERICUS STREITTER, Med. D. in Republ. Spirenſi,

GREGOR. HORSTIO, D.

SAlve ex animo priſtino, id eſt officioſo plurimùm, & amantiſſimo, Vir Excellentiſſime, Clariſſime. Salutat te officiosè Clariſſ. *Dn. Fabricius*, qui per ſemeſtrę ferè Principiſſæ Durlacinæ, ut audio, à Conſiliis Medico Chirurgicis fuit, nuperque honeſtiſſimæ Matronæ ſiniſtram mammillam Cancroſam, per inciſionem, optimo, quod & audio, ſucceſſu curavit. Nobiſcum hîc vivit & miſerè vivit (memini Probl. 10. Decadis 6. à te bono publico magno fructu cum reliquis editæ, & à me reſpondendo diſputatæ) honeſta uxor cum ejusmodi ventris tumore, ut tympanitidem (haud enim quicquam tumor digitis preſſus, & quidem totius infimi ventris, vel abdominis univerſi, ad pubem usque cedit) jam per tres annos mentiri videatur. De tumore quidem omenti, vel glandulis ejusdem & meſenterii ſcirrhoſis & induratis, cum flatuum & in inteſtinis, & extrâ, copiâ magnâ mecum cogitavit *Dn. Fabricius:* Verum cum optimi ſit corporis habitus, nulla cachexia, ſed potius plethora, cum ſanguineo totius habitus colore deprebendatur, ad uterum cauſam mali referendam eſſe putamus. Nunquam enim in virgineis annis, neque in primo, neque in ſecundo hoc matrimonio, præterquâ in viduitate, nec tamen ordinatè, menſibus laboravit: Sed in ſecundo matrimonio primo anno verè illam concepiſſe obſtetrices tùm temporis, ex motu aliquo, & tumore ventris (falſæ fortaſſis conceptionis & molæ) judicabant, & tum temporis perſuadebant. Varia quidem de molis flatuoſis & aqueis complicatis, cũ vel ſine hydropis, etiam ipſius uteri, aliqua ſpecie; Imò etiam vitalibus apud Autores, & inter alios apud *Donatum tuum, & Schenckium l. 4. obſer.* leguntur: Verum quid in hoc noſtro caſu definien-

definiendum venerit, prout judicium maximè præsenter tuum optamus, proximè fortaſſis pluribus & accuratius dabo. Hæc certè celerrimè. Vale, Vir Clariſſime, & priſtini favoris amiciſſimi memor, Streitteri curſus feliciter juvare, ubicunque aliquando Deus velit, non immemor maneto. Spiræ 13. April. Anno 1619.

OBSERVATIO V.

Morbus Virgineus ſeu Leucophlegmatia cum menſium difficultate.

VIRGO Nobilis, conſiſtentis ætatis, per annos aliquot de menſium difficultate, & fluxu albo conqueritur, toto corpore, inprimusq; facie, & labiis pallet, palpitatione cordis, & difficultate reſpirationis frequenter afficitur: Supervenit laſſitudo ſpontanea membris, & non rarò convulſivus quaſi tremor: Dolor capitis: Intumeſcentia & inflatio circa hypochondria, potiſſimum inſtantibus menſibus, quâ de cauſa Anno 1622. ſub initium hyemis conſilii cauſa me vocat.

RESOLUTIO.

Determinatio affectus. HIc Leucophlegmatiam (λευκὸν φλέγμα Hipp. lib. περὶ παθῶν) adeſſe manifeſtum eſt, nimirum *intemperiem frigidam & humidam, cum pituita & ſeroſis humoribus, tàm in viſceribus ſanguificationis, quàm in toto corporis habitu*, quæ per multos annos radices egit, ita ut morbus jam confirmatus admodum videatur, unde quoad viſcera concoctionis, hydropis ſpeciem, *Anaſarcam* dictam, quoad membra vitalia, propter crudas deſtillationes ad pectus, *tabem*, & quoad cerebri conſtitutionem debilem, *convulſiones & epilepſiam* minatur. *Menſium difficultas* adeſt, propter ſanguinem pituitoſum, venoſum genus obſtruentem, & refrigerantem, quæ *fluxu albo* terminatur, quia ſanguis impurus & crudus in toto abundat: *pallor inde totum corpus occupat*, quatenus ejuſmodi pituita convertitur in cutis ſubſtantiam, inprimisq; *faciem & labia*, quibus in partibus citiùs hoc deprehenditur, utpotè quæ propter tenuitatem ſuæ ſubſtantiæ aliàs nativo rubore perfunduntur. *Palpitatione cordis*, propter copiam ſeroſitatis phlegmaticæ circa capſulam cordis abundantem & effervescentem, & *difficultate reſpirationis*, propter diaphragmatis compreſſionem ab inflatione hypochondriorum provenientem, frequenter afficitur, ubi *ſpiritus quaſi deficere videtur*; præcipuè ſi ſcala quædam aſcendenda, propter expirationis neceſſitatem, ob vapores craſſiores expellendos, quando facultas infirmior frequentiâ defectum compenſare nititur: Supervenit *laſſitudo ſpontanea membris*, quatenus ſanguis crudus & pituitoſus cum ſero copioſo ſpacia muſculorũ infarcit, eosdemq; ſatis ineptos ad motum efficit; & non rarò *convulſivus quaſi tremor*, naturâ quod alienum & noxium eſt, expellere conante; *dolor capitis*, ubi ſerum acrius cerebri membranas vellicat; *inflatio, & intumeſcentia hypochondriorum*, quatenus interdum natura copioſè collectum crudum ſanguinem circa viſcera concoctionis, in venis meſaraicis & ſplenicis, aggreditur, & commovere tentat, *flatu ſimul excitato*, quod inſtantibus menſibus fieri ſolet.

Prognoſis. Quanquam verò morbus hîc radices agens, totiusq; corporis habitum occupans, non poſſit eſſe non diuturnus, minimè tamen negligendus eſſe videtur, ſed omninò eò allaborandum eſt; 1. *Ut intemperies humida frigida viſcerum concoctionis, totiusq; ventris, corrigatur*; 2. *Pituita viſcida obſtruens in venis minoribus infimi ventris digeratur*; 3. *Digeſta evacuetur*; 4. *Serum ſimul in habitu corporis, inq; venis & arteriis abundans per ſudorifera diſcutiatur*; 5. *Et ipſa viſcera, totumq; corpus corroboretur*; 6. *Non neglectis graviter urgentibus ſymptomatis.* *Indicationes.*

In hoc variarum Indicationum concurſu fieri non poteſt, ut omnia ſimul peragantur, quam ob cauſam Methodicè procedendum beneficio diætæ & pharmatiæ. Quoad *Diæta.* 1. potiſſimùm diæta conſideranda venit, ubi aër ambiens calidus ſiccus eligatur, vitentur quoad alimenta frigida & humida, omniaque δυσπεπτα; quam ob cauſam ab oleribus crudis & muria conditis, fructibus, lacticiniis, piſcibus ferè omnibus, (luciis minoribus, auratis & fundulis atque percis exceptis, quorum uſus rarior conceditur) carnibusque craſſioris ſucci, nimirum bubula, ſuilla & ſimilibus abſtineat. Sint autem cibi quantitate mediocres, qualitate verò calefacientes & incidentes, adeòque non tantùm ſimplicem intemperiem, ſed etiam abundantem ſuccum reſpicientes, ut ſunt juſcula vini cum aromatibus & ſaccharo præparata, brodia carnium cum ſem. carui, fœnic. & Aniſi, vel etiam cum Zingib. Mace & Croco, vel etiam cum Rad. Petroſel. Siſari, Paſtinacæ & ſimilibus decocta; carnes ſint hædorum ſylveſtrium, leporum, gallinarum, juvencorum, vitulorum adultorum, perdicum, avium montanarum, &c. eæque ſemper aſſatæ magis, quàm coctæ, quæ frequenter cum Cinamomo, Pipere, Zingib. Mace, Galanga, Caryoph. Nucemoſch. Salvia, Majorana, Thymo, Satureja, Ruta, Sem. Carvi, Cumini, Fœnic. &c. condiri debent. Panis non ſit induratus, ſed duorum ferè dierum tantùm, qui ſale, ſeminibusq; Carui, Fœnic. & Aniſi parumper miſceatur. Ab aceto (& acetoſis) ſibi caveat ægra, propterea quod cruditates ad habitum corporis penetrare faciat, & utero noxium ſit. Potus ſit vinum tenue per infuſionem Rad. Helenii, Calami Arom. vel etiam ſeq. Nodulo parumper ad jucundum ſaporem aromatiſatum.

℞. *Menthæ, Salviæ.*
Majoranæ, ana. P. j.
Rad. Caryophyl. ℥j.
Cinam ʒj. *ZZ.* ʒij.
Caryophyll. Macis.
Nucis moſch. ana. ʒ. ß.
Cubebar.
Galangæ.
Cardamomi. ana. ℈ß.

F. Pulvis groſſus pro nodulo, de quo bibatur. Loco Vini Decoctum fiat ex Sem. Coriandri, Galangæ radicibus pauco Cinam. & Saſſafras. Exercitium corporis moderatum ſit, cùm vehementior motus cordis palpitationes & reſpirandi difficultates introducere ſoleat; Somnus ſit

parcior: Evacuationes consuetæ promoveantur, in primis mensibus instantibus eò respiciendum, ut ea, quæ fluxum adjuvant, non negligantur; quo fine præcedentibus diebus quotidie bis, tribus horis antè cibum, sumatur haustus vini precedentis aromatisati calidus, cui aliquid Croci, Galangæ, & Sacchari admisceatur; Animi motus moderati sint, tristitiâ & mærore, quantum fieri potest, absentibus.

Ad 2. & 3. Cæterùm observatâ diætâ diligenter eò respiciendum, ut lenitivis evacuationibus præmissis, pituitosi viscidi humores obstruentes incidantur ac digerantur, ubi primò *dilutum Agarici* poterit adhiberi;

℞. *Agarici*. ℥iij.
Zingib. ℈j.
Sem. Fœnic. ℈ß.
Crem. Tart. ℈ß. *vin. q. s.*
Fiat infusio per noctem; manè colentur ℥ijß.
Adde.
Syr. de Spinâ infector.
de Carthamo. ana. ℥ß.
Elect. Bened. Laxat. ℥j.
M. F. Haustus.

Potio talis esse potest.

℞. *Rad. Fan*. ℥ij.
Sassafras. ℥jß.
Mechoac. ℥j.
Sem. Anisi. ℥ß.
Carthami. ℥ij.
Herb. Betonicæ. M. j.
Hyssopi.
Salviæ. anna. M. ß.
Majoranæ. Mj. ß.
Fol. Senæ ʒ. vj.
Flor. Anthos.
Rosar. rubear. ana. P. j.
Passular. ℥j.
Coqu. in s. q. aq. & vini ad tert.
Colentur ℥vij. *Infunde per noctem*.
Agar. Trochisc. in petia. ℈iiij.
Manè Colentur. ℥iij. *& Adde*.
Syr. de 2. radicibus.
Rosat. Solut. ana. ℥ß.
M. F. potio.

Hoc modo primis viis evacuatis, fiat digestio cum evacuatione subsequenti, vel per Vinum Laxativum, vel per Apozema: Vinum tale fiat.

℞. *Rad. Helenii*.
Calam. Arom. ana. ℥ß.
Sassafras. ʒ. vj.
Fol. Sena. ʒ. X.
Agar. trochisc. ℥iij.
Mechoacæ.
Turbith. ana. ℥ij.
Tartari albi. ℥jß.
Herb. Menthæ. Absinth.
Marrubii albi. ana. P. js.
Sem. Fænic. Dauci.
Anisi. ana. ℥j.
Flor. Sambuci, genistæ. ana. P. j.
Galangæ. cinam.
Caryophyll. ana. ʒ. ß.
Croci. ℈ß.
Passular. minor. ℥ß.
Incisa & contusa pro nodulo ad ℔iij. *Vini*.

Apozema juxta Varandæum tale fiat.

℞. *Rad. 5. aperient. vino albo per noctem macerat*. ℥j.
Eryngii, Rubiæ major.
Ireos, Enulæ
Cort. rad. Capp. ana. ℥ß.
Cort. Citri, passul. ana. ℥iij.
Fol. Melissæ Artemis.
Matricariæ, Nepetæ.
Valerianæ, chamædr.
Chamæp. ana. M. j.
Summit. Absinth. Pont.
Fæniculi, Sabinæ. ana. P. j.
Polyp. q.
Medull. sem. Carthami. ana. ℥j.
Fol. Senæ mundat. & vino albo irrorat. ℥ij.
Hermodact.
Sem. Dauci.
Apii. ana. ℥ij.
Spicænardi.
Flor. Stachad. Arab.
Anthos, Sambuci.
Genistæ. ana. P. ß.
Cicer. rubeor. P. ij.
F. omnium decoctio in hydromelite ad ℔jß. in quâ dissolve.
℞. *Syr. Bysant.*
de Artemisiâ. ana. ℥j.
Rosat. solut. ℥iij.
F. Apozema clarificatum & ℥iij.
Cinam. aromatisatum pro 5. dosibus.

Quod si magis placuerit usus Syrupi, poterit eo usque præcedens decoctũ inspissari, sacchari convenienti quantitate simul adjecta, cujus usus postea ℥ij. esse poterit, additâ semper Cremor. Tartari. ʒ. ß. vel per se, vel decocto Rad. Petros. Fænic. Cicer. rub. aut similium admisto.

His aliquoties repetitis, conveniens etiam esset Brodium galli decrepiti, & pulvis cum Limaturâ Chalybis, prout Observ. 2. videre licet, ut etiam Spir. Salis, Sal Corallorum, Cremor Tartari & Magister. Tart. Vitriol. Huc etiam pertinent Pillulæ *Varandæi* de morb. mulier. p. 17.

℞. *Pillul. de Hierâ*. ʒ. vj.
Agaric. Trochis. ℥ij.
Gummi Ammon. aceto scyllit. solut. ʒ. ß.
Salis gemmæ. Mastich.
Spicænard. ana. ℈j.
Croci gr. v.

Cum

Cum Syr. de Absinth. formentur pillulæ ex ℨj. *numero* vj.

Capiat ij. vel iij. hora una ante cænam alternis diebus. Vide Pil. apud Heurnium in Aphorism.

Ad 4. *Quoad* 4. Continuatis præcedentibus, aliquandiu sudor provocetur, quò serum & phlegma per habitum corporis etiam discutiatur, ubi fiat Decoctum Sassafras cum Vino, in quo ℨij. Rohob. Ebuli cum ℨß. Mithridatii dissolvantur, & calidè matutino tempore in lecto exhibeantur; idq; diebus alternis per septimanam quater repetatur.

Ad 5. *Quoad* 5. Non negligantur interim, quæ præter convenientem diætam corroborant, ut sunt *Morsuli Imperat. Conf. Arm. Caryophil. Diagalangæ.* vel etiam sequens *Tragea*, cum Vino Malvatico sæpiùs usurpata.

℞. *Spec. Arom. Caryoph.*
Diacinam. Dianth.
Diagalangæ. ana. ʒ.ß.
Diacymini. ℈j.
Sacch. ℥ß. Misce.

Interdum lambantur Syrupi, nimirùm *Syr. de Menthâ, de Absinthio, de Prasio, de Baccis Iunip. Bysantinus Compositus, de Calaminth. de Artemis. &c.*

Hic ita Methodicè procedendum, & menstruo spacio ferè elapso, naturæ per septimanas aliquot negotium committatur, quò vires eò magis colligantur.

Ad 6. *Quoad 6.* verò, Urgentia Symptomata minimè negligenda sunt: hîc contra *Stomachi ructus & inflationes* observentur illa duo remedia, quæ Obs. I. describuntur, nimirùm *Potula & Aqua destillata.* Contra *Lipothymias* in promptu sit Aqua Hirund. cum Castoreo destillata, tabulæ Diamarg. calidi cum Aquis cordialibus dissolutæ, Theriaca cum Aq. Cerasor. nigr. soluta, &c. *Contra Tremorem Convulsivum quasi*, mox cochlear. j. Aq. Apoplecticæ amaræ cum Spir. Cerasor. nigr. permixtæ bibatur, frictionibus extremorum institutis, dorsalique Spina sequenti Balsamæo statim inuncta.

℞. *Aq. Salviæ. Lavend. ana.* ℨij.ß.
Extr. Castorei.
Mithridati. ana. ℨß. M.

His usurpatis, & per mensem unum atque alterum quibusdam remediis iteratis, benè convaluit ægra, pristino faciei colore spontè sua redeunte, reliquisque symptomatibus remittentibus.

OBSERVATIO VI.

Leucophlegmatica cum totali mensium obstructione.

Determinatio morbi. Indicationes.

HOnesta Puella Mercatoris Vlmensis filia, annor. 18. in obstructionem mensium incidit per semestre: succedit pallor faciei, totiusq; corporis atrophia, stomachi compressio, respirationis difficultas, totius lassitudo, &c.

RESOLVTIO.

CUm Anno 1623. sub initium Septembris in consilium vocarer, protinus *Leucophlegmaticam* cum totali mensium obstructione concurrere dicebam, quocirca totis viribus eò allaborandum esse dixi, *quò Cachexia phlegmatica corrigatur, obstructæ venæ minores infimi ventris aperiantur, & viscera concoctionis refrigerata calefiant, atque roborentur.*

Hinc statim ordinavimus Vinum Laxativum per dies aliquot usurpandum.

℞. *Rad. Helenii.*
Calam. Arom. ana. ℨiij.
Eryngii.
Fœniculi.
Pimpinellæ. ana. ℥ß.
Herb. Prasii, Scordii,
Menthæ, Card. bened.
Melissæ ana M. ß.
Fol. Senæ. s. s. ʒx.
Agar. trochisc. ℨiij.
Rhabarb. ℨjß.
Summit. Sambuci in vere collect. M.ß.
Flor. Acac. Samb. ana. P. js.
Fænic. Anisi ana. ℨj.
Tart. select. ℨjß.
Zingib. Galangæ ana. ℨj.
Passul. min. ʒ. x.

Incidantur ad nodulum ex serico albo pro ℔. vj. Vini albi.

Hoc modo primis viis evacuatis & præparatis, majoris apertionis & evacuationis gratia, propter venas minores obstructas, & pituitoso crassiore sanguine infarctas, Syrupum sequentem præscripsimus, qui

℞. *Rad. 5. aperit. vino maceretur per noctem ana.* ℥j.
Eryngii, Ireos.
Scorzoneræ. ana. ℥ß.
Helenii. ℨij.
Cort. Rad. Cappar. ℨiij.
Citri, Cappar. ana. ℨj.
Passular. min. ʒ.x.
Herb. Marrubii albi.
Melissæ. ana. M. iiij.
Medullæ sem. Carthami.
Polypod. q. ana. ʒ. v.
Fol. Senæ. s. s. ℥ß.
Hermodact. ℨij.
Sem. Dauci, Apii ana ℨß.
Flor. Anth. Stachad. ana. P. j.
Sambuci.
Genistæ ana. Mß.
Cicer. rubeor. ℥ß.
Tartari select. purificati. ℨiij.

Affunde aq. & vini opt. q. s. Stent per noctem in loco calido: manè coquantur ad 3. *Colentur* ℔ ijß. *Adde Sacchari* ℔.ß.

Fiat Syrupus, de quo singulis diebus per octiduum ℥ij. *vel* ℥iij. *sumantur.*

Cùm autem hac ratione quoque nondum spei nostræ

ſatisfieret, ulterius digeſtionem inſtituimus per pulverem ſequentem, quotidiè bis ℈ij. aſſumendum.

℞. *Cremor. Tart.* ʒjß.
Magiſt. tart. Vitriol.
Corall. rubr. ana. ʒ. ß. M.

Sumatur autem hauſtu Vini ſubſequentis.

℞. *Herb. Abſinth.*
Gard. bened. ana. Mjß.
Rad. Calam. arom.
Helenii. ana. ʒij.
Galangæ, Zedoar. ana. ʒj.
Saſſafras. ʒß.
Inciſa dentur ad menſuram vini.

Digeſtione per biduum hoc modo præmiſsâ purgationem inſtituimus, per pulverem, qui.

℞. *Pulv. Mechoac. ſelect. recenter pulveriſata.* ʒj.
Magiſterii tartari Vitriol. ℈ß.
Diagrydii cum ol. Fænic. præp. gr. ij. M.

Tandem inſtante Novilunio, præmiſſo primùm *Clareto* Laxativo per dies aliquot, ſemel atque iterum Pillulas noſtras hyſtericas adhibuimus.

Claretum verò tale fuit.

℞. *Rad. Helenii, fœniculi.*
Eryngii. ana. ℥iij.
Paſſular. minor. ʒ. x.
Fol. Senæ. ſ. ſ. ℥j.
Agar. trochiſc. ℥ß.
Turbith. Hermodact. ana. ʒjs.
Saſſafras. ʒj.
Rhabarb. ʒ. ß.
Sem. Aniſi, Fœniculi ana. ʒß.
Zedoariæ. ℈iiij.
Cremor. tart. ʒjß.
Sacch. ℥iij.
Vini. q. ſ.

Inciſa & contuſa in vino ſemel ebulliant, poſt ſtent per noctem in loco calido: Manè colentur per manicam Hipp. aliquoties ℔ijß. *F. Claretum.*

His uſurpatis coctiones viciſſim laudabiles factæ ſunt, omnibus ſymptomatibus enumeratis remittentibus, & menſibus convenienti tempore rurſus apparentibus.

OBSERVATIO VII.

Menſium difficultas cum graviſſimis ſymptomatibus.

PVELLA *Illuſtris, Maria Sabina Illuſtr. Comitis Erneſti Solmenſis filia, annor. ætatis* 17. *conſtitutionis corporis macilentæ, de doloribus capitis & ſtomachi graviſſimis, potiſſimum menſibus inſtantibus, conqueritur; ſuperveniente ſæpius vomitu, vel interdum etiam alvi dejectione; fluxu menſium dolorifico difficili, cum infimi ventris cruciatu, cordis palpitatione & animi deliquio ſubſequente: urina cruda, craſſaque redditur, ſedimentum album furfuraceum deponens.*

RESOLVTIO.

VOcatus anno 1614. ſub initium Novembris, ubi prædicta *ſymptomata laborantem gravius*, ob hyemis incipientis inclementiâ affligebant, mox *difficilem menſtruum fluxum*, ex Cachexiâ phlegmaticâ potiſſimùm adeſſe dicebam, hinc *corporis conſtitutio macilenta* erat, nòn naturali temperie, ſed propter nutritivam impeditam: *dolor capitis & ſtomachi plurimùm affligebat menſibus inſtantibus*, utpotè cùm tunc temporis humores viſcidi commoverentur, & ſanguis imperfectè repurgatus in partes ſuperiores regurgitaret, & putres halitus partibus ſenſibilibus transmitteret: *Superveniebat ſæpius vomitus & alvi dejectio*, eapropter, quod ebullientib. contentis, natura vim expultricem ventriculi & inteſtinorum extimularet, *fluxus menſiũ dolorificus & difficilis* erat, quatenus ſanguis crudus & viſcidus *difficulter*, & propter vaſorum ac meatuum diſtenſionem, ejusdem acrimonia propter retenſionem & incipientem putredinem accedente, *non ſine dolore* ſecernitur; unde *ventris infimi parturientium inſtar cruciatus*, & corde per conſenſum affecto *palpitationes & animi deliquia* ſubſequebantur: *urina cruda craſſaque, ſedimentum album furfuraceum deponens*, non propter colliquationem, vel aduſtionem ſuccorum; ſed ex imbecillitate concoctionis proveniens, & ejusmodi ſedimentum propter materiæ gravitatem deponens, quod in morbis longitudinem ſignificare ſolet, *juxta Aphor.* 31. *ſect.* 3. *Hipp.*

Determinatio morbi.

Hic 1. antè omnia vias primas evacuandas, 2. materiam Cachexiæ circa viſcera ſecundæ coctionis digerendam ac ſegregandam: 3. Sanguinem craſſum, viſcidumque attenuandum, atque incidendum: 4. Menſes promovendos, & 5. Viſcera corroboranda ſtatuimus.

Indicationes.

Ad 1. Quoad 1. Lenitivum præmiſimus, quod

℞. *Elect. de Tamarind. cum Fol. Senæ* ℥ß.
Caryocoſt. ʒjß. M.

Ad 2. Quoad 2. fiat digeſtio per Decoctum Rad. aperientium cum herbis & ſeminibus appropriatis, additis Syrupis de Capill. Ten. de 5. radicib. de Althæâ & ſimilibus, pro quâlibet doſi Cremoris Tart. ℈ß. admiſto, cujus digeſtivi continuatio fiat per quatriduum, ſubſequenti poſtea pleniori purgatione, quàm perficiebat Morſ. purg. de Mechoacad. n. ℥ß.

Ad 3. Quoad 3. fiat Syrupus de Limaturâ Chalybis hoc modo:

Syrupus Chalybeatus.

℞. *Limaturæ. Chalyb. ſulphure ſolutæ. & præp.* ℔ß.
Aq. Meliſſ. Fœniculi.
Scordii. ana. ℔. j.
Fiat infuſio per octiduum in loco cal. deinde coqu. ad 3. *Colentur & Adde*
Herb. Meliſſæ. Betonicæ,
Capill. Vener. ana. M. j.
Sem. Fænic. ʒj.
Saſſafras. ʒjß.
Stent per noctem: manè viciſſim decoqu. & colentur. Adde Sacch. q. ſ. f. Syrupus, de quo cum decoctione Rad. Fænic.

Fænic. Eryngii, Passular. Cicer. rub. & quotidiè bis ℥ij. *vel* ℥iij. *diluantur & assumantur per octiduum.*

Ad 4. Quoad 4. Præmissis hisce circa tempus mensium instans per dies aliquot vacuo stomacho manè Balneum ex herbis Melissâ & Artemisiâ, Chamæm. Rad. Asari. Baccar. Junip. & similibus usurpetur, assumptâ primùm ℥ß. sequentis mixturæ.

℞. *Rob. Ebuli* ℥ß. ʒij.
Theriacæ Androm. ʒj.
Castorei. ℈ß.
Syr. de Baccis Iunip. q. s. M.
pro 2. vicibus.

Balneo matutinis horis absoluto, vesperi antè cœnam ℈j. pillular. hystericar. assumat, quæ

℞. *Aloës Succotrinæ.* ʒiij.
Myrrhæ opt. ℈j.
Extr. Calam. arom.
Card. bened. ana. ℈ß.
Croci. gr. iij.
Rad. Gentianæ.
Aristol. longæ.
Diptamni. ana. gr. v.
Cum syr. de bacc. Iuniperi. F. Pillulæ.

Ad 5. Tandem quoad 5. Victus rationem convenientem imperavimus, & vinum stomachicum ex Infusione Rad. Helenii, Calami Aromat. Herb. Card. ben. Melis. Centaur. minor. Scordii, &c. præscripsimus, jejuno stomacho sæpiùs Elixiris proprietatis Paracelsi guttas aliquot exhibuimus; antè somnum verò frequenter Pillul. de Succino ℈j. assumendum ordinavimus.

OBSERVATIO VIII.

Mensium obstructio cum alvo per dies XI. suppressâ.

RUstica puella in pago Wustrovv, veteris Marchiæ Brandenburgicæ Anno M. DC. VII. cum Soltquellæ Medicinam facerem, diuturnâ & totali mensium obstructione laborans, in ventris dolorem cum alvi obstructione incidit: Succedunt pectoris compressio, cordis palpitatio, capitis dolor, faciei tumor, & fæcum per XI. dies retentio.

RESOLUTIO.

HÆc ægra die XII. medicam implorabat opem; etsi autem varia aderant symptomata, nihilominus cùm omnia ex alvi diuturna obstructione suam originem habere viderentur; quam primùm clysterem ordinavi; sed frustrà, cùm ægra libentiùs vitam cum morte commutasset, quam illius usum admisisset. Hujus igitur loco talis, licet ingrata, præscribebatur potio.

℞. *Malvæ.* M. j.
Rad. Althea ʒ. ij.
Sem. Fænugr. ʒjß.
Fiat decoctio s. q. aq. ℥iiij.
Adde Spec. Hiera simp. Gal. ʒjß.
Misce & fiat haustus.

Item. ℞. Suppositoria n. iij. adhibebantur pro extimulandâ alvo, ut eò citiùs assumptum medicamentum operaretur.

Hâc ratione vehemens illa alvi obstructio, copiosè satis aperta fuit, ipsaque puella sensim à gravissimis symptomatibus convaluit.

OBSERVATIO IX.

Obstructio mensium cognoscenda & curanda.

VIrgo 20. annorum, chronicâ affectione laborans, de dolore capitis circa verticem, & anteriorem partem de lassitudine totius, de ventriculi imbecillitate, de pectoris angustiâ, aliisq; symptomatis frequenter conqueritur: accedit ferè singulis mensibus dictorum symptomatum exacerbatio, cum ventris imi, lumborumq; doloribus: color naturalis in pallidum commutatur, & urina plerumq; satis crudâ mingitur.

RESOLUTIO.

ÆGra præsens *obstructione mensium p. n.* afficiebatur ob crassum ac pituitosū sanguinem uteri venas angustiores obstruentem: *hinc frequens erat symptomatum exacerbatio circa tempus mensium fluentium*, ubi aliàs peccans materia commovetur, & exitum sibi quærere conatur: *dolor capitis aderat*, ob consensum uteri & cerebri respectu membranarum, & maximè *circa verticem & partem anteriorem*, ubi multum reduplicata est crassa meninx: *Lassitudo totius*, ob excrementitios humores retentos: *Ventriculi imbecillitas*, ob regurgitantes humores, concoctionem impedientes: *Ventris imi, lumborumq; dolor*, materiâ, exitum quærente, & sensiles partes afficiente: *Color naturalis in pallidum mutabatur*, sanguine totius magis pituitoso reddito, ac tandem *urina plerumque satis cruda mingebatur*, ob sanguinis officinam à retentis pituitosis excretis infectam.

Indicationes. Quoad curationem, *alvus lenienda, materia peccans præparanda, & per adpropriata menses movendi erant, non neglectis iis, quæ partibus debilioribus succurrunt.*

Hinc primùm lenitivum ordinabatur, cui succedebat digestio frequenti usu decocti radicum aperientium, herbarum incidentium atque calefacientium, cum aliis appropriatis, ac tandem convenienti purgatione secundæ quoq; regioni succurrebatur. Quibus peractis *usus thermarū Wisbadensium* (quibus tunc temporis vicinia erat) concedebatur, quo perfectè convaluit, utpote quibus vis calefaciendi, resolvendi & abstergendi meritò tribuitur. *De Thermis Wisbadensibus.*

OBSERVATIO X.

Menstrua superflua.

HOnesta fœmina, sterilis in annum ætatis 40. M. Ludovici Wagneri, Pastoris Holzhusani in Hassiâ conjux, Anno 1619. 10. Octobr. de superfluo menstruo penes me conqueritur: imminet vertigo, quam primùm caput refrigeratur: dolores compressivi cordis regionem infestant: obstructionibus alvi obnoxia est, & urinam sabulosam atque crudam reddit.

RESO-

RESOLUTIO.

INTER cæteras causas, quæ superflua menstrua mulieribus excitare solent, hoc loco potissimùm duo consideranda veniebant, nimirùm *sanguis acrior, sero copioso, crudoque plurimùm delutus, & uteri substantia laxa nimis*, ad retentionem admodum inepta: hinc *sterilis erat patiens*, utpotè locis mulieribus humore continuo scatentibus, & ad conceptionem eapropter ineptis: imminet *vertigo* quamprimùm caput refrigeratur, occasione debilioris caloris, & per uteri consensum imbecillitate capitis concurrente: *dolores compressivi cordis regionem infestant*, quatenus in hypochondriis, calore per frequentes hæmorrhagias quotidiè resoluto, superflui crudi humores, consequenter flatus & eructationes producentes, colliguntur: *obstructionibus obnoxia est*, alio videlicet aqueis & serosis humiditatibus receptis, unde sicciora primæ concoctionis excrementa diutius in plicis & anfractibus intestinorum morari coguntur: *urinam sabulosam atque crudam reddit*, tàm propter læsam coctionem secundam, sanguinem imperfectè digerentē, quàm quod renes etiam debiliores serum tartareum impurum promptè suscipiant.

Indicationes.

Hic eò respiciendum esse putavimus. 1. ut præmissis universalibus proventum acrioris & serosi sanguinis præcaveremus; & 2. uterum debiliorem corroboraremus.

Quoad 1. Universalem evacuationem instituimus, hydromelle Laxativo, quod

℞. *Rad. Helenii, Ireos ana.* ℥jß.
Pæoniæ. ℥ij.
Fol. Senæ. s. s. ℥j.
Mechoacæ, Agar. ana. ℨj. ß.
Summit. Sambuci Vere collect. ℨvj.
Herb. Melissæ Cent. minor.
Card. bened. ana. M. ß.
Flor. Sambuci. P. ij.
Sem. Carthami. ℨ. iij.
Cicer. rubeor. ℥ß.
Fœnic. ℨ. ß.
Sassafras. ℈ij.
Galangæ. ℈j.
Passular. minor. ℨ. vj.

Fiat infusio in hydromellis ℔iij. *Ebulliant semel & stent in infusione in loco tepido per 24. horas, de quo vacuo stomacho per dies aliquot* ℔. ß. *sumatur.* Hoc præmisso, copiam serositatum acrium per sudores convenientes discutiendam esse duximus, quam ob causam ordinavimus Electuar. seq.

℞. *Rob. Sambuci.* ℥jß.
Cons. Rorismar.
Melissæ. ana. ℥ß.
Syrupi de baccis Iunip. q. s.
M. F. Electuar. cujus ℥ß. *sumatur vacuo stomacho cum* ℥iij. *Aq. Veronicæ, quod aliquoties reitereteur.*

Absoluto sudore, corroborantia non negligantur, ubi *Cons. Ros.* ℥jß. *cum Cons. Rad. Cichor.* ℥ß. *additis Corallis rubr. præp.* ℥jß. *Syr. Corallini s. q. adjectâ* permisceatur, & frequenter usurpetur: vitentur in victus ratione, quæ sanguinem acriorem faciunt, & serum ejus augere queunt. Potus sit Cerevisia benè defæcata, cui Rad. Caryoph. Helenii, Macis & Nux moschata infundantur: in principio prandii & cœnæ bibatur haustus sequentis vini medicati, quod

℞. *Sassafras.*
Chinæ. ana. ℥j.
Ireos. ℥jß.
Caryophyll. Galang. ana ℨij.
Herb. Salv. Melissæ.
Rorismar. ana. M. ß.
Sem. Anisi.
Fœnic. ana. ℨjß.

Incisa infundantur in iij. mensuris vini tenuioris.

Determinatio morbi.

Post cibum frequens sit usus pulveris peptici seu trageæ, quæ:

℞. *C. C. V. P.*
Corall. rubr. præp. ana ℨj.
Sem. Coriandr. præp. ℨjß.
Nucismosch.
Galangæ. ana. ℨj.
Sacch. Ros. tabul. ℥ijß.
F. Tragea.

Quoad 2. interius usus *pillular. de Succino diebus* alternis observatus hoc modo convenit:

℞. *Massæ pillul. de Succino Cratonis.* ℨiij.
Adde Nucismosch. ℈ij.
Spec. Dianthos. ℈ß.
Ol. Rorismar. gutt. iiij.
Syr. de Mentha. q. s.
Fiant pillulæ ex ℨj. *num. XXX. dentur XV. seu* ℨ. ß. *pro dosi mox antè somnum.*

Balneum in mensibus superfluis.

Exterius Balneum medicatum fiat ex decoctione Fol. Salviæ. Rorismar. Beton. Melissæ, Bursæ pastor. Plantag. Equiseti. Flor. ros. rub. Fol. Salicum Verbasci. Quercuum, &c. in quo sæpius chalybs candens extinguatur. Post balneum temperatè calidum usurpatum, infimus venter undique sub umbilico inungatur sequenti linimento; quod

℞. *Vng. Commitissæ.* ℥j.
Ol. Mastichini. Cydonior.
Myrtini. ana. ℥ß.
Menthæ,
Absinth. ana. ℨij. M.

Empl. in fluxu mensium.

Post inunctionem anterius & posterius Emplastrum apponatur, quod

℞. *Her. Beton.*
Melissæ. ana. M. ß.
Flor. Ros. rub.
Balaust. ana. M. j.
Gummi Tacamah. ℥j.
Mastiches.
Laudani. ana. ℥ß.
Nucismosch.
Caryophyll. ana. ℨjß.
Cum cera & oleo Mastich. q. s. f. Empl.

OBSER-

OBSERVATIO XI.

Suffocationis uteri cognitio & Curatio.

MVlier honesta, Iohann. Hartmanni auf der Holtzmühlen *propè Giessam, uxor cacochymica, & in victus ratione delinquens, Anno M. DC. X. verno tempore subitò concidit, de doloribus abdominis conqueritur, interceptâ quasi respiratione suffocari videtur, partes externæ quodammodo convelluntur, vox obmutescit, & sine sensu & motu attonita quasi jacet. Declinante paroxysmo tormina abdominis, ventriculi dolorem, nauseam, irritumque vomendi conatum percipit. Die secundâ, cùm aliquot ejusmodi paroxysmos perpessa fuisset, medicam opem implorat.*

RESOLVTIO.

Determinatio morbi.

VOcatus ad hanc ægram & morbi naturam inquirens, certior tùm à marito, tùm etiam ab astantibus reddor, ægram, insultibus Epilepticis aliquoties affectam fuisse: verùm enumeratis signis consideratis, *suffocatione Matricis* eandem magis laborare concludo, præsertim cùm inquirenti mihi ipsa protinus referret, quod in invasionibus, licet penitus ferè suffocata fuerit, omnia quæ astantes tentârint, observaverit, quod in Epilepsiâ fieri non potest. In assertione meâ me confirmabat, tùm subjecti laborantis natura, quæ in primo conjugio satis fæcunda, jam verò sterilis; unde de corruptâ retenta seminali materia suspicio, tùm vernum tempus, in quo tales materiæ corruptæ effervescunt, accedentibus reliquis signis enumeratis, quæ uteri strangulatu laborantibus accidunt. *Subitò enim concidit*, nervorum origine affecta, propter venenatas exhalationes, singulari proprietate ipsummet afficientibus, ut habet *Iachinus in comm. ad 9. Rhasis: dolores abdominis percipit*, scilicet in paroxysmi principio, propter uteri motum depravatum, quo natura noxam excitatæ materiæ corruptæ pellere conatur: *interceptâ respiratione suffocari videtur*, non quod uterus ipse sursum feratur, viasque spiritus obstruat; sed quia pravi halitus ad cerebrum elevati spirituum animalium liberum aditum ad organa respirationis præpediunt, teste *Mercato l. 2. de morbis mul. c. 3.* Hinc etiam reliqua symptomata sequuntur, *levis* scilicet & *impropria partium quarundam convulsio*, propter genua contracta, *vox obmutescens, & sensus ac motus quasi abolitus*. Post paroxysmũ *alia enumerata* accidunt symptomata, propter exhalationes corruptas in ventriculo, intestinis & reliquo corpore non penitùs discussas. *His autem cognitis ad curativam progredior, eo respiciendo, ut accessio inhibeatur, peccans materia præparetur, corrigatur & evacuetur, atq; uterus totum q; corpus confortetur.*

Indicationes.

Statim igitur, cum alvus esset obstructa, quod plerumque fit in hoc affectu, lenitivum exhibeo,

℞. *Syr. rosf. salut.* ℥jß.
Elect. Diacathol. ℥iij.
Aq. Absinth. ℥jß.
M. & f. haustus.

Quo usurpato, & alvi fæcibus aliquoties dejectis, primò frictionibus ac ligaturis pedum, & præscriptis subsequentibus, paroxysmum inhibuimus.

℞. *Castorei.* ℈iiij.
Asafœtidæ. ℈j.
Galbani. ℈jß.

Cum Cerâ q. s. f. pomum, teratur manibus, & odor naribus percipiatur.

Item. ℞. *Pulv. Artemis.*
Pulegii.
Absinthii.
Melissæ ana. ℨiij.
Sem. Cumini.
Angelicæ ana. ℨj.
Galbani. ℨj.

Cum Cerâ & Tereb. q. s. f. Empl. extensum corio, ventri imo applicetur in formâ accommodatâ.

Deinde cùm alias esset Cacochymica & pituitosa, pro materiæ præparatione per biduum hoc decoctum singulis diebus bis assumendum ordinatur.

℞. *Rad. Angelicæ.*
Fœnic.
Liquirit. ana. ℥ß.
Herb. Melissæ. Mj ß.
Sem. Anisi.
Dauci. ana. ℨj.
Coqu. in. q. s. vini ad tertias.
Colentur ℥vj. *& Adde.*
Syr. de quinque radic.
Oxymel. squillit. ana ℥j.
M. & f. haustus pro ij. vicibus.

Hac præparatione præcedente, purgationem instituimus.

℞. *Diluti Agarici cum infus. Aq.*
Meliss. confecti. ℥iij.
Elect. bened. laxat. ℨij.
M. & adde Spir. Vitriol. gutt. iiij.
F. Potio.

Semel his iteratis, diebus subsequentibus sudorem provocavimus, *Theriac. Androm.* ℨjß. cum Aq. Meliss. Chamomill. exhibitâ, & postea confortationi operam dedimus, cum Condito, quod

℞. *Cons. Meliss.*
Anthos ana. ℥j.
Diacori. ℥ß.
Spec. Diacumini. ℨj.
Sp. Vitrioli. ℈ß.
M. & fiat cum Syr. de Absinth. Elect.

Utebatur quotidiè horis ij. antè cibum quantitate majoris nucis castaneæ.

Victûs rationem imperavimus tenuem, & eò respeximus, ut alvus aperta retineretur, quibus convaluit, ut hucusque nullam accessionem passa sit.

OBSERVATIO XII.

Varia symptomata in Prægnante.

Foemina Nobilissima, Conjux Nobilissimi Dn. Victoris à Bulaw in Garthaw, circiter 30. *annorum, aliquot liberorum mater, constitutione corporis cholericâ, cum per menses tres prægnans fuisset, Anno* 1607. *tempore æstivo, primùm alvi contumaces obstructiones, mox ventriculi nauseam, vomitum, cordis palpitationem, nephriticos dolores, matricis suffocationem, sitim, evaporationes dolorificas ad caput, defluxiones ad pectus, tussim & expectorationem, cum summâ virium debilitate, patitur.*

RESOLUTIO.

Cum Anno 1607. Soltquellæ Veteris Marchiæ Medicinam facerem, & ad hanc ægrotantem vocarer, consideratis omnibus circumstantiis, ejusmodi consilium præscribebam, nimirùm primam occasionem prædictorum symptomatum à *sanguine plurimùm adusto*, circa venas mesenterii, jecoris, lienis & uteri collecto, provenire, cui ansam præbeat *prompta alvi obstructio*, quam constitutio corporis *calida sicca*, & internorum viscerum *imbecillior natura* foveat. Quamprimùm enim ex tali causâ *alvi contumax obstructio* generatur, mox ventriculus gravatur, ob continuitatem, ejusque *concoctio* non tantùm depravatur, sed etiam *nausea & vomitus* subsequuntur, quatenus expultrix ejus lacessitur, & per superiora tentat illud, quod s. n. per inferiora fieri debebat: *palpitatio cordis* etiam prehendit, non tantùm propter consensum ventriculi cum corde, sed etiam quatenus ob denegatas convenientes excretiones serositates admodum in sanguine augentur, & propterea copiosiùs in cordis capsulâ collectæ, promptè satis ebulliunt. Imò cùm perdurantibus ejusmodi obstructionibus bilis excrementitia, cum aliis peccantibus humoribus, quos natura quotidiè per alvi dejectiones separat, alio transferatur, mirum non est, quod *nephritici dolores* oriantur, quatenus prædicta materia peccans ad vias renum distribuitur, quod *urina turbida, crassa & subnigra* testabatur, ut etiam *suffocatio matricis*, quatenus circa venas uteri dictam ob causam sanguis ebullit, utpotè jam propter conceptionem aliàs ibidem, menstruis evacuationibus intermissis, copiosè collectus: *Sitis* etiam aderat, ob bilis effervescentiam intemperie calidâ viscerum concoctionis auctâ; quâ ratione per *evaporationes dolorificas caput* etiam afficiebatur, ita ut ibidem exhalationibus condensatis & resolutis *defluxiones ad pectus* fierent, quæ non poterant non *tussim & expectorationem* commovere, cum *summâ virium debilitate*, quatenus liberior spirituum & sanguinis motus quasi suffocari videbatur.

Origo mali demonstratur.

Deductio symptomatum ex causis suis.

His consideratis eò respiciendũ esse duxi; 1. *Vt intemperies calida sicca, quantum fieri potest, respectu totius alteraretur;* 2. *Vt quotidiana alvi obstructio corrigeretur;* 3. *Vt viscera concoctionis debiliora confortarentur;* 4. *Tandem ut graviora symptomata, præsertim fœtûs gratiâ, non negligerentur.* Ordinato igitur convenientе regimine sex rerum non naturalium, nimirùm ut *aër ambiens* excessu peccans vitetur, vel ad minimum corrigatur, ut *alimenta* sint facilis concoctionis, humectandi potius quàm siccandi potentiâ prædita, ut *potus* sit laxativus, facilisque digestionis, adeoque nec cruditatem augens, nec etiam inflammationem viscerum producens, ut *animi corporisq́ motus* vehementiores, utpote bilem commoventes, angue pejus fugiat, &c. *Iuxta primam Indicationem* decoctum Radic. Cichorei cum Passulis in brodio carnis, decoctum gallinæ, quæ primùm, conserva Rosarum impleta fuerit, ut & usum sequentis Electuarii ordinavi, quod

Indicationes.

Diæta.

Ad 1.

℞. *Conserva Rosar.*
Melissæ ana ℥ß.
Caulium Lactucæ condit. ℥j.
Cort. Citri condit. ʒiij.
Flor. Arantior. condit. ʒ. vj.
Spec. Diarrhod. Abb. ʒjß.
Succi Citri q. s. f. Electuar.

Præter dicta frequenter etiam sitis compescendæ causâ sequens decoctum bibebat, quod

℞. *Hordei mundi.* ℥jß.
Sem. Malvæ.
Althææ. ana. ʒij.
Cicer. rubeor. ℥iij.
4. *frigid. major. ana* ʒij.
Caricar. ping. numero. ix.
Rad. Glycyrrh. rasæ. ʒvj.
Fiat decoctio in s. q. aq. ad ℥.
Sub finem ebullitionis adde
Recentis herbæ Acetosæ,
Betæ. ana. Miij.
Coletur & Clarificetur.

Quoad secundam intentionem Enema primùm ordinabatur, quod

Ad 2.

℞. *Rad. Alth.* ℥ß.
Herb. Malvæ,
Parietariæ.
Meliloti, ana. Mj.
Chamam. cum toto Mjß.
Ficuum ping. n. x.
Summit. Anethi. M. ß.
Sem. Lini.
Fœnugræci. ana. ʒij.
Fiat decoctio in s. q. aq. ad tert.
Coletur ℔j. *adde*
Ol. Chamam.
Anethini. ana. ℥j.
Rosacei. ℥ß.
Elect. Lenit. ℥j.
Salis gemmæ. ʒj. M.

Per usum Enematis emollitis alvi excretis induratis, Vinum Laxativum concessimus, quod fiebat hoc modo:

℞. *Passular. minor.* ℥j.
Rhabarb. ʒj.

Fol. fenæ ℥j.
Sem. Anisi. ʒjß.
Rad. Cichor. ʒvj.
Fol. Acetosæ. Mj.
Spec. Diarrhod. Abb. ʒj.

Incisa & Contusa comprehendantur syndone & immittantur in Vini tenuioris ℔ iij. Stent 24. horis, ac postea tempore prandii primus haustus bibatur.

Antè cœnam & prandium eodem fine frequens sit usus Elect. seq. quantitate Nucis juglandis.

℞. *Elect. de Tamarind. cum extr. folior. Senæ.* ℥ijß.
Ol. Anisi destill. gutt. v.
Spir. Vitrioli. gutt. vj. M.

Sæpiùs loco præcedentium variationis gratiâ particulam de seqq. Morsulis sumebat, qui

℞. *Spec. Diaturbith. cum Rhab.* ʒiij.
Pulv. Mechoac. albiss. ʒjß.
Diagrydii. gr. vj.
Ol. Cinam.
Macis.
Anisi. ana. gutt. ij.
Caryophyll. gutt. j.
Mannæ Calabr. opt. ʒß.
Conf. Borrag. ʒvj.
Sacch. opt. ʒiij.
Dissolvenda dissolvantur in Aq. Rof. Fiat Conf. in Morsulis, qui in Officinâ ibidem in usu erant, sub titulo Morsulorum de Mannâ.

Ad 3. *Quoad 3. intentionem, frequens erat* usus corroborantis Syrupi, qui

℞. *Syr. de Absinth.* ℥jß.
Menthæ.
Acetosi. Citri ana. ℥ß.
Spir. Vitrioli. gutt. v.
Aquæ Borrag. ℥ß. M.

Sicut etiam Aqua corroborans, quæ

℞. *Aq. Borrag. Agrimon.*
Cuscutæ, ana. ℥jß.
Arantior. ℥ij.
Spec. Diamarg. frig. ʒj.
Conf. Manus Christi cum Perlis. ʒvj.
Aq. Cinam. ℥ß. *M.*

Interdum emulsio fiebat confortans, quæ

℞. 4. *Sem. frig. major. ana.* ℥ß.
Cicer. rubeor. ℥j.
Aq. Eupator. ℥iij.
Borrag. ℥ij.
Cichor. ℥v.
F. Emulsio, Adde
Margar. prap. ℈ij.
Aq. Cinam. ʒj. M.

Ad 4. *Quoad 4. intentionem, ventriculi causâ* maximè urgentibus Vomitionibus ordinabam Elect. quod

Ad vomitiones. ℞. *Conf. Rosar. vet. cum succo Cydon. dissol.* ℥jß.
Margar. prap.
Corall. rubr. prap. ana. ʒj.
Spir. vitriol. gutt. viij. M.

Exteriùs addebam Empl. quod

℞. *Mastich.*
Nucismosch. ana. ʒj.
Menthæ siccæ ʒjß.
Flor. Rof. rub. ʒij.
Cum ol. Cydonior. & cera, q. s. f. Massa, quæ corio extendatur pro Emplastro Stomachali.

Ad dolores nephriticos. *Doloribus Nephriticis* urgentibus in promptu erat Unguentum quod

℞. *Ol. Amygd. amar. Scorpion.*
Anethini. ana ʒj.
Chamam. ℥ß.
De Castoreo ʒij.
Ceræ parùm, Fiat Liniment.

Bibebat autem tunc temporis pro siti compescendâ Decoctum *Rad. Glyzirr. & Cicer. rub.* cum Saccharo cand. dulcoratum.

Ad uteri suffocationem. Cùm verò unà etiam *Vteri Suffocatio* facilimè laborantem apprehenderet, *Nodulum seu Pomum* seq. ordinabam.

℞. *Galbani* ℥jß.
Asæfœtidæ ℈j.
Castorei ℈iiij.
Cum Ceræ s. q. f. Pomum, quod Syndone obducatur.

Ad tussim. *Contra tussim* frequenter lambebat de Elect. seq.

℞. *Loch. Sani & Expert.* ℥ß.
Spec. Diatragac. fr. ʒij.
Syr. jujub. q. s. f. Elect. molle.

Interdum illius loco sumebat *Confect. Diajreos. Simpl. cum Ol. Fanic. prap.*

Contra animi deliquia. *Animi deliquiis* ex spirituum suffocatione sobortis mox vino decoctionis Rorismar. Beton. Salviæ & similium extremas partes fomentando, sicut etiam sacculis ad regionem pulsus in carpo, prius in convenientibus Aquis humectatis, succurrere conabar, qui

℞. *Spec. Diarrh. Abb.* ʒj.
Diamarg. cal. ʒß.
Herb. Meliss.
Flor. Beton. Violar. rosar. rub. an. piß.
Camphoræ gr. iij.
Macis ʒj.
Croci ℈j.

Grosso modo incidantur, & fiant sacculi ad pulsus, qui humectentur Aq. Borrag. Melissæ. Hirund. cum Castor. an. ℥j. Aceti Vini ℥ß. M.

His ita continuatis à gravissimis symptomatibus ægra conservabatur, donec Dei gratiâ convenienti tempore fœtum masculum vitalem ederet, à quo tempore pristinæ sanitati restituta fuit.

OBSERVATIO XIII.

Lactis defectus in puerpera.

CASUS.

Propositus per literas Rev. & Clarissimi VIRI N.N.

Gravis uteri hæmorrhagia post partum difficilem.

S Clariss. & Excellentiss. Vir, Compater & affinis honorande, cum ultra duos menses conjux mea post partum laboriosum gemellorum, lactis defectum patiatur, nolui intermittere, quin casum hunc proponam, cum suis circumstantiis, tuumque salutare auxilium implorem. 20. Sept. anni currentis, prædicta conjux mea geminas, DEI benedictione, filias enixa est, ubi cum partu difficili sanguinis ingens copia fuit excreta, ita ut instar morientis calor nativus penitus dissipatus fuerit, ut partibus etiam externis, totique corpori calefaciendo linteamina calefacta vix sufficerent. Hanc hæmorrhagiam insignem excepit totius debilitas, capitis dolor, calor febrilis, dejectus appetitus, & gustatus quasi abolitus. His gravissimis accidentibus, DEI gratiâ, remittentibus, per quatuor septimanas appetitus alimentorum & poculentorum rediit, defectu tamen lactis adhuc durante. Quanquam enim ad lactis progenerationem juvandam non tantùm filiolas admoveat, sed etiam suctionem per mulierem amanuensem instituat, nihil tamen subsequitur, mamillis interim flaccidis remanentibus. Quod cum ita sit, maximoperè rogamus, ut Cl. Dn. Compater consilio nobis non desit; vicissim eidem omni tempore paratissima nostra officia pollicemur, eundemque cum omnnibus suis DEO Opt. Max. commendamus 16. Novemb. 1623.

RESPONSUM D. GREGORII HORSTII ad casum præcedentem.

S Pro præstito Christianæ charitatis officio, Vir Reverende & Clarissime, fautor, Compater & affinis plur. colende, non est, quod gratias agas: faxit Deus Opt. Max. ut gemellæ tuæ filiæ benedictione divinâ crescant, & in pietate ac virtute educentur, quò aliquando connubio junctis gemellos etiam filios, eorumque longo ordine natos, videas; Affectum amantissimæ conjugis tuæ quod attinet, ex descriptione circumstantiarum colligo, defectum hunc lactis originem suam habuisse per evacuationem immodicam, quatenus in partu sanguinis ingens copia, sicut scribis, procul dubio ruptis uteri venis insignioribus, ita segregata fuit, ut dissipatione spirituum ac caloris corpus totum exangue penitus & semimortuum apparuerit, subsequentibus etiam aliis symptomatibus, quæ caloris atque spirituum læsiones excipere solent. Quanquam verò postea dolore capitis, calore præternaturali, dejecto appetitu, totiusque lassitudine remittentibus, vicissim vires aliquo modo, ciborum appetentiâ redeunte, refectæ fuerint, nihilominus lactis defectum adesse scribis, frustrà suctionibus frequentibus institutis, ipsis etiam mammis flaccidis remanentibus. An autem amantissimæ tuæ conjugi, & consequenter etiam gemellis, lactis copiâ indigentibus, medio quodam, pro lactis generatione procurandâ succurri possit, à me scire gestis? ad quod breviter respondeo, nihil quicquam hic sperandum, nisi primum totius exinanitio, per præcedentem hæmorrhagiam facta, per victus rationem convenientem abunde sit restituta; propterea quod lactis generationi non quivis, sed superabundans tantummodo sanguis à natura concedatur, utpote cum partium omnium nutritio, lactis generatione, quoad individui conservationem, prior sit. Ergo primum alimenta sint boni succi, & benè nutrientia, panis albus, ova recentia sorbilia, juscula cerevisiæ cum vitellis ovorum, pulticulæ cum lacte recenti, & farina tritici, saccharo & vitellis ovorum præparatæ, carnes, vervecum, agnorum, gallinarum, caponum; panatellæ cum decoctione hordei excorticati, oryza cum lacte cocta, amygdalata, &c. Potus sit cerevisia benè defecata, quæ lupuli amaritiem digestione convenienti deposuerit; vinum quoque tenue, passulis conditum: frequens etiam sit usus radicum pastinacæ domesticæ, cum brodio carnis vervecinæ, ad mollitiem decoctarum (videatur hâc de re *Galenus lib. 5. simpl. Med.* vel ex recentioribus *Varandaus Tract. de morb. mul. cap.* 10.) Posito verò, totius refectionem hoc modo commodè fieri posse, necessarium est, ut eò ulterius respiciamus etiam, num superabundans sanguinis copia pro tempore, nimirum 3. post partum mense, vicissim ad mammas ablegari possit, præsertim, cum scribas, mammas frustra suctione tentari, earumque substantiam penitus flaccidam esse. Verum enim verò, cum non sufficiat lactis materia, sed necessario vis γαλακτοποιητικὴ mammarum convenientem & naturalem habitum consequens, requiratur, non video, quid sperandum de lactis restitutione, nisi forte per quotidianas frictiones, cum pannis asperis, & per fomentationem, cum spongiis novis, aquâ tepidâ ebriis, venæ mammarum vicissim dilatentur, & ad sanguinis attractionem habiliores reddantur, quo modo pastores montis Oetæ, juxta philosophum, ex uberibus caprarum virginum lac etiam provocare solebant, de quo vide lib. 1. de nat. humana, ubi de lactis productione tractamus: valde tamen dubito, num conjugalis amplexus potius ad mammas, ex prædictis causis pro tempore minus habiles, quam ad uterum superfluum sanguinem promovere queat, quam ob causam, mensibus vicissim apparentibus, frustrà lactis generatio sperabitur, utpote cum natura cogi nequeat. Medicamenta γαλα θρέψοντα quod attinet, duplicis sunt differentiæ, nimirum vel caliditate moderatâ succos frigidiores in sanguinem, & consequenter in lac convertunt, vel humiditate convenienti per similitudinem substantiæ lac augent, quorum determinationem ulteriorem vide in Exerc. nostris Pharmac. dec. 4. th. 8. Hæc sunt Compater honorande, quæ respondere volui: tu boni consule, & quod facis Horstium tuum amare perge. Raptim Ulmæ. 3. Decembr. 1623.

Causa defectus lactis in hoc casu.

Responsio ad propositam quæstionem.

Victus ratio in defectu lactis.

OBSER-

OBSERVATIO XIV.

Uteri hæmorrhagia.

Ex literis

Cl. Viri, Dn. Johannis Bilgeri, Med. D. ac Physici Campodunensis,

Ad

GREGOR. HORSTIUM, D.

UT omnibus in confesso est, ex sanguinis menstrui suppressione, *Autore Hippo.* Iliadá malorum emergere posse, ita ex nimiâ illius evacuatione non minora exoriuntur mala. Hoc ipsum honesta quædam matrona, Sexagenaria vidua, Sui ipsius exemplo est experta, quæ per biennium, & quod excurrit, *uteri hæmorrhagiâ sat molestâ* vexata fuit, cum grandi pariter infra umbilicum, ad capitis humani magnitudinem, tumore, sensuq; ponderis gravi. Hæc matrona, cum nihil medicamentorum per os admitteret, eam ob causam medicum præ pudore nullum accersivit, sed propriis, sibique cognitis remediis ad hanc hæmorrhagiam sistendam utendo, maximum vitæ discrimen incurrit. Tandem cum ex viribus suis probè exploratis hanc ipsam non suâ sponte, & circa manus medicas cessare, verum profundius radices agere animadverteret, amicorum quorundam suasu, me ad se consilii causâ vocavit, suique corporis curam meæ fidei commisit. Facto mecum, ex relatis ægrotantis, prognostico, protinus ipsi dico, hæmorrhagiam hanc præsens vitæ exitium eidem minitari, cui, si chara vita foret, periculumque hydropisis, in quam progressu temporis terminari soleat, evitare vellet, tempestivè medicamentis succurrendum sit. Nec prædictio mea me fefellit: siquidem haud pauco interjecto tempore pedes ejus ac venter in maximam excreverunt molem. Quapropter, ne ipsam planè prognosticis relinquerem, cùm externa, ad duritiem tumoris emolliendam & discutiendam, quippe rebar ex flatibus permistis esse; tùm interna, ad sanguinem sistendum præscripsi. Quibus cum per quatriduum uteretur, maximum ex illorum usu juvamentum adipiscebatur, nam tumor nonnihil evanuit, & hæmorrhagia per tempus aliquod suppressa fuit. Verum haud longo dierum intervallo, quod sanè admiratione non caret, carnis frustum, lienis bubuli majoris faciem, tum colore, tùm longitudine, repræsentans, cùm multis hinc inde interjectis venulis, ac membranulis, instar tendinum, per uterum excrevit. Hoc carnis frustum cum cultro per medium dissecarem, tàm gravis fætor quasi ex lacu averni exspiratus fuit, qui cùm meas, tùm adstantium feriebat nares, ita ut nolentes volentes à me procul fugere coacti sint. Prædictus tumor licet nonnihil subsederat, attamen paucis elapsis diebus pòst de novo succrescere incepit, qui de latere in latus revolutus maximos ipsi cruciatus peperit, ad extremum vitæ diem, quo hydropica periit, perdurantes.

Frustum carnosum putridum ex utero rejectum.

OBSERVATIO XV.

Ejusdem.

De Muliere res miras per inferiorem gutturem, ut Plautus loquitur, dejiciente.

OMnem superat fidem, nisi oculati sinceræ fidei testes etiamnum in vivis forent, sequens historia. Mulier ann. 45. vel circiter nata, cum crudelissimis intestini recti doloribus detineretur, ita ut commodè nec sedere, nec etiam in dorso dormire posset, me consilii causa ad se vocavit. Cui statim, de dolore prius mecum presagio habito, clysterem ex lacte decoctionis lini, ad dolorem mulcendum, & humorem, si qui fortè acrior intestinis inhæreret, temperandum injicere jussi. Quo injecto, brevi spacio post, squamas & spinas piscium, semen hyoscyami, particulas lignorum ac ramenta lapidum: itemque, quod admiratione dignum est, particulam de pelle ovina, vellere adhuc vestitam, magnitudinem manus dimidiæ excedentem, maximo cum cruciatu, dejecit. Hæc omnia meis oculis vidi, & à fecibus depurata manibus contrectavi. Quanquam tamen hæc præternaturalia dejecerit hæc fœmina, nihilominus dolores non evanuerunt, verùm interdiu, noctuque miseram hanc miserè tractantes, ac vires paulatim conficientes, citam mortem intulerunt.

OBSERVATIO XVI.

Hæmorrhoidarum venarum intumescentia cum condylomatibus post partum.

HOnesta fœmina, quadraginta circiter annorum, constitutionis macilentæ, post partum difficilem, de intumescentia venarum in ano conqueritur, ita ut sæpius unà cum excrementis non tantum tumor mollis quantitate dupla nucis juglandis exprimatur, sed simul etiam sanguis fluidus frequenter secernatur.

RESOLUTIO.

HIc violento partu, nec non imprudentiâ fortassis obstetricum, quæ sæpiùs digito per posteriora immisso naturam irritare ad excretionem præter rationem consueverunt, venas hæmorrhoidales ita dilatatas fuisse colligebam, ut postea promptè copiosum affluxum in sese reciperent. Suasor ergò fui, ut singulis mensibus *copia sanguinis acrioris* præcaveretur, per octiduum continuando sequens vinum laxativum.

℞. *Rad. Acetosæ* ℥ß.
Fœniculi, Glycyrrh. ana ℥vj.
Her. Agrimon. Card. ben. an. M. ſ.
Flor. Acaſiæ Mj.
Fol. Senæ ſ. ſ. ℥x.
Agarici troch. ʒiij.
Rhabar. Mechoacæ ana ʒij.
Cremoris Tartari ℥jß.
Paſſul. min. inciſ. ℥j.
Galangæ, Zingib. ana ʒß.
Spicæ Ind. Aniſi ana ℈j.
Inciſa & contuſa dentur pro menſura vini.

Hoc observato, non negligatur *pars affecta*, ubi post factam excretionem guttur inferius abstergatur spongia nova, quæ in vino rubro decoctionis rof. rub. inebriatur, superaddita postmodum inunctione, vel cum bombace, & petiis applicatione olei ovorum, cum ol. Cydonior. & Mastichino permixtis. Quod si dolor interdum oriatur, linimentum de Linaria, vel etiam linimentum de glycyrrhiza conveniret, quorum illud à nobis *lib.3. Observ. de morb. infimi ventris sub finem*; hoc autem à *Minderero in Medicina Militari describitur. Cruribus alligetur Radix Scrophul. recens.*

OBSERVATIO XVII.

Hæmorrhagia gingivarum in prægnante lethalis, cum supervenientibus maculis rubris & sudore sanguineo.

Honesta fœmina juvencula, Pastoris in vicinia conjux, in septimum mensem prægnans, mense Majo Anno M. DC. XXIV. incidit in hæmorrhagiam subitaneam gingivarum, sanguine confertim effluente, die, noctúq; per septimanas tres continuas, tantâ copiâ, ut aliquot mensuras implere potuisset, unde non tantum matri, sed fœtui quoque periculum præsentissimum imminebat. Tandem à capite ad calcem usque maculæ succedunt sanguineæ, quas cum sudorifero balneo discutere conaretur, sudor supervenit sanguineus, potissimum circa superiorem corporis partem, iis in locis, ubi ante maculæ sanguineæ sese manifesta verant, quem sudorem postea tanta virium omnium dejectio fuit subsecuta, ut paucis diebus post vitam cum morte commutaret.

RESOLVTIO.

Observatio similis. CUm 17. Junii 1624. casus hic singularis, à marito prędictæ fœminæ per literas determinaretur, protinus recordabar *lethalis hæmorrhagiæ* cujusdam honestæ matronæ, conjugis Professoris Giesseni, quæ Anno 1622. sub initium Martii febrim continuam patiebatur, ex qua convenientibus remediis adhibitis liberata, circa tempus mensium instans, sub initium Aprilis, incidebat in gravissimam hæmorrhagiam per nares, quam excipiebat Sanguinis continua secretio per gingivas, idque tantâ copiâ per quatriduum continuabatur, ut tandem præeunte alvi quoque fluxu sanguineo, viribus exhaustis, 8. Aprilis naturæ debitum solveret. Aderat autem hic *constitutio corporis macilenta*, sua natura ad acrioris sanguinis collectionem dispositæ, *quam præcedens febris*, adustione plurimum auxerat, unde propter *imbecillitatem ex præcedenti morbo relictam* loco menstrualis evacuationis per uterum, fortè viis ibidem reliquiis peccantis materiæ infarctis, sursum vergebat sanguis acris, sero plurimo dilutus, & *symptomaticè per nares ac gingivas* profluebat. Quanquam verò *Dodonæus observ. cap. 15.* Virgini cuidam 18. ann. mensibus non succedentibus, superfluum sanguinem per *oculorum angulos* sanguineis lachrymis continuis, aliique *per gingivas* expulsionem sanguinis moliente natura, segregatum fuisse scribit, eventu salutari, quemadmodum *superius etiam sub finem observ. 3.* varios alios modos annotavimus: distinguendum tamen, ubi tale quid accidit naturæ robore concurrente, quod in hoc subjecto laborante deerat, ob morbum præcedentem naturæ viribus labefactatis. *Similis verò casus* nobis videbatur *prægnantis illius* in qua rectè quidem, propterea quod utero gestaret, *mensium defectus* aderat, sed symptomaticè tanta sanguinis *hæmorrhagia per gingivas* superveniebat, idque propter sanguinis acrioris, serosi & aquosi constitutionem præter naturam, cujus ratione non tantùm, ob denegatam adæquatam nutritionem & refectionem, *debilitas omnium virium* introducebatur, sed insuper etiam reseratis ab acri humiditate serosâ sanguinis venarum osculis, præternaturalis excretio fiebat *in gingivis*, tanquam partibus mollioribus, aliâs ad sanguinolentiam dispositis, cujus rei exemplum refert *Marcellus Donatus lib. 4. Hist. mirab. c. 9. ex Matth. de Grado*, qui in Moniali quadam, non ex abundantia humorum, nec propter causam aliquam violentam, undiquaque per sputum, per nares, per urinam sanguinis eductionem ad 18. libras vidit, licet natura exilis, macilenta & phlegmatica fuerit, quam tamen ab interitu per narcoticum liberatam fuisse dicit. Imò lienoso cuidam fabro ferrario per venulam gingivæ spacio diei naturalis ultra octo libras sanguinis evacuatas fuisse *Marcellus* ipse testatur, utpote in quibus etiam sanguis acri sero dilutus abundat. Hinc ergo, periculo predicto, frustra suasimus illa, quæ *sanguinis effervescentis ὀργασμὸν lenirent, acrimoniam ejusdem temperarent, & naturam corroborarent*, præsertim cum symptoma rarissimum, nimirum *sudor sanguineus*, cum maximâ virium debilitate superveniret. Ut autem *Rondeletius lib. de dignosc. morb. c. 11.* sudoris sanguinei observati causam in studioso quodam, ad venarum raritatem, illarumque osculorum laxitatem & sanguinis tenuitatem refert; *Aristoteles verò lib. 3. de par. anim. cap. 5. & lib. 3. hist. animal. cap. 19.* nonnullis *περίττωμα αἱματῶδες* accidere dicit, propter vitiatum corporis habitum, scilicet ubi corpus laxum, fluxumque; nec non quod sanguis propter cruditatem imbecillitate caloris humescit, & ut posterior locus habet *γίνεται ἰχωροειδὲς*, serescit: ita hîc etiam accidens istud periculosum primum à sanguinis tenuitate & aquositate, caloris imbecillitate producti, nec non à cutis ejusque pororum laxitate, tandemque retentricis facultatis languore deducimus, unde neglectis ab initio convenientibus mediis, imò adhibitis iis, quæ morbi vehementiam augebant, inter quæ balneum erat sudoriferum, eventus lethalis subsequebatur.

Menses per oculos & gingivas excreti.

Copiosus sanguinis fluxus à gingivis absq; noxa.

Sudoris sanguinei causa.

OBSERVATIO XVIII.

Fluxus albus, cum inordinatis menstruis.

Nobilis fœmina, constitutionis sanguineæ, multorum liberorum mater, ætatis circiter 40. annorum, continuo fluxu albo, mensibus inordinatis afficitur, idcirco, languore totius succedente, medicam opem implorat.

RESO-

RESOLUTIO.

FLuor muliebris hîc aderat, quem fluxum album quoque communiter vocant, qui *vitio totius fiebat*, quod lassitudo gravativa, venarum plenitudo, musculosi habitus tensio, nec non torpor pedum atque crurum indicabant. Concurrebant autem *menses inordinati, copiâ excedentes*, ob debilitatem uteri nimia humiditate, quoad retentricem facultatem, læsi. Quia verò continuato dictorum affectuum periculo non caret, mox naturæ succurrendum esse duxi, partim *respectu totius*, partim etiam respectu *ipsius Uteri Quoad totum*, præmissâ lenitivâ evacuatione, sanguinis missionem suadeo, non neglectis iis, quæ jecur roborant, ut sunt Conser. Rad. Cichorei, Cons. rosar. cum Corall. rub. pp. Syrupus Corall. &c. inprimisque cum cibis, ne serum copiosius ex imbecillitate ventriculi colligatur: primus haustus fit de vino, quod fiat infusione sequentium, nimirum

℞. *Rad. Chinæ* ℥j.
Ireos ℥ß.
Caryophyllatæ.
Sassafras, Galangæ an. ʒij.
Her. Salviæ, Rosmarini.
Betonicæ,
Chamædryos ana Mj.
Sem. Anisi, Fœniculi ana ʒjß.
Prunor. Sylvestr. exicc. ℥iij.

Fiat infusio in tribus mensuris vini albi tenuioris. Post cibum tragea sumatur cum pane tosto vino inebriato, quæ

℞. *C.C. usti P.* ʒjß.
Corall. rub. pp.
Nucis mosch. cond. sicc. an. ʒj.
Sacch. rosati tabulati ℥j.
Misce fiat pulvis.

Reiteratis autem evacuationibus ad serositates simul directis, ubi *Rad. Mechoacanæ nigræ cum Rhab.* plurimum præstat, addito pauxillo *Cremore Tartari*, frequens fit usus *Magisterii Corall. rub.* ℈j. quantitate cum electuario de passulis assumpti. *Martis* quoque *Crocus* diligenter absque additione præparatus ad summam levitatem, plurimum etiam hîc præstat, ubi frequenter ℈ß. pondere sumitur. Porro *quoad uterum*, præmissis primum iis, quæ totum respiciebant, ordinavimus illa, quæ *adstringendo roborant*, & *exiccando superfluitates absumunt*, verbi gratiâ, inunctionem ex unguento Comitissæ, cum Ol. Masticbino, Cydon. & similibus, superaddito cerato quod

℞. *Her. Beton. plantag.*
Rutæ ana pjß.
Fl. rosar. rub. pij.
Boli armeni. in vino austero loti ℥ij.
Nucis mosch. num. I.
Mastich. ʒjß.
Vng. comitissæ ℥j.
Ceræ q. s. F. Ceratum, extensum corio. Ad regionem uteri.

Fiebat quoque suffumigium, quod

℞. *Galliæ mosch.*
Aliptæ mosch. ana ℈j.
Acaciæ ℈ß.
Styrac. cal.
Benzoi an. ℈j.
Santal omnium ana ℈ß.
Nucis mosch. ʒj.
Cum mucilag. Trag. in aq. fol. querc.
F. Trochisci pro fumo, inferius suscipiendo.

OBSERVATIO XIX.

Dolores articulares & convulsiones in puerpera.

FOemina honesta, ludimoderatoris in pago Luzelinde prope Giessam uxor, cum Anno 1617. mense Augusto puerpera esset in septimanam quartam, *articularibus doloribus, & convulsivis quoque partium externarum motibus* afficitur. Cum autem imperfecta puerperii purgatio præcessisset, eò allaborandum esse duxi, *quò primum cacohymia* tolleretur, qua de causa propter vires imbecilliores, *pedetentim evacuandum* esse statui, protinus ordinando vinum *laxativum*, quod dimidia parte, priusquam fiat infusio, cum decocto radicum cichorei diluatur, quo præmisso per octiduum, *sudor provocetur* haustu aquæ veronicæ, cui addatur Theriacæ ʒj. & spiritus Ebuli ℥ß. Idque repetatur per triduum. Habito sudore *partes extremæ fricentur* vino decoctionis salviæ & melissæ, vel aq. hirund. cum Castoreo destillata, nec non iis externis mediis, quæ alias in paralysi spuriâ, colicos dolores subsequente, frequenter usurpari solent.

OBSERVATIO XX.

Urinæ involuntaria emissio post partum.

HOnesta fœmina, *Professoris in Academia Giessenâ, Collega, conjux, Anno* 1614. 15. *Novemb. cum in tertiam septimanam puerpera esset, de fluxu Urinæ involuntario conqueritur, ubi primum, lenitivo præmisso per syrupum rosatum solutivum cum El. rosat. permixtum, in constitutione corporis aliàs calidiore, malo huic, tanquam paralysi, partus vehementiâ per relaxationem musculi sphincteris productæ, succurrebam insessione, quæ*

℞. *Fol. Lauri, Betonicæ,*
Salviæ, Rosmarini,
Origani ana Miij.
Fl. Betonicæ
Rosar. rub. ana Mjß. *Fiat decoct. in vino rub. vel aqua chalybeata, pro fomentatione.*

Quâ præmissâ subsequatur inunctio, quæ

℞. *Ol. Lumbricor.*
Lilior. al. an. ʒiij.
Thuris, Mastich.
Fl. rosar. rub. ana ʒj.
Spir. Lilior. convall. ℥ß. *Ceræ q. s.*
Linimentum.

Interius

Interius observetur victus ratio, ne copia serositatum prompte colligatur, vitatis etiam iis, quæ per vias urinarias admodum movere solent: sæpius Morsuli masticentur, qui

℞. *Coriand. prap.* ʒjß.
Fl. ros. rub. ʒj.
Sem. portulaca
plantag.
C.C. usti. pp.
Corall. rub. pp. an. ʒß.
Sacch. in aq. fol. querc. solut. ℥v.
F. Conf. in Morsulis.

Item Elect. fiat ex *conf. rosar. antiq.* ℥ß. *Myrob. citrin. ossium dactyl. Corall. rub. an.* ʒj. *Mucilag. sem. cydon. cum aq. equiseti. parata q. s. F. Elect.* cujus dosis ʒjß. ante cibum. Item permutationis gratiâ frequenter ʒß. pul. Betonicæ, vel Agrimoniæ quotidiè sumatur.

OBSERVATIO XXI.

Dolores dorsi, lumborum & hypochondriorum post partum.

JUvencula conjux, annorum circiter 25. constitutionis sanguineæ, post primum puerperium 2. Jan. 1617. *de dolore dorsi, lumborumq́ continuato* conqueritur. Quanquam verò mediocriter in puerperio purgata diceretur, ex continuatione symptomatis tamen colligebatur, sanguinis impurioris copiam esse residuam, iisque in partibus manifestari, ubi vasa majora transeunt, ut hac ratione *dolor suboriatur circa dorsum ac lumbos*, eapropter, quod ob lactis generationem laudabilior pars à mammis traheretur, reliqua vero deorsum versus moveretur, & cacochymiam infimi ventris introduceret. Hic igitur *antecedentis causa* respectu nodulum laxativum ordinabam, quò superflua collecta materia pedetentim, cum infantem lactaret, educeretur cucurbitulis cum scarificatione dorso, lumbisque appositis, quoad partem dolentem, præmissa fomentatione per decoctum salviæ in vino, simul aliquoties sudorem imperando matutinis horis in lecto, prius potiunculâ ex Rob. sambucino cum pauxillo Mithridatii in aq. Veronicæ dissolutis assumptâ, quibus paulo post melius habuit. At gravior atque contumacior erat *dolor lateris sinistri circa splenis regionem* in rhedarii Buzbacensis uxore, quæ post puerperium, paulò post, 3. Febr. eodem anno graviter, ob materiam ex imperfecta purgatione in hypochondriis relictam, affligebatur. Huic urina cruda reddebatur, quam ob causam materiam prius concoquendam esse duxi per decoctum galli decrepiti, ad imitationem illius, quod Quercetanus in pharm. ad obstructionem viscerum reserandam commendat. Hoc præmisso, semel atque iterum evacuatione per Caryocostinum Electuarium reiteratâ, subsequenti decocto sudorifero, superfluitates residuas absumente, viscerumque robur abjuvante, vicissim ad votum convaluit.

Alia observatio.

OBSERVATIO XXII.

Cachexia post gestationem fœtus mortui.

F*Oemina triginta annorum, spectata familia, ex Imperiali Civitate Dünckelspuel huc veniens Anno 1625. sub initium, consilium medicum expetit, qua post gestationem fatus in utero demortui, subsequentibus annis, in debilitatem ventriculi, cum siti p.n. incidit, quam pedum intumescentia, cum refrigeratione extremorum, eorumq́ convulsivâ tensione subsequitur: interdum colicus dolor, mox inflatio, cum superveniente diarrhaâ prehendit: mammillarum insuper exulceratio concurrit.*

RESOLUTIO.

FÆtum in utero demortuum, si diutius negligatur, vel non observetur, matri damnum immedicabile creare certum est. Exemplum hujus rei præsens casus nobis exhibebat, *ubi cachexia totius* aderat, quæ primùm *insigni ventriculi debilitate* manifestabatur, cum *siti præternaturam*, quam serum salsum in corpore toto, propter jecoris etiam concoctionem depravatam, producebat: *pedum intumescentia*, seroso sanguine, minus ad nutritionem apto, versus inferiora descendente; *Cùm refrigeratione extremorum*, propter caloris nativi remotioribus in locis à corde debilitatem; *eorumq́ convulsiva tensione* subsequente, propterea quod musculosę partes, ad motum liberum destinatæ, præter naturam crudis vaporibus loco spiritus animalis purioris imbiberentur. Interdum *Colicus dolor*, acrimonia superfluitatum partes sensiles vellicante; mox *inflatio*, tensis præter naturam membranosis intestinorum & abdominis partibus; *cum superveniente diarrhaa* prehendit, ubi tandem natura peccantem materiam superabat, & per consuetas excretionis urinæ vias ablegabat. *Mammillarum insuper exulceratio* concurrit, propterea quod sanguis menstruus præter naturam dispositus, & acrimoniâ lancinans, ob denegatum per uterum refrigeratum consuetum exitum, versus superiora moveretur, ibidemque mammarum substantiam glandulosam, facile receptivam, afficeret. Hic eò respiciendum esse 1. *Ut superflua serosa materia pedetentim separaretur.* 2. *& ulterior ejusdem collectio pracaveretur. Ad primum prascripsi vinum laxativum, singulo trimestri reiterandum, quod*

Convulsiva tensionis causa.

Indicationes.

Ad 1.

℞. *Rad. Helenii, Ireos an.* ʒj.
Faniculi, Petrosel.
Pimpinella, an. ʒij.
Her. Betonica, Agrimon.
Melissa, Scordii, an. pij.
Fol. Calendula, genista. an. pj.
Fol. Sena s. s. ℥j.
Rhabar. el. ʒj.
Agaric. troch. ʒij.
Mechoaca, Hermodact. an. ʒjß.
Sem. dauci Cret.
Faniculi an. ʒß.

Sassafras

Sassafras ℈j.
Crem. Tartari ʒjß.
Galanga, ZZ. an. ʒß.
Passul. min. incis. ℥j.
F. Nodulus ad ℔v. *vini.*

Præmisso vero vino laxativo per octiduum, ulterior fiat digestio per pulverem, qui

℞. *Crem. Tartari* ʒß.
Magist. Corall. rub. ʒij.
Perlar. ʒß.
Pul. Galanga.
Caryophyll. an. ℈ß.
Fiat pulvis in 14. partes divisus.

Hujus pulveris quotidiè bis dosis determinata sumatur in brodio decoctionis rad. fœniculi, subsequente die 8. purgatione, quæ

℞. *El. de Tamarind. cum fol. sena* ʒiij.
Caryocostini ʒijß.
Crem. Tart. ℈j. M. *fiat bolus.*

Ad 2. Ubi verò juxta primam intentionem hæc ita peracta fuerint, commodùm postea corroborationi viscerum studendum, ne citò rursus Cachexia colligatur, quo fine decoctum Rad. Chinæ cum Sassafras ab aliis præscriptum fuit, ut & morsuli, qui

℞. *Cal. Arom. cond.* ʒijß.
Nucis mosch. cond. num. 1.
ZZ. cond. ʒj.
Macis ℈ij.
Caryophyll. crassæ, incis. ℈ijß.
Cardamom. ℈j.
Cubebar. ℈ß.
Ligni Aloës ʒß.
Cinam. crassè incisi ʒß.
Ol. Anisi, Fæniculi, an. g. iij.
Nucis mosch. per expre. ℈j.
Sp. arom. rosat. ℈ijß.
Sacch. in aq. agrimon. & Cin. solut. ℥ix.
F. morsuli.

Item Tragea, quæ

℞. *Spec. Diarrh. alb.*
Diatrionsantalon ana ʒjß.
Dialaccæ ʒj.
Corall. rub. pp. ʒij.
Sacch. rosat. tab. ʒiijß.
F. Tragea.

Ego permutationis gratiâ, primùm *Elixiris Proprietatis Paracelsi* gut. vj. vel vij. quotidiè sumendas cum brodio; deinde *aquam stomachicam Zedoariæ lib. 4. de morb. viscer. obs. 1.* descriptam, ac tandem *Rotulas* has commendavi, quæ

℞. *Spec. Arom. Caryophyll.* ʒjß.
Diagalangæ ℈jß.
Extr. ligni Aloës ℈j.
Ol. Anisi g. v.
Sacch. in aq. menthæ solut. ℥v.
F. conf. in Rotulis.

His juxta primam atque secundam intentionem continuatis, symptomata graviora suâ sponte cessabant, ubi tamen nihilominus interim *mammillarum exulcerationi* per linimentum, eidem à Clariss. Viro, Dn. Jeremia Erhardo, Med. D. Augustino, ordinatum, succurrere poterit, quod

Contra mammillarum exulcerationem.

℞. *Olibani* ℈ß.
Thuris, Mastich. an. ℈j.
Cerussæ ʒß.
Tragacanth. cum aq. plantag. infus. ʒijß.
Vng. Pomada ʒiij.
Ol. rosar. ʒvjß.
Sevi hircini ℥j.
Ceræ q. s. F. linimentum.

OBSERVATIO XXIII.

Secundina relicta post partum.

Honesta fœmina, civis primarij conjux, constitutione corporis cholerica, nec non adustioni humorum, & hystericis accidentibus aliàs obnoxia, Anno 1624. sub finem Ianuarii, puellum parit mense gestationis octavo, debilem omnino, qui paulo post, adhibito primum sacro baptismate, eâdem die expirat. Mater ob vehementem hæmorrhagiam periclitatur admodum, secundinis in tertium diem relictis.

RESOLVTIO.

Partum hunc ante tempus caloris ac sanguinis ὀργασμὸς producebant, quod inter cætera *vehemens hæmorrhagia*, summam parturientis imbecillitatem introducens, innuebat. Hinc accidit, *ut relinquerentur secundinæ*, partim quod Utero adhuc firmiter annexæ viderentur, antè tempus fœtu excluso, partim quod expultrix facultas ob virium debilitatem segnior esset. Protinus igitur vocatus, eò respiciendum esse duxi, *quò vires naturæ corroborarentur*, quâ de causâ statim exhibeo pulverem cordialem, qui

Causa retentionis secundinæ.

℞. *Lap. Bezoartici* ℈ß.
Corall. rub. pp. ℈j.
Soluti Margar. ℈ß.
F. Pulvis pro 2. vicibus in aq.
Ceras. nigror. assumendus.

Exterius dorsum & lumbos inunximus, tàm doloris leniendi, quàm fervidi sanguinis in vasis majoribus temperandi gratiâ, sequenti linimento, quod

℞. *Vng. Rosati Mes.*
Infrigidant. Gal. an. ʒiij.
Ol. Violar.
Chamæm. Amygdal. dulc. an. ʒß.
Ceræ parum, f. linimentum.

Anterius autem, propter uteri inflationem, sacculum vino decoctum apposuimus, qui

℞. *Her. Melissæ, Artem. Matr.*
Fl. Chamamel. an. Mj.
Sem. Anisi,
Fæniculi an. ʒj.

Bacc. Lauri ℥jß.
Castorei ʒß. *Misce.*

Superius autem ad tempora *linimentum de Alabastro* suasimus, quod

℞. *Vng. de Alabastro* ℥ij.
Popul. ʒß.
Ol. papav. express. parum.
Croci gr. iij. Misce pro linimento.

His prima nocte peractis, & ægrâ parumper quiescente, sequenti die naturam ad ulteriorem secundinæ expulsionem irritare conati sumus, exhibito primum Enemate, quod

℞. *Rad. Althea* ℥vj. *Fœniculi, petroselini an.* ℥ß.
Paonia, liquor. rasa an. ʒß.
Her. Rosmarini, Betonica, Melissa an. Ms.
Violar. Mercurialis.
Flor. Chamam. an. Mj.
Sem. Cicer. rub. ʒiij.
Lini ʒij. *Anisi.* ʒjs.
Ficuum ping. num. vj.
F. decoct. ad 3.
Colentur ℥x. *adde. El. Hier. s.* ℥ß.
Lenitivi ʒij.
Mellis anthosati ℥j.
Ol. Amyd. dulc. Violar.
Chamamel. an. ℥j.
Salis parum. Vitell. ovor. num. 1. *F. Enema.*

Post operationem Enematis ad Umbilicum exterius apposuimus Cataplasma, quod

℞. *Pul. Bacc. lauri.*
Cymini. an. ʒj.
Mellis anthosati. q. s.
M. & apponatur.

Interius autem decoctum fiat pro potu, quod

℞. *Sem. Cicer. rub.* ℥j.
Fl. Calendulæ.
Genistæ an. Mj.
Galanga, Caryophyl.
Macis ana ʒß.
Sacch. Cand. al. ℥ij. *F. decoct. in s. q. aq. ad* 3. *colantur. mensuræ,* ij.

Semel atque iterum cum hoc decocto calefacto *Troch. de Myrrha* ℈j. *Troch. de Carabe* ℈ß. dabatur, inunctione factâ cum *Ol. Cheirino & anethino* circa muliebria, donec promptè postea secundinæ separarentur, ægrâ per corroborantia feliciter cum Deo restitutâ.

Observationes similes infelices ac lethales. *Verum eventus infeliciores* in aliis observavimus: recordor enim anno eodem alii fœminæ, plebeji quidem ordinis, sed honestæ familiæ, secundinas omnino retentas fuisse, ubi succedente febre, tandem particulatim putredine consumptæ pedetentim, tertiâ septimanâ separabantur, matre nihilominus Dei benignitate tàm iis, quæ febrim alterarent, naturam roborarent, & malignitati resisterent, quàm etiam utero injectis, quæ suppurationem ac detersionem adjuvarent, adhibitis, restituta. *At penitus lethalis* fuit ista retentio in duabus fœminis juvenibus nobilibus, quarum prior antè biennium, posterior ante paucas septimanas, fœtus edebant perfectos masculos, adhuc superstites; sed præeunte & subsequente partum hæmorrhagiâ gravi, quâ subitò subsistente, secundinæ non tantùm relinquebantur, sed ad miraculum usque matrix subitò claudebatur, nullis indiciis ad ulteriorem excretionem, adhibita quoque varia remedia, tàm interna, quàm externa, sese offerentibus; sed naturæ viribus, vitalibus pedetentim, more illorum, qui resolutione spirituum pereunt, intereuntibus, ita ut utraque quartâ post partum horâ protinus expiraret. Quod non tam propter secundinam retentam, quam ratione læsarum arteriarum & venarum majorum, interius in cavitatem uteri, vel intermedii spacii viscerum inferioris ventris sese exonerantium, & hac ratione vitalis facultatis resolutionem introducentium, factum fuisse reor. *Causa subitaneæ mortis post partum.*

OBSERVATIO XXIV.

Varia accidentia post abortum.

Nobilis Augustana fœmina, 22. annorum ætatis, Anno 1624. abortum patitur, quarto conceptionis mense. Postea mediocriter habens, anno subsequenti vicissim prægnans redditur, ubi circa medium gestationis tempus doloribus capitis, inprimisque oculorum prehenditur, cum defluxionibus ad fauces molestissimis, ac somni defectu, simul affligente stomachi compressione dolorificâ, quæ sæpius etiam angustiam simul, ac loquelam difficilem introducit.

RESOLVTIO.

Cum per literas casus hic nobis proponeretur, artificiosa conjectura protinus collegimus, *abortus hujus causam internam gravem adfuisse*, propterea quod eo ipso tempore gestationis aliis fœminæ prægnantes non facilè abortiant, ita ut hoc ipso mense purgationes necessarias absq; difficultate ferant, juxta decretum *Hippocrates.* Hinc igitur admiratione caret, *cùm tales abortiones Hippocratis graviores sint, quam partus,* cur debilitatâ naturâ per abortum præcedentem paulò post, factâ de novo conceptione, varia symptomata suborta fuerint, inprimis quod *circa medium gestationis tempus*, ubi sanguis diutius retentus cacochymiam introducebat, *dolor capitis & oculorum*, propter exhalationes acres sanguinis in vasis majoribus æstuantis; *cum defluxionibus ad fauces*, capitis debilitate progenitis; *ac somni defectu*, ob denegatam, cruditatis ratione, convenientem materiam, quam alias amica concoctionis exhalatio constituit; *simul affligente stomachi compressione dolorificâ*, propter reliquias depravatæ concoctionis in ipsius ventriculi plicis retentas, tum etiam quod frequenter in prægnantibus materia corrupta copiosa ventriculum petat, nauseam moveat, atque appetitum corrumpat: quæ sæpius *angustiam* pectoris scilicet, & *loquelam difficilem* introducit, spiritalibus membris simul affectis, unde vaporibus materiæ retentæ, cordis arcem invadentibus, in similibus casibus non rarò *deliquia, cordisque palpitationes* oriri consueverunt. *Vide Dec. 9. Probl. Med. q. 7.*

Hic

Indicationes.

Hic 1. peccans materia sui ablationem indicabat: 2. Fœtus in utero suam corroborationem: 3. & varia symptomata correctionem requirebant.

Ad 1.

Quoad primum, initium fiat à leni clystere, cujus ratione partes inferiores abdominis eluantur, quò minori vehementiâ postea plenior evacuatio fieri possit. Nota verò clysteres hîc in minori copia, quam aliàs, injiciendos esse, ne, præter rationem admodum distentis intestinis, fœtui nocumentum aliquod introducatur. Alvo per clysterem apertâ & emollitâ, fiat evacuatio per Claretum laxativum, quod

℞. *Fol. Sena* ℥j.
Rhabarb. el. ʒij.
Agarici ℥ß.
Her. Card. ben.
Absinth. an. pj.
Sem. Carthami pond. ℥ß.
Anisi. ℈is.
Zedoaria.
Sassafras an. ℈j.
Sacch. Cand. al. ℥iij.
Vini alvi ℔vj.

Fiat infusio per 24. hor. in loco calido: postea per manicam Hipp. coletur aliquoties, & fiat Claretum, cujus dosis ℥v. vel vj. per dies aliquot reiteretur, vel solitariè, vel addita ℥j. syrupi de Manna laxativi, vel ℈j. Cremoris Tartari. Hoc modo continuando, non incommodum erit *venæsectionem* etiam instituere moderatam, in constitutione corporis pleniori, propterea quod hac ratione superfluum onus massæ sanguineæ non solum deponatur, sed etiam fervor ejusdem oppidò temperetur.

Ad 2.

Interim dum hæc peraguntur, *pro secundo*, respiciendum ad fœtus corroborationem, quò pertinent illa media, *quæ fœtum recreant, & retentricem facultatem confortant istius ratione* frequenter coch. quantitate Balsami Embyonis aquam destillatam, item conf. Manus Christi perlatam, exhibendam esse statuimus: ut etiam solutum corall. rub. quantitate ℈j. cum pane tosto, in malvatico humectato; confectionem itidem diamargar. frig. vel permutationis gratia Trageam sequentem, quæ

℞. *Sem. Coriand. pp.* ʒj.
Nucis mosch. cond. sic.
Galanga. an. ℈ß.
Corall. rub. pp. ʒjß.
Marg. pp. ʒß.
Sacch. ad pondus omnium. f. Tragea.

Hujus ratione non negligantur externa, potissimum tempore purgationis, ubi venter inferior cum dorso inungatur Unguento Comitissæ, quod Ol. Mastichino diluatur, apposito postea Emplastro de crusta panis, oleo myrtino malaxato.

Ad 3.

Tandem non negligantur, *pro tertio*, symptomata graviter urgentia, quæ causarum naturam aliàs induere solent, ubi primum hîc somni defectus sese offerebat, cui succurrere studeat ægra sequentibus, nimirum exterius ad reprimendas fervidas exhalationes, & ad spirituum commotionem sistendam, applicetur Unguentum ad tempora, quod

℞. *Ung. Alabastrini* ʒiij.
Laudani opiati perlati gr. iij.
Croci gr. ij.
Ol. papav. express. q. s. Misce.

Interius verò, præmissis lenitivis evacuationibus vesperi frequens sit usus syrupi subsequentis:

℞. *Syr. papav. errat.* ℥ij.
Viol. è suc. ℥jß.
Vini cydon.
Granat. dulc. an. ℥j.
Misce pro 2. dosibus.

Porro ventriculum illa quoque roborant, quæ paulo ante fœtus gratiâ proposuimus, quibus externa accedant, inter quæ commendatur linimentum stomachicum, quod

℞. *Ol. Mastichini*
Cydonior. an. ℥j.
Bals. Peruviani ℥ß.
Corall. rub. pp. ʒß.
Ol. Nucis mosch. per express. ʒj.
Mentha destill. gutt. iiij.
Ceræ parum f. linimentum.

Emplastrum quoque fiat Stomachicum ex gum. Tacamahaca.

Mastiche, pul. absinth. rosar. rub. Ol. Mastich. Menthæ, paucâque cerâ confectum. His observatis, reliquis gestationis mensibus optimè valuit ægra, nec non, ut ex rescripto certior fiebam, justo tempore fœtum ad votum edidit.

Observatio alia.

Sed hâc ipsâ prægnante longè graviora symptomata patiebatur fœmina juvencula, Quæstoris Hassiaci in Borckmünde conjux, quæ Anno M. DC. XIX. sub initium Octobr. consilii causa me accedebat, & quod ante duos menses abortum passa fuerit, fœtumque penitus consumptum ediderit, referebat. Hinc de palpitatione cordis, anxietate circa præcordia, de dolore ventriculi, nausea, stomachique compressione post cibum, de dolore quoque versus oculorum regionem, de vertigine, de timore melancholico, mensiumque fluore conquerebatur.

OBSERVATIO XXV.

Difficilis partus fœtus demortui.

Honesta fœmina, secundùm prægnans, toto gestationis tempore nihil quicquam conquerens, tandem instantibus parturientium doloribus, manu fœtus exertâ, per multas horas difficulter laborat, ita ut interim fœtus aliàs perfectus suffocaretur. Exhibitis interius corroborantibus, inprimisque potiuncula, qua

℞. *Bals. Embryonis* ℥ij.
Aq. Cinam. ℥j.
Magist. perlarum.
Corallorum. an. ℈ß.
Conf. Manus Chr. perlata ʒis.
Misce.

Exterius duplex remedium fuit, quod

℞. *Her. artemisiæ, Betonicæ,*
Melissæ, Stordii, pulegii.
Fl. Chamameli an. Mjß.

Coquantur in lacte sacculis, & postea circa pubem applicentur. Alterum remedium umbilico adponebatur, quod

℞. *Ruthæ, Bacc. Iuniperi an.* ʒß.
Caryophill.
Nucis mosch. ana ℈j.
Baccar. Lauri ℈ß.
Mellis anthosati ℥jß.
Ol. Spicæ gr. vj. Misce.

Hisce Dei gratiâ fætus mox liberabatur cum secundinis, optimè vicissim matre convalescente.

OBSERVATIO XXVI.
Uteri suffocatio gravis cum aphonia.

Puella 22. annorum, hystericis affectionibus obnoxia, sub finem Februarii præcedentis anni M. DC. XXVII. instante menstruorum tempore, gravem uteri suffocationem patitur, succedente sermonis interceptione per triduum.

RESOLUTIO.

Vocatus mox ea præscribo, quæ paroxysmum adhuc affligentem corrigerent, de quibus superius; quô lenito, sese recolligebat ægra, remanente nihilominus *vocis impedimento.* Cum autem causa mali propter *mensium difficultatem* oriretur, protinus eò allaborandum esse duxi, quò primum origo symptomatum corrigeretur. Mox itaque per Clysterem primis viis evacuatis, *pillulas hystericas* descriptionis consuetæ præscripsi, quò menstruus fluxus instans aperiretur. Hoc erumpente, symptoma læsi sermonis minimè negligendum esse duxi, quo fine non tantum frequenter *aquam Antihystericam cum Theriacali Cephalica* sumebat, sed insuper etiam electuarium quantitate ʒij. sæpius masticabat, quod ℞. *Conser. Rorismarini* ℥j. *Mithridatii veteris* ℥j. *Confect. Anacardinæ* ʒß. *Syrupi de flor. pæoniæ q. s. Misce fiat conditum.* His usurpatis, & menstruis ritè fluentibus, pedetentim vires redierunt, ubi consilium dedimus, ut instantibus ferè mensibus, vinum laxativum, ad pituitosos ac serosos humores educendos, usurparet, & naturam usu pil. hystericarum ad excernendum accommodatarum adjuvaret. *Similem longè graviorem,* & sæpius recurrentem *Aphoniam, cùm convulsionibus gravissimis,* superioribus annis in Matrona quâdam Nobilissimâ notavimus, quę sterilis per annos aliquot, instantibus mensibus, primò *suffocatione uteri* gravissimâ, mox *Epilepsiâ levi,* tandem partialibus *convulsionibus brachiorum, pedum, spinæ dorsi,* totiusque corporis horrendis prehendebatur. Hæc adhibitis appropriatis Uterinis medicamentis fœtidis graviora symptomata patiebatur, quam ob causam ad odorata, Moschum videlicet & Ambram accessimus, eâque paucâ quantitate cum aliis roborantibus cephalicis fructuosè exhibuimus, quod etiam in aliis hystericis observandū, quibus scilicet ob reiteratas accessiones epilepticas in adolescentiâ, vel alias ob causas, caput ac nervosum genus debilius est. Quanquam verò frequenter, & ferè menstruos hæc fœmina tales insultus pateretur, postea tamen dictis magis obtemperans, & præmissis iis, quæ cacochymiæ debebantur, venæsectionibus item in pedibus sæpius reiteratis, nec non fonticulo, capitis debilioris ac fluxionibus obnoxii gratiâ, sinistro brachio impresso, gravissimis ab invasionibus hisce liberata fuit, ut jam in quartum annum ex voto vivat.

Observatio similis gravior.

Fœtida quibusdam hystericis inimica.

Moschus & Ambra hystericis interdū conveniunt.

OBSERVATIO XXVII.
Dolores vehementes circa tempus mensium instans.

Nobilis fœmina, Iuvencula, primis conjugij annis sterilis, singulis mensibus, paulò ante fluxum, vehementissimos dolores quasi colicos patitur, cum subsequenti diarrhœâ, sæpius etiam (pleno ventriculo) vomitu laborioso, maximâque tensione versus pubem.

RESOLUTIO.

Vocatus sub finem Martii Anno 1623. in ipsa doloris accessione fœminam invenio, quò ad pulsum & animalis facultatis operationem aliàs benè sese habentem. Hinc facilè conjiciebam, *cacochymiam infimi ventris* symptomatibus dictis occasionem prębere, quatenus peccantis materiæ biliosæ collectio naturam ad excernendum stimulat tunc temporis, ubi aliàs menstruorum evacuationes instant, quam ob causam *dolor quasi colicus vehemens* primum oritur, materiâ videlicet commotâ sensiles abdominis partes extendente & vellicante: *diarrhœa subsequitur,* ubi natura fortior id, quod præter naturam in biliosa corporis constitutione cum phlegmate permixta, expellere tentat; *sæpius etiam vomitus,* ubi pleno ventriculo vis excretrix undiq; irritatur: tandem verò *maxima versus pubem tensio prehendit,* nimirum impuriori sanguine versus exitum penetrante, donec per uterum evacuetur. His observatis *eò respiciendum esse dixi, ut ante mensium tempus instans cacochymia tollatur, & instantibus mensibus naturæ succurratur, ut per loca convenientia, quod superest, sanguinis superflui, educatur.* Hinc igitur per octiduum ante fluxum consuetum Mense sequenti suasimus vinum laxativum, quod

℞. *Rad. Helenii, Ireos ana* ʒij.
Eryngii, polypod. q. Scorzonere an. ʒiij.
Her. Melissæ, scordii, prasii ana Ms.
Fol. senæ ℥j.
Rhabar. ʒij. *Agarici.* ʒiij.
Turbith. Mechoacæ ana ʒis.
Sem. Sambuci in vere coll. ʒiij.
Fl. Sambuci, calendulæ an. Ms.
Tartari selecti ʒijs.
Sassafras ʒis.
Passul. min. ℥x.
Galangæ, Caryoph. an. ʒß. Spicæ Ind. ℈j.

com-

comprehensa nodulo, infundantur in vini mens. ij. de quo singulis diebus matutino tempore ℔s. sumatur, quo pedetentim biliosi, serosique humores educantur. Hoc modo corpore evacuato, jamjam instantibus mensibus, manè, vesperique exhibeantur *pillulæ nostræ hystericæ* dictæ, quantitate ℈j. duabus horis ante cibum, *cum syr. de Althea Fernelii* ℥js. non neglecta victus ratione tunc temporis conveniente. Mediis his observatis absque dolore, reliquisque symptomatibus toto tempore menstruorum evacuatio subsecuta fuit, ita ut paulò post prægnans redderetur, & ab eo tempore hucusque tertium uterum gestarit, ubi tempore gestationis *ob dolores ex flatibus* obortos, umbilico sacculum ordinavimus ex milio, cumino, anetho, fœniculo, pauxillo aquæ vitæ mulierum adsperso, nec non permutationis gratia emplastrum *Roderici à Castro lib. 3. de morb. mulier. cap. 12.* quod ℞. *Vitell. ovor. num. vj. fortiter agitentur, & adde pul. anisi, cumini.*

Contra dolores ex flatib. in prægnante.

Fœniculi ana ʒj. *cum Ol. Laurino fiat, ad ignem placenta mollis, quæ umbilico applicetur.*

OBSERVATIO XXVIII.

Cachexia virginea circa tempus pubertatis.

Generosiss. puella, anno ætatis 15. constitutione corporis macilenta, sensim atrophiâ consumitur. Adest quidem appetitus ad cibum sed post eundem assumptum compressivus, stomachi dolor prehendit, cum subsequenti abdominis inflatione, sæpius etiam cum cibi parumper alterati vomitione. Quò ad animales facultates, totius lassitudo spontanea frequenter invadit, cum horrore levi, fugaci, subsequente calore momentaneo: urina cruda, spiceaque redditur.

RESOLUTIO.

Generosissimam puellam Anno 1625. 2. Decembr. *Morbo virgineo* laborare diximus, cujus origo consistit in collectione crudioris ac phlegmaticæ materiæ, quæ circa ventriculum, ejusque plicas cumulatur, ac postea mesenterii, reliquorumque viscerum infimi ventris vasa, satis exilia aliàs obstruit. Hinc non solum *prima ciborum concoctio depravatur*, ita ut per congestionem quotidiè cruditates augeantur, sed etiam *distributio chyli* plurimum impeditur, ipsaque *sanguificatio deterior* redditur; unde non tantùm nutritio totius, sed ejusdem etiam augmentatio minus, pro ratione ætatis, procedit, *naturalis menstrui fluxus circa pubertatem nullus sese ostentat* quatenus viscera concoctionis undiq; crudis superfluitatibus scatent, unde natura sæpius gravata *cibum etiam incoctum per vomitum rejicit*, quo retento, *dolor compressivus & flatus* oriuntur, ea propter, quod calor nativus debilior copia cruditatum obruatur, & ad alterationem, assumptorum insufficiens fit. *Lassitudo quoque spontanea frequenter adest*, ob sanguinem crudum & phlegmaticum in habitu musculoso receptum, liberum ac perennem spirituum animalium cursum ac recursum impedientem, ubi *levis horror, & momentaneus calor* etiam observantur, ex pugna residui caloris nativi cum peccante materia, quando copiâ crudorum succorum liberior caloris influentis motus afficitur. Ut autem ætatis mutatio non parum ad correctionem hujus affectus inservire solet, ita penitus non negligendum est hoc malum, ne deterius interim aliquid subsequatur.

Morbi virginei determinatio.

Symptomatum consuetorum causa.

Eò igitur respiciendum erit: 1. ut in stomacho, ejusque plicis, ut & in venis mesenterii ac vicinis partibus, tenax atque viscida materia collecta digeratur, emolliatur & abstergatur: 2. ut materia digesta per vices evacuetur. 3. ut viscera prima, secundæque concoctionis debilia & refrigerata roborentur & calefiant: 4. Tandem præter medicamentorum usum, diæta, præcedentibus intentionibus accommodata, non negligatur.

Indicationes.

Quoad primam intentionem, frequens fit usus *syrupi aperitivi Mind.* cum ℥js. manè vesperique duabus horis ante cibum jejuno ac vacuo stomacho sumatur, *vel solitariè*, vel cum aq. melissæ, cardui bened. aut fumariæ permisceatur. Item *pulvis digestivus* hic etiam plurimum præstabit, qui

℞. *Magist. Tartari Vitriol.* ℥ß.
Fœculæ Bryoniæ.
Aronis ana ʒj.
Magist. Corall.
Perlar. ana ʒß.
Conf. Manus Ch. perlatæ ad pondus omnium, fiat pulvis, cujus dosis ʒß. *in brodio, vel vino absinthii, m. & vesperi.*

Item *pillulæ Marocostinæ Mind.* ℈j. quantitate ante cœnam assumendæ. Dicta hæc media per vices assumantur, ita ut per biduum *syrupus*, per biduum *pulvis*, & quinta die *pillulæ* deglutiantur, quæ digestio diversis his remediis per quindecim dies continuetur.

Quoad secundam intentionem, præmissis præmittendis dictis, purgatio subsequatur, quæ commodè fieri potest Vino laxativo, quod

℞. *Rad. Cichorei, Fœnic. an.* ℥ß.
Polypod. ʒiij.
Cort. Tamarisci. frangulæ an. ʒij.
Her. Scord. Beton. Absinth. Agrimon. ana Ms.
Cuscutæ, Chamæd. veræ an. pij.
Fol. Senæ. ʒx. *Pass. min. incis.* ℥ß.
Turbith. Mechoacæ. anna ʒij.
Agarici ℥ß. *Rhabar.* ʒjs.
Sem. Anisi Fæniculi. ana ʒj.
Sassafras, Galangæ an. ʒis.
Cort. Citri, Arantior. ana ʒj.
Incisa & contusa ad sacculum pro mensura vini, vel ad ℔iiij.

Usus hujus vini laxativi continuetur per octiduum, quotidiè manè ℔ß. sumendo. Quod si vinum displicuerit, evacuatio fiat *Morsulis purgantibus de Mechoaca* ʒiijs. *vel Magisterio Tartari vitriolati* ℈ijs. *addito pul. Syrio gr. v. vel pillulæ conficiantur de Hiera cum Agar.* ʒß. *Extr. diacarthami* ℈ß. *diagrydio correcto gr. iij. addito syr. de Mentha q. s.*

 Quoad

Quoad tertiam intentionem intemperies frigidior viſcerum concoctionis, eorumque in operando languor, corrigantur frequenti uſu *Rotularum*, quæ fiant ex *Spec. arom. caryophyll. diagalangæ, Extr. ligni Aloës, cal. arom. cum ol. Aniſi & ſ. q. Sacch. parata.* Item uſu *Elixiris Proprietatis Paracelſi*, cujus guttæ iiij. vel v. ſæpius in brodio ſumantur. Item *confect. Z Z. coct.* Item *Zedoaria condita*, &c. Poſt cibum *Tragemate* pro meliori concoctione naturæ ſuccurratur, quod paretur ex *Spec. Diagalangæ, Dianiſi, Sem. Aniſi, Fœniculi, Coriand. pp. Macis, Nucis Moſch. Cumini, &c.* cum pane bis cocto Ulmenſi & Sacch. q. ſ. Exterius *abdominis inunctio* fiat linimento, quod

℞. *Ol. Amygd. dulc. & amar.*
Cappar. ana ℥j.
De Abſinthio, de mentha
Anethino ana ʒvj.
Succi Eupatorii.
Apii, Abſinth. ana ℥ß.
Sem. Fœniculi. Petroſelini an. ʒiij.
Coq. ad conſumpt. ſucc. adde Spica Ind.
Squinanthi ana ℈j.
Ammoniaci ſoluti in aceto ʒj.
M. F. linimentum.

Interim dum hæc peraguntur, ſupradictis mediis purgantibus, ſingulis ſeptimanis, ad minimum ſemel, reiteratio inſtituenda erit, unà cum obſervatione diætæ, *juxta Scopum quartum*, vitando videlicet omnia, quæ difficilis ſunt digeſtionis, ut ſunt carnes atque piſces ſaliti, caro porcina, capita, pedes, atque inteſtina boum ac vitulorum, braſſica muria condita, pyra, poma, caſeus, lacticinia, in ſartagine cum butyro frixa, cibi frigidi, crudi, ut ſunt acetaria, &c. Inter bibendum primus hauſtus ſit *vini medicati*, quod fiat infuſione *Her. Abſinthii, Card. benedicti, Marrubii albi, ſcolopendriæ, centaur. minor. cort. tamariſci, &c.* His obſervatis, tandem uſus *pulveris chalybeati* menſe Februario ſubſequatur per dies circiter 21. & quotidiè ʒß. more conſueto, moderata exercitatione concurrente, cum appropriatis liquoribus ſumatur, cujus deſcriptio talis:

Pulvis chalybeati.

℞. *Chalibis cum Sulph. pp. diligentiſſ. trit.* ℥is.
Fæcula Aronis ʒis.
Cinam. acutiſſ.
Succini albi pp. ana ʒj.
Corall. rub. pp. Marg. pp. ana ℈ij.
Caryophyll. Macis ana ℈j.
F. Pulvis ſubtiliſſimus.

OBSERVATIO XXIX.

Dejectiones ſanguineæ copioſæ circa tempus menſium.

Matrona honeſta, 40. circiter ann. ætatis, ſanguineæ conſtitutionis, ob inordinatum & diminutum fluxum menſtruum per multos annos ſterilis, circa 14. Decembr. præcedentis anni 1627. poſt uſum purgantis medicamenti rectè quidem operantis, diebus ſubſequentibus dejectiones ſanguineas patitur, cum εὐφορίᾳ absque naturæ debilitate.*

RESOLUTIO.

Cum prædicta fœmina collectionem billioſam, indicantibus id urinis & aliis, cumulaſſet, purgans præſcribebatur, quod

℞. *Extr. Cochiar.* ℈js.
Rhabar. ℈j.
Pul. Syrii gr. iij. Cum ſyr. viol. fiant pillulæ numeri XV.

Hoc ipſo medicamento feliciter operante, die ſubſequenti *dejectio ſanguinea copioſa* ſubſequitur, non quidem *ſymptomaticè*, quod in ὑστερικαθάρσει fieri conſuevit, ſed cum εὐφορίᾳ, & robore naturæ, propterea quod conſtitutio corporis aliàs ſanguinea, majorem copiam ſanguinis, ob inordinatum & diminutum fluxum menſtruum, in venis & habitu corporis colligeret, unde benè ſperare juſſimus ægram, præſertim cum brevi menſes inſtarent, adeoque natura per alias vias, id quod ſuperfluum erat, ſeparare conaretur. Adhibitis igitur lenientibus & modicè aſtringentibus per biduũ, dejectiones iſtæ ſanguinolentæ ſiſtebantur, viribus ſpontè recollectis. Non ergò protinus *dejectio ſanguinea nos terreat*, ſed in cauſas ipſas artificiali conjectura ſemper inquirendum, indeque colligendum, quid prognoſtico concludendum eſſe videatur.

Cautio.

OBSERVATIO XXX.

Inflationes & tormina tempore geſtationis fœtus in prægnante.

Generoſa Matrona trigeſimum ætatis annum ſuperans, tormina ventris inferioris per vices atrociſſima patitur, quæ licet Cataplaſmate Rod. à Caſtro p. 419. quod fit ex vitellis ovorum, cum ſem. Aniſi, Fœniculi, Cumini, nec non Oleo laurino, *plurimum lenirentur, penitus tamen diſſipari non potuerunt, quâ de cauſa conſultus per literas, paucis reſcribo, potiſſimum eò reſpiciendum eſſe, cùm dolor ejusmodi ſuam originem à flatibus nanciſcatur, flatus autem cruditatem concoctionis, quam urina ſpicea ſubinnuebat, ſequantur,* ut 1. concoctio juvetur. 2. alvus aperta retineatur. 3. ac flatus præter naturam collecti diſcutiantur, *quarum intentionum executionem Medico præſenti committebam.*

OBSERVATIO XXXI.

Similis caſus in aliâ quâdam.

Vir Clariſſ. & Excell.

Dn. JACOBUS ECKOLDUS, D. & Reipubl. Memming. Phyſicus,

GREGOR. HORSTIO, D.

Salut. Noſti, Vir Clariſſime, quo fine thermarum ſerinarum uſum Generoſiſſima Matrona tantopere deſideravit. At continuationem earundem cur abrumpere coacta

coacta sit, paucis accipe. Cum ex menstrui fluxus defectu, aliisque signis gravidam se suspicaretur, venterque molem in immensam protinus attolleretur, non sine subsequentibus molestiis ac debilitatibus, consilio præsentium Medicorum ab ulteriori usu protinus abstinuit. Symptomatum causam non difficulter ergo colligis, procul dubio ob conceptionem prius factam thermarum vires in corrigendo, siccando & roborando utero sufficienter sese exercere non potuerunt; unde crassæ & frigidæ impuritates non satis absumptæ & dissipatæ, sed in flatus resolutæ tales incommoditates, quas etiamnum pariter, produxerunt. Solent aliàs interdum quoque mala flatuosa gigni, nec non falsa gravidatio produci, ubi simul etiam accidentia & signa, veram impregnationem subsequentia, concurrunt; nempe cum ob utriusque seminis cruditatem & imperfectionem, vel ob uteri intemperiem frigidam seminis spiritus perimentem, vel ob probi sanguinis defectum, si ejus loco crudus humor affluat, facultas formatrix imperfecta, vel præpedita, generationis materiam non perfectè elaborat; sed in flatus, vel aquas convertit, unde tunc venter intumescit, reliquaque impregnationis indicia sequuntur. Vidi tamen non rarò talem ventris intumescentiam, molamque flatuosam (si ita vocare licet) cum verâ conceptione conjunctam, maximas difficultates attulisse, & plerunque abortum præcessisse. Quod ne & hîc accidat, cum de verâ gravidatione penè non dubitem, ea ferè præscripsi, quæ flatus ac humiditates absumere ac discutere, nec non uterum simul roborare, & mediocri adstrictione fœtum in ipso retinere juvent, ut sunt *Conf. roborans cum oleo Anisi, Balsamus Embryonum cum aq. Anisi, &c.* externè *scutum sive Emplastrum ex Ladano, Mastiche, aromatibus & seminibus flatus discutientibus, aliisq́ similibus*: quin etiam, quò cruditates simul evacuentur, *Electuarium quoque cum Rhabarbaro leniter purgans* præscripsi, per intervalla sumendum: nam post thermas jam semel atque iterum diarrhæâ correpta melius habuit: naturam igitur, si hic deficiat, juvare necessarium duxi, quanquam aliàs, quò ad operationes reliquas optimè valeat, &c. Hisce vale, &c. Memmingæ 17. Julii 1623.

OBSERVATIO XXXII.

Asthmaticus affectus gravis in hysterica muliere.

Vir Clariss. & Excell.

DN. JOHAN. CHRISTOPH. Eisenmenger / Medic. D. & Reipubl. Heilbrunnensis Physicus Ordinarius.

GREGOR. HORSTIO, D.

S Clariss. & Excell. Dn. Doctor, &c. Vivit apud nos fœmina quædam primaria, affectu quodam Chronico detenta, cujus expugnandi gratia variis à me præscriptis, sine tamen optato firmioris sanitatis successu, per multos annos usa est medicamentis: quo tandem adductus sum, ut antè annum ferè, Mense Augusto, integram morbi hujus historiam, aliorum quoque Medicorum judiciis peritioribus subjiciendam, prolixiùs consignarem; quam tamen consignationem, quod per subsequentem hyemem non deterius haberet, sed meliùs valere inciperet, aliò transmittere destitit. Cùm verò proximis diebus malum cum nocturna pectoris angustia, consuetisque suis symptomatibus recruduisset, invalescente & urgente nonnihil tussiendi conatu & labore, petierunt, ipsa cum marito, ut casum omnibus suis circumstantiis adornatum, Exc. V. proponerem, de quo non gravatim, quid & qualis sit, quidvè sperandum aut agendum, mentem suam consiliumque literis mihi aperiret; inprimis verò, an Thermæ Cellenses, vel potiùs Badenses, propter actualem, quam sentit, cerebri frigiditatem, hac æstate ipsi è re & sanitatis fructu esse possint, cùm alias ad ingressum balneorum, propter symptomata graviùs ingruentia, pejus habere semper soleat. Quod officii genus non sine summa gratiarum actione, debitoque laborum munere, honorificè ipsa & maritus, me obside, sunt recompensaturi.

Casus propositus ex Germanico translatus.

Fœmina quædam, annorum circiter octo & triginta, temperamento, (ut ex corporis functionibus, decenti membrorum conformatione, vividoque faciei colore liquet,) laudabili, & dum florebat ætas, sanguineo, prædita, postquam antè annos duodecim viduo cuidam nupsisset, & sesquianno elapso filiolum, in lucem à se editum, post decem septimanas morte præmatura rursus amisisset, in febrem Epidemialem, tunc temporis in vicinis regionibus exitialiter grassantem quam valdè quoque abhorrebat, mærore confecta, brevi post, incidit, à qua per sex septimanas multùm, diuque, cum summo vitæ periculo agitata, & divexata, tandem divina aspirante gratia rursus liberata fuit. Accidit verò, ut, cùm præsens Medicus, gravioris recidivæ metu, vino, (quod quidem præter morem suum satis avidè tunc exposcebat) ipsi ad plenariam usque sanitatis recuperationem, prout par erat, interdiceret, nihilque aliud, quàm aquam hordei, sine aliorum additione paratum, sitis extinguendæ gratia bibendam, concederet, notabilem ventriculi imbecillitatem, & dyspepsiam contraxerit, totiusque temperamenti mutationem sensibilem experta fuerit. Unde progressu temporis fluxiones in toto & capite ita coacervatæ sunt, ut de nocte confertim in ventriculum irruentes, post primum somnum crebro *vomitum* excitarent, nonnunquam ad pectus decumbentes *angustiam, spirandiq́ difficultatem* omnibus quidem mox post vomitum & somnum cessantibus, producerent. Et licet opportunè post mali hujus impetum primum Thermæ, quibus uteretur, ipsi ab aliis propositæ fuerint, illas tamen per aliquot annos nihil curavit: demùm vero urgente affectu Leonsteinenses vicinas sub propriis laribus per duas æstates invicem succedentes adhibuit, ac tertia sequente in Cellenses sese contulit; quarum tamen omnium aquarum usus ipsi, aut nihil, aut certè parùm ad stabile sanitatis robur profuit, paroxysmis prioribus,

Occasio morbi.

Asthma nocturnum.

prioribus, duobus abhinc annis, nocturno tempore post primum decubitum, ita invalescentibus; ut tanta pectoris angustia spirandique difficultate subitò correpta, in lecto sese continere non potuerit, imò rectâ cervice spiritum trahens suffocationis periculum, magno cum labore, stertore, siccaque tussi, illæsa tamen mente, vix evaserit; quo quidem in paroxysmo dolorem, cum actuali frigiditate, subtus cranium, circa verticem infestantem, pressuramque manuum benè & cum juvamento tolerantem percepit. Quod malum cùm jam per decennium multifariam, æstate tamen magis, quam hyeme, præsertim instante tempore mensium, quos hactenus ritè experta fuit, & circa thermarum ingressum, (ut proximo anno in Cellensibus accidit) exacerbatum fuisset: jam absolutis etiam menstruis purgationibus, noctu plerumque ad primum decubitum, ut supra dictum, iteratis paroxysmis multoties invadere solet. Quibus remittentibus, de nullo alio querela est, quàm de lassitudine membrorum, ultimisque hisce annis, de pectoris compressione, ita ut anhelitum summo cum labore, non sine sibilo ægra exprimere quasi cogatur. Etsi horum accidentium fomes & occasio inquiratur, dicit, se nihil molestiarum in ventre inferiore percipere, pro ratoq; non affirmare posse, (cum dormientem affectus invadat) an ex inferioribus partibus aliquid sursum ascendat an verò desuper in partes subjectas decidat: ipsamq; invasionem, præsertim circa vespertinum tempus, ut plurimùm, præcedere frequentes sternutationes, nonnunquam paroxysmo initium præbentes, finito tamen eo non amplius apparentes: in mediâq; luctâ interdum destillare tenue serum, tussi conciliandæ aptum natum: extra tamen paroxysmum mediocriter sese habere, cibo potuq; ordinario delectari, nisi quod ad ventriculi imbecillitatem accedat, ut ex signis constat, hepatis etiam excedens caliditas.

Ad gravem hunc affectum profligandum varii Medici cum variis medicamentis, non quidem ad unum scopum collimantibus, ut plurimùm tamen ad fluxiones & pulmones directis, adhibiti fuerunt. Medicus autem domesticus in eâ est sententia, quòd horum paroxysmorum origo ducatur potissimum ex ipsa matrice & circumjacentibus venulis, è quibus evaporationes malignæ ad caput ascendentes primùm sternutationes excitent, posteà frigiditate cerebri coagulatæ fluxiones tenues & subtiles pariant, quæ partim in œsophagum destillantes, vomitum cieant, partim ad pulmones delapsæ, asthma & respirandi difficultatem, diaphragmate aliàs ab effumationibus infernis coangustato & compresso, inferant, spiritu difficili tàm diu perseverante, donec vaporibus venenatis per idonea & appropriata medicamenta dissipatis, liberior spirandi facultas redeat.

Origo & causæ mali.

Quibus accidentibus discussis, ægra, quæ aliàs sua natura somnolentior est, in placidissimum somnum labitur, eoq; sine impedimento fruitur, ac paucos intra dies vires suas ita recolligit, ut negotiis domesticis rursus præesse possit, excepto eo, quòd ruri fortè in terram se inclinans, in aëre præsertim frigido, nonnihil difficultatis percipiat.

Facilè autem conjici potest, quod præter matricem affectam, pulmo etiam tàm longo temporis spacio peculiarem affectum contraxerit, viscidoq; phlegmate infarctus diuturnam pectoris compressionem & sibilum produxerit. Quòd verò præcipua horum symptomatum causa & fomes in matrice, & adjacentibus venulis ac vasis consistat, modò dictus Medicus colligit, quia ægra ab eo tempore, ex quo adversâ valetudine uti cepit, infæcunda & sterilis, fluentibus destinato tempore, modoque, mensibus permansit, nec medicamentis contra fluxiones directis quicquam adjuta fuit, sed saltem ex hystericis, ad matricis scilicet suffocationem ordinatis, juvamentum non mediocre, potissimùm in paroxysmo, Divinâ gratiâ, persensit. Id quod anno præterito, dum Cellensibus uteretur, manifestè apparuit; ubi in vehementissimâ mali exacerbatione, exiguam vitæ spem relinquente, ab aquâ & emplastro hysterico, quæ Patricia Ulmensis ipsi suppeditabat, adeò luculenter, & ad oculum quasi refocillata fuit, ut in concepta de utero malè disposito opinione magis confirmata medicamentorum hystericorum usum diligenter continuaverit. Aliâs vinum medicatum circa tempus vernum & autumnale per triennium quasi præ cæteris medicamentorum formis usurpavit, quod paratum fuit *ex radicibus aperientibus, Bryoniæ, Cichorei, herbis Melissæ, Artemis. Capill. Veneris, Ceterach, floribus cordialibus, semine Anisi. Dauci, limaturâ Chalybis præpar. foliis Senæ, Rhabarbaro, Agarico, &c.* Atque ad præparatam ita materiam evacuandam pillulas purgantes hoc vel simili modo confectas frequenter sumsit: ℞. *Extracti Diacarthami.* ℈ijß. *Facul. Bryoniæ.* ℈ß. *olei Macis. gutt.* ij. *Syr. de Artemis. q.s.f. pillulæ:* Quibus præmissis, vel quando vinum medicatum satis operatū fuit, etiam omissis, sanguis ipsi modò ex dextro, modò sinistro cubito, nonnunquam ex venâ malleoli detractus fuit.

Ratio determinatæ causæ & originis mali.

Pro materia verò peccante, sensim ac sensim per epicrasin auferendâ, *pillulas ex gummi ammoniaco, castoreo, asâ fœtidâ, thure, aloë rosatâ, guttagamandr. extracto Hellebori nigri, fæculâ Bryoniæ, oleo anthos & succini, tum syr. de Artemis.* formatas, menstruatim ʒj. quantitate non sine fructu deglutivit. Propter cerebri humiditatem & debilem constitutionem *Balsamum Succini, Cucuphamque ex Salviâ, Majoranâ, Serpillo, Melliloto, Rosis, flor. Lavendulæ, Anthos, Lilior. Convall. Chamomill. Rom. Beton. Stæchados, Caryophyll. Macere, Mastiche, Coriandro, Succino, Ligno Aloës, &c. s.a. consarcinatam* in usum adhibuit. Pro ventriculo & hepate corroborando Electuaria & Condita *ex conservis Absinthii, florum Borrag. Cichor. speciebus Diarrhodon Abbatis, Arom. ros. pulvere ventriculi gallinarum cum Syr. Acetosit. Citri: Item confectiones ex spec. Diarrhod. Abbat. Pleresarch. Diamosch. dulc. Diamargar. frig. De gemmis frig. Nuce Indica condita, Corticibus Citri conditis, cum oleo Cinamomi & Macis atq; Sacchar*o, *&c.* Similiter pulvis post pastum *ex Semine Anisi, Dauci, Coriandri, Cinam. Galangâ, Nucemoschatâ, Corall. rubr. Confect. Rosata novell. sem.*

ſem. Coriandri Sacch. obducto, Sacchare Roſar. tabulato, &c. Nec minus etiam Tragea ex iisdem ferè ingredientibus conſtans, aliquot vicibus alternatim præſcripta fuit. Vinum quoque Abſinthites cum herbis & radicibus matrici dicatis, præter conſuetas, paratum in quotidiano uſu habuit; atque ipſi pro potu vinum Helenii conceſſum fuit: Exteriùs verò regionem ventriculi *ex oleo abſinth. Maſtich. Nard. pulvere caryophyllor. Macis, Galang. Corall. Schænanth. ol. Nucismoſch. expr. cum ſ. q.* ceræ facto linimento inunxit. Reſpectu matricis *Emplaſtrum matricale ex Galliâ, moſchatâ ſtoracê calamitâ, Ladano, Maſtiche, Ligno Aloës, Nuce Indicâ, Galanga, Cyperio, Roſis rubris, pulvere ireos Flor. Cera atq; Tereb. &c.* applicatum fuit. Hæc & ſimilia remediorum præſidia, inprimis *Aquam ad Aſthma* noſtris officinis uſitatam, nec non aquam *Hirundinum cum Caſtoreo, &c.* diligenter usque ad proximum annum ægra continuavit, ac de Cellenſibus, ob præviam hanc corporis præparationem eò certius profuturis, firmam ſpem concepit, cujus rei gratiâ in easdem Menſe Julio ſeſe contulit; quarum tamen uſus mox in principio gravia ipſi accidentia, ut ſuperius quoque dictum, conciliavit, adeò, ut præ anguſtiâ & anhelitûs difficultate, cæteriſque ſymptomatibus illas eò usque intermittere coacta fuerit, donec uſu ſuperioris aquæ & emplaſtri, pillularumque, vires ſuas quadantenus recollegiſſet. Sed cùm neque poſt Cellenſium abſolutionem ſtabilior ſanitas & incolumitas ſequeretur, denuò aqua ſequens matricalis, manè veſperique quantitate cochlearis j. aſſumenda ipſi ordinata fuit.

℞. *Rad. Capparor, Leviſtici, Iridis noſtratis, Hirundinariæ, Bryoniæ, Pæoniæ, ana.* ℥ij. *Zedoariæ, Viſci quercini, ana.* ℥j. *herbar. Meliſſ. Puleg. Roriſmar. Artemiſ. ana.* Mj. *Sem. Dauci, Cymini. Peon. ana.* ℥j. *Agni caſti. Bacc. Lauri. Myrrhæ el. Caſtorei. ana.* ℥ß. *Cinam.* ʒiij. *Nucismoſch. Galang. ana* ʒij. *Conciſa & conquaſſata infundantur in aq. Artemiſ. Meliſſ. ana.* ℔jß. *Vini generoſi.* ℔ij. *Stent ad octiduum, poſt deſtillentur in B.M. ad ſiccitatem. Emplaſtrum quoq; Matricale*, quod calore & odore Gummi Galbani refert, Ulmâ ad ſe perferri curavit, illudq; continuò verſus ſiniſtrum latus ſub umbilico geſtavit. Pari modo ad eam in paroxyſmo excitandam & aſpergendam ſequens acetum adornatum fuit: ℞. *Menthæ.* Mvj. *ſtet infuſa per dies caniculares ad Solem, orificio probè obturato, in aceti vini, opt. Menſ. j. poſtea add. caſtorei* ℥j. *& per arenam deſtillentur.* Poſt horum remediorum iteratam aſſumptionem & applicationem, hyeme ſubſequente, accidentibus plurimùm delenitis & mitigatis, mediocriter habuit; vere tamen malum adeò ſæviter recruduit, ut die 29 Maij. tantam ſpirandi anguſtiam incurrens guttulas aliquot ſuperioris atque vix atque ne vix quidem, propter uſum reſpirationis auctum, ſummamque exigentiam admittere potuerit: pulſu omnimodè inordinato & frequenti exiſtente, ſiccaque tuſſi & pulmonum ſonitu eam ita affligente, ut tota quaſi terræ inſidens, aſtantium fulcimento & nixu firmata, anhelitum magna eluctatione traxerit.

In hac, & in aliis invaſionibus crura, mox omni tempore glaciei inſtar refrigerata, in balneum aquæ calidæ immerſit, linteiſque calidis de ſupernis partibus tractis probè fricari juſſit, aſſumendo ſemper, non tamen ſine magna difficultate, aquam hyſtericam, ʒß. caſtorei pulveriſati commixtam, modò illinendo verticem, tempora & nares oleo ſuccini, vel immittendo naribus fumum ſuccini accenſi, non tamen ob tuſſim mox ſuccedentem tolerabilem: interdum emplaſtrum matricale calefactum apponendo, nonnunquam intrudendo in orificium colli matricis grana tria Zibethi cum ℈ß. olei nuciſmoſch. expr. in goſſypio excepta: Quibus omnibus ritè adminiſtratis pauxillum quievit, ac ſenſim per Dei gratiam, hâc & aliâ quoque vice, ſpiritum faciliùs ducere incipiens in ſomnum placidum circa matutinum tempus oculos plerumque declinavit: manente verò pectoris compreſſione Syrupum de Hyſſopo & Oxymel Scylliticum cum aquâ hyſſopi per dies ſubſequentes lambendo ſumſit. Poſtquam verò ex gravi hoc paroxyſmo, redintegratis mediocriter viribus, emerſiſſet, ſpes fuit, matricem ipſius, balneo artificiali, dum thermarum exoticarum copia & uſus, rebus ita ſtantibus, non daretur, corroborari poſse: aliquod igitur in eum finem *ex Leviſtico, Meliſſâ, Matricariâ, Pulegio, Majoranâ, Agrimoniâ, Origano, Artemiſiâ, Abrotano, Valerianâ, flor. Chamom. ana.* Mij. tertio quovis die recens in quartam usq; ſeptimanam paratum fuit, poſt cujus egreſſum ſingulis vicibus ſequens ſuffitus ad imas partes excitatus eſt: ℞. *Galliæ moſch. Aliptæ moſch. ana* ʒß. *ſtoracis calam. Ladani puri, Benzoini. ana.* ʒiij. *Ligni Aloës, Santali citrini. ana.* ℈iiij. *Roſar. rubear.* ℈ij. *Moſchi. Ambræ. ana. gr.* iij. *Cum ſ. q. Tereb. f. trochiſci, pondere* ʒij. Finitoq; ſuffumigio regio umbilicalis hoc unguento inuncta fuit. *Ol. Nard. Moſchellini ana.* ℥ß. *pingued. gallinæ. Anſeris. ana.* ʒß. *Ligni Aloës.* ʒj. *Macis.* ʒß. *Caſtorei* ℈ij. *Moſchi. Ambræ. ana. gr.* ij. *Zibethi. gr.* iij. *Cum ſ. q. Ceræ f. Liniment.* Quorum omnium beneficio modò melius, modò deterius, ſed tolerabiliter habuit: diebus tamen proximis Menſis Julii, morbo non penitùs expugnato, & ſanitate non ex integro reſtituta, ipſam paroxyſmus novus, prægreſſis per aliquot dies rudimentis, & tùm quidé peracto menſium fluxu, cum iteratis ſternutationibus proximè invaſionem antecedentibus, de nocte vehementer obruit, qui tamen remediis ſæpiùs enarratis intra paucas horas, Dei gratiâ, rurſus ceſſavit. Poſtero verò die Compreſſio pectoris ſenſibiliter adnotata fuit; pro cujus mitigatione Syrupum Hyſſopi, imò etiam pulverem pectoralem ſingulariter ipſi ordinatum, vel per ſe, vel ex aq. hyſſopi quantitate ℈j. frequenter aſſumit. ℞. *Rad. Enulæ Dictamni albi ana.* ʒjß. *Liquiritiæ.* ʒj. *Zedoariæ. Pulmon. vulp. pp. ana.* ℈ij. *Sem. Dauci. Aniſi. ana.* ʒj. *Cort. & Sem. Citri. ana.* ℈j. ſ. *lapid. pretioſor. pp. ana. gr.* vj. *Marg. pp.* ʒß. *Pulmonariæ exiccatæ.* ℈j. *Nucismoſch. parùm torref.* ℈ß. *Tabul. ex flor. ſulph.* ʒjß. *M. f. pulvis.*

Quia v. ſupra omnem diligentiam adhibitam morbus hîc remediis undiquaque conquiſitis radicitùs extirpari non

non potuit, juxtaque ipsi conjuges sibi metuant, ne progressu temporis in summum vitæ discrimen ab hoc malo præcipitetur, consultum ipsis visum fuit, totam hujus affectus historiam, omnibus suis numeris & circumstantiis descriptam, Medicis Excellentioribus & Peritioribus ad deliberandum proponere, eosque officiosissime rogare, ut, quid de ejus origine propria, quidve in curationis modo, cursuque immutandum ac corrigendum, sentiant, an excellens aliquod præsidium affectui huic appropriatum inveniri possit, thermarumque usus an, & qualium ipsi maximè profuturus sit, liberè & ex bono animo haud gravatim in medium proferant, ut ægra gravissimo hoc morbo per divinam opem liberata pristinæ sanitatis rursus compos fieri queat. Dab. Heilbronnæ die 22. Augusti, Anno 1622.

Ad Clariss. & Excell.

DN. JOHANN. CHRISTOPH. Eisenmengern/ Med. D. & Reipubl. Hailbrunnensis Phisicum Ordinarium,

GREGORII HORSTII D.

RESPONSIO.

SQuod casum propositum attinet, Vir Clariss. & Excell. fautor & amice pl. colende, posteaquam eundem, quantum per occupationes officii fieri potuit, percurri, nihil aliud colligere possum quam quod adsit *affectus Asthmaticus*, tàm ex congestione, quàm ex affluxu sæpius exacerbatus, cujus invasionem deteriorem reddit *uterus impurior*, sursum evaporationes depravatas transmittens, & difficilem respirationem sua natura augens. *Prius* ex signis invasionis, ipsum paroxysmum Asthmaticum manifestantibus, non difficulter deprehenditur: *posterius* confirmat usus eorum, quæ singulari proprietate hystericis conveniunt, quibus semper levamen aliquod procuratum fuit. Quod cum ita sit, non video, cur ab iis remediis, hactenus ad has indicationes directis, sit discedendum. His ipsis, *quoad antecedentem causam*, ante tempus mensium instans, singulis diebus ʒß. pillularum hystericarum, vacuo stomacho, per octiduum præscriberem. Post mensium fluxum, apertis adhuc viis, ad expurgandam corruptam materiam, ibidem contentam, pessus aliquot uterinos adhiberem. *Quod ad conjunctam causam*, frequens sit usus fæculæ Aronis, cum flor. sulphuris, in syrupo de hispidula *Renodæi* permixtæ, vel etiam Oxymellis de Peto, *in Pharm. Quercetani* descripti, quod in præservatione similis affectus ante multos annos in Illustrissima quadam persona cum successu, quantumvis interdum vomitum ciere soleat, olim adhibui. Quod usum thermarum attinet, non dubito, quin *Badenses* potiùs, quàm *Cellenses* hìc eligendæ videantur, modo juxta præcedentem intentionem omni ingenio, cacochymia primum optimè correcta sit. *Emplastrum Matricale* ab Ulmensibus communicatum proculdubio fuit *Ceratum de Galbano*, cujus usus hìc solitariè, & cum additamento frequens est. At aqua Matricalis sub nomine Clariss. Antecessoris mei, *Dn. D. Laurentii Waltheri Küchelii p. m.* hoc modo conficitur.

℞. *Succi Matricar.*
Mercurialis ana. ℔j.
Rad. Bryoniæ, levistici ana. ℥j.
Pæoniæ, Angelicæ, Zedoariæ ana. ℥ß.
Her. Citrariæ, Salviæ an. Ms.
Camphoræ ℥ß.
Fl. Anthos. Salvæ ana. Pj.
Castorei ʒvj.
Nucismosch. Macis ana. ʒiij.
Galangæ ʒj.
Vini albi generosi ℔ij. *Fiat digestio per dies aliquot, post in B.*
M. destillentur.

Hisce breviter ad prædictum casum respondere debui: vale, quodque facis, amicitiam feliciter inceptam crebritate literarum continuare non desine. Raptim. Ulmæ 20. Apr. 1623.

Sequuntur observationes affectuum muliebrium rarorum numero octo ab eodem Clarissimo Viro. DN. D. IOH. CHRISTOPH. Eysenmengern *amicè communicata.*

OBSERVATIO XXXIII.

Ventris tumor in muliere ex vesicis quam plurimis aquâ repletis Mesenterio adnatis.

INter *affectus mulierum*, non rarò occurrunt *Tumores ventris*, qui primis mensibus impregnationem mentiuntur, & vel *Molæ*, vel *flatibus*, vel *colluviei sanguineæ*, aut *aquosæ* in utero contentæ, adscribi solent. *Materiam* autem *ventrem distendentem interdum, etiam extra uterum*, peculiaribus membranis inclusam, contineri, sequens palàm facit historia. Civis cujusdam nostratis primarii uxor, juvencula, altero post nuptias anno, cepit variis torqueri doloribus in imo ventre & hypochondriis, qui interdum omninò delituerunt, interdum ad lipothymias usque sævierunt. Facies pallore suffundebatur, venter in tumorem surgebat, sed inæqualem, qui quidem ab ineunte ætate paulò turgidior fuerat, menses tamen justo fluebant tempore. Consilio usa est primùm Empiricorum variorum, quorum unus rem totam Veneficio adscripsit. Cum à. dolores urgerent, nec ineptiis illorum juvaretur, etiam Dominum Parentem p. m. & me in consilium adhibuit. Præter universalia, tùm temporis oleum quoddam Carminativum ei adhibuimus, ex cujus usu, 9. Februarii, Anno 1622. dolores circa matricem adeo intensos (parturientium instar) sensit, ut accersita obstetrix, vel Molam, vel simile quid ex utero proditurum expectaret. Sed præter aquea quædam effluvia, nil apparuit, & dolores paulatim omninò remiserunt. Quoniam autem, interpositis aliquot diebus, & tumor ventris, & dolores iterum aucti sunt, advocatus etiam fuit Clariss. Dn. D. Johan. Ulianus, Collega meus plurimùm colendus, qui purgantibus denuò rem aggressus est, dein cataplasmate & insessionibus dolores

Aquea colluvies per uterum rejecta.

lores lenire studuit; nec sine fructu. Nam non solùm Tumor insigniter inde fuit diminutus, sed & dolores ita sublati videbantur, ut in ædibus munia domestica rursus perficere inciperet. Infelici tamen omine. Cum enim 7. Martii sub die frigidiore, lanio suem mactanti adstaret, subitò Epileptica concidit, & ea ipsa die vitam cum morte commutavit. Ut igitur affectus hujus, & repentinæ mortis causa investigaretur, permissu parentum & mariti, Cadaver altera die apertum fuit, in quo ventriculus, Epar, lien, & intestina naturaliter se habentia, Matrix etiam integra, sana & loco naturali reperta: Loco vero glandularum mesenterii, vesicæ venulis ejusdem implicitæ & tectæ; uti & toti Mesenterio hinc inde adnatæ ultra 20. vesicæ, diversæ magnitudinis, aqua limpidissima turgentes, apparuerunt. Quarum una omnium maxima (capitis infantis alicujus mole:) mox in dissectione conspiciendam se præbuit, & totam matricem contexit, ut Chirurgus Hydropem matricis adesse primo intuitu pronunciârit; Re verò penitius perspecta, Uterius, ut dixi, subtus latuit; ab hac maximâ sex adhuc paulo minores pugnum æquabant, reliquæ ova gallinacea & columbina, quæ omnes inter se connexæ, ova gallinacea partim, ad maturitatem producta, partim adhuc variâ magnitudine succrescentia egregiè [**wie ein Eyerstock**] repræsentabant. Fuit & Cauponis apud nos uxor, quę per plures annos similem ventris molem, sed ob menses simul retentos, majorem quàm illa gestavit, & frustra Thermis Cellensibus, aliisque medicamentis usa fuit. Hæc anno 1625. mense Martio, postquam, ut mihi retulit, sonum quendam quasi disruptæ vesicæ in imo ventre percepisset, in maximos incidit ventris dolores, ut ad levem etiam commotionem admodum exclamaret, & ad biduum jacens, nihil medicaminis admittere vellet. Tandem doloribus victa, Laudanum opiatum, à me exhibitum, assumsit, quo dolores adeò sopiti sunt, ut altera die è lecto surrexerit, eoque remedio post sæpius ejusmodi dolores inopinatam prosternentes sedarit. Ultimo tamen etiam accedentibus convulsionibus miserè obiit. Ex quibus apparet, nos frustrà purgantibus laborasse, & aliis in hisce, cum materia peccans, suis membranis vel vesiculis, nullibi perviis, inclusa, medicamentorum vim facilè eluserit: quin ob diuturnam moram, malignitatem fortè concipiens, venenatos ad Cerebrum vapores emiserit, unde convulsiones & mors consequi poterunt.

Observatio similis.

OBSERVATIO XXXIV.

Mensium fluxus in gravidis innoxius.

Etsi pleræque ex retentione mensium se gravidas esse judicare, & ab eo partus tempus supputare soleant, multas tamen ego novi, quæ post conceptionem semel atque iterũ adhuc ordinariè expurgantur. Sed & ante triennium quædam ex meis consanguineis, altero à conceptu mense, fluxum (ut existimavit:) consuetum sensit, qui post ultra tres menses continuus perseveravit, ac quoties medicamentis restrictus fuit, dolores hypochondriorum, & lipothymia excitavit. Adhibitâ igitur ex rhabarbaro purgatione, venâ item Epaticâ sectâ, & victus ratione sanguinis acrimoniam obtundente institutâ, rem omnem naturæ commisimus, quæ paulatim sese recolligens, fœtum post ad maturitatem perduxit: debilior tamen is fuit, & in fine octavi mensis exclusus: Ideò 5. vel 6. mense obiit. Ex quo regulam Hippocraticam Mulierem secta vena abortire, multas exceptiones ferre posse patet. Aliam siquidem scio, sanguine abundantem, quæ uterum gestans ter venam secuit, & decenti tempore fætum salvum peperit, cum aliàs ob tussim & sanguinis copiam, metus potius de abortu fuerit. Interdum tamen & male cessisse, sine judicio gravidis administratas venesectiones, notavi.

Aqua col... per ... re... jecta.

OBSERVATIO XXXV.

Menses retenti per vomitum & Alvum cum periculosis symptomatibus exitum parantes.

Varios & periculosos Affectus ex mensium obstructione oriri, cuivis in praxi Medica, vel parum versato, notum est. Nunquam tamen ego pejora vidi symptomata, quam præterita hyeme in virgine quadam temperamenti sanguineo-Melancholici. Hæc cum semel atque iterum insufficienter purgata fuisset, instante rursus menstruo tempore, iisque ad diem unum vel alterum parcè fluentibus, in enormen incidit vomitum, quo sanguinem concretum, nigrum, magna in copia excrevit, non sine maxima virium prostratione. Altera die sub vesperam, iterũ ultra libram ejusdem sanguinis evomuit. Tertia ego advocatus, cum ex eructionibus prospicerem, plus adhuc sanguinis extra vasa profusi & concreti subesse, rhabarbarum parum tostum cum myrobolanorum citrinorum cortice, nec non confortantia quædam exhibui, unde post nonam demum horam, maximo cum impetu, etiam per alvum copiosum sanguinem concretum nigricantem dejecit. Quarta, simul cum egerendi & vomendi conatu, Epilepsia gravis ipsam corripuit, atque supra modum debilitavit: nocte sequente binas habuit excretiones sanguineas puriores, cum totidem paroxysmis Epilepticis. Cum igitur sanguinem jam puriorem animadverterem, ad constringentia progressus sum, & simul specifica Antepileptica administravi, quorum formulas (ne noctuas Athenas:) addere supervacaneum. Quinta morbi die, semel adhuc Epilepsia post levem commotionem corporis invasit, & vomuit eâ die, ingesta tantùm absque sanguine. Tantus tamen capitis aderat dolor, ut sine lipothymiis erigere se minimè posset. Adhibitis autem Epithematibus & aliis præscriptis, paulatim vires recepit. Quas cum purgationem ferre posse judicarem, ne ex reliquiis recidiva subsequeretur, purgantem haustulum propinavi, & triduo post Novilunium Saphenam dextram aperui, unde benè fluxit sanguis, menses in ordinem redacti, ipsaque vividum colorem & sanitatem, Deo singulariter benedicente, peracto mense recepit.

OBSERVATIO XXXVI.

Partus monstrosus.

OPilionis uxor in Pago Othmarsheim Ducatus Wirtembergici, tertio circiter impraegnationis mense, fortè molam praeteriit frumentariam, fasciculum graminis, ut nostrae solent, capite gestans, cum eo ipso momento, molitor asinum male feriatim fustibus exagitans extra molam propelleret. Asinus è foribus prorumpens, praetereuntis gravidae ventrem graviter offendit, ita ut illa subitò perterrita impulsu, manum dextram oculis praetenderet, sicque vix paulatim sese recolligeret. Ex forti autem imaginatione factum est, ut non solum ipsi quoque foetui brachium dextrum oculorum regioni (oculis & naso simul deperditis) adnatum, sed & capiti nova calva, vel cutis densior, asininis pilis horrida afficta fuerit. Quin etiam in offensione istâ, ruptis vasis umbilicalibus, è tenero Embryonis corpusculo Epatis parenchyma, cum potissimâ intestinorum parte, peritonaeo inclusa, extra umbilicum procidit, vulnusq; progressu temporis, remanente hâc hernia, satis mirabili, callo reclusum fuit, & Epar figuram oblongam acquisivit. Licet verò natura in conservatione hujus Embryonis satis laboriosa fuerit; tamen ex defectu, ut puto, alimenti, circa septimi mensis principium, pridie scil. Kalend. Januarii Anno 1614. abortu rejectus fuit, magnitudine pedis unius circiter, cujus figuram externam in adjuncta charta cernere licet. Interna namque non sunt perscrutati. Nescio an ex eadem laesione pes quoque dexter distortus & labia superiora divisa (nostri vocant Haßenscharten:) fuerint, utrumque enim à Domino Parente (cui hanc & sequentem historiam acceptam feres:) diligenter annotatum invenio.

OBSERVATIO XXXVII.

Faetus mortuus, propriis signis deprehensus & artificiosè propulsus.

ANno 1580. Amplissimi Viri Domini Johannis Wolfii, J. U. Licent, & Consiliarii Badensis atque Palatini, uxor, 38. annorum, quinto circiter impraegnationis mense, post fluxum sanguinis è naribus copiosum, in Cachexiam incidit, cujus Ea à Dn. Joh. Pistorio Nidano, crebris purgationibus & aliis medicamentis institutam curam sustinuit: Omnibus verò in pejus ruentibus, succedente pallore faciei squalido, anhelitu graviter olente, ardore stomachi assiduo, animi deliquiis frequentibus, capitis & oculorum doloribus, Epilepticis etiam convulsionibus, sed levioribus, una cum ventris mole aucta &c. vocatus etiam fuit Dn. Parens. Licet verò praedictus Pistorius statueret, aegram, praeter Cachexiam, tantùm informem & inanem molam ex sterili utriusque parentis semine concretam gestare: tamen cum Dn. Parens singula altius rimaretur, maximè quod aegra primis mensibus pica, vomitu cibi fastidio mammarum pruritu, dentium & oculorum dolore &c. laborarit, & exacto quarto mense, motum quendam haud obscurum persenserit, licet motus post haemorrhagiam, & frequentes purgationes obscurior fuerit, in eam abiit sententiam, faetum gestari formatum, sed emortuum, quod insuper maximè ex ventris frigiditate, ad tactum apparente, & supra enumeratis symptomatibus evicit. Instituta igitur post aliquot dies victus ratione optimè nutriente & confortante, ad foetus emortui exclusionem, sequenti Methodo, progressus est. Primum constituto die insessionem adhibuit, ex Malva, Althea, Pulegio, Hyssopo, Mentha, Mentastro Artemis, Meliloto, Serpillo, Origano, Thymo, rad. Malvae. Altheae, Lil Alb. Aristol. rotund. semine Carui, Cymini, Faeniculi, Baccis Juniperi. floribus chamaed. & Centaur. minoris, &c. sacculis inclusis, & in aquâ decoctis. Quibus sacculis postea subinde quoq; loca muliebria, foveri, & oleo liliorum alb. amygd. dulc. axungia gallinae, anseris, mucilag. sem. lini & foenigraeci cum vino extracta permixtis, addita styrace liquida, & pulvere rad. aristoloch rot. ver. Iridis. cinam. & spica. cum cera ad linimenti formam redactis, &c. inungere jussit. Tandem etiam cataplasma ex decocto colocynthidis, succo rutae, & myrrha, cum farina hordei concinnatū, umbilico imposuit, & intra corpus pulverem ex succini albiss. ℈j. unicornu veri ℈ß. ol. succini. g. iiij. in brodio caponis exhibuit, sicque post decem horas, obstetrice suo quoque officio probè fungente, enixa est foetum masculum perfectum, sed nigra putrilagine obductum. Vixit dein satis commodè in puerperio: verum quia partes principes ex putridis vaporibus admodum fuerunt laesae, & debilitatae, post aliquot septimanas Apoplexia leviori correpta fuit, quae in paralysin dextri lateris desiit. Licet autem & ab hac utcunque restituta fuerit, anno tamen sequenti, redeuntibus Apoplexia & Epilepticis convulsionibus, obiit.

Ad expellendum mortuum faetum insessio.

Unguentum ad muliebria.

Cataplasma ad umbilicum.

Pulvis hystericus.

OBSERVATIO XXXVIII.

Secundinam post partum maximo cum periculo in utero relinqui.

EX obstetricum imperitia saepius accidit, secundinam post partum relinqui in utero, jam ex partu admodum debilitato; sed semper cum maximo matris periculo. Ex usu pulveris, quem Forestus commendat (è trochiscis de myrrha, semine violarum, rad. dictamni, rasura dactylorum) aliquot Dei gratia liberatas scio. Sed tres vel plures numerare possem, quae subsequentibus uteri suffocationibus & lipothymiis intra paucas horas miserè obierunt.

Pulvis ad expellendas secundinas.

OBSERVATIO XXXIX.

Mola muris formam referens, à Virgine in lucem edita.

ANno à Nato Christo 1624. Mense Februario, accessit me Civis ex pago Eberstatt/ Ditionis Wirtenbergicae, unà secum ducens filiam, virginem 22. plus minus annorum, quae praesente patre retulit, se praecedente Mense Julio cum mensium fluxu laboraret, è scalâ decidisse, unde fluxus mox substiterit, subsequente summâ respirationis angustiâ, quae tamen post triduum aperta

vena

vena brachii cessarit. Menses autem hactenus ad dimidium annum substitêre, jamque tussim, respirationem, ventriculi dolores post assumptum cibum, & similia accidêre, quorum causa meum expetiit consilium, oblata simul urina, quæ à sana, colore ab aureo declinante, tum etiam substantiæ tenuitate haud parum abfuit. Re igitur perpensa, & non tàm filiæ, quam patris relationi fidem habens, Vinum Medicatum ex aperientibus præscripsi, quod per octiduum novilunium præcedens, continuare, post saphenam dextram aperire jussi: quibus non conferentibus, peracto mense, ut idem vinum repeteret, & sinistram quoque saphenam incideret, suasi. Paruit igitur hisce monitis, sed quia peracta prima venæ sectione menses nondum fluxerunt, moræ impatiens, post octiduum alterius quoque pedis tali venam sibi pertundi curavit. Quo facto, sequenti die non solum magnam copiam sanguinis concreti, aliorumque humorum, sed & molam, vita quidem carentem, per omnia tamen murem domesticum (nisi quod corpus glabrum crinibus caruerit, & magnitudine murem communem superarit:) repræsentantem, ex utero rejecit, sicque post quietem & decentem victus rationem ab omni molestia liberata fuit. Res tamen suspicione non caruit, ipsaque ad Magistratum delata in carcerem conjecta, & severè, non sine comminationibus, examinata, nil aliud deposuit, quam se nullius unquam congressus consciam, & maximas Deo atque Medico gratias habere, quod ab hoc monstro liberata sit. Quin & ego à judice interrogatus, respondi, posse quidem fieri, ut ex retentis menstruis atque semine muliebri, accidente forsan imaginatione aliqua, Natura, quæ semper formam imprimere nititur; ejusmodi molam muriformem progeneret, cum exempla à Medicis referantur Molarum, non solum Aquilæ, Accipitris, Bufonis, Ranæ, Talpæ, Leporis, Lacertæ, Serpentis, aut aliorum animalium formâ editarum, sed singulariter Muris & quidem viventis *Mercurialis & Paræus* mentionem faciant. Licet autem potissimum in nuptis, & cum viris rem habentibus), tales, unà cum veris plerunque fœtubus, molæ in lucem prolatæ fuerint, impossibile tamen non esse, quin etiam virginibus simile quid accidat, qua de re *Levinus Lemnius lib. 4. de occ. nat. mir. c. 19.* in hunc sensum loquatur: Quod nonnullis famelicis, qui nidore culinæ saturantur, atque alimentorum penuriâ odoribus reficiuntur, accidit, id evenire potest puellæ nubili, cui, cum amasio frui negatum est, illum tacitè fovet gremio, illum animo, menteque etiam absentem, concipit, ita ut ex crebrâ imaginatione massam quandam informem concipiat, conglobatis, collectisque in iis partibus humoribus, qui conceptui inserviunt, quæ informis concretio Imaginariâ Venere perficitur, nullo conceptu, virique opera. Sicque judicis sententia libera evasit. Sed de his Ex. Tuæ judicium expecto.

Vide de hac materia tractatum nuper à Clariß. D. Sebizio publicatum.

OBSERVATIO XL.

Uterinæ Suffocationes variæ.

ETsi mulieres variis omnino affectibus sint obnoxiæ, Uterinis tamen suffocationibus nullum magis admiratione dignum existimo: Absque motu enim & sensu, imò etiam absque respiratione (ut alia taceam:) mulierem ad plures interdum horas decumbere posse, quis non miretur? Cum virorum nullus, ne per horæ quadrantem absque respiratione vivere possit. Magnam autem differentiam & latitudinem hujus affectus in praxi hactenus deprehendi. Nobilissimam quandam juvenculam omnia sentientem, audientem & videntem, membra etiam moventem, vidi ad duas horas jacere, sine respiratione & voce, quæ solo suffitu succini, ad nares aliquoties admoto, ad se rediit. Illa cujus causa ante aliquot annos Exc. Tuæ consilium expetii, respirationem difficillimam cum stertore & tantâ angustiâ habuit, ut in declivi loco sedere, auram liberam ore hiante captare, & quævis obvia magna vi tenere cogeretur; quæ Dei gratia ex usu thermarum Badensium ab eo affectu liberata fuit. Rursus virginem nobilem & nubilem ante biennium eodem affectu, ex obstructione venarum mesenterii, lienis & uteri, sæpius conflictatam, curandam suscepi, cujus accessio talis fuit: Primò dolores hypochondriorum, maximè sinistri malum prænunciabant, quos tamdiu sustinuit, donec sese in lectum recipere coacta fuit: Eo autem ipso momento, quo se lecto dedit, statim delirare & multa ridicula proferre cepit, nunc ad unam, nunc duas horas perseverante delirio: tunc convulsiones, sed leviores, dextri potissimum brachii (quę interdum paroxysmum etiam pręcesserunt:) supervenere, & anhelitus magis magisque difficilior redditus, tandem planè defecit, sicque attonita jacuit, donec vel clamore, vel motu, vel suffitu rerum graveolentium excitata fuit. Ab eo verò copiosissime vomuit, bilem vitellinam, viridem, æruginosam, atque intensissimos persensit articulorum dolores; ut hinc inde in lecto, sese convoluens, novæ accessioni causam præbuerit. Huic nobili Virgini post universales evacuationes Pillulæ matricales, aqua item hysterica, Cerotum de Galbano, & similia admodum profuerunt, malum tamen non sustulerunt, donec Acidas Ubenhusenses, tàm potu, quàm insessione decenter adhibuit: postea namque menses fluxerunt, ipsaque ad menses plures benè valuit. Cum verò, post tristitiam ex obitu sororis, rursus præludia quædam sentiret superiori anno, purgationem universalem, sectionem venarum tali, & pillulas repetiit, quibus mediocrem iterum recepit valetudinem, gravioribus illis symptomatibus sopitis. Sed in eo discrimen adverti, quod in enumeratis jam ægris, nulla uteri dislocatio, aut commotio deprehendi potuerit: In aliis autem plerunque in inguine sinistro inflatio, dolores, motus etiam uteri manifestus, sentiatur. Vocatus aliquando fui ad Nobilem viduam juvenem adhuc, cujus uterus adeò superiora versus movebatur, ut adstantes magna violentia eundem ad inferiora propellere & retinere cogerentur. Libet etiam addere, ex Dn. Parentis annotatis, exemplum affectus similis hystericæ suffocationi, de qua tamen & ipse & alii dubitarunt. Vivit adhuc Nobilis virgo religiosa, quæ ante plures annos, utpote Anno 1596. & seqq. talem frequenter experta est paroxysmum ex improviso invadentem: Primum respiratio impe-

Vide obser. præcedentem. n. 30.

Uteri suffocatio singularis. impediebatur, cum stertore interrupto, (ac si vitrum stricti orificii effunditur:) & retractione præcordiorum tanta, ut sub cartilagine ensiformi cavitas, pugni facile capax, relinqueretur. Inde ad lectum delata sine respiratione jacuit ad horam dimidiam, plus, minus, tunc ad se rediit, adstantes agnovit, sed de summa virium semper prostratione, interdum etiam de impotentia ad motum, brevi tamen durante, conquerens. Hunc affectum convulsionem diaphragmatis quidam Medici præcipui vocarunt. Licet verò plerique Uterinum consensum suspicarentur, attamen quia odoratissimis, moscho, ambra, aq. rosarum & similibus, in ipso paroxysmo mirè se refici asseruit, & menses stato tempore fluxerunt, rem in medio dubiam relinquere coacti sunt, donec procedente ætate, nescio quibus etiam remediis (nam varia à variis habuit:) malum omnino sublatum fuit, ut jam sexagenaria, licet lienis, articulorum affectibus, & catharris frequenter obnoxia, nil tale persentiat amplius. Hactenus *CL. DD. Eysenmengerus*: Sequuntur similes aliquot casus per Experientiss. Medicum, *Dn. D. Bartholomæum Merclinum*, Archiatrum Neoburgicum, amicè communicati.

OBSERVATIO XLI.

Menstruus fluxus quibusdam prægnantibus innoxius.

HIPP. Fætum benè valere, si prægnanti menstrua cursum suum teneant, esse impossibile asserit *lib.5. Aphor.60.* Secus animadverti non semel, inprimis in plethorici habitus fœminâ, uxore Domini N. Linsii, Patricii Augustani, Laingæ habitantis Anno 1590. Hæc quoties utero habuit, toto gestationis tempore, copiosè (ut ipsa mihi non semel retulit) menses periodicè experta est, cùm interim fætus benè sanos, corpulentos, & vivacissimos procrearet. *Confer. observ. XXXIV.*

OBSERVATIO XLII.

Gravis uteri suffocatio semel tantum invadens.

VIri Clarissimi Dn. D. Sebastiani Halbmajeri, & Reverendissimi Domini, Domini Johannis Ottonis, Episcopi Augustani consiliarii intimi, conjunx, Herbipoli Dillingam veniens cum familiâ, Anno 1592. uteri doloribus & suffocatione sine sensu & motu, pro mortua habita; decubuit. Vocatus Laingâ Frictionibus, ligaturis pedibus injectis, Zibeto umbilico inuncto naribus pulvere ex Castoreo & pipere inflato, irritatione factâ, post semihoram sternutare & sese recipere cepit. Rectè habuit, nec adversi quicquam ab utero passa est amplius.

OBSERVATIO XLIII.

Uteri suffocatio cum regurgitatione sanguinis & urinæ per vomitum.

REverenda quædam Monialis, N. adhuc in vita, Anno 1596. mihi visitanda & curanda oblata est. Laborabat uteri suffocatione gravissima, quam astantes conciliatam referebant inordinatâ vivendi ratione, hinc purgationes menstruas diu passam esse inordinatas. Urgente accessione, suasi *Rutam cum Castoreo* naribus admovendam, imis partibus ligaturas injiciendas, Umbilico *emplastrum de Galbano* apponendum. Horum vilissimorum usu se recepit, & ad tres hebdomadas benè valuit: Sed tunc dolor hypochondrium dextrum, vomitio sanguinis frequens, mensium retentio, urinæ difficultas, tandem mensium & urinarum purarum putarumq; per os (uti ejus loci testes sunt, ipsa Domina Priorissa senior 80. annorum; & reliquæ Reverendæ Dominæ astantes Moniales, quæ urinas tales, ore redditas, inspiciendas cum admiratione mihi offerebant) effusio sequuta est. Hanc *ἀναρρόπησιν* dato clysterio retro vocavi.

℞. *Rad. Eryngii.*
Petroselini.
Diptami albi ana. ℥iij.
Althaæ. ℥ij.
Herb. Parietariæ.
Pulegii.
Mercurialis.
Chamomillæ ana. M߃.
Sem. Agni. casti.
Anisi an. ℥ij.
M. F. decoctio. Colatura
℞. ℥x.
adde Bened. laxati ℥j.
Hiera compos. ℥ß.
Olei chamomillæ.
Anethi.
Scorpionum ana. ℥j. M.
F. Clyster.

Hujus clysteris beneficio, porrò, inordinatas has fluxiones ad consuetas naturæ vias sæpè revocavi. Hoc actu absoluto; usque ad 28. Augusti rectè habuit, [quo die iterum vomitus materiæ albæ, crassæ, sine sanguine, continuus hypochondrii dextri dolor, urinæ & alvi à 5. diebus retentio. Clysteribus itaque res tentata, ad 21. septem. Sospitem servavi, quo die iterum vomitus mensium, urinæ per os claræ aureæ, sedimenti lenti, copiosi, effusio rediit; Clysteribus ut anteà repetitis, Dei gratia, ab hac molestiâ denuò libera evasit. His tot & tam gravibus recidivationibus Reverenda Dn. Priorissa, & reliquæ Reverendæ Moniales commotæ me rogârunt, ut de curationis methodo probatiore cogitarem, qua restituta libera & sana ab ejusmodi insultibus in posterum vivere, & munia sua obire posset. Examinatis itaque omnibus circumstantiis, causis, temperamento, & habitu corporis, (erat coloris pallidi, facie inflata pedibus quandoque tumentibus,) deprehendi totam œconomiam partium naturalium esse labefactatam; partim ab ortu & nativitate, partim vivendi modo indiscreto. Hinc ortas esse obstructiones pertinacissimas omnium viscerum, maximè vasorum ad uterum desinentium. Quamobrem leniente ex diacatholico cum speciebus hieræ præmisso: Apozema, pro crassâ materiâ incidendâ, lentâ detergendâ, & obstructionibus aperiendis (ex *Apio, filice, petroselino, aristolochiæ*

stolochia rotunda vera, Agrimonia, Scordio, Pulegio, Melissa, Chamadry, &c. addita Senna & Agarico trochiscato) quo per vices uteretur, præscripsi. Hoc cum aliquoties sumpsisset, & vena saphena dextra aperta fuisset, rectiùs habere cepit. Tandem Colophonis loco, pro exiccando solo tàm uliginoso, *Chinam cum Sarsa, additis corticibus Guajci*, ad aliquot septimanas bibendam propinavi. Hinc ita, Dei auxilio convaluit, ut sana & feliciter postea vixerit, nec adversi quicquam ab utero, quam diu loco illi sacrato præfuit, senserit.

OBSERVATIO XLIV.

Diminuti Menses cutis fœditatem introducentes.

NObilis fœmina, Gynæcæi Palatini Aulici Neoburgi præfecta honoratissima, Anna Maria Pellikoverin, Anno 1601. menses diminutos pati cepit; Exin sensim caput, & totum corpus, pruritus fœdus & molestus, maximè instantibus, sed diminutè fluentibus menstruis, occupavit. Purgante sacculo (*ex China*
Aristolochia rotunda vera
Dyptami.
Apii.
Paonia. ana. ℥ij.
Comar. Absinth.
Centaurei.
Fumaria.
Lupulorum.
Epithymi ana. P. iij.
Seminis Fumaria.
Cardui bened. ana ℥j.
Senna electa ℥jß.
Zingib. ℥j.
Rheubarb. el.
Agarici trochisc. ana. ℥jß.
Manna. ℥ß.
Coriandri prap. ℈ß.
Nucis Moschata. ℥j.
Passularum ℥ß. M.
Ex incisis & contusis Aquâ Cinamomi aspersis F. sacculus hoc ordinato, & sanguine in brachio & pede misso, ad anni quadrantem, cùm rectè haberet, ulterius nihil admisit. Tandem cùm de novo pruritus totum corpus infestaret, & caput ulceribus sordidis & serpentibus, fluente ichore seu sanie flavâ, lentâ, viscidâ, copiosâ valdè inquinaretur, manus dedit; & curationem exquisitiorem admisit. Dato igitur cholagogo seq. & venæ sectione repetita meliusculè valuit.

℞. *Decocti fl. & fr. cum Senna auctis* ℥iijß.
Elect. Lenitivi Fl. ℥v.
Extr. Rheumbarb. ℥ß.
Syr. de Senna,
Rheumb. ana ℥ß.
M. F. potiuncula.
Adde olei vitrioli gutt. iij.

His subjunxi pillulas, singulis diebus tres, vel quatuor pro una vice, hora una ante cœnam degluriendas.

℞. *Massa pillul. cochiar.* ℥ß.
Aloës rosata ℈j.
Extr. Rheumbarb.
Agarici an. ℈ß.
Succini prapar. gr. xij.
Diagridii ℈j.
M. F. pillula num. xxj.
Deaurentur.

Notentur **Pillulen drey oder vier auff einmal.** Horum beneficio, licet satis benè haberet, conquesta tamen est, se præter ulcuscula quædam in capite & facie, motum quendam quasi formicantem sentire. Itaque caput & corpus de novo purgans, errhina & apophlegmatismos præscripsi: Tandem lotionem ex *decocto hedera utriusque, Rosarum, foliorum persica arboris, fumaria, beta alba*, præcepi, cum inunctione sequenti.

℞. *Lithargyrii oleo myrtino & pauculo aceto nutriti* ℥jß.
Tutia ℥jß.
Myrrha.
Aloës succo trina ana. ℥j.
Succi solani ℥j.
Olei tartari.
Myrtini ana. q. s. agitentur in mortario plumbeo.

Horum postremorum usu, & subsequente hæmorrhagiâ, à fœdâ hac liberata est molestiâ, nec adversi quicquam amplius est conquesta.

OBSERVATIO XLV.

Menstrua obstructio fluxionis hæmorrhoidalis causa.

ANnô 1602. Anna **Siessin**/ ex pago **Tischingen**/ conquesta est, se à quatuor annis menses non habere amplius: Horum vero loco, menstruatim, experiri hæmorrhoides.

OBSERVATIO XLVI.

Mensium fluxus sæpius symptomaticè recurrens lethalis.

HOnoratissima matrona, Prudentissimi Viri Domini Johannis Zöschlini, consulis Laingani uxor, Anno 1591. subitò lipothymiam, cum mensium fluxu, (qui, per semiannum jam, sed tolerabiliter duraverat) enormi & continuo incidit. Quo variegata frustra magna nigra, flavescentia etiam, excludebantur: Stagnante hoc, suffocationis periculum imminebat, quod tamen alvi superveniens solutio ut plurimum avertebat. Hæc παλινδρόμησις usque in annum 1593. aliquoties facta est. Hujus autem anni initio, cum diluviū hoc intolerabiliter exundaret, viribus fractis & exhaustis, & medicamentis præsentissimis, à Domino D. Gualthero **Küechlin**/ Medico Ulmensium expertissimo, & me præscriptis, exhibitis, & applicatis, vitam cum morte commutavit. Interjectis annis, variorum hinc inde in arte præstantissimorum virorum

virorum requisita sunt consilia, & medicamenta præscripta; maximè, quæ serosum, biliosumque emendarent sanguinem, impetumque hunc coercerent, sed ad confirmatam valetudinem nulla unquam inventa sunt, quæ aliquid adjumenti firmi contulerint.

OBSERVATIO XLVII.

Inflatio ventris ex retentione mensium, cum lethali tandem fluxu.

NObilis Domina Eva de Welden, Nobilis Viri Domini Simonis de Welden conjunx, ventrem instar tympanitici tumidum, diu gestavit, menstruis interim periodicè respondentibus. Mortuo marito Dilingam cum omni familia se contulit. Ibi Anno 1594. in viduitate existens, menses tardantes, & singulis 8. septimanis tantum, magno tamen cum impetu, inprimis 4. Julii experta est; Ita, ut una vice situlas & pelves satis capaces grumoso sanguine repleret. Hinc lipothymiæ, dolores nuchæ & occipitis, lancinationes lumborum & abdominis, faciei inflatio & pallor, aliaque plurima horrenda sequuta sunt symptomata, quæ vomitus subsequens plerumque leviora fecit. Ordinata diæta, pro potu decocto ligni lentiscini, & rubello usa est. Factæ interim sunt ligaturæ, frictiones; pro virium modo, ex brachio dextro, missus sanguis, potio data.

℞. *Philonis. Persici.* ʒß.
Margarit. ppt.
Corall. rub. præpar.
Terræ Silesiacæ. ana. gr. viij.
Vini granatorum ℥ß.
Aquæ Corrigiolæ ℥ijß. M.

Pro viribus reficiendis, & fluxu porrò compescendo seq. tragea ord.

℞. *Spec. diatrion. santal.* ʒjß.
Hæmatitis ppt. ʒß.
Margarit. præp.
Corall. rubr. Corneoli,
Smaragdi præparatorum an. ℈j.
Nucis Moschatæ parum siccatæ. ʒj.
Coriandri præparati.
Semin. Plantag. ana. ℈ß.
Bezoar. gr. xv.
Sacchari. rosat. tabul. ℥v. M.
F. Tragea.

Utatur cum pane tosto, rubello, & vino granatorum macerato. Foris anteriori ventris regioni impositum est sequens Cerotum.

℞. *Laudani.* ℥jß.
Olei Cydoniorum ℥j.
Sumach. Balaust.
Anthoræ. ana. ʒß.
Acaciæ. ʒjß.
M. cum s. q. ceræ & pauculo
Terebinthinæ F. cerotum.

6. Julii repentè vocor, ob novi fluxus impetum, quo lobum grandem, cum lancinationibus diris excrevit, quas vomitus sedavit, sub vesperam atrocius recurrit; ita ut morti proxima haberetur, ventriculo dolere & ardere incipiente, vomitus lentorum aquosorumque fluxionis impetuosæ finem fecit. Vires cum dejectæ manerent, lac amygdalinum ex aqua chalybeata, in qua parum seminis papaveris albi incoctum fuerat, additis manibus Christi perlatis, C. C. Hæmatite, Corall. rub. Margaritis, præparatis & pulverizatis, suasi. Quo fluxus nonnihil coërcebatur: Somnus somniorum melancholicorum plenus, promovebatur, manentibus extremorum frigiditate, sudore totius corporis frigido, & pulsu sæpè intermittente. Quibus omnibus, restaurantibus quantum licuit, obviam itum est.

7. Julii alvus cita plurimum molestiæ fecit, quo biliosa, acria valdè, egesta sunt, atque bellè exinde habere cepit; & benè 8.9.10. Julii, per cursorem, urinas & literas afferentem, valere relatum est: Solummodo ventre dolore, & biduo jam naturæ beneficio carere, cui sequente potione occursum est.

℞. *Aq. Corrigiolæ.*
Fol. quercus. ana. ℥ijß.
Rheumb. el. ℈ij.
Sennæ. ʒij.
Anisi ʒj. *M. F. infusio per noctem*
Manè calefiant parum, exprimantur.
Colaturæ.

℞. ℥ijß. *addantur.*
Manna el. ʒx.
Rheumb. parum siccati & pulv. ℈ijß.
Syr. rosʃ. solut. ʒvj. *M. F. P.*

Ab hujus usu, alvus cita, omne fluxionis impetuosæ periculum Dei benignitate, sustulit, & porrò bellissimè vixit, sed, ut confirmatiore ab insultibus hujusmodi uteretur valetudine, thermas Grumbacenses, quæ ejusmodi fluxibus plurimum auxiliantur, adiit, easque magno cum valetudinis commodo adhibuit. Anno vero uno integro elapso, cum has aquas denuò repetere constitutum haberet, ecce, præter omnem spem & opinionem, fluxus iste crudelius, quàm unquam, miseram invasit, & viribus cum vitæ dispendio exhausit.

Thermæ Grumbacenses.

OBSERVATIO XLVIII.

Mensium fluxus, & venæ sectio in 8. gestationis mense absque noxa.

NObilis & Clarissimi Viri, Domini Albrecht Fabri, Juris Utriusq; Doctoris, & Reverendissimi Domini, Domini, Johannis Ottonis, Episcopi Augustani, Cancellarii Præcellentissimi, conjunx, corpulenta satis, & plethorica, Anno 1592. cum in 8. gestationis uteri mense versaretur, mensium in somno factam eruptionem non animadvertens, manè, pro consuetudine, sanguinem copiosè misit, fætu vehementer calcitrante, uti ad me perscriptum est, in eam animi perturbationem & metum, quod fætus discrimen paratum opinaretur, incidit, ut nullas penè admitteret consolationes. Verum ordinatis, quæ & fætum & matrem confortarent, residuum gestationis tempus

tempus feliciter complevit, & fœtum vivum, beneque valentem genuit. Eadem Honoratissima matrona Anno 1597. De exuperante mensium fluxu, fœtu in 7. mense, & omnino debili existente conquesta est. Præscripta Tragea confortante, & fluxum nonnihil coërcente.

℞. *Spec. diamarg. cal.* ʒj.
De hyacintho ʒß.
Granorum Kermes ℈j.
Corall. rub. ppt.
Smaragdi præp.
C. C. præp. ana. ℈ß.
Nucis Mosch.
Cinam. acutiss. ana. ℈ij.
Coriandri. præp. ℈j.
Sacch. ros. tabul. ℥iij.
Manuum Christ. Perlat. ℥jß.
M. F. Tragea.

Hac & fomento astringente, cum Unguento Comitissæ adhibito, legitimum pariendi terminum attigit. Hæc, ubi fluxus nulli exorbitantes, dum utero haberet, eveniebant, nisi bis, terve, imò ultimo mense sanguinem misisset, semper cum difficultate, & fœtuum periculo, enixa esset. Taceo asthmata, febres ardentes acutissimas, quas medio gestationis tempore ut plurimum perpessa est; quæ tamen sine temporis conceptus observatione, per missionem sanguinis, & purgationem, aliquoties feliciter, Dei auxilio, & sedula cura, depulsa sunt.

℞. *Mannæ electæ Aq. Buloss. vel Caponis dissol.* ℥ij.
Syr. ros. solut.
De Rheumb. an. ʒvj. *M. F. potio.*

Eadem Anno 1599. asthmate suffocante correpta priore, vel simili penè propinato medicamento, & vena in 7. mense (uti annò 97.) aperta, exactissimè usque in Octob. habuit, quo symptomata gravissima suffocationis metum attulerunt: Sed frictionibus, ligaturis, & medicamentis alvum ducentibus, 23. Novemb. felici omine, filiolam peperit benè valentem, legitimoque pariendi termino, ex quibus palam est, priores fœtus omnes (quos sexto gravidationis mense plerumque excussit) ob humorum copiam, & uteri angustiam, loco maturius fuisse expulsos.

Therma Grumbacensis.

OBSERVATIO XLIX.

Reiterata purgatio & venæ sectio in prægnante, absque noxa.

HOnoratissima matrona Maria Zechin, Laingana, Viri Spectatissimi Georgii Zechii, compatris mei honorandi conjunx, eodem modo, quando utero habebat, bis, terve purganda, totiesque per venæsectionem, sæpè tertiâ vice, & ultimo quandoque mense vacuanda fuit. His omissis, in, & post puerperia nec ipsa, nec fœtus benè valebant. Historiæ hæ docent. Non καθόλε verum esse: Primis & postremis mensibus, cùm fœtus adhuc tenellus, vel grandior est, à venæ sectione & purgatione abstinendum esse.

OBSERVATIO L.

Insultus convulsivi ex consensu uteri.

ANno 1626. Domini fratris Jeremiæ Majeri consulis Laingani filia Maria, in Marxhann habitans, conquesta est, se antè semiannum terrore inopinato incusso, in ventre illicò tormina percepisse: Auram ab hypochondrio sinistro cum dolore surgentem brachiis & ore motu convulsivo tensis, corruisse, excitatam, quid secum actum esset, nesciisse; ab eo tempore semel cladem hanc expertam esse: Metuere, ne malum hoc, radices agendo, sæpiùs in posterum recurrat, cum brachiis adhuc semper doleat, omnium membrorum lassitudinem sentiat, nausea, cum purgatione menstruâ abolitâ, persistat: Ordinata victus ratione decente, sequentia suasi:

℞. *Specierum hieræ. s.* ʒß.
Castorei.
Asafætidæ. ana. ℈ß.
Ammoniaci.
Opoponacis ana. gr. xv.
Galbani gr. v.
Cinamomi ℈ß.
Croci gr. iiij. *M. cum Aq.*
Artemisiæ F. pillulæ. num. xxv. deaurentur. Sumantur 5. vel 6. pro vice. Repetantur singulis 8. diebus.

Interjectis diebus his, cum Aqua seq. utatur pulvillo hoc, qui

℞. *Faculæ bryoniæ.* ℈j.
Salis artemisiæ ℈ß. M.
Dentur ad chartam pro una, & sic pro 5. dosibus.

℞. *Aq. Artemisiæ.*
Pulegii. ana. ℥iij.
Cinam. ℥j. M.

Umbilico seq. Emplastrum imponendum curavi perpetuò gestandum.

℞. *Emplastri de Galbano* ʒvj.
Magnetis in pollinem redacti ʒj.
M. malaxentur cum oleo
Castorei F. emplastrum inducatur corio.

Horum adminiculo biennio jam ab omni formidine & insultu, liberam se, Dei beneficio & gratia, fatetur, &c. Hactenus Clariss. *Merclinus*: Lubet colophonidis gratiâ adhuc sequentem Observationem singularem à nobis anno superiori 1627. hîc annotatam subjicere.

OBSERVATIO LI.

Admirabilis sternutatio diuturna inpuella.

P*Vella XI. circiter annorum ætatis, constitutione corporis tenerior, sub initium anni currentis M. DC. XXVIII. in hæmorrhagiam narium incidit; Hâc subsistente sternutatio subsequitur per dies aliquot, certis intervallis magnis conatibus affligens.*

RESOLUTIO.

Sternutatio quid & quotuplex.

QUanquam *sternutatio* non rarò naturæ opus dicatur, non immeritò tamen ad symptomata præter naturam quoque reducitur, cum nihil aliud esse videatur, quam cerebri motus depravatus, cum vehementissimâ efflatione per nares erumpente, quæ oritur ab expultrice facultate per causam quandam mordacem circa nares & anteriores cerebri partes irritatâ, cooperantibus thoraeis & capitis musculis, sicut ex *Gal. lib.* 2. *de sympt. caus. cap.* 4. colligitur. Quandoquidem verò sternutamenta communiter commoda sua secum adferunt, dum caput & cerebrum repurgant, & morbo concocto supervenientia, naturæ robur indicant. Idcirco de correctione communiter accidentium non admodum solliciti sumus. At fieri potest, rarò licet, *ut periculosum sit hoc symptoma*, non tantùm in omnibus pulmonis morbis, ut habet *Hippoc. in Progn.* sed etiam sui ratione, propter causæ gravitatem, quâ ratione *Cardan. libr.* 4. *Aph.* 45. juvenem permultis inanibus sternutamentis affectum, die subsequenti Comitiali morbo periisse, nec non senem sexagenarium, post multa signa mali affecti cerebri, cum longo morbo decubuisset, manè fortè viginti quinque vicibus leviter & inani effectu sternutasse, & tertiâ die pòst mortuum fuisse refert. Imò fieri potest, ut *aliquid præter naturam circa partes capitis anteriores* retentum, sternutamentum moveat molestissimum, tam diu, quàm diu causa molestans ibidem detinetur, quod apud *Alex. Bened. l.*4. *de curan. morb. c.* 4. memorabile est, de quodam Græco, qui vulneratus circa tempora per sagittam, post annos viginti quinque, concitatis supra modum sternutamentis, magno pruritu, inter maximos conatus, è naribus sagittæ frustam, digiti medii longitudine, ferrea acie rejecit, *Ex acri quoque catarrho* molestas sternutationes continuas obortas fuisse testatur *Forestus lib.* 3. *observat.* 127. quæ nullo modo leniri potuerunt, donec ipse rogatus id consilii commucicaret, ut lac tepidum sæpius per nares attraheretur, quo ter quaterve facto, miraculi instar, omnis sternutatio dissipata fuit, salsedine catarrhi facultatem expultricem stimulante, taliter temperatâ, ejusque acrimoniâ correctâ. *Sic habitualem & contumacem* sternutationem observavit *Amatus Lusitanus, cent.*4. *curat.*3. in juvene viginti annorum, naturâ bilioso, sanguinem crassum admodum habente, cujus vapores calidi ad caput delati sternutamenta gignebant, à quibus infestabatur, angustabatur & perturbabatur caput, juxta *Hipp. in Aph.*51. *l.*7. ubi generatio sternutationis proponitur, quem venæsectione, refrigerantibus & evacuantibus, unà cum Emplastro medullæ cucurbitæ, farinę hordei, portulacę pauxillo, ovorum aliquòt vitellis, ol. rosar. aceto, &c. capiti adhibito, nec non per nares ol. rosar. de cucurb. & Nymphæę attracto, restituit, & ab hac molestia liberavit. *Varia sternutationis vehementioris remedia proponit Forestus citato loco, & ante eum Paulus Ægineta l.*3. *c.*24. Et alii quoq; veterum, quos *Amatus in scholio suæ observationis* conjungit. *Nostram observationem quod attinet*, quanquã primò contumax symptoma videretur, ita ut aliquando centies, ferè continuo magno conatu, totiusque concussione, sternutamentum prehenderet, nihil vel parum juvantibus localibus, utpote lacte solitariè, tum etiam cũ mucilagine sem: cydon: psyll. nec non oleo amygd. dulc. & similibus ad nares attracto, capitis vertici sacculis ex roborantibus & siccantibus impositis, ipsisq; pedibus balneis ex herbis digerentibus & attrahentib. ordinatis, &c. Tandem tamen mitius reddebatur, ubi primò, pillulis communibus ventriculus, ac postea clystere acriore venter infimus à saburra copiosa plurimùm exonerabatur. Dum autem malũ hoc *Hæmorrhagia frequens narium* præcessisset, eaque non à copia, sed potius acrimonia peccante sanguinis oborta fuisset, concludendum sanè sanguinis istius acrioris aliquid in anterioribus membranosis cerebri partibus substitisse, temporibusque certis, ob exhalationes ex cacochymia ventris infimi sublatas, expultricẽ facultatem irritasse tamdiu, donec correctâ causâ antecedente, capitis repletio pedetentim vi caloris nativi cõsumpta fuerit, &c.

Commoda sternutationis consueta.

Periculosa sternutatio.

FINIS LIB. V. DE MORBIS MULIERUM.

LIBER SEXTUS

De

MORBIS PUERORUM.

Juxta Hippocratem.

Aph. 24. lib. 3.

Ἐν δὲ τῇσιν ἡλικίῃσι τοιάδε συμβαίνει, τοῖσι μετὰ σμικροῖσι, καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν ἄφθαι, ἔμετοι, βῆχες, ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλοῦ φλεγμοναί, ὤτων ὑγρότητες.

CUm ætatum ratione maximam corpora nostra mutationem subeant, mirum non est, quod sub initium hujus aphorismi dicit Hippocrates, dum incipit; *secundum ætatem talia accidunt*, pergens ad puerorum morbos, quos primo recensete orum respectu, qui parvi ac *nuper nati* dicuntur, in comparatione ad eos, qui *dentitionis* tempus attingunt.

Nuper natorum morbi.

QUÆS-

QUÆSTIO I.

An morbi secundum ætatem fiant?

VIdetur *Negativa probabilis:* 1. Quia ætatum mutatio naturalis est; at quæ secundum naturam sunt, morbos non producunt. 2. Quia ætas est signum mutationis: At quod habet rationem Signi, non protinus quoque causę rationem obtinet. 3. Quia ætas est determinatio temporis, quæ per se non agit. 4. Quia temperamentum ætatis non differt à temperamento nativo. *Vide Mercat. de Temp. q. 45.* 5. Quia morbifica causa antecedens mutat ætatis proprietates. *Sed cum ætatis ratione* corporis constitutio varietur, atque eam ob causam, prout corpus tale vel tale redditur; idipsum eò magis ad hos vel illos morbos dispositum sit, idcirco manifestum est Hippocratis assertionem veritati consentaneam esse. *Quoad instantias prædictas respondemus.* Ad 1. ætas non per se producit morbos, sed aliis causis concurrentibus, quæ dispositionem præter naturam in hâc vel illa ætate citius producunt. Ad 2. & causa & signum coincidere possunt. Ad 3. agit, quatenus motum includit. Ad 4. respectu fundamenti & radicis. Ad 5. conceditur, quando violentia causæ externæ concurrit.

1. Oris ulcera ἄφθαι. His *oris ulcera* primò frequenter accidere statuit, ἄφθαι Græcis dicuntur, ob mollitiem faucium & lactis acrimoniam oborta superficialiter, quæ oris constrictionem & lactis suctionem impediunt, cui malo circa principium *butyrum recens*, item *amylum ex aqua rosarum dilutum, lac chalybeatum, pulvis rosarum siccarum, cum syr. rosato*, & collutio decoctionis *rad. buglossæ recent.* convenit; non neglectis iis, quæ ad lactis correctionem faciunt, vel nutrice mutatâ, vel lacte ejus frigidis humidis remediis ac cibariis alterato, cavendo ne salsis aut acutis, aut serosis alimentis utatur, præterea cassia, Tamarindis, & syr. violaceo purgetur.

QUÆSTIO II.

An Butyrum conveniat in Aphthis.

AFfirmatur *idipsum*, quatenus Aphthæ in principio considerantur. *Sed dubitatur*, 1. Propterea quod pinguia reddant ulcera sordida: 2. Imò caliditate sua inflammationem augere possunt: 3. Nec etiam convenientiam cum reliquis medicamentis enumeratis habere videntur. *Verum nota*, quod 1. procedat in ulceribus profundis, ubi detergendum est: 2. Deinde Butyrum recens temperatum adhuc statuitur, propter serosam humiditatem adhuc permistam: 3. Nec obstat, quod reliqua medicamenta sint aliarum qualitatum, quia in progressu magis detergendum & exiccandum est.

Succedens inflammatio. 2. Quod si progrediatur malum ad oris, ejusque partium inflammationem, per temperatam collutionem sequentèm naturæ succurrendum quæ *recepit qassular. min. dactylor. caricar. ping. ana* ℥ß. *hordei mundi. furfur. an.* M ß. *sem. Cydonior.* ʒiij. fiat decoctio in lib. j. aq. ad tertias, coletur, & adde mellis rosati colati ℥j. Misce, & cotone decoctione hac imbuto partes læsas frequenter fove.

QUÆSTIO III.

An Mel rosatum conveniat in oris inflammationibus.

AFfirmatur, propterea, quod medicamenta, quibus admiscetur, respectu *mellis*, vim abstergendi & respectu *rosarum*, vim refrigerandi adipiscantur. *Contra dubitatur:* Propter mellis qualitatem calefacientem & igneam: 2. Tum quod promptè in bilem vertatur: Tum quod pituitosis affectibus mel rosatum conveniens potius sit. *Sed respondeo*, ad 1. calefacientem mellis qualitatem per rosas temperari, quò cum refrigeratione detergendi vim acquirat: Unde etiam in bilem non tam facilè convertitur, ac si solum esset: 3. Imò phlegmatis affluxus hîc jungitur.

3. Exulceratæ verò partes, his præmissis, detergantur hordei decocto chalybeato cum melle rosato permisto, post ad cicatricem ducantur decoctione sequenti, quæ *recipit aq. plantaginis, bursæ pastoris vini albi ana.* ℥iij. *Aluminis usti.* ʒj. *Mellis rosati colati* ℥j. *Misce.*

Uvulæ prolongatio. Non autem negligendum in hoc casu, si *Columellæ prolongatio cum inflammatione* conjungatur, ut in decoctis detergentibus astringentia augeantur, & coronali suturæ *Emplastrum ex Acacia, cum aceto & gallis ustis, addito unguento rosato* q. s. suspensionis ergo applicetur.

2. Vomitiones. Porrò puerorum morbis annumerantur ἔμετοι, *vomitiones* quæ ventriculi, vel lactis causa fiunt, quatenus ventriculus ipse, assuetus ob novitatem operationis, ad alterationem lactis non sufficit, vel quatenus lac ipsum serosum in ventriculo citò coagulatur, aut alio modo peccat: *si prius*, sensim infans lactetur, ne copia nimia ventriculus obruatur; exterius pro corroboratione *Empl. de crusta pan.* Montagnanæ, cum inunctione *Ol. Cydoniorum, & nucis moschatæ* applicetur, & pultes cum lacte chalybeato, pauxillo de Cornu Cerv. usto & præparato addito, conficiantur; *Ceratum* quoque *stomachicum ex Thure, Mastiche, Coriandro, Caryophillis, &c.* cum *oleo myrtino* exceptis, & cerâ ac resinâ justo modo præparatis, commodè præscribi potest: *Si posterius*, nutrici prospiciatur, ut lac ipsum conveniens reddatur.

QUÆSTIO IV.

Cur pueri frequenter vomitiones & singultus habeant?

REspondet *Mercurialis lib. de Morb. Puer.* quia ventriculum maximè laxum & humidum obtinent: imò nihil etiam expuunt, nec per nares ita promptè, more adultorum, dejicitur, unde phlegma magis in ventriculo cumulatur. *At posita tali causa*, videntur insufficientes causæ, quæ à nobis proponuntur, utpote potius externæ, quam internæ. *Sed nota*, quod affectus considerari possit, prout est in facto tantum, & prout adhuc est in fieri: hujus respectu procedit causa posita, non exclusis instantiis, quæ de morbo facto concludunt.

3. Tussis. Tertio loco ponuntur βῆχες, *tussiculæ*, quæ frequenter pueris accidunt, ob aëris imprimisque frigidi, insuetam

suetam inspirationem, quâ thoracis partes exasperantur, inprimis, ubi ex eadem causa capitis *humiditas resoluta* destillat, & pectus gravat. Hinc igitur exterius *pectoris inunctio ex ol. amygd. dulcium* conveniet: interius si materia affluxa viscosior conjuncta est, *succus raphani* succulenti cum Sacch. cand. alb. pulverisato, strato super stratum facto, per noctem extractus, cochleariis dimidii quantitate frequenter infundatur. Imò & oleum amygd. dulc. cum sacchar. penidio parumper permistum & lambendo sumptū convenit: pomum excavatum sacch. cand. quoque repletum, & pauxillo croci addito assatum, postea, pultis instar adhibitum laudatur: sunt qui Aliptam moschatam cum lacte exhibent, imprimis ubi vomitiones junguntur.

QVÆSTIO V.

An capitis humiditas à frigido aëre resolvatur.

Affirmamus id ipsum, quatenus calida humida constitutio capitis accedente frigore externo promptè fluxiones resolutas ad emunctoria demittit, vi frigoris roridâ humiditate in liquorem resolutâ. *Sed obstat*, 1. quod frigiditas condenset: 2. quod destillationes in febribus frequentes ob resolutionem à calore factam oriantur, 3. quod resolutio humiditatis attenuationem præsupponat, quæ non à frigido peragitur. *Verum respondemus:* 1. nihil obstat, quod frigus condenset, scilicet roridam humiditatem magis colligendo: 2. imo etiam est alius generationis modus, ubi in febribus calor pituitosos humores solvit, imbecillitate digestionis simul accedente: 3. Humiditatis crassioris attenuatio præsupponitur, non autem roridæ.

QVÆSTIO VI.

An pectoris inunctio conveniat in tussi?

Negativa videtur probabilis: 1. quia omnis inunctio poros cutis obstruit: 2. nec etiam vis linimenti pectoris ad ima penetrat: 3. ne quid dicam de ipsâ inunctionis frictione calidâ, quâ magis ad locum affectum affluxus trahitur. *Sed potius affirmativam retinemus*, quatenus ejusmodi linimenta vim emolliendi, digerendi, dissipandique possident. *Hinc igitur* ad 1. respondemus, inunctionem actu frigidam poros cutis obturare, minimè verò, quæ actu & potentiâ calida. Ad 2. sufficit, ut naturam juvet, quò citius ad externa per occultam etiam transpirationem peccantem materiam promoveat. Ad 3. conceditur, quandam attractionem fieri, sed ad exteriora, partemque sanam.

4. Pervigilia. Quarto loco sunt ἀγρυπνίαι quæ eo minus negligendæ veniunt, quo magis somni abundantia pueris secundum naturam convenit. Si igitur ob lactis vitiosi vapores acres ad caput ascendentes proveniunt, corrigatur lac, victus ratione convenienti nutrici præscriptâ, cui juscula post cacochymiam & plethoram correctam, ex *lactuca, portulaca, seminibusque papaveris albi* præscribantur. Imò pueris etiam ipsis ad exhalationes ascendentes impediendas pauxillum *syrup. papav.* cum *violarum syr.* permixti concedatur, & *ol. violar. cum pauxillo croci*, aut *ol. anethi cum succo lactucæ* permistum, ad nares & tempora præscribantur. Quod si propter dolores internos, vel alias causas, impedimentum somni accidat, ad causas illas pervigiliam per accidens introducentes respiciendum est: ita tormina ventris somnum impedientia *pul. anisi* scrupulus cum cochleari pultis permistus & exhibitus corrigit.

QVÆSTIO VII.

An crocus in pervigiliâ conveniat?

Videtur Negativa probabilis. 1. quia crocus vim calefaciendi, siccandique possidet: 2. imo sensus excitat: 3. nec non spirituum mobilitatem introducit: unde cor recreare dicitur. *Sed nota*, quod solus non præscribatur in hoc casu, sed permixtus cum syrupo refrigerante, cui penetrationem addit. *Quanquam igitur vim calefaciendi, siccandique* possideat solus, permistus tamen cum aliis citius vaporibus gratis excitatis, somnum conciliat: hinc ergo per se solus sensus excitat: 3. & cum cordialibus calidis, non autem frigidis, permistus, mobilitatem spiritibus introducendo, cor recreat.

5. Pavores. Quintò φόβοι, *Pavores* numerantur, illi scilicet, qui fiunt, quando vitiosi humores in copia ventriculum gravant, ejusque orificium mordent, sublatis sursum tetris vaporibus, quibus ob spirituum perturbationem phantasia terrifica fingit simulacra. Quò autem ea, quæ difficilioris concoctionis sunt, facilius concoquantur, & quod corruptum est ac secretum, ad alvum præcipitetur, idcircò sæpiùs aliquid *de syr. cort. citri*, ubi calidior intemperies adest, vel de *syr. Absinthii*, exhibeatur non neglecto *syr. rosar. solut. simplici*, quibus ventriculus roboratur, & natura in expellendo juvatur, inprimis si somnus in adultioribus mox à cibo caveatur.

QVÆSTIO VIII.

An Absinthium conveniat in pavoribus puerorum?

Affirmamus id ipsum, ea ratione quatenus Absinthii succus cum saccharo temperatus antecedenti causæ, nimirum corruptioni ciborum, in ventriculo convenit. *Nec obstat*, quod Absinthium caput gravare dicatur; quod calefaciendo exhalationes augere queat; quod somnum ante tempus, hîc maximè noxium, introducat: etenim primam noxam corrigit additio sacchari, dum in syrupum præparatur, unde 2. justo modo & tempore usurpatum altera quoque noxa non timenda; 3. nec non somnus intempestivus hîc minimè verendus, utpote cujus causam corrigit.

6. Umbilici inflammationes. Sextò ὀμφαλοῦ φλεγμοναὶ, propter resectionem umbilici, primus diebus interdum oboriuntur, parte dictâ dolente, & sanguinem attrahente, tunc temporis potissimùm, cum obstetrices parum circumspectè agunt, in quo casu nutrix ante omnia victum refrigerantem & humectan-

mectantem eligat, puero vero exterius *Ol. Rosarum cum Ol. Lumbricorum permistum* supra umbilicum adhibeatur, donec inflammatio remittat, ubi *Chamamelinum*, ac tandem etiam *Anethinum*, discutiendi gratia, addatur: *Mastix* etiam pulverisata, & cum albumine ovi pro Emplastri forma umbilico imposita, pro ulteriori exiccatione materiæ, commodùm interdictum præscribitur.

QVÆSTIO IX.

Anoleum lumbricorum conveniat in inflammatione Umbilici?

D*Vbitabit aliquis*, propterea, quod aliàs in frigidis nervorum affectibus præscribi soleat, unde timebit, ne caliditate suâ majorem inflammationem reddat. *Sed nota*, quod oleum Lumbricorum, cum oleo rosar. permistum, inflammationem temperet, & umbilici nervosæ substantiæ conveniat. Unde nihil obstat, etiamsi solitariè sumptum calefaciat, & inflammationem augere possit.

7. Aurium humiditates.

Ultimò ponuntur ὤτων ὑγρότητες, aurium humiditates, & fluxiones, ob magnam cerebri humiditatem & impuritatem, quam natura sufficienter in puerulis per os & nares evacuare non potest. Tales fluxiones aliquandiu naturæ committendæ, propterea, quod ad cerebri evacuationem facient, nisi dolor cum inflammatione concurrat, ubi *candidum ovi cum lacte mulieris subactum* & instillatum commendatur: juvat & anserinus adeps cum butyro recenti, lacteque muliebri permistus, imprimis ubi fluens materia acrior est. Quod si cerebrum sat evacuatum videatur, aures corroborentur lana pura, mollique, sæpius in vino cum alumine dissoluto madefacta, & vicissim exiccata, & in cavitates aurium frustulatim, turundarum instar, adhibita.

QVÆSTIO X.

Cur Hippocrates mentionem facit humiditatum aurium, non narium & palati?

A*N quia* narium & palati excretiones sunt naturales; at aurium morbosæ, quod Galenus innuit? *an verò, quod Mercurialis* addit, quia per aures coactè, morbificâ scilicet materiâ naturam stimulante, & non sponte, sicuti per nares atque palatum fiant?

QVÆSTIO XI.

An albumen ovi conveniat in inflammatione aurium.

D*Vbitari potest*, propterea, 1. quod habeat vim repellendi: nec non 2. facultatem expultricem impediat: 3. adde quod materia producens inflammationem potius calida humida resolventia requirere videatur. *Sed cum vehemens aurium dolor* lenitivum aliquod necessariò requirat, candidum ovi cum lacte mulieris subactum approbamus, cui modicam repellendi vim concedimus, respiciendo majorem affluxum, qui ratione doloris perseverantis aliàs fieri solet. Imò facultatem expultricem in materia pauca non impediendam esse statuimus; at ubi magnus affluxus, non tantùm ad humores affluxos, sed etiam ad affluendos respiciendum est, qua ratione tertia instantia facilimè quoque solvitur, ubi materia parti laboranti jam impacta resolvendum atque attenuandum esse indicat; non autem ea, quæ adhuc in fluxu est.

Aphor. 25.

Πρὸς δὲ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν οὔλων ὀδαξυσμοί, πυρετοί, σπασμοί, διάρροιαι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀνάγωσι τοὺς κυνόδοντας, καὶ τοῖσι παχυτάτοισι τῶν παίδων, καὶ τοῖσι σκληρὰς τὰς κοιλίας ἔχουσι.

Morbi puerorum tempore dentitionis.

Morbis nuper natorum determinatis progreditur Hippocrates ad dentitionis tempus, quod plerumque circa septimum mensem incipit, quamvis interdum celerius, aliis tardius dentes erumpant.

1. Pruritus gingivarū.

Hîc primò ponuntur οὔλων ὀδαξισμοί, *pruritus gingivarum* molesti, qui fiunt, quando dentes progressu suo gingivas vellicant, quam ob causam ea, quæ faciunt ad faciliorem egressum, & ad temperandum dolorem, plurimum inserviunt, ut sunt *butyrum recens* cum melle & cerebri leporini portione commixtum, & gingivis illitum; exterius etiam maxillis & collo *ol. amygdalarum dulcium* frequenter inunctum non parum naturam adjuvabit.

Ad Aphor. 25.

QVÆSTIO I.

An cerebrum leporinum conveniat in dentitione.

A*Ffirmatur ab Experientia*: fitque quod frigiditate calorem gingivarum temperet, vel quod astrictione partes illas roboret, vel quod specifica proprietate tale quid peragat. *Verum dubitari potest*, propterea, quod hîc potius vis attenuandi calida, quam adstrictoria frigida requiratur, utpote cum dentium egressus juvari debeat iisdem: ubi respondemus, temperatè frigida, modiceque astringentia naturam roborare, quò calor hoc modo temperiem nactus commodius operationem suam perficere possit.

1. Febres.

His πυρετοί, *febres*, subjiciuntur, quæ facilimè fiunt, quando dentitionis tempore, propter stimulantem & vellicantem pruritum, & continuatum dolorem, ac pervigilias, ob copiam caliditatis & humiditatis, quæ puerorum est, inflammationes suboriuntur. Hîc ante omnia *dentitio* & *pruritus* respicienda veniunt, tanquam causæ foventes: dein *febris ipsa* regimen Nutricis indicat, ut vescatur cibis euchymis, humectantibus ac refrigerantibus, non neglectis, quæ pueris exhiberi queunt, ut sunt *Julapium rosarum*, *violarum*, *ptisana vulgaris*, *&c.* cum *Cornu Cerv. usto præparato*, & caloris, & putredinis temperandæ causa *syr. acetositatis citri*, *granator acidor. de Agresta*, pro reprimendis & sistendis febrilibus exhalationibus lambendo sumpti.

An pueri calidi & humidi? V. Mercatū de temp. q. 57.

QVÆSTIO II.

An febris omnis generis in pueris fieri possit?

NEgare videtur Hipp. sub finem lib. de Nat. humana, ubi Quartanam pueris denegat. Sed notat *Mercurial. lib. 2. de morb. puerorum cap. 1.* quod pueris propter temperamentum nativum Synochus maximè familiaris, quantumvis reliquæ febrium differentiæ per accidens etiam oriri queant.

QVÆSTIO III.

An pueris febricitantibus sanguis mittendus?

AFfirmat Rhases de peste cap. 4. post quintum mensem cucurbitulas apponi posse, quod pluribus deducit *Pros. Alpinus lib. 2. de Medicina Ægypt. cap. 5.* Contra negat *Avicenna 4. 1. doct. 5. cap. 21.* ne fiat ante annum. *Mercurialis* loco citato Principis assertionem approbat & dicit, se etiam post annum pueris cucurbitulas apposuisse, sed 1. Sanguinei sint & robusti; 2. apponanturque duntaxat cruribus, quia sanguis ibidem non ita viribus incommodat. 3. neq. ultra ℥j. vel ij. evacuetur.

3. *Convulsiones.*

Convulsiones porrò frequentes hoc tempore incidunt, inprimis cum prædictis febribus, quatenus crudi humores liquantur, & ad partes nervosas huic ætati debiles rapiuntur, unde repletis nervis contorsio ad principium suum oritur: hinc *Epilepsia* pueris familiaris, potissimum ubi, præter causam prædictam, facilis & prompta cruditatum collectio, & lactis in ventriculo corruptio perpenditur. Hîc nimia repletio caveatur, & ventriculus multitudine oppressus interdum digito, vel pennâ oleo intinctâ, ad vomitum irritetur: exterius ad regionem cartilaginis ensiformis in pectore suspendatur sacculus, cum *rad. pæoniæ mar. viridis*, si haberi potest, & unà cum seminibus ejusdem contusis appendatur: Interius exhibeatur *syr. de betonica, de stæchade, de cort. citri, &c.* cùm aliquot guttis *spir. vitriol. ex Marte* præparati, ad amicam aciditatem permixti: *Spir.* etiam *cerasorum nigrorum*, cum *aq. ex floribus tiliæ* destillata, &c. de quibus etiam in ipsa accessione pauxillum exhibeatur, non neglectis aliis à paroxysmo liberantibus, ut est *ruta cum aceto trita*, naribusq; apposita, *succini balsamus* naribus & vertici inunctus, extremorum ex *ol. amygdal. dulcium* frictio, &c.

QVÆSTIO IV.

An pueris convulsio ex repletione accidat?

VIdetur Negativa probabilis: 1. quia nervi mollissimi materiæ affluenti cedere possunt: 2. hinc potius Paralysis, quàm convulsio ex dictâ causâ fieri debebat. 3. adde quod nervorum debilitas convulsionis generationem impedire videatur: *Affirmationem asserimus*, de levi & momentanea convulsione, quæ nec ex siccitate, nec ex malignitate deduci potest, *Hinc respondemus* ad 1. quamvis mollissimi sint nervi, non tamen in immensum cedere queunt: ad 2. concedimus similitudinem, quam tamen in pueris convulsivam potius, quam paralyticam dicimus: ad 3. prout nervi adhuc sunt debiles, sic etiam convulsio levior & minus dolorifica fit.

QVÆSTIO V.

An Epilepsia sit à materia obstruente cruditatum? Vide Problemata Medica, Dec. 2.

QVÆSTIO VI.

An coctio melior sit tempore vigiliæ, quam tempore somni? Vide lib. 2. de Nat. hum. Exerc. 8. q. 9.

4. *Diarrhæa.*

Tandem *diarrhæa* ponuntur in hac ætate, quæ fiunt propter crudarum humiditatum abundantiam, *ob vigilias*, inquietudinem, æstum febrilem, dolorem gingivarum, & alias causas, coctione læsâ: quapropter naturâ lassatâ humores qua data porta ruunt, unde dentitionis tempore frequens hoc est. Talia alvi profluvia non facilè sistenda sunt, propterea quod ejusmodi pueri minus convulsionibus obnoxii sint aliis, quibus alvus durior; quique crassioris constitutionis, quos eam ob causam, maximè cum caninos dentes, ob acutiem dolores vehementiores introducentes edunt, prædictis morbis obnoxios statuit *Hippocrates*. Quod si propter continuas dejectiones virium lapsus timendus, necessum est, ut naturæ succurramus, exhibito *lacte ad tertias cocto & chalybeato, syrupo Myrtino. de rosis siccis, de cydoniis, de summitatibus fol. querc. &c.* exterius *ol. cydoniorũ* inungatur venter, apposito simul *emplastro de crusta panis*, vel ex *pulvere glandium* cum melle fiat emplastrum lento igne, quod extra in linteo circa regionem umbilici apponatur.

Aphor. 26.

Πρεσβυτέροισι δὲ γενομένοισι παρίσθμια, σπονδύλου τοῦ κατὰ τὸ ἰνίον εἴσω ὤσιες, ἄσθματα, λιθιάσιες, ἕλμινθες στρογγύλαι, ἀσκαρίδες, ἀκροχορδόνες, σατυριασμοὶ, στραγγουρίαι, χοιράδες, καὶ τ᾽ ἄλλα φύματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

Morbi puerorum.

Porrò paulum ætate procedente morbi alii à dentitionis tempore usque ad pubertatem referuntur, qui omnes generalem habent causam, quatenus in toto superabundat humiditas, quæ prius sopita quasi, jam nonnihil calefacta, turgere incipit, quatenus à calore concitato movetur, qui potentius superflua expellere conatur, accedente simul meatuum & vasorum majori dilatatione. Generantur a. hic primo *παρίσθμια, glandularum circa fauces* (tonsillæ & amygdalæ quibusdam vocantur) *tumores* qui propter fungosam prædictarum partium substantiam ibidem promptè, per fluxiones à cerebro, producuntur, quam ob causam faucium inflammatio, angustia, & per consequens deglutitio & respiratio difficilis oboritur. Hic alvus primò per enema, vel ad minimũ, suppositorio acri ad excernendum irritanda est: dein mox in principiis, si morbus *cum materia pauca*, tenuissimâ victus ratione præscriptâ, talis exhibeatur gargarismus, qui ℞. *Rad. Bistortæ* ℥ß. *Her. plantag. prunellæ ana* Mj. *fol. querc.* Mß. *Fl. Balaust. rosar. rubr. ana* Mß. *coq. in s. q. aq. ad tertias colentur.* ℔ß. *adde Rob. nucum, Diamoron ana* ℥vj. Misce. Exterius fiat inunctio cum *ol. amygdal. dulc.*

1. *παρίσθμια.*

dulc. rosaceo permixtis. Quod si malum sit *cum materia multa*, ita ut suppuratio sit expectanda, præter universalia, natura est juvanda per gargarismos ex *decocto caricar: sem. altheæ, &c.* exteriusque *cataplasmata ex hordeacea farina, fœnugræco, cum decocto caricar. altheæ & melle confecta* non omittantur.

Ad Aph. 26.

QVÆSTIO I.

CVr παρίσθμια ponuntur tantum post dentitionis tempus ab Hippocrate? ℞. *Galenus*, quoniam tam gravia sunt, ut statim inprima ætate jugulent. Addit *Mercurialis*, quod infantibus non fiat attractio tàm copiosa ad eas partes: vel si fit, retinetur materia, cum ad generationem hujus affectus requiratur, ut materia impetu quodam fluat, & etiam retineatur.

QVÆSTIO II.

An Enemata conveniant pueris in inflammatione amygdalarum.

NEgatur *propterea*, 1. quod operatio clysteris ad locum affectum pervenire nequeat: 2. quod usus enematis periculosus videatur, ob tenuitatem intestinorum in pueris: 3. quod materia pauca particularis inflammationis non indicet præservationem totius. *Verum cum eò allaborandum*, ut ulterior affluxus præcaveatur, & ad inferiora fiat revulsio, potius affirmativam defendimus, ad instantias respondendo, nimirum ad 1. nihil obstare, quia nihilominus affluxus major prohibetur: 2. nec etiam periculum aliquod timendum in clysteribus lenibus: 3. imo ex pauca materia multa fieri potest, inprimis alvi obstructionibus concurrentibus.

2. Luxatio vertebrarũ cervicis ad interiora.

Cæterùm ubi musculi vicini glandulis circa linguæ radicem inflammatis contrahuntur, σπονδύλε τῦ κατὰ τὸ ἰνίον εἴσω ὤσιες, vertebræ, quæ in occipitio est, ad interiora, luxationes fiunt, ubi ligamentis per fluxionem laxatis ossa distorquentur, unde ciborum deglutitio & aëris attractio impediuntur, fitque tandem *Anginæ species*, in qua cavitas quædam in cervice apparet, quæ sat periculosa est, quam ob causam providendum in principio, ne tale *quid oriatur.*

QVÆSTIO III.

An inflammatio possit esse causa luxationis.

NEgatur, quia 1. luxatio & inflammatio genere differunt, cum hæc sit intemperies, illa mala conformatio: quia 2. inflammatio nihil indicat in luxatione: quia 3. curatio inflammationis nihil facit ad curandam luxationem. *Sed affirmativam approbamus*, quatenus ex accidenti propter vicinas partes inflammatas fit affluxus ad tendines & ligamenta, quem luxatio facilimè sequitur. *Ergo ad 1. respondemus*, inflammationem per accidens luxationis causam esse posse: unde, *ad 2.* indicat tanquam causa sine qua non, quamdiu præsens est: & ita, *ad 3.* per se quidem non inservit, curatio inflammationis, per accidens tamen necessaria est, tanquam restitutionis impedimentum, quod removendum venit.

3. Asthmata.

Tertio loco ponuntur ἄσθματα: fiunt enim pueri in hac ætate *anhelosi & asthmatici*, per influxum crudi humoris è cerebro ad pulmones destillantis; ubi prospiciendum, ne per intemperantiam materia peccans ulterius augeatur, ideoq; catarrho, si adest, exiccantia & avertentia: materiæ collectæ verò præparantia & evacuantia præscribantur, hinc in tali casu convenit pulvis pro fumo ex *Mastiche, Tacamahaca & olibano*, manè vesperique suffimigii instar in cubiculo & pro lectis usurpatus: materia præparetur & incidatur *syrupo de hispidula, de Injubis, de hyssopo*, nisi calor aliquis jungatur, ubi de *syrup. violar. papav. errat. portulacæ* & similibus aliquid admisceri potest. Quod si insufficientia fuerint dicta, ad *oxymel. de Peto vel Nicotiana* progrediendum est, quod incidendi & per vomitum evacuandi vim insignem obtinet, quam ob causam cautè & in adultioribus potissimum usurpari debet. Exterius ex cœpis assatis & ping. gallinarum contusis linimentum pectori inunctum commendatur.

QVÆSTIO IV.

An Syrupus de Hispidula in Asthmate puerorum conveniat?

V*Idetur obstare, quod* 1. Hispidula herba, aliàs etiam pes cati dictus, vim astrictoriam habeat, cùm tamen hîc aperiendum & attenuandum esse videatur: *adde* 2. quod ad consolidationem Unitatis in pulmonum exulceratione inserviat, quæ tamen hic in pueris minimè timenda: *tandem*, quia materiam viscidam nec præparare, nec attenuare potest. *At verò quod Syrupus hic* maximè faciat ad pectorales affectus experientia confirmat, de quo *Ronodæus in Dispensat. Pharm.* videatur. *Nota verò quoad instantias*: ad 1. quod vis illa adstrictoria per alia temperetur, ita ut eò melius pulmonum corroborationi succurrat: hinc ad 2. respondemus solutionem unitatis eò melius præservari: & quoad 3. digestione per corroborationem visceris viscidam materiam præparari.

4. Calculi dispositiones.

Quarto loco sunt λιθιάσιες *calculi dispositiones*, nimirum respectu vesicæ, ubi calculus in hac ætate promptè generatur, 1. ob cumulatos ex voracitate puerorum crudos humores, 2. facultatis expultricis robur, & 3. vesicæ meatus angustiam, 4. adjuvante simul calore nativo robustiore. Hic occasio generationis calculi præscindatur, ut sunt importuni motus à cibo, cruditates continuæ, potulenta crassa, cibi viscidi, &c. ac signis calculi futuri notatis (quem frequens stranguria, mictio guttatim facta, sabulumque cum urina profluens innuunt) frequenter adhibeantur jejuno & vacuo ventre balnea decoctionis rad. Altheæ, Her. Malvæ, Meliloti, Chamæmeli, &c. exhibito primum cochleari uno aut altero olei Amygdal. dulcium, cum haustu vini Helenii, vel si calor timendus, cum brodio gallinæ decoct. rad. Petroselini, ut ita laxatis viis, id quod collectum, expellatur, & non facilè de novo quid colligatur, exterius frequenter oleo Scorpionis, pro inunctione, circa membri radicem & pubem usurpato.

QVÆS-

QVÆSTIO V.

An crudi humores sint causa calculi in pueris?

Dubitari potest, propterea quod 1. æquè omnes voraces sint, quanquam non omnes calculo laborent: adde 2. quod cruditas & calor nativus robustior rarò simul sint: imò 3. ipse *Galenus 6. Epid. com. 3. text. 15.* proprietati coagulationis potius id ipsum adscribit. *Sed affirmativam* urina crassior cum sedimento sabuloso puerorum confirmat, *ubi tamen notandum*, ad 1. unam causam non sufficere, sed reliquas etiam esse necessarias: imò 2. cruditas etiam & calor nativus robustior simul esse possunt, quando non justa proportione concurrunt calor concoquens & alimentum: tandem 3. idipsum concedimus, sed reliquis causis non exclusis, quâ de re videantur ea, quæ in *Problematibus nostris, tum etiam in lib. 1. Epistol. Medicinal. Sect. 8. & 9. proponuntur.*

QVÆSTIO VI.

An facultatis expultricis robur etiam in causa esse possit.

Negatur idipsum propterea, quod 1. robur expultricis à calculo preservet: quod 2. expultrix debilitata sit causa mali in senibus: quod 3. in pueris non videatur adesse, quatenus natura est sollicita, ut plurimum retineat, propter incrementum corporis. *Verum contrarium affirmamus*, quatenus ab Officinis concoctionis citius, & ante tempus perfectæ absolutionis, serum cum crudo tartaro secernitur. *Vnde respondemus* ad 1. robur expultricis præservare, respectu renum & vesicæ, at non respectu totius, ante tempus expellendo: sic secunda instantia procedit etiam de viis urinariis atque vesica: quoad 3. verò notandum, quod plurimum alimenti plurimum quoque excrementi relinquat.

5. *Lumbrici.* Quintum locum habent ἕλμινθες lumbrici; quorum productio in hac parte pueritiæ promtior, quam in præcedente humidiore, vel subsequenti ætate sicciori, funtque ex putri materia pituitosa, cui *oiriginem, vitam, alimentumque* debere creduntur; & ponuntur hîc in duplici differentia στρογγύλαι καὶ ἀσκαρίδες, rotundi & ascarides dicti, vermiculi videlicet minores, qui in inferiori crassorum intestinorum parte sese offerunt, voracitatem puerorum subsequentes. Præcisis igitur causis ad generationem vermium inservientibus, & optimâ victus ratione institutâ, respiciendum eò, ut vermes geniti occidantur, vel ad minimum stupidi reddantur, & pòst ex ipso corpore pellantur. Ergo conveniet usus *Oxymelitis, ex melle, aceto acerrimo & absinthii decocto* confecti, *semen* item *Chinæ* sacccharo confectum leviter, & similia, post quorum usum pro expulsione *spec. diaturbith cum Rhab.* quantitas conveniens ex vino absinthii rectè præscribitur, aut *pillulæ* in grandioribus exhibentur, *ex aloë* parte una, *Myrrhæ, Scordii & Dictam. albi* ana parte dimidia, cum syr. absinthii confectæ. Exterius etiam inunctiones Umbilici ex *Cumino* pisto cum *felle tauri*, & in formam linimenti cum *oleo absinthii* redacto, commendatur. Hic nota, quod Ascarides, in remotioribus partibus geniti, remedia inferius adhibenda requirant, ubi fomentum ex decocto *fol. Persicorum & Absinthii*, inunctio etiam prædicta, recti intestini extremitati facta, & vermibus detersis, per usum astringentium intestini ejusdem corroboratio laudatur.

QVÆSTIO VII.

An vermes vitam à materia pituitosa habeant?

Videtur hoc ipsum minus probabile, quia 1. materia non potest habere rationem efficientis: quia 2. calor putredinis nihil generat: quia 3. inanimatum non potest esse causa animati. *Sed contrarium asserimus*, quatenus vermes ex eâdem materiâ geniti augentur, & per eandem conservantur. *Ad dubitationes respondemus*, ad 1. quanquam materia per se non habeat rationem efficientis, facit tamen ad conservationem, calore putredinali concurrente: Ad 2. nec obstat, quod calor putredinalis, quatenus consideramus terminum à quo, nihil generet, qui tamen producit novum aliquid, respectu termini ad quem disponendo: Ad 3. imo potest, quatenus à nativo calore actuatur, cum hîc non univocæ tantùm, sed æquivocæ generationes etiam locum habeant.

6. *Verrucæ pensiles.* Porrò se offerunt ἀκροχορδόνες, *Verrucæ pensiles*, ex materia crassiori, quam calor robustior separavit, & per venarum capillamenta ad corporis superficiem detrusit; cui septimo σατυριασμοὶ, seu *extuberantiæ faciei*, circa glandulas aurium, (Ita interpretatur *Gal. 8. de plac. cap. 6. & lib.* de ling. Hippocr. quem sequitur Cardanus, &c. *Mercurialis* vult priapismum intelligendum esse: *Brassavola & Fuchsius* intelligunt Elephanthiasin; sed falsò, cum non sint puerorum morbi) ob defluentem pituitam incipientes: octavò στραγγουρίαι, ab acri materia provenientes; & nonò χοιράδες, *Strumæ* seu *Scrofulæ*, ex eadem causa circa cervicis glandulas adauctæ; καὶ τὰ ἄλλα φύματα & *alia tubercula* decimò adduntur, quæ omnia caloris nativi, quod heterogeneum est ab homogeneo separantis, indicium præbent, quatenus hac ætate natura robustior inutili humorum copiâ cum sanguine collectâ, vel per acrimoniam, vel pondere stimulata eruptione sub alis, ad inguina, ad aures & in musculorum spaciis sine febri producit. Hic eò respiciendum, ne naturæ motus intempestivè inhibeatur, quam ob causam victus eò dirigatur, ne peccans materia foveatur, sed potius naturam in expellendo juvemus, & ne malum augeatur, præcaveamus.

σατυρι-ασμοί.

8. *Stranguriæ.*

9. *Strumæ.*

10. *Alia tubercula.*

QVÆSTIO VIII.

An strumæ puerorum sint ex pituita?

Hipp. lib de Glandul. affirmare videtur, dum strumas ex copiosâ, glutinosâ & lentâ fluxione fieri statuit. *Celsus lib. 5. cap. 28.* ponit materiam sub cute concretam ex sanguine & pure. Hinc *Plutarch. 2. quæst. conviual. 2.* strumas ex humore sanguineo & calore producit. *Nota ex Mercuriali lib. 1. de morb. puer. cap. 5.* cum glandulæ

glandulæ nutriantur ſang. pituitoſo, patet, quod ſtrumæ proximè fiant à pituita: remotè etiam à ſanguine, cum quo pus interdum commiſcetur, &c.

Coronidis loco notandum, quod huc etiam non incommodè referamus ἐξανθήμασι cum febri, *variolas videlicet & morbillos*, quæ pueritiam potiſſimùm affligunt, cum ſint corporis humani effloreſcentiæ p. n. à vitiis impuri ſanguinis poſtremis menſibus in utero attracti, naturâ profundum expurgante, cum febri prodeuntes; fiuntque ex craſſiori humore ſublimes ſanie repletæ, *Variolæ* dictæ, vel ex tenuiore humore, maculæ latæ, *Morbilli* nuncupati. Utrobique eò reſpiciendum, ut ebullitio & fervor humorum ſiſtatur, natura ſegnior ad expellendum adjuvetur, externæque partes, quantum fieri poteſt, à periculoſis accidentibus defendatur. Horum primum aſſequimur evacuatione lenitiva primarum viarum, ſanguinis evacuatione in grandioribus, inflammationi ac putredini reſiſtentibus: alterum ſedato ſanguinis fervore, per uſum διαφορητικῶν temperatorum, ut ſunt lap. Bezoar. Cor. cerv. uſtum præparatum, Terra ſigillata, ſem. Aquilegiæ, &c. perficitur: tertium conſiſtit in eo, ut oculos, nares, fauces, &c. per ea defendamus, quæ repellendo in principio generationem ἐκθυμάτων in iis partibus præcavent, vel genita temperant, & abſque ſubjectarum partium læſione maturant, de quibus omnibus olim peculiarem συζήτησιν inſtituimus, quam plenius in Germanico Tractatu declaravimus, cujus translationem in Latinam linguam ſubjicere placet.

GREGORII HORSTII, D.

INFORMATIO,

De

Variolis & Morbillis, ex Germanico in Latinum translata.

DE CAUSIS HUIUS MORBI.

Antiquos Medicos morbus hic non latuit.

QUamvis apud Eruditos multum diſputetur, an etiam antiqui Græci Medici hunc morbum cognoverint, cum neque *Hippocr.* neque *Galenus* quidpiam ſingulare de eo ſcripſerint. Nos tamen arbitramur, hanc ægritudinem antiquis ignotam non fuiſſe, & eandem ſub genere Τῶν ἐξανθημάτων, καὶ ἐκθυμάτων benè comprehendi poſſe.

Hodiernâ die iſtiusmodi diſputatione opus non habemus, cum videamus, quòd ſupra memorata ægritudo omnes fermè, potiſſimum verò infantes, aggrediatur.

Quamvis autem *interna cauſa Variolarum & Morbillorum* ſit fermè una & eadem, facilè tamen uterque affectus ab invicem dignoſcitur, quemadmodum in ſignis latius patebit.

Nunc igitur rectâ ad explicationem cauſarum & originis utriusq; hujus morbi diſcendemus.

Communiũ morborum cauſa quoq; cõmunis eſt.

Cum autem hic morbus nimis ſit communis, & fermè omnes, ut plurimum Semel tantum in tota vita aggrediatur, neceſſario ſequitur quòd etiam *cauſam communem* habeat, quæ non tantum apud hunc vel illum, ſed apud omnes inveniatur.

Hîc iterum diverſæ opiniones Doctorum reperiuntur.

I. Nam I. Sunt, qui putant, præcipuam cauſam in inficiente & mala influentia quærendam.

Quod locum habere non poteſt, cum illa cauſa non interna, ſed externa eſſet: neque etiam opus eſt cauſas externas quærere, ubi propius per notitiam internarum ad cognitionem morbi pervenire poſſumus.

II. II. Inveniuntur, qui communem cauſam hujus morbi quærunt in putrido nutrimento, quod Infans in utero materno attrahit.

Sed illud etiam meritò abjicitur, cum iſtiusmodi putredo nutrimenti non poſſit eſſe communis apud omnes, ſed tantum apud illos, qui minimè ſanum corporis habitum ſortiti ſunt.

III. III. Reperiuntur qui putant, variolas & morbillos eſſe morbum hæreditarium.

Quamvis autem hujus morbi cauſam ex utero materno ſuam originem ducere tandem oſtenſuri ſimus, nihilominus tamen non poteſt propriè hæreditarius appellari. Siquidem morbi hæreditarii inde denominantur, quod Parentes ſub ipſo tempore generationis liberorum iisdem obnoxii fuerint, & hac ratione per corruptum ſemen ſuis poſteris eoſdem communicaverint, quod de hoc morbo affirmari non poteſt.

IV. Manet itaque IV. opinio illa eorum, qui arbitrantur, quòd origo dicti morbi *materni ſanguinis impuritati* ſit referenda, quam Infans in utero materno attrahit.

Quamvis autem Infans in Utero materno ad ſui nutritionem ſemper ab initio optimum ſanguinem attrahat, in poſterioribus tamen menſibus ille ſufficere non poteſt: quin imò ex deficientiâ boni ſanguinis, & neceſſitate nutritionis, attrahit etiam unà crudum illum & impurum ſanguinem, qui etiam aliàs apud gravidas copioſior reperitur, cum nimirum concoctio earum ſit valdè debilitata, & naturalis calor Organis concoctionis aliqua ex parte ſubtrahatur, ob augmentum & acretionem Embryonis in Utero materno viventis.

Hic impurus & crudus ſanguis ita in totam Subſtantiam carneam attrahitur, & per aliquot annos inſenſibiliter occultatur, donec per alias cauſas adjuvantes excitatus fuerit.

Interna cauſa adjuvans ſanguinis ebullitio.

Quod maximè præſtat *ebullitio ſanguinis in toto corpore*, dum nimirum natura talem impuritatem diutius ferre non poteſt, & ſanguis inſtar muſti ebullientis fermentari incipit, per quam ebullitionem & commotionem impurum à puro, & bonus ſanguis à malo ſeparatur.

Hinc febris continua ſimul exſurgis, quoniam ille æſtus ſanguinis, etiam cordi præternaturaliter communicatur.

Ut verò eò facilius impura illa materia, ad commotionem jam diſpoſita, ab interioribus membris ad exteriora expellatur, neceſſe eſt, ut Natura ſuas ad id convenientes vires habeat, quemadmodum etiam, ut & ipſum Corpus

Corpus ad id benè diſpoſitum ſit, ne nimirum durities cutis, & ſicca conſtitutio totius corporis, illud impediat, quemadmodum ulterius percipiemus.

Diſpoſitio Subjecti laborantis. Ideoque ubi *natura calidior & humidior*, quod in Infantibus videre eſt, eò magis tales ad variolas & morbillos diſpoſiti, ſi ſuprà dicta interior cauſa apud ipſos occultetur, præſertim ſi acceſſerit mollis & tenera conſtitutio totius Corporis.

Cur quidã ſerò laborent. Hic ſi quiſpiam quæſiverit, quî fiat, quòd quidam in Juventute ſive tenerâ ætate ab hac ægritudine non corripiantur, ſed demum poſtquam ad annum ætatis 20. 30. aut etiam 40. pervenerint? Huic reſpondemus, illud ideo fieri, quoniam iſtiusmodi interior impuritas apud nonnullos tam pauca eſt, ut Natura eandem parvi æſtimet, vel non animadvertat, niſi acceſſerit fortior cauſa externa, quando nimirum hic morbus publicè graſſatur, vel alter ab altero inficitur.

Sæpè etiam dicta cauſa interior nondum ſatis eſt matura, ita ut in Juventute commoveri nequeat, cùm nimirùm tales vires non habeat, quæ ebullitionem ſanguinis excitare poſſint.

Malignitas. Nonnunquam accidere ſolet, ut unà cum variolis *peſtilens malignitas* & contagioſum venenum graſſetur, quo magis Juniores quam adulti (niſi pariter aliquid reliquiarum occultè circumferant) corripiuntur.

Externa cauſa. *Externa cauſa*, quæ morbum hunc promovent, ſunt omnis generis Cibi acres & ſalſi, qui ſanguinem commovent. Item Aër, qui ad commotionem & inflammationem ſanguinis cauſam ſuppeditare poteſt, quemadmodum etiam tempeſtates nimis æſtuoſæ & humidæ & ſimilia.

Contagium. Præ cæteris verò animadvertenda eſt hic *contagioſa illa qualitas*, cùm morbo hoc ſæviente alter ab altero tàm facilè inficiatur: ubi nimirum prædicta cauſa interna reperitur, potiſſimum apud illos, qui hunc morbum nunquam habuerunt, vel ab ipſius cauſa interna nondum penitùs purgati ſunt.

Cauſa variolarum. Si itaque impuritates illæ copioſiores & craſſioris Subſtantiæ reperiantur, exoriuntur inde Variolæ.

Cauſa morbillorum. Si verò materia paucior, ſubtilior & acrior, prodeunt morbilli. Hic autem non oblivioni tradendum, prædictam cauſam internam, licet omnibus fermè ſit communis, nihilominus tamen apud hunc fortiorem, apud alium debiliorem inveniri, prout naturales humores Corporis puriores, vel impuriores ſunt, ita ut inde tàm Variolæ quàm morbilli, apud hunc mitiores, apud alterum verò deformiores & turpiores appareant: quod inde promanat; quoniam in impuris corporibus interna illa hujus morbi cauſa ab iſtiuſmodi impuro ſanguine quotidiè aliquid ad ſeſe attrahit, & hac ratione Naturæ majorem violentiam infert.

Varietas internæ cauſa variat morbum ſecundùm magis & minus.

De Signis diagnoſticis hujus Morbi

Jam neceſſe eſt, *ut ad ſigna diagnoſtica* hujus morbi deſcendamus; Ubi ante omnia animadvertere oportet & ſymptomata & notas, ex quibus colligere queamus, quòd hic morbus ſit expectandus.

Signa diagnoſtica ex actionibus læſis. Illa Symptomata deſumuntur primò *ab actionibus læſis*: quando nimirum *capitis dolor cum gravedine oculorum & colli apparet*, propter aſcendentes vapores ebullientis ſanguinis in majoribus venis.

Quando *dorſum dolet* ex eadem cauſa.

Quando nares pruriunt, propter acres vapores ſurſum aſcendentes, unde acuti catarrhi ex capite ſuum ortum ducunt.

Quando totum corpus grave & pigrum redditur, & dolor quaſi in cute excitatur, cum nimirum acris ille & calidus ſanguis ad exteriora expellitur.

Quando infantes in ſomno terrentur, aut adultiores hæc vel illa quaſi cum levi delirio loquuntur: quoniam craſſiores & calidiores vapores ſurſum aſcendentes caput ipſum occupant.

Quando Spaſmus, & indicium Epilepſiæ apparet, propter commotionem corrupti & impuri ſanguinis.

Quando reſpiratio minuitur, propter calidos vapores, qui impediunt, ne pectus liberum aërem haurire queat.

Quando ſicca tuſſis apparet, quæ fit, dum acres catarrhi aſperam arteriam vel pulmones intus obſident.

Quando pedes tremunt ægro ſeſe convertente, ex cauſa copioſæ materiæ, quæ nervos occupat & debilitat.

Quando ſternutatio frequens eſt, propter acres vapores, qui meninges, ſive involucra cerebri aggrediuntur.

Quando frequens pandiculatio & oſcitatio adeſt, ex causâ vaporoſi ſanguinis, qui inter cutem & carnem deliteſcit.

Quando Cordis palpitatio apparet, propter calidos vapores ſanguinis, unde facultas vitalis quaſi opprimitur.

Signa diagnoſtica in excretis mutatis. Secundò conſiderantur *ſymptomata, quæ in excretis mutatis* apparent: ut oculi lachrymantes abſque cauſa, vel quòd ab acribus vaporibus patiantur, vel ob aqueam humiditatem, quæ ab ebullitione ſanguinis colligitur.

Viſcida materia circa pectus: cùm omnes ſubtiles humores caput petant, & ita internus calor copioſus impuritates illas mucilaginoſas magis ac magis induret.

Vomitiones, quando ventriculus à relicta materia & malis vaporibus moleſtatur.

Urina manet fermè naturalis, quoniam extra venas mali humores expelluntur; quòd ſi fuerit turbida, proveniet id à ſuperfluis ebullientibus humoribus.

Hæmorrhagia narium, vel à ſuperfluo, vel à calido & acri ſanguine: quæ ſæpius in initio morbo levamen adfert.

Signa diagnoſtica à qualitatibus mutatis. Tertiò: ſigna deſumuntur à *qualitatibus mutatis* in corpore, quando nimirum facies & oculi inſtar ignis rubent, propter ebullitionem ſanguinis, cujus vapores ſemper aſcendunt.

Quando raucedo apparet, vel propter acres humores & vapores, qui aſperam arteriam tranſeunt, vel quòd ibidem puſtulæ exoriantur.

Quando ſiccitas oris & ſitis adeſt, quod à febre promanat.

Quando cutis nodoſa cum maculis apparet, incipientibus nimirum & erumpentibus variolis.

Quando

Quando febrilis calor adest, propter inflammationem & ebullitionem sanguinis.

Cautela. Quamvis autem hæc signa omnia ab initio non appareant, (nec eam ob causam etiam hic enumerantur: siquidem juxta dispositionem uniuscujusque naturæ apud hunc illud, apud alterum aliud, aliquando unum, aliquando multiplex signum reperitur:) nihilominus tamen sufficit illud apud plurimos, antequam morbus ipse in lucem prodeat, si maculæ aliquæ in cute videantur, & tactu duræ percipiantur: Unde facilè colligere est, variolas adesse, quas frequenter comitatur febrilis calor, capitis & dorsi dolor, pruritus, cutisque hinc & inde, unà cum parte aliqua signorum superiùs enumeratorum, potissimum verò si morbus ille eo tempore communiter grassetur.

De Signis Prognosticis hujus morbi.

QVoad *Prognostica*, quid nimirum spei sit de iis, qui hoc morbo corripiuntur, sciendum est, quòd hic *morbus ipse, & Patientis vires* diligenter debeant considerari, quemadmodum ex hisce duobus in unoquoque morbo Prognosis instituitur.

Signa bona Variolarum. Quoad *morbum ipsum* Variolæ, quæ facilè emergunt, & candidæ albicantes, vel etiam ab initio subrubræ sunt (ubi vires non tàm subitò prosternuntur, neque alia graviora Symptomata accedunt, qualia sunt febris ardens, graves vomitiones, vehemens diarrhæa, epilepsia, cephalalgia, inquietudo, delirium & similia:) illæ non tantum periculi adferunt: quoniam Natura in istiusmodi ægris morbum ipsum superat, & vires satis firmas obtinet, variolarum pustulas ad exteriora expellendi, si tantùm ipsi tempestivè per debita media & remedia auxiliares manus porrigamus.

Mala signa variolarum. Econtra verò periculosum est, quando non facilè emergunt, vel aliquando apparent, & iterum occultantur, quod signum est, malos illos humores iterum ad cor remeare ex debilitate virium, quemadmodum illud in subviridiusculis illis & lividis sæpius accidere solet.

Imò quando etiam ad supra dicta symptomata accedit *difficilis respiratio, incipiens asperæ arteriæ obstructio, deliquium animi, manuum & pedum refrigeratio, &c.* cum viribus prostratis; rarò Patientes istiusmodi eluctantur, licet variolæ in magna copia foris apparuerint. Siquidem ex istiusmodi symptomatibus videre est, quòd totus sanguis nimis corruptus, & non tantùm externa cutis; sed etiam interiora, & quidem præcipua membra læsa & variolis fœdata sint.

Cognitio morbillorum. *Prognosis in morbillis.* Eodem modo sese habent morbilli (qui tanquam morsus pulicum in cute apparent, neque variolarum instar suppurantur) illicò erumpunt, ita ut Patiens in ipsa expulsione, quoad febrilem calorem, pectoris angustiam & alia graviora symptomata mitigationem sentiat. Cùm econtra periculosum sit, si difficilè egrediantur, & facilè retrocedant, cum gravedine circa cor, & animi deliquio.

Sæpè etiam maligna quædam & contagiosa qualitas concurrit, cujus non secus ac aliorum similium ægritudinum diligens est cura instituenda.

De præservatione hujus morbi.

QUamvis hic morbus omnibus fermè sit communis, potissimum verò Junioribus, ita ut per eundem Natura semetipsam quasi purgare videatur: nihilominus tamen diligenter animadvertendum est, ut aliquando certas ob causas istiusmodi præserventur. Ubi inprimis notandum, quomodo Naturam juvare queamus, ut eò citiùs suo officio fungatur.

Cùm verò in impurioribus corporibus hic morbus multò gravior & periculosior sit, quàm in iis, quæ minus impuritatis habent: (Observavi enim liberos à Parentibus morbo Gallico laborantibus prognatos, omnium gravissimè affici:) Consultum itaque est, ut morbo hoc sæviente, & facilè eos, qui nondum eodem laborarunt, invadente, ii, qui sibi metuunt, corpus primò leni purgatione purificent, & diligenti diæta instituta, ab iis cibis, qui malos & viscosos humores promovent, abstineant.

Præservatio Lactentium. Lactentibus utile est, ut nutrices quolibet mense Lunâ decrescente *Vino passulato, cum paucis foliis Sennæ & Rhabarbaro præparato*, per octiduum continuè inter prandendum utantur, & nutrimento facilis concoctionis vescantur.

(Vinum passulatum ita potest præparari: ℞. *Passul. min.* ℥jß. *fol. Sennæ* ℥j. *Rhabarb.* ʒj. *Sem. Fœnic.* ʒjß. *Macis, Cinnam. ana* ʒß. *infunde Vini tenuioris mensuram dimidiam, & postquam per 24. horas steterit, transcolando exprime.*)

Cum verò Experientia constet, hunc morbum esse contagiosum, diligenter sibi caveant ii, qui eundem metuunt, tùm à locis ubi ægri decumbunt, tùm ab iis, qui ægris ad custodiam adhibentur: potissimum verò si autumno, vel hyeme hic morbus sæviat, quod tempus periculosius est verno & æstivo, naturali calore quodvis malũ tunc temporis multò faciliùs ad exteriora propellente.

De curatione hujus morbi.

Indicationes curativæ. SIquidem hæc ægritudo cum magna ebullitione sanguinis incipit, circa quam omnis generis graviora symptomata metuenda sunt, primò itaque diligenter animadvertendum, quomodo huic auxilio nostro succurrere queamus.

Ut verò 2. Natura eò citiùs propositum suum assequatur, mediis purgantibus est juvanda. Ubi 3. statim videndum, quomodo membra diversa à variolis graviter læsa, sint defendenda & conservanda.

Quoad primùm, illud apud adultos & sanguineos per Venæsectionem facilè obtinebitur: quod etiam in junioribus 7. vel 8. annorum fieri posset, si id apud nos, quemadmodum apud antiquos, usu receptum esset: cùm frequenter videamus, quod in iisdem ipsa natura per narium hæmorrhagiam sibi ipsi succurrat, unde tales multò faciliùs quàm alii convalescunt.

Post Venæsectionem prodest lenis purgatio ad præcavendam alvi duritiem, etiam apud Infantes, quæ per usum Mannæ vel Syrup. Ros. aut Violar. laxat: vel per Vinum passulatum feliciter potest absolvi.

Etiam clysteres hic prosunt, si cum libra semis decocti hordeacei ℥ß. cassiæ, & vitelli ovor. ac olei Chamomillæ vel violarum ana ℥j. misceatur, & injiciatur.

Pro Infantibus tali clystere uti possumus.

℞. *Libram ß. decocti hordeaci, butyri recentis, Sacchari communis rub. ana* ℥ß. Misce cum vitello ovi ad clysterem.

Vehementia purgantia hic locum non habent.

Juvant etiam aliquando suppositoria, potiss. apud infantes. A vehementioribus purgationibus hic abstinere oportet, ne per violentiam naturæ ad expellendum commotio impediatur, vel damnosa diarrhæa excitetur.

Alterantia post lenem evacuationem.

Post absolutam lenem laxationem offeratur syr. citri, cum syr. violarum æqualiter mixtus. Item sumatur aliquid de morsellis citri & similium ad confortationem. Item Conserva rad. Cichor. ex radicibus absque coctione facta, & magnitudine nucis castaneæ sæpius assumpta, summopere hic commendatur.

Posset hic quispiam quærere, *cur necesse sit ebullitionem sanguinis animadvertere*, cùm per eandem expulsio Naturæ, uti supra dictum, suum initium habeat, quæ potius promovenda, quam impedienda.

Huic respondemus, quòd non secus ac mustum in sua prima ebullitione & fermentatione maximam curam & diligentiam requirit, ne nimirum vas disrumpat, vel ipsius fundum excutiat, ubi nihilominus ipsius commotio, per quam purificatur, non est impedienda, aliàs enim nunquam clarum vel purum vinum inde redderetur: ita etiam in hoc modo animadvertere oportet, ne ebullitio sanguinis secum graviora symptomata, nempe deliquium animi, gravem cephalalgiam, angustiam pectoris & similia adferat. Ideoque quocunque modo mitigari debet, ita tamen, ut Natura nihilominus suam in expellendo operationem absolvere possit.

Pro secundo.

Hoc peracto, 2. videndum, quomodo Naturam in expellendo juvare queamus, ubi potissimùm inserviunt illa media, quæ absque omni inflammatione sudorem pellunt. Inter quæ primam laudem obtinet *lapis Bezoar Orientalis*, si ejus grana 5. aut 6. in 4. aut 5. cochlearibus Aquæ fumor. calidè sumantur. Item ʒß. benè præparati *C. Cerv. usti, vel Terræ sigillatæ Silesiacæ*, pro parvulis, qui nondum 10. ætatis annum superarunt. Item *Semen Aquilegiæ* recens pulverisatum, & tali quantitate in suprà dictis Aquis oblatum.

Quidam etiam eodem modo offerunt *semen raparum albarum*: quod pariter sudorem summopere pellit.

Quòd si verò infantes pro lubitu tractare non liceat, utilissimum esset, *lac seminis melonum* hoc modo præparatum: ℞. *Sem. melon. sem. Cardui bened. an.* ʒiij. *Sem. Aquilegiæ* ʒj. *Aquæ Fœnic. Cardui bened. ana* ℥ij. *Contundantur omnia invicem, & per linteum exprimantur, tandem admixta Sacchari Cand.* ℥ß. & *Cornu C. usti* ʒij. *Infanti aliquoties duo cochlearia exhibeantur.*

Malignitati quoque resistendum.

Si autem unà cum variolis interior venenata sanguinis corruptio admisceatur, quod plerumque fieri solet, quando hic morbus præter morem solitum etiam tempore hyberno gravissimè sævit, & vires Cordis citissimè prosternit, quod ex mutato pulsu, frequenti lipothymia, anxietate nimiâ, & facie Hippocraticâ, profundè concidentibus oculis, & similibus symptomatibus facilè apparet: tum necessarium est, ut Cordis confortantia diligenter adhibeantur, quæ istiusmodi venenatis vaporibus resistere possint.

Quibus mediis (si febrilis calor non fuerit) aliquid de theriacâ, unà cum Sacch. ros. & borrag. admiscere liceret.

Etiam suprà memorata remedia, *Bezoar. C.C. ustum, terra sigillata, & similia, cum Aqua Card. bened. vel flor. Sambuci. in qua prius radix Scorzoneræ, vel Scordium decoctum fuerit*, utilissimè hic adhiberi possent.

Pari ratione *confectio Alkermes* magnitudine unius pisi, unà cum syrupo citri mixta & assumpta.

Posset etiam aliquid *de Scordio & dicta radice Scorzoneræ* cum potionibus sudoriferis unà coqui, & pro quotidiano potu usurpari.

Diæta non negligatur cum prædictis.

Aer ambiens.

Cùm hæc & similia media primis diebus ad sudorem movendum adhibebuntur, natura etiam per certam præscriptionem Diætæ juvabitur: ubi primò diligenter observandum, ut Patientes ab exteriori Aëre sibi caveant, potissimum si frigidus fuerit, siquidem Natura ea ratione in expulsione Variolarum & Morbillorum impediretur.

Quare hypocausta semper calefieri debent, ita tamen, ne per nimium calorem vires debilitentur, quod ex angustia pectoris inde promanante, & incipiente lipothymia facilè colligendum.

Cibus.

Quoad cibum, mediocritas inprimis est optima: Cibi verò tales adhibendi, qui faciles concoctu, non calidi, sed potius in expellendo juvantes, ut hordeum de corticatum, decoctum Ficuum Jusculum Vini dimidia parte Aquæ Ros. admixto pauxillo mace, crocoque decoctum lentium, è quibus prima aqua effusa, vel quæ decorticatæ fuerint, pruna cum passulis minoribus, pulticulæ ex spinachia, cherefol. & similia, panatellæ cum jure pulli, juscula petroselini cum semellis & ovis. Successu temporis offerantur ova sorbilia, gallinæ, capones, & omnis generis carnes concoctu non difficiles, potissimùm postquam febrilis calor, & alia Symptomata remiserint, & concoctio melior deprehensa fuerit.

Decoctum lentium.

Cùm in *decocto lentium* parando, cujus hic mentio facta fuit, vulgus nonnihil aberret, placuit nobis hic de ipsius præparatione & usu pauca quædam subjicere. Notandum itaque est, quod pelliculæ in lentibus stipticam Virtutem habeant: quare animadvertendum, ut illæ abjiciantur, si ad expellendum juvare debeant.

Potissimum verò prodest istiusmodi decoctum, dum sanguis nimis calidus & fluidus deprehenditur: ubi etiam pulmentum ex lentibus ægris adhiberi potest, vel brodium ex decorticatis lentibus fortiter excoctum. Hinc igitur apparet, quod in morbillis, ubi magna ebullitio & commotio subtilioris sanguinis, à Medicis magna cum utilitate decoctum lentium ad potum pro siti depellenda hoc modo possit præscribi:

℞. *Lent. decortic. manip.* j. *liquiritiæ* ʒij. *Sem.*

Fœni-

Fœniculi ℥j. *Tragacanth.* ℥ij. Coquantur omnia in dimidia mensura aquæ comm. donec tertia pars evaporârit, trajice per linteum, & pro sapore dulci conciliando aliquid de Saccharo Cand. adjice.

Si tamen celer & violenta subtilioris sanguinis commotio non adfuerit, melius est, ut ab hoc decocto prorsus abstineamus: de quo hoc breviter monere non inconsultum arbitrabar.

Potus. Potus ab initio etiam eò tendere debet, ut per eundem expulsio promoveatur. Ideoque utilissimum est *decoctum hordeac: cum liquiritia & fic: nec non sem. fænic. paratum*; quæ ingredientia etiam in sero caprino possent coqui, si nimirum calor nimius adfuerit, ita ut ægri sitim extinguere nequeant.

Similiter possent præmemorata unà cum ciceribus coqui, potissimum, si obstructiones circa renes & vesicam incipiant: vel etiam cum lentibus, si sanguis nimis subtilis & fluxilis fuerit, ubi etiam tragacantham prioribus adjicere non fuerit importunum.

Diæta non negligatur cum prædictis, ... in infantibus.

Sæpius etiam accidit, ut cum Infantibus, juxta nostrum votum procedere nequeamus. Si igitur nihil aliud bibere voluerint, utile fuerit, ficus cum rad. liquiritiæ in cerevisia coquere, præsertim si illa non fuerit nimis lupulata, sed benè excocta & fermentata, non acida, neque etiam recens.

Decoctum hordeaceum cum limatura Cornu C. paratum, quemadmodum in febribus ardentibus fieri solet, hic etiam inservit. Utile enim esset semper aliquid de C. C. usto & terra sigillata potui injicere, & inde bibere, quòd eò melius ad exteriora impuritates expellit, & interiori putredini resistit.

Cibus.

Cùm verò variolæ & morbilli jam benè in exterioribus membris apparuerint, *aqua cerasorum acidorum* summopere prodest. Si eorundem manipulos duos contusos in lagenam stanneam injicias, & iisdem ℥j. Sacchari. Cand. adjicias; postea verò mensuram unam aquæ bullientis superfundas, & clausa lagena refrigerari finas. Item *aqua Chalybeata cum pauco syrupo citri, succo berber, & similium* mixta. Item *lac. amygd. dulcium cum semine melonum* in aqua chalybeata contusorum, admixto *C.C. usto ad* ℔j. ℥ß, *manus Christi perlat.* ℥jß.

Decoctum lentium.

Vinum in hoc morbo, potissimum verò ab initio nocet, siquidem semper febrilis calor adest: & quamvis vulgus putet *Vinum rubrum* hic convenire, experientia tamen aliud demonstrat. Nam si illud ipsum fuerit forte, promovet inflammationem, sin verò debile & acidum, impedit expulsionem. *An vinum rubrū conveniat?*

Notandum tamen hîc in iis locis, ubi vinum usu, alterâ septimanâ, quando nimirum morbilli & variolæ ad exteriora probè fuerint eductæ, & febrile symptoma cessaverit, Vinum tenuius Rhenanum, vel Neccarinum, decocto hordei dilutum, propter confortationem stomachi, adhiberi posse.

Quoad somnum, primis diebus non opus est eundem violenter provocare; cùm Natura semper meliùs expellendi officio fungatur, ægris mediocri somno utentibus. Quare si ab initio nimius somnus apparuerit, oportet ægros ab eodem abducere, aceto rosaceo ad odorandum naribus oblato. Quod si somnus penitus emanserit, signum est majoris interioris inflammationis, & ascensionis vaporum calidorum, quibus per suprà media ebullitioni sanguinis destinata obviare possumus.

Quotidiana sedis provocatio est etiam necessaria, verùm per media lenia & temperata, quemadmodum suprà dictum est. *Alvi laxatio.*

Quod attinet animi commotiones, timorem, consternationem, tristitam, & similes, illæ nimium nocent, quoniam per easdem Sanguis ab exterioribus ad interiora recurrit, & hac ratione majorem anxietatem progenerat. *Animi affectus.*

Hæc omnia postquam diligenter procurata fuerint, est etiam statim ab initio hujus morbi *tertium hoc* probè animadvertendum; *quomodo nimirum membra diversa, quæ à variolis facilè lædi possent, præmuniamus.* *Pro tertio.*

Hic primò *oculi* benè sunt custodiendi: si quidem quam plurimis per hunc morbum visus perditur. *Oculorum defensio.*

Juvabit itaque, si ab initio statim talis Aqua Ophthalmica præparetur: ℞. *Sem. Sumach. vel Rhois obsoniorum* ℨj. *Aquæ Rof.* ℥iij. *stent unà in loco calido per noctem, vel etiam bullant parum: postea adjice granum croci & camphoræ, & externè* per diem aliquoties linteolo circa oculos tepidè ducito, & in oculos duas guttas immittito.

Similiter & hæc aqua, quæ sequitur, multum prodest: ℞. *Aquæ plantag. euphras. rof. ana* ℥j. *camph.* ℈ß. *croci gr.* ij. Misce & utere.

Hæc & similia repellentia & infrigidantia, sunt tantùm ab initio adhibenda, dum pustulæ emergunt, postea verò ab iis est abstinendum.

Cum verò frequenter accidat, ut nihilominus oculi ipsi, propter copiosam materiam corripiantur, ita ut fermè intumescant, vel à pustulis penitus claudantur, necessarium est, ut iidem calido lacte, vel decocto hordei, in quo parum mellis rosac. dissolutum fuerit, foveantur & emolliantur, ita ut purulenta materia, quæ ibidem latitat, eò facilius exitum habere queat. Cui bono etiam inserviet, si *herbam Malvæ, semen lini & cydoniorum in aqua* coxerimus, & eâdem oculos occlusos emolliverimus.

Ad defensionem narium ab initio utile est, si nodulum è sandalo ℨj. & camphorâ unius grani pondere fecerimus, eundem in aceto rosaceo sæpius intinxerimus, & naribus ad odorandum obtulerimus; adhæc, aliquid de priori aqua ophthalmica per linteolum madidum iisdem immiserimus. *Narium defensio.*

Quod si nares intus jam obductæ & occupatæ fuerint, necessariū esset ad maturationem promovendam crustas illas duriores, quæ ibidem resident, & nares obstruunt, oleo amygd. dulcium, vel etiam seminis lini inungere.

Quemadmodum autem in aliis ardoribus febrilibus, *os cum faucibus*, propter ascendentem calorem facilè corripitur: ita etiam hîc ab initio diligenter animadvertendum, ne pustulæ ea ipsa loca agminatim occupent: cui malo occurremus per sequens gargarisma: ℞. *Aquæ plantag.* *Oris & faucium defensio.*

plantag. prunell. ana ℥iiij. *Syr. acid. granat. Diamoron, ana* ℥j. *Misce.*

Prodest etiam unumquodq; ex sequentibus per semetipsum assumptum, *Syrupus Citri. Syr. Violar. confectio Diatragacanth. frig. succus Cydon. & similia*, quibus asperam arteriam & œsophagum eò melius tueri possumus.

Potissimum verò istiusmodi succi conveniunt infantibus, qui gargarismos adhibere nequeunt, si penicillo in iis intincto ipsorum lingua, palatum, & fauces illinantur.

Contra variolas œsophagi. Ubi verò metus est ne Oesophagus à pustulis corripiatur, sequens decoctum hordeac. proderit, si cochleari sæpius inde bibatur; ℞. *Decocti hord.* ℔j. *Syr. Ros. Syr. Endiv. ana* ℥iij. *Syr. Baccar. Myrtill.* ℥ij. *Misce*, & sæpius ad bibendum exhibe.

Quod si nihilominus etiam ibidem pustulæ agminatim eruperint, operæ pretium erit, ut ab acidis refrigerantibus & repellentibus abstineamus, & potius *gargarisma ex decocto hord. passul. min. fic. & similibus* coctum adhibeamus, idque ad faciliorem & feliciorem maturationem: quâ peracta, pustulis nimirum jamjam sese aperientibus, priori decocto *mel rosaceum, unà cum pauxillo alumine* admiscebimus, ad majorem purificationem & sanationem; in hoc enim casu os infantum quasi cum violentia quadam aperiri & mundificari debet.

Labiorum defensio. *Ad defendenda labia*, ubi nimirum variolæ propter sensibilitatem & subtiliorem substantiam magnum dolorem excitant, utile est, ut *semina Cydon. in Aq. Ros.* per noctem macerentur, & tandem labia illâ aqua muscilaginosa benè inungantur.

Hoc itaque modo, si cura instituatur; Parentes & alii ægris inservientes officio suo satisfecerunt. Natura tandem seipsam juvat, nec multis mediis & remediis indiget.

Judicium de topicis. Quamvis autem multi in eo sollicitè laborent, quomodo per externa media pustulas illas aperire & exsiccare queant: nihilominus tamen ipsa experientia demonstrat, minus periculi adesse, si Naturæ ordinarius cursus relinquatur; facilè enim in illa externa cura aberrare possemus.

Probè tamen animadvertendum est, ne ægri ante tempus scabendo & aperiendo pustulas, sibi ipsis damnum inferant: siquidem inde non tantum informes nævi, sed etiam diuturna & maligna ulcera facilè exoriri possent: cum hac ratione naturalis calor in sua operatione impediatur, neque suppurationem debitam absolvere queat.

Usus legitimus externorum remediorum. Quodsi *maturatio pustularum* nimis diu protrahatur, & ipsæ albæ, & purulentâ materiâ plenæ appareant, *Oleo Amygd. dulc.* leviter sunt inungendæ: eo enim modo dolor mitigabitur, pus maturabitur, & apertæ pustulæ eò facilius sanabuntur.

Contra maculas & vestigia variolarum. Apertio argenteis vel aureis aut aliis aciculis potest etiam admitti: si nimirum pustulæ jam maturæ & benè suppuratæ apparuerint.

Ultimò cùm Variolæ sæpissimè fœdos nævos, maculas & inamœna vestigia post se relinquant, notandum est quomodo huic malo succurrere queamus. Si nimirum aquâ omnis generis florum (quæ mense Majo ex fimo vaccino recenti destillatur) locus ita fœdatus abluatur, & postea pinguedine humanâ inungatur.

Insuper Foresti unguentum hîc magnoperè profuisse multoties expertus sum. Hoc ita paratur: ℞. Ol. Amygd. dulc. Liliorum alb. ana ℥j. Pingued. cap. ʒiij. rad. Pæoniæ & Ireos, Lithargyrii. an. ℈ß. Sacchar. ℈j. His omnibus in calido mortario benè mixtis & per linteum expressis, inunge maculas & nævos matutino & vespertino tempore, postea verò aquâ è pedibus vitulinis destillata benè ablue: in cujus defectu supradictam aquam omnis generis florum adhibere poteris.

CONCLUSIO.

De gravibus Variolarũ & Morbillorum accidentibus. Coronidis vice oportet hic aliquid adjicere de gravibus & periculosis symptomatibus, quæ tum unà cum ipsis variolis, tùm post ipsas aliquando eveniunt. Siquidem illa hodiè morbo hoc populariter grassante, & contagiosam malignitatem secum ferente sæpiùs apparent.

Epilepsia. Experientia demonstrat, quòd aliquando *Epilepsia* coincidat, si natura satisfortis non fuerit, neq; malas illas & corruptas humiditates ad cutim promptè expellere potuerit: Unde illæ, auxilio ascendentis vaporosi sanguinis, ad caput recta feruntur, & ibi nervorum initium, nempe ipsum cerebrum aggrediuntur.

Hoc dum fit, oportet prædictis mediis, quæ hic morbus requirit, etiam illa adjicere, quæ capiti conveniunt, & morbo Epileptico resistunt. Radix itaque pæoniæ masculæ, si recens haberi possit, unà cum semine conquassata, & in sacculo ligata, infantibus pro amuleto utilissimè appendi potest.

Intus potest aliquoties exhiberi unum cochlear. Syr. de Cort. Citr. cum opt. Spir. Vitrioli ex Marte, ad gratam aciditatem temperati: quemadmodum etiam aquæ ex cerasis nigris, cum floribus tiliæ bis vel ter destillatæ.

2. Morbus convulsivus. Præterea reperitur nonnunquam *morbus convulsivus*, Germanis **Kriebelkranckheit**/ similis illi, qui ante 20. annos in vicinis regionibus sævissimè grassabatur, cujusmodi Patientes tum hic in Urbe, tum circum circa in ditione Grünbergensi fermè ante decennium habui, & omnes, auxiliante Deo, consilio meo, feliciter juvi.

Mirandum certè & miserandum spectaculum, dum illa mala & venenosa materia, propter debilitatem naturæ non potest expelli, sed pustulæ intus fretentæ interiores membranulas & nervos, imò totam carneam Substantiam membrorum tàm graviter obsident, ut membra ipsa brachia & pedes, imò etiam spina dorsi contra omnem ægrorum voluntatem hac & illac convellantur: & quidem cum maximo dolore: quod apud Personas illustres observavi, variolis prodire nolentibus, quæ tamen nihilominus divina adspirante gratiâ, magnâ adhibitâ diligentiâ & debitorum medicamentorum usu, priori sanitati restitutæ sunt.

Quemadmodum autem neque ipsa causa hujus Symptomatis cum vulgari spasmo convenit, ita etiam singularia remedia hîc requiruntur. Si itaque morbo invalescente materiam illam malam melius expellere non fuerit possibile,

bile, saltem de levatione dolorum erit cogitandum. Id præstabimus, si totam spinam dorsi ad confortationem nervorum *oleo lumbricorum terrestrium, chamomillæ, rutæ, castorei, cum pauco oleo fænic. anisi, nucis musc. & similibus mixtis*, sæpius calidè inunxerimus, & tandem si placuerit, cataplasma adhibuerimus, quod ex *Seminis lini. fænugr. an.* ℔j. *fl. chamom. Salv. an. 2. manip. castorei* ʒij. *in dimidia parte Vino & dimidia parte Aqua Veronicæ*, ad pulmenti consistentiam coquendo, & postremo *adipis hum. & ol. rutæ ana* ℥ß. admiscendo fiat.

Quam primùm itaque per hæc & similia media levamen apparebit, oportet leni purgatione morbum ipsum aggredi, & fortioribus mediis uti.

3. Paralytica affectio.

Sæpè etiam accidit, quemadmodum nunc istiusmodi exempla in vicinia reperiuntur, ut morbo hoc graviter sæviente, post variolas pariter *Paralysis, vel contractura* membrorum appareat. Et hæc quidem non est illa, quæ ex capite ortum suum habet, sed convenit aliqua ex parte cum paralysi, quæ post colicam passionem nonnunquam accidere solet.

Provenit enim hæc Paralysis ex superflua & retenta mala materia, quam Natura plenariè per carnem & cutim ex corpore expellere non potuit.

Hinc nervi & carnea substantia intus obstruitur, ita ut facultatem animalem, & sensum à capite suscipere nequeat.

Quare talis hic cura fermè desideratur, qualis apud eos, qui ex passione Colica in Paralysin inciderunt.

Nam internè eò respicere oportet, ut per sæpius repetitam lenem purgationem sanguis purificetur, & debita diæta diligenter observetur, novaque impuritatum collectio prohibeatur.

Externè verò (si nulla febris adfuerit) posset institui balneum ex herbis ad sudandum, *Salvia, roremarino, origano, serpillo, chamomilla, baccis lauri & similibus unà coctis*.

Postea tota spina dorsi cum membris contractis benè inungenda est sequenti Unguento.

℞. *Pingued. taxi, vulpis, anatum & anserinæ ana* ℥j. *Ol. Absinthii, Chamomillæ, rutæ an.* ℥ß. *Baccar. lauri, junip. an.* ʒij. *fl. Chamom. Salviæ an. manip. j. Vini malvat. cochlearia 6. coque ad Unguenti consistentiam.*

Si per hæc & similia media contractura non recedet, nihil melius est *temperatis thermis*, qualis in vicinia habemus Embsenses, quarum auxilio præcipuam quandam & magni nominis Personam, Deo inprimis juvante, ab istiusmodi membrorum debilitate, quæ post graviora variolarum symptomata remanserat, liberavi.

4. Indurationes præter Naturam.

Aliquando etiam relinquunt post se variolæ valdè *duros tumores*, ubi ante omnia videndum, an illi absque suppuratione dissipari possint, quod fit per frequentem usum sequentis Unguenti.

℞. *Mucilaginis rad. Althææ per aquam Malvæ extracta* ℥j. *Sem. lini* ℥ß. *Misce cum Oleo Amygdal. dulcium & Lil. alb. an.* ℥j. & tumores sæpius calidè inunge: postea verò linteum inceratum superpone, quod ita potest parari.

℞. *Prædicti Unguenti* ℔j. *ceræ* ℥jß. *solve paulatim leni carbonum igne, eoq́ lintea imbue.*

5. Ulcera externa.

Quod si morbo adhuc permanente, vel etiam abeunte, *ulcera* exorta fuerint, Chirurgis animadvertendum est, ut eò medicamenta dirigant, ut plus virium ad exiccandum & putredini resistendum habeant, quàm ad emolliendum & suppurandum, aliàs inde malum augeretur, & per diuturnum tempus protraheretur.

6. Dysenteria.

Pariter est animadvertendum, quòd aliquando in curatione Variolarum *Dysenteria* superveniat, si nimirum intestina, intus ab iis læsa fuerint. Ubi etiam non multis laxantibus detergentibus & emollientibus utendum est, quod in vulgari dysenteria fieri solet, neque multa pinguia & oleaginosa adhibenda; siquidem per hæc media, Symptoma illud deterius redditur, quia læsa intestina non majorem humectationem & emollitionem, (quæ aliàs in dysenteria communi ab acri & mucilaginosâ materiâ exortâ requiritur), sed potius exsiccationem, & absque acredine constipationem desiderant: quæ nimirum ulteriorem materiæ ad intestina confluxum prohibeat, & dissipationi inservire possit. Esset itaque utile statim ab initio *decoctum ex hordeo torrefacto* paratum, & cum *melle rosaceo* mixtũ, pro quotidiano potu adhibere, & aliquoties *sacch aro ros. electuario Cydon. succo Cydon. & succo myrtillorum* uti, admixto nonnunquam pulvere *rubeorum corallorum præparatorum, vel Corn. C. usto*, quantum cultri mucrone capere possis.

7. Læsio auditus.

Habentur etiam exempla, quòd nonnullis per Variolas *auditus fuerit ablatus*, quod fit, quando materia copiosa in auribus colligitur, & interiores membranulas ac nervos occupat: ubi necesse est non tantùm internè per *pillulas capitales*, & alia media caput purgare, sed etiam externè collectionem illam dissipare.

Hic igitur prodest, *emplastro cantharidum* ponè aures, absque ullo periculi metu, apposito, vesiculas excitare; vel etiam vaporem *ex Vino calido cum castoreo myrrha, colocynthide an.* ʒj. *asaro* ℥j. *& pauxillo sem. fænic. & croco unà coctis*, mane & vesperi per tritorium auribus immittere, idque successu promptissimo.

8. Læsio visus.

Ultimò, proh dolor! satis notum est unicuique, quàm multa damna variolæ *oculis* adferant, ita ut nonnulli hac ratione visum penitus perdere cogantur.

Frequens est *oculorum inflammatio* dum rubescunt ab interiori calore, & sæpius per aliquot dies, propter copiam pustularum aperiri nequeunt: cui malo, post supra memorata media, optimum remedium multoties feliciter expertus sum, *sanguinem nimirum recentem columbarum, cum aqua ros. calidè mixtum*, & per linteum trajectum, si eo oculi sæpius irrorentur.

Quod si etiam post istiusmodi inflammationem intus in oculo aliquid appareat instar *albuginis* incipientis, oportet eo tempore *emplastrum Vesicatorium* ponè aures ponere, *caput purgiis & aliis mediis* ad fluxionem illam avertendam & dissipandam uti: quo inservient *margaritæ*

præparatæ,

præparata, si cum aqu. fœnic. & rosf. pro collyrio oculis adhibeantur: quemadmodum etiam *pulvis Sacchari Cand.* cum prædictis aquis dissolutus.

Aliquando apparent in oculis *incipientia pterygia:* Ubi præter commemorata media, fortiora & validiora magnâ cum diligentiâ sunt adhibenda.

Hæc breviter ad faciliorem hujus utriusq; morbi cognitionem & feliciorem ejusdem curationem, Amicorum votis compulsus, publicæ utilitati consecrare volui, mecum ipse multoties perpendens, plurimos Infantes per imprudentiam sæpius à Vulgo negligi, quibus aliàs facilè per communia media auxilium suppeditari possit.

DEUS TER OPT. MAX. largiatur ad hæc unicuique, qui hisce indiget, suam gratiam & benedictionem.

Giessæ 26. Decembris, Anno 1620.

FINIS LIB. VI.

LIBER SEPTIMUS

De

MORBIS CONTAGIOSIS ET MALIGNIS.

OBSERVATIO I.

Lues Venerea ex bubone versus interiora repercusso.

V*IR Nobilis Iuvenis, annorum circiter 25. constitutione corporis Phlegmaticus, Anno* 1610. *Coloniæ Agrippinæ post gonorrhæam ab impuro concubitu contractam, bubone circa inguina prehenditur, à quo, temerè per Cataplasma Chirurgi empirici repercusso, subsequitur membrorum omnium lassitudo, dolor primo gravativus artuum, pigrities, quibus tandem accedit dolor capitis vesperi graviter usq; ad horam primam noctis affligens, subsequentibus tophis duris in brachiis ac pedibus, unà cum exulceratione fistulosa propè dextrum oculum.*

RESOLVTIO.

LVem Veneream, quam Galli *Morbum Italicum*, Itali contra *Gallicum* vocare consueverunt, hîc adfuisse facilimè colligitur ex dictis. Cùm enim laborans ultrò confiteretur, quod ab impuro concubitu primo *Gonorrhæam* aliquandiu passus esset, scilicet non simplicem seminalis materiæ fluxionem, sed cum acrimonia & malignitate corrodente conjunctam, membris genitalibus incalescentibus in congressu Veneris, & eorundem poris adapertis, ab infectâ meretrice per contagium communicatam, interiùs inflammatis glandulis parastatum, ex qua parte postea semen cum pure fluit; facilimè colligebatur *bubonem subsequentem in Inguine venereũ fuisse*, propter concurrentem affluxum sanguinis pituitosi, cum quo simul malignam qualitatem, à contagio contractam, natura per consueta glandularum emunctoria secernere conabatur. *Temerè* verò diximus *bubonem fuisse repercussum*, malignitate scilicet ad interiora regurgitante, nec non protinus subjectum suum proprium, jecur invadente, quo læso primum *lassitudo membrorum omnium spontanea* deprehendebatur, signum quidem cachexiæ, quam læsio sanguificationis introducit, commune, propter spirituum naturalium infectionem, *cum dolore gravativo membrorum & pigritie*, propter sanguinem pedetentim infectum, & respectu totius alienam naturam induentem. Procedente tempore sanguine pituitoso magis infecto, & per adustionem simul acrimoniam contrahente, *dolores capitis intolerabiles, ut & artuum* subsequebantur, *vesperi ultra noctis dimidium affligentes*, quod pituitosis humoribus proprium est, ubi nocte incipiens frigiditas eventilationem per poros cutis impediens, instar adjuvantis causæ, concurrit, idque tunc temporis, ubi vitiosus humor tenax venenatâ & malignâ congestione circa membranosas ac sensiles partes coacervatur. Post hos dolores *tophi scirrhosi praduri* circa brachia & pedes observabantur, quia, neglectum hoc malum aliquandiu, virus suum ita cerebro sensim imprimit, ut conditione partis, excrementa tenacia, viscida, malignam acrimoniam obtinentia, primùm intra cranium existentia, dolorem statis temporibus exacerbatum, absq; tumore quodam externo, pòst autem foràs sub cute, vel circa caput, vel à natura robustiori remotas magis ad partes expulsa, *tumores scirrhosos & indurationes* ad ossium etiam dilatationem & cariem usq; producere soleat; unà cum *exulceratione fistulosa propè dextrum oculum*, malignitate sub ossiũ membranis in eorum substantiã sese insinuante, quod iis in partibus citius fieri solet, ubi ossa sunt magis tenuia, quâ de causâ fistulosum hoc ulcus ex carie ossis nariũ & vicinorũ obortũ fuisse rebar, præsertim, cùm particulam talem, suâ sponte separatam, ipse patiens aliquando demonstraret.

Luem hanc satis contumacem ac rebellem futuram pronun-

Gonorrhæa maligna.

Modus generationis.

Bubo venereus.

Laßitudo spontanea.

Capitis & artuum dolores nocturni.

Tophi & indurationes.

Exulceratio fistulosa.

Prognosis.

pronunciavimus, propterea quod ex dictis symptomatibus semina morbi maligni penitùs sese insinuasse, firmasq radices egisse colligeretur, accedente corporis dispositione phlegmaticâ, quæ sicuti difficilior est, ad luis contagium recipiendum, cùm calida constitutio, cum promptâ sanguinis effervescentiâ, meatuum laxitate, partiumque mollitie conjunctâ multò sit habilior; ita semel recipiens labem venenatam, difficiliorem reddit curationem, quia fixior in ejusmodi crassis & viscidis humoribus morbus est, expultrice facultate magis impeditâ. Facto prognostico per modum consilii (cùm Patiens multis milliaribus ab Oeconomia nostra distaret:) eidem hoc modo succurrere conati sumus. Ante omnia verò juxta Præservatoriam Indicationem *primo fomitem mali demoliri decet: quo facto, scopus secundus, morbum ipsum ejusque causam continentem proximam respicit, tandem tertio loco symptomatum, vitiorumq; concurrentium correctio particularis etiam requiritur.*

Dispositio subjecti.

Indicationes.

Ad 1.

Quoad primum, fomes malo subtrahitur convenienti præparatione, digestione & evacuatione, non neglectâ victus ratione, & aliis ad sex res non naturales dictas pertinentibus. Mox ergo præmissa sequenti lenitiva evacuatione, vena Mediana dextri brachii secetur, quo natura parumper ab onere sanguinis copiosi liberetur;

℞. *Agarici* ℥iij.
ZZ. ʒß. *Sem. Anisi* ℈j.
F. infusio per noctem in s. q. Aq. Menthæ & Card. bened. Manè leviter ebullire sinas, & colentur ℥ijß. *adde.*
Syr. de Carthamo ℥j.
Extr. Diacarthami ℈iijß.
Aq. Cinam. ʒj.
M. F. haustus.

Copioso sanguine sic diminuto, præparatio, digestio, evacuatio fiat modo sequenti:

℞. *Rad. Valerian. Fænic. an.* ℥ß.
Herb. Card. bened. Scordii.
Beton. Fumar.
Flor. Calendulæ an. Mj.
Sem. Anisi. Fœniculi an. ℥ß.
Fiat decoctio in s. q. seri lactis destillati ad tert. colentur ℔ij.

℞. *Colaturæ* ℥iiij.
Syr. de Prasio.
Oxymel. squillit. an ℥jß.
Cremor. Tartari ʒj.
M. F. haustus pro 2. vicib.

Hoc digestivo quotidie bis per quatriduum reiterato, fiat quintâ die purgatio plenior per sequens Electuarium, quod

℞. *Extr. diacarthami* ℈iijß.
Magist. Tartari Vitriol. ℈j.
Elect. de Tamarindis cum fol. senæ q. s. F. bolus cum saccharo.

Talis digestio adhuc semel reiteretur, unà cum subsequenti purgante, non neglectis interim iis, quæ ad diætam convenientem spectant, nimirum ut *aër ambiens* ad calorem & siccitatem declinet, qui frequenter suffumigiis ex styrace Cal. Benzoino, Ligno Aloes, Galliâ moschatâ, Mastiche, similibusque corrigatur: *Panis purus*, levis, fermentatus, aniso, fæniculo, sem. carui & Coriandri, saleque conditus, biduanus, vel triduanus sit: *Carnes* conveniunt vitulinæ, hædinæ, vervecinæ, gallinarum, capreolorum sylvestrium, avium montanarum: *Ova* recentia sint & sorbilia: *Conditura* modica & parca fiat Rad. petroselini, fœniculi, cæpis, alliis, sinapi, Rad. Raphani rustici, Zingibere, mace, cinamomo, pipere, croco, &c. quæ pituitosos & viscidos humores incidere digerere, & ad evacuationem præparare nata sunt: *Potus* sit primo Vinum Neccaricum vel Rhenanum mediocre, cujus loco postea *Motus corporis* in conclavi deambulando fiat, cùm hac ratione magis incalescant membra, citiusque vis expultrix excitetur. *Excretiones* consuetæ, quantum fieri potest, promoveantur. *Somnus* sit nocturnus tantùm, quò de die Natura suum officium in expulsione & separatione heterogeneorum eò magis absolvat. *Affectus animi* moderati sint; cùm horum exacerbatione, qua susque deque commoventur omnia, nihil pejus laborantibus accidere possit.

Diæta.

Ad 2.

Quoad secundum, præcedenti corporis & succorum præparatione præmissâ, morbum ipsum, ejusque malignam qualitatem respiciendo, Fiat decoctum sudoriferum ut sequitur: ℞. *Ligni Guajaci*, quod singulari proprietate contra morbum hunc pugnat, *Sarsa pariglia*, majoris digestionis & incisionis gratia, *ana* ℔ß. *cort. ligni* ob singularem siccandi vim ℥jß. Fiat decoct. facta primum infusione per 24. horas, in tribus Aquæ pluvialis mensuris, quarum quælibet ℔iiij. habeat, idque lento igne, vaseque clauso coquatur ad consumptione tertiæ partis, ubi tempore medio coctionis majoris incisionis & detersionis gratia *Rad. Helenii.* ʒvj. *baccarum Iuniperi, Glycyrrhizæ rasæ an.* ℥ß. *addatur*, de quo decocto, singulo biduo mane, vesperique, tribus horis ante cibum ℥v. bibantur: tertia verò die quiescat æger à sudore, sumatque purgans appropriatum, quod præparetur hoc modo.

Decoctum ligni in pituitosa dispositione.

℞. *Rad. Polypod. quer.* ℥ß.
Erymiæ ʒij.
Fol. senæ s. s. ℥jß.
Cort. frang. inter. sambuci an. ʒij.
Herb. fumar. scordii. an. Mj.
Sem. Anisi. Coriandr. an. ʒij.
F. decoctio in s. q. Aq. & Vini ad tertias.
Coletur. ℔j.

℞. *Colaturæ* ℥iij.
Syr. de spina cervina ℥j.
Extr. diacarth. ℈jß.
Crem. Tartari ℈ß.
M. F. Haustus.

Hoc modo fiat continuatio per triginta dies, decocto Secundo, quod cum reliquiis præparetur, pro potu quotidiano sumpto.

Tandem juxta tertium scopum non negliantur urgentia Symptomata, nimirum *tophi duri brachiorum atque pedum, unà cum exulceratione fistulosâ. Quoad indurationes* Emplastrum de Ranis cum Mercurio, apponatur, eodemq; resolutio tentetur: *exulceratio vero fistulosâ* mundificantibus & consolidantibus non negligatur: quæ omnia præsens Chirurgus diligenter observans, brevi Nobilem patientem restituit, ita tamen, ut annis subsequentibus recidivam pateretur, à qua tamen, adhibitis ex Mineralium quoque familia convenientibus appropriatis, brevi sanitatem constantem recuperavit.

OBSERVATIO II.

De curatione Luis venereæ per ligni decoctum, per inunctionem & suffitum.

CUm anno M.DC.XXII. vocatus, Archiatri functionem in Republicâ hac Ulmensi susciperem, protinus Amplissimi Magistratus nomine mihi mandabatur, ut curationes consuetas in Nosodochio Gallico perpenderem, omnibusque diligenter consideratis Ampliss. Senatum certiorem facerem, num in modo Curationis consueto subsistendum, an verò quidpiam immutandum esse censerem, tàm propter recidivas ægrotantium præcavendas, quàm etiam propter sumptus non necessarios contrahendos. Mox ergo communicato consilio cum Ordinario tunc temporis Nosocomii Medico, simul etiam observato modo procedendi, respondeò, quò ad communem curandi rationem, quæ exhibitione decocti sudoriferi completur, nihil quicquam desiderari posse, cùm non tantum præviis digestionibus, purgationibus, venæsectionibus, verùm etiam balneis absterforiis corpora primùm ritè præparentur, sed insuper ipsum quoque ligni decoctum, convenienti diæta concurrente, eò usque diligenter continuetur, non neglectis mediis externis, quæ concurrentes affectus cujusque laborantis requirunt, donec perfectè restituti videantur. Quandoquidem vero non pauci, præter omnem adhibitam diligentiam, etiam reiteratis curationibus perfectè non sanantur, alii sanati paulò post recidivam patiuntur, non immeritò quæritur, an non præter Ligni Curam, quæ in incipiente Lue plurimum præstat, in radicato verò, nec non inveterato morbo, vix sufficiens esse videtur: (inprimis apud Germanos, quorum corpora ἰνώσαρκα, magis compacta, solidioraque retinendæ, radicandæque malignitati Venereæ aptiora, quàm Italorum & similium, in quibus, propter ratam habitus musculosi constitutionem, citius malignitas ejusmodi vi sudoris discititur) simul etiam Mercurialia & Metallica Remedia sint adhibenda, sive per convenientem *Inunctionem*, sive per *suffumigium*, sive per exhibitionem *Turpheti Mineralis*, vel similium remediorum ritè præparatorum? Id quod etiam in vicinis Rebuspubl. Imperialibus observatur, ubi, quò restitutio laborantium in Nosocomiis exquisitior, brevior & certior fit, universalibus, nimirum digestione, purgatione & venæsectione præmissis, Mercurialia administrantur, nempè *Suffitus* aut *Vnguentũ*, prout lues externas & internas partes occupaverit, in tophis Gallicis, & doloribus artuum simul *Aquâ Causticâ Mercuriali* usurpatâ; imò sæpiùs *Turbith minerale* interiùs propinatur, potissimum processu, qui sequitur: nimirum ante dictorum Mercurialium exhibitionem, ad Mercurii malignitatem reprimendam, & principes partes tutandas, *Alexipharmacum* quoddam exhibetur, nempe cochlear unum atque alterum ex Aqua Theriacali, cum Antidoto quâdam permixta: postea *Suffitus* aut *Inunctio* suscipitur in Laconio; dein *decoctum ligni* datur, & in lecto sudor provocatur, à meridie vicissim haustu decocti sudoris gratia propinato. Talis *Suffitus* & *Inunctio*, tùm etiam *Turpethi Mineralis* exhibitio, ter quaterque, vel plures etiam reiteratur, donec operatio maximè per salivationem subsequatur, quousque malignitas morbi per eandem exhausta sit, singulis diebus interim manè, vesperique decocto ligni pro sudore movendo nihilominùs assumpto, non neglectis convenientib. gargarismis & aliis, quę faucium incommoditatem inde provenientem leniunt. Respondemus itaque, præter Curationem decocto ligni Guajaci diligenter hactenus administratam, commodissimè quoque Mercurialia & Antimonialia ritè præparata introduci posse, cùm experientia testetur, ejusmodi remedia dextrè propinata radicitus luis istius malignitatem extirpare, quod videre liceat, apud *Fracastorium, Forestum, Carpum, Nic. Massam, Guil. Fabricium, Iul. Palmarium, Alex. Petronium Gab. Fallopium, Tob. Knoblochium,* & alios, qui morbum hunc diligenter descripserunt. Quanquam verò non negamus *& Inunctione, & suffumigio,* Mercurialibus ingredientibus correctis præparato, plurimum quoque præstari posse; si diligenter observentur istæ cautiones, quas *Forestus* & *Guil. Fabricius* cum aliis innuunt, longè tamen præferimus ritè præparata Medicamenta dictâ, dum interiùs, tàm propter reiterandas evacuationes per alvum, quàm etiam adjuvandi sudoris gratiâ frequenter propinantur, quorum usum Autoritate Amplissimi Senatus hîc introductum, & huc usque per quadriennium feliciter administratum observationes sequentes demonstrabunt.

Modus procedendi per decoctum ligni.

Cur Ligni Cura non semper sufficiens sit.

Modus procedendi in Inunctione, Suffitu, &c.

Vide Forest. observ. lib. 32. & Guil. Fab. cent. 5. Obser. Chirurg.

OBSERVATIO III.

Lues Venerea à communi lecto contracta.

PVella circiter annor. 18. penes Nobilem herum, lue Venerea laborantem, serviens, & cum ejusdem concubinâ lecto communi utens, post varia symptomata nocturnorum dolorum, angustiæ pectoris & similium, tandem undique pustulis Gallicis & condylomatibus in partibus obscœnis inficitur.

RESOLVTIO.

PUellam hanc *lecto communi primùm infectam* fuisse colligebatur ex eo, quòd Oeconomia tota, propter hanc luem, esset suspecta, quam *infectionem primò cutaneam*, pustulis Gallicis, ex flavo rubescentibus, rotundis, siccâ crusta tectis, in ambitum serpentibus, & alicubi profundiùs cutim exulcerantibus, *praeuntibus doloribus nocturnis artuum & pectoris*, malignitate videlicet adhuc interiùs

Pustulæ Gallicæ. Dolores artuum & pectoris nocturni.

interiùs in sanguinea massa latitante, propter membranosas partes, ossa musculosq; contegentes, ob materiæ congestionem inimico sensu lacessitas, *Condylomata tandem in partibus obscænis* sequebantur, rugosa videlicet ac dura tubercula, marginibus pudendi & inferioris gutturis, *juxta Plautum*, cum admixtis ulcusculis ac fissuris oblongis, *Rhagadibus* dictis, dolore & ardore plurimùm affligentibus, adnata, vel quòd partium harum dispositio tenerior ad recipiendam malignitatem hanc aptior, vel etiam quòd suspicio concubitus cum infecta subesset, qua occasione circa partes has morbus promptiùs, quàm alias, effloreſcit. *Hæc igitur in Nosocomium recepta, primum digestis humoribus in primis viis evacuanda: deinde per diaphoretica, & appropriata catarctica ab infectione maligna morbi liberanda: nec non tertiò, quò ad externa symptomata purificanda judicabatur.* Hinc igitur per CL. V. Dn. D. *Sebastianum Stromajerum*, Collegam honorandum, p.t. Nosocomii Gallici Ordinarium, ex cujus manuali subsequentes aliquot casus deduximus, 8. Junii præcedentis anni 1625. ut & subsequentibus diebus 9. 10. digestivus pulvis quotidie bis in brodio decoctionis rad. Petroselini fuit exhibitus, qui ℞. *Magist. Tart. Vitriol.* ℈ij. *pro dosi.* Subsequenti 11. Junii purgatio fuit instituta per Mercurii dulcificati ℈j. Diagryd. correcti gr. viij. cum Conserva. Rosar. vitriolata, F. bolus, quo assumpto, bis tantùm per secessum operatio subsecuta fuit, corpore per digestivum præmissum mediocriter etiam respectu primarum viarum, purificato. Mox igitur ad *Ligni decoctum accessimus, cujus* ℥vj. *cum Sulphuris aurati Diaphoretici gr. xij. usa est.* 14. 15. & 16. Junii, eo que medicamento sudorem in lecto provocavit, 17. 18. & 19. Balneum sudoriferum accesserit, ubi simul *Aqua Causticâ Mercuriali* foràs adhibita post balneū, externa symptomata magis effloreſcebant. 20. Junii purgatio per alvum destinabatur, assumpto sequenti medicamento, quod

℞. *Merc. dulcif.* ℈j.
Diagryd. corr.
Gutta. Gamandr. ana gr. vj.
Croci Metallorum nostræ prap. gr. iij. M. &

cum pauxillo Conf. ros. exhibeatur, hausto calido brodii pisorum superaddito, cujus operatio semel per vomitum absque difficultate, & sexies per alvum successit 22. 23. 24. 25. 26. & 27. Junii *Decoctum sudoriferum cum Sulph. Aurati Diaphor. gr.* xij. fuit reiteratum, bis interim in hac septimana, propter ulcera externa, tàm in partibus obscænis, quàm reliquo corpore, per aspersionem aqua causticà administrata. Vigesimo octavo Junii rursus purgans fuit exhibitum, quod

℞. *Mercurii dulcificati gr.* xxvj.
Croci Metallorum gr. v.
Diagryd. corr. gr. viij. M.
pro dosi, qua sexies per alvum tantùm evacuatio facta fuit.

Hinc igitur 29. 30. Junii, ut & 1. 2. 3. 4. 5. 6. Julii reiteratum fuit decoctum sudoriferum superius cum additione, non neglectis interim externis exulcerationibus, singulo quatriduo Aqua caustica humectatis. Septimo Julii purgans iteratum fuit, quod

℞. *Croc. Metall. nostr. prap. gr. v.* ☿ *dulcificati* ℈j.
Diagryd. corr. gr. viij.
Gutta Gamandr. gr. vj.
Conf. rosarum. ʒij. M.

quo semel tantum per vomitum, & quater per secessum operante, colligebatur interiùs peccantem materiam ferè expugnatam & exturbatam esse, qua de causa propter habitum corporis magis expurgandum per 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. sudoriferum fuit repetitum, aliquibus in locis Aquâ Causticâ reiteratâ: 19. rursus instituta fuit purgatio per *Mercurii dulcificati* ℈j. *Gutta Gamandr. gr.* viiij. *Croc. Metall. n. p. gr. vj. Conf. Ros.* ʒij. M. Quibus remediis interiùs & exteriùs ad votum restituta, sub finem hujus mensis vicissim ad suos ablegata fuit.

Condylomata. *Rhagados.*

OBSERVATIO IV.

Lues Gallica in prægnante.

Fœmina prægnans ad mensem quintum, Regina **Freyhets** *nominata, circiter 24. annorum ætatis, rhagades & fissuras exulceratas in partibus obscænis, exulcerationem in ore malignam, cum præeunte lassitudine totius, & doloribus artuum nocturnis patitur.*

RESOLUTIO.

Morbus hic Venereus ex circumstantiis, & signis tandem oculum incurrentibus, facilimè colligebatur, concluso simul facto, cùm prægnans, esset medio gestationis tempore; quo purgationes citius, quàm in primis vel ultimis mensibus in prægnante conceduntur, patientem eandem curationem subire posse. Mox igitur 20. Julii præparationis gratia sequens pulvis exhibeatur, qui

Impraegnationis tempus quodnam permittat curationem.

℞. *Cremor. Tart.* ℈j.
Facula Aronis.
Bryonia ana ℈ß.
M. pro dosi.

Die subsequenti fiebat evacuatio per appropriatum, quod

℞. *Mercurii dulcificati* ℈j.
Diagryd. correcti gr. vij.
M. cum Conserva Rosar.

Quo sumpto quater per secessum operatio sequebatur. 30. Julii naturæ quietem concessimus, corroborandi fœtus gratiâ *Balsami Embrionum* cochlearia aliquot concedendo, donec secundo Augusti *potionem sudoriferam ex decoct. ligni* ℥vj. *cum Sulph. Aurat. Diaphoretici* ℈ß. sumeret quotidiè sudoris provocandi gratia, usque ad 13. Augusti, quo materiam interius digestam per alvum exturbare conati sumus exhibito sequenti bolo, qui

℞. *Mercurii dulcificati* ℈j.
Diagrydii prap. gr. vj.
Conf. Rof. Vitriol. ʒij. M.

Hoc septies per alvum operante, sequenti biduo sudoriferum reiteratum fuit, die 16. Augusti propter obstru-

obstructiones alvi vicissim exhibito purgante, quod

℞. *Mercurii dulcificati* ℈j.
Diagryd. præp. gr. vj.
Aloës succotrin. gr. iiij.
Cum Aq. beton. F. pillulæ parvæ.

quibus assumptis sexies alvus deponebatur, evanescente bilis eructatione, capitisq; dolore. Consequenter *Decoctum cum sulphure Aurato* per novendium fuit continuatum, vicesimo sexto Aug. vicissim institutâ evacuatione per bolum, qui

℞. *Mercurii dulcificati* ℈j.
Diagryd. præp. gr. vij.
Conf. rof. vitr. ʒij. M.

Tandem sudores eodem medicamento per octiduum adhuc continuavit, adhibitis interim exteriùs quoque necessariis remediis, ubi propter *oris exulcerationem* frequens fuit usus sequentis Mundificativi, quod

℞. *Mellis rof. colati* ℥ij.
Rob. mororum.
Dianucum ana ℥jß.
Vnguenti Ægyptiaci ʒiij. M.

& post usum convenientis gargarismatis frequenter adhibeatur.

Cautio. *Partibus obscœnis exulceratis*, ne per Aquam Causticam vehementiori dolore concitato vis expultrix uteri, propter affluentiam spirituum & sanguinis, irritetur, tantùm sequens Unguentū frequenter fuit adhibitum, quod

℞. *Vnguenti albi Camphor.* ℥ß.
Mercurii dulcificati ʒj. *optimè Misceantur.*

Sic penitus, Divinâ benedictione, restituta, sanguinem, hactenus tot sudoribus incalescentem, temperare conata fuit venæsectione 5. Sept. institutâ, septimo circiter gestationis mense, fœtus potissimum gratiâ, quo, faciliori transpiratu, conveniens partus tempus expectare posset, quod incidebat in 9. Novembr. ubi puellum sanum & adhuc viventem peperit.

OBSERVATIO V.

Lues Venerea confirmata in corpore robusto.

Catharina Hetzlerin/ *ancilla rustica prope* Geyßlingen/ *annorum* 22. *constitutione corporis robustiori prædita, pustulis Gallicis in toto corpore partibusque pudicis Rhagadibus & exulceratis fissuris ita per scortationem infecta, ut malum amplius celare non posset.*

RESOLVTIO.

Hæc ergò Calendis Octobr. Anno 1623. recepta, primo pulverem digestivum sumpsit, nimirum *Fæculæ Aronis gr.* xij.

Magist. Tartari vitriolati ℈ij.
Corall. rubr. gr. viij. M.

Quo cum brodio Decoct. rad. Cichorei præmisso, subsequenti die pillulas sumpsit, quæ

℞. *Pil. Aurear.* ℈j.
Extr. Cathol. Th. ℈jß.
Merc. dulcific. gr. xv.
Ol. Anisi gutt. iij.
Cum Aq. Fumar. F. pil. communes.

His tribus tantùm vicibus alvum aperientibus, ad fortiora factus fuit progressus, 3. Octobr. exhibitâ *Panaceâ aureâ* (quæ ex croco Metallorum & Mercurio dulcificato proportionatâ mixtura conficitur) *gr.* xij. *cum Zibeba laxativa*, qua semel tantùm operante, medicamentum adhuc validius natura requirebat, qua de causa quarta die Octobris ejusdem *Panaceæ gr.* xviij. *cum tribus Zibebis* exhibita fuerunt, ubi semel per vomitum, & ter per alvum operatio sequebatur. Quinto die *Panaceæ* ℈j. duos vomitus, & ternas dejectiones excitavit. Sexto Octobris, ob externas pustulas & exulcerationes *Aquâ Causticâ* post balneum adhibita, quievit. Septima perrexit in evacuatione, *Panaceæ Aureæ* ℈j. *Diagryd. præp. gr.* vj. *Fæculæ Aronis gr.* viij. *Conf. rof.* ℈ij. commistis, & in bolo cum Saccharo exhibitis. Octavo rursus *Balneo detersorio* præmisso cum *Aquâ Causticâ* partes ulceratas Chirurgus humectavit. Nono, decimoque Octobr. prædictum purgans reiteravit, quod quotidiè quinquies vel sexies per alvum tantum operationē suam peregit. Undecimo rursus à purgatione quiescens *Causticam Aquam* admisi. Duodecimo purgans auctum hoc modo fuit exhibitum.

℞. *Panaceæ Aur. gr.* xxiiij.
Fæculæ Aronis ℈ß.
Diagryd. præp. gr. vj.
Conf. rof. ʒij. M. F. *bolus.*

13. Die Octobr. additamentum in reiteratione purgantis tale fuit.

℞. *Panac. Aur. gr.* xxv.
Fæc. Aronis gr. xij.
Diagryd. præp. gr. vj.
Conf. rof. q. f. F. bolus.

Ubi per vomitum bis, & quater per alvum operatio successit.

14. Causticam aquam repetivimus in locis adhuc nondum perfectè mundificatis, & 15. 16. 17. 18. 19. & 20. purgationem sequentem reiteravimus, quæ

℞. *Panac. Aur.* ℈jß.
Fæculæ Aronis gr. xij.
Diagryd. præp. gr. vj.
Conf. rof. vitriol. q. f. F. bolus.

Quo assumpto, quotidie diminutâ fuit operatio, ut tandem neque per vomitum, neque per alvum quicquam ulterius separaretur. Quiescens igitur per biduum, tandem balneum abstergens adhibuit, & semel adhuc evacuata fuit, sequenti modo.

℞. *Panac. Aur.* ℈jß.
Fæculæ Aronis gr. xv.
Diagryd. præp. gr. viij.
Conf. rof. vitriol. q. f. F. bolus.

Quo leniter tantummodo vicibus expurgata, & sic, omnibus symptomatibus evanescentibus, sana judicata fuit.

Sed Nota, quod per totum Curationis tempus *Decoctum ligni* non tantùm pro potu, sed etiam tribus horis à prandio

prandio pro sudore movendo, cum *Sulph. Aurato diaphoretico*, præscriptum fuerit, iis diebus, ubi matutinis horis evacuationes per alvum instituebantur, idque ad imitationem *Dn. Plateri*, in corpore robusto satis, quod utramque evacuationem non difficulter sustinebat.

OBSERVATIO VI.

Lues in constitutione corporis phlegmatica, cum abundantia seri.

Miles quidam ætatis an. 44. constitutione corporis phlegmaticus, & ad copiam serosorum humorum colligendam promptissimus, lue Venereâ occultâ per annum unum atque alterum laborat, quæ tandem pustulis circa frontem; aphthis exulceratis in ore, serpigine circa brachia & alias partes, atque tophis duris ac dolentibus in tibiis sese manifestat.

RESOLUTIO.

Cum præsens ægrotus *gravi Tympanitide* ante biennium circiter laborasset, tandem ægrè convalescens, *cachexia* prehenditur, præeuntibus & concurrentibus *lassitudine spontanea, doloribus artuum*, præcipuè vespertinis & nocturnis, quæ suspicionem *luis Venereæ* præbebant, præsertim cùm antea *gonorrhœam*, proculdubio malignitate luis exortam, passus esset, unde morbus occultus aliquandiu laborantem afflixit, donec *pustulis circa frontem*, subrubris, elevatis, siccâque crustâ obductis, *aphthis, seu oris ulcusculis sordidis*, in margine livescentibus, *serpigine circa brachia & pectus, aliasque partes siccâ*, durâ, callosâque, à viscosis, tartareis, adustis humoribus proveniente, atque *tophis duris*, &c. sese manifestaret, quæ frequenter in confirmatâ lue conspiciuntur, ubi malignitas cùm phlegmaticis & tartareis humoribus complicatur, ut supra dictum fuit. Mox igitur viribus totius aliàs optimè constantibus adhuc, indicationibus eò directis, ut convenienti corporis præparatione præmissâ malignitas habitui corporis, totique massæ sanguineæ, adeoque ipsis visceribus sanguificationis imbibita, tàm per catarctica, quàm per diaphoretica foràs expellatur, non neglectis interim iis, quæ exterius necessitas requirebat, 25. Januar. Anno superiori 1625. pro digestione *Magist. Tartari vitriolati* ℈ij. exhibuimus, subsequenti purgatione 26. Jan. quæ

Pustulæ Gallicæ in fronte. Aphthæ. Serpigo. Tophi duri.

℞. *Mercurii dulcificati* ℈j.
Salis antimonii gr. iiij.
Diagryd. præp. gr. viij. M.

Quo medicamento sumpto, quater alvus laxata fuit. Cùm autem 27. Jan. reiteraretur in eadem dosi ternas tantummodo sedes causavit, quàm ob causam 28. Jan. & 29. sequens fortius fuit adhibitum, quod

℞. *Mercurii dulcificati* ℈jß.
Salis Ancimon. gr. vj.

quo prima quidem die octies, altera vero quater tantum alvus laxata fuit, qua de causa satis purificatâ saburra peccantis & infectæ materiæ circa primas vias latitantis, primo Febr. *venæsectionem* instituimus, ut ipsa massa sanguinea majorem transpirationem haberet, in corpore aliàs ἰνοχύμῳ. Post venæsectionem tertia die, sicut etiam sequentibus quatuor, *Balneum sudatorium & abstersorium* concessimus, assumpto singulis diebus *Spiritu Ebuli* ℥jß. *cum Aq. Fumar.* ℥iij. permixto, semel atque iterum intermediis diebus post balneum *Aquâ Causticâ* foràs ad serpigines, *Emplastro de Ranis cum Mercurio*, ad discussionem tophorum in tibiis, & *convenienti gargarismo* cum *Syr. mundificante*, ad oris exulceratonem adhibitis. His continuatis 8. Febr. ut & 9. 10. 11. & 12. Sudorem in lecto provocavimus *Sulph. Aurat. diaph. gr.* xij. *cum* ℥vj. *decocti ligni, cum Sarsapariglia permixti, præscribendo.* 13. 14. 15. *Sudatorium cum Spiritu Ebuli* reiteravimus, ut serpigines siccæ, callosæque magis emollirentur & resolverentur, sub finem ultimi balnei Causticam aquam administrando. Postea Sudore rursus in lecto provocato per usum *Sulph. Aurat. diaph. gr.* xij. *cum decocto ligni permixto*, per octiduum facta fuit continuatio: tandem 26. Febr. vicissim instituta purgatione, quæ

℞. *Croci Metallorum n. p. gr.* vj.
Mercur. dulcificati ℈jß.
Diagryd. præp. gr. viij.
Conf. ros. vitriol. q. s. F. bolus.

Ubi semel per vomitum, & quater per alvum evacuatus fuit.

Disparentibus hoc modo serpigine, pustulis, & tophis Gallicis, aliquoties adhuc *Sulph. Aurat. diaph. gr.* xij. *cum decocto* sumpsit, & ab omnibus accidentibus liberatus, menstruo spacio, Dei Benedictione, pristinam sanitatem acquisivit.

OBSERVATIO VII.

Lues Venerea cum adustis tartareis & melancholicis humoribus complicata.

Vetula 66. annor. Christiana Schmidin / *ex pago* Burlesingen / *in familia Lue laborantium vivens, per contagium hoc malum contrahit, principiò quidem occultum, ubi circa sinistram capitis partem noctu dolor eandem prehendit, unde pervigilia: color faciei fit lividus, stomachus & lien gravitate per vices affligunt, tandem cranium & frons apostematibus duris, totumque corpus pustulis elevatis, ex nigro livescentibus, verrucarum acuminatarum speciem referentibus, afficitur.*

RESOLUTIO.

Quomodo *Morbus hic contagiosus sit*, alibi monstravimus: impræsentiarum sufficit, quòd mulier ista communi hospitio, lecto, loturâ, & conversatione quotidianâ victus, cum infectis utens, ipsamet etiam luis malignitatem consecuta fuerit. Quandoquidem vero cum *Cacochymiâ Melancholicâ*, tartareis & adustis humoribus abundante, malignitas jungeretur, mirum non fuit, quod aliquandiu *malum occultaretur*. cum in tali corporis constitutione radices firmas figere soleat, antequam in superficie corporis erumpat. Hinc *sinistra capitis pars*, ob

Vide Obser. 8. sequentē.

Deductio Symptomatum.

ob consensum splenis, *noctu dolebat*, quod putrescenti materiæ, Gallica malignitate corrupta, proprium est, *pervigilia*, revocatione caloris & spirituum ab organis sensuum, quod in somnis accidit, impeditâ, propter inimicam doloris sensationem, *Color faciei lividus*, ob concoctionis læsionem nutritivâ quoque languente, *cum gravitate stomachi, & lienis*, inflatione scilicet hypochondriorum, ab obstructione venarum Meseraicarum & splenicarum concurrente, quod *ructus vacuo ventre* frequenter ascendentes innuebant, cùm *Vrinâ crudâ plumbeâ*. Tandem *circa caput & frontem apostemata dura*, ab iis tumoribus, quos Græci scirrhos appellant, non dissimilia & *pustulæ livescentes, verrucarum instar*, totum corpus invadunt, ex adustis ac viscidis humoribus, unà cum infectione luis, provenientes.

Prognosis. *Vt autem difficulter aliàs hæc Morbi species curatur*, ita majorem solertiam hîc requirebat ætas senilis declinans, qua de causa 26. August. Anno 1624. factum fuit initium curationis, *eò primum respiciendo*, quo primæ *viæ cū venis Meseraicis ac splenicis sensim purificentur*, exhibita potione sequenti, eaq; per quatriduum reiterata.

℞. *Oxymellis Hellebor. Gesn.* ℥vj.
Syr. Domestici.
De Fumaria ana ℥j.
Decoct. fol. senæ q. s. F. haustus.

30. Aug. robustius purgans appropriatum ordinatum, quod

℞. *Panacææ Aureæ* ℈j.
Diagryd. præp. gr. vj.
Conservæ Ros. vitriol. ʒij. *M. F. bolus.*

Hoc per quatriduum reiterato, primo die per vomitum bis, & per alvum sexies operatio secuta fuit: Secundâ vice quater tantum per alvum, tertiâ & quartâ die nihil ferè eduxit, *manifesto indicio*, quod materia digesta & separata totaliter circa viscerum regionem educta sit. Hinc igitur ad *decoctum sudoriferum & balneum abstergens* accessit, ita ut per octiduum singulis diebus cum haustu *Decoctionis ligni, Sulph. Aurati diaphor.* ℈ß. ante balneum sumeret, bis in eâdem septimanâ, propter verrucosas pustulas, undique cutim deformantes, *Aquâ Causticâ* simul post balneum adhibitâ. Subsequenti 11. Septembr. die rursus evacuatio fuit instituta per bolum, qui

℞. *Panacææ Aur. gr.* xxiiij.
Diagryd. gr. vj.
Conf. ros. vitriol. ʒij. M.

Semel itaque per vomitum, & sexies per alvum iterum educta materia, 12. 13. 14. & 15. *decoctum sudoriferum cum additamento* quotidiè bis ad sudorem in lecto provocandum fuit exhibitum: die 16. Septembr. iterum priori purgatione repetitâ, per sex dies subsequentes vicissim *Decoctum sudoriferum* in loco continuatum fuit, bis interim *Aquâ Causticâ* foràs adhibita. Die 23. Septembr. *Purgans Zibeba* una atque altera fuit exhibita, cui includebatur *Panacææ Aureæ gr.* xxiiij. *Diagryd. præp. gr.* vj. M. cujus beneficio quater per alvum leniter evacuata fuit. Tandem per triduum adhuc sudorem in lecto provocavit, & quarto balneum abstergens adhibuit, totaliter restituta, duris tumoribus resolutis, & verrucosis pustulis fundamentaliter consolidatis. Ultimò igitur purgans sequens sumpsit, quod

℞. *Conf. ros. vitriol.* ʒij.
Panacææ Aur. gr. xxvj.
Diagryd. præp. gr. vj. M.

Quo medicamento bis tantum operante, sanguinis eventilandi gratia, 29. venam aperiri curavimus, ut paulò post ab omni malignitate restituta judicaretur.

OBSERVATIO VIII.

Lues Gallica post Scarificationem in balneo publico contracta.

Cum ante quadriennium Anno 1622. ad officium Archiatri vocatus huc venirem, inter alios consilii causâ me conveniebat etiam Civis quidam, textorij artificii, Iohannes König/ *qui de doloribus artuum nocturnis fixis ac vehementissimis conquerebatur, quorum gratiâ diversa medicamenta frustrà præscripsi, donec tandem anno sequenti tophus, maximo præeunte & concurrente dolore circa tibiam sinistram, sese manifestaret.*

RESOLVTIO.

Quanquam *Contagiosus sit morbus* hic, ita ut eapropter non difficulter ab uno ad alterum propagetur, tam in generatione, quatenus ex infecta seminali materia fœtus morbosus, & ad luem hanc dispositus producitur, quàm post generationem, ubi malum hoc in alios transplantatur, non tamen idipsum aliter, quàm *contactu corporali* fieri solet, cum qualitas maligna luis non in aërea substantia, more pestiferi veneni, sed in materia crassiori sedem suam habeat. Talis *contactus corporalis* multiplex esse potest, nimirum per *oscula*, quanda malignis Gallicis ulcusculis os alterius infectum est; *per commune lectum*, linteaminibus ac stragulis, sudore vel sanie Gallica etiamnum madidis; *per vestimenta*, virulenta sanie scatentia, nudo corpori inducta; *per congressum Venereum cum infecto*; per *suctionem lactis*, à nutrice Gallica lue laborante &c. inter quos modos occurrit etiam infectio, quæ per *Scarificationem*, communibus instrumentis & cucurbitulis in balneo factam, interdū observatur, de qua præsens ægrotus conquerebatur. Hic ab ineunte ætate sanus & incolumis, ante annos aliquot hîc Ulmæ scarificationem in balneo publico adhibens, paulò post, *locum scarificatum fœdis ulceribus* depravari deprehendit, quam ob causam Balneatori protinus idipsum indicat, qui metuens infamiam, exulceratam partem consolidat, ipsique laboranti silentium imperat. Repercussa tali modo malignitate versus interiora, pedetentim lues radices egit, donec tandem *doloribus artuum* nocturnis ac fixis vehementissimis afficeretur. Cum autem *frustrà remediorum* vulgarium omne genus adhiberetur, malignitatem aliquam subesse suspicabar, quam subsequens *tophus dolorificus in tibia sinistra*, manifestabat, eò confluente malignitate, quod

Modus contagii in lue Venerea. Infectio à parentibus à contactu corporali per oscula. Per lectum commune. Per Vestimenta. Per venerem. Per lactationem. Per Scarificationem.

quod alias hoc vitæ genus pedes obtineat imbecilliores, utpote cum ejuſmodi textores opificium ſuum, ut plurimum, in ſubterraneis humidioribus cellis ſtando per agere cogantur. Quocirca, ſingulari Magiſtratus indultu, 18. Aug. in Noſocomium Gallicorum receptus æger, per triduum potionem ebibit, quæ

℞. *Decoct. fol. ſenæ* ℥iij.
Syr. de fumaria.
Scordio.
Spina cervina ana ℥ß. M.

21. Aug. purgatur pillulis ſequentibus.

℞. *Pil. de Euphorbio.*
Colocynth. ana ℈ß.
Fumariæ ℈ij.
Merc. dulcificati gr. xij.
Ol. Lavend. gutt. iiij. *F. pil communes.*

Quibus uſurpatis, multoties per alvum educta fuit materia, qua de cauſa primis & Secundis viis hoc modo depuratis, 23. Aug. *venæſectionem* adhibuit. Quieſcens per dies aliquot, 27. 28. 29. Auguſt. ut etiam 1. 2. 3. & 4. Septembr. *Decoctum ligni Sudoriferum* fuit exhibitum, cum *Theriacæ & Mithridatii ana* ℈ij. addito inſuper etiam balneo Sudorifero. Quinto Septembris initium Syrupi Guajacini, qui

℞. *Ligni Guajacini* ℥vj.
Cort. ejusdem ℥jß.
Sarſapariglia ℥ij.
Aq. communis Menſ. iiij.
F. decoctio ad medietatem pro Syr. coletur, & Remanentibus adde
Cinamomi elect. ʒvj.
Sem. Aniſi ℥ij.
Paſſul. min. ℥jß.
Glycyrrhizæ raſæ ℥j.
Aq. Menſ. vj. *decoq. ad tert. pro potu.*

De præcedenti decocto quotidie bis hauſtum ſudoriferum in lecto præſcripſimus per 14. dies, exterius interim etiam Aquâ pulveris veſicatorii deſcriptionis uſitatæ, nec non Emplaſtro Vigonis de Ranis cum Mercurio adhibitis. His nondum ſufficientibus, radicem malignitatis ulterius attingendam eſſe putavimus, idque modo ſequenti.

1. Novembr. evacuatio præſcribitur.

℞. *Extr. Cathol. Th.* ʒß.
Mercurii dulcif. ℈j.
Guttæ Gamandr. gr. vj.
Spiritus vitrioli gut. iij. *F. pillulæ.*

Quibus aſſumptis, quinquies per alvum purgatur.

3. Novemb. fortius exhibetur, quod

℞. *Panacææ Aureæ gr.* xxiiij.
Gutt. gamandr. gr. vj.
Conſ. roſ. vitr. ℥ij. *M. F. bolus.*

Hoc exhibito, ſemel per vomitum & ſexies per alvum fit operatio, quæ ſubſequentibus diebus quater reiterato medicamento lenior ſucceſſit. Quieſcenti igitur ab evacuatione per biduum, 9. Novembr. *Venæſectio* inſtituitur, ſubſequenti viciſſim purgante, quod

℞. *Panacææ Aureæ* ℈j.
Diagryd. præp. gr. v.
Gutt. gamandr. gr. vj.
Conſ. roſ. vitriol. ℥ij. *M. F. bolus.*

Cum autem quinquies tantum per alvum operatio ſubſequeretur, protinus ad decoctum ſudoriferum ſuperius acceſſimus, ſed cum additamento, nimirum Sulph. Aur. diaph. gr. xij. additis in forma pillulari, quod per ſex dies continuavimus.

17. Novemb. purgatio fuit inſtituta.

℞. *Extr. pil. Coch. Cath. Th. an. gr.* xv.
Mercurii dulciſ. ℈j.
Gutt. Gamandr. gr. v.
Spir. vitriol. gutt. iij.
F. pil. communes.

Facta novies per alvum evacuatione, per 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. Novembr. reiteratus fuit hauſtus ſudoriferus cum prædicto ſulphure Aurato. Sed 25. Novembr. iterum prædictas pillulas aſſumpſit, ſepties tantùm per alvum operantes. Porrò 26. 27. 28. 29. 30. Novembr. ut etiam 1. & 2. Decemb. ſudorem repetiit loco ſulphuris Aurati, ipſum Aurum diaphoreticum gr. xij. addendo, tertio Decembr. purgationi priori deſtinato, ubi rurſus ſepties facta fuit purgatio. Repetitis autem per dies aliquot ſudoriferis, poſtea aliquoties pillulas reiteravit, donec nihil quicquam ferè educerent, ipſo laborante, Divinâ Benedictione, penitus à graviſſimis doloribus nocturnis liberato, jamque per annos aliquot conſtanti ſanitate gaudente.

OBSERVATIO IX.

Lues occulta, quæ tandem poſt balneum ſudatorium erupit.

Cum priori caſu conjungo Luem occultam, quam quidam faber armorum, per annos aliquot patiebatur, qui graviſſimis capitis doloribus veſpertinis & nocturnis indies afficiebatur, donec tandem ad balneum publicum accedens, ibidemque ſudatorio ſeſe committens, undique ſerpigine Gallica moleſtaretur, concurrente mox etiam induratione circa tibiam, ad exulcerationem tendente.

RESOLUTIO.

Luem hanc etiam *occultam* voco, propterea quòd malignitas non aliter, quàm per *nocturnos dolores* manifeſtaretur, in conſtitutione corporis ad aduſtionem humorum promptiſſimâ, concurrente ſimul ætate vegeta, triginta, plus, minus, annorum. Cùm verò tandem materia peccans plurimùm abundaret, fieri non potuit, quin procedente tempore exterius etiam ſuæ malignitatis notas exhiberet, occaſione data per balneum, ad ſuperficiem corporis, id quod alienum erat, promovente. Hinc ergò *Serpigines* incurabiles, cutim inæquali duritie cum pruritu plurimùm inficiebant, puſtulis ex rubro flaveſcentibus duriuſculis circumdatæ, cum *induratione circa tibiam, præeunte dolore loci*, circa perioſtium iſtius partis

Occaſio luis erumpentis.

Serpigines Gallicæ.

partis adustâ materiâ malignâ collectâ. Quocirca, facto decreto Senatus, ad ordinariam Curationem æger quidem recipitur, ita tamen, ut simul inveterati morbi difficultas, quò ad restitutionem, indicaretur. Quod igitur auspicatò fiebat, 30. Aug. 1624. per lenitivam evacuationem fit initium, quæ

Prognosis.

℞. *Decoct. fol. Senæ.* ℥iij.
Elect. lenitivi ℥ß.
Syr. de fumaria ℥jß. M.

Et per biduum repete, mox alio triduo superaddendo, quod

℞. *Oxymellis Helleborati Gesn.* ℥j.
Syr. de fumaria ℥jß.
Crem. Tartari ℈j.
Decoct. fol. Senæ. q. s. pro haustu.

His ad præparationem præmissis, 4. Sept. pillulas sequentes usurpavit.

℞. *Panacææ Aureæ* ℈j. *gr.* vj.
Extr. Cathol. Th. ℈jß.
Ol. succini gutt. iij.
F. pil. instar. communium.

quibus assumptis, semel per vomitum, & decies per alvum operatio sequebatur.

6. Septembr. purgatio reiterabatur formula sequenti, quæ

℞. *Panacææ aureæ* ℈j. *gr.* vj.
Diagryd. gr. vj.
Cons. ros. vitr. q. s. F. bolus.

quo semel vomitu, & novies per alvum evacuabatur.

8. & 9. Septembr. eandem dosin repetendo, singulis vicibus octies per alvum laxabatur. Quiescendo per diem, 11. Sept. sequens fuit reiteratum, quod

℞. *Extr. Cathol. Th.* ℈jß.
Panacææ aureæ ℈j. *gr.* vj.
Ol. Anisi. gutt. iiij. M.

detur in aliquot Zibebis laxativis, ubi semel per vomitum, & novies per alvum operatio fuit observata.

Hoc modo per alvum optimè deturbata materia superflua, per sex dies subsequentes *Decoctum ligni sudoriferum cum cort. & sarsâ pariglià paratum*, additione *Sulph. Aur. diaphor. gr.* xij. singulis diebus bis fuit adhibitum, semel atque iterum *Aquâ Causticâ Mercuriali* superficie tenus ad serpigines & pustulas Gallicas aspersa, cujus usum extractio venenatæ malignæ materiæ plurimum exterius sequebatur, concurrente simul *oris salivatione & exulceratione*, cui sequens mundificativum ordinavimus, quod

℞. *Rob. Nucum, diamoron ana* ℥j.
Mellis ros. colati. ℥ij.
Vnguenti Ægyptiaci ʒij.
Aluminis usti ʒj.
Spiritus vitrioli ℈j. M.

18. Septembr. pillulæ (11. Sept. ordinatæ) fuerunt repetitæ, semel per vomitum, & octies per alvum operationem suam perficientes. Porrò *Decoctum sudoriferum cum Sulph. Aurato diaph.* per quinque dies reiteratum fuit, caustica quoque simul aqua repetita, subsequente, 23. Septembr. purgatione sequenti, quæ

℞. *Mercurii dulcificati* ℈j.
Croci Metallorum n. p. gr. vij.
Diagryd. præp. gr. vij.
Cons. Ros. vitriol. ʒij. M.

Hoc bis per vomitum, & novies per alvum operante, subsequenti triduo vicissim sudores, ut antea, provocati fuêre, pedetentim serpigine, crustisq; pustularum excitatis decidentibus. 27. Sept. iterum evacuatio tentata fuit, quæ

℞. *Panacææ Aureæ gr.* xxvij.
Diagryd. præp. gr. vj.
Conserva Ros. vitriol. q. s. M.
F. bolus.

Ubi quinquies tantum alvus laxata fuit, Balneo igitur abstersorio præmisso, 30. Septemb. venæsectio fuit instituta in brachio sinistro, naturæq; reliquum, quod erat, committebatur, 7. Oct. ultimo dato purgante, quod

℞. *Panacææ Aur. gr.* xxvj.
Diagryd. ij. *præp.* vj.
Cons. ros. vitriol. q. s. M. F. bolus.

Hoc ter tantùm per alvum operante, nec quicquam adhuc ægro conquerente, purificatis undique fœdis exulcerationibus, novaque cute quasi generata, pristina sanitas subsequuta fuit, ita ut DEI gratia hucusque per annos aliquot nihil quicquam æger conqueratur.

OBSERVATIO X.

Lues gravissima totius corporis pustulosi.

Christina Beßlerin *Geislingensis, annor. 22. promiscuæ scortationi dedita, tandem undique tàm in capite, quàm in reliquo corpore pustulosa redditur, rhagadibus, & condylomatibus exulceratis, circa partes obscænas horribiliter affecta.*

RESOLVTIO.

Cum impurum atque promiscuum concubitum cum diversis scortum hoc, hîc in diversorio publico serviens, confiteretur, facilimè luis hujus confirmatæ causa præcedens colligebatur. Admodum verò tota massa sanguinea malignitate luis hujus affecta, curationem requirebat satis penetrantem, ac singulari proprietate, malo confirmato convenientem, quam robustior natura laborantis facilime sustinere videbatur. Malo itaque nodo malum cuneum inquirendo, Mercurius vitæ sese offerebat, quo purgationis gratia protinus initium fiebat 12. Novembris, currentis anni 1625. hoc modo: ℞. *Mercurii vitæ gr.* viij. *cum mucilagine Tragacanth. F. pillula*, qua sumpta sæpius alvus dejiciebatur, copiosa materia superabundante, sed sine molestia, qua de causa dosis eadem 13. Novembr. reiterabatur, ubi quater tantum operatio subsecuta fuit. Augendo dosin 14. ℈ß. exhibebatur, duabus confectis pillulis, quibus deglutitis sexies purgabatur. Hoc modo mediocriter evacuata, *Sudoriferum decoctum* quotidie bis sumpsit *cum gr.* xij. *Sulph. Aurat. diaphoretici* per quatriduum, postremis diebus exterius etiam

Scortatio promiscua luis gravissimæ causa.

Malo nodo malus quærendus cuneus.

Curatio per Mercurium vitæ.

etiam *Aquâ Causticâ Mercuriali* simul administratâ. 19. Novemb. iterata fuit purgatio Mercurii vitæ gr. xj. exhibitis, quâ moderatè subsequente. 20. Novemb. *Aqua Caustica* vicissim adhibita fuit, simul, uti quoque 21. Novemb. *decocto sudorifero cum additamento Sulph. Aurati diaphoretici* repetito. 22. Novemb. evacuationis gratiâ *Mercurii vitæ gr.* xij. exhibita fuerunt, tolerabili evacuatione superveniente. 23. Novemb. iterum Sudorem provocavit. 24. Novemb. iterum: *gr. xij. Mercurii vitæ* Sexies purgatur. 25. Novemb. Aqua caustica propter profundas & sordidas exulcerationes in partibus obscænis & aliis iterum adhibetur. 26. Novembr. ob laxationem alvi sequens sumit,

℞. *Mercurii dulcif.* ℈js.
Diagryd. corr. ℈ß.
Cum Conf. rof. M.

27. 28. 29. 30. Novemb. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Decembr. *Decoctum Sudoriferum cum Sulph. Aurato* continuatur. 10. Decembr. purgatur sequenti, quod

℞. *Mercurii dulcif.* ℈jß.
Diagryd. corr. gr. x.
Ubi sexies alvum deposuit.

11. 12. 13. 14. repetiit Sudoriferum, ut antea.

15. ℞. *Mercurii vitæ gr.* xij. aliquoties operando sumpsit. 16. Decemb. quievit, 17. reiteravit priorem dosin *Mercurii vitæ.* Septies subsequente purgatione. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. naturæ quies concessa fuit, cum penitus restituta videretur: 26. Decembr. ex abundanti repetiit *Mercurii, vitæ gr.* xij. tribus tantum secessibus subsequentibus. 27. repetitum medicamentum unicam tantum sedem provocavit. 30. vero nullam operationem sensit, totaliter à gravissima lue perfectè σὺν Θεῷ restituta.

Nota tamen quod propter *oris gravissimam infectionem*, tàm à morbo, quàm ab Aqua Mercuriali Caustica, continuis *gargarismis mundificantibus*, inprimis etiam *Spiritus Vitrioli* dilutis, nec non exterius *Emplastro citrino* primum, post *Albo cocto cum Merc. dulcific. ad* ℥ß. ʒj. *permisto*, & aliis, post mundificationem partibus exulceratis succurrendum fuerit, adhibitis interim, suo tempore, diversis *balneis sudatoriis* abstergentibus, una cum *venæsectione*, temperandi sanguinis gratia, sub finem restitutionis adhibitâ.

OBSERVATIO XI.

Puellus sex mensium, toto corpore, & præsertim in locis pudicis pustulosus.

Georgius Ganser Balzheimensis, puellus sex mensium à parentibus lue Gallicâ laborantibus natus, toto corpore pustulas Gallicas & ulcera fœda circa partes pudicas exhibet.

RESOLUTIO.

Luem hanc esse hæreditariam.

QUanquam ejusmodi sit malignitas hujus luis, ut propter firmas radices, quas pedetentim corpori laborantis inprimit, facilimè per generationem, tam propter seminis impuritatem, quàm ob menstrui sanguinis noxam, fœtui communicari queat, fieri tamen hîc etiam promptè potuit, ut infans ob nativam constitutionem ab ortu debiliorem, propter amplexum parentis, inprimisque matris lactentis, inficeretur. Hinc totum *corpus pustulosum reddebatur*, contactu corporali, tenerrimâ cute per malignitatem infectâ, & *ulcera fœda nates, ac vicinas partes* afficiebant, quatenus ibidem, ob mollitiem & calidam humidam locorum constitutionem, facilior est alienæ qualitatis receptio.

Destillatum ligni.

Hinc 2. Decemb. 1625. primò *destillatum ligni Guajacini*, quod in ejusdem decoctione per appositum alembicum colligitur, pro potu quotidiano fuit ordinatum, leviter Saccharo Candiæ dulcoratum, de quo toto curationis tempore pro lubitu & appetitu eidem exhibitum fuit, ita ut undique per somnum, & aliàs, etiam sudores totius corporis ea propter in tenellâ constitutione subsequerentur. Mox autem *Mercurii dulcific.* ℈ß. cum jusculo permixtus exhibebatur, ubi per alvum aliquoties dejectio fiebat. Reiterabatur hæc dosis 3. 4. & 5. Decembr. cum facilitate virium quotidianis evacuationibus subsequentibus. Mediocriter evacuato toto corpore, *Balneum* adhibitum fuit *abstersorium* 6. & 7. Decembr. præmisso semper *haustu destillati Guajacini.* Die 8. Decembr. ob malignitatem ex habitu corporis extrahendam *Aqua caustica* partibus exulceratis fuit adhibita. 10. Decemb. *vicissim* ℈ß. *Mercurii dulcificati, Diagryd. corr. gr.* ij. *additis* exhibebatur cum successu. Hoc modo naturæ quietem concedendo per dies aliquot, solo destillato sitis compescendæ causa sumpto, nihil usurpatum fuit, usque ad 15. Decembr. ubi rursus Mercurium in priori dosi præbuimus, quibusdam in locis Aqua caustica simul iterata. Dosin Mercurii priorem absque Diagrydio per septimanam adhuc continuavimus, qua haud parum operante, tandem totaliter DEI gratia puellus hic restitutus, parentibus suis ab eâdem lue vicissim quoque convalescentibus tradebatur. *Hactenus historiæ quædam Nosocomii Gallici ex innumerabilibus aliis selectæ & resolutæ: jam observationes malignæ & contagiosæ plures extra Nosocomium etiam administratæ subsequuntur.*

OBSERVATIO XII.

Curatio Morbi Gallici per modum salivationis, exhibito Mercurio.

Vir Clariss. & Excell.

DN. ANDREAS SCHILLING,
Med. D. in Republ. Argentinensi,

GREGOR. HORSTIO, D.
S. P. D.

SIngulari gaudio me affecerunt literæ proximæ, Vir Amplissime, Experientiss. & Clariss. Fautor & Præceptor observande, quod veteris in me favoris plenissimæ essent, ejusque ulteriorem prorogationem promitterent, pro quo vicissim omnem honorem & obsequium Excellent. Tuæ ego polliceor.

De obitu prematuro amici mei optimi, *D. Petri Fuhrmanni*, res certa est: utinam is saluti publicæ diutius superstes esse potuisset, id profecto in re medica præstitisset, quod omnes mirari, perpauci imitari potuissent: sed fato concedendum erat, DEO ita disponente: obiit autem æstate præteritâ, ex febre maligna Epidemia. De ejus genuino *Theophrasti Corallino*, mihi præter ipsum jam paratum medicamentum, nihil videre contigit: petii quidem, ut præparationem communicaret, sed hanc negabat, causam in defectum fornacum & instrumentorum aliorum, ad hoc opus singulariter necessariorum, referebat. Erat autem *Corallinum ejus* facie non absimile Croco Martis. Hoc audivi aliquoties, quod *Crollii Corallinum* à vero absit toto cœlo, ipsumque genuinum ex solo paretur Mercurio. Cæterùm in Gallicâ lue non memini ab eo fuisse adhibitum; vidi autem ab eo curam in Anglia, ubi *album illum sublimatum* adhibuit, quem *Mercurium dulcem* appellant, non omnino absimilem illi, qui in *D. Sennerti institutionibus*, & in *Tyrocinio Chymico Beguini* describitur, & ex sublimato communi & crudo Mercurio simul mistis & sublimatis componitur, cujus particulam aliquam Excell. T. videndam hic mitto. Curationis ordinem hunc servavit: disposuit corpus primùm ad evacuationem per nodulum, triduo post vomitorium suum, valdè sibi in usu medico familiare, administravit, tùm de hoc Mercurio gr. 30. plus minus, pro subjecti habilitate, in conf. ros. & conf. Alkermes exhibuit, & si postridiè salivare ceperunt ægri (quod symptoma ipsis familiare solet esse in materiæ illius vitiosæ commotione) cessavit ab ulteriori remediorum applicatione, ægros tenuissimè, aut omninò non, cibavit, donec saliva fluere desiit: si verò tertio die à primâ Mercurii exhibitione nondum salivâ fluxit, iterum exhibuit prædictum Mercurium, sed auctâ dosi ad 6. vel 8. gr. Si pariter hac exhibitione nihil secutum est, tertia vice dedit, temporis simul & augmenti observata proportione. Dum fluxit saliva, quievit; conquerentibus autem de faucium & palati exulceratione, & vacillatione dentium (quod malum nemo adhuc à mercurio arte potuit avertere) gargarismum fecit ex astringentibus aquis, & alumine. Ulcera, si adfuerunt, curavit elui Aquis Veronicæ & Rosarum, in quibus aliquid Mercurii sublimati communis solutum fuit. Finito palati fluxu, decoctum ligni dedit, & sudoribus discussit, si quid fuit residuum. Hic D. Fuhrmanni erat modus, quem ordine describere volui, ut Excell. T. petitioni abundè satisfacerem. In Nosodochio nostro Argentinensi huic morbo curando destinato Ligni cura administratur, quæ in incipienti lue multum facit, sed non omnem radicitus tollit, confirmatam maximè, & quæ est in emaciato corpore, ad ulteriorem siccationem inhabili. Valeat Excell. T. cum tota familia, meque amare pergat: & à me sibi observantiam & officia quæque paratissima promittat. Argentinæ, 3. Calend. Febr. Anno 1623.

De Corallino Theophrasti. pag. 145.

De Arcano Corallino vid. Pharmacop. Cathol. in Indice.

Ordo curationis per salivationem.

Usus decocti Ligni non semper sufficiens.

OBSERVATIO XIII.

Curatio Morbi Gallici per inunctionem Aquæ Mercurialis.

Viro Clariss. & Excell.

DN. ANDREÆ SCHILLING, Med. D. & Practico Reip. Argentinensis.

Gregor. Horstius, D.

S. Gratias ago, Vir Clarissime, pro communicatis. Miror autem cur vester Mercurius sublimatus albus, quem dulcificatum communiter dicimus, ejusmodi salivationem produxerit: si enim ritè purificetur Mercurius crudus, & ipse sublimatus etiam ritè præparatus sit, indeque per aliquot operationes reiteratas præparatio peragitur, omninò mitis redditur, ita ut in centesimo vix salivationem excitet, quemadmodum quotidiè hic experimur. Hinc ergo suspicor, ab amico nostro Dn. Fuhrmanno, piæ memoriç potius aliud Mercuriale medicamentum ad salivationem excitandam fuisse adhibitum. Corallinum ipsius ab amico quodam communicatum ita describitur.

℞. *Mercurii optimè purificati, vel etiam ex Cinnabari extracti* ℔j. *Salis nitri, vitrioli, an.* ℔j. *Aluminis plumosi* ℥jß. *Aceti destillati q. s. M.* primò, abstrahitur phlegma, post auge ignem per 24. horas: præcipitatum digere cum Spiritu vini.

Descriptio Corallini.

Sed quid judicas de sequenti Luis curatione cujusdam celebrioris Medici in Galliis, qui primò Vomitorium per biduum exhibet, tertia die purgatio per extractum catholicum instituitur, quarta Aurum diaphoreticum cum Theriaca & pulvere serpentum exhibetur: postea totum corpus Aqua Mercuriali sudorifera inungitur, linteis æger involvitur, & sudor quotidie provocatur. Auri diaphoretici descriptio talis est: ℞. *Mercurii vivi optimè selecti & purificati* ℥jß. *Auri puri* ℥j. *Hoc solvatur Aquâ Regis: Mercurius verò Aquâ Forti: conjunge solutiones & destilla aquositatem per Balneum, in fundo remanebit præcipitatum, quod edulcoretur aquâ calidâ.*

Singularis Curatio Luis.

Aurum diaphoreticum singulare.

Descriptio Aquæ Mercurialis sudoriferæ talis: ℞. *Merc. sublimati* ℥ij. *Arsenici albi* ℥j. *Euphorbii* ℥ij. *Spiritus Vini optimi Mensur. j. Aq. Rosarum* ℥xij. *digere per 24. horas, posteà toti corpori pennâ illinatur.* Hæc sunt amice optime, quæ reciproco affectu te scire volui. Vale, & me ama. Raptim Ulmæ 3. Id April. 1623.

Aqua Mercurialis.

OBSERVATIO XIV.

Ulcus fistulosum Gallicum.

Vir Clariss. & Excell.

DN. JOHANN. BILGERUS, Med. D. & Physicus Campodunensis,

GREGOR. HORSTIO, D.

εὐπράττειν.

Opinione mea tardius, Vir Clarissime ac Experientissime, affinis plurimùm honorande, ad te scribo. At

At quænam hujus morę potiſſimùm cauſa forſan inquies? Referam. Certe non alia, quàm itinera diverſa, tùm longè diſſita, tùm vicina. Ex diſſitis eſt iter Lucernenſe & Kircheimenſe. Etenim quatuor abhinc ſeptimanis, Lucernam Helveticorum, ad Generoſiſſimam quandam fœminam, ex inclyto Dapiferorum ſtemmate à Waldburg prognatam, hydrope laborantem, curationis gratiâ vocatus fui. Prædictæ hujus fœminæ Sororem, Eliſabetham, Generoſiſſimi Comitis Fuggeri Uxorem, præteritâ æſtate, S.S. DEI beneficio, ac meâ tenui opellâ, ab hydropiſi, ſimiliter liberavi. Hanc poſtremam, peracta feliciter curatione, ad balnea Helvetica ablegavi, & quidem eo fine, ut, ſi quæ forſan ſuperſtites morbi reliquiæ viſceribus inhærerent, evacuarentur, diſſiparenturque, ac robur etiam externis membris adderetur. Ex quibus etiam, Dei gratiâ, corroboratis omnibus corporis membris, ac boni habitus, ex voto ad nos pedem retulit, & in hunc usque diem ſana degit. Hæc dum ſcribo, ſingularis quidam ac memoratu dignus caſus memoriæ ſeſe obtulit meæ, quem præterlapſa hinc æſtate præ manibus habui, cujus, quum te rariorum percupidum ſciam, te quoque participem facere non gravabor. Textoris cujusdam in hac noſtra Campidona filius ulcere quodam cacoëthico, ambulativo (vulgus indigitat hoc ulcus **der ſchlieffende Wurm**/ propterea quod hac atq; illac, tineæ inſtar, ſenſim ac ſenſim carnem, ac nonnunquam oſſa exedendo, cum novis ſubinde repullulaſcentibus ulcuſculis, circùm circa, ac pure fætido, maximo cum ægrorum interdiu, noctuq;, cruciatu perforat:) ſiniſtri brachii diu laborans, in manus imperiti cujusdam impoſtoris, cujus inani opellâ, ad tres fermè anni partes uſus, incidit. Tandem, poſt tot medicamentorum, fruſtrà adhibitorum, uſum, parens ejus, conſilii cauſa me conveniens, ut filium ipſius perperam conſtitutum viſitarem, petiit: & è veſtigio veſtigium vocantis ſum ſecutus. Ingreſſo igitur patientis hypocauſto, non tantùm brachium ſiniſtrum ulceribus malignis ſcatens, verùm etiam ad oculi uſque ſiniſtri orbitam aſcendiſſe ulcus, ibiq; exedendo muſculum ſupernum atq; vicinum ab oſſe ſeparaſſe; ac devoraſſe, relicta poſt ſe grandi cavitate, ita ut alter Lazarus videretur, invenio. Ex hac orbita ulterius ad tempora, & capitis bregma progreſſum eſt hoc ulcus; ubi in bregmate, grande & malignum ulcus, horribili aſpectu, cum oſſis calvariæ ac cerebri corruptione viſui ſeſe obtulit noſtro, ut majus nunquam viderim. Verè mihi credas, cerebrum apoſtematum, magnitudine ovi Anſerini, extra calvariam corruptum, propendebat, & fermenti inſtar fermentabat. Arrepto itaq; ſpecillo, in cerebrum ſiniſtri lateris apoſtematum intromiſi, & ſenſim atque ſenſim cum ſpecillo progredior, usq; quò poſticam capitis partem, eo ipſo pertingo. Quo facto, ægrum interrogo, num quid nonnihil doloris ex intruſo ſpecillo ſentiret, nec ne? reſpondit planè nihil ſeſe ſentire. Facto itaque mecum prognoſtico, quum fœtor præſens nares aſtantium putridi ovi inſtar feriret, nullam curationis ſpem affulgere, nec diu ſuperſtitem vivere poſſe, ipſumque vel convulſionibus, ob malignum fætorem, nervoſo generi infeſtum, vel apoplexia periturum prædixi. Cujus eventus me non fefellit, ſiquidem X. elapſis diebus poſt, vitam, ſupervenientibus ingentibus convulſionibus, cum morte commutavit. Accito itaq; meo Chirurgo, portiunculam cerebri apoſtemati, pomi inſtar, raſorio detrahere jubeo, putans me perventurum ad ſanam cerebri partem; verùm operatio fefellit. Impoſitis itaque convenientibus medicamentis per Chirurgum, domum me confero, ſequenti die viciſſim ad eundem vocor, cui ſimiliter detraxi portiunculam de cerebro, abſque minimo doloris ſenſu. Repeto etiam ſectionem tertia die, nec tùm temporis ſana cerebri pars à me fuit viſa unquam, Prædictus patiens, quod penè excedit omnem fidem, omnibus ſenſibus integris utebatur: nulla aderat eorundem vel diminutio, vel abolitio, vel depravatio, quod exinde manifeſtò liquet, quoniam de omnib. ipſi propoſitis probè diſcurrebat, ac ratiocinabatur, præteritorumq; etiam optimè recordabatur. Quotusquisque eſt medicorum, qui ob putridorum vaporum præſentiam, ſpiritui animali, ac nervoſo generi extremè inimicam, præſentem, protinus non pronunciaſſet mortem? Hic providæ ac ſagacis naturæ in corpore humano providentia cunctis admiranda venit, quæ in hoc ægro, in tanta malignorum vaporum caterva, nobiliſſimas Palladis arcis functiones non tantùm exercuit, verum etiam eaſdem, tàm longo temporis ſpacio illæſas conſervavit. Memini me non ita pridem Epiſtolam quandam abs te exaratam in Ciſta Medica Dn. Hornungii legiſſe, qua hanc moves controverſiam pag. 478. numquid Cerebrum apoſtemari poſſit, necne? cui ut doctè ibidem diſſeris, experientia ſingulari hiſtoria ſatis ſufficienter ſuffragatur. Jam ne videar tibi moleſtus, filum abrumpam. Vale Vir Excellentiſſime, mihiq; ſummopere obſervande, meque ob multa tibi beneficia devinctiſſimum in poſterum redames, obnixe rogo. Dabam Campoduni 7. Dec. Anno 1626.

Thermæ in hydrope quando conveniant.

Obſervatio Ulceris maligni.

Admirandus cerebri abſceſſus.

Vide lib. 1. Epiſt. Medicinal. ſect. 17.

Viro Clariſſ. & Excell.

D. JOHANNI BILGERO, D. & Reipub. Campodunenſis Phyſico Ordinario,

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. Gratiſſimæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Clariſſ. Excellentiſſ. Affinis & Amice pl. Colende, tàm propter Soceri tui agnatam, quę pillularum iſtarum deſcriptionem, tanquam ſolatium ſenectutis ſuæ, plurimum deſiderabat, quàm etiam quod iisdem te cum tuis ex voto vivere cognoſcerem. Caſus additos ſingulares libenter legi, quos ſi vixero, cum aliis in Secunda parte Obſervationum prælo ſubjiciam. Quod primum attinet, eventum non admodum miror, *quoad operationes animales ad vitæ finem ſuperſtites*, ubi ruminor illa quæ in *Epiſtolis Medicinalibus ſect.* 17. propoſui, inprimis quæ retulit Collega meus, *Dn. D. Moyſes Held, Noſocomii Pauperum Ordinarius* ſingulari Epiſtolio de veriſſima hiſtoria cujusdam, hic in Noſocomio demortui. De Origine mali διαγνῶσιν exquiſitiorem deſiderarem, quænam iſtius exulce-

Vide has pillulas lib. 1. Ep. Met. ſect. 16. p. 478.

exulcerationis causa fuerit, non juxta vulgi denominationem, ubi nomina pro lubitu rebus imponuntur, sed ex rei essentia. Recordor cujusdam fœminę, quæ ante biennium vobiscum aliquandiu, & nisi fallor, sub tuo quoque regimine, fuit, militis cujusdam præsidiarii, antea vobiscum viventis, uxoris, quæ brachium habebat undique fistulosis ac sordidis ulceribus scatens, ita ut ossium quoque caries aliquibus subesse videretur, quam ob causam à multis pro deploratâ judicabatur, donec tandem toti Collegio Medico ad mandatum Amplissimi Magistratus sisteretur. Hic observatâ externâ mali facie, mox suspicio *infectionis Venereæ* mihi suboriebatur, quam ob causam in præsentia Collegarum in antecedentia inquirebam, & ex confessione propria laborantis certior fiebam, quod ante annos aliquot rhagadibus circa partes obscænas affecta fuerit, quibus leviter, externis remediis, consolidatis, malignitate versus interiora vergente, primò *tumores*, mox ejusmodi *fistulosa ulcera* circa brachium successerint. Eò igitur respiciendum esse duximus, ut convenies Morbo Gallico curatio cum eadem institueretur, inprimisque per Mineralia nobis consueta, plurimum radicato malo succurrentia. Quibus per *Dn. Collegam D. Sebast. Stromajerum, Nosocomii Gallici Ordinarium*, peractis, optimè sanitati restituta fuit, fistulosis istis ulceribus penitus, post purificationem, consolidatis, quanquam brachium in musculosis atque tendinosis partibus, ob præcedentem exulcerationem admodum læsum, omnino contractum remaneret. Hisce bene vale cum tuis. Raptim Ulmæ 15. Decemb. Anno 1626.

Observatio exulcerationis Gallicæ singularis.

OBSERVATIO XV.

Febris continua cum malignitate luis Venereæ conjuncta.

Strenuus quidam militiæ præfectus, annorum circiter quadraginta, constitutione corporis cholericus, anno currente 1628. verno tempore de febre continuò affligente conqueritur, cum insigni capitis dolore, noctu plurimum affligente, quem pustulæ Gallicæ circa frontem, auris exulceratio, serpigo vetus in brachiis & aliis partibus exacerbata, similiaque symptomata, comitabantur.

RESOLUTIO.

Æger hic decumbens, & ab adhibitis, juxta Medendi Methodum, quoad febrim continuam, convenientibus remediis parum levatus, præter duos adstantes Medicos, admodum urgentibus supradictis symptomatibus, me quoque per milliaria sex ad sese vocare jussit, qui veniens, & in statum præteritum atque præsentem ægrotantis inquirens, protinus pronuncio, febrim istam continuam reliquias luis præsupponere, quarum ratione graviora symptomata reddantur. Quanquam vero, pro tempore, febris appropriata sua remedia requirat, vitream tamen valetudinem expectandam esse dixi, nisi, temperatis febrilibus symptomatibus, Curatio Morbo Gallico conveniens adhibeatur. Quandoquidem verò consilium hoc aliquibus alienum videbatur, utpote cum curationes ejusmodi sudoriferæ forsitan de novo febrim accendere, nec non recidivam deteriorem producere possent, minimè tamen laboranti, benè sibi conscio, displicebat, quam ob causam à febri, taliter qualiter, restitutus, huc sese contulit sub finem Maii, ubi communicato consilio cum Collega meo fidelissimo, *Dn. D. Sebastiano Stromajero*, sequentem processum observavimus: Nimirum 15. Maij digestionem instituimus, usu Magisterii Tartari Vitriolati ℈ij. quotidie bis in brodio decoctionis radicum Cichorei propinati, subsequenti postea potiuncula laxativa, quæ

℞. *Syr. rosat. solut.* ℥jß.
De Helleboro nigro ℥j.
Extr. Catholici ℈ij.
Cremoris Tartari ℈s.
Decoct. fl. & fr. cum fol. senæ q. s. F. haustus.

Cum hoc ipso laxativo reliquiæ febris, biliosi videlicet & adusti humores peccantes, novem vicibus cum εὐφορίᾳ educerentur, diebus sequentibus decoctum sudoriferum exhibuimus, hoc modo paratum.

℞. *Ras. ligni Guajacini* ℥vj.
Sarsæparigl. ℥jß.
Cort ligni ℥j. *Infunde per noctem in s. q. aquæ. Fiat decoctio s. ar. ad remanentiam Mens.* jß. *sub finem coctionis adde Sassafras* ℥ß.
Coletur & sign. Schwitzwasser.

℞. *Reliquias, adde ligni Guajacini* ℥j.
Infunde per noctem in 8. *Mens. aq. postea coq. ad tert. adde sub finem coctionis Sassafras* ℥ij.
Passular. min. ℥iij.
Cinam. opt. ℥ß.
Coletur. & sign. Trinckwasser.

Ordinata itaque diætâ & loco vini decoctum hoc Secundum bibendo, 28. Maii balneum abstersorium vaporosæ decoctionis *Herb. Fumariæ, centaur. min. fl. chamameli, &c. adhibuit*, præmisso *Sudorifero decocto* ℥v. *additis* gr. viiij. *Bezoartici Mineralis*, idque per biduum subsequens ad ℈ß. repetitum fuit 13. Maii purgans ordinarium fuit, quod

℞. *Laxat. Miner. compos.*
Diagryd. cum Sulph. calc. ana.

℈ß. quo sexies operatio facilis fuit subsecuta. Porro 1. 2.3. & 4. Junii Sudor in balneo accommodato, præmisso decocto cum pulvere Bezoartico dicto, continuatus fuit, quotidie bis, quinto mensis ejusdem purgante pulvere reiterato: Quanquam vero malignitate per usum appropriatorum commota, non tantum *casus pilorum circa tempora*, sed etiam *dolor arthriticus quasi* circa articulationem ulnæ, tum etiam *glandularum intumescentia dolorifica circa pubem*, & in diversis brachiorum ac femorum partibus *serpigines æstuantes ac pustulæ Gallicæ* suboriebantur, non tamen eo ipso pusillanimis æger fiebat, sed potius judicio nostro subscribebat, & eò perfectiorem restitutionem sibi pollicebatur. Continuatis itaque sudoribus, unà cum intermediis evacuationibus pilos sua sponte renascentes observavimus, discussis interim doloribus,

diversas

diversas partes affligentibus, ubi tamen aliquoties ad serpiginem & pustulas *aquam Causticam* adhibuimus, partibus exulceratis tandem *Emplastro Citrino*, tum etiam aliquibus in partibus Unguento Rosato cum Mercurio dulcificato permixto succurrendo. Hoc modo DEI benedictione bellè restitutus æger, venæsectionem temperandi sanguinis gratia 16. Junii adhibuit, & ad corroborationem concoctionis sæpius Elix. Proprietatis ℈ß. nec non jecoris calidioris temperandi causa, Conservam rosarum vitriolatam, tum etiam Conservam Rad. Cichorei frequenter usurpavit.

OBSERVATIO XVI.

Psora perversa ad Lepram Græcorum accedens.

Adolescens rusticus, Andreas Harder, ex pago vicino **Dornstadt**/ *annorum 15. ætatis, à primis annis scabie sicca detentus, tandem in cutis asperitatem & pruritum totius incidit, squamas furfuraceas post attritionem deponens, in æquali duritie cutis, horrendo satis aspectu, relictâ.*

RESOLUTIO.

Cum in ipsis canicularibus anni currentis sexcentesimi vigesimi quinti parens prædicti laborantis consilii causâ me conveniret, inquisitione diligenti factâ, protinus *Psoram perversam*, ad *Lepram Græcorum* ferè accedentem, adesse dixi, quam ob causam restitutionis spem nobis adhuc superesse statui, modò monitis nostris obtemperaret, & convenientia remedia post canicularium æstum præscribenda diligenter adhiberet. Adfuit autem *sicca scabies ab ineunte ætate*, propter adustos & salsos humores ex dyscrasia viscerũ productos, quæ tandem *cutis asperitatem*, ob congestam in poris cutis materiam siccantem, & *pruritũ totius*, ob ejusdem humoris acrimoniam, rodentem produxit, *squamis furfuraceis secedentibus*, ob lentorem adustæ peccantis materiæ conjunctam, *cum inæquali duritie cutis horridâ*, scilicet ita cutis substantia labefacta, quò commodùm excrementa sua deponere nequeat, unde corii more cutis aspera redditur.

Inquisitio symptomatum.

Hîc eò respiciendum esse putavimus, *ut primùm adapertis naturæ ductibus, excretricem facultatem adjuvaremus, noxios humores deturbando per alvum 2. ut cutaneum affectum radicatum emolliremus & detergeremus: & tertiò naturam recidivæ præcavendæ gratiâ, corroboraremus.*

Scopi curationis.

Quoad primum, evacuationem instituimus per *hydromel. laxativum*, quod

℞. *Rad. lap. acuti* ℥ß.
Cichorei, acetosæ an. ʒvj.
Fol. senæ s. s. ℥j.
Rhabar. Agarici an. ʒjß.
Esulæ præpar. an. ʒij.
Herb. fumar.
Scolopend.
Centaur. min. an. Mß.
Cort. Sambuci ʒij. ß.
Frangul. ʒjß.
Sem. Anisi ʒj.
Passul. min. incis. ℥j.
Tartari selecti ʒij.
Galangæ.
Zinzib. an. ʒj.

Infundantur in hydromellis ferventis ℔iiij. Stent per 24. horas: Postea per octiduum singulis diebus ℔ß. utatur. Victus interim sit bonæ concoctionis, humectans potius quam siccans: Potus sit decoctum sequens.

℞. *Sassafras* ʒij.
Sarsaparigl. ℥ß.
Sem. anisi, Fænic. an. ʒj.
Passul. min. incis. ℥iiij. Coq. in sex mensuris aquæ, pro potu quotidiano.

Hoc modo, *juxta primam Indicationem*, corpore purificato per continuatas evacuationes, secundùm *alterum scopum*, sequenti septimana cutis affectum radicatum emollire & detergere conati sumus, ita tamen, ut nihilominus interius etiam adhiberentur illa, quæ superfluitates serosas educerent, & ulteriorem productionem impuritatum præcaverent: *Illud* perfecimus *insessione* sequenti, quæ

℞. *Rad. Bryon. lap. acuti an.* ℔ij.
Cort. rad. frangul. ℔j.
Herb. scabiosæ, Malvæ.
Centaur. min. ana Mij.
Flor. Chamameli.
Summit. Melilot. an. Mjß.
Gypsi usti ℔j.
Sulph. vivi ℔ß.

F. decoctio in Aq. fluviatili pro Balneo, quod renovetur in septimana bis. Usurpato balneo pro cutis emollitione, pororum apertione & impuritatum detersione, consequenter adhibeatur *linimentum*, quod

℞. *Succi lapat. acuti.*
Plantag. ana ℥ij.
Solani ℥jß.
Aceti ℥j.
Ol. rosat.
Viol. ana. ℥ij. ß.
Butyri ℥jß.
Cerussæ ʒij.
Lithargyrii ʒiiij.
Sulph. ʒjß.
Terebinth. Ceræ. an. ʒvj.
F. linimentum lento igne.

Hoc autem sero lactis caprini laxativo, quotidiè post absolutum balneum, assumpto complevimus, quod conficiebatur hoc modo;

℞. *Herb. Fumar. Scolopend. an.* Mj.
Rad. Cichor. Dentis leon. an. ℥ß.
Passul. min. incis. ℥jß.
Galangæ ʒß.
Fol. senæ s. s. ℥j.
Rhab. el. ʒj.

Cort. rad. Esul. prap. ℥iij.
Agarici ℥jß.
Tartari ℥ij. de quibus incisis & contusis, Mj. Coquat. in s. q. seri lactis caprini ad tertias, pro 2. haustibus, & sic etiam pro reliquis. Hoc modo singulis diebus circa vesperam alvus aliquoties laxabatur, ubi post quatriduum à sero lactis & balneo decoctionis herbarum quievimus, ob materiam in habitu corporis superstitem adhuc exhibendo sudoriferam potionem, quæ

℞. *Rob. sambuci* ℥vj.
Mithridati ℥j.
Aq. fumaria
Fl. Sambuci an. ℥iij.
Sp. Ebuli ℥ß. M. pro duabus vicibus.

Quò autem acris & impura materia magis ex habitu corporis expelleretur, *Sulph. Aurati diaphoretici gr.* vj. vij. viij. interdum addimus, & sudorem in hypocausto sudorifero provocavimus. Paucis his remediis continuatis, spacio trium septimanarum perfectè restitutus fuit hic æger, ita ut postea sanus domum abiret, hac tamen cautione, ne quem excessum in victu committeret, & interim corroborandæ concoctionis gratia sequentia media non negligeret. Singulis septimanis per tridum *hydromelle laxativo* utatur, quod

℞. *Rad polypod. q. glycyrrh. an.* ℥ß.
Cichorei ℥vj.
Herb. fumar. Mj.
Cort. Tamarisci ℥ij.
Epithymi ℥iij.
Fol. sena s. s. ℥vj.
Rhab. Mechoac. Hermodact. ana ℥jß.
Agarici ℥ij.
Sem. carth. ℥iij.
Passul. major. min. ana ℥ß.
Iujubar. Sebesten an N. vj.
Tartari selecti ℥ij.
Galanga. Cinam. ana. ℥ß.

Incisa infundantur in Mensura hydromellis calefacti per 24. horas. Intermediis diebus bibat haustum *decoctionis lactis caprini* quotidie bis, in quo bulliant *Herba fumaria* Mvj. *Rad. liquir. rasa incisa* ℥j. *sem. anisi* ℥j. *Incidantur & cum Mensura lactis* Mj. *decoquantur.* Subductâ tali ratione materia peccante, simulque calidiori & sicciori dyscrasia viscerum correctâ, roborandi causa sequens conditum quoque præscriptum fuit, quod

℞. *Cons. fumaria* ℥jß.
Rad. cichor. ℥j.
Buglossa.
Rosar. ana ℥ß.
Spec. diatrionsantalon ℥j.
Pulpa pass. min per decoct. in vino extract. ℥iij.
Syr. fragorum ℥j. *M. F. conditum.*

His usurpatis, in tertium annum jam vivit patiens restitutus, cui anno superiori roborandi cutis & abstersionis gratiâ Balneum Geissingense, das Rötelbad / cutaneis affectibus accommodatissimum, suasimus.

OBSERVATIO XVII.

Scabies sicca ad priorem accedens.

Rescriptum celebrioris cujusdam Medici, cui præcedens Observatio fuit communicata.

Consilium de scabie sicca, seu psora gratum tàm mihi, quam patienti fuit, nec multùm dissimile est ab Indicationibus curativis nostris, nisi quod *pro primo* indicato, sero lactis caprini incoctis purgantibus & alterantibus loco hydromelitis usus fuerim. *Pro secundo* vero balneo sicco & humido alternis diebus adhibito, sumptis post balneum siccum primo conservæ fumariæ ac violarum portiunculis, totum corpus post sudorem in æstuario provocatum, ex Hordeo, Malva, Violaria, Fumaria & beta, ad dissolutionem instar pulmenti coctis, fricari curavimus, subsequenti inunctione, quæ fiebat ex *Terebinth. & Butyro recenti ana* ℥iiij. lento igne dissolutis, ac semel posca, hinc octies aqua fontana lotis, & additis.

Ol. rosati ℥iij.
Cerussa lota. ℥iij.
Salis tosti pulveris. ℥ß.
Vitell. ovor. N. iij. *Misce.*

Altero die non multum diversis ab iis, quæ ad imitationem Plateri p. m. præscribis, in humido balneo decoctis usi sumus. *Pro tertio*: Sero lactis caprini cum succo cichorei & fumariæ, interjectis tamen purgatiunculis leviusculis, adustos & retorridos humores vacuantibus, optimè curatus est æger noster, iisdemque repetitis hactenus per intervalla præservationis gratia benè habuit. Parum quidem ante septimanas aliquot affectus ebullire videbatur, sed paucis adhibitis convaluit, & adhuc benè habet, tuumque consilium instar thesauri, pro necessitate urgente, sibi asservat, idque eò magis, quò minus à mea sententia, antea datâ, dissentire videtur.

OBSERVATIO XVIII.

Lepra Græcorum.

Nobilis puella annorum circiter 14. in Aula Solmensi Laubachii, primùm à teneris scabie siccâ, prurituque totius laborat, donec tandem fœdâ scabie cunctis abominabilis redderetur, decidentibus squamis & furfuribus, cutis fissuris horridis derelictis, ita ut eam ob causam de separatione deliberaretur.

RESOLUTIO.

Cum Anno 1620. sub initium Veris in consilium vocarer, mox omnibus consideratis non Elephantiasin veram, sed *Lepram Græcorum incipientem* adesse dixi, quam ob causam minimè desperandum esse putabam, propterea quod sumptus hîc non deessent, nec etiam de obedientia puellæ, sanitatis restitutionem sperantis, quidquam dubitaretur. Mox igitur sanguinis purificandi causa per octiduum digestionem & evacuationem sequentem instituemus.

℞. *Rad. Cichorei* ℥j.
Glycyrrhizæ. ℥ß.
Herb. Fumariæ.
Sum. lupuli recentis.
Sambuci ana Mj.
Fol. senæ. s. s. ℥j.
Mechoacæ ℥ij.
Sem. Carthami. ℥ß.
Passul. min. incis. ℥j.
F. infusio cum sero lactis caprini per noctem, manè coq. ad tertias.
℞. *Colaturæ* ℥iij.
Syr. rosat. solutivi ℥ß. M.
S. Tranckh̃ein.

His per octiduum continuatis, balneum & inunctionem ordinavimus:

℞. *Rad. Bryon. lapat. ac. an.* ℥iij.
Herb. scabiosæ. Malvæ.
Cort. rad. frangulæ.
Fl. chamæmeli an. Miij.
Sulphuris ℔j.
Salis Mß. *Cum Aq. Fabror. F. decoctio pro. s. q. ad Balneum.*
℞. *Succi lapat. acuti.*
Plantag. ana. ℥ij.
Solani ℥jß.
Ol. Rosarum.
Violarum an. ℥ijß.
Lithargyrii ℥iij.
Sulphuris ℥ij.
Butyri recentis ℥j.
Terebinth. ceræ an. q. s. F. linim.

Singulis autem septimanis bis balneum illud intermittebatur, quò semel sumpto laxativo purgaretur, ac postea sudorem in balneo sicco provocaret, *assumptis* ℥iij. *Aq. Fumariæ cum. Rob. Sambuci* ℥ij. *& Mithridatii.* ℥ß. Cum autem hoc modo perfectè, præter spem multorum, restitueretur, tandem victum convenientem imperavimus, & *Elect. de passulis* roborandorum viscerum gratiâ, per septimanas aliquot præscripsimus.

APPENDIX.

De Lepra.

J. H. HÖPFNERO.

GREGOR. HORSTIUS, D.

Vox Elephantiasis & lepræ diversimodè sumitur.

ALterum, quod quæris, sub dato 1613. est de *lepra Iudæorum*, quam rectè differentem arguis ab *Elephantiasi & lepra Medicorum.* Ut autem res ipsa magis pateat, notandum à Medicis etiam ista vocabula diversimodè sumi, quàm ob causam ante omnia necessum est, ut vocabulorum ambiguitatem determinemus, cum juxta Philosophum, tamdiu mens nostra indeterminatè sese habeat, quamdiu vocum ambiguitas non declaratur. *Arabibus Elephantiasis* describitur, quod sit pedum morbus, ubi varices venæ cum intumescentiâ pedum apparent,

Elephantiasis Arabum quid sit.

quemadmodum ex *Avicenna, Rhase, Avenzoare* & aliis probari potest, ut patet ex *Fuchsio lib. 2. paradox. cap. 16. Græcis verò Elephantiasis* gravis est morbus, & propè ex eorum numero, qui incurabiles existunt, quam graphicè describit *Aretæus lib. 2. cap. 13.* diciturque propter faciei fœditatem, deformem inæqualem intumescentiam, cutis asperitatem & crassitiem, cum fissuris prætumidis, aspectu corium Elephantis referentibus: *Leontiasis* quoque propter frontis rugas; & *Satyriasis* vocatur, tàm propter libidinis stimulos, quàm propter faciei similitudinem, quam habent cum Satyris, quos Poëtæ naso simo, labris crassis, & auriculis acuminatis fingunt. *Prioris Elephantiasis Arabum* exemplum habet *Amatus Lusitanus Cent. 2. Curat. 64.* in monacho Augustino, cui adde lectionem Foresti citato loco: posterioris exempla frequenter nobis hodiè occurrunt, quam ob causam in diversis Imperii Civitatibus Examina Elephanticorum exercentur, sicut ipsemet etiam huic in hâc nostrâ Repub. præsum. Hæc *Elephantiasis Græcorum* convenit cum morbo, quem Arabes lepram vocant, unde descriptiones Elephantiasis, prout à *Galeno, Ægineta, Aëtio* & aliis proponuntur, ab *Avicenna* quoq; *Rhase* & aliis *lepræ* tribuuntur, ita ut in scriptis Arabum, citatis etiam Græcis, *Elephantiasis* vocabulum semper per lepram translatum sit, quemadmodum hanc collationem videre licet in *Fuchsio citato loco.* Ut autem Elephantiasis Arabum ab Elephantiasi Græcorum alia est, ita *lepra Græcorum* à dicta *lepra Arabum* toto quoq; cœlo differt, quatenus ipsis lepra morbus non ita difficilis, & cutis ferè vitium tantum est, unde *Hippocrat. lib.* περὶ παθῶν inquit: λέπρη (quod malè quidam Elephantiasin transferunt) καὶ κνησμὸς, καὶ ψώρη, καὶ λειχῆνες, καὶ ἀλφὸς ὑπὸ φλέγματος γίγνονται; ἐστὶ δὲ τοιαῦτα αἰσχρὸς μᾶλλον ἢ νοσήματα. Sic *Galenus de tumoribus* psoram & lepram melancholicos cutis affectus statuit, cui etiam *Paulus Ægineta* cum aliis subscribit. Communiter ergo Latinorum & Arabum lepra, nihil aliud est, quam Græcorum Elephantiasis, quam non incommodè definimus, *cachexiam fœdam contagiosam admodum, cancrosam, totius corporis habitum ex adustis atrabilaris humoribus, à jecoris & lienis infectione potissimùm provenientibus, generantem.* Hinc *Paulo Æginetæ lib. 4. cap. 1.* cancer universi corporis dicitur. *Avicennæ verò fen. 3. tract. 3. cap. 1.* est morbus corrumpens complexionem, & formam, & figuram membrorũ, proveniens ex multa aspersione choleræ corruptæ ad totũ corpus. *Cachexiam* ergò *fœdam* pronunciamus hunc morbum, quatenus universalis est corruptio nutritionis, à depravata αἱματώσει proveniens; quam non tantùm calida sicca viscerũ δυσκρασία gignit, sed specifica venenata qualitas concurrit, cujus ratione meritò *morbus hic occultus & à totâ substantiâ* vocatur *Fallopio tract. de Tum. cap. 6. Iul. palmar. libro de Elephant. c. 1.* qua ratione diu delitescit, priusquam se prodat, nec ejusmodi conjecturam principium ejus exhibet, ut alii morbi, quos intemperies manifesta, & putredo communis humorum introducit. Dicitur autem *contagiosa admodum cachexia*, quod non tantùm fomite & contactu

Vide Forest. l. 29. observat. 27. Elephantiasis Græcorum quid sit.

Cur Leontiasis dicatur?

Cur Satyriasis.

Elephantiasis Græcorum convenit cum lepra Arabum.

Lepra Græcorum differt ab lepra Arabum.

Elephantiasis Gr. definitio.

Elephantiasis cachexia fœda.

Cõtagiosa.

contactu more luis venereæ, sed etiam habitu, alios inficiat; quatenus seminaria ejus in adustâ materiâ consistunt, de quo pluribus videatur *Aretæus*, & post illum, *Fallopius citato loco*, ubi non obstat, quod Elephanticorum uxores sæpius sanas, & integras experientia testetur, licet cum ipsis communi lecto utantur, præsertim cum frequenter in iis venenum latere queat, ita ut interius infecta satis fit tota massa sanguinis, absque tamen externis notis, propterea quod menstruis evacuationibus, vel etiam fœtus gestatione, malignitas absumatur; unde constat historicorum fide, per venereum congressum ab ejusmodi mulieribus alios infectos fuisse, quod videre licet apud *Gordonium par. 1. Lilii Medic. cap. 22. & Schopfium lib. Germanico de lepra*. Cæterùm, ut reliqua quoque magis pateant, quomodo nimirum ab infectione viscerum totus *corporis habitus cancrosus quasi* reddatur, necessarium est, ut in causas hujus mali penitius inquiramus. Hîc causam continentē statuimus *specificam & venenatam* διάθεσιν *Jecoris* & lienis, quam aliqui malignam temperaturam huic malo propriam dicunt, cujus ratione talis depravata fit sanguinis & reliquorum humorum elaboratio. Quanquam verò calidam siccam intemperiem *Avicenna & alii* accusent, sanguinem crassum & fœculentum scilicet adurentem, adeoque causam materialem proximam producentem, cujus ratione morbus ipse, tanquam principiis vitalibus admodum contrarius, frigidus atque siccus dici queat: Non tamen hæc sola sufficit, sed necessariò simul substantialis occulta corruptiva qualitas, huic malignitati leprosæ propria, ponenda venit, quæ varia nihilominus symptomata generat, quatenus cum humoribus diversis complicari solet, quod *Avicenna* quoque innuit, dum dicit, Lepram magis fœdam, plus noxiam, & difficiliorum accidentium esse, quæ fit ab adustione bilis, illâ quæ fit à fæce sanguinis, &c. *Paulus & Græci Medici* duplicem statuunt ex hoc fundamento Elephantiasin; Minus malignam, ex humore Melancholico adusto; Deteriorem ex flava bile, per adustionem in atram permutatâ: His tertia solet addi subalbida, quando cum Melancholico humore simul pituita salsa miscetur. Talis causa continens & proxima *triplicem originem* habere potest in humano corpore: Est enim interdum *hæreditaria*, ab impuro parentum vel avorum semine communicata, quatenus hic morbus ex eorum est numero, qui firmas obtinent radices, quibus posteritati quoque communicari possunt, quemadmodum *lib. de scorb. & tract. de morb. diff. & causis* demonstravimus, quâ de causa leprosos à leprosis generari videmus; Nisi semen alterius parentis jam vincat, vel alia quædam causa concurrat, quarum citato loco meminimus; ubi simul etiam patet, cur sæpius procedente ætate tandem hæreditarius affectus erumpat, sæpius etiam non in filio, sed nepote tandem repullulet, quæ pluribus repetere ratio literarum non patitur. Imò proni quoque & obnoxii huic morbo redduntur, qui tempore mensium fluentium concipiuntur, in iis maximè, quibus menses vitiosi, & ad atram bilem vergentes, de quo *Cardanus* videri potest *in com. ad tex. 26. Hip. de alimentis*:

Cur interdum Elephanticorum uxores appareant sanæ.

Causæ continentis inquisitio.

Causæ proximæ triplex Origo.

Interdum *Contagio* quoque malum contrahitur, ubi maximè præter conversationem quotidianam in communi habitatione & mensâ, locum habet *congressus Venereus*, in quo massæ sanguineæ quædam effervescentia fit, idque vel concubitu sani cum leprosâ, vel leprosi cum sanâ, vel sani cum sana, quæ tamen paulo ante leprosum admiserit. Tertiò *sponte quoque proprio vitio* contrahitur Elephas, cum possibile sit, ut in corpore humano qualitas venenata generetur, sicut *citato tract. de morbis* demonstravimus. Hîc omnia, quæ melancholici humoris malignam generationem juvant, perpendenda veniunt, ubi primum externæ causæ recensentur, aëris scilicet ambientis constitutio sicca, tàm caliditate, quàm frigiditate excedens, quatenus illa sanguinem exurit, hæc autem incrassat, & perspirationes prohibet. Hinc tàm in calidissimis regionibus, ut in *Alexandria*, quàm in frigidioribus, utpote *Septentrionalibus* frequens est morbus, accedente simul victus ratione, quæ aliàs secundum locum obtinet inter causas externas, ubi omnia illa, quæ adustos humores augere possunt, observantur, quâ ratione *Forestus* etiam ambiente aëre frequenter humiditate prædito nihilominus in *Batavia*, propter salsarum carnium & plurimorum salsamentorum corruptorum, ac piscium non benè salitorum usum, plurimos Elephantiacos fieri statuit. Imò *Fallopius* etiam hodiè in *Gallia & Germania* lepram potius ratione victus, quam ambientis aëris causâ fieri pronunciat. Hùc etiam pertinent ex rebus naturalibus dictis reliqua omnia, quæ quâcunque ratione causam adustioni & corruptioni humorum præbere possunt, ut sunt exercitia vehementiora corporis, animique, consuetarum evacuationum suppressiones, ut sunt ferè mensium & hæmorrhoidum, &c. Quemadmodum verò nunquam *externa causa* morbum producit, nisi interna interveniat, idcirco prædictæ minimè sufficiunt, sed requiritur, ut internæ antecedentes concurrant, ubi sese offert omne illud, quod efficientis & materiæ causâ collectionem adustæ peccantis materiæ potest augere, tàm respiciendo δυσκρασίαν viscerum concoctionis secundæ malignam, quam superabundantes humores ad adustionem atrabilariam promptos, de quibus antea dictum fuit. Quid ergò mirum erit, si propter nativam labem hepati, venisque impressam, à prima nativitate pedetentim sanguis & spiritus simili malignitate præditi conficiantur. Quid mirum, si atrabilariis morbis ita debilitentur viscera, ut sponte suâ postea proclivia reddantur ad ejusmodi succos malignos producendos; idque eò magis, si symbola victus ratio, vel aëris ambientis constitutio, vel denegata superfluorum solennis evacuatio concurrat, quâ ratione naturam communiter in *variolis & morbillis, in mensibus, in hæmorrhoidibus, in varicibus* & aliis sibi prospicere solere videmus? Quid mirum, si per contactum impurum, per communia pocula, per quotidianam conversationem, quispiam malignitatem illam attrahat, ita ut consequenter primò spiritus atq; sanguis, pedetentim verò jecur etiam, & alia viscera ita corrumpantur, ut exinde totius temperamentum ad naturam leprosam immutetur? Cæterùm cum morbus hic,

Modus generationis hujus morbi.

Signa Elephantiasis.

hic, & causæ ratione, & signorum respectu, non immeritò vocetur *occultus*, necessarium est, ut in signis ejusdem perpendendis progrediamur, ut ita certi reddamur, Elephantiasi hominem occupari, eandemq; ab aliis affectionibus cognatis distinguere valeamus. Prout autem tempora sua morbus habet, ita signorum quoque diversitas observatur, unde *lues aliter incipiens*, *aliter confirmata* dijudicanda venit. *Incipientis Luis signa Fallopius ex Aëtio* & aliis colligit sequentia. 1. Segnities præter consuetudinem patientis. 2. Difficilis respiratio præter causas manifestas. 3. Alvi suppressio præter consuetudinem. 4. Lotium subjugale, citra renum vel alium communem affectum. 5. Fœtor respirationis, sudoris, totiusque corporis. 6. Eructatio molesta. 7. Veneris appetitus inexplebilis. 8. Raucedo vocis, absq; causâ consuetâ. 9. Mores melancholici. 10. Somnia turbulenta & incubus. Horum signorum præsentiâ (quorum quædam ab iisdem causis provenientibus sub unum genus reduximus) nihil certi concludere licet, cum admodum communia sint aliis etiam affectibus, nisi simul de communicatione morbi, vel à parentibus leprosis, vel per contactum, concubitum & conversationem certi simus, ubi præsentibus omnibus vel plerisque, morbum in ipsis visceribus, radices egisse concludimus. At ubi *lepra* communiter dicta, vel *Elephantiasis est confirmata*, plura signa subjicit *Fallopius*, quæ partim sunt *univoca*, partim *æquivoca*. Quò verò rem ipsam perfectius intelligamus, necessum erit, ut primò cum *Guid. de Cauliaco, tract. 6, doct. 1. cap. 2. Valeriola l. 6. enar. 5.* ea consideremus, quæ *signa univoca* constituunt, ea propter quod morbo propria, eumq; perpetuò comitentur. Tales sunt *extuberationes* in plerisque corporis partibus, sed in facie magis præsertim secundum frontem, unde *aures acuminatæ* fiunt, *nasus simus*, *labra crassa*, & per consequens *facies horrida*, Satyris depictis similima, quam unà cum reliquis *oculorum rotunditas* præter consuetudinem, ob musculos & adiposam substantiam interius consumptam, apparens, simul efformat, concurrente simul *colore morphaeato & rubro livente*, quæ signa tanquam pathognomonica *Parens*, *Fallopius*, *Schopfius*, & alii primo loco ponunt, in quo *Græcos & Arabes* imitantur, qui non facilè quicquam de lepra pronunciare solent, nisi talia in facie appareant, quod ex *Galeno lib. 2. de morb. caus. cap. 7. & lib. 2. de arte curat. Paulo Ægin. l. 4. c. 1.* & aliis manifestum est. Non autem necessarium est, ut omnia in facie enumerata signa semper concurrant; Sufficit ut quædam adsint, unà cum reliquis, de quibus consequenter agendum. Talia sunt hæc *æquivoca* dicta signa, quæ Elephanticis conveniunt, non tamen solis, propterea quod in aliis etiam morbis occurrere soleant, quamdiu scilicet in sese tantum considerantur, absque connexione suarum causarum cum malignitate lepræ complicatarum, à quibus profluunt. Talium signorum *Guido* sedecim enumerat. 1. Extremorum & crurum potissimum extuberationes. 2. Fœdus Morphææ similis cutis color. 3. Capillorum defluvium. 4. Musculorum præcipuè pollicis consumptio. 5. Stupor, abolitusque sensus

Incipientis Luis signa.

Signa confirmatæ lepræ.

Univoca signa.

Signa æquivoca.

tactus in externis partibus. 6. Scabies, impetigines, guttæ rosacea. 7. Extuberationes rotundæ & duræ sub lingua, palpebris, auribus. 8. Puncturæ acuum seu ulcerosa lassitudo sub cute. 9. Cutis erispa, instar anseris implumis. 10. Cutis unctuosa, aspersam aquam nō recipiens. 11. Rarò febricitant. 12. Callidi, dolosi, furiosi sunt. 13. Insomniisque gravibus torquentur. 14. Pulsus debilis, quasi convalescentium & senum. 15. Sanguis thrombosus, niger, livescens. 16. Urina tenuis, cineritia, alba. Hæc & similia signa, cum in aliis etiam morbis inveniantur, Elephantiasin certò non determinant, nisi cum univocis jungantur, ubi morbi naturam & vehementiam magis manifestam reddunt. Hinc rectè dicit *Valeriola*, ab iis, quæ secundum morbi essentiam insunt, eamque perpetuò comitantur, judicium fieri debere, nimirum ab ipsa vultus inprimis specie torvâ, Satyrisq; similimâ: à labiorum crassitie & fœditate, nasi dilatione, aurium rotunditate, & circumflexione quâdam cum attenuatione, frontis & superciliorum extuberatione, oculorum fixo intuitu, ac figuræ in orbem depravatione, colore faciei subrubro & obscuro, in nigrorem desinente, vocis insuper raucitate. Ex his profectò certissimum de *Elephantiasi* judicium sumi debere statuitur, inprimis si reliqua enumerata æquivoca maximâ ex parte concurrant, & occasiones etiam morbo, vel à parentibus, vel contagio, vel victu contigerint. Ne quid addam de iis, quibus ob inveteratum malum putrefacta & emortua membra ferè sine sensu decidunt, quâ ratione meminimus in nostro nosocomio cuidam pedem inferiorem putrilagine separatum in lecto repertum fuisse, ut taceam de historia ridicula astantibus, quam refert *Schopfius*, de quodam leproso choreas ducente, qui *Pfortzhemii*, dum nasum emungere conabatur, eundem fine dolore separatum in terram projecisse dicitur, quâ ratione merito quibusdam hic morbus S. Lazari vocatur, quod in aliquibus pedetentim partes corporis cum fœtore, cadaveris instar, emoriantur. Quo autem cognitio morbi magis appareat, lubet subjicere modum, quo in examine leprosorum ipsemet cum Dn. Collegis meis uti soleo, quando ad magistratus nostri mandatum pronunciandum est. Primò nomen proprium, cum familiâ parentum, & ætatem annotamus, eoque ipso inquirimus, num fortè parentibus vel avis leprosis genitus fuerit: Deinde quo vitæ genere utatur, quoque sodalitio hactenus usus sit, num fortè per contagium aliquid contraxerit: Tertiò, quibus morbis aliâs obnoxius fuerit, simul temperamentum & constitutionem naturalem ante morbum recolligendo, ubi unà etiam consuetarum evacuationum fortè suppressarum mentio facienda: Tandem quartò *lædentia & juvantia* consideramus, inquirendo in regionem, habitationem, victus rationem præcedentem & similia, quæ adustionibus atrabilariis ansam præbere possunt. Hoc facto, quoad interna symptomata, functionum naturalium, vitalium & animalium constitutionem perpendimus. Quo ad naturales actiones quærimus. 1. An ructus ventriculi frequenter adsint. 2. An alvus præter naturam sicca. 3. Urina num frequenter subjugalis, varia, quam tamen fallax signum

Lib. german de lepra.

Examen leprosorum.

signum statuunt multi, licet *Lemnius lib. 2. de occult. cap. 52.* usti plumbi cineres in eâdem natantes pro certo signo ponat, quemadmodum ex salis ejusdem sublimatione *Paracelsus lib. 6.* §. 1. *cap. 2.* quoque morbum concludit, quorum utrumque dubitatione non caret. 4. Num impetus in venerem affligat. 5. Sudor & expiratio, num fœtida. *Quoad vitales.* 1. Num pulsus frequenter debiles & varius. 2. Num spiratio difficilis. 3. Cum angustia pectoris. 4. Eaque fœtida. *Quoad animales.* 1. Num adsit segnities totius. 2. Torpor sensuum. 3. Externorum refrigeratio. 4. Ἀναισθησία cutis. 5. Motus difficilis. 6. Somnus gravis, incubus. 7. Somnia perturbata. 8. Pusillanimitas. 9. Num pruritus aliquis sub cute, instar formicarum, seu lassitudo ulcerosa. Quibus diligenter inquisitis, denudatis partibus omnibus, primò caput inspicitur, num pili capitis leviter decidere incipiant, num subtiliores redditi in barba, superciliis ac palpebris cadant, & in radicibus extracti carnis quippiam secum auferant? Num oculi rotundi, torvi, aures acuminatæ labia crassa, nares exterius tumentes, interius occlusæ & ulcerosæ, facies tuberculis inæqualiter tumida, coloreque rubicante ex livore tincta? Num sub lingua, varicum instar, intumescentes venæ cum tuberculis grandinum instar, quæ in angulis oculorum sæpius etiam observantur? Num cutis unctuosa, ut affusam aquam non recipiat? Num sub ea tubercula ferè insensibilia, præsertim post aures, circa extremitates etiam & crura? Num eadem instar anserum deplumatarum, vel fissuris horrendisque rugis *corium Elephantis* referat, vel verrucis *grandinem Suillam* æmulantibus scateat, vel morphæâ, impetigine, scabie siccâ & insanabili constet? Num articuli nodos? Num extremarum partium musculi, præsertim propè pollicem, consumpti? Num ungues incurventur? Num puncturas per Chirurgum acu factas in cute sentiat? Num ulcera fœtida & cacoëthe habeant? Num digiti pedum & manuum fissuris & ulceribus fœtidis laborent? Num vox rauca & obtusa? Quibus omnibus inquisitis, ubi etiamnum incerti sumus, *venæsectionem* instituimus, ut in sanguine observari possit, num sit crassus, adustus, fæculentus, pinguem quasi superficiem exhibens, qui per pannum colatus, arenosum quid post se relinquat, quippè cum sale & aquâ parumper mox permistus, non facile dissolvatur (præsertim cum interdum unà cum aqua gelatinæ modo congelari soleat, quod *Marcell. Donat. lib. 1. Hist. Mirab. cap. 4.* observavit) nec etiam additione aceti promptè misceatur, sed potius effervescat, qualia signa *Phil. Schopfius in tractat. Germ. de lepra cognitione*, cum cæteris proponit. His igitur æquivocis etiam signis ex parte tantum, unà cum iis, quæ ab essentia morbi sumuntur, præsentibus Elephanticum morbum judicamus, eumque tanquam incurabilem, & contagiosâ leprâ præditum, à consortio sanorum separandum esse statuimus. At si desint univoca morbi signa, etiamsi scabies sicca fœda cutim afficiat, eamque pustulis majoribus exasperet, duriorem, tumidioremque reddat, exedat, findat, in eâque furfures producat, nondum Elephantiasin, sed potius *Psoram Græcorum* pronunciamus: Imò si in pejus adhuc malum istud progrediatur, ut maximo cum pruritu & corporis ἀτροφίᾳ caro sub cute simul exedatur, cutisque non solùm in furfures, sed etiam squamulas resolvatur, nunc crassiores, nunc tenuiores, maxime circa pilosas etiam capitis, & faciei partes, *lepram Græcorum* inde colligimus, plurimùm adhuc ab ipsa Elephantiasi differentem, utpote quæ sæpius curationem admittit, nec ita contagiosa statuitur, quanquam procedente tempore in Elephantiasin veram mutari possit. Cum autem Examina talia potissimùm eam ob causam instituantur, ut ejusmodi miserabiles personæ vitæ sustentationem nanciscantur, quo fine nosocomia leprosorum constituta sunt, idcirco tales etiam, quibus res angusta domi, ut nesciant unde vivere, multominus, ubi curari queant, à sanis ad leprosoria, eâ propter, quod instar Elephanticorum, scabie malignâ & perversâ præditi sint, separandos, ibique sustentandos esse, pronunciari solet. Hinc accidit, ut hinc & inde in Leprosoriis pauciores veri Eleph. inveniantur, cum multi tantùm *psorâ perversâ & leprâ Græcorum* infecti sint, ubi sibi invicem convenientibus remediis certis temporibus ita succurrunt, ut sæpius sanis similimi videantur, quamvis ulcerosa lassitudo mox incalescente corpore in stragulis adsit, ut mihi retulerunt. Cæterum non nego, quod etiam *Dn. Platerus*, Præceptor meus p. m. habet, in suis observationibus, talibus præsertim junioribus usu medicamentorum succurri posse, quemadmodum recordor *nobilis puellæ in Aula Solmensi Laubachii*, quæ perversâ quoque Psora & lepra Græcorum eò usque ante annos aliquot, erat infecta, ut illustrissima vidua istius loci deliberaret de separatione, cum ab omnibus pro Elephanticâ haberetur. Cum vero tandem meum etiam judicium expeterent. *Lepram Græcorum* esse dicebam, eamq; curabilem adhuc pronunciabam, modò patientis monitis obtemperaret, quemadmodum ex observationibus nostris satis patebit. Tandem quod attinet *Lepram Judaicam*, manifestum jam est, eandem à *vera Elephantiasi*, vel lepra Arabum, quam communiter sic dicimus, diversam fuisse: Dum enim signa perpendimus, eandem cum *vitiligine alba & lichenibus* magnam convenientiam habuisse constat, sicut hoc diligenter proponit *Valles. lib. de sacra Philosophia c. 19.* Quomodo vero vestibus & domiciliis etiam acciderit, non ita manifestum est, quanquam *Vallesius* in eo laborat, ut monstret, quod per analogiam quandam etiam inanimata similem putrilaginem nancisci queant. Nos potius cum quibusdã Theologis dicimus & confitemur, lepram illam vestium & domorum nobis incognitam esse, quam pro singulari supplicio divino habemus: Sicuti enim DEUS (ut inquit *Eras. Marbachius, Com. in Levit. c. 14.*) singularibus privilegiis Israeliticum populum ornavit, ita quoq; ingratitudinem, & abusum donorũ, singularibus & valdè atrocibus suppliciis punivit. Triste spectaculum fuit, videre lepram in corpore humano grassantem, sed portento simile, domum quoq; eadem infectam conspicere, quæ herum cum familia & supellectile expellat. Sed hæc sufficiant de præsenti materia. Tu, Vir Clarissime, boni consule, & quid

Signa externa.

Signa Psoræ Græcorum.

Lepra Judaica quo modo differat à præcedentibus.

quid de monstrosis genitis istis pueris ulterius expiscatus sis per annos aliquot, communica: Valdè enim relatio, de qua nihil amplius auditum fuit, mihi suspecta redditur. Benè vale, cum familia. Ocyus Ulmæ prid. Calend. Febr. 1624.

OBSERVATIO XIX.
Scabies fœda humida.

ADolescens rusticus, annorum ætatis 18, fœdâ scabie, eâque humida per multos annos afficitur, idque propter depravatam viscerum concoctionem fieri crudatestabatur urina. Cum autem sub finem Anni M. DC. XXVI. medicum consilium imploraret, & constitutionis aliàs robustioris esset, eò allaborandum esse duximus, *ut respectu causæ antecedentis*, massa sanguinea benè depuraretur, ac viscera concoctionis roborarentur, *& quoad causam continentem*, cutis etiam à sordibus abstergeretur, ac superflua serosa materia consumeretur. *Prius absolvimus* partim communibus, partim mineralibus præscriptis. Ordinavimus ergò primo laxativum hydromel.

℞. *Rad. liquir. rasæ*, ℥jß.
Lapat. acut. Bryon. an. ℨvj.
Polypod. qu. ℨij.
Cort. tamarisci. ℨvj.
Esulæ præp.
Frang. Ebuli an. ℨiij.
Fol. senæ s. s. ℥jß.
Rhabarb. ℨij.
Fl. Acaciæ. Mj. *Samb. p.* j.
Herb. Fumar. centaur. min.
Card. bened. Absinth. ana pjß.
Sem. Carthami. ℥ß. *fænic.* ℨij.
Tartari albi selecti ℨiij.
Passul. incis. ℥jß.
Galangæ ℨj. *Incisa ad chartam pro* ℔vj. *hydromellis.*

Hujus hydromellis haustus ad ℥vj. quotidie reiteretur, addito semel *Salis Antimonii gr.* vj. per dies quatuordecim, pro potu sitis gratia simul usurpato decocto sequenti.

℞. *Rad. Acetosæ* ℥iij.
Sassafras ℨvj.
Sarsaparigl. ℥j.
Passul. min. ℔ß.
Cinam. ℥ß. *F. decoct. in s. q. Aquæ ad tertias. Colentur Mensuræ sex.*

His præmissis *sudoriferum* fuit adhibitum tempore matutino, nimirum *haustus decoct. ligni, cum corticibus ejusdem, addito sulphure Aurato diaphoretico gr. x.* singulis septimanis bis à sudoribus quiescendo, *laxativo minerali simpl. gr. x. cum Mercurii dulcificati* ℈jß. exhibito, sicq; continuatione facta, per septimanam unam atque alteram, fœda Scabies cessit, abstersionis gratiâ *balneum atq; unguentum* appropriatum adhibendo.

℞. *Rad. lap. acuti* ℥ij.
Helenii ℥j.
Coq. in s. q. aceti, & succus exprimatur post contusionem. Adde
Ol. Rosar. viol. an. ℥jß.
Lithargyr. ℥ijß.
Sulphuris vivi ℥jß.
Butyri recentis ℥j.
Terebinth. ℥ß.
Ceræ parum. F. linimentum:

℞. *Rad. Bryoniæ. Lap. acuti ana* ℥iiij.
Herb. Scabiosæ. Fumar.
Centaur. min. an. Miiij.
Cort. rad. Frangulæ ℥jß.
Fl. chamameli Mij.
Sulphur vivi. ℔ß.
Salis Mß.
Incisa ad balneum.

OBSERVATIO XX.
Serpigo cum affluxu salso, pedisque totius intumescentia.

RUsticus quidam ex pago Osselfingen, annorum ætatis supra 30. *affluxus & intumescentia pedis cum humidâ serpigine diuturno tempore laborat.* Hic me consilii causa sub finem Septemb. Anno M. DC. XXVII. accedens *urinam monstrat crudam atque spiceam*, quam ob causam protinus malum istud expugnari non posse dixi, nisi tota massa sanguinea plurimum purificetur per convenientes evacuationes, adhibitis simul etiam iis, quæ salsum humorem serosum per habitum corporis vi sudoris consumerent, victus ratione convenienti non neglecta. Hinc ergo primum per octiduum, præmissis digestivis, bis eundem appropriatis medicamentis evacuo, postea sequentem decoctionem ordino, quæ

℞. *Rasuræ ligni Guajaci.* ℥ij.
Corticis ejusdem ℥ß.
Rad. Acetosæ dentis Leon. an. ℥j.
Polypod. qu. glycyrrh. ana ℨvj.
Herb. acetos. Fumar.
Agrimoniæ ana M. ß.
Fl. rosf. rub. Sambuci an. pij.
Santalor. omnium ana ℨij.
Cort. Tamarisci ℨvj.
Prunorum Damasc. N. vj.
F. decoctio in s. q. aquæ pluvialis ad tertias, ubi primum per noctem in loco calido steterint.

℞. *Colaturæ* ℥vj.
Crem. Tartari ℨß. *Misce.*

Hanc potiunculam quotidie bis, digestiones ulterioris gratia, sumsit, quarta quaque die *Electuarii Caryocostini* ℨß. admiscendo, quo simul etiã peccans materia digesta per alvum exturbaretur. Interim sudores post somnum matutinum erumpentes, potâ aqua Fumariæ & fl. sambuci, promovebantur, exterius manè vesperique fomento sequenti cum novis spongiis adhibito, quod

℞. *Rasuræ ligni* ℔ß.
Herb. centaur. min.

Hypericonis.
Auriculæ muris.
Plantaginis.
Agrimoniæ ana Mj.
Hordei. Mß.
Lupinorum ℥jß. *F. decoctio in lixivio sarmentorum vitis.*

Tandem observata diæta, nec non singulis septimanis assumptis *Morsulis de Mechoaca NN. pondere* ℨvj. sparadrapum ad totum pedem obducendum, defensionis ac roborationis gratia, fieri curavimus ex *Emplastro diachalciteos, vel diapalmæ, savo hircino, cera & oleo rosato,* quibus hactenus ab ulteriori affluxu liber factus fuit.

OBSERVATIO XXI.
Elephantiasis mineralibus remediis expugnata.

SExagenarius quidam, in officio publico præfecturæ carcerum constitutus, cum diu *lepra Græcorum* laborasset, eandemque, diversis internis atque externis remediis adhibitis, per annos aliquot occultasset, tandem examini consueto leprosorum subjicitur, & plerisque signis, à nobis lib. I. Epist. Medic. sect. 4. determinatis, concurrentibus, à sanis separandus pronunciatur. Cum autem Ampliss. Senatus ministro huic publico plurimum faveret, ac sumptus sufficientes ad tentandam Curationem ultrò offerret, Ordinario supradicto Nosocomii Gallici Medico negotium hoc committebatur, qui mecum consilio communicato, per triduum nempe 24. 25. 26. Martii 1626. digestione quotidie bis præmissâ per Magisterium Tartari Vitriolati cum decoctione passularum dissolutum, die 27. purgans exhibuit quod ℞. *Mercurii dulcificati* ℈jß. *diagryd. corr.* ℈ß. Postea die sequenti vena mediana brachii dextri fuit aperta, quò natura aliquantulum ab onere plethoræ sanguinis adusti & corrupti levaretur. Post venæsectionem 31. Martii purgatio continuabatur, exhibito *laxativi Mineralis simpl. gr.* vij. *Diagryd. corr.* ℈ß. quo medicamento non tantum alvus aliquoties laxabatur, sed bis etiam per vomitum secretio fiebat. Subsequentibus Calendis Aprilis paulò fortius purgans ordinabatur, nimirum *Panaceæ Aureæ* ℈jß. *Diagryd. corr.* ℈ß. Cujus operatio facilis etiam, uti prioris, sequebatur. Hoc modo corpore præparato, *decoctum Sudoriferum fuit adhibitum, ex ligno Guajacino, Sarsapareglia, additis iis, quæ vim leniendi emolliendique* possident, ejusque ℥vj. quotidie bis, additis *Antimonii diaphoretici gr.* xij. sumebantur, idque 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Aprilis aliquoties in balneo stersorio reiterabatur. Nono Aprilis iterum evacuatio instituebatur, quæ ℞. *Panaceæ Aureæ* ℈jß. *Diagr. corr.* ℈ß. dabatur cum brodio decoctionis passularum minorum, & operationem suam per alvum atque vomitum absque difficultate perficiebat. Hæc terna vice ferè medicamentis iisdem, nisi quod loco *Antimonii diaphoretici*, sæpius etiam *Bezoarticum minerale* præscriptum fuerit, non neglecto balneo abstersorio, reiterabantur, ubi cutis undique aliquoties purificata colorem cancri decocti referebat, unde sub finem Maii, quod semper malum repullulare videretur, satis superque jam visceribus & toto corporis habitu purificato, & alterato, linimentum, quod ex decoctione frangulæ cum vino rubro, nec non adipe suillâ fieri solet, in leprosorio, more consueto, tandem adhibuit, ad cujus usum cutis ita detersa, restitutaque fuit, ut per trimestre sanus & incolumis viveret. Posteaquam vero Decreto Senatus per anni quadrantem subsequentem, quo curationis effectus eò melius deprehenderetur, eidem separatim vivendum esset, subitò, nescio quo sumpto medicamento cujusdam Empirici, clam eidem communicato, ὑπερκαθάρσει periit.

OBSERVATIO XXII.
De veneno Canis rabidi.

Vir Clariss. & Excell.

DN. GEORGIUS HEBENSTREIT, ILL. Aulæ & Civitatis Nürtingensis Physicus,

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Cum officiis. Miraberis forsan, Vir Excellentissime, Domine observandissime, præsentes hasce, velut ignoti, literas. Desines autem mirari, ubi scriptionis causas penitius cognoveris. Inter has autem non minimum locum occupat, quod à fratre meo Magist. Joh. Baptista, Antiquario vestro, multoties per literas certior factus sum, studia, fortunasque suas tibi adeò esse commendatas ejusq; rei tàm luculenta & perspicua extare argumenta, testimonia, ut quem post Deum, & nonnullos alios (paucos tamen) bonos, sibi maximè Patronum & Mecœnatem exoptet, aut eligat, non habeat. Cur ergò non & ego, suis vestigiis insistens, eum mihi fautorem & patronum procurem, qui suo tempore & mihi prodesse, & vice versa, me sibi in æternum devincere possit? Accedit & altera, quod, licet dignitas tua sit summa, auctoritas maxima, & singularis sapientia: eâ tamen te mansuetudine, affabilitate & incredibili humanitate præditum esse audiam, ut vix quenquam (bonus modò sit, & cætera inculpabilis) aditu tuo arceas, aut à te repellas; quin potiùs multos (si digni sint) inter amicos & familiares tuos reponas. Quod cùm ita sit, quis mihi vitio vertat, si & ego in amicitiam tuam me insinuem, cùm fratrem habeam ductorem & antesignanũ, multorum exempla me moveant, & forsan non omninò ex illorum sim numero, qui Doctissimorum virorum subterfugere, aut reformidare debeam commercium? Utut sit, Clariss. & Doctiss. Domine Dn. Horsti, jacta est alea. Sed ne inanibus præoccupationibus saltem omnem hanc chartam consumam, operæpretium facturum me puto, si tibi casum quendam proponam, superque eo prudentissimam, & proculdubio, verissimam nervosissimamque decisionem expetam. Erat in Aulâ nostrâ Nobilis cujusdam Pomerani sive essedarius sive quadrigarius, & ipse Pomeranus, homo probus, sincerus, simplex, in melancholiam pronus, semper loca solitaria

solitaria quærens, & ab hominum consortio se subducens. Is præterita XI. mensis Augusti die, ex improviso, præter omnium spem & expectationem, nulla præcedente causâ manifestâ, ut tum quidem putabant, in morbum incidit, & quoddam veluti delirium sine febre, cum timore tamen & mœstitiâ: causam rogatus, respondit, se ante biennium à cane rabido demorsum, proptereaque rogare singulos quosque, obtestarique, ne propius accedant, & ab illo vulnerati, in idem malum incidant, similique involvantur, quo ille, infortunio. Quin & loris se ligari petiit, ne cui forsan morsu damnum inferret. Res mira videbatur astantibus, vel ob id maximè, quod nihil unquam tale quid ab illo audivissent: ejusque consilium secuti, nemo accedere propius, multò minus illum attingere: Ita miset homo biduo exacto integro, tertia die circa meridiem, nullis adhibitis ad eam rem idoneis medicamentis specificis, omni humano auxilio destitutus (nisi quod statim ab initio Pharmacopæus aulicus *Diascord. Fr. cum Ther. A. & aq. Card. ben.* exhibuit) expiravit: nullo quidem superveniente graviori aliquo Symptomate, nisi quod paulò ante finem vitæ, cùm negligentiùs custodiretur, de fenestrâ, manibus, pedibusque muro in fixis, in plateam descendit. An verò hydrophobus aut hygrophobus factus fuerit, de eo nihil constat, cum per totum morbi decursum omnem cibum, tàm solidum, quàm liquidum, respuerit. Casus hic totum famulatum Aulicum adeò perterrefecit, ut unde consilium peteret, non inveniret. Facta hæc sunt omnia, me absente, dùm in Ferinis & Cellensibus recuperandæ sanitatis gratiâ versarer. Jam gratissimum esset mi Nobiliss. Dn. Horsti, ex te cognoscere, quid de præsenti casu sentias. *An fidem adhibendam censeas defuncto, simpliciter se à cane rabido commorsum affirmanti? an potius seq. subscribendum rere?* diebus enim aliquot, antè quam hic contigit, ex equo graviter in latus sinistrum lapsus erat, quod, veluti homo austerus, simplex & agrestis, susque deque faciens, neglexit, desuperque habuit. Ex quo casu, cùm, mea opinione, magnam sanguinis copiam in ventris capacitate collegerit, cumque nulla legitima remedia adhibita fuerint, quæ vel sanguinem intus concretum dissolvere & educere, vel venæsectione affluxum impedire, vel fomentis & inunctionibus loco affecto usui esse possent; Verisimile videtur hanc ipsam, sensim putrefactam, non modo cor occupasse, verùm etiam, virulentis & malignis vaporibus sursum elevatis, ipsam rationis sedem, cerebrum petiisse & cum imaginatione ipsam etiam cogitationem, seu ratiocinationem pervertisse. Quid tibi super hac re videatur, Vir Doctissime, quæso per literas, modo per negotia tua, quæ multa, varia & gravia sunt, liceat, explica. Dubius enim sum, an posterioribus rationibus subscribere, an in nudâ defuncti relatione acquiescere, an verò utraq; conjungere debeam? Quod postremum forsan non omninò à ratione alienum esset, cum virus intùs latens à quavis etiam (interdum levissimâ causâ) non tàm foveri, quàm excitari possit. Sed hæc hactenus: Accepi nuper dono à fratre meo, M. Joh. Baptista, exemplar tuarum observationum medicinalium, magnaque cum voluptate, majori verò utilitate perlegi. Ex his patet, quid in medicina faciunda possis. Non adblandior, crede mihi, scribo quod res est. Raræ eæ sunt & numeris omnibus absolutæ. Perge modò, & Studia Medica, quomodocunque, ubicunque potes, indies magis magisque, pro exquisitissimo ingenii tui acumine, perfectiora redde. Vale, Vir Excellentissime & Nobilissime, & nos ambros fratres, utpote splendidissimi nominis tui amantissimos, & studiosissimos, in tuorum censu habe. Nürtingæ. 12. Septembr. 1625.

Observatio delirii ex morsu canis rabidi jam dudum inflicto.

Proponitur dubitatio.

Ad Clariss. & Experientiss. Dn. D.

GEORGIUM HEBENSTREIT, Ill. Aulæ & Reipubl. Nürtingensis Physicum,

Gregorius Horstius, D.

Literas tuas amicas & exoptatas per Clariss. Dn. fratrem rectè mihi traditas esse scias, Vir Excellentiss. & Clariss. fautor & amice plurimum colende, quæ duplici nomine perplacuêre, tàm quòd amicitiæ contrahendæ nobis ansam præberent, quàm quòd casum singularem, in re medicâ memorabilem, proponerent. Quod prius attinet, tria verba juxta commune dicterium, tanquam in bonâ causâ, sufficiebant, quare totidem verbis respondeo, benevolentiam reciprocam offerendo. Posterius quod concernit, an defuncto fidem adhibendam esse censeam, qui morsu canis rabidi, circiter ante biennium, sese læsum fuisse retulit, an verò potius ob lapsum, & sinistri hypochondrii contusionem, paulò antè melancholicum delirium accidentem, interim peccantium humorum putrefactione subortâ, per consensum partes principes afficiente, lethiferum istum affectum eventu mortali productum fuisse, statuam? Quanquam verò, juxta Scaligerum nostrum, recursus ad occultas causas meritò Ignorantiæ humanæ nominetur Asylum, quando datis causis manifestis effectus commodum declarantur: non tamen video, cur in hoc casu non potius ægrotanti subscribendum sit, qui morsu canis rabidi sese læsum fuisse dixit, in memoriam sibi revocando similitudinem symptomatis, quo depravatus appetitus, mordicus alios lædendi, eundem, intelligentem aliàs, quod hydrophobis peculiare, torquebat, quàm delirii istius melancholici, nec non subsequentis eventus lethalis causam aliunde deducere? Primùm enim idea delirii istius melancholici, quo mente constans aliàs æger, & cum adstantibus agnatis rationabiliter discurrens, oculis fortè torvis, ac dentibus spumantibus, adproximantes mordicus petere conabatur, satis indicabat, à simplici quâdam concreti sanguinis putredine, vel etiam subsequenti quâdam contentorum corruptione, contusionis præcedentis origine proveniente, malum istud non fuisse subortum, cùm potiùs Paraphrenitis expectanda fuerit. Nec obstat mihi, quòd hydrophobia juxta quosdam (ut in meo Marcello Donato videre licet) etiam absque causâ manifestâ morsus, ob internam corruptionem & veneni productionem interdum oriatur,

Responsio ad dubitationem propositam.

Rationes, quod delirium prædictum à morsu canis rabidi fuerit.

oriatur, utpote cùm, licet tales ægrotantes ad liquidorum oblatronem more aliorum expavescere soleant, & subito quoque paucis diebus, oppressis vitalibus principiis à veneni malignitate, moriantur, nullus tamen mordendi appetitus in iisdem deprehendatur. Accedit secundo loco miserabilis istius casus eventus, quo confirmatur, venenum istud per biennium in constitutione corporis atrabilarii facilimè latens, tanta tandem activitate perniciem vitalibus principiis impressisse, ut inde non absque ratione colligatur, potius aliunde quàm à contusione hypochondriorum idipsum deduci debere.

Nec dubito, quin maximus metus & fuga liquidorum in eodem observata quoque fuerit, modò per astantes poculum aliquod, frigidâ repletum, ægrotanti fuisset oblatum; quod inde quoque colligitur, quia penitus ab omnibus tam esculentis, quàm potulentis, sicut fieri solet in multis, abhorruit, nec quicquam adsumere voluit, ratione licet aliàs optime constaret.

Hæc raptim ad propositum casum respondere volui; boni consule; meque, quod facis, amare non desine, Dabam ocyus Ulmæ, Non. Octobr. 1625.

Vir Clariss. & Excell.

GEORGIUS HEBENSTREIT,
Med. D.

GREGORIO HORSTIO, D.

SAL. officiosissimam. Literætuæ, Nobiliss. Ampliss. & Excellentiss. Domine Doctor, favoris, humanitatis, benevolentiæ, dexteritatis in decernendo, & candoris in communicando plenissimæ 27. Octobris mihi fuerunt redditæ, ad quas, ob Illustrissimæ meæ Principissæ minus firmam valetudinem, serius respondeo, quàm par est. Sat tamen citò, si sat benè. Quod ad petitionem, à me in primis meis propositam attinet, subscribo quidem Exc. T. sententiæ, vel ob id maximè, quòd interea temporis comperi, defunctum etiam cicatricem in manus sinistræ pollice, non semel ostendisse, vulneris à cane rabido inflicti indicem. Nihilominus tamen in hac firmâ sum opinione, constitutionem corporis atrabilariam, lapsum de equo, vivendi genus minus commodum, sanguinis concreti & putrescentis copiam, & reliqua, quorum nuper mentionem feci, non parùm contulisse ad hunc morbum, non solum fovendum & augendum, verùm etiam accelerandum & activandum. Ut taceam non esse nullos, qui veram rabiem ab intrinsecis saltem causis oriri posse, pro certo affirment. Licet, ut verum fatear, hanc opinionem, tanquam veram defendere nollem.

Morbi rabiei forsan similes ab illis proveniunt, vera rabies nunquam.

Siquidem compertum, & extra omnem dubitationem positum esse puto, plerorumque insuper probatissimorum authorum, cùm antiquorum, tùm modernorum unanimi consensu comprobatum, & adprobatum, venenum rabidum, absque externâ contage & morsu animalis rabidi in homine minimè progigni posse. Sed hæc hactenus. Qua ratione Absinthium viride intra Calceos Calcatum frigidam ventriculi intemperiem per vomitum & nauseam, emendet, vellem ab Exc. T. edoceri. N. Piso ratione & experientia inventum hoc medicamentum à Junioribus observavit, Rationem manifestam non video. Experientiam tamen feci, non sine fructu, in Generoso quodam & illustri Barone Limpurgico, S.R.I. Dapifero hæreditario, qui hujus calcatione non exiguum levamen se percepisse coram exposuit, sancteque adfirmavit. An verò id propriè huic medicamento adscribendum sit, an potius fiduciæ in Medicum, quæ maxima erat, ut non rarò usu venit; an, quod prius multis tam intrinsecis quàm extrinsecis usus fuit remediis, stomacho dicatis, & appropriatis; ita ut præter modo nominati absinthii usum pristinæ sanitati restitutus fuisset, subdubito. Exc. T. incumbit, abstrusas hasce naturæ operationes rimari, & publici juris facere. Ad id enim tota, præ multis aliis, nata videtur. Verùm longior sum, quàm putâram, & Exc. T. humanitate abutor. Valeat Excell. T. diutissimè, felicissimè, meque, ut cœpit, favore suo, quo nihil mihi potest accidere acceptius, prosequatur Nüttingæ 17. Novemb. 1625.

Absinthium viride intra Calceos gesta tum ventriculo succurrit frigido.

OBSERVATIO XXIII.

Morsus canis rabidi.

PUer annorum duorum ante quadriennium morsu canis rabidi circa faciem & in capite diversis in locis vulneratur, qui paucis adhibitis remediis, DEI gratiâ ab hydrophobia præservatur, & perfectè restituitur.

RESOLUTIO.

CUm extra urbem in prædio vicino casus hic accideret, protinus puerum parens rusticus adduxit, medicam opem implorando, ne gravius quid innocenti filiolo sit expectandum. Quandoquidem verò *mox à principio laborandum in hoc malo*, quo malignitas morsu venenato inflicta funditus extirpetur, *& ne serpat interius*, antidotis appropriatis prohibeatur: idcirco statim *indicationem utramque respiciendo*: primùm exterius ordinavimus collutionem mundificantem & extrahentem, nimirum *Theriacæ Veteris* ℥ij. *Rutæ recentis foliorum* M.ß. *Syr. acetos. citri* ℥j. *cum hydromelle q. s.* leviter ebulliant, & per expressionem colentur, quâ colatâ vulneratæ partes durius fricentur, & eluantur: mox apposito *cataplasmate ex allio, sale & Terebinthina* subacto. Ast interius quoque cito remedio opus esse statuebam, quam ob causam *canis rabidi jecur coctum ad* ℥ij. in particulas dissectum, puello dedimus, experimento confirmati, quod primis viginti quatuor horis post morsum nondum absolutis antidotum sit præsentissimum. Ne quid verò, quo ad miserabilem hydrophobiæ morbum præcavendum intermitteretur, mox in officina parabatur *pulvis Alexipharmacus* contra rabiem caninam, quē habet *Palmarius, qui*

Indicationes in Morsu canis rabidi.

Jecur canis rabidi remedium contra morsum.

Lib. de Morsis canis Rab. cap. 3. pag. 344.

℞. *Fol. Rutæ. Verbenæ.*
Salviæ minor.
Plantaginis.

Polypodii,

Polypodii.
Abſinth. vulg.
Menthæ.
Artemiſiæ.
Meliſſophylli.
Betonicæ.
Hyperici.
Centaur. min. an. q. ſ.

Legantur ſingula, ubi ſunt efficaciſſima, ſiccentur in umbrâ, Hujus pulveris *externus* atque *internus* uſus fuit, juxtâ præſcriptum Autoris: *exterius* pulveris ℥j ß, cum hydromelite coquebatur pro vulnerum deterſione: Sed *interius* quotidie ℈j. cum ſaccharo permixtus in juſculo, vel ſolitariè cum hydromelle, vel ſyrupo de ſucco citri dabatur: non neglectâ interim in aquam quotidianâ læſi puelli immerſione. His remediis, DEI gratia, liber fuit æger ab ulterioribus gravioribus ſymptomatibus, ſicut & alius ſeptem annorum puer, qui ſimiliter ante triennium à rabido cane demorſus meam opem prima ſtatim die læſionis implorabat. At neglectis vulneribus hiſce, per caninam rabiem inflictis, Nobilis cujusdam patritii miniſtrum, nec non alium Baronis in vicinia ſartorem, *hydrophobiâ* ſuccedente, miſerabili delirio vitam cum morte commutaſſe recordor. Quare ſi unquàm, ſanè verùm hîc illud: *Principiis obſta, &c.* Conjungat Lector citatum *Palmarium, Paræum, Rod. Fonſecam. lib. 1. Obſerv. 25.* & omnes illos, quos *Schenkius* compendioſè recenſet *lib. 7. Obſer. Medicinalium.* Plura legantur in noſtrâ *Cent. Probl. Dec. ult. quæſt. 2. & lib. 2. Epiſt. Medic. ſect. 4. & apud Dn. Fabricium cent. 4. Obſerv. Chirurg. Num 88. Iac. Carantha, lib. 2. Metaph. Decad.*

Obſervatio alia.

Eventus lethales in aliis.

OBSERVATIO XXIV.

Hemicrania maligna, cùm tophis & doloribus nocturnis artuum.

QVinquagenarius, craſi nativâ pituitoſâ, cum ſanguine bilioſo perfusâ, indeque deſtillationibus perennibus ferè obnoxius, ſtaturâ procerâ, & rarâ, teneràque, nec non curis ac meditationibus negotiorum graviſſimis implicitus, tam dadum dolores capitis patitur per intervalla, præſertim veſperi, nocturnoq; tempore affligentes, cum tumoribus duris, dolorificis & circa caput, & circa tibias, brachia, pectoris oſſa, &c. Curationibus diverſis ſudoriferis lenitur malum, ſed non eradicatur, quam ob cauſam ulterius conſilium medicum expetitur.

RESOLVTIO.

VOCATUS ante triennium, germanicum communico conſilium, quod latinitate donatum ita habet.

Cum N. patiens jam longo tempore continuatis doloribus capitis, non ſine tumoribus duris atque ſcirrhoſis dolorificis, non tantùm circa pericranium, ſed etiam in tibiis brachiis & oſſe pectoris afficiatur, qui dictis in locis potiſſimùm ante cænam, veſperi, nocturnoque tempore poſt primum ſomnum exacerbantur: neceſſariò ſequitur, ejusmodi malum inveteratum, à *malignitate ſingulari* provenire, quæ ſedem ſuam habeat in *phlegmaticis viſcidis atque tartareis humoribus*, in quibus radicetur, foveatur, ac producatur, cujus proprietas in eo conſiſtat, ut *in ſolidis partibus* coaguletur.

Symptomata malignitatis.

Cauſa ſymptomatum prædictorum.

Talis coagulatio tantò difficilior eſt ad reſolutionem, quò firmiores, diuturnitate temporis, radices egit, eapropter, quod *origo corruptionis iſtius* malignæ depravatæ ſanguificationi debeatur, ob labem alienam *jecori, lienique ſanguificationis organis*, impreſſam, ita ut ob cauſam hanc tota maſſa ſanguinea corrupto ejusmodi tartaro inviſibiliter inficiatur, donec id ipſum, propter aptitudinem partis patientis, circa *partes ſolidas*, oſſa videlicet & perioſtia, non *abſque dolore*, coaguletur.

Origo cauſæ.

Quandoquidem verò malum hoc chronicum, poſt tot adhibita ſudorifera & alia medicamenta præſcripta, leniri quidem, expugnari tamen non potuit, unde mox iterum ſymptomata recruduerunt: idcirco neceſſarium erit, ne tandem caries oſſium, exulcerationes tophorum malignæ, aliaq; graviora ſuccedant, ut univerſalis Curatio mox inſtituatur, ita tamen, ut *appropriata medicamenta mineralia* non negligantur, utpote quæ vi ſua ſpecifica penetrant ad radicem corruptæ malignitatis, eamque in jecore, liene, totaque maſſa ſanguinea protinus oppugnant. *Primo igitur eo reſpicendum, quomodo radix mali tanquam cauſa fovens eradicetur: 2. Neceſſarium erit, ut ipſa maligna collectio* (quæ jam dum partim coagulata per indurationes, nodos atque tophos, ſcirrhoſos tartareos, in partibus diverſis ſolidis ſatis ſuperque ſeſe manifeſtat, partim etiam adhuc in reſoluta ſubſtantia inviſibiliter præcipuas concoctionis operationes impedit) *attingatur: nec non, tertio loco, ſymptomatum congeriei ſuccurrendum erit, tàm externè, quò ad dolorem leniendum, indurationes ſolvendas, &c. quam internè, quo ad ea, quæ partes principales, cor, cerebrum, & jecur, aliasq; roborant.*

Prognoſis.

Indicationes.

Has intentiones ut adſequamur, ante omnia requiritur *primò præparatio*, nimirum ut impuritates circa ſtomachum, meſenterium, jecur & lienem per *convenientem digeſtionem* emolliantur, & poſtea ſemel atque iterum educantur, quo fine per quinque dies quotidiè bis *decoctum galli decrepiti cum Rad. cichorei, fænic. Eryngii, herb. ſcordii, fumariæ, chamædryos veræ, fl. calend. ſem. aniſi, &c,* admiſto *Magiſterio Tartari vitriolati* exhibeatur; Sexta die ſubſequatur *evacuatio per Ertr. diacarthami, cum Syr. diaſereos & Roſat. ſolutivo cum Rhabarbaro* vel cum *diluto Agarici cum prædictis ſyrupis* permiſto quibus præmiſſis *ordinaria ſcarificatio*, luna in piſcibus exiſtente, fiat. His peractis, *ordinariæ Curationis Univerſalis appropriatæ* fiat initium, quæ non tantùm ad ſudorum provocationem, ſed ad frequentes etiam appropriatas evacuationes dirigatur. Quo ad *decoctum ſudoriferum*; majoris penetrationis & inciſionis gratiâ, propter tartareas ac viſcidas coagulationes, *Sarſaparigliа* non negligatur; imò *cortex quoque ligni*, majoris exiccationis gratiâ, locum habebit. Ut autem eò

Digeſtio.

Evacuatio.

Univerſalis curatio.

magis

magis dictorum operatio procedat, cuilibet haustui matutino pulveris *diaphoretici mineralis* appropriati quidpiam addatur, quò malignitas in tartareis solvatur, & per sudorem expellatur. Præter *sudores* hoc modo continuatos necessarium erit, ut intermedia tertiâ vel quarta die purgatio appropriata per usum *Mercurii dulcificati, addito Diagrydio correcto, vel etiam per Panacæam auream* instituatur, non neglectis interim *etiam externis*, quæ resolutioni tophorum & discussioni dolorificarum causarum serviunt.

Hoc generali consilio præmisso, σὺν θεῷ Curationis initium factum fuit, 2. Febr. 1626. potione digestiva quotidie bis assumpta, quæ

Potio digestiva.

℞. *Rad. Cichorei* ℥j.
Fæniculi.
Eryngii ana ʒvj.
Polypod. qu.
Glycyrrh. ras. an. ʒij.
Her. Scord. Fumar.
Chamædr. vera an. Mj.
Fl. calendulæ Mß.
Sem. Anisi ʒj.
Cort. Tamarisci.
Capparor. an. ℥ß.
Passul. min.
Major. enucleat. an. ℥j.
Crem. Tartarei. ℥ß.
Incisa & contusa coq. in gallo decrepito. q. s.

℞. *Decoct.* ℥iij. *Magist. Tart. vitriol.* ℈jß. *F. haustus*, pro dosi unicâ, quæ per 5. dies fuit continuata, quotidie bis aut ter alvi lenitione subsequente. Digestis & præparatis hoc modo peccantibus humoribus circa primas vias, 8. Febr. successit evacuatio per potionem, quæ

Purgatio.

℞. *Agarici trochisc.* ʒjß.
Rhab. electi ʒj.
Cinam. ℈j.
Squinanthi.
Crem. Tartari ana ℈ß.

F. infusio per noctem in s.q. Aq. Veronicæ per vitrum destillatæ: manè leviter ebulliat & coletur.

℞. *Colaturæ* ℥ijß.
Syr. diasereos ℥j.
Extr. diacarth. ℈j. M.F. haustus, quo sumpto, undecies cum facilitate virium operatio viscidæ acris materiæ, cum phlegmate ac bile permistæ, successit. IX. Februarii *scarificatio consueta* fuit adhibita, ubi sanguis satis tenax copioso sero perfusus conspiciebatur. X. Februarii à potu vini abstinuit & decoctum sequens in prandio ac cæna bibit, quod

Decoctum pro potu.

℞. *Ligni Guajacini* ℥j.
Sassafras ℥ij.
Passul. minor. ℥iij.

Infunde per noctem in 8. Mens. aquæ, postea coquatur ad tertias, sub finem adde *passulas, & Cinam.* ℥jß. Matutino tempore purgans appropriatum exhibitum fuit, quod

Appropriatum purgans.

℞. *Mercurii dulcific. gr.* xviij.
Diagryd. corr. gr. iij. M. *cum* ʒj.
Conf. rosarum pro bolo, quo bis tantùm evacuatus fuit æger. Mox ergo XI. Febr. dosis augebatur, nimirum.

℞. *Mercurii dulcificati* ℈jß.
Diagryd. corr. gr. v.
M. cum Conf. rosarum.

quo segnius quoque operante, circa vesperam ʒj. *Magist. Tart. vitriol.* cum brodio dissoluta superaddebatur, somno subsequente quieto, simulq; ventris subductione concurrente.

XII. Febr. fortius medicamentum appropriatum exhibuimus, nimirum ℞. *Mercurii vitæ p. n. gr.* viij. dabatur cum conserva Rosarum, ubi bis per vomitum, & postea vigesies per alvum, mediocri quidem quantitate, viscida tenax dissoluta materia, cum εὐφορίᾳ, fuit educta, quod cum naturæ vires facilimè tolerarent.

Purgatio fortior.

XIII. Febr. eadem dosis fuit reiterata; propterea quod ardor gulæ, ventrisque, mane subsequens, reliquias malignas commotas, non tamen ablatas penitus testaretur, ubi rursus vomitus aliquot viscidæ materiæ, cum anxietate quâdam subsequebantur, donec tandem fœtida materia vicibus pluribus cum εὐφορίᾳ per alvum rejiceretur. Hoc facto corroborationis gratiâ, sicut etiã die præcedenti, circa vesperam, aqua cordialis fuit adhibita, quæ

℞. *Magist. perlarum* ʒj.
Lapid. Bezoar. ʒß.
Aq. ceras. nigr. ℥iiij,
Cordis cervini ℥jß.
Cinam. ʒß.
Manus Christi perlata ʒjß.
Misce.

Subsecuta fuit nox quieta, quam sedes duæ subvirides ac fœtentes comitabantur. Cum autem patiens ante meridiem benè haberet, naturæ intermissionem concessimus, os tantùm eluendo cum Aq. prunellæ, nitro præparato permixtâ.

Decoctum sudoriferum.

XV. Febr. Manè primo per suppositorium adhibitum alvus laxabatur, ac protinus decoctum sudoriferum exhibebatur.

℞. *Ligni Sancti*
Sarsaparigliæ. ana ℔ß.
Cort. ligni ℥jß. *F. decoctio in s. q. Aq. ad. tert. colentur Mens.* iiijß.

Dosis sit ℥v. cum pulvere *Bezoartico Minerali gr. v.* Matutino tempore Sudore primum in stufa, decocto vaporifero detergente & attenuante quoque ad ignitos lapides extinguendos adhibito. Post meridiem decoctum solitarium bibit absque pulvere minerali. Subsequenti nocte quieta sua sponte venter aperiebatur, urinaque cocta satis apparebat, quam ob causam XVI. Febr. Sudor continuabatur, ut die præcedenti. XVII. Febr. purgationi dicabatur, ubi sequens exhibebatur.

℞. *Mercurii dulcific.* ℈jß.
Diagryd. corr. gr. vj.

Elect.

Elect. de Tamarindis ℥ij ß.

M. F. cum saccharo bolus, cujus usum quinquies operatio levis sequebatur.

Emplastrum ad tophos.

XVIII. XIX. XX. Reiterabatur sudoriferum Bezoartico minerali granis duobus aucto, post sudorem autem absolutum *ad tophos & indurationes* in brachiis & tibiis dissolvendas Emplastrum adhibebatur, quod

℞. *Mucilag. sem. Altheæ.*
Cucum. agrest.
Cum Aq. chamæ. & lil. alb. conf. ℥ij. *Adde.*
Gummi Ammoniaci.
Bdel. diss. in s. q. Spi. Vini an. ℥ß. *Adde.*
Rad. Pyrethri. Hermodactyl.
Hellebori nigri.
Zingib. ana ʒj.
Asæ fœtidæ ʒj.
Theriacæ ʒvj.
Empl. diachyl. magni ℥ij ß.
Ol. ligni Guajac. destil. ℨiij.
Ceræ ʒvj.
Terebinthin. ℥j.
F. L. A. Emplastrum.

XXI. Februarij rursus à Sudore quiescendo purgans exhibuimus, quod

℞. *Mercurii dulcific.* ℈j ß.
Extr. diacarth. ℈j.
Diagrydii gr. vj. M. detur in hostia, cujus usum alvi laxatio conveniens ter quaterve succedebat.

XXII. XXIII. XXIV. XXV. Febr. *Sudoriferum decoctum cum Bezoart. Min. gr.* vj continuavimus; emplastrum autem prædictum additione Mercurii dulcificati ad ℥jx, massæ, Mercurii ℨiij. admiscendo, fortius reddidimus, ubi *intumescentia* primò, mox tophorum *dissolutio*, & levis *exulceratio*, sua sponte postea vicissim consolidata, subsequebatur.

XXVI. Febr. purgans reiterabatur, nimirum.

℞ *Mercurii dulcificati* ℈ij.
Extr. diacarth. ʒß.
Diagryd. gr. vij. M. F. bolus. Ubi purgatio subsecuta fuit ter ante meridiem, & semel post meridiem; satis copiosa, sed absque omni commotione.

XXVII. XXVIII. XXIX. Febr. & I. II. III. Martii decoctum sudoriferum cum additamento vicissim continuatum fuit; biduo vero postremo simul ante cœnam ʒß. *Magisterii. Tart. vitriol. cum haustu bredii. prunor.* fuit exhibita præparationis gratiâ, quò IV. Martii purgatio proximè descripta denuò sumeretur, quod fiebat modica evacuatione cum εὐφορίᾳ.

V. VI. VII. VIII. IX. Martii semel tantùm sudores continuabantur, assumpto simul *Bezoartico Minerali*, quotidiè usq; ad g. iiij. descendendo, quibus hoc modo huc usque continuatis melius habere cæpit ægrotans, tophis atq; indurationibus discussis ac resolutis, doloribusq; penitus expugnatis, Benedictione Divinâ pristino sanitatis vigore restituto. Per dies igitur aliquot naturæ quietem concedendo, tandem *Enemate* loco purgationis exhibito die XIII. Martii, *venæsectionem* in brachio dextro die XIV. Martii instituimus, ut sanguis hactenus tot sudoribus & evacuationibus commotus eventilaretur. Victum autem post hac simplicem & εὔχυμον imperando, roborationis gratiâ matutino tempore guttas aliquot *Elixiris proprietatis Paracelsi*, vesperi vero *morsulis ex Speciebus diambra cum extr. ligni Aloës* commendavimus, quibus patiens à gravissimis symptomatibus supra notatis liberatus. Deo inprimis, & Hygieiæ, postea gratias egit maximas.

Venæsectio sub finem curationis.

OBSERVATIO XXV.

Malignitas ex fumis metallicis venenatis, & aliis per Mineralia medicamenta curanda.

ANNIS superioribus *civis quidam Onolsbachii*, veneno, fortè sublimato, clàm eidem exhibito malitiâ suorum, protinus in capite, labiis, ore, totoque corpore intumescit: Succedit ardor faucium insignis, cum supervenientibus infinitis convulsionibus. Hic ab omnibus pro desperato habitus, ter in 24. horis Turpetho Minerali satis auctâ dosi per Clariss. Virum, *Dn. D. Tobiam Knoblochium*, istius loci physicum ordinariū & amicum meum honorandum exhibito, superius & inferius operatione vehementiori subsequente, paucis post adhibitis corroborantibus, perfectè, DEI benedictione, restituitur. Ita malignitatem ex fumis metallicis venenatis vix aliter quam remediis mineralibus expugnabimus. Testatur hoc puellus *Aurifabri cujusdam hic habitantis*, qui ante biennium circiter Asthmate ferè desperato laborabat, nihil quicquam appropriatis ad hunc affectum remediis proficientibus; tandem vocatus ego protinus suspicor mercurialis fumi malignitatem hunc morbū produxisse, propterea, quod parens confiteretur, se per dies aliquot, sub initium hujus affectus, in præsentiâ puelli, deaurandis vasis argenteis operam dedisse. Mox igitur gr. xij. Mercurii dulcificati semel atque iterum exhibeo, cujus beneficio puellus ab imminente lethali suffocatione liberabatur. *Sic etiam civis quidam*, in separatione metallicæ materiæ, aurifabris instar scoriarū residuæ strenuè laborans, in gravem *dyspnœam*, Calendis septembr. 1627. incidit, cui robusto satis aliàs, primò purgans exhibeo, quod

Casus 1.

Casus 2.

Casus 3.

℞. *Laxativi Mineralis comp. gr.* viiij.
Pul. syrii gr. vj.
Merc. dulcificati ℈j.
Misce cum ʒij.
Cons. Rosar. pro bolo.

Hac evacuatione feliciter peractâ, per *Antimonium diaphoreticum*, cum pauxillo Theriacæ permistum, bis sudorem in lecto provocavi, paucis diebus ægro, cum DEO, perfectè restituto. Tandem *insignis etiam Ophthalmia* casus memoriæ succurrit, *juvenis cujusdam Norici*, similiter in separatione metallicâ hic ab Amplissimo Senatu conducti, qui Mense Martio 1627. *summis oculorum doloribus* laborabat, ubi communibus medicamentis adhibitis nihil quidquam levaminis sensit, donec me vocato purgans exhiberetur, quod

Casus 4.

℞. *Extr. pil. cochiar.* ℈js.
Merc. dulcificati ℈j.
Diagrydii correcti. ℈ß. *cum*
Syr. de stach. f. pil.

Hoc modo plurimùm evacuato corpore sudorem imperavimus aliquoties, exhibitis *gr. x. Bezoartici Mineralis*, ubi miraculi instar, remotis omnibus tophicis, dolor immensus evanuit. Hoc igitur in fodinis metallicis, & ad fornaces ejusmodi viventes, tum etiam aurifabri, chymiatri laborantes & similes diligenter observent, & nunquam non appropriatorum Medicamentorum aliquid in promptu secum habeant, cum verum fit hîc etiam illud Poetæ: principiis obsta, &c.

OBSERVATIO XXVI.

Cephalæa Scorbutica.

Quinquagenarius, constitutione corporis Melancholicus, dolore capitis diuturno laborat, qui vesperi paulò antè cœnam exacerbatur, metu inani, nec non tristitiâ solito majore concurrente. Simul etiam lassitudo spontanea, gingivarum sanguinolentia, maculaque livida pedum atque crurum concurrunt.

RESOLUTIO.

Cephalææ Scorbuticæ cognitio.

Cum Anno M. DC. VII. Soltquellæ Veteris Marchiæ Brandeburgicæ Medicinam facerem, inter alios quàm plurimos affectus, cum Scorbuticâ malignitate complicatos, occurrebat etiam *Cephalæa dicta*, quam *Scorbuticam* esse statuebam, eamque in *constitutione corporis Melancholicâ* eò magis contumacem atque diuturnam pronunciabam, *vesperi ante cœnam exacerbatam*, utpotè quo tempore aliàs melancholicus humor ebullire solet, quem superabundantem *metus inanis nec non tristitia solito major* simul testabantur. Quandoquidem verò *lassitudo spontanea, cum reliquis* additis, *Scorbutum* indicarent, potissimum illum processum Curationis observabam, quantum recordor jam post viginti annos elapsos, quem olim Patruus atque Præceptor meus, *Dn. Iacobus Horstius, piæ recordationis, in Academiâ Iuliâ* publicis prælectionibus proposuerat, qui taliter sese habet. *Cephalæa Scorbutica* non tantùm ex peccantibus manifestis qualitatibus & humoribus oritur, sed accedit singularis atræ bilis corruptio, tali morbo propria, quam ob causam affectus diuturnior, & curatu difficilior redditur. Pharmacia itaq; & diæta diligenter modo sequenti præscribantur. Hæc consistit in moderamine sex rerum non naturalium, ubi primum *aër ambiens* fit temperatè calidus, ejusque excessus, inprimis Boreales & Austrini venti, vitentur. Cibus fit *quantitate* moderatus, *qualitate* facilis digestionis, qui modicam incidendi qualitatem possideat: potus fit diureticus, ubi cerevisiæ nodulus addatur, qui.

Diæta.

℞. *Rad. Caryophyll.* ʒj.
Baccar. Lauri ʒß.
Cinamomi.
Macis ana ʒij.
Zingib.
Gran. paradisi ana ʒj.
grosso modo incisa ad nodulum.

Motus corporis moderatus fit, qui tamen tempore potionis scorbuticæ sumptæ fortior esse poterit ante sudorem, in lecto postea per quietem promovendum: *Somnus* nocturnus, maximeque duabus horis post cœnam probatur: Tandem *affectibus animi* quantum fieri potest, resistendû, & cum *Horatio, Tristitiam & metus tradas protervis in Mare Creticum portare ventis, &c. Pharmacia duobus determinatur,* 1. *frigida sicca intemperiei cerebri potissimû cùm atrabilari materiâ abundanti succurrendum* juxta Methodum in Atrabilari Cephalæa præscriptam. 2. *Melancholiæ Scorbuticæ resistentia medicamenta determinanda*, nimirum digestivis & evacuationibus illa miscendo, quæ Scorbuto sunt appropriata, ubi *Cochlearia* facile primas tenet: *Nasturtium aq.* secundas: tertias *Chelidonium minus*: quartas *Anagallis aquat.* 5. *sedum minus.* Conditum quoque in Curativa atrabilaris Cephaleæ Scorbuticæ sumatur, quod

Appropriata Scorbutica.

℞. *Cons. Cochlear.* ℥j.
Nasturtii Aquat. ʒvj.
Borrag. Ros. violarum.
Fumariæ, Cort. citri condit. ana ℥ß.
Spec. diarrhod. Abb.
Latific. Almans. ana ℈j.
Cum Syr. acetos. citri F. conditum.

Quod si Curativa Cephaleæ atrabilaris mixta cum appropriatis anti Scorbuticis non sufficiat, ad *Scorbuti* malignitatem nos totos convertamus, & *Scorbuti curationem* instituamus, eamque per tres septimanas, si opus est, continuemus, interdum intermediis evacuationibus adhibitis, tali vel simili modo:

Curatio Scorbuti.

Purgatio.

℞. *Seri lactis caprini depur.* ℥vj.
Fol. sena. ʒß.
Epithymi ʒj.
Thymi p. j.
Sem. Anisi ℈j.
Zinzib. ℈ß.

Stent in infusione per noctem, manè bulliant bis, terve, colentur, & adde

Syr. de Fumaria.
Rosat. solut. ana ℥j. M.

Hac vel simili, etiam fortiori, medicinâ purgante semel atq; iterum præmissa, potio scorbutica formetur, ubi *duplex materia medica* sese offert, *simplex vel composita. Simplex est succus Cochleariæ* ℥iiij. *ad minimum* ℥ij. *ad summum* ℥viij. cum vino vel sero lactis extractus & depuratus, qui quotidiè bis manè, & duabus horis ante cœnam, exhibetur, ægro benè cooperto sudorem promovente, vel ad minimum tepore lecti transpirationem occultam adjuvante. Quibus peractis, vestes mutentur, cutis frictione modica abstergatur, ac postea prandium ac cœna temperata subsequatur. Quod si corpora minus sudori provocando sint accommodata, *balneum sudoriferum* adhibeatur decoctionis *Herb. Malvæ. Althææ, Chamameli, Meliloti, Nasturtii aquat, &c. Composita materia.*

Potio Scorbutica.

teria medica sæpius & commodius usurpatur, quæ rursus duplex est, *una crassior*, eaq; usitatior & efficacior; *altera subtilior*, per destillationem pro delicatis, qui prioris usum ferre nec possunt, nec volunt. Prioris generis est potio hæc, quæ

Succus expressus scorbuticus.

℞. *Numulariæ. Nastur. aq.*
Anagall. aq.
Cochlear. an. Mij.
Com. Absinth. virid.
Rutæ. sedi minor. an. Mß.

Incidantur & conterantur lapideo mortario, per pannum lineum trajiciatur succus, qui in vase vitreo conservetur. ℞. *Herbas, ex quibus succus expressus est, coq. in sero lactis caprini depurato leviter*, per pannum lineum exprimatur parum, expressioni priori adde succum priorem, misceantur, & aromatisentur *Aq. cinam.* ℥j. *Ol. macis, nucis mosch. per destill. ana gutt. v.* Fiat potio, cujus dosis sint ℥v. ad minimum ℥ijß. ad summum ℥viij. Posterioris generis est *Aqua destillata*, quæ componitur hoc modo:

Destillatum Scorbuticum.

℞. *Succi Borrag. Bugloss. depurati ana* ℔j.
Herb. Cochleariæ Mij.
Fumar. Nastur. aq. Sedi minor. eorumque omnium recentium ana Mj.
Spec. Diarrhod. Abb. ℥ij.

F. omnium destillatio in Balneo Maris, cujus aquę dosis media est ℥iiij. vel v. ubi cuivis dosi ℥j. Aq. Cinam. addi potest. Cùm autem destillatum priori potione sit debilius, idcirco diutius etiam usus ejus continuandus est. His observatis prædicto laboranti, mutatis, mutandis, tunc temporis succurrimus, non neglectis aliis, symptomatum correctionem respicientibus, de quibus pluribus agitur in libello nostro de Scorbuto, huic libro annexo.

OBSERVATIO XXVII.

Cephalæa maligna pestilentialis.

VIR *consistentis ætatis, annorum* 30. *facie rubens, habitu carnosus, generis vitæ literariæ, tempore pestis Epidemiæ dolorem capitis ingentem patitur, ita ut protinus præ vertigine corrueret, superveniente magnâ anxietate, manuum, pedumq́ lassitudine, cum horrore levi, quem calor vehementior febrilis excipiebat, pulsu ve loci, nec non pervigilia, atque animi deliquio plurimum affligente.*

RESOLVTIO.

CUm Anno M. DC. VII. in Academia Julia literis operam darem, casum hunc inter alios tunc temporis occurrentem, in publicis prælectionibus communicabat D. Patruus ac Præceptor meus, Vir Clarissimus *Iacobus Horstius, Professor Primarius*, p. m. determinando, *Cephalæam* hanc nihil aliud esse, quam *pestem ipsam*, cujus symptoma licet admodum urgens esse videretur, postponendum esse, quatenus potius *morbus malignus à totâ substantiâ vitale principiũ opprimens* respiciendus esset. Habitus corporis laborantis calidus humidus sanguinis abundantis *indiciis plethora* manifestabatur. *Vires robustiores* spem restitutionis subministrabant, modò patiens diligenter monitis Medicorum obtemperaret. *Quo ad curationem. Morbus malignus & periculosissimus indicat statim Alexipharmacis utendum esse*, quæ indicatio perficitur dextro usu, vel *Theriacæ*, vel *Mithridatii*, vel *Electuarii* quod

Indicatio præcipua in peste.

Electuarium Alexipharmacum.

℞. *Pulv. Scordii, Sem. Rutæ.*
Rad. Gentianæ ana ℈iiij.
Mithridatii.
Theriacæ ana ℥jß.
Conf. rosarum ℥j.
Cum Syr. de scordio vel acetos.
Citri q. s. F. Electuarium.

Hujus Electuarii quantitas in adultis ʒjß. cum aceto rutaceo vel rosaceo dissolvitur; & ad sudorem promovendem exhibetur, cujus expulsionem juvare licet, dum opus est, externis fomentis, &c. absterso interim faciei sudore, nec non aceto rosaceo naribus, corroborationis gratia, exhibito. *Virtus* autem, ut ut valida fuerit antea, nec etiam adhuc admodum debilitata videatur, ob vehementiam morbi, statim post sudorem corroborantibus utendum esse indicat. Imò *morbus malignus & virtus prostrata*, vel statim prosternenda, mox post sudorem medicamenta roborantia & veneno resistentia requirunt, ubi sese offerunt *Syrupus Granat. dulcium, acid. Acetos. citri, limonum, & Rotulæ d. n. contra pestem*. Post sudorem in hoc ægro dedimus *Syr. granat. dulc.* quo per dimidiam horam bis assumpto cibum exhibuimus, nimirum ptisanam & parum de piscibus saxatilibus elixis, & modico aceto rosaceo conditis. Refectione per cibum peracta, natura subjecti laborantis plethorica *venæsectionem* indicabat, coindicantibus viribus adhuc constantibus, quarum tamen lapsus facilior non adeo multum sanguinis detrahendum esse monebat. Facta sanguinis detractione ex vena mediana, post horam ad febrilem æstum temperandum *Iulapium* exhibebatur, quod

Venæsectionis permissio.

℞. *Aq. Lactucæ, Acetosæ*
Card. bened. ana ℥iiij.
Syr. de succo gran. dulc. ℥j.
Spir. Vitrioli optimè rectif. ℈s.
M. F. Iulapium, de quo bibat per horas 4. subsequentes.

Horis sex post venæsectionem elapsis, *somnus* imperabatur, quo deficiente, cum virium jactura metuenda *somniferum Epithema* fuit ordinatum hoc modo.

℞. *Sem. papav. alb.* ℥ß.
Nucleor. persic. ℥ij.
Cort. citri ℥ß.
Aq. Anethi. Verbenæ.
Rosar. ana ℥iiij.
M. F. Emulsio pro Epithemate frontis.

Tandem dormire cepit; manè iterum usus est antedicto sudorifero, cum sudoris successu mediocri, reiteratis insuper etiam roborantibus, itidemque victu tenui conveniente, cui intentioni per dies aliquot insistendo, morbi malignitas expugnabatur, ægro ad votum convalescente.

OBSERVATIO XXVIII.

Continens Consilium tempore Pestis Epidemiæ Anno 1597. à Jacobo Horstio D. & Medico Professore in Academia Julia Germanicè conscriptum.

PEstilentia, *sive Pestis*, in peccatorum infinitorum à nobis commissorum vindictam, tanquam hostis vitæ & naturæ infensissimus, à Deo immittitur, ad cujus ablationem non tàm ad ordinaria Medicinæ præsidia, quàm ad piacula, devotas preces, & veram cordis pænitentiam DEO summo litandam confugiendum est: Deus enim Ter. Opt. Max. qui secundis & naturalibus causis ad pestem invehendam, propagandam, finiendam & avertendam utitur, largitur etiam clementissimè, ut ii, quos ab hac pestiferâ ferâ liberatos cupit, Medicorum Ordinariorum auxilia in genuinâ devotione & cordis contritione implorent, eorundemque opem non irritam, sed salutiferam experiantur.

Pestis quid? Conjunge Probl. decad. 10. q. 1

Pestis autem nihil aliud est, quam febris peracuta, contagiosa, & maligna, quâ corpora hominum subitò fulminis instar, non saltem in capite, corde & hepate, sed omnibus etiam membris, potissimū verò brachiis ac cruribus gravissimè corripiuntur, eorumque non pauca per brevi temporis intervallo perimuntur. Ex quo colligere est, pestilentiæ quidditatem, formam & essentiam consistere duabus in partibus; unâ, *in veneno contagioso*; alterâ *in malignâ febre.*

Subjectum pestis. Vide Ep. Med. lib. 2. sect. 3.

Subjectum verò non sunt omnia hominum corpora, sed duntaxat illa, quæ ad inquinamentum hoc suscipiendum naturaliter disposita sunt.

Qualitas veneni pestiferi.

Venenum hoc deleteriâ & maleficâ qualitate imbutum est, quod licet ex quatuor Elementorum concursu & mixturâ ortum sit, ac mediante aëre de uno in alium transfundatur, interdum tamen intra nos ex ipsâ massâ sanguineâ ebulliente nascitur, hominesque populariter invadens, aërem inficit.

Febris pestilentis natura.

Febris hæc maligna est ex ordine & numero *febrium continuarum*, continuò sine intermissione & ἀπυρεξίᾳ affligentium; *& acutarum*, immaniter cum motu celerrimo sævientium, & historiam suam percurrentium; quarum maximæ cum excellenti putredine & sanguinis inflammatione *per-peracuta* nominantur, in quarum censu etiam *pestilentialis* hæc continetur, quæ præter summum *acumen*, *insignem* quoque *malignitatem* nacta est.

Quomodo corpora tutiora sint à veneno.

Hominum autem *corpora* à veneni hujus labe & febre pestilenti immunia, tribus hisce proprietatibus prædita esse debent: 1. Ut superfluo sanguine & excrementitiis succis omnino non scateant: 2. Ut consuetas & naturales excretiones per alvum, urinas, sudores & anhelitum moderatè habeant: 3. Ut viribus & vegeto robore valeant, quò veneno adventanti resistendo sint. Quæ verò his conditionibus carent, & vel succis fœdis, oppilationibusque intra vasa, venas scilicet & arterias, collectis abundant, vel viribus sufficientibus ad virus hoc profligandum non munita, aut molliter ac delicatè vivere solita sunt, levi occasione lue hac corripiuntur.

Et quamvis unusquisque de seipso judicium facere non possit, Medicis tamen peritis facilè est dignoscere, quid de unoquoque sentiendum sit: inter quos primi onere, quo premuntur, sanguinis ablatione & mundificatione possunt sublevari, ut urgente necessitate præ cæteris, tutius cum peste infectis conversentur; reliqui verò, qui scilicet conditionibus istis destituuntur, aut peregrè ex locis contaminatis in loca dissita, & magis secura, transmitti, aut seriò admoneri debent, ut antequam malum hoc incurrant, Medicorum curationibus & consilio sese committant, quò exclusis noxiis humoribus, huic labi capessendæ minus habiles & expositi sint, aut si jam pestis insultum patiantur, citius ad sanitatem reducantur.

Praxis duplex tempore pestis.

Intentio autem contra Pestem duplex est, *altera præservativa*, homines à pestis invasione custodiens, *altera Curativa*, jam jam correptos sanans. *Tutelaris medicatio* consistit potissimùm in præsidiis à pestilenti miasmate præservantibus, ejusdemque causas averruncantibus, quæ non solum venenum & febris malignitatem præcavendam, sed etiam corpora impura præparanda & ab excrementorum saburrâ præmunienda, quo minus hâc lue offendantur, respicit. Atque hæc rursus *bifariam* consideratur, *vel quatenus publicæ salutis custodiam* concernit, & in genere totam hominum congregationem, in domo quâdam, in civitate, vel in aulâ Principis populosâ spectat: *vel quatenus particulare cujusque commodum expendit*, & singulos homines, quemlibet in specie, respicit.

Præservatio pestis in genere.

Præservatio Pestis in genere, magnam hominum multitudinem concernens, antè omnia requirit, ut 1. plateæ, vicus, angiportus, ac sentinarum publicarum ostia, inprimis verò uniuscujusque domus sæpiùs ac diligenter ab omnibus sordibus, & inquinamentis fætidis repurgentur; quo solo consilio & medio experientiâ constat, pestilentiam cito in quadam civitate expugnatam fuisse: 2. Ut conventus & conciliabula aut omnino à Magistratu prohibeantur, aut pars hominum in loca diversa distribuatur, aut etiam in qualibet domo plura conclavia occupentur, ne in uno omnes aut multi cohabitent, seseque mutuiter inquinent. Quidam enim hoc quidem tabo nondum detenti, alios tamen rudimento hoc pestifero in propriis vestibus & linteaminibus delitescente inficiunt. Nonnulli miasmata hæc contagiosa diu, ac sanis similes, circumferunt, progressu tamen temporis veneno in quartam usque septimanam aut etiam plures, sese occultante, ipsi & alii corripiuntur: 3. Ut commercia & conversationes cum personis suspectis instituantur in aperto aëre, quo pestilentiale effluvium orbitam viarum non transiliens in alios se dispergere non possit; non verò in hypocaustis, in quibus sese latius expandere, & propagare valeat: 4. Ut, si ab infectis ad domesticos redeatur, vestimenta & indusia deponantur atque immutentur, auræque liberiori ventilanda exponantur, consortiumque domesticorum ad horam ferè dimidiam evitetur, aërque purior, corpus undiq; difflans, hauriatur: 5. Ut merces ex locis infectis allatæ, facileq; contagii hujus semina concipientes, quales sunt Lana, lintea, sericea, pellicea, pisces fumo indurati, carnes olidæ, panis, papyrus & libri, diligenter caveantur: Imò & numini,

nummi, aliaq; metalla aqua probè antè contactum eluantur: 6. Ut clinici & peste infectorum astantes à cæterorum hominum commerciis sibi temperent, & quantum fieri potest, rarissimè foràs in lucem prodeant: Ut emptoribus & portatoribus alimentorum & rerum ad vitam necessariarum duæ horæ singulis diebus destinentur, quibus ipsis liceat ad coëmenda vitæ necessaria prodire domo, & à quibus sibi cæteri nondum hâc lue contaminati præcavere sciant.

Præservatio in specie.

Præservatio Pestis in specie collocatur præcipuè in eo, ut in loca contagiosa ambulans, singulis matutinis horis sequentis antidoti ad minimum cochlear unum, nonnunquam interdiu assumat. ℞. *Nucum Iugland. excort. n°. x. ficuum n°. x. foliorum Rutæ* Mij. *Bacc. Iuniperi* Mß. *Concisis & contusis affunde aceti vini opt. q. s. ad eminentiam* ij. *aut* iij. *digitorum, stet per* 24. *horas.* Quibus verò amara non sapiunt, vel etiam qui colicis doloribus, & suffocatione matricis conflictantur, item prægnantes & pueri, hi omnes *trochiscos & Rotulas meas contra Pestem* manè duas, interdiu aliquando unam deglutiant, post tertium v. diem *Conservam citri vel cort. citri cond.* vel *flor. aurant. cond. aut Morsulos de Citro* devorent ℞. *Cort. Citri* ℈ij. *Ossis de Corde Cervi. Marg. prap. ana.* ℈ß. *Sapphyri præpar. gr.* iij. *Ol. Macis gutt.* ij. *Cinamomi gutt. v. Spec. Liberantis.* ʒß. *Diarrhod. Abb.* ʒij. *Sacch. clarif.* ℔j. *Aq. Scord. Card. bened. ana* ℥ij. *Cinamomi.* ℥ß.

Coquatur Sacchad. consumpt. aq. & fiant Rotulæ. Sig. D. Horstii **Küchlein wider die Pest.**

Deinde *Amuletum d. n.* exterius supra cordis regionem, cutim ipsam nudam attingens, gestetur, & quando infectorum præsentia occurrit, naribus ad odorandum objiciatur, cortices pariter citri exiccati in promptu habeantur, de quibus frustulum ore masticetur, in quorum penuriâ Radix Angelicæ, vel Aristolochiæ, vel Pimpinellæ, vel Zedoariæ dentibus conteratur, acetum etiam Rutaceum naribus admoveatur.

℞. *Benzoi.*
Storac. calam. ana ℥jß.
Laudani bene olentis. ℥iiij.
Cort. Citri ʒij. ℈ij.
Santali. citr.
Majoranæ.
Rosmarini. ana. ʒj. ℈j.
Ol. Cinam. gutt. xvj.
Macis gutt. xxiiij.
Cum Tragacanth. in aq. Ros. dissol. q. s. f. Massa & dentur ʒiij. *cum syndone, Sign.* **Amulet wider die Pest.** D. Horstii.

Suffumigia apud ditiores fiant ex *pulvere pro fumod. n.* inprimis, si cum aq. Ros. vel cinam. prius ebulliant. Pauperiorib. excitetur fumus ex baccis vel ligno Juniperino, foliis quercinis, absinthii, aut aceto, candenti silici insperso

℞. *Thymiamatis.* ʒiij.
Storac. calamitæ.
Laudani. ana ʒij.
Pulv. Menthæ mosch.
Majoranæ. ana ʒj.
Rosmarini. ʒs.
Rosar. rubear ℈j.
Cinamom. ligni Aloës.
Nucis mosch. ana ℈s.
Caryophyllor. ℈j.
Misce fiat Pulvis pro fumo. Signetur **Rauchpulver in Pestilentzzeiten** D. Horstii.

Insuper *cibi acidi cum aceto conditi* frequenter comedantur, Succus Citri, Limonum, vinum Cydoniorum & Citri bibantur, & quilibet, cui mens non ægrotat, Medicos opportunè adeat & consulat, quid sibi facto, pro mundificatione sanguinis & virium corroboratione, opus sit. Confert etiam *Cerevisia* ex Salvia, Lavendula, Helenio, item Aqua Acetosæ. Nocet verò vita sedentaria, exercitium corporis excedens, febres accendens, somnus meridianus, Balnea frequentiora, Ira, Mæstitia & Terror,

Curativa.

Curativam quod attinet. Pestilentia excellens & præsentaneum exposcit auxilium, quod non demum præparari, sed jam in promptu esse debet. Ne autem morborum diversorum confusio exoriatur, *dignoscenda est Pestis tribus signis pathognomonicis ab aliis morbis:* 1. *Cephalalgia:* 2. *Repentinâ anxietate & inquietudine:* 3. *Cruciatibus brachiorum, crurumque.* Quibus accedunt *Signa Supervenientia*, aliis quoque morbis communia. 1. Horror cum æstu insequente. 2. Æstus solus. 3. Pulsus velox. 4. Difficilis spiritus. 5. Vomitus. 6. Veternus aut Pervigilia. 7. Delirium. 8. Sitis. 9. Syncope. 10. Bubo, Anthrax, Carbunculus aut Petechiæ.

Pathognomonica pestis signa Supervenientia.

Si ergò de infectione cuidam constat, ille mox de Antidoto mea accipiat in aceti vini cochl. vj. ʒjß. quòd si verò infra viginti annos constitutus sit, sumat ʒj. in cochl. iiij. annos autem decem natus, ʒß. in iij. coch. Quem aciditas aceti offendit, misceat acetum cum aquâ carduiben. sudoremque provocet pro virium tolerantiâ, ad minimum usque ad unam horam, ad summum verò ad tres usque, sudoremque faciei semper abstergat, lectumque mutet, viresque Syrupo acetositatis Citri vel Granator. & post semihoram jusculo jucundo restauret.

Usus Antidoti pestilentialis, sequentis.

℞. *Pulv. Scordii.*
Sem. Rutæ.
Gentianæ ana ℈iiij.
Mithridatii.
Theriacæ. ana ℥js.
Conf. Rosar. ℥j.
Cum Syrupo Acetositatis Citri. q. s. fiat Electuarium Sign. **Latwerg wider Gifft.** D. Horstii. Pro unâ vice ʒjs. adultis infra 20. annos. ʒj. infra 10. annos ʒs.

Absoluto sudore, *Aqua* meâ *Cordialis* cum sacculis pulsatilibus arteriis imponatur, naribusque affricetur. Infectus etiam quivis Antidotum hoc ad duas vices in promptu habeat, ut, si primâ vice eam vomitu rejecerit, aliam dosin substituere queat: neque enim ponderatione opus habet, sed necessitate urgente compositio hæc præ-

 scripta

scripta, aut ad partem dimidiam, aut tertiam, aut sextam assumi potest. Qui hujus copiâ distituitur, ejus loco *Mithridatium aut Theriacam* dicto modo & pondere usurpare poterit.

℞. *Aq. Rosar.* ℔s.
Melissæ,
Borrag.
Acetosæ,
Scord. ana ℥ij.
Cinam ℥js.
Aceti Rosac. ℥iij.
Spec. Cordial. temperat. ℨis.
Diamarg. frigid.
Diarrh. Abbat.
Liberantis ana ℨs.
Misce & fiat Epithema. Signetur **Hertzwasser in der Pest** D. Horstii.

℞. *Santali Citrini* ℈j.
Pulv. Rof. rub. ℈js.
Flor. Borrag. P.ij.
Cort. Citri ℨß.
Cinamomi. Macis.
Caryophyllor. an ℈ß.
Spec. Cordial. temperat. ℈ij.
Cum Syndone fiant sacculi duo pro pulsibus. Sign. **Pulssäcklein in der Pest.** D. Horstii.

Si quis autem Antidoti superioris usum fastidiat, *Aquam Mithridaticam* si adultior sit ad cochl. vj. infra 20. annos. cochl. iiij. infra 10. annos cochl. iij. assumere, postea sudare, viresque refocillare, ut antea insinuatum fuit, & se erigere poterit.

℞. *Rad. Dictamni albi.*
Aristolochiæ longæ,
Tormentillæ.
Valerianæ. ana ℥j. ℨij.
Pimpinellæ.
Pentaphylli. ana ℥s.
Caroiphyllatæ.
Pæoniæ ana ℨij.
Cort. Citri. ℥s.
Succi Veronicæ, Card. ben.
Scordii Scabiosæ ana ℥iiij.
Aquæ Nucum, ℔iij.
Rosar. ℔j.
Acetosæ. ℔ij.
Infundantur horis 24. in loco calido, postea adde
Vini Granator. ℥vj.
Cydonior. ℥ij.
Conservæ Acetosellæ. ℥js.
Spec. diamarg. frig.
Cordial. temperat.
Elect. de gemmis. ana ℨj.
Diamosch. ℨs.
Et fiat destillatio. s. a. per vitrum Sign. **Mithridatwasser.** D. Horstii. una vice cochl. vj. pro adultis, cochl. iiij. pro pueris.

Præterea duas horas post cibum, aut septem horas post invasionem pestilentiæ, *Antidotum aut Aquam Mithridaticam meam*, aut Theriacam, Mithridatium ve secundâ vice reassumant infecti, denuo sudent, viresque ut antea reficiant. Tandem ad *reliquiarum pestilentium* omnimodam discussionem altero vel tertio die *Rotulas contra pestem d. n.* singulis sex horis duas aut tres reiterent, imò & *Syrupum Granat.* propter febris æstuantis vehementiam sæpius, interdum tamen per se, nonnunquam formâ Julapii mixtum, in usum ducant, sumendo *Aquæ Acetosæ cochlearia* xij. *Syrupi Acetosit. Citri aut Granat. ana cochl.* j. præcipuè cum simul quoque contra malignitatem pugnent, nonnunquam accipiendo cochl. vj. aq. acetosæ & supradictos Syrupos admiscendo.

Accidit verò, ut peste correpti communiter in principio somno profundo indulgeant, quò malignitas ad Cor retrahitur, ipsiq; infecti in summo vitæ periculo & discrimine versantur, quo tempore *Ruta & Acetum naso* adhibeantur, omnique ingenio somnus excutiatur. Deinde alvo suppressâ usus Antidoti secundâ vice intermittatur usque in sequentem diem. Et post septimam quasi horam ab invasione primâ, aut Alexipharmaco primo, lenitiva potio secundùm ætates calidè hauriatur, tres horas jejunando, & octo horas ab aliis remediis quiescendo.

℞. *Cort. Citr.* ℨj.
Rad. Cichorei. ℥ij. *Fæniculi.*
Liquiritiæ ana ℨs.
Polypodii ℥s.
Sem. Anisi. ℨjs.
Frigid. major. ana ℨs.
Pæoniæ ℈j. *Acetos.* ℈ß.
Herbæ Acetosæ,
Endiviæ.
Betonicæ.
Agrimon. ana M j.
Card. bened.
Fumar. ana M. s.
Flor. Cordialium ana P. j.
Fol. Senæ. ℥j.
Passular. minor. ℥js.

Coquantur in sufficienti quantitate aq. ad tertias, post colentur & clarificentur alb. ovi. In colaturâ infundantur per noctem.

Rhabarb. electi ℈iiij.
Agarici trochiscati in petiâ ligati ℨjs.
Macis, cinam. ana ℈ß.

Manè colentur & usui serventur.

Pro Adulto.

℞. *Colaturæ hujus* ℥iiij.
Mannæ ℨvj.
Syr. de Succo granat.
Rosât. solut. ana ℥s.
Misce fiat potio.

Pro Adolescente infra 20. annos.

℞. *Colaturæ hujus* ℥iij.
Mannæ. ℨvj.

Syr.

Syr. Rosar. solut.
De Succo Granat. an. ℥ſ.
M. F. Potio.

Pro Puero infra 10. annos.

℞. *Colatura hujus* ℥iij.
Manna. ʒv.
Syr. Rosf. solut.
De Succo Granat. an. ℥ß.
Misce f. potio.

Intermedio tamen tempore cochl. j. Syrupi Granator. sumi potest, ubi elapsis octo horis ægrotus pauxillum quieti se dare, & mox post somnum Antidotum vicissim ad sudorem alterâ vice proliciendum deglutire debet.

Tertiò Sanguinis missio non omnibus æquè convenit, tùm quod omnes æquali sanguinis copiâ non præditi sint, tum quòd aliqui viribus satis non constent: Qui verò sanguinis abundantiâ circumfluunt, & virium robore pollent, his solis venæsectio, modò alvus respondeat, hora septima vel sexta conducit; Qui alvo lubrica non sunt, post purgationem lenientem levemque somnum, illi post venam sectam quadrante unius horæ cochlear unum syr. Acetosit. Citri aut Granat. capiant: Et si de bubone nullibi aliquid appareat, venam medianam cubiti sinistri; Sin verò sub axillis aliquid protuberet, Basilicam; Sin autem in aut sub lumbis aliquid erumpat, venam poplitis aut malleoli è directo istius lateris pertundant. Proruente bubone, opus est accersere Chirurgum, qui localia modo debito administret, in cujus defectu præparentur sacculi *ex foliis althaæ.* Mij. *radic. Althaæ. & lilior. alb. ana* ℥ij. *herb. Agrimonia. Scordii. ana* Mß. *Ficuum. num.* ij. & duo decocti alternatim parti affectæ imponantur. In promptu quoque sit *Diachylon compositum,* post fomentationem tribus vicibus in die applicandum. Post emollitionem bubonis aliqualem, accipiatur *capa Theriacâ impleta & assata, quæ contusa cum ficubus, melle & farinâ permisceatur,* & adhibeatur: Qui si apertus fuerit, huic mixturæ *vitellus ovi* adjiciatur: Corrosiva & incisoria non nisi summa necessitatis urgentia in actū ducantur. *Anthraces* egregiè tritico à sanis masticato & illito mitigantur, si deinde Sapphyrus ipsi eminus admoveatur, & in orbem circumtrahatur. *Carbunculos* eosdem tandem maturat & ad suppurationem perducit, ambesionemque inhibet unguentum meum, quod hoc modo sese habet.

℞. *Tereb. lota in aq. Rosf.* ℥ij.
Butyri non saliti. ℥iij.
Theriacæ opt.
Mithridatii. ana ℥ß.
Vitellor. ovor. n. ij.
Misce fiat linimentum Sign.
Salb zum Carbunckel
D. Horstii.

Tempore Bubonum & Exanthematum Rotulæ meæ Alexiteriæ, Syrupi præscripti, & viribus non obstantibus, purgationes lenitivæ in usum veniant. Deus omnium verè resipiscentium Christianorum clementissimè misereatur.

OBSERVATIO XXIX.

Continens Instructionem tempore pestis Anno M. DC. XI. in Academ. Giessena cum Dn. Collegis meis in gratiam vulgi publicatam, & è Germanico translatam.

UT quilibet instructionem habeat, qua ratione periculosis hisce temporibus à *veneno pestifero* præservari, nec non, si permissu divino sit infectus, vicissim curari possit, necessarium, ut capita subsequentia diligenter observet. *Inprimis vero quoad præservationem* eò respiciendum, *ut aër ambiens purificetur.* 2. *Intemperantia cibi potusque vitetur.* 3. *Corpora à superfluis exonerentur.* 4. *Et à pestifero veneno defendantur.* Aër ambiens purificatur igne luculento frequenter accenso, suffumigio ex ligno juniperino, baccis ejusdem, Herb. absinthii, fol. Quercuum, succino, Myrrha, Thure, sicut etiam pulvere pro fumo, qui

Præservatio.

℞. *Gran. Iuniperi* Miiij.
Rutæ. Absinthii.
Rad. Helenii.
Cort. betulæ.
Cor. hircirasspati. ana Mij.
Myrrhæ opt. ℥iiij. F. pulvis grossus.

Præter vitam temperatam & moderationem cibi, potusque, corpora purificentur in *Plethoricis* per venæsectionem & sanguinis missionem, in *Cacochymicis* autem per purgationes, quæ pro ratione cujusque naturæ præscribuntur, ubi maximè præmissis præmittendis, singulis septimanis, vel bis ad minimum in mense, sumantur pillulæ pestilentiales, quæ

℞. *Aloës succotrina.*
Gummi Ammoniaci ana ℥j.
Myrrhæ electa ℥ß.
Salis Absinthii. ℈ij.

Ammoniacum solvatur aceto Scordii, & cum Syr. de Cichor, cum Rhab. fiat massa Dosis pro diversitate personarum à ℈iiij. ad ʒß. cum vino, temperato aceto scordii, vel Aq. Card. bened. Veronicæ, Scabiosæ, &c. His observatis *Sudor* quoque sæpius provocetur, adhibitis iis mediis, quorum postea mentio fiet. Præservatio quotidiana præter dicta fiat usu *Theriacæ And. Mithridatii. Damocr. Theriacæ, diatessaron, pulveris Bezoartici, Electuarii præservativi, Rotulis præservantibus Aquæ vitæ; Item Amuletis, pomambra inunctione narium, pulsium, &c.* juxta sequentes vel similes formulas.

Pillulæ pestilentiales.

℞. *Pulv. Rad. Dictamni. Pimpinellæ.*
Angelicæ. Tormentillæ ana ℥j.
Zedoariæ. Cort. citri.
C. C. usti prap. ana ʒvj.
Sem. Rutæ. Card. bened. an. ʒij.
Myrrhæ ℥ß. *Terræ Sigill.* ℥j.
Salis Absinth. ʒiij. *M. F. pulvis.*
Dosis à ℈iiij. *ad* ℈ij. *f. Pulvis Bezoarticus.*

Pulvis Bezoarticus.

℞. *Baccar. Iuniperi.*
Rad. Tormentillæ. Bistorta.

Fol.

Fol. trifol. Acetos.
Acetosæ ana ℥ß.
Rad. pimpinellæ, Dictam.
Angelicæ. bacc. lauri ex cort. an. ʒij.
pulverisata misceantur cum mellis ℥iij. & aceto destillato bezoartico q. s. F. Electuarium.

Elect. Præservativum.

S. Electuarium Præservativum pro pauperibus.

℞. *Cons. fl. buglossæ. Rosar.*
Carduibened. ana ℥vj.
Pulv. ligni Indici. subtiliss. pulveris. & per noctem in s. q. Aceti Scordii macerati, hac ratione, ut acetum totum à pulvere absorbeatur ℥j. ʒij.
Extr. Angelicæ. Zedoar. an. ʒj.
Camphoræ ℈j.
Cum Syr. acetos. citri. q. s. F. Elect. addendo pro fermentatione Spir. vitrioli ℈j. *M. & servetur in fictili amplo.*

Rotulæ præservantes.

S. Electuarium præservativum pro ditioribus.

℞. *Sacch. opt. in. Aq. Veronicæ, scabiosæ, vel Card. bened. &c. solut.* ℔j.
Spec. Liberantis Galen. ℥jß.
Extr. Angel. Zedoar. in simili Aq. dissol. ana ℈jß.
F. l. a. rotulæ.
S. Rotulæ præservantes communes.

Amuleta.

Amuleta communia fiebant juxta descriptionem præcedentis consilii: cum additione verò tali modo:

℞. *Arsenici Crystallini* ℥vj.
Rubri ℥iij.
Ladani puriss. ʒijß.
Benzoi. Styracis calam. an. ʒj.
Pulv. cort. citri gr. xv.
Santali citrini.
Majoranæ.
Rorismarini ana gr. v.
Ol. rutæ destill.
Succini ana gutt. iij.
Cum ovi albumine & mucilag. Tragacanth. in Aq. Ros. facta F. Amuleta.

Ung. ad nares pro pauperibus.

℞. *Ol. amygdal. dulc. recent.* ℥ß.
Mithrid. Theriac. opt. an. ʒij.
Camph. in Aq. vitæ Bezoart. solut. ℈ß.
M. pro Unguento.
S. Unguentum ad nares pro pauperibus.

Pro ditioribus.

℞. *Ol. nucis Moschat. per express.* ʒij.
Extr. Angelicæ Zedoar. an. ℈js.
Ol. Succini.
Gariophyll.
Rutæ. ana gutt. iiij.
Moschi gr. ij. M. diligentissimè.
S. Unguentum ad nares pro ditioribus.

Aq. vitæ Bezoartica.

Aq. Vitæ Bezoartica Felicis Wirtz.

℞. *Spiritus Vini à phlegmate separati* ℔j. ℥iiij.
Adde in vitro
Limaturæ C. C. non usti recentis ℥vj.
Pulv. Myrrhæ electiss. ℥ij.
Vitrum obturatum stet in digestione per octiduum, postea per Balneum Spiritum separa ad siccitatem, Spiritum fecibus reaffunde, & tertio similiter destilla. Spiritum istum vitro angusti orificii infunde; & adde limaturæ C. C. recent. ℥ij.
Pulv. Myrrhæ selectiss. ℥j.
Mithridat. ℥ß.
Camphor. ʒij.
Occlude exactissimè, & ad usum serva. Dosis pro præservatione coch. j. Ad curationem hujus Aquæ ℥vj. *addi potest tantundem Aceti destillati Bezoartici, hoc est* ℥vj. *vel.* ℥j. *pro communi dosi.*

Simpliciora alexipharmaca.

Simpliciora quoque vulgo non negligantur, inprimis ab iis, quibus res angusta domi, ut sunt *Rad. Angelicæ, Levistici, Helenii, Tormentillæ, Herb. Rutæ recent. Absinth. Carduiben. Salviæ Zedoariæ, Rad. Petasitidis, Terra sigillata, baccæ Iuniperi, eorumque Robob. &c. de his aliquid* usurpetur. Quibus in usu est haustu vini medicati stomacho succurrere, ex radicibus atque herbis dictis infusionem faciant, additis *Betonica, Veronica, Scabiosa, Scordio, Pimpinella, &c.* Ditiores in officinis *Amuleta* sibi comparent, eaq; in regione cordis gestent, ita tamen, ut illa, quæ cum additione componuntur, cutim non attingant, nec etiam noctu retineantur. Jejuno stomacho nullus domo exeat, sed panem cum butyro, ac pulvere rutæ consperso, sumat, haustu vini, vel cerevisiæ medicatæ superaddito: vel aliquid supradictorum medicamentorum præservativorum assumat, aut de simplicioribus aliquid ore masticet, ut sunt *Zedoaria, Angelica, Levisticum, Pimpinella, cort. citri. Baccæ Iuniperi, Lauri, &c.* quæ omnia primum aceto macerentur, & vicissim exiccentur. Manu cōterant *Rutam recentem aceto maceratam*, vel Pomambram gestent, quę fiat hoc modo.

Cautio in Amuletis gestandis.

℞. *Ladani purissimi.*
Styracis calamit. ana ʒijß.
Pulv. Major. Ros. rub.
Cort. citri. Cinam. an. ℈jß.
Croci ℈ß.
Ol. nuc. mosch. per express. ℈jß.
Extr. Angelicæ. Zedoar. ana. gr. xv.
Ol. Succini. Rutæ. distill.
Caryophyllorum an. gutt. v.
Camph. in Aq. Vitæ Bezoart. solut. ℈ß.
Cum s. q. mucilag. Tragac. in Aq. ros. soluti.
F. Massa pro pomis.

Curatio.

In curatione potissimum eò respiciendum, *ut venenum pestiferum à corde propellatur*, quo fine in Officinis peti potest dosis appropriata, pro respectu ætatis, vel *de Electuario Curativo, vel de Pulvere Bezoartico, vel de Aquâ Vitæ Bezoarticâ*, &c. quibus medicamentis exhibitis, sudor promoveatur per tres horas, quo linteis calidis deterso, linteamina & indusia renoventur, fumo prius alexipharmaco supra dictorum excepta.

Usus alexipharmaci.

Post

Post sudorem aliquid carnis citri saccharo præparatæ, nec non brodium aliquod corroborans exhibeatur: paulò post aliquid roborantium alexipharmacorum concedatur, ut sunt *Aquæ roborantes, emulsiones perlatæ, confectiones, &c.* Alimenta frequenter aceto rosaceo condiantur, ut etiam succo limonum, citri, &c. Post primum sudorem (nisi penitus obstructa sit alvus) elapsis horis 5. vel 6. sudor secunda ac tertia quoque vice reiteretur. Quod si diuturnior *alvi obstructio* perduret, necessarium erit, mox post primum sudorem *Enema temperatum laxativum* exhibere, vel in iis, qui abhorrent, aut aliâs occasione utendi distituuntur *Mannam, Elect. lenitivum, de Tamarindis cum sena, vel diacatholicon exhibere.* Exortis *Bubonibus & Anthracibus* Chirurgus requiritur, qui juxta communicatam instructionem, diligenter procedat. Qui cum infectis conversari coguntur, eodem modo cum aliis præservantia media diligenter adhibeant: ægros non accedant jejuno stomacho, luculentum ignem, cum suffumigiis dictis, in domibus infectis, antequam ingrediantur, excitari curent, & inprimis halitum atque expirationem ægrotantium caveant. Conclavia defunctorum vitentur, in quibus calcis vivæ portiones aliquot aqua frigida perfundantur, cujus effumatio per biduum continuetur, apertis postea fenestris, terque quaterque fumis supradictis in iisdem excitatis: vestimenta, linteamina, &c. aëri aperto locis remotioribus committantur, &c.

Alvi obstructioni quomodo succurrendum.

Bubones & Anthraces quomodo tractandi.

Informatio pro iis, qui infectos accedunt.

OBSERVATIO XXX.

Continens appropriata quædam Anno M.DC.XXVI. tàm præservationis, quàm curationis gratiâ cum successu præscripta.

Cum hâc æstate Pestis in Ducatu Würtembergico vicino plurimùm grassaretur, præterea, quæ aliâs hic olim in usu fuerunt, tàm *præservationis* gratia, quàm etiam *infectorum restituendorum* causâ, communicato consilio cum *Clariss. Dn. Collegis meis*, singulariter appropriata quædam ordinavimus. *Quoad præservationem* sublinguales trochiscos duplices A. Morsulos præservativos EE. Balsamum stomachalem EE. Pillulas pestilentiales FF. & alia quædam in prioribus consiliis contenta præscripsimus. Formulæ tales erant.

Trochisci sublinguales communes.

℞. *Rad. Angelicæ, Zedoar. an.* ʒiij.
Pulv. rub. Pannon. ʒij.
Cort. citri. sem. citri excort.
Ligni Aloës, Santali citr. an. ʒj.
Nucis Mosch. Caryoph. an. ℈ij.
Elect. de Ovo ʒjß.
Sacchari ℥iij. *Cum mucilagine Tragac.*
F. Trochisci. S.
Gemeine Mundzeltlen.

Trochisci sublinguales pretiosi.

℞. *Falved. cort. citri* ʒj.
Zedoariæ. Angel. an. ℈ij. *gr.* v.
Ireos Florent. ℈j.
Extr. Xyloaloës ℈ß.
Angelicæ.
Zedoar. an. gr.
Cinam. Nucis Mosch.
Caryophyllorum ana gr. vj.
Ambræ gr. ij.
Moschi gr. j.
Sacchari ad pondus omnium, cum mucil. Tragac. in Aq. Ros. F. Trochisci.
S. **Köstliche Mundzeltlen.**

Morsuli EE.

℞. *Spec. liberantis.*
Pulv. rub. Pannon. ana ℈iiij.
Marg. præpar.
Corall. rub. præp.
Hiacynth. præp.
Smaragd. præp. ana ℈ß.
Cinam. opt. ʒß.
Cort. citri condit. ʒvj.
Extr. Zedoar.
Angelicæ.
Theriacæ Androm. ana ℈j.
Extr. Croci gr. iij.
Ol. citri gutt. vj.
Sacch. ℥vj. *cum Aq. Ros. F. confectio in Morsulis.*
Morsuli præservativi. EE.

Balsamus Stomachalis.

℞. Elix. Propriet. Paracel. ritè præp. ʒij. detur in vitro S. Balsamus stomachalis, gutt. vij. viij. vel ix. vacuo stomacho sumendus cum brodio, vel vino absinth. seu. Scord. &c.

Pil. pestilentiales FF.

℞. *Extr. Aloës.*
Ammoniaci ana ℥ß.
Myrrhæ el. ʒij.
Extr. Croci ℈ß.
Camphoræ gr. v. Solvatur Ammoniacum Aceto Scordii, & cum Syr. de Cichor. cum Rhab. fiat massa, ex qua formentur pil. S. Pillul. Pestilentiales FF.

Quoad curationem præter communia consueta, magno cum successu in principio *Syrupus Emeticus* adhibitus fuit, quem describit *Angelus Sala libello de Peste* Gallicè conscripto, vocatque *Oxysaccharum vomitivum contra pestem*, cujus descriptio talis est:

Syrupus Emeticus.

℞. *Vitri Hyacinth. more Matthioli Præpa. & subtiliter pulv.* ℥j.
Cinam. el. Zedoariæ.
Ligni Aloës resinosi opt.
Sem. Angelicæ ana ʒij.
Croci Anglici opt. ʒß.
Aceti Rosacei ℥xviij.

Omnia hæc vitro capaci infundantur, optimè claudantur, ut nihil expiret, & digerantur in B. M. per 24. horas: postea Balneo refrigerato, coletur diligentissimè, vel per chartam bibulam filtretur ut fiat pellucidum. Postea tantùm sacchari cum Aq. Ros. solvatur, quantū est pondus prædicti liquoris, coq. saccharum ad consistentiam confectionis Manus Christi, & postea calidū adhuc pede-

pedetentim cum dicto liquore permisce. Quanquam verò à ℨij. ad ℨvj. vel ad summum ad ℥j. Autor hoc ipsum medicamentum præscribat, nos tamen observavimus tutò in adultis ℥j. dari posse, ubi primis viis hoc modo, per tolerabilem vomitionem, purificatis, citius alia medicamenta, malignitatem per sudorem expellentia, retinentur, inter. quæ duo potissimum experta notavimus, nimirum *Aquam istam Alexipharmacam* à Dn. Fel. Platero, Præceptore meo, p. m. præ cæteris commendatam, quæ

Aq. Alexipharmaca.

℞. *Rad. Tormentill. Bardanæ,*
Pimpinell. Succisæ.
Phu veri hortensis, recentium, ana ℥iiij.
Imperatoriæ, Angelicæ.
Dictamni alb. Gentian.
Serpentar. siccarum ana ℥j.
Capar. recent. nondum planè matur. ana ℥vj.
Fol. rutæ. Acetosæ.
Card. ben. recent. an. Mij.

Incidendo omnia, addendo Camphoræ ℨjß. *dissolve in Aq. vitæ* ℥j. *adde Mithridatii* ℥jß. *Vini albi præstantiss. Mens.* jß. *Aceti Rosacei* ℥ij.
F. destill. per Balneum.

Hujus Aquæ Theriacalis ℥ij. *cum Bezoartici Aceti* ℥j. *& Syr. Acetos. citri* ℥ß. efficacem constituit potiunculam alexipharmacam, aliquoties more aliarum reiterandam.

Alterum medicamentum erat *Bezoarticum Minerale* dictum, cujus efficaciam non tantùm in aliis malignis febribus, pleuritide, petechiis & similibus, sed etiam ipsâ peste præsentissimam observavimus, ejusque ℈ß. ad summum, ita malignitatem pestiferam expugnasse recordamur, ut anthraces atque bubones postea natura protinus separaverit, & in cæteris, ægrotantes non admodum graviter, sed more communiter febricitantiũ afflicti fuerint.

OBSERVATIO XXXI.

De urinis Pestiferorum, & aliis cognatis.

Clariss. & Excellentiss. Dn.
LUDOVICUS SCHMID, Med. D. & Archiater Marchiobadensis,
GREGORIO HORSTIO, D. & Archiatro Vlmensi.

S. Perlegi librum observationum & Epistolarum tuarum, Excellentissime Dn. D. Horsti, eumque magnâ cum voluptate legi: quod in eo morborum & Symptomatum causas perspicuâ brevitate recenseri, singulisque certâ ratione ac methodo sua subjungi remedia cernerem: plerunque etiam varias affectuum complicationes expediri, in quibus tyronis Medici consilium anceps hæsitare potuisset. Multi hodie, præsertim ex nostratibus sunt, quos non pudet ea frustrà scribere, quæ vel non scripta universis patent: meliùs & otio suo & lectoris rebus consultari, si scribendi libidinem intra limites à divino Sene definitos coërcerent. Huic autem τὸ μέν τι τῶν μὴ εὑρημένων ἐξευρίσκειν, ὅ,τι καὶ εὑρεθὲν κρέσσον ἢ ἀνεξεύρετον: καὶ τὰ ἡμίεργα ἐς τέλος ἐξεργάζεσθαι ξυνετοῦ δοκέει ἐπιθύμημά τε, δὲ ἔργον εἶναι. Hanc tu viam secutus, si reliqua, quæ polliceris, eodem filo pertexueris, rem Medicam non parùm meo quidem calculo juvabis. Pro tuâ autem in me humanitate quam & literæ tuæ, & salutationes per amicos testantur, rogo, quæ in libri I. observatione XXIV. de Urinis malignarum febrium breviter pro instituti ratione dixisti, paulò mihi latiùs explicare non graveris, quod eò te libentius facturum spero, quò vides gravissimos autores longiùs hac in quæstione à se invicem dissidere: ejusque cognitionem tùm ad prænoscendum, tum curandum morbum esse necessarium. Urinam in ægro tuo parùm à naturali statu declinasse dicis, quod subinde in hoc morbi genere usuvenire pleriq; omnes asseverant: Sed in rei causa asserenda discrepant. *Hieronymus Capovaccius* rationem redditurus, cur in quovis morbo à repletione urina laudabilis interdum excernatur, malis ęgri rebus: distinctione facta inter sedimentũ, aliud ex alimento nasci, & esse chyli crudiorem portionem, quæ in nutrimentum verti nequeat, aliud oriri ex morbifico humore à natura evicto & subacto. Utrumq; porrò, differre dicit, primum quidem loco generationis, siquidem alimentale in ventriculo, morbificum, seu (ut ita dicam) humorale, in jecore aut in venis provenit. Deinde efficiente causa, dum alimentale à calore naturali, morbificum à calore quodammodo præter naturam elaboratur. Hinc infert, utrumque sedimentum in ejusmodi morbis, dum concoquuntur, excerni, modò seorsim, modò simul: quoniam alimenti coctionem non minus, quam humoris pepasmum, natura molitur. Quia verò fieri potest, ut sedimentum alimentale subsideat in urinam optimum; humore adhuc existente crudo, notas tradit, quibus alterum ab altero discerni queat. His longa serie definitis, mirari Medicum non debere pronunciat, si quando ægrum videat urinam cum sedimento naturali excernentem interire: Ortum enim illud ab alimento, non ab humore morbifico habere. Quæ tametsi insignem usum in dijudicandis urinis habere videantur; quia tamen instituti nostri non sunt propria, sed ad plura morborum genera pertinent, audiamus *Conciliatorem*, qui rationem redditurus, ob quam in febre pestilenti, seu maligna, de qua nobis sermo est, urinæ sint sanis similes, *diff.* 94. *dicit*, id fieri, quoniam natura deterrita putredinis magnitudine & pravitate minimè audet materiam morbificam tractare, quæ intentata manens urinas non immutat. Adeoque hæc Conciliatoris sententia priori subordinata est, eamque explicat, dum docet in hujusmodi febribus naturæ vires superesse quidem ad alimenti concoctionem, ad humorem autem morbificum non item. *Mercurialis* hunc in Scopo aberrasse toto, quod ajunt, cœlo putat, dum primò absurdum esse dicit Naturam intelligentem fingere: quod id *Conciliatori* nunquam in mentem venerit, qui optimè novit naturalem actionem animali opponi. Quod autem secundò dicit, à natura comparatum esse, ut quævis pars noxia à se propellere

Movetur quæstio.

Opinio Capovaccii.

Opinio Conciliatoris.

Opinio Mercurialis.

leve conetur, tantoque magis insurgat, quanto materia peccans est deterior: conceditur forsan, ubi natura valet, de eadem contrà superata sperari nequit. Atque hac ratione *Mercurialis* propositatem à *Conciliatore* sententiam nec refutat, nec meliorem affert, perinde ac si, rei difficultate territus & ipse, manus victrici causæ dedisset. *Riolanus & alii*, quorum sententiæ tu quoque subscripsisse videris, à venenata qualitate spiritus vitales potissimùm infestari putant, obque id in humoribus ejus vestigia manifestè non deprehendi. Hi proximè scopum attigisse mihi videntur, nondum tamen persuadere possum, ut penitus assentiar. Quia enim humores salvi diu esse nequeunt; ubi spiritus sunt contaminati, quod in diariis febribus clarum est, quæ post primum statim diem in humorales febres mutari consueverunt: Urinæ sanis similes, vel in acutissimis tantum febribus malignis, vel in earum principio solum excerni debebant, longè verò aliud docet sensus & experientia: videamus hac de re *Iul. Palmarium*, is malignam constitutionem, quæ Anno 1568. multos Lutetiæ prostravit, describens, inter alia sic habet: *Vrinæ aliis crassæ subnigræ, lividæ, vel ex rufo livescentes, cum crasso divulso suspenso: aliis naturalibus similes: paucis confusæ.* Et post pauca: *omnibus ferè ad diem quartum aut septimum dolor capitis evanescebat, idque aliis insigni hæmorrhagia è naribus vel alvi profluvio, aliis sine evacuatione manifesta: tumque urinæ si ante turbatæ fuerant, puriores evadebant, coctione manifesta quotidie in melius procedente, cùm tamen, viribus maligna latentis veneni pernicie sensim, extinctis, brevi perirent, magna ex parte urinæ purissimæ atque enæoremate in ea laudabili, aliisque coctionis signis in excrementis conspicuis:* hactenus ille. Ex quibus colligo veneni vim mox in principio morbi humores conturbasse, qui tamen temporis progressu cocti, factaque sufficienti vacuatione, die critico, per convenientes vias excreti sunt, cum levatione ægri, atque tùm demùm apparente in plerisque laudabili urina extincti sunt. Hæc autem apud te, *Horsti Clarissime* eò paucioribus ago, quia ægrum habuisti cum tali urina in morbo ex intemperantia orto, ubi naturalem facultatem præ cæteris læsam fuisse vero sit simile, nihilominus urina parùm à naturali statu declinavit. Age verò sit sanè, spirituosum sanguinem maximè præter naturam esse affectum, undenam promanat urina? Gignitur quidem certè in hepate, sed in omnes venarum & arteriarum, in quibus spirituosus sanguis asservatur, canales prius diffunditur, quàm in vesicam collecta effluat: innumeræ, cæque peramplæ sunt venarum in arterias, harumque in illas, anastomoses: emulgentia item vasa utrique vasorum generi tantùm non æqualia, quo fit, ut vitium sanguinis, etiam spirituosi, nullum manifestum esse possit, cujus non in urinis vestigium aliquod ostendatur. Quia verò quibus humores qualitate vel quantitate modum excedunt, magis sunt ejusmodi febribus expositi, quis dubitabit malignam qualitatem primò etiam naturalem facultatem infestare, licet in humoribus manifesta noxa non semper appareat. Quare mihi sapienter *Fernelius* totius substantiæ morbum constituisse videtur, quo negato vix ostendi causa potest, cur pulsus & urina præcipua, generalissimaquè aliorum morborum signa, in malignis & pestilentibus febribus pro noxæ ratione non immutentur. Sed nimium seriis tuis occupationibus obstrepo. Quod reliquum est, Vale, & instantem novum annum plurimosque deinceps (si qui erunt) felicissime vive. Durlaco, 8. Calend. Jan. Anno 1625.

Opinio Riolani.

Viro Clariss. & Excell.

DN. LUDOVICO SCHMID, Med. D. Archiatro Durlacensi.

Gregorius Horstius, D.

SUt promissis satisfaciam, & plenius ad tuas sub initiū anni currentis ad me datas respondeam, Vir Clariss. & Excell. fautor & amice plurimum colende, resumo quæstionem in iisdem propositam, *qui fiat scilicet, quod in malignis febribus ipsaque peste, sæpius urinæ sanorum urinis simillimæ sint?* Omitto diversa placita, tàm veterum, quàm recentiorum de generatione contentorum in Urinis, & in statu sanitatis, & in dispositione morbosa, quorum opiniones diversas non absque singulari judicio *Clariss. Sennertus*, amicus meus, in suis Institutionibus conciliare conatur. In id tantùm inquiramus impræsentiarum, cur frequenter in Malignis urinæ non admodum, à statu sanitatis alienæ reddantur? Rectè, *Riolanum & alios* scopum attigisse statuis, qui spiritus vitales potissimum à venenata qualitate labefactari putant, ita ut ea propter læsionis vestigia in humoribus manifestè non deprehendantur.

Planius idipsum determinat *Iordanus de pestis Phan. Tract.* 1. cap. 14. demonstrans, urinam in cordis & cerebri affectibus signum esse fallax, unde rectè dicit Antecessor meus *Clar. Verbezius in Exer. de peste p.* 123. urinas sanorum urinis sæpius esse similes, antequam scil. venenum humores putrefaciat, aut vitam citius, quam humores corrumpat. Hinc eleganter *Minder. de peste p.* 89. quod quandoque pulsus sit laudabilis, & urina sanorum simillima in peste, rationem reddit *Conciliator*, quod natura sit perterrita, & vim veneni non aggrediatur. Verum haud sufficiens (inquit) est ratio: unde potius id veneno in parte principali delitescenti imputandum videtur, ex qua cum ægri leviusculè tantum laborare visi fuissent, facto tandem repente humoris transitu, aut subitaneâ metastasi, confestim aliquando periisse observati sunt. Hinc *Ruland. lib. de lue Vng. cap.*3. Urinam in initio naturalem esse pronunciat, ob perniciosam qualitatem, cordis intima possidentem, nondum reliquis humoribus impressam. *Sarracenus de pest. nat. cap.*5. laudabilem urinam eapropter oriri dicit, vel quia natura imbecillis, vel quod naturalis facultas nondum læsa sit, vel, quod vero propius judicat, quia venenum cor possidet. Sed quod attinet instantiam tuam duplicem, quarum prior ab urinæ generatione, ejusdemque per totum corpus distributione, posterior à dispositione corporis laborantis in febribus malignis,

deducitur, breviter reſpondeo. Prima nititur autoritate *Fernelii*, quod urina præ ſe ferat totius corporis indicia, quatenus parùm aut nihil à ſanguinis feroſa parte differt, adeoque per univerſum corpus cum ſanguine diſtribuatur, ita ut etiam ſpirituum p. n. diſpoſitionem neceſſariò ſignum aliquod exhibere cogatur, quod communio vaſorum, tàm venoſo, quàm ſpirituoſo ſanguini dicatorum, etiam innuat. At inconveniens eſt ſequela, propterea quod ſerum in totum corpus diſtributum ab urina per veſicam recepta plurimum differat, quemadmodum pro *Galeno* ſatis eleganter citato loco idipſum deducit *Iordanus*, concludendo, non *πρώτως*, ſed *δευτέρως* tantum de peractâ tertiâ concoctione cujusq; partis ex urinâ quidpiam colligi poſſe. Præſuppoſito verò, quod in peſtilentibus cor primariò afficiatur, tandem ſubjicit: cum itaque urina de affectibus cordis parum aut nihil portendere poſſit, ſatius fuerit, cum veritate fateri, peſtilentium putredinem in corde potiſſimùm latitare, nec in amplum ſeſe exerere aut diffundere, adeò ut vix ob præcipitem materiæ motum celerrimum, cauſæ morbum patientis impetum, præſentemque vitæ perniciem, communis reddi queat humoribus in vaſis contentis, quorum infectio facile ex lotio deprehenditur. Hactenus ille. Secundo loco laborantium diſpoſitio ſubjicitur, nimirum ad ejusmodi malignos affectus, eos eſſe magis acommodatos, quibus humores qualitate & quantitate modum excedunt. At reſpondeo *πρῶτν δεκτικὸν* ipſius malignitatis non eſt cacochymia, quamvis affectum deteriorem reddat, cum aliud ſit putredo, pravorum ſuccorum ſoboles, aliud malignitas ſuperaddita. Nec tamen per petuum eſt etiam ipſis ſuccis, imo & ſanguificationis organis affectis, ſtatim quoq; noxas omnes in urinis apparere, quod frequentiſſimè Lues teſtatur Venerea, cum ſæpius undique fœdis ulceribus toto corpore laborante ſanorum urinis ſimilimum lotium excernitur, eò quod natura potius ad externas partes, quàm per vias urinæ deſtinatas, id, quod noxium, expellat. Simile quid hoc anno centies hic in Variolis & morbillis Epidemiis obſervare licuit, ubi ex eo, quod febrilibus accidentibus præſentibus, urina ſanorum lotio non abſimilis redderetur, variolas adfuturas innumerabilibus ægris, non abſque eventu, prædiximus. Nec obſtat, quod æger iſte, cujus in meis obſervationibus fit mentio, morbum ex inordinata victus ratione contraxerit, quia diſtinguendum inter cauſam remotam externam, quæ indicationem nullam ſubminiſtrat, & internam proximam, quam hic non putredinem ſolitariam, ſed cum malignitate conjunctam ſtatuimus. At ſi putredo conjuncta fuit, cur ejusdem nulla nobis exhibuit indicia lotium? an quia tunc temporis, ubi vocabar, natura potius in excretione ſanguinis ſymptomatica, quàm alteratione cauſæ morbificæ fuit occupata? an quia malignitate vitale principium oppugnante, de ſuccis putreſcentibus nihil excernebatur, quod etiam non rarò febres intermittentes teſtantur, ubi circa paroxyſmum, & in ipſâ exacerbatione, quando natura cum peccante materia effervescente pugnat, naturalis urina redditur, quæ tamen intermittente die, cum natura minus à peccantis materiæ *ὀργασμῷ* laceſſitur, putredinis indicia ſatis evidenter exhibet? Verum obiter hic patet, minimè nos hac in parte Acutiſſimo *Fracaſtorio* ſubſcribere poſſe, qui *lib. 2. de morb. contag. cap. 8.* ſingularem proponit opinionem nimirum, jam deficiente virtute & non potente craſſiores partes expellere, percolari quodammodo urinam, ita ut quæ primum craſſa ſatisfuerit, minus craſſa deſcendat, donec ad illam mediocritatem accedat, ut ſana videatur &c. fruſtrà enim talia fingi, per dicta facilimè demonſtratur. Quanquam verò ſæpius in Malignis Urinæ ſalubres videantur, non tamen ſemper idipſum accidit, quod ex citato *Palmario* rectè proponitur, quam ob cauſam *Foreſtus lib. 6. obſerv. 11.* in peſtiferis cum *Altimaro* ſolidas cordis partes à veneno occupatas eſſe, ſtatuit, ubi cum aliis ibidem enarratis ſignis urina penitus inculpata videtur, juxta *Galen. 3. de præſag. expulſ.* quod & in Ephemera peſtilentiali fieri paulò poſt ſubjicit, eidemque complures alii non ſine ratione ſubſcribunt. Imò ob cauſas ſuperius dictas in putridis etiam peſtilentibus interdum, & ſub initium, & ſub finem, urinas inculpabiles reddi poſſe facilimè colligitur, cum non rarò fiat, ut in aliis etiam non peſtiferis affectibus coctionis ſigna ſeſe offerant in urinis, ex alia cauſa vitali principio nihilominus ſuccumbente. Frequenter tamen accidit, ut in peſtilentibus & malignis urinæ ſint turbidæ, nigræ liveſcentes, croceæ, rubeæ, craſſæ, ſubjugales, adeo ut omne lotii pravum ac deteſtabile genus hic obſervare liceat, quibus tamen non tàm de malignitate, quàm de putredinis atque corruptionis humorum concurrentis conditione, judicare licet. Ejusmodi urinam ex nigro liveſcentem ante ſeptimanas aliquot ad me mittebat hoſpitis ad Acidas Ulmenſium Uberkingæ filia, conſtitutionis aliàs robuſtioris virago, quę perterrefacta propter advenientes ex vicino pago, peſtis ſeminariis infecto, ruſticos, protinùs in graviſſima ſymptomata, malignitatem præ ſe ferentia, incidit, & antequam convenientia remedia, propter diſtantiam trium milliarium, adhiberi poterant, intra triduum, veneno ſuperata, naturæ debitum ſolvit. Quandoquidem verò nullus ex his, quorum præſentia perterrefacta fuerat, infectus eſſet; vel etiam cum infectis converſatus fuiſſet, meritò quæritur (ut priori *ζητήσει* cognatam addam aliam) *an talis malignitas non potius ex internâ, quàm externâ cauſa ſuam originem habuerit?* prius ſtatuendum eſſe videtur, in conſtitutione corporis ſanguinea, putridis febrib. alias obnoxiâ, penes quam venenum ejusmodi latere potuit aliquandiu, donec tandem, conſternatione concurrente, cordis thalamos prehenderet, & vitale principium, plenitudine corporis & humorum corruptione ſubitanea concurrente, protinus oppugnaret, & nullis adhibitis remediis, non difficulter expugnaret. Contagium ſanè cum peſtiferis affectibus concurrere contra *Gregorium Niſſenum* rectè ſtatuit univerſa Doctorum cohors, ſed *internam* quoque *diſpoſitionem non privativam tantummodo, ſed poſitivam* quoque requiri firmiter mihi perſuadeo, ſimilem illi, quæ iis ineſt qui per contagium variolas atque morbillos

Contra Fracaſtorium.

Præter Contagium in peſte dari quoq; diſpoſitionem internam.

ſibi

sibi comparant. Qui enim fit, quod variolarum & morborum affectus promptissimè per contagium communicatur non omnibus, sed iis tantùm, qui tali nondum laborarunt? non tantùm, quod malignitatem communicabilem habeant ægrotantes, sed etiam quod realis impuritas, ex materno sanguine relicta, lateat adhuc in iis, in quibus tali critica expulsione, nondum expurgata fuit. Imò impuritas illa latens non per contagium accenditur, nisi maturitatem suam nanciscatur, eo modo, quo juxta *Hippoc. lib. de vet. med.* amara salsa, dulcia, acida, acerba & alia sexcenta homini inesse dicuntur, quæ mutua inter se contemperatione neque cernuntur, neque quenquam molestia afficiunt, donec secernantur & luxuriare incipiant, ubi varias morborum causas consistuunt, quemadmodum pluribus *in præfat. lib. de nat. hum.* ante annos quindecim demonstravimus. Hinc accidit, ut sæpius in iisdem ædibus non omnes simul, sed diversis temporibus alii post alios, non mensium, sed annorum etiam intervallo, variolarum contagio prehendatur, quod etiam in dysenteriis, febribus malignis, & aliis affectibus manifestum apparet. Pestiferum contagium longè gravius & vehementius esse facilimè concedo, quod non solum contactu, fomite, sed etiam ad distans, subtilitate penetrante, firmaque mistione, in lentore quodam, juxta *Fracastorium*, constanter perseverante & efficaciter agente similem infectionem infert, non quidem omnibus, sed iis tantùm, quæ analoga sunt corpori per μιάσματα venenata suam malignitatem expiranti. Talem analogiam multiplicem & maximè admirandam meritò pronunciat *Fracastorius*, unde pestis quædam arboribus atque satis, animalium nulli, obest: contra tangit quædam animalia, satis & arboribus parcit: & inter animalia hæc hominem capit, illa boves, illa equos, aut alia: sed & in eadem specie, quæ pueris & juvenibus est contagio, senum neminem lædit, & è contrario: nec quæ mares semper mulieres attingit: promiscuè verò alii certas sensere, alii non: & alii inter pestilentes illæsi versantur, alii non, &c. hactenus ille. Mirum igitur non erit, quod ex *Dionys. Halicarnass. lib 4. Histor. Roman.* refertur, ubi pestem aliquam fuisse scribit, quæ solum in virgines & prægnantes sævierit, qua ratione *Ioh. Bapt. Boterus lib.3. Relat. Univ. de mundo novo,* magnam enarrat pestilentiam, quæ solum juniores personas sit adorta: sic *Gentilis referente Mindereró lib. de pest. pag.53.* suo tempore pestem quandam robustos tantummodo viros infecisse scribit.

Mirum verò quam analogiam singularem pestes illa tempore Caroli 4. Imperatoris cum ordine Franciscanorum habuerit, quorum per triennium, ut ex *Alberto Cranzio & Funccio* Historicis refert *Unzerus in Antid. pest. lib.1. numero* 124434. peste obierunt? Non autem absque causa admiranda dicitur ejusmodi analogia, propterea quod sicuti τὸ ὅτι *quod sit*, manifestũ, ita, τὸ διότι satis obscurum remaneat. Rectè quidem ex *Hipp.* colligimus lib. περὶ πνευμ: non eadem omni animantium generi commoda & incommoda esse, ac proinde corpus à corpore, naturam à natura, nutrimentum à nutrimento differens esse, unde eveniat, ut inquinationis diversitas oriatur, quam ob causam addit *Mindererus* cum aliis, non contaminabitur aliquis, nisi qui vel naturæ, vel humorum, vel alterius cujusdam consimilis dispositionis similitudine ad consimilem noxam suspiciendam fuerit habilis, cum similia facilè jungantur & coëant, ac in habentibus symbolum facilis sit transitus, ut habet Philosophus. Locum igitur hîc habet istud Galeni, dum inquit: Μεγίστη μοῖρα γενέσεως νοσημάτως ἐστὶν ἡ τοῦ μέλλοντος πάσχειν σώματος ἑτοιμότης.

Nec etiam negamus hanc corporis passuri præparationem plurimùm huc facere, quam communiter autores determinant, ubi temperamento calidos & humidos, putredini obnoxios, multis humoribus scatentes, & laxiori corporis habitu præditos, inter homines citius aliis infici statuunt, quo modo, quo ad aëris infectionem, austrina loca perniciosius aquiloniis, adeoque calida humida frigidis siccis regionibus gravius affliguntur. *Sed cum videamus*, quàm plurimos tempore pestilentiæ, licet ejusmodi constitutionibus præditi, vel etiam cacochymia putrescentium humorũ referti fuerint, nihilominus immunes frequenter, etiamsi cum infectis conversari cogantur, permanere, prehensis interim ab infectione quamplurimis, in quibus ejusmodi dispositio deest, qua ratione *Forestus* ipsemet simplici tertiana laborans innoxiè cum sororibus, peste laborantibus & extinctis, absque illa infectione sese conversatum fuisse testatur: *cum sæpius* diversis pestis temporibus quidam innoxiè cum infectis conversentur, tandem tamen nihilominus aliquam veneni perniciem etiam experiri cogantur, quod annis superioribus Viro de Medicina benè meritò *Clar. Dn. Iohann. Hartmanno Bejero, Medico Francofurtensi,* accidit, qui ad senectutem usque in diversis pestilentiis indiscretè omnes, quotquot præsentiam ipsius desiderarent, visitando semper immunis fuit, usq; ad annum superiorem, ubi contagii vehementia ab ægroto quodam domum rediens vi morbi superatus, naturæ debitum solvere coactus fuerit: *Cum Cardano teste lib.4 de var. rer.* suo tempore Basileæ ferè Helvetii tantùm infecti fuerint, quod etiam superiori Anno in inferiori Saxonia factum fuisse Militiæ quidam Præfectus fide dignus mihi retulit, pestiferam infectionem in civitatibus illis Halberstadii, Ascherslebii & alibi multò magis in Incolas, quàm milites maximam partem exteros, grassatam fuisse, ita ut eam ob causam Milites in Custodiis civitatum relicti, parum eapropter consternati fuerint: *cum tandem is*, qui pestilentiæ grassantis tempore semel peste laboravit, nunquam ferè secundâ vice eodem infectionis tempore vicissim inficiatur, sed postea cum omnibus, (more Psyllorũ, post esum jecoris viperini cum anguibus) innoxiè conversetur: *Omnino concludendum esse videtur cum Foresto*, propriam & peculiarem constitutionem atque præparationem, quæ corpora reddit pesti obnoxia nos latere, eamque neque sensu, neq; ratione, sed solo eventu determinari posse. *Imò & illud inde* deducitur, quamvis contagio pestifero maximam nocendi vim concedamus, idipsum tamen positivam aliquam dispositionem

tionem in humano corpore neceſſariò præſupponere, propterea quod non quodlibet individuum, more venenorum aliorum à mineralibus, animalibus, vel plantis deſumptorum, noxâ ſuâ ſtatim lædat, ſed eos tantùm, in quibus διάθεσις paſſiva conveniens reperitur. Quid autem ſit illa diſpoſitio, quæ poſt perfectam luis iſtius venenatæ expugnationem penitus cedit, ita ut convaleſcens eodem peſtilentiæ tempore venenatos halitus innoxiè haurire queat? quomodo certis temporibus in humano corpore generetur, unà cum aëris inquinamento? cur in aliis ſuam maturitatem hoc, in aliis alio peſtilentiæ tempore habeat? cur in domibus infectis contagium quoſdam ſubitò, quoſdam verò poſt ſeptimanas aliquot afficiat, multis poſt mutationem habitationis innoxiis, quod ipſemet aliquoties peſtis tempore notavi cur non quovis, ſed certis temporibus, univerſalibus cauſis concurrentibus, corpora noſtra taliter diſpoſita ſint, &c. *hoc opus, hic labor erit*! fateri cogimur hîc ignorantiam noſtram, & cum *Fernelio*, non ſolum efficientem externam, ſed & patientem & recipientem internam peſtis cauſam occultam, & totius ſubſtantiæ proprietatem, vitali principio inimicam, ſtatuimus, ad Dei providentiam confugiendo, qui non ſolum ſcelera noſtra vindicando, cauſam externam, tàm immediatè, quàm præeuntibus cauſis intermediis corumpentibus, ſed etiam internum iſtud paſſionis reale principium excitare potentiſſimus eſt, cujus nutu ſumus, quod ſumus. Quousque verò naturaliter etiam in corpore noſtro generatio malignitatis ſeſe extendat, videre licet in *tract. noſtro de morb. cauſ. exert.* 5. *q.* 8. 9. 10. *&* 11. *Vale.*

OBSERVATIO XXXII.

Pro Chirurgis Peſtilentialibus.

CUm penes infectos *peſtilentialium tumorum* magna differentia deprehendatur, omnino neceſſarium eſt, ut chirurgi, qui tempore peſtis conducuntur, à Medicis diligenter inſtruantur, quomodo præter uſum Alexipharmacorum externè laborantibus dextrè ſuccurrendum ſit. Adhibitis verò, pro ratione peccantium humorum, præter alexiteria, purgantibus, quò ad vires idipſum permittunt, eò ſtrenuò allaborandum erit Chirurgo, *quò malignitas magis magisque foras educatur*, quod ut commodè fiat *differentiæ tumorum* diligenter notandæ veniunt. Plerique verò tumores infectorum ſunt *Carbunculi vel Anthraces*, poſt hos reperiuntur etiam *apoſtemata phlegmonoſa*, quæ naturam priorũ imitantur; tandem ſeſe offerunt etiam *Oedematoſi tumores*, non admodum dolorifici, circa glandulas emunctoriorum potiſſimùm latitantes.

Præcipuus Scopus Chirurgi.

Differentiæ tumorum peſtilentialium.

Carbunculi vel Anthraces.

Carbunculi & Anthraces locum; quem occupant, ita inflammant, ut protinus non tantum dolorificas puſtulas excitent, ſed penitus etiam partem affectam adurant, ac lividam atque nigricantem cruſtam inducant, dolore & inflammatione partibus vicinioribus etiam communicata, nulla vel exiguâ ſuppuratione, ſed totali corruptæ materię ſeparatione ſuccedente. Multi *cauterium* hîc *actuale vel potentiale* commendant, ac poſtea cruſtam *maturant & emolliunt*: commodùm ad vicinas partes defenſivum ordinatur, nimirum *bolus armenus cum aceto & ol. roſac. ſubactus, vel Vnguentum album ex cerusſa camphoratum*, quod etiam in bubonibus locum habet, adhibitis interim *cucurbitulis magnis ſine ſcarificatione*, quò citius extrahatur venenata qualitas, appoſito mox cataplaſmate, quod fiat *ex Theriaca, pulv. ſinapi miſtis, & in cœpis aliquot aſſatis, additis gum. Ammoniaci, Galbani aceto diſſolutis, cum fermento, vel*

℞. *Saponis veneti.*
Theriacæ ana ℥ß.
Pulv. Cumini ℥j.
Salis ʒij.
Mellis roſ. ℥j.
Vitell. ovor. num. iij.
Ol. Scorpionum q. ſ.
F. Emplaſtr.

Delicatioribus, inprimis pueris, ſufficiet *vitellum ovi cum ſale, theriaca & oleo ſcorpionum* permixtum, ac ſæpius reiteratum.

Exterius, propter urgentem dolorificam inflammationem, *lentes* coquantur cum *mica panis albi & pulvere foliorum plantaginis* ad formam pultis, & applicentur. *Ficus etiam & rutæ folia* pulveriſata pedetentim præcedentibus addantur, ut eò citius corruptæ materiæ ſeparatio ſuccedat, ulcere poſtea digeſtivis mundificato, nec citò nimis conſolidato.

Apoſtemata Phlegmonoſa dolore & inflammatione carbunculos imitantur, ſed elevantur ad ovi gallinacei magnitudinem interdum, partes vicinas etiam ſimul afficiendo. Cùm autem hîc quoque neceſſarium ſit, ut venenum foràs evocetur, ſicut in præcedentibus, protinus naturæ ſuccurrendum per *maturantia & attrahentia*, ubi Malva, Violaria, biſmalva, fœnugræcum, lini ſemen, furfures triticei, farina triticea, Cæpæ, Thus, Crocus, fermentùm, ol. lini, chamæmelini, ficus, &c. locum habent, ex quibus, pro re nata, cataplaſmata fiant, quæ appoſito primum *Emplaſtro Diachylo cum gummis*, adhibeantur.

His reiteratis, eò reſpicendum, ut ſubſidente parumper tumore, ejusdemque duritie & inflammatione quodammodo lenitâ, per ſcalpellum, vel cauterium potentiale, fiat apertio turundis, poſtea cum prædictis Emplaſtris & cataplaſmatis ad ulteriorem ſuppurationem, & paulatinam conſolidationem continuatis.

Tandem *Oedematoſi tumores* circa inguina, auxillas, poſt aures, & in aliis partibus emunctoriis apparentes, non *repellentibus & diſcutientibus*, ut aliàs, *ſed attrahentibus & maturantibus* quoque tractandi ſunt, ubi *veſicatorium Emplaſtrum* appoſitum probatur, veſicis excitatis aliquandiu apertis retentis, ſimul ſuperadditis attrahentibus & maturantibus ſupradictis, donec materia maligna, juvantibus ſimul internis remediis, vel conſumatur, ad ſuppurationem perducatur, ſemper eò reſpiciendo, ſicut etiam in præcedentibus dictum fuit, ne citò minus conſolidatio fiat.

Angeli Sal. Emplaſtrum attractivum ruptorium peſtilentiale.

℞. *Gummi*

℞. *Gummi Sagapeni. Ammoniaci, Galb. ana* ℥iij.
Terebinth. cocta. ceræ virgin. an. ℥iiijs.
Magnetis Arsenicalis subtil. pul. ℥ij. *Rad. Aron. pul.* ℥j.

Gummi depurentur cum aceto squillitico, & ad consistentiam Emplastri coquantur, & postea ponderentur, deinde cum rebus aliis fiat Emplastrum lege artis, quod excellentissimum atque specificum est ad extrahendum virus pestiferum ex profunditate ad extra, præcavendo, ne vicissim ad interiora regurgitet, & cor ipsum suffocet, ut credam, inter omnia topica simile remedium non inveniri. Hoc Emplastro Carbunculus obducatur, quod paucis horis venenum extrahet.

Præparatio Magnetis Arsenicalis antea dicti.

℞. Arsenici Crystallini, Sulphuris vivi, Antimonii crudi ana partes æquales. Hęc tria in mortario ferreo pulverisentur, in vase fortissimo vitreo ponantur ad ignem arenæ, donec vitrum optimè incalescat, & prædicta solvantur atque liquentur instar picis, &c. vide Ang. Sal. tract. de Peste Gallicè conscriptum.

OBSERVATIO XXXIII.

De pestiferorum singularibus.

Vir Clariss. Excellent.

DN. SAMUEL CLOSSÆUS, Med. D. & Physicus Metensis,

GREGORIO HORSTIO, D.

Observatio duplex in peste. P. P. Pestilitatem apud vos quoque disseminari audio non lubens; nostra una cum musto, vindemiisque deferbuit. Ea perdurante duo edoctus sum: 1. Bubones non in solis tribus emunctoriis prodire, sed etiam in dorso, ventre & brachiis: *Ecchymosis pestifera.* 2. Anthraces omnes non semper à parva pustulâ, unâ, vel pluribus primitus erumpere, ac postea diffundi in tumorem, sed sæpè Ecchymoseos specie, lividæ aut virescentis, nos decipere, magno necis inferendæ, proximæque, argumento. *Gangrænæ & carbunculus differunt.* Distinguitur à Gangræna non sensu partis, qui utrobique perit, sed scarificatione loci: si enim profundè incisa carne nigrescit, nec spumam aut tabum eructat, sed sicca permanet, cum interna duritie, carbunculus est. Vir Nobilis Dn. Perignon febre lenta catarrhosa laborare existimabatur; septimâ fluxio in nares & fauces decumbit cum ulcere & raucedine. *Casus singularis.* Nonâ de nocte doluit, sed parum, circa oculum dextrum; manè se Coclitem derepente factum conquestus & miratus est. Inspicienti mihi, in conjunctiva Hypopyon profundū absq; oculi tumore, ruboreve, statimque à febre liber melius habuit, usque ad 17. quâ die inhorrescere denuò ac febrire cæpit, & 18. bubo inguinis apparuit, biliosa vomuit, sincera, substitit urina, visus autem rediit, evanescente Hypopyo. Sequenti, uti & reliquis duobus diebus, deliravit tacitè: 22. die phreneticus obiit. Jam quid illa macula fuerit præter Carbunculum fateor me ignorare. DEUS Opt. Max. T. Ex. omnesque suos ab hac truculentissimâ beluâ incolumem servet. Dabantur Metis 8. Decembr. 1630.

Vir Clariss. Excellent.

MARCUS WOLFFHARD, Phil. & Med. D. & Reipubl. Biberacensis Physicus.

GREGORIO HORSTIO, D.

P. P. Morbus noster contagiosus adhuc dum indies sese expandit, nunc hanc, nunc illam viciniam invadens. Horrore primum sese prodit, mox subsequente totius corporis æstu flagrante, cum summâ cardialgiâ, cui succedit nausea, mox vomitus, potissimum materiæ cholericæ, cui comes assiduus lipothymia & virium jactura. Hinc non abs re dubitandum, an in principio corporis subductio conveniat, potissimum in subjectis cacochymicis, & visceribus pravorum humorum illuvie refertis? Scio quid olim insignis Practicus *Iohannes Bauhinus*, dum Lugduni in Galliis Medicus alebatur publico stipendio Limodochicus, ad *D. Gesnerum* scripserit, his verbis: statim in principio, morbi, viribus adhuc constantibus, felicissimè usus sum corporis purgatione, sed blanda: nam ex validis purgationibus multa millia periêre: Irrepserunt (inquit) spe lucri Empirici quidam, qui exhibuerunt tabulas Diacarthami, vel de succo rosar. vel Diacydon. laxat. Imò tabulas ex Antimonio &c. aquas item vomitorias, quibus excitabatur fluxus ventris, vomitus vehementiores, prosternebantur vires, venenum ad interiora retrahebatur, & sic miserè vitæ jacturam faciebant &c. Hinc subdubito de Syrupo Emetico vel oxysaccharo vomitivo Angeli Salæ, num in principio pestis exhibendum sit. *Dubitatio de vomitoriis.* Fateor morbum nostrum pestiferum potissimùm invadere corpora cacochymia referta, tanquam ad hujus seminarium recipiendum disposita, sed malignitati materiei ante omnia occurrendum rectè monent Dogmatici, quâ evictâ, mitiora eveniunt quævis, nec tantus virium lapsus timendus, &c. Ego certè cuncta à circumferentia ad centrum, corporis humores noxios deturbantia, & in peste & pestiferis morbis quibusvis à methodo curandi eliminanda puto, ductum naturæ salutiferum observans: hoc autem, si quid valet, foràs proliciendo, & ad extima corporis ejiciendo id unicum præstat, unde mitissima corporis subductio colliquativos fluxus alvi non rarò commovet. Aliàs tractatus iste de Peste Angeli Salæ; *Angelus Sala de Peste.* quem ex Gallico sermone Latinum fecisti, nervosus est, qui acumen sapit summi ingenii Medici Chymici, indefessi & solertis. Unicum adhuc addo, quomodo videlicet convalescentibus ex morbo pestifero succurrendum esse *Accidentia convalescentium.* putes, cum apud plures varia symptomata deprehendantur, quæ reliquiæ virulentiæ & malignitatis esse videntur, qualia sunt gummata quædam in articulis & artubus: bubones crassiores, modo delitescentes, modo repullulantes, non sine dolore quodam punctorio, in partibus nervosis, quibus dissipandis, dum nec sudores, nec diaphoretica sufficiunt, utrum fortioribus malacticis & epispasticis hi tumores verrucosi quasi, tractandi, vel naturæ relinquendi cum suppurationi non sint subjecti &c. Hisce benè vale. Raptim Biberaci, 25. Decembris Anno 1630.

Viro

Viro Clariss. Excellentiss.

DN. MARCO WOLFHARD,
Med. D. & Physico Biberacensi,

Gregorius Horstius, D.

Cur interdum vomitus conveniat in peste.

P. P. Quomodo pestiferi laborantes purgari debeant in Problematibus Medicis Dec.10.quæst.1.pluribus determinavi. Confirmat idipsum experientia, præsertim his temporibus, ubi morbus hic Epidemius famem sequitur, unde sæpius etiam illa, quæ sudoris gratiâ præbentur, in principio, propter cacochymiam primarum viarum, vomitum movere solent, quod maximè confirmat usus Pulveris Saxonici, qui toties reiterandus est, donec ventriculus per vomitum à saburra peccantium humorum sit liberatus. Quomodo verò fames ac prava corruptaque alimenta pestem generare possint, *lib. de Morb. caus. Exer.* 5. *q.* 6. proposui. Cætera quod attinet, cum Collega meo, *D. D. Fingerlino*, Loimiatro & Physico ordinario, communicavi, cujus responsionem hîc transmitto, quæ proculdubio satis faciet expectationi tuæ. Benè Vale. Ulmæ τάχιςα prid. Cal. Jan. 1631.

Vir Clariss. Excellent.

DN. CHRISTOPHORUS FINGERLINUS
Phil. & Med. D. ac Physicus, Loimiatreque Ulmensis,

GREGOR. HORSTIO, D.

Bubones pestiferi in variis corporis partibus.

Carbunculi in quavis corporis parte.

Bubones rebelles qui.

P. P. Porro quod literas Dn. D. Wolfhardi transmissas attinet, ex iisdem videre licet, contagionem illam pestiferam Biberacum per hunc autumnum graviter afflixisse, sed jam Dei gratiâ, ingruente brumâ, & intensiore frigore mitescere, & non leviter remisisse, plurimos tamen ex reconvalescentibus etiamnum esse, qui propter reliquias pestilentium humorum nodos & gummata, in artubus & articulis, itemque bubones valdè contumaces & suppurationi rebelles, variis sudoriferis, malacticis, epispasticisque præsidiis frustrà adhibitis, ob materię crassitiem, experiantur. Ego ut aliquid pro mea tenuitate respondeam, nec ante biennium, nec hoc etiam autumno talia gummata pestilentialia in artubus & articulis, nodosque illos & tumores verrucosos, quorum meminit D. Wolfhardus, observare in nostris laborantibus potui, sed innumerabiles ferè bubones in utroque inguine, sub ambabus alis, in jugulo, ubi glandula est, quæ dicitur Thymus, pone aures, ubi parotidies sunt, in mandibulis, ubi scrophulæ emergunt, adeoque saltem in glandulosis partibus prodire vidi. Carbunculos verò in omni corporis parte, etiam in angulis oculorum, nunquam tamen in ipsis eorundem tunicis, prorupere adnotavi. Inter bubones autem non paucos rebelles valdè habuimus, inprimis illos, qui inflammationis aut erysipelatis ferè expertes erant, & à crassiore & frigidiore materia, œdematis instar, proficiscebantur, quos tamen omni ingenio aut sensim digerere, aut ad plenariam suppurationem perducere, aut interdum Naturæ committere, si indolentes essent, soliti fuimus, & nunquam vel à sudoriferis medicamentis & balneis, vel à purgantibus, vel emplastris n. V. & n. vj. vel diachilo. comp. cum gumm. vel pulmentis ex farinis & pulveribus emollientibus & digerentibus, vel talibus inunctionibus, pro rei exigentia, destitimus. Exempla quædam, quæq; mihi jam succurrunt, breviter recensebo.

Observatio de remanente dolore in inguine.

Curata est quędam mulier, nomine **Christina Unseldin**/ quæ diuturnum tumorem cum dolore punctorio in inguine sinistro perpessa est, qui cum ordinariis attractivis & suppuratoriis emplastris, non suppuraretur, sed sensim, remanente tamen in nervosis istis & membranosis partibus, dolore punctorio, digereretur, apposuimus Excellentiæ T. Emplastrum vesicatorium correctum, imperialis instar, & intra 24. horas maxima fuit excitata vesica, quâ rupta, serositas biliosa copiosè affluxit, dolorque pungitivus cum tumore penitus evanuit.

Observatio de rebelli bubone per causticum curato.

Sutor quidam, Grimlin dictus, habuit cum febre pestiferâ bubonem œdematosum in inguine sinistro illi post adhibita diligenter universalia, cum bubo moras traheret, ipseque patiens moræ & curæ impatiens fieri cepisset, non expectatâ bubonis plenariâ emollitione aut coctione, imposuimus guttas aliquot de oleo Antimonii, quo caustico eschara fuit buboni conciliata, quæ cum excidisset, materiæ excrementitiæ exitum paravit, ansamque præbuit, ut digestivis illam putrefacere, & in pus vertere potuerimus.

Observatio de parotide rebelli.

Filia quædam Textoris, cui nomen est **Catharina Heinlerin** / diù experta est prædurum tumorem lapidis instar, secundum aurem dextram, post febrem pestil. hunc cum Emplastris & pulmentis consuetis emollire, nedum ad suppurationem cogere non potuissemus, suasi, ut saltem Emplastrum de meliloto, & oleum Chamæmel. ana. p. æq. in linteolo applicaretur, quo per quatuor ferè dies admoto, tumor ille emolliri cepit, cui statim causticum ex ol. Antimon. imponentes, & escharam cum materia subjectâ digerentes, materiæ exitum paravimus, ut jam ægrota ad statum reconvalescentiæ tendat.

Observatio de œdematode tumore indolente in inguine.

Filia quædam alia, nomine **Apolonia Ecthin** / post edomitam febrem pestilentialem, œdematosum habuit diù bubonem sine manifesto dolore in inguine sinistro, hunc nullis Emplastris suppurare potuimus, eumque cum non doleret, ita quoque dimisimus. Sed cum illa ambulare, hinc & inde currere, & munia obire inciperet, factum est, ut dolor recrudesceret cum majori tumore, quo animadverso mox etiam cauterium potentiale, superimposito diachylo com. cum gumm. adhibuimus, ut rupto & digesto bubone, eoque cicatrizato, sanitati restituta fuerit. In hunc modum quam plurimos habuimus bubones, qui post ambulationes, aut alium corporis motum, ad suppurationes venêre. Multos etiam digessimus & dissipavimus crebris sudoribus, & purgationibus, brumam nihil curantes, item assiduâ Emplastrorum applicatione, ut multi sine bubonum apertione plenariè integram sanitatem recuperarunt.

Observatio de lato œdemate femoris.

Vidi quoque in muliere quadam **Stotzingerin** dicta, latam & magnam œdematosam duritiem in femore dextro interiore, quam per aliquot septimanas toleravit, absq; dolore tamen & impedimento ambulandi; eidem autor fui,

fui, ut manè vesperique diligenter partem illam affectam oleo Lumbric. scorpion. Chamæmel. permixtis inungeret, quò sic continuato, durities illa disparuit. Quosdam vero bubones cum prædurities nullis præsidiis cessissent, naturæ tandem reliquimus, præcipuè cum patientibus nullum negotium inter eundum, aut dolorem, aut aliud Vitæ periculū, crearent. Non enim existimo, omnes tales tumores necessariò aperiri debere (licet melius esse existimem, si iis apertis materia peccans evocetur, & prorumpat) cum natura longo temporis tractu optimè eas digerere possit, ubi contra forsitan periculū ulceris insanabilis per intempestivam & violentam apertionem causaretur. Hęc tamen omnia pro re natâ, & dextro mentis acumine, & judicio, sunt tractanda, administranda, vel omittenda.

Quædam durities bubonum naturæ commiti.

Ad Observationes Clossæi.

Quod etiam Dn. D. Clossæus in literis transmissis scribit, omnes anthraces non semper à parvâ pustulâ, unâ vel pluribus, primitus erumpere, ac diffundi postea in tumorem, sed sæpè ecchymoseως specie, lividæ aut virescentis, nos decipere &c. huic aliquo modo astipulor; licet certè rarò (ut mihi quidem videtur) sub ecchymoseos virescentis specie fiat: nam id saltem semel hîc in muliere quadam, **Ecklin einer Goldschlagerin**/ observavi, quæ cum febri pestiferâ bubonem in inguine dextro, unum carbunculum supra idem genu, & duos infra genu experta esset, propè hos carbunculos seorsim tamen cutis erat uvida, virescens, subtus, prædura, ita ut sæpè astantibus dixerim, eas subvirides durities nihil aliud esse quam carbunculos, qui cutim non satis exussissent, aut erossissent, evanuere tandem crebra illinitione oleorum digerentium, exonerata fortassis virulentiâ per cæteros vicinos carbunculos jam apertos.

An autem contagium nostrate planè remiserit, aut quomodo res nostræ in limodochio sese habeant, respondeo, quod per Dei gratiam pestilentia in hac urbe ferè silescere & omninò remittere incipiat; Ex Limodochio nostro quotidiè restitutos exauctoramus, ita ut adhuc duodecim supersint, quos usque ad novum annum etiam restitutos iri, nostrumque Limodochium, si nihil novi intercciderit, ab infectis liberum & vacuum fore, in Deum unicè speramus: illi T. Excell. unâ cum charâ conjuge, liberisq; chariss.me verò T. Exc. pristino favori obnixè commendo. Vale quam felicissimè, prid. Calend. Jan. 1631.

Vir Clariß. Excellent.

DN. PHILIPP. HOCHSTETTERUS, Medicus Augustanus.

GREGORIO HORSTIO, D.

P P. Sævities pestis nostræ ita mitigata videtur, ut vix aliquid mali inde metuendum. Sunt tamen temporis hujus morbi pleuritides, Apoplexiæ, & similes affectus. Et pestem qui experti sunt, nunc continuâ cum febri, aut erratica aliqua exagitantur, aliis phthisicis æmulis malis, sed sine noxa. Malignitas & mortalitas maxima fuit in Augusto & Septembri: post æquinoctium Autumnale paciatiora omnia. Non Scabies, non fontanella, non antiqua ulcera præservârunt, sed cum his perierunt, &c. Augustæ Vindelicorum 24. Febr. 1629.

Responsum

ad Cl. Hochstetterum.

P P. Miror quod scribis, pestem expertos jam febribus continuis, intermittentibus erraticis, & Symptomaticis affici, cum tamen alias communiter ævo nostro pestis corpora sana vulgò reddere dicatur, aliter quam pestis à Thucidide descripta, quæ gravissima Symptomata reliquerit. An quod juxta *Anton. Francancianum de Mor. gall. cap. 6.* qui pestilentia laborarunt, ob relictam sanguiditatē in corpore universo, præsertim in membris principalibus facilius aliis morbis afficiuntur? an quod pestilentia præcedentis anni potissimum cum cacochymia depravatæ victus rationis præcedentis & concomitantis conjuncta fuerit, ubi per alexipharmaca malignitas quidem expugnata, corpora tamen minus sufficienter depurata fuerunt? unde fortè non Scabies, non fonticulorum fluxus, cui noster Fabricius Hildanus, jam denuò, in ætate senili pestis malignitatem superando, plurimum tribuit, non antiqua ulcera &c. præservata fuêre. Confirmavit idipsum maximè apud nos syrupus Emeticus, quem in Observat. meis ex Sala annotatum vides, cujus beneficio plerique convaluerunt, qui primis statim diebus eodem cacochymiam circa primas vias evacuârunt, superaddito postea diaphoreticorum usu. Medicamentum est tutissimum in aliis etiam affectibus, ipsis infantibus quoque minimè noxium, modò cum prudentia medica præbeatur. Sed vide, vitrum istud Hyacinthinum ritè præparatum sit, idque ex selecta Magnesia Saturnina, sine additione. Plura non addo, sed tibi me totum commendo. Dabam Ulmæ 7. Aprilis 1629.

Vir Clariß. & Experientiß.

DN. JOHANN. RUDOLPHUS **Saltzmann**/ Philos. & Med. D. ac Professor Argentinensis,

GREGORIO HORSTIO, D.

Mos & invasio pestis Argentinensis Anno 1627.

P P. De more pestis nostræ quæris: solet ea variis modis invadere, plerumque cum febri, & eâ, interdum, rarò tamen, lentâ, plerumque ardente, capitis dolore, oris siccitate & amarore, compressione & angustia pectoris, virium prostratione summâ, cum bubonibus, anthracibus, maculis, interdum sine his, illis tamen crebrius, his rarius, siti inexplebili, & similibus. In quibusdam tamen magis, in aliquibus minus furere solet: Imò quosdam vidi, qui solo capitis dolore vexati fuerunt, & bubones in inguinibus, vel sub axillis senserunt, absque omni alio graviore symptomate, ita ut etiam non decubuerint, & paucis diebus curati fuerint. Videtur etiam morbus ipse apud plurimos expugnatu non adeò difficilis, siquidem observetur, si tempestivè remedia adhibeantur, plurimos evadere, & vix quartam, vel quintam partem ægrorum succumbere: quosdam quidem, sed respectu reliquorum

perpaucos, eâ aggreditur vehementia, ut secundo vel tertio die eosdem trucidet. Ego hactenus methodo & remediis in nostro tractatu Germanico notatis, per DEI gratiam, satis feliciter usus sum: à purgatione & venæsectione aliorum exemplo cautus abstinui: diaphoreticorum & alexipharmacorum usum continuatum non necessarium modò, sed & utilem admodum, atque fructuosum reperi, quæ breviter ad tuas respondere volui. Vale cum tota familia, & novo hoc anno felicissimè utere. Raptim Argentinæ 10. Jan. Anno 1627.

Vir Clariß. Excellent.

JOH. ERHARDUS CELLIUS
Philos. & Med. D. & Physicus, Reipubl. Eslingensis,

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Plusne summam, Nobilis & Amplissime Vir, Patrone perpetim colendissime quam N. E. V. in me confert effusissimè, benevolentiam, plusne literarum fragrantiam, non lenocinium verborum, sed succinctam gravitatem & rerum pondus spirantem demiret, plurimum dubitarem, nisi extra omne mihi dubium esset, benevolum mentis affectum omnia literarum momenta longe post se relinquere. Sed expedita res est. Literæ sunt vicariæ linguæ, lingua mentis imago: utraque favoris & amoris sinceri jucunda propago. Indignus amore quidem tanti viri, si modo dignus favore tanto, quo V. A. præsentem affecit, & nunc absentem dulcissimo fovet literarum commercio. De quo quantum mihi gratuler, nunc non explico: sed id unum summè rogo, favorem illum & amorem semel conceptum semper continuet, neque suo me præsidio destituat unquam.

Mos invasionis pestiferæ apud Eßlingenses Anno 1627. Communis apud nos morbi typus fuit, quod cum rigore, sequente mox ardore, plerosque corripuit, tum vires ocyus plerunque dejecit, & circa vigorem, animalem quoque facultatem, quod delirium innuebat, in consensum traxit.

Somni desiderium sæpiculè fecit, nec tamen tranquillè sivit dormire. Externa ferè signa satis maturè protrusit: *Cum febri.* & quidem bubones sæpissime, in inguinibus præcipuè; non rarò quoque carbunculos: Exanthemata rarissimè: indubitata ferè mortis prænuntia. Febris ergò manifesta, eaque synocha, cum putredine semper juncta: rarò vel *Observatio de hectica pestilentiali.* nunquam Ephemera, rarius Hectica. Diebus hisce primus, quem ego novi, Hecticâ, luem subsequente, fuit extinctus: ex assiduo, ut opinor ego, salvo meliore judicio, antidotorum calidorum, Theriacæ præsertim vetustæ (erat enim pestilent. Chirurgus) usu, Vir exquisitè plethoricus, annor. 25. Cæterùm remedia, quæ hîc in usu, sunt pleraque vulgata: Theriaca, Mithridatium, Elect. d. Ovo descr. Aug. Extracta Angel. Zedoar. Valerianæ: Terra Sigill. bolus arm. &c. vulg. modo præp. spec. liberant. lætit. Gal. Salia, absinth. Card. ben. aqu. Theriac. n. d. Acetum bezoarticum &c. Hoc quidem in genere certum est, quod *Nota.* plurimi, quorũ in tempore fidelis cura & ratio fuit habita, fuerint servati, modo his, modo illis ex nominatis antidotis, (in majore tamen plerumque quàm vulgo, dosi) maturè subministratis. Cum ad extrema deventum erat (in ditioribus ab initio sæpe) Potio bezoartica ex bezoare or. vero, Unicornu rasura auri, margar. v. m. præp. cum aqua cord. solebat exhiberi, frustra sæpè & absque ullo, quod animadverti poterat, adjumento singulari, Nulla ferè vel rarior hucusque Diascordii, Pulv. rubei Pannon. spec. cord. è gem. Smaragdi, Saphiri præp. usurpatio, quibus tamen ego cum lapide bezoard. vero, lubentius, felicius, securius, quàm vehementioribus illis utor. Aquam Matthioli antidotalem Tubingæ comparatam, & aceto bezoartico fractam, frequenter immisceo, copiosum sudorem prolecturus, absque balsami naturalis, viscerumque nobiliorum, aliàs plus satis ardentium, dispendio. In attrahendis bubonibus extremi loco præsidii, *Usus Magnetis in peste.* magnetem lapidem verum cum myrrha & scammonio cataplasmatis instar applicatum commendat Cl. D. D. Papius: nulla tamen singularia allegat experimenta. *An sit?*

Ego hîc hæreo. Quod specifica ferrum trahendi virtute polleat, nemini non notum est, quod autem peculiari facultate venenum quoq; pestilentiale eliciat, nonnihil ambigo. Nec illa quidem Hernias Emplastro Magnetico, extus applicato curandi (difficilima sanè) ratio: nec illa magnetis arsenicalis ab AngeloSala plurimum confecti usurpatio ignota mihi, diversissimus tamen est utrobique modus medendi, diversissima operatio. Hinc enim veneni (ut arsenici, vel & antimonii) siquidem trahit, ratione venenum trahit: Illud verò nihil potius quàm chalybis vel ferri limaturam, prius intra corpus assumendam virtute magnetis attrahit: aliorum autem ingredientium ratione (si quidem) glutinat, adstringit, & compingit; verum quia tam de hujus (naturalis) quam illius (artificialis) Magnetis singulari veneni pestilentialis attrahendi operatione multum dubito: Ampl. T. utrumque hunc nodum facili manu incisuram benè sperabo: pro ut officiosissimè rogo. Nec non & hunc: Num Theriaca cum oleo Scorpion. mixta, & extus applicita, sola quemvis indifferenter humorem attrahat, aut solum venenatum, vel potius solum (in præsenti casu) pestilentiale virus: ut, si nullum in corpore latitaverit ante, nihil omninò attraxerit, nedum bubonem excitaverit, urgentem circa necessitatem? de quo nuper in convivium incidit litigium.

Sed ocyus scribere cesso, nec Ampl. V. meis amplius lacesso. Vive, decus Medicum, & Universæ Reipubl. literariæ Illustre ornamentum, diu felicissimè. E Musæo Esslingæ. 20. Februarii, Anno 1627.

Idem eidem.

NOvennium est, Vir Magnifice & Amplissime, Patrone colendiss. ex quo Nob. T. Præcellens primum ad me scripsit, ex occasione luis pestiferæ tunc grassari cœptæ: ut & de indole ejus, num cum febri manifesta invadat, eaq; vel putrida, vel hectica, vel spirituosa, num frequens cum signis externis bubonum, carbunculorum, &c. & quid ex medicamentis adhibitis spei illucescat, &c. inquire-

inquirerem curiosius. Sed exurgens flamma, per divinam clementiam mox rursus extincta, omnem & inquisitionis & rescriptionis materiam, præripuit. Nunc verò cum exardescat atrocius, & tanta hic de die in diem magis magisque sæviat sævitia, ut medicis & medicinis utcumque reluctantibus strages tamen fiant subinde cumulatiores: eâ de causâ ad Vestr. Præcell. hæc pauca libuit, prout per occupationes licuit, transcribere cursoria.

Mos Pestilentiæ in Anno 1635. Eßlingæ grassantis.

Febris plerumque nec evidens, nec adeo manifesta. Ephemera quandoque notha, & synocha, sine singulari putredinis indicio. Rarius febris ardens, & non, nisi in calidioribus. Malum tam subdolè & tam proterve irrepit, & sæpè intra 24. horas robustissimis athletis internecinas clam, nec animadvertentibus, machinatur insidias. Quos cum (ut quotidiè plurimos) inevitabili quidem non tamen usque adeò profundo dormitionis desiderio, & insigni artuum lassitudine adoritur, eos mox plerumque trucidat. Ut & vomiturientibus in principio exigua sæpè medela. Quibus mox in principio pustulæ, tubercula & bubones in cruribus præcipuè prosiliunt, illi curationem passi, plerumque evadunt. Quibus post tertium, pauciores emergunt. Tubercula, & bubones in superiore femoris parte exurgentes, per sudores continuatos sæpius evanescunt: quandoque in pustulas inferius efflorescentes suppurando transeunt. Frequentiores sunt carbunculi: plures sępe in uno membro disseminati, & in sordida vel mox Sphacelata sæpè transeunt ulcera, radicitus exscindenda. Nec maturationem tuberis expectare, nec ante tempus incidere lubet. Cæterum quò citius aperire tutò licuit, eò de vita certius. Prægnantes & parturientes correptæ decumbunt periculosissimè, pauciores reconvalescunt.

Purgantia noxia in peste hac. Sicut & Venæsectio.

Purgantia [quæ cane & angue pejus odi] ferunt difficilime: vix ac ne vix quidem quandoque laxantia. Venæsectionem (quam non nisi in primordio, parcius, in paucioribus sanguine turgentibus, admisi) non ratio saltem, sed infaustus plerumque dissuadet eventus. Et quotusquisque est, qui in primordio mali exordium curæ suscipiat? Plerique sanè differunt in secundum vel tertium, quousque profundas virus radices agat, & atterat vires. Interim varia priorum affectuum, Erysipelatis præsertim, & familiarium tuberculorum **der Widergang** / quærunt effugia, (rariùs enim sæviora primum se produnt symptomata) quibus non tam Medicis, quam semetipsis imponere satagunt.

Ægrorum socordia.

Postmodum ocyus accurrunt, & subitaneum fortè miraculosum, à Medicis, Chirurgis, implorant, necessitant, consilium, auxilium. Quod cum voto quandoque minus respondeat, Medicum & Medicinam vel de scientiâ, vel conscientia, vel impotentiâ artis incusant: nec pestem esse pestem, & ex se pestilentem vitę nostræ tyrannidem, cogitant.

Eventus lethalis causa.

Inevitabilem sæpè, & inexpugnabilem quandoque manum divinam experior: morosam sæpius vel ægrotantium inobedientiam, cunctationem & diffidentiam, vel astantium incuriam. Interim omnis & una, si res malè cedant, in unum Medicum trajicitur culpa.

Curatio per Diaphoresin.

Diaphoresin & perpetuam fermè per sudores ocyus repetitos & sæpè transpirationem (quò apertis cutis carceribus veneno incluso liber pateat egressus) primas tenere, & juxta confortantia cordialia, omnem fermè curationis paginam absolvere, non in aliis saltem, sed in me ipso cumprimis comperui:

Observatio propria.

qui (tantillus ego,) intra unum semestre prius dilapsum, tribus subordinatis vicibus, febre illa maligna, primum cephalica nuda, in sinistræ auris internum apostema solutâ: altera pestiferâ verâ, tertiâ petechiali illa, quot maculis, tot funeribus infami, ægerrimè laboravi, & vix ac ne vix quidem denique, sed solis diaphoreticis & cordialibus usus, emersi, majore quidem tædio, quam præmio vitæ: cum Clariss. vicissim, Dn. Collega meus, Vir robustus & longiore vita dignissimus, D. Papius p. m. cum febre ardente malignâ illa Ungaricâ, cum petechiis dicta, semel laborasset, nec iteratis in cubito quippe & sub lingua venæsectionibus, nec crebrioribus ore & alvo sumptis purgantibus, diaphoreticis quidem interpositis ex funestis faucibus orci eripi potuerit. Ex antidotis verò hucusque mihi nil prius potiusve Theriaca, qua intus & extus utor felicissimè, diascordio in Ungaricâ, in pestiferâ El. de ovo, & vestro, ex illis mixto, sudorifero: nec non aqua illa Andernaci antipestifera à Dorncreilio tantum, nec iniquè, celebrata. Bezoari verò orientali vero difficulter soli fido, nisi in infantibus, delicatis, nauseabundis: Intercalaris mihi potius, quàm antidoti nomine venit. Quantum minerali bezoartico (cujus exactè præparati copiam desideramus) attribuat Nob. Præcell. V. cognoscere gestio.

Parcius eo sum usus hucusque, ex parciore D. D. Stromajeri p. m. communicatione, sed eventu plerumque fortunato.

Externa remedia.

Extus in alliciendis bubonibus felicius Empl. diachyl. c. gumm. cum æquali Theriacæ Venetæ pondere mixto, mihi videor usus quàm alliis vel Empl. vel cataplasmatibus ex alliis, cæpis, fermento, Theriaca &c. attractivis. Allicit venenum si quod subtus, nec tamen immodice quemvis humorem, detinet allectum, quousque per continuatam sudorum & udorum transpirationem evanescat virus; vel emollescat humor impactus.

Vesicatorii usus.

Vesicatorio, per Theriacæ immixtionem, appropriato, & pone infra bubonem cruris applicato virus pleno vado viam sursum affectans, egregio nonnunquam, Deo Laus successu, retraxi. Quo tamen præter evidentem necessitatem, ob doloris urentis & vigliarum molestiam, non utor. Hujus & aliorum medicamentorum hoc tempore usitatorum hîc mitto διαλύπωσιν. Quæ vestra pro nunc sint, & præ aliis probata, tàm præservantia, quàm curativa, num ad illam planè in Anno 1626. publicis typis exscriptam instructionis effigiem, & communicatam medicamentorum normam conformata, num alia fortè nova feliciora & singularia vobis in eodem (ut audio) pestilentiæ luto hærentibus, experimenta, quibus citiùs, tutiùs, jucundius, afflictis opem feratis, non ego saltem, sed totus unà mecum Reipubl. nostræ Senatus magno sanè expectamus desiderio: qui meo (non diffitebor) impulsu singulares ad Nob. T. præcell. eâ de causa dedit literas, & obnixè rogat, ut & ipsum, quid in politica præservatione cum

primis advertendum; & medicos, quid in præservatione & curatione potissimum, & sibi vel de natura morbi, prout nunc, grassantis, vel de certiore cura singulariter expertum, pro indubitato candore suo, moneat, & conferat in medium. An venæsectio forsan, vel evacuatoria primùm in insultu mali, ad præcavendam ebullitionem & effervescentiam sanguinis majorem, vel derivatoria postmodum ponè bubonem protuberantem &c. minùs suspecta vobis? (quamvis & ego in casu illo Ungarico, ubi febris, major & malitia minor, audacter plerumque & magno successu in primis quatuor diebus, etiam in non usque adeo plethoricis, tam in artubus, quàm sub lingua venas aperuerim: meticulosius postmodum in petechialibus apparentibus præsertim maculis: nunc tepidè planè, ubi febris plerumque minor, malitia præceps, & subinde major: verbo, virus quam vires potentius) Anne quidpiam & quantum purgatio? Quales antidoti probatiores? Quid extus applicandum confidentius? An dubii bubones violentius attrahendi: An Vesicæ sæpius excitandæ? & si quæ alia artis compendia, & stratagemata nova? quibus bestialis hic morbus non tantum in privatis parietibus, felicius expugnari, sed & è publica scena, DEO benedicente, profligari possit facilius: Quo nomine Ampl. Senatum cum debito laborum redhostimento sibi obligabit promptissimum, meque suorum Experimentorum administratorem, laudumque ebuccinatorem habebit perpetim gratissimum. Vive, vir Amplissime, & effusis in hac divinæ elementiæ Eclypsi tui luminis copiosi radiis, ut Sueviæ toti hucusque, sic nostræ quoque Reip. atra pestilentiæ lue fermè obfuscatæ, illucesce: cursim Esslingæ Aug. 11. Anno 1635.

Medicamenta.

Pro quotidiano usu in Pharmacopoliis Esslingensibus tempore Pestis in Anno 1635. subordinata à Joh. Erhardo Cellio, M. D.

I. In promptu & paratu semper habeant.

Theriacam venetam A. in magna copia.
Mithridatium Dam.
Diascordium Frac.
El. d. ovo ex disp. August.
Antidotum Matthioli
Pulverem rubr. Cas. ex disp. Aug.
Pulv. rub. Pannonis.
Spec. liberantis
Bezoar. orient. & occident.
Bezoard. minerale.
Sal absinthii & Card. ben.
Elix: propriet. Par.
Extract. Angel. Zedoar.
Ol. still. camph. Succini.
Ruta, Citri.
Balsam. Ruta & citri.
Ol. Antimon. Scorpion.
Acetum scordii, & rutae.

II. Præter hæc usitata.

Præservantia externa sint.
I. Amuletum quod.
℞. *Theriac. Andr.* ℥js.
Rad. Zedoar.
Angelic.
Enula.
Castorei ana ℥j.
Thuris.
Camphora ana ʒß.
Croci ℈ß.
Ol. still. succin. angel. juniperi ana g. iij.
Cum infusione Tragac. in aceto rutac. f. Massa, cujus ʒs. *vel* ʒj. *serico rubr. inclusa gest. pro periamm. f.* Hertzschiltlin ohne Giffte.

2. Species pro globulis ex L. junip. factis.

℞. *Fol. ruta, salvia, rorismari*
Rad. Angel. Zedoar. ana ʒs.
Cortic. citri. aurant. ana ʒij.
Flor. rosar. rubr. ʒjs.
baccar. juniperi ʒs.
Grosso modo incis. & cus. dentur ʒij. *in sindone ligand. pro globulo.*

3. Trochisci fumales.

℞. *Myrrha, Ladani puriss.*
Flor. Sulph.
Ligni alois succ.
fragment. succini ana ʒj.
Asa dulcis ʒij.
Camphor. ℈j.
Sacchari albis. ℥iiij.
Cum mucil. Tragac. aq. ros. extr.
F. Trochiscis parvi.

4. Pulv. pro Suffitu.

℞. *Lign. juniperin. tornat.* ℔s.
Baccar. Lauri ℥ij.
Fragm. Succini
Mastich. Myrrha Thuris
Storac. cal. Benjovin: ana ℥j.
Flor. Sulph. ℥jß.
grosso mod. incis. M. f. Pulv. fum.

III. Præservantia interna sint.

1. *Pil. Rufi pestil. & pillula nostra dicta instar omnium, qua*
℞. *Extr. Aloës succ.*
Rhabarb.
Essent. Myrrha
Croci
Ol. still. Camph.
succin. rect.
Lact. Sulph. ana ʒj.
f. Massa pil. & ex ʒj. *form. pil. n. XXj. de aur. & sign. Pil. instar omnium praservat.*

IV. Curan-

IV. Curantia interna.

Aqua mea Alexipharmaca, quæ est pestilent. Andernaci ex Dorncreilio

℞. *Rad. Angel. Chamalei, Gentian.*
Tormentill. Zedoar.
boleti cerv. ana ℥j.
Santal. citr. alb. rub. ana ℥s.
Theriac. Andr.
Mithrid. opt. ana ℥js.
Camphor. ℈j.
Pulverif. subtil. infunde cum Vini malv. opt. & spir. Vini generos. ana ℥xij. *degerantur in cal. per Octid. agitando quotid. tum B. M. lentè distill. f. cum Camph. & sine Camph.*

2. Aqua Bezoardica D.P. quæ

℞. *Rad. Angel. Levist.*
Zedoar. Pimpin.
Phu, Asclepiad.
Granor. junip.
bacc. Lauri
Cinam. acut. ana ℥s.
Sem. fœniculi ʒiij.
Vin. maluat. vel alt. generos. ℔jx. *infund. per triduum, tum destill.*

℞. *Prior. spir. opt.* ℥xij.
Theriac. Mithrid. ana ℥s.
Croci ʒij.
digerantur per triduum sæpè agit. filtretur per chart. & adde syr. d. cort. citr. ℥ij.
M. ad vitrum repone ad usum.

3. Acetum Theriacale ex disp. Aug.

4. Elect. sudorif. Ulmens.

℞. *Theriac. el.* ℥j.
El. d. ovo. August.
Diascord. Fr. ana ℥v.
Mithridat. opt. ʒiij.
Bol. arm. cum aqu. Card. b. lot.
Terræ Lemniæ ana ʒjs.
Spec. diamargar. fr. ʒj.
Sem. citri
Scordii
Spec. cord. è gemm. ana ℈ij.
Cum Syr. acetos. Citri q. s. f. mixtura, ex qua f. Pot. sudorif. qua

℞. *Elect. sudorif.* ʒjs. *vel* ʒij.
Aqu. Card. ben.
Scabiosæ
acetos. ana ℥j. *vel q. s.*
Misce f. Potio sudorif pro adultis, junioribus, sufficit dimidia pars.

V. Resumptiva interna.

1. Elect. confortans, quod

℞. *Conserv. rosar.*
bugloß.
borag.
Rob. Ribium ana ℥j.
Spec. cordial. temper.
è gem. frigid.
diamarg. frigid.
liberantis ana ʒs.
Cum Syrup. acetos. citri & spiritus vitrioli q. s. ad acorem. F. elect. molle. S. kühlend Krafft Latwerglein.

2. Pulvis analepticus vel resumptivus.

℞. *Special. cordial. temp.* ℈ij.
d. gemm. frig. ʒj.
Ambra gryseæ veræ ℈j.
Moschi or. gr. v.
Spirit. rosar. ʒß.
Fol. auri finiss. N. xij.
argenti N. iij.
M. f. Pulv. Repone ad usum. sign. köstlich Krafft-Pulver.

2. Trochisci sublinguales, quæ

℞. *Flavedin. cortic. citri* ʒß.
Zedoar. Angel. ana ʒij.
Ligni aloës pond.
Rad. Ireos Flor. ana ʒj.
Misce. f. Pulv. subtilis. Cujus ℞. ℥vj. *adde Sacchari* ʒij. *cum aqua alexipharm. & mucilag. Tragac. f. Trochisc. min. subling. communiores. f.* gemeine Mundküchlein.

℞. *Pulv. residui* ʒß. *adde Sacchario candi in aqu. aleviph. sol.* ℥js. *& cum mucilag. Tragac. f. Massa, adde moschi el. in aqu. rof. sol. gr.* vij. *misce f. Trochisc. min. subl. f.* Köstliche Mundküchlein.

3. Morselli de succo & cort. citri morsuli n. d. præservativi: qui

℞. *Macis* ʒj.
Zedoariæ ʒs.
Angelicæ ʒij.
Nucis jugland. excort. n. iiij.
Infunde in aceto rutac. q. s. per 24. horas, Extrahe & adde rad. scorson. cond. cortic. citri cond. ana ʒj. *aurant.*
Flaved. cortic. citri ana ʒiij.
Cinamon. acuti ʒjs.
His grosso modo incis. adde
Pulv. rub. pannon.
Spec. liber. ana ʒß.
cord. temper.
è gemm. fr. ana ʒj.
Sacchari in aqu. rosar. fr. sol. ℔. ij.
adde succi acetos. citri q. s. ad acor. fol. a. Morsuli sign. Sondere præservatif Täfelein.

3. Electuarium quod

℞. *Cons. rosar. fl. bugloß.*

Rob. Ribium ana ℥j.
Pulv. lign. ind. subtiliss. aceto rut. per noctem impregnati ℥j.
Extr. Zedoar. Angel.
Elix. propriet. Par. ana ʒj.
Camphor. ℈j.
Cum syr. acetos. citri q. s. F. Elect. molle reserv : in fict. s. sondere *praeservativ.* Latwerg.

6. Species vini alexipharm.

℞. *Granor. junip. M.* iiij.
Card. ben.
Scabiosae.
Veronicae
Absinth. ana M. ij.
Rutae Mj.
Rad. Scorzon. ℥ij.
Zedoar.
Cortic. citri ana ʒjs.
Rad. Helen. ʒj.
L. a. praep. M. ad pupp. S. St. zu fünff Maß in praeservatif Wein.

6. Pulvis antidotalis pro praegnantibus.

℞. *Boli arm. or. in aqu. Veron. cum vino destill. decies lot.*
Rad. Tormentill. ana ʒjs.
Zedoar.
Nuci mosch.
Granor. Alcherm. rec. ana ʒj.
Rasur. Eboris ʒjs.
Margar. praep.
Coralli rubr. praep. ana ℈ij.
Misce f. Pulv. reserv. ad usum.

3: Aqua Perlata pro infectis.

℞. *Aqu. Boragin.*
buglos s. ana ℥j.
acetos.
Cerasor. nigr. ana ℥js.
Cinam. bugloss. ℥ij.
Rosar. odor. ℥iij.
Balsam. Embryon. ℥j.
Succi acetos. Citri puriss. ℥ij.
Man. Christi perlat. ℥js.
Margar. praep.
Coral. r. praep. ana ʒß.
Smaragdi pp. ℈j. M.
Sig. sonder Krafftwasser.

4. Aqua cinamom. buglosS.

℞. *Cinam. acut.* ℔. s.
Cort. rad. & flor. buglos s. ana ℥j.
Flor. melis s. borag. ana ℥s.
Aqu. Violar. opt.
rosar. fragr. ana ℔. ij. *vel qs.*
M. digerantur in calido per triduum, tum destill. in B. M. sing. sonder Zimmetwasser.

VI. Curantia externa.

1. Diachylon. c. gum. & Theriac.

℞. *Empl. diachylon c. gum.* ℥ij.
Teriac. ven. ℥j. *cum*
Ol. scorp. f. Empl.

2. Emplastr. ad bubon. attractiv.

℞. *Capar. tostar.*
Allior. tostor. ana. ℥iij.
Caricar: p. n. XX.
Stercor. Columb. ℥ij.
Ferment.
Sem: Sinapi an. ℥s.
Malvae
rad. Altheae ana ℥j.
Galbani,
Ammoniaci ana ℥iij.
Nitri ʒij.
Pulv. bubon. ʒjs.
Theriacae & Cerae ana ℥j. *vel. q. s. m. f. Empl. molle.*

3. Vesicatorium appropriatum.

℞. *Cantharid. pp.* ℥j.
Theriac. ven. ʒiij.
Therebint. ʒij.
Oliban.
Myrrhae
Mastich.
Camphorae ana ʒj.
Ol. rosar. & cerae q. s. f. Empl.

4. Empl. ad bubon. suppur. D. H.

℞. *Farinae fanugraeci lini*
Chamomill. ana ℥ß.
Rad. altheae
lil. alb. ana ʒij.
fol. diptamni ʒiij.
Rad. Valerian.
Sem. Sinapi ana ʒjs.
Ficuum N. vj.
Fermenti ℥iij.
Fimi columbin. ℥ß.
Ol. Chamomill.
Lilior. alb. ana ℥js.
Misce f. Empl.

5. Ungu. digestivum.

℞. *Therebinth.*
Vitellor. ovor. ana ℥j.
Mellis ros. col. ℥ß. *cum*
Ol. Hyperic. m. f. Vngu.

6. Empl. ad. carbunculos.

℞. *Theriac. opt.*
Mithrid. opt. ana ℥ß.
Fermenti
Therebinth. ana ℥ij.
butyri ℥ij.
Mell. ros. ℥js.
fulig. camin. ℥ijs.

Sapon.

Sapon. veneti ℥iiij.
Salis commun. ℥js.
Nitri ℥ij.
Croci ℥iij.
Vitell. ovor. N. iij. *cum*
Mucilag. sem. Cydon. aq. scabios.
extr. f. Empl.

7. Defensivum circa carbuncul.

℞. *Bol. armeni*
Terr. Sigill.
Santali rubr. ana. ℥j.
Vngu. rosat. qs. cum succo
Plantag. q. s. F. Linimentum.

Viro Clariss. & Excellentiss.
Dn. JOH. ERHARDO CELLIO, Med. D. & Physico Reipubl. Imperialis Esslingensis,
GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Literas tuas, unà cum iis, quas Amplissimus vester Senatus boni publici causa his diebus ad me dederat, recte me accepisse scias, Vir Clariss. Amice pl. colende, queis certior factus de communi vestrâ nobiscum calamitate. Feramus quod fert divina voluntas, & potius cum Regio Propheta manum Domini, quam hostium experiamur. Quod malum contagiosum pestiferum attinet, lubens legi graphicam istam moris istius descriptionem, quod eadem invasionis & progressionis modo nobiscum etiam saevire, nec non aequo pede pauperum tabernas, regumque, seu magnatum palatia pulsare continuat. Egò cum familiâ Dei gratiâ salvus hucusque & incolumis, nihil intermitto, monendo, consulendo, quò laborantibus & aegrotis, praesertim pauperibus, munificentiâ Magistratus succurratur, & aliis etiam remedia convenientia protinus in primâ invasione parata prostent in Officinis, ut inter tot occupationes Medicorum quilibet ex plebe non consulto quoque Medico, veneno pestifero protinus obviam eat, quo fine brevem appendicem ad publicatum consilium de peste praelo subjeci, sicuti vides, cujus summa est, ut quilibet, qui temporibus hisce periculosis symptomata pestiferae invasionis deprehendit, ut sunt subitaneus virium lapsus, lassitudo spontanea membrorum, imminentes cordis anxietates, instantes lypothymiae, dolor capitis, vel artuum, cum nausea ventriculi, horrore, calore interius urente, cordis & pectoris compressione, inclinatione ad somnum, vel pervigilia, & imminente delirio, &c. non expectet eò usque, donec indicia pestifera externa, nimirum bubones in collo, post aures, sub alis, & quod frequentissimum, circa inguina sese prodant, qui saepius latent aliquandiu, & tantùm per dolorificos momentaneos ictus praenunciantur; vel carbunculi diversis in partibus; aut undique maculae pestilentiales appareant: Sed extemplò pharmacopolium, in absentiâ Medici, petat, & nauseâ ventriculi praesente, quae vulgò frequens est in invasione, statim assumat de Syrupo Emetico dosin, cuique aetati ordinatam, cujus operatione perfecta, subsequatur sudoriferum alexipharmacum, vel in forma potionis, vel in forma elect. vel in forma pulveris, vel in forma Theriacalis aquae. His reiteratis, cum intermediis roborantibus, accedentibus postmodum Medicis & Chirurgis, pro re nata fiat, quod fieri debet. Hoc modo per DEI gratiam hoc obtinuimus, ut plures evaderent, mox in principio malignitati succurrendo, cùm aliàs multi procrastinatione vitae periculum incurrerent. Remedia quod attinet, eadem ferè sunt cum iis, quae vobis in usu, nisi quod multis etiam Elixir pestilentiale Crollii, tum etiam, spiritus Camphoratus Hartmanni permistus fuerit. Secundum notatu dignum praeservationem concernit, ne contagio serpendo viam sternamus, quam ob causam Autor fui Magistratui nobilissimo, ut adhortationem severam publicaret, quâ ratione procedendum cum aegrotis, cum demortuis, cum lectisterniis, vestibus ac ipsis domibus infectorum, quam instructionem germanicè impressam communico. Quod attinet quaestiones à te propositas, breviter respondeo, nimirum eandem morbi faciem hîc esse, sicuti ex enarratis accidentibus invasionis intellexisti, cumque nunquam non cum insigni cacochymia primae regionis complicatus sit, frequens nobis est usus Syrupi vomitivi mox in principio, subsequenti postea feliciori diaphoreticorum usu, praesertim ubi communibus Alexipharmacis additur spiritus Camphoratus, C. C. Philosophicè praeparatum, Bezoarticum Minerale cum sole, Antimonium diaphoreticum, &c. Venaesectionem, ut & electivè purgantia minimè nobis in usu esse scias, territis videlicet aliorum eventu minus optato, qui talibus adhibitis succubuerunt. Procedente tamen tempore, febri pestilentiali per alexipharmaca mitigatâ, purgationem admittimus, praesertim ubi suppurationes admodum luxuriantes & humidae nimis consolidationem & exiccationem respuunt. In Antidotis eligendis naturam subjecti laborantis perpendendo, consultum judicamus reiterationem eorum, quae naturae laborantium excessu manifestarum qualitatum minus noxiae videntur. Hinc frequens nobis est usus Diascordii, prae reliquis temperati, praesertim ubi dysentericum aliquid, ut fieri solet in multis, concurrit. Extus bubones, quantum fieri potest, vesicatorio praemisso, per diachylum cum gummatibus tractamus, ut ad suppurationem ducantur: Carbunculos verò causticis potentialibus imò etiam igne actuali cauteriorum, non sine successu reiteratorum, ad convenientem statum reducimus, eo modo, quem Fallopius tract. de ulceribus proponit, cap. 5. de phagadenâ. Plura non addo, sed DEUM ter. op. max. precor, ut misericordiâ suâ nos omnes tandem clementer respiciat, & dirum hoc flagellum à nobis clementer avertat. Benè Vale. Ocyus Ulmae 13. Aug. 1636.

Indicia invasionis pestiferae Anno 1635. Ulmae.

Communis ratio curationis.

Praeservatio contagii.

Cautio de purgatione.

P. S.

Vix ablegaveram has responsorias ad eruditum & benè meritum hunc D. D. Cellium; & ecce! certior fio, quod inter tot funera metipse quoq; medios inter concatenatos labores, peste quartâ vice correptus succubuerit; ob singu-

ob singularem ἀκρίβειαν Nestoreis annis dignus, cui sequens Epicedium à me consecratum fuit.

Vt candela aliis lucens consumitur, ecce!
Cellius hic Medici Flosq́ Decusq́ Chori
Sic perit, & Mundo valedicit, ad Æthra receptus,
Gaudia pro lachrymis, proque labore ferens.

De Venæsectione in pestilentialibus febribus.

Clariss. Excellent. Vir

Dn. JOHANN. WOLFGANGUS RABUS, Reipubl. Ulmensis olim Physicus meritissimus,

Clariss. & Excellent. Viro,

Dn. D. JOHAN. MORHARDO, Medico Physico Reipubl. Hallensis in Suevia.

S. Cæterùm gratæ mihi fuerunt tuæ multis nominibus, gratiores fortè futuræ, si eum me esse intelligerem, qui propositis abs te dubiis, sufficienter & commodè satisfacere possem. Sed benè se habet: video enim te non tam dubia ingeniosè & aptè proponere, quam eadem dextrè, docteque solvere voluisse. Sum autem tecum in eâdem prorsus sententia, omnium primum scilicet in pestilentibus febribus, sive puræ, simplicesque eæ sint, sive cacochymiæ, seu putridæ constitutioni implicitæ, ad Alexiteria vocata medicamenta esse properandum, eaque protinus exhibenda: imò toties reiteranda, donec venenata illa & pestilens qualitas (quæ totius mali autor est) vel fracta, vel per sudorem (per quem hoc venenum commodissimè expelli observatum est hactenus) radicitus fuerit extirpata. Etenim cum plura sint in his febribus, à quibus curandi indicationes peti debent: pestilens illa & venenata qualitas, humoribus, spiritibusque insidens: humor deinde ac spiritus, qui veneni hujus ceu sedes & vehiculum habeatur: & tandem calor febrilis: non video ego quomodo non præcipuum curandi scopum attingat ille, qui statim ab initio ad extinguendam, extirpandamque venenatam hanc labem (quam præcipuam indicandi vim habere negandum non est) omne studium, operamque protinus omnem converterit.

Primarium indicatum in pestilenti febri.

Porro de venæsectione ita existimo, ut si putredo implicita fuerit constitutioni, ingensque & notabilis plethora subsit, si virium quoque robur, ætas florens consenserit, antequam invalescat putrefactio, aut natura aliquam ad cutem tentârit expulsionem, adhibendam. Audi vero, quæ de venæsectione in hoc casu ex Victorio Faventino, celeberrimo practico, memoriæ causa aliquando annotavi: In febre (inquit) pestilentiali, si non apparuerint signa sanguinis abundantis, cave à phlebotomia sicut à diabolo: si vero ea apparuerint, cum robore virium & ætate commoda, si tu non phlebotomabis, sanguis justus erit super te & filios, &c. De Pharmacia idem sentio, scilicet si scopi hujus adsint (puta colluvies humorum, corporisque impuritas magna,) consenserintque reliqua, eam per intervalla commodè celebrari posse: ita tamen, ut à validioribus & Scammoneatis (quæ inimica vi sua viribus nostris mirificè insidiantur) prorsus abstineamus. Utamur v. blandis & mitibus, quæ humorem peccantem leniter educere, corpus vero exagitare minimè possint. Cujusmodi illa sint, cum tibi æquè ac mihi notum, ineptum esset eadem hîc recensere. Hoc coronidis loco addam, cum observatum sit, non uniusmodi, & sui semper similem esse hanc pestilentis veneni pernitiem: imo in certis quibusdam pestilentiis cum maxima utilitate tam purgationes, quam venæsectiones omissas fuisse: in aliis contrà institutas cum singulari emolumento (ideoque nulla tam certa, firmaque regula tradi hîc possit, quæ non in certis constitutionibus exceptionem patiatur) rectissimè facturum eum Medicum, qui statim atque grassari pestis cepérit, illius mores, symptomataque studiosè examinet, diligenterque observet, quibus remediis plerique vel juventur, vel lædantur: quo probè cognito, eam curandi viam, qua multi sanitatem recuperarunt, intrepidè ingrediatur, repudiatâ altera, quam obfuisse intellexerit. Et hæc hactenus. Benè Vale. Dabatur Ulmæ, 27. Martii. 1587.

Cautela.

Vir Clariss. Experientiss.

DN. ANTONIUS BOXBARTERUS, Phil. & Med. D. & Reipubl. Ulmensis Physicus,

GREGOR. HORSTIO, D.

S. P. P. Cum officiis, Nobiliss. Ampliss. Excellentissime Vir, Fautor, & Collega observandissime.

Cum non ita pridem post famosæ Urbis hujus exantlatos pestis labores, Summi ἀλεξικάκε divinâ gratiâ tandem Limodochia clauderemus, memini à T. laudatissimâ Humanitate inter nos verba conserta se aliquando inquisituram, quid rari in te λοιμικῇ, dubiive observârim, quibus T. E. alia, quæ idem virus concernunt, reponenda promisit. Existimavi id maximum benevolentiæ signum, attamen dolui, quod ad T. E. limatissimi Judicii aures nihil dignum adferre potuerim. Solatur tamen & erigit me T. E. benevola amicorum admissio, quâ fretus nil ampliùs morabor. Placuit autem, aliis relictis, sequentia ex T. E. inquirere, & quid ipsi mentis sit, lubentissimò animo percipere: Subiit autem primò sæpiùs mirari, cur in tanta autorum, qui de pestilentiæ præservatione graphicè scripserunt, farragine, pauci extent, qui in aliorum præservantium remediorum albo fonticulorum usum posuerint, eosque imprimis laudârint, pauciores licet, quos equidem sciam, inveniantur, qui hos non magnifecerint, sed potius damnare visi sint. Clariss. *Fridericus* von der Mye/ *in Tract. d. morbis Bredanis* obsidionis tempore Anno 1625. evulgato attingit Quæstionem, an cauteria præservent? recitat ibidem pag. 10. sub ægroto sexto, matrem cum tribus filiabus cauteria ad præservandum cruribus sibi infligi curasse, quas omnes, bubonibus sub axillis enascentibus, occubuisse: subjicit causas sub finem comm. d. peste eodem libr. cauterium universum corpus non

Quæst. I.

De cauteriis in peste præservanda.

non evacuare, ergo universum corpus non præservare; Evacuatione enim præservare putat. Additur, tribus partibus principibus sua esse emunctoria, si itaque cerebrum vel cor corruptioni sit subjectum, prodesse posse cauterium in brachio, venenum præveniendo, quod tamen frustraneum esset, affecto jecore, propterea quod illius superflua deorsum tendant. Quanquam verò rectè statuatur, eos, qui penes pestiferos, in infectis ædibus versabantur, ex cauteriis impressis nullum emolumentum habuisse, sed omnes etiam vi veneni succubuisse, non tamen propterea usus fonticulorum totaliter rejicitur, utpote cùm eadem sit ratio, quoad alia præservativa, quæ parùm vel nihil juvant, ubi venenum corpori sese insinuavit: ne quid addam de fonticulorum operatione, quæ non subitò, sed pedetentim à natura traducitur in actum, ita ut propter diversarum partium principalium & adjuvantium læsionem diversam, in diversis etiam partibus sæpius simul imprimantur. Si enim cerebrum & cor fonticulo brachiis inusto juvari potest, ut superflua & noxia deponat, cur non etiam jecur cauterio femoris. Sed demus nos abhorrere à gemino cauterio, attamen pro iis patrocinium suscipient Experientiss. *Guilh. Fabricius p. m. Centur.* 4. *Observ.* 23. & 86. *Liddel. in Tract. d. febr. p.* 651. *Paraus lib. d. peste cap.* 12. *Follinus in amuleto Antoniano part.* 2. *cap.* 8. uti infra latiùs patebit. Neque ἄλογον esse censeo, etiam omnia tria principalia membra, ubi natura per aliquod tempus consuevit certam viam ad emissarium, posse evacuari per aliquem fonticulum in femore, vel cruribus procuratum, cum experientia testetur, pluribus ad membra superiora depuranda optimè profuisse in interioribus artubus excitatos. Monet doctissimus *Crato in comm. d. peste p. m.* 563. inter initia nonnunquam seminaria concepta adeò esse lenta, maximè in robustis corporibus, ut sæpe per aliquot dies vel hebdomadas lateant, (id quod T. E. Patruus, *D. Iacobus Horstius, p. m. in consil. germ.* & *à T. E. latinè Observ. p.* 2. *p. m.* 173. *inserto*, nec non *Cl. Ioach. Oëlhafius, Med. Dantiscanus, in proprio tract. de seminario pestilenti intra corpus latitante*, uti etiam *Clariss. Sennert. lib.* 6. *prax. p.* 3. *cap.* 3. demonstrant) antequam cor verè oppugnent, sæpè frigus sentientibus ægris, interdum calorem & dolorem quendam vagum, imprimis circa Emunctoriâ; ideo hi si cum infectis versati fuerint maturè separentur, exhibitis expulsivis, iisque, quæ roborant, antequam malum invalescat. Observasse idem in semetipso in visente contaminatos statim inguen doluisse, vel axillas, aliquando caput affectum fuisse, noctu sudorem, & tres, quatuorve secessus secutos: hoc & aliis accidisse, qui ipsi fideliter retulerunt, scribit supra laudatus *Frider.* **von der Mye**/ *eod. libr. p.* 43. Idem Anno 1634. cum Limodochio Augustano patrio præessem, in me, aliisque ministris Clinicis me observasse fateor.

Indicia μιασμάτων latitantium in corpore.

Unde liquet cum μιάσματα imprudentius fortè fuissent admissa, Naturam veneno præpollentem secessum instituisse ad emunctoria, præsertim in corpore impuriori, quale Bredanis, nec minus Augustanis fuerit, utraque urbe arduæ obsidionis tempore magis Erisichthoniâ, quam Libitinariâ peste divexatâ. Hic si fluentes fuissent fonticuli, μίασμα ab humoribus receptum, egregiè, sineque damno, evacuari potuisset, quos ejusmodi doloribus & tumoribus vexatos, & fonticulis carentes, ol. Scorp. simpl. in gregariis, in aliis vero ol. Scorp. Matth. magno crebrâ illinitione quidem, licet difficiliùs, curavi, addito sudoris & crebrioris alexipharmacorum usus consilio, cum vicissim mihi constet aliquos crebrò cum infectis versantes egregiè (nec tamen sine antidotis) etiam fonticulorum beneficio ab ejusmodi invasionibus fuisse immunes. Idem in semet expertus est modo allegatus *Clariss. Fabricius Hildanus*: Etenim loco supra citato scribit, se in vehementissimâ Lausanensi peste, per intervalla, & quidem sæpissimè, in inguine dextro (in quo ante 30. annos pestilentialis bubo ipsi ruptus fuit) dolorem sensisse, sumpto tamen alexipharmaco, mox illum dolorem evanuisse, sed versus fonticulum in poplire impressum descendisse, quem tùm habebat, ibique exacerbatum & nonnunquam per diem unam atque alteram, cum inflammatione & intumefactione cruris, permansisse.

Hinc si autoritatibus, si rationibus, si denique Experientiâ fonticulorum usus asserendus, prophylaxeos ratione, in priorem classem venient multi viri Excellentes, qui utroq; medicæ artis crure firmiter suffulti, fonticulorum utilitati non parùm lucis, valorisque sunt allaturi. Commendat eorum usum plurimum *Quercet. in Alexicaco*, ductus, uti ait experientiâ ipsâ plurium Chirurgorum pestilentialium: Idem facit & *Forestus*, qui & Vespillones peste defunctorum cadavera ferentes, & chirurgum, infectis plurimùm inservientem, eorum usu servatos fuisse scribit, *Observ.* 15. *l.* 6. Valdè eos laudat *Claud. Deodatus in Pantheo Hyg. l.* 3. *p.* 319. cum *Anton. Porta, Augenio, Saxonia, Fallopio, Palmario. Commendant eos Parasinus, Ingrassias, Massarias, Gerb. Columba, Saracenus, Vnzerus, qui lib.* 1. *de peste c.* 54. scribit: Eis, qui eos gestant minus periculi esse expectandum, quam aliis, qui illis carent. Nec rejiciunt eorum excitationem circumspectissimus *Crato in lib. de pest. febr. Minderer. lib. de peste c.* 10. *Heurn. lib. de pest. cap.* 8. Nec eos damnare videntur *Bartholin. in Tract. de cauteriis c.* 6. *Fien. de iisd. lib.* 1. *cap.* 5. Imprimis verò eos magnificat *Georg. Garner, lib. de pest.* qui disertè affirmat, in peste Venetiarum gravissima Anno 1576. se nullum unquam vidisse extinctum qui fontanellam gestârit: Idem se vidisse *Mercurialis* memorat *lib. de pest. cap.* 23. præter unum tantum sacerdotem, seque etiam hac de re multos Medicos interrogasse, qui neminem vidisse interemptum testati sunt. Idem quoque fatetur *Oberndorferus in Tr. germ. de Lue Vngar. prope Libri calcem.* Imperat eorum usum infectos visitaturis *Paraus* loco supra laudato: *Liddelius*, qui *in Tract. d. febr.* duos ponere necessarium duxit, cujus præsidii beneficio multos clinicos impunè tractasse infectos scribit. Ex omnibus palmam, qui præripere mihi videntur, erit *Herman Follinus, Sylvaducensium Medicus*, qui in Tr. d. pestil. quem Amuletum Antonia-

num indigetat, scribit, sibimet cum multis aliis Medicis, quibus onus curandi pestiferos incubuerat, hoc auxilii genere consuluisse; nec non sæpius allegatus *Guilhelm. Fabricius*, qui gemini fonticuli, uno in brachio sinistro, altero in poplite dextro, alexipharmacorumque beneficio secum omnes, qui gestarint in supra dicta sævissima peste fuisse servatos, vix uno vel altero summè cacochymico trucidato, scribit loco jam nominato.

Verùm è tanta probatiss. Autorum phalange *Excellentiss. D.D. Sennertus lib. d. febr.* 4. c. 7. optimè causam hanc agere videtur, qui uti usum hujus auxilii non rejicit, ita cum fine alexiteriorum consortio non satisfacturum arbitratur. Cujus Sententiæ acquiescendum puto. Alterum est, quod me sæpius torsit, *cur præterito anno Augustæ circa æstatis finem, cum pestilentes febres increbrescere inciperent, ij ferè omnes, quibus bubones pene parotidas & sub alis extiterint, fuerint interempti: Ulmæ vero quibus propè alas & parotidas pullulascerent, plures sint servati.* Cum Ulmæ Pestilentiæ virus ferocius à me fuerit deprehensum, Augustæ verò mitius; Ulmæ illâ diris modis grassante, pluresque pessundante, altera verò non ita: cum è medicorum placitis constet, pestem, quæ bubones ad capitis, cordisue emunctoria eructet, semper habitam fuisse truculentiorem illâ, quæ μεταστάσει devolvitur ad emunctoria Hepatis præter propter inguina.

Quæstio II.

Tertium est, qui fiat, quod sæpius mihi animadversum fuit, quod infecti quidam, extirpato veneno, oculorum usum amittant, aliqui ex iis eundem quasi postliminiò recipiant, alii semper cæcutiant, id quod inter cæteros & in hac Urbe in cive quodam sexagenario observavi, cui Luis truculentia, bubone & anthrace maximis in sinistro pede extante, visum planè ademit, filia ejusdem ad aliquot tempus oculis captâ, sed post multorum medicamentorum usum cæcutiente relictâ. Idem symptoma post evictam luem in quadam aliâ fœmina, priore Anno, Augustanâ juvenculâ, constitutionis frigidæ humidæ annotavi, quæ die undecimo cæcitatis exhibitis pullul. ex extr. cephal. purg. cum venæsectione, revulsionis gratiâ in brachio dextro instituta, lucem oppidò recepit. Auditum verò è contra rarissimè deperditum (imò, quod ego vidi, nunquam) fuisse observatum est, cum tamen idem morbus, eadem organa sensoria, eadem veneni potentia, cujus vis tàm citò ad auditum, quàm ad oculorum organa deferri potest. Sermo hîc mihi nullus de imminuto auditu, qui sæpissimè post superatas febres Ungaricas, petechiales, aliasque malignas ad aliquot hebdomadas perdurare solet.

Quæstio III.

Ultimùm quæro, cum pestis plurima signa sint θανάσιμα, quæ tamen non semper ægrum interiturum certò denunciant, aliquibus etenim superatis, ægros nihilominus evadere sæpius, ut sunt vomitus biliosi, mixtique coloris, phreneses, furores vehementes, diarrhææ, convulsiones &c. alvus verò inter initia paulò solutior, (quod tamen respectu cæterorum Symptomatum Symptoma minus videtur) omnes ad unum (nullum enim alvo laxiore servasse vitam comperi) ad lethi viam ducat.

Quæstio IV.

Quid T. E. de singulis censeat, cum ingenti desiderio expecto. Vale Hygejæ solidissime Tibicen, & me ulteriori Benivolentiæ Tuæ usurâ dignum arbitrare. Vale iterum. Ulmæ 1636. 12. Martii, qui prænominis Tui clarissimi inscriptionem gerit: quem ut ad Pyladeos annos revertentem incolumis videas calidè D. O. M. precor.

Viro Clariss. Excellentiss.

Dn. ANTONIO BOXBARTERO, Phil. & Med. D. ac Physico Reip. Ulmens. ordin.

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Dubitationes tuas Vir Clariss. Collega pl. colende, quas exantlatis DEI gratiâ vocationis tuæ laboribus, per literas mihi proposuisti, lubens legi, de quibus breviter respondere conabor.

Ad quæst. I. Usus cauteriorum probatur.

Quod autem primò cauteriorum & fonticulorum usum concernit, non video, cur discedendum à partibus illorum, qui partem affirmativam defendunt, ita tamen, ut non negligantur simul etiam alia, quæ præservationis gratiâ præscribuntur. Nosti quod humores vel putredine, vel malignitate vitiati, dummodò in motu & ὀργασμῷ constiterint, semper naturâ jubente partes imbecilliores petant, inter quas cutis non immeritò numeratur, unde consequens erit, vitiatos & inquinatos humores ad extra derivandos esse, nimirum à partibus principalioribus in cutem, quâ ratione testatur experientia, pestiferas febres tutiores esse, quando venenata qualitas ad partes externas per bubones & carbunculos protrahitur, lethalibus è contra iis, quæ tali secretione carent. Quæ cum ita sint, cur non aliquid fonticulis etiam præservationis gratiâ tribuamus, iis subscribendo, qui præter rationem experientiâ quoque thesin hanc confirmant, ubi præ cæteris Amici mei *Fabricii Hildani*, p. m. testimonium mihi loco multorum sit.

Quod eruditum scriptum Clariss. *Friderici* von der Meyen, attinet, idipsum non absque voluptate legi, cum hic Autor sit ex numero eorum, qui propriâ experientia docti, pestiferam luem descripserunt, quorum pauci reperiuntur. Non autem admodum ab eorum opinione videtur alienus, qui partem affirmativam defendunt, propterea quod usum cauteriorum non approbando potius præservationem respectu causæ malignæ jam præsentis, quàm futuræ, respiciat, sicuti non tantum exempla proposita, sed etiam rationes ipsius innuunt.

Observationes in fonticulis tempore pestis.

Ego sicuti solis cauteriis minimè fidendum esse judico, sic absque noxa tempore pestis eorum fonticulos gestari posse non dubito, præsertim cum idipsum Experientia confirmet, quod hoc tempore frequentiores adfluxus circa fonticulos, sæpe non sine malignitate, fieri soleant, quàm aliàs. Notus est utrique nostrum Vir primarius in hac urbe, qui ante sesquiannum, cùm pestilens morbus seminaria sua nobiscum spargeret, subitâ quadam consternatione commotus, cum literas propria manu cujusdam agnatæ suæ peste decumbentis scriptas, perlegeret, protinus cum horrore & aliis accidentibus incidit in vehementem dolorem

dolorem brachii dextri, potissimum circa musculum deltoidem & bicipitem, ubi fonticulum impressum habebat, subsequenti mox pustula propè fonticulum, quæ partes vicinas statim occupabat, parùm vel nihil à carbunculo differente, nisi quod prima consternatione prætereunte, nulla graviora symptomata subsequentibus diebus deprehenderentur, ulcere postmodum phagadenico ad suppurationem perveniente. Quis autem non videt malignam cacochymiam hîc commotam vi roboris naturę per fonticulum secretam fuisse? Idem ante semestre, cum ex consanguineis ejusdem aliquot perirent, & ille domum fratris, peste contaminatam, curru præteriret, subitò, nescio quo timore perculsus, incidit in dolorem ingentem alterius brachii, sinistri videlicet, in quo pro tempore, priori consolidato, fonticulum gestat, rursus scilicet malignâ materiâ turgente, partem imbecilliorem quærente, quod ipsius fonticuli concurrens inflammatio, cum sordibus acribus & vitiatis testabantur. Quod autem pauciores, qui de peste scripserunt, fonticulorum mentionem faciant in præservatione, fieri puto propterea, quoniam usus cauteriorum apud nos Germanos rarior est, quam apud nationes alias. Interim pro veritatis ratione militabunt omnes rationes eorum, qui pluribus vesicantium usum in pestilentibus morbis defendunt.

Ad quæst. 2. An bubones sub alis & circa collum semper periculosi.

Altera quæstio penitus singularis, nimirum cur sub finem præcedentis æstatis Augustæ perierint ægrotantes pestiferi, quibus bubones circa parotides & sub alis exoriebantur, servatis tamen pluribus hîc similiter Ulmæ affectis, quanquam communiter ejusmodi secretiones magis periculosæ judicentur aliàs? An fortè quod pestiferum venenum hoc anno præcedenti mitius fuit, ut addis, Augustæ, quam ob causam illi potissimum eodem laborarunt, in quibus ob naturæ debilitatem resistentia minor, unde secretio facta fuit ad partes cordi magis vicinas; idque eventu lethali: hîc autem Ulmæ serpens passim contagium robustiores quoque prehendit undique, quibusdam eventu salutari separans malignitatem sat copiosam, ad partes cerebro, cordique propinquas? An quod magna quoq; veneni pestiferi differentia fuerit, ubi quosdam bubonibus sub alis, in inguinibus, & propè parotides laborantes, aliis gravioribus Symptomatibus caruisse vidimus, ad quorum classem istos etiam, quos servatos fuisse scribis, refero; Simile quid observavit *Frider.* von der Mye/ dum inquit, plures moriebantur, quibus tumores in inguine: præsertim sinistro, quàm aliis locis, erant conspicui, propterea quod in iis ob præcedentem famem, hepate & sanguinis massâ plurimum inquinata, copiosè venenata pernicies per consueta emunctoria deponeretur, idque magis in sinistra parte, vel juxta paradoxon ipsius, quod pestis à melancholico potiùs, quàm alio humore, vel quod copiosa series arteriarum splenicarum promptius vitali principio venenum communicaverit. Sed multa nos latent, quæ tamen affectibus suis in morbis pestiferis patent, ubi pernities huic vel illi subjecto magis noxia deprehenditur, quemadmodum in hac peste vidimus prægnantes, puerperas, virgines & ancillas multò plures, quam infantes, pueros, viros atque senes periculosius infectas fuisse quod etiam Romæ quondam factum fuisse *Dionys. Halicarnassæus lib.4. Histor. Rom.* narrat: ubi quidem non nego, quod innuit *Olhafius cit. l. c.4.* Sexum fœmineum faciliùs contagium pestilens admittere, tum propter redundantiam humorum ad putredinem dispositorum, tum quod meticulosæ fœminæ terroriq; multum obnoxiæ, simulq; ad iram procliviores, & corpore molliores: sed rationes has omnes minimè sufficientes judico, nisi singularem veneni pestiferi proprietatem simul perpendamus, de quo pluribus aliàs egimus. Atque hinc etiam observatum fuit hac peste, sæpius parentes cum natu majoribus liberis abreptos fuisse, relictis natu minoribus, in pueritia constitutis, innoxiè cum infectis conversantibus. Imò & hoc notandum, in aliquibus ædibus pestilens contagium vehementius & malignius fuisse, quàm in aliis, qua ratione scribit *D. D. Helvicus* Dieterich/ Archiater Hassiacus, quod in Paternis ædibus non tantum incolæ, sed etiam vaccæ, pestiferis bubonibus circa collum, anno præcedente, affectæ fuerint: dum contra quædam domus infectæ quidem fuerint, plerisque laborantibus non admodum graviter affectis, & absque gravioribus Symptomatibus malignitatis vicissim convalescentibus, quod non tantùm diversitati naturarum, sed veneni pestiferi differentiis etiam tribuendum esse censeo.

Vide lib. 2. Epist. Med.

Ad quæst. 3. Unde cæcitas in quibusdam pestiferis.

Tertiò quæris, quî fiat, quod multis oculorum usus pereat, ut quidam cæcutiant, alii verò difficulter visum recipiant, cum tamen auditus (quod aliàs in febri continua rarum non est) apud nullos aboleatur? Refert *Thucydides* in Atheniensium peste quosdam etiam oculos amisisse, quod etiam *Agricola lib.1. de peste tempore* Martiani Imperatoris Anno 455. factum fuisse scribit, ejusdemque meminit Italus scriptor *P. Parisus lib. de peste cap.2.* & venenosæ qualitati vaporum nimis generaliter adscribit: An quod venenum pestiferum maximè variet, & interdum apud quosdam Napelli, apud quosdam Arsenici, apud quosdam aliorum venenorum naturam imitetur. De Napello notum est, quod assumpta ℈j. pulveris istius oculorum obtenebrationem, cum aliis gravissimis accidentibus, subitaneam introduxerit: ita Arsenici ℈ß. cum Saccharo exhibita protinus oculos etiam vertiginosos & obtenebratos reddidit, ut in probatione lapidis Bezoar. de reis duobus morte mulctandis refertur apud *Iordan. d. pest. phænom. p.626.* An igitur arsenicalem & napellosam qualitatem obtinebit illa pestis, quæ talia nocumenta venenis ejusmodi propria producit, cum ab his assumptis visum quidem, non autem auditum abolitum legamus, idq; singulari proprietate, quâ venenum à Veneno differt?

Ad quæst. 4. Cur alvi fluxus in principio lethalis?

Tandem ultimò subjicis, licet aliis signis lethalibus præsentibus interdum ægri præter spem convalescant, nunquam tamen te observasse, quod quidam ex iis, quibus alvus inter initia laxior fuerit, mortis periculum evaserit: an quod colliquativi lethales sint ejusmodi fluxus, ut ex Epid. colligitur, quales dejectiones fœdas *Mindererus etiam lib. d. peste cap.7.* easque perniciosas

pronun-

pronunciat, cum non tantùm summum virium lapsum, sed etiam peccantis materiæ malignitatem excedentem indicent. Alia vero ratio est, quando post coctionem materiæ fluxus alvi sequitur, qui Galeno 5. Method. 12. salutaris dicitur, de quo plura proponit *Fabius Paulinus de peste Thucydidis lib. 1, p. 342.*

Urina pestiferorum fallax.

De pestiferorum Urinis nosti, quæ superioribus annis *lib. 2. Ep. Med. Sect. 2.* proposita fuerint: nimirum quod sæpius sub initium sanorum Urinis simillimæ sint. Idem hoc tempore frequentissimè fuit observatum, quotidiè talibus oblatis urinis à Clinicis mulieribus ægrotantium, ut penitus laudabiles viderentur. Movit hoc Magistratum Amplis. ut me suadente pestis consilio mandati loco appendicem adderent, quò cives & incolæ præsentibus aliis invasionis signis, non diu tempus terendo cum urinis ad Medicum afferendis, seipsos non negligerent, sed protinus ad Pharmacopolium accederent, & medicamenta convenientia sine mora virus pestiferum expellentia, peterent, cum in tanto laborantium numero fieri non possit, ut quilibet extemplò Medicum præsentem habere queat. Porrò notum est eruditum scriptum *Dn. Ioach. Olhafii, Medici Dantiscani de Seminario pestifero*, potissimum quo ad illam quæstionem, an etiam pestilens seminarium, intra corpus vivens aliquandiu citra noxam evidentem latitare possit. Observatum fuit hoc ipsum maximè quoque temporibus hisce. *Dn. Sennertus in part. 6. prax.* subscribit huic assertioni, seque sæpius annotasse refert, quod frequentissimè per 14. dies venenum latuerit, & dein se suis indiciis manifestaverit. Idem nobiscum etiam factum fuisse memini ferè in omnibus domibus infectis, ut plerunque post 14. dies homines sani superstites decubuerint, quanquam ob resistentiam naturarum, non pauci diutiùs, ad menstruum quoque spatium & ultrà, nihil senserint, qui tamen postmodum peste correpti perierint. Sed inquis; in domibus infectis μιάσματα contagiosa præstò sunt, quam ob causam incertum est, num venenum in ipso corpore, vel tantùm tunc temporis haustum fuerit, ubi suis symptomatis sese prodit? hîc eorum exempla loquuntur, qui discedentes ex domibus infectis, relictâ penitus omni supellectili domesticâ, salvi & incolumes ad habitationes puras etiam extra urbem aliquandiu viventes, nihilominus tandem infecti fuerunt, ubi sanè manifestum redditur, in ipso corpore veneni seminarium latitasse, quod maximè confirmant illi, qui tales insultus incipientes aliquoties percipiendo, protinus sibi ipsis Alexiteriis assumptis succurrerunt, quorum exempla non pauca referre possem. Lubenter tamen concedimus, quod μιάσματα seminarii pestiferi sæpius à naturâ partium, quibus inhærescunt, ita edomentur, ut nullum sit inde pestilitatis periculum, quod habet Olhafius. Cur autem ex ditioribus pauciores, quam ex plebeis convaluerint, multi dubitant, præsertim cum in nosocomio Limodochio dimidia pars, DEI gratiâ, pristinam sanitatem recuperârit, succumbentibus è contra ditioribus plerisque? nempè, quia in his, ut habet prædictus Autor, ob metum & terrorem maximum, calor spiritusque circa cor magis concentratus ditinetur, & unà cum iis venenum pestilens susceptum, quod hanc ob causam alexipharmacorum ope, quæ exhibentur, ægriùs expellitur, quemadmodum ulterius idipsum ex eo colligitur, quod imaginatio sufficiens sit ad pestem producendam, de quo videatur *Fabius Paulinus de peste Thucydidis lib. 1. p. 122.* At contrarium accidit hominibus plebeis, animo liberiori præditis. Hæc sunt, quæ breviter ad propositas quæstiones addere volui; tu boni consule, quodque facis, me amare perge. Dabam ocyus, Ulmæ, 16. Martii, 1636.

Cur ditiores aliis minus convaluerint.

Vir Clariss. & Excell.

Dn. Joh. Freitagius, Phil. & Med. D. Reipubl. Ratisbonensis Physicus.

GREGORIO HORSTIO, D.

Mos pestis Ratisbonensis Anno 1634.

S. Omne promissum cadit in debitum, Clariss. Excell. Dn. D. Amice integerrime. En! quæ in peste nostram Urbem ante sesquiannum invadente occurrerunt. Pestis illa non fuit ex corrupto aëre, sed ex contagione & contactu: nam corpora ferè omnia vitiosis succis fuêre referta, ex prava victus ratione, & pathematibus animi, indies accumulatis, inde indicibilis putredo, quæ maximè spiritum vitalem subtili veneno corripuit, & mediante aëre μιάσματα per poros aliis corporibus dispositis communicavit, cum in habentibus symbolum facilis sit transitus, & in qualibet naturali actione agentis fortitudo & passi dispositio concurrant. Homines, qui corripiebantur, plerunque fiebant anxii, melancholici, nauseabundi, & vertiginosi, agebatque hic morbus pro temperamenti & complexionis ratione, nec non habebat tot ideas, quot laborantium individua. Quidam, ubi facultas expultrix debilior, & venenum subtilius, circa cor, corporisvé interiora, penitùs subsistebat, antequam se verè ægrotare sentiebant, moriebantur; quia putredo fuit extinctio calidi nativi, & resolutio spirituum. Quidam, ubi facultas expultrix fortior, & venenum pestiferum partes principales offendebat, lecto affligebantur, in illis quæsivit natura suum emunctorium in sibi dicatas glandulas, vel ponè aures & in cervice, vel in maxillis, vel in inguinibus, vel exanthemata, vel pustulæ in toto corpore prorumpebant, & prout sanguis magis erat adustus, proveniebant carbunculi, quò magis pituitosus, parotides & bubones, quò magis biliosus erysipelata & petechiæ, imò papulæ ichorosæ, ubi studiosè erat procurandum, ne venenata vis retrocederet, aliàs mors fuit in procinctu. Imò sæpiùs accidit, ut in uno & eodem subjecto, parotides, bubones, carbunculi, petechiæ & pustulæ erysipelatodes simul concurrerent, ubi natura strenuè quidem suum officium fecit, & materiam malignam à centro ad circumferentiam expulit, & sicut in crisi materia peccans ad expurgationis loca propellitur, ita quoque in Symptomatico motu eò fertur: tamen visciditas & lentor materiæ relicta sunt, ut in facie salutem, in tergo funus gesserit. In multis bubones & carbunculi in ulcera virulenta degenerârunt,

Invasio multiplex.

quæ

quæ dolore acutiſſimo carnem, venas & nervos, pro veneni natura, inſtar ſeptici depaverunt. In aliis carnis protuberantia excreſcebat, & illa ulcera & protuberantiæ molliter volebant tractari, & reſpuebant nimis humida calida & acria. Ne invidiæ notam incurram, ad bonum publicum non reticebo, quid nam mirè profuerit in virulentis ulceribus & protuberantiis. ℞. Sulphuris Vitriolati ʒijs. Ol. Saturni ʒj. Ol. Amydal. d. Ungu. Roſati ana ℥ij. Spirit. Camphoræ ʒß. omnia benè incorporentur in mortario vitreo pro Ungu. albiſſimo. Item Mel. roſat. colatum, farina Lupinorum, fabarum, cum Vino ad conſiſtentiam Unguenti coctum, fecit laudabilem effectum. Unum, quod ſingulariter obſervavi, eſt illud: quod individui hujus morbi comites, videlicet capitis dolor intenſiſſimus & delirium in plurimis abfuerint; imò quod ſummè mirandum, agonizantes, ſanâ mente conſtantes, cœlica deſiderantes, & quod ſtupendum, multi impuberes quaſi prophetizantes, placidè obdormiverint. Hæc pro meâ tenuitate, ſalvo ſaniorum judicio, parùm enucleare placet.

Cur dolor capitis & delirium abfuerint.

Cur capitis dolor & delirium plerunque abfuerit, colligo quod apud nos humores erant craſſiores, & illud confirmabant abſceſſus frequentiores, & carbunculi periculoſiores, nec non illa peſtis magis in humoribus, quàm in Spiritibus conſiſtebat, inde exhalationes malignæ non tam copioſè aſcendebant in cerebrum, ſed ſollicita Natura omnia per totius corporis poros ad circumferentiam & emiſſaria alia expellebat, & quod magis, rariſſimè apparebant parotides: illi quibus cerebrum offendebatur vel catarrho ſuffocativo, vel Angina, vel Epilepſiâ citò moriebantur. Cur maxima pars diſſolvi deſiderârit? factum ex vitæ tædio: nam triennales anguſtiæ, ubi una clandeſtina irruptio, & duæ obſidiones, cum multis aliis inenarrabilibus tribulationibus confirmatos, juveneſque, ſeneſque reddiderunt, ut verius, ſeriuſque avocarent animum à ſollicitudinibus hujus ſeculi, & neglectis hujus vitæ voluptatibus, quarum ſpes amplius nulla affulgebat, ad futuram, eamque æternam avidiùs aſpirarent. præſertim cum mortis recordatione, quod terribilium terribiliſſimum, planè non fuerint perterriti, ſed quomodo peccato cum mundo ſalvi valedicerent, plenè allaborârunt.

Cur pleriq; mortem optarint?

Cur impuberes prophetizarint? factum quod animus illorum liberior, & omnis generis ſollicitudinibus non fuerit implicitus: hi cum ſentiebant horam mortis imminere, & recordabantur præteritorum malorum, extinctis ſenſuum motibus & depoſito omni animi circa res ſenſibiles affectu, mentem ad eorum, quæ verè ſunt, contemplationem convertebant, veritatem eò clariùs intuebantur, & remotis circumſtantiarum repagulis, liberè, quæ mens ſuggerebat, proferebant, ſicut aliàs in trito germanico dicitur proverbio: **Kinder und Narren ſagen die Warheit.** Præſervatio hujus morbi præſtabat Curatione, & conſiſtebat in ſuperfluitatum evacuatione, corporis tranſpiratione, & præpotentis cauſæ remotione. Cura conſiſtebat in naturæ, viriumque conſervatione, & peſtilentis dyſcraſiæ ablatione. Nam proprius typus hujus morbi plerunque latet, inde genuinum alexipharmacum apud DEUM ſolum repoſitum, cum Cratone, credo, & cum Heurnio ingenuè fateor, quod in peſte nihil peſtilentius multis remediis.

Cur impuberes prophetizarint?

Præſervatio.

Curatio.

Citra jactantiam affirmo, vegetabilia aliis palmam præripere, cum nullam ferè tam abjectam herbam deſcribat Dioſcorides, quam non itidem commendet contra venena. Præterea videmus, quod DEUS in abjectis maxima ſemper abſcondiderit, & ſicut ſimplex cibus optimus, ita medicamentum ſimplicius: nam qui ſimpliciſſimis curat, feliciſſimè curat, præſertim in peſte & morbis peracutis.

Vegetabilium commendatio.

Quid in hoc morbo maximo de maximis remediis, videlicet de purgatione & venæſectione, ſentiendum, ratione & experientia edoctus, neutram tutò adhiberi poſſe ſtatuo, niſi plus periculi à plethora & cacochymia, quàm à peſte ipſa inſtet: nam peſtis licet ſit magnus morbus, tamen indicatio curativa, quæ à viribus ſumitur, prævalet illi, quæ morbum reſpicit. Et recta ratio profligandi morbos in rectis ſcopis curandi poſita eſt.

Venæſectio & purgatio improbatur in peſte.

Quocirca ratio medica jubet, ut cum illo, à quo maximum vitæ periculum imminet, illicò fortiterque pugnemus: eſtque virus peſtiferum, quod extinguendum, naturæ humanæ robur afflandum, & halitus veneno infecti per ſudores promovendi, in quo ferè omnes rationales Medici ſiunt ὁμόψηφοι: nulla enim eſt via in corpore humano, per quam contagionis ſeminaria commodiùs expelli queant, quàm per cutis poros ſudorem movendo.

Indicationes in peſte communes.

Verùm in ſudorificis hoc accuratè erat obſervandum, ne nimis calida & ſpiritualia propinarentur, præſertim calidis & ſiccis naturis: Nam ubi incendio flammant omnia, à calidis pax ſit. Quando natura ad ſudorem indiſpoſita, & materia ad exitum inepta, patiens non nimium ſtragulis undiquaque benè tectis muniendus, nec ad clepſydram ſudare cogendus fuit. Corpus æquali calore fovendum, ſucceſſivè ſudor promovendus, pro virium tolerantia perferendus, linteis moderatè calidis & ſiccis ſudor planè abſtergendus, & omnis auræ frigidæ appulſus vitandus. Inter ſudandum abſit ſomnus. Poſt ſudorem analeptica & confortantia diligenter propinanda, ne vires fatiſcant, cum ſudor per biduum quater vel quinquies repetendus: nam hujus contagii ea fraudulentia fuit, ut licet à corde ſemel repulſum ſit viſum, facilè tamen receſſerit, & ſecurum è medio ſuſtulerit. Hoc peſtis tempore omnes morbi in illam degenerârunt, etiam ipſa vulnera reddebantur ſuſpecta, quod aliàs familiare eſt in peſte & morbo gallico, cujus fomes omnibus aliis morbis, qui corpora occupant, ſeſe implicat, & hoc martiali ſeculo, quàm plurimum non infima cauſa difficilioris curæ vulnerum extitit, cum ſcandalo & opprobrio præſtantiſſimorum Chirurgorum. Multi, qui peregrè à nobis abierunt, ſeminaria peſtis ſecum tulerunt, & in Auſtria, vel Ungaria obierunt. Peſtis cur tam citò latèque ſerpſerit, viresque eundo acquiſiverit, partim fecit incuria, partim neceſſitas ita exigens. Nam homines nimium erant ſecuri, non obſervabant malignitatem, febrem tantum

Cautio in ſudoriferis.

Cur tam citò contagium ſerpſerit?

Synocham æſtimabant: ingurgitabant ſe vino, opportuna reſpuebant remedia, fœtore peſtilentiam depellere, & craſſo fumo aërem purgare ſtudebant, alter alterum importunè viſitabat, demortui diù jacebant inſepulti, funus efferebatur cum comitatu frequentiori, cadaver fœtidiſſimum deponebatur in comitantium circulo, pro oratione funebri, & multa alia, quæ memorare me tædet. Præterea & nos decipimur in illo, quando controvertitur, an verè ille peſte extinctus dicendus, cum peſtis nondum in illo loco graſſetur? an unius hominis interitus peſtis dici debeat? an febris peſtilens ſemper peſtem comitetur; An in omnibus peſte infectis appareant exanthemata, bubones, carbunculi? an cadavera peſte extinctorum ab omni contagione immunia. Priora per ſe medicis ſatis patent, & nulla indigent diſcuſſione; poſterius à Claſſicis etiam in dubium vocatur, ob prægnantes & ſpecioſas rationes: quia cadavera facultate inſpirationis & expirationis ſint privata, pori à Vita reddantur conſtricti, corpus ante obitum morbidam ἀπόχρεων exhalet. Verum & in hac peſte experientia monſtravit contrarium, quod magis contagioſa eſſent cadavera, quam viva corpora infectis. Extincto enim calore nativo totalis aderat ebullitio putridorum humorum cum tam deteſtabili fœtore, qualem ſatis exprimere non poſſum, qui mihi prætereunti, inſcio, ſtatim S. H. vomitum excitavit. Quando ergo cadaver putredinem concipit, tunc maxima vaporum copia ex eo exhalat, quæ exhalatio non alia eſſe poteſt, quàm peſtilens & contagioſa, & venenum per illam putredinem magis exaſperatur. Si enim in ligno, lanâ, & aliis inanimatis corporibus, venenum vires ſuas retinere, & diù deliteſcere poteſt, cur non magis in cadavere, ubi corporea moles rara, laxa, & ſpongioſa, & ubi maxima viget ac præceſſit putredo, quæ non datur in linteaminibus, veſtibus & aliis corporibus. Plura addere prohibeor, ne Iliade prolixior videar. Commendo nos tutelæ DEI ter Opt. Max. Dabantur Ratisbonæ, Calend. Aprilis, 1636.

Viro Clariſſ. & Excell.

Dn. Joh. Freitagio, Phil. & Medico apud Ratisbonenſes meritiſſimo,

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. Quemadmodum ante ſeſquiannum peſtifera lues apud vos inſignem ſtragem faciens, Vir Cl. non principaliter ex aëris infectione ſed potius per contagium atque contactum in plures propagata fuit: ſic etiam idipſum præcedenti anno nobiſcum obſervavimus, abſentibus videlicet illis indiciis, quibus Autores aëris communis infectionem alias demonſtrare ſolent. Modus invaſionis, hic etiam, pro ratione temporis anni, alius atque alius fuit, ubi plerique, poſt communia Symptomata, bubonibus atque carbunculis affecti fuerunt, non paucis interim, quibus vivifica virtus debilior & conſternatio major, ſine ſignis externis, mente conſtante, primis diebus expirantibus. Cephalæam atque delirium in plurimis abfuiſſe ſcribis, deficientibus videlicet fervidis atque acribus vaporibus, cerebri menynges lancinantibus, quod communiter etiam noſtris accidit, ita ut ſæpius periculoſa accidentia penitus latitarent, ipſis ægris parum vel nihil de capitis doloribus conquerentibus, præſente tantum laſſitudine ſpontanea, quæ maximè deprehendebatur, cum è lecto ſurgere, vel ſeſe erigere conarentur, quo ſolo indicio ſæpiſſimè latens anguis in herba ſeſe manifeſtabat: Hinc & delirium pauciores patiebantur, cum vigiliæ non eſſent perennes, nec febris exacerbatio multum affligeret. Plerique vi morbi ſuperati mente conſtantes diem ſuum obierunt, ita ut plebeji juraſſent, nondum mortis terminum adeſſe, quem tamen anxietate circa præcordia convicti, laborantes jam jam inſtare firmiter aſſeverabant. Prædictiones futurorum à nullis hactenus obſervavimus: an fortè quod DEI Gratia tantæ calamitates hactenus nos non afflixerint, unde pleriſque votum convaleſcentiæ potius, quàm æternitatis, animo firmius inhæſit. Ergo rectè ſtatuis, ſicuti D. Paulus in tertium cœlum, hoc eſt, ut habet *D. Claud. Mamertus l. 1. de ſtatu animæ cap. 12.* in ipſius immutabilis incorporei beatiſſimam contemplationem, poſthabitis terrenis omnibus, raptus fuit, ita idipſum etiam quibusdam impuberibus, moriendo prophetizantibus, factum fuiſſe. Sed cum prædictiones ejusmodi menti forinſecus accedant, ut habet *Peucerus lib. de divinatione, tit. d. Theomantia*, protinus probandi ſunt ſpiritus, num eorum prædictiones cum revelato verbo conveniant, cum ſæpius etiam diabolus angeli lucis perſonam induat. Denique ad curationem: vegetabilibus palmam tribuis, imprimis ſimplicioribus, nec immeritò: quid enim opus eſt pluribus, ubi pauciora ſufficiunt. Nobis cum approbatis vegetabilibus mineralia quoq; conjuncta plurimum præſtare videbantur, reiteratis ſæpius diaphoreticis ex Antimonio, Sulphure aurato, bezohardico Solari, ſimilibusque. Imo Elixir iſtud Crollii peſtilentiale, tum etiam ab eodem non admodum differens Balſamus vegetabilis Kerneri, Spiritus camphoratus Hartmanni, Cornu Cervi Philoſophicè calcinatum, & alia, cum fructu, Diaſcordio & Electuariis diaphoreticis addita fuerunt. Purgationem in principio non tentandam fuiſſe deprehendimus, niſi nauſeabundo ventriculo, propter cacochymiam primarum viarum, ubi mox, viribus adhuc conſtantibus, Vomitorius Syrupus ex antimonio multos ex orci faucibus eripuit: procedente tamen tempore quibusdam catarctica neceſſaria fuerunt, quemadmodum in Epulis meis pluribus idipſum declaratur. Vide ſi lubet *Amuletum Antonianum Follini lib. 1. c. 13.* ubi non tantum vomitoria, ſed catarctica quoque fortia, ex minerabilibus commendantur, ad ipſum Mercurium, Antimonium, Arſenicum, Euphorbium & ſimilia, ritè tamen depurata, præparataque, progrediendo, tunc temporis, quando corpora impura, vitioſisque ſuccis plena peſtilentiâ corripiuntur. Venæſectionis indicationem rarius habuimus, de cujus uſu loquuntur problemata, decad. 10. Quæſt. 1. Quod autem reliquos morbos in peſtem degeneraſſe ſcribis, nos etiam annotavimus, ita ut quidam Apoplexia, quidam dyſenteriis,

dysenteriis, aliisque morbis periisse visi fuerint, quorum tamen inquilini postmodum infectionem ab iisdem senserunt: imò quibusdam etiam ab ejusmodi morbis jam liberatis, postmodum bubones & carbunculi supervenerunt, qui tamen mitius aliis afflicti, maximamque partem restituti fuerunt. Id quod etiam veteres observarunt, quod videre licet in historia pestis Thucydideæ, commentariis à *Fabio Paulino doctè illustrata, lib. 1. pag. 217.* ubi ex Mercuriali, Benedicto Faventino, Natali de Comitibus, Marsilio Ficino, Andrea Gallo, Gerhardo Columba & aliis demonstratur hoc ipsum. Tandem quod corpora peste mortuorum inficere, seminaque contagionis aliis communicare possint, tecum sentio, ratione intus putrescentis humoris, quod pluribus olim *lib. de Mor. cau. Exerc. 5. q. 14. demonstravi.* Idipsum suo tempore *Naso Poëta*, quoque notavit:

Corpora fœda jacent, vitiantur odoribus auræ,
Mira loquar, non illa canes avidæq́ volucres,
Non cani tetigere lupi, dilapsa liquescunt,
Afflatuq́ nocent, & agunt contagia latè.

Sed plura non addo, Deumque precor, ut custodia suorum Angelorum in viis vocationis nostræ clementissimè, sicuti hactenus, ita & in posterum quoque nos tueatur, & omne malum contagiosum à cervicibus nostris abigat. Bene vale, Vir Clariss. quodque facis, me meosque tibi commendatos habeas. Dabam Ulmæ Anno 1636. 10. Aprilis.

OBSERVATIO XXXIV.

De Scorbuto

TRACTATUS

à

Gregor. Horstio, D. in Acad. Giessena

ANNO M. DC. VIII.

Publico Examini duabus Exercitationibus propositus.

SECTIO PRIMA.

§. *I.*

VArii ac diversi sunt morbi, quibus humanum corpus afficitur, qui tamen omnes in σποραδικὰς καὶ κοινὰς distinguuntur.

Origo morborum diversorum. Cum enim corpus nostrum ex prolifico parentum semine productum ob insitam naturæ mutabilitatem in perpetua sit alteratione, mirum non est, illud ipsum dispositionibus morbosis obnoxium esse, iisque multiplicibus, propterea quod corporis universitas non simplex sit, sed ex partium diversarum numero politiam unicè conspirantem atque consentientem constituat, ut hac ratione corpus unum, partibus tamen diversis præditum, animæ, tanquam formæ, diversis ac multiplicibus facultatibus constanti, proprium & functionibus ejus adæquatum subjectum præbeat; cum anima sit ἐντελέχεια τοῦ σώματος φυσικοῦ, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει; ut habet Philosophus lib. 2. *de an. tex. 6.* perfectio videlicet corporis naturalis, potentia vitam habentis, cujus partes organorum rationem obtinent. Inter multiplices verò morbosas dispositiones aliter atque aliter corpora nostra afficiuntur, quam ob causam tota morborum ἰλιὰς ad duo genera revocatur, ut alii sint σποραδικοὶ, alii κοινοί.

II.

Σποραδικοὶ νόσοι, ἡ σποράδες, morbi sparsim, paulatimque huc illuc vagantes illi dicuntur, qui non universim multos, sed sparsim hunc vel illum invadunt. *Galen. lib. 1. Epid. com. 1. in princ.*

Vocantur hi morbi aliàs διαφόροι, cum specie, formaque differant, & pluribus ex diversis causis, temporibus iisdem, vel diversis accidant, quemadmodum patet in Epilepsia, Calculo, Pleuritide & aliis, quibus originem præbent causæ particulares, in hoc vel illo; potissimum ex pravâ victus ratione dispari provenientes: ἐκ τούτων γὰρ νοσοῦμεν, οἷς καὶ ζῶμεν. *Plutarch. 8. Sympos. quæst. 9.*

III.

Κοινοὶ καὶ παγκοινοὶ, hoc est, communes illi morbi dicuntur, qui universim multos invadunt, & vel certo tempore tantùm in aliqua regione grassantur, ἐπίδημοι, καὶ ἐπιδήμιοι dicti; vel perpetuitate quadam certis locis regionum vel civitatum adsunt, & vocantur ἔνδημοι καὶ ἐνδήμιοι.

Causa morbi communis. Is autem morbus communis redditur, adeoque plures simul invadit, qui causam obtinet communem, quæ vel in alimentis, vel in aëre præter naturam sustentatur, vocaturque *Endemius*, ubi cuidam regioni perpetuus & quasi proprius est, quatenus ob loci naturam aër inquinatus, aut alimenta communia depravata sunt: *Epidemius* contrà certo tantùm tempore sævire solet, & plerunque causam ex influxu syderum maligno obtinet, quo ambienti nos aëri qualitas noxia communicatur. Addo plerumque, propterea, quod sæpius per contagium quoque morbus fiat Epidemius, ubi malignitas ab uno ad alterum in eadem civitate vel regione propagatur: Etsi verò *Fernelius lib. 2. de abd. rer. cauf. cap. 11.* communes morbos non solum in *Endemios & Epidemios*, sed etiam *Pandemios* distinguat, ita ut Endemii vel Epidemii vocentur, quando causa communis est aër, contra pandemii, quando à communi corruptione alimentorum oriuntur, quem hac in parte sequuntur, *Forest. lib. 6. observ. 1. in com. Phil. in grass. lib. 1. de contag. Pestil. cap. 18. Marcell. Capra lib. de morb. pand. cap. 11. Sal. Albert. hist. de Scorb. thes. 14. & alii*: nihilominus ex doctrina *Galeni & Hippocratis cum Langio lib. 2. Epist. 13. Gerardo Columb. lib. 1. de pest. cap. 2.* & aliis tutius esse videtur, statuere morbos omnes communes vel Endemios, vel Epidemios esse, propterea quod πανδήμιοι dicti ab *Hipp. & Gal.* semper sub dictis differentiis contineantur, ut patet *com. 1. lib. 1. Epid. item 1. Acut. com. 9.* Imò & ratio illud ipsum suadet, quatenus morbi *Pandemii* dicti, prout multos unius regionis perpetuitate quadam, vel aliquandiu tantùm afficiunt, ab *Ende-*

Endemius. *Epidemius.* *An dentur morbi Pandemii?*

ab *Endemiis vel Epidemiis* secundum essentiam suam non differunt: quamvis enim interdum alias causas antecedentes habeant, ut vel ab aëris, vel ab alimentorum corruptione producantur, non tamen κατὰ τὸ εἶναι, secundum propriam essentiam, differunt, prout eandem naturam, idem subjectum, eundemque læsionis modum obtinent.

IV.

Ἐπίδημοι, ἢ ἐπιδήμιοι morbi, qui plurimos aliquo tempore simul invadunt, vel sunt λοιμώδεις, vel μὴ λοιμώδεις.

Morbi pestilentes duplices.

Cum enim causa proxima, propter quam plures uno tempore simul laborant, non sit eadem, consequens est ipsos morbos Epidemios quandam admittere differentiam, ita ut alii sint λοιμώδεις, hoc est, *pestilentes*, iique, vel *maximè maligni*, qui derepente majorem hominum partem occidunt, ut patet in peste, & verè pestilentibus febribus, *vel minus maligni*, qui multos quidem perimunt, non paucis tamen salutares sunt, quemadmodum patet in lue ungarica, vel febri petechiali; propter νοσερὴν ἀπόκρισιν, vel ἀναθυμίασιν τοῦ ἀέρος, hoc est, morbosam exhalationem aëri impressam, *(Hipp. lib. de nat. hum.)* quæ in illis magis, in his minus venenata, malo communi causam & originem præbet, unde etiam *contagium* eadem ratione differentiæ utrique convenit: *alii μὴ λοιμώδεις, mitiores pestilentibus*, iique vel *usitati*, ut ἐξανθήματα puerorum, *morbilli* videl. & *variolæ*, quas aëris dispositiones accommodatæ sæpius excitant in iis corporibus, in quibus impuritates materni sanguinis adhuc delitescunt; item catarrhi quidam epidemii, ophthalmiæ quædam, anginæ, diarrhææ, dysenteriæ, febres quædam acutæ, aliique morbi simul absque singulari malignitate plures invadentes: vel *inusitati*, ut *paraplegia* illa inaudita, quam *Hipp. lib. 1. Epid. in Thaso* aliquandiu fuisse scribit; item *Mentagra*, de qua *Plinius lib. 26. Natur. hist. cap. 1.* videatur, quam malè *Champerius lib. 2. pract. cap. 12.* & alii, ut animadvertit *Tagault. lib. 1. institut. Chirurg. cap. 2. & Reusner. de Scorb. exer. 1.* cum lue Venerea confundunt.

Causa morborum Pestilentium.

Subdivisio non pestilentium.

Causa variolarum & morbillorum.

Mentagra Plinii non est lues venerea.

V.

Ἔνδημοι ἢ ἐνδήμιοι communes ac perpetui cujusdam regionis morbi, ab aëre vel victu regionis proprio oriuntur, ita ut ratione perpetuitatis causæ, perpetuò plurimos invadant.

Unde βρογχοκήλη Alpinorum & Carnorum.

Patet hoc in βρογχοκήλῃ *Alpinorum & Carnorum*, quibus scrophulæ & strumæ circa collum efflorescunt, ex aquis medicatis, & potissimum hydrargyro scatentibus, quas bibunt, secundum *Langium lib. 1. Epist. 43.* quatenus hydrargyri virosa qualitas cerebri robur enervat, rheumatismis fauces & dentes fatigat, atq; tumores coagmentat, ut habet *Reusner. de Scorb. exer c. 4.* Item in *arthritide & podagra Marcomannorum & Austriacorum*, ob fœculentum tartarum, quo vina patria, quibus utuntur, maximè abundant: in *phthisi vel tabe Lusitanorum*, quam aëris dispositio respectu illius regionis perpetuitate quadam fovet, ut innuit *Fernel. lib. 2. de abd. rer. caus. cap. 11.* Imò & in aliis morbis ex communi causa perpetua plurimos unius regionis vel urbis homines simul afficientibus illud ipsum manifestum est. Plurimum enim ad morborum diversitatem, locorum, & regionum diversitas inservit, ob aëris, victusque mutationem, quam ob causam, *Hipp. attestante. 2. Epidem. sect. 1.* Cranon pestilentibus & putridis morbis maximè fuit infestata, quod in loco concavo & meridionali sita esset. Ita in locis palustribus ulcera capitis celeriter, crurum verò difficulter curantur, secundum *Arist. sect. 14. probl. 6.* qua ratione levia vulnera capitis *Bononiæ* lethalia conspiciuntur, quæ tamen *Romæ* facilimè curantur: & contra tibiarum vulnuscula vix Romæ curantur, quæ tamen Bononiæ facilem admittunt cosolidationem, attestante *Balduino Ronseo de Scorb. cap. 1.* eodem respectu, quo *teste Guidone*, capitis vulnera *Lutetiis* lethalia magis, quàm apud *Aveniones*, & contra apud hos tibiarum vulnera leviora quàm apud illos, propterea quod secundum *Paraum lib. 9.* Chirurg. Lutetiis aër frigidus & humidus, quæ constitutio cerebro & capiti inimica est: at apud Aveniones est ambientis aëris fervor major, quo humores liquefacti magis deorsum fluunt, unde vulnera crurum & tibiarum difficiliora redduntur. Notandum hic, quod morbus aliquis Endemius esse possit respectu unius regionis, qui tamen, quoad alias, ad numerum Epidemiorum, vel etiam σποράδων referri potest, quo dictæ præcedentes assertiones minimè labefactantur; propterea quod hæ differentiæ morborum non sint essentiales, sed accidentales, quia fieri potest, ut in regione quadam unus peste tantum pereat, ubi pestis revera adest, epidemia tamen dici nequit. Imò febris sudorulenta vel ὑδροπυρετος primum Endemius morbus Angliæ fuit, qui tamen postea peregrinando aliis Epidemius & contagiosus esse cepit, quemadmodum videre licet apud *Fracastorium lib. 2. de contag. cap. 5. Reusner. de Scorb. exer.* Eodem modo suprà dolores arthriticos Marcomannis endemios esse diximus, qui tamen in aliis regionibus huc illuc etiam vagantur, more νούσων σποραδικῶν.

Unde Podagra Marcomannorum Austriacorum?

Unde Phthisis Lusitanorum.

Cur Cranon pestilentibus morbis obnoxia?

Vide quid faciat locorum diversitas.

Cautela.

Sudor anglicus.

VI.

Ad morbos Endemios pertinet etiam Scorbutus, malum septentrionalibus regionibus maximè familiare, cujus tractationem in præsentia instituimus.

An Scorbutus sit morbus Endemius?

Quamvis enim Scorbutus avitos suos limites excedere, adeoque non solùm loca septentrionalia, sed insuper etiam peregrinando Misniæ, Silesiæ, aliisque tractibus innotescere incipiat; non tamen propterea, ex numero Endemiorum morborum in castra τῶν σποράδων cum *Salom. Alberto in histor. Scorb. thes. 32.* transponendus esse videtur, cum hac ratione nullus ferè morbus amplius endemius esset, propterea quod omnes illi morbi, qui quibusdam regionibus Endemii dicuntur, in aliis etiam locis ut plurimum sparsim inveniantur, quod patet in phthisi Lusitanis Endemia, quæ tamen in aliis locis jam hunc, jam illum invadit. Statuimus ergo Scorbutum Endemium esse morbum populis septentrionalibus, cum

Eugaleno lib. de Scorb. pag.3. Langio lib. 1. Epist. 42. & lib.2. Epist.13. attestante Olao Magno de region. Septent. lib.9. cap.38. & lib.16. cap.51. propterea quod in Dania, Norwegia, Hollandia, & reliquis finitimis locis communiter multos invadat, ob causam communem in dictis regionibus malum hoc foventem ac producentem, de qua postea pluribus agetur.

VII.

Etsi verò Scorbuti nomen recens & veteribus incognitum videatur, quatenus vel à Danico Schörbeck/ propter oris depravationem, vel à Belgico Schörbuyck/ ob ventris cruciatus, oritur, res ipsa tamen antiquis fuit notissima.

An Scorbutus morbus novus?

Quia verisimilis videtur opinio eorum, qui statuunt Scorbutum non esse morbum novum, propterea quod in antiquorum monumentis etiam descriptus reperiatur, quemadmodum primò apud *Hippocratem* manifestū est, qui morbum hunc *lib. de intern. affection.* exactè describit sub nomine *volvuli hæmatitis*, ut vult *Langius l.2. Epist.14.* his verbis: in hoc morbo accidit, ut ex ore malè oleant, à dentibus gingivæ discedunt, & à naribus sanguis profluit, aliquando ex cruribus ulcera pullulant, & alia senescunt, alia emergunt, & cutis extenuata nigrescit.

Volvulus hæmatitis Hipp. convenit cum Scorbuto.

Quamvis autem *Ronseus de Scorb. cap.4.* & ut *Sal. Albertus hist. Scorb. thes.169. Langii* assertionem improbet, propterea quod Hippocrates dictis verbis subjiciat, esse tales ægros ad ambulandum & laborandum promptos, quæ minimè conveniunt Scorbuticis: non tamen propterea contrarium statuendum, cum post *Foësium ac Dodonæum*, teste *Reusner. de Scorb. exerc. 1.* verisimile sit, græcum textum propter omissionem vocis οὐκ depravatum esse, ita ut mens Hippocratis sit, *minimè eosdem ad deambulandum & laborandum promptos esse*, quod vero videtur consentaneum, ubi præcedentia considerantur: quomodo enim ad ambulandum alacris esse potest ille, cui crura variis ulceribus scatent? Eundem morbum *Hippocratem* per magnos lienes etiam descripsisse quidam statuunt, juxta *Ronseum lib. de Scorb. cap.1.* ubi considerantur verbis, quæ in fine *lib.2. prædict.* habentur, ut & juxta *Reusner.* citato loco, ubi cognoscantur verba *Hippocratis lib. de inter. affect.* cum splenis morbos attingat. Sequuntur *Hippocratem Celsus l.2. de Re Medic. cap.6. Aretæus l.1. de caus. & sign. chr. c.14.* & alii antiquorum.

Magni lienes Hipp.

Plinius lib.25. natur. hist. cap.3. morbum per στομακάκην & σκελοτύρβην describit, ubi in exercitu Cæsaris Germanici novos affectus præter naturam ex potu fontis noxii citra Rhenum exortos fuisse dicit, in quibus potissimum dentes læderentur & crura vacillarent. Quò alludit amicus noster *Taubmannus* in Epigrammate, quod præmittitur libello de Scorbuto Salomonis Alberti, his verbis:

στομακάκη καὶ σκελοτύρβη.

> *Cæsar ut hoc legit* Germanicus *inquit; in orco,*
> *Serius; ô Salomon! quid juvat ista legi?*
> *Tunc tuus in lucem Scorbutus debuit edi,*
> *Cum meus ad Rheni flumina miles erat.*
> *In Latium poterat dentatior ille reverti,*
> *Et minus enervis cruribus ire domum.*

Quidam (quod *Forestus lib.20. observ.11. in comm.* cuidam celebri practico *Regnerio Snoy cum Blienburchio* attribuit) ab utroque symptomate, quod scilicet dentes & pedes potissimum afficiantur, morbo imposuerunt vocem crassâ & pingui Minervâ, ut inquit *Salomon Albertus*, compositam, quâ dicitur hoc malum *Gingipedium*, à gingivis & pedibus læsis. Communiter tamen *Scorbutus* vel *Schorbutus* dicitur, formato latino vocabulo vel à Danico Idiomate, quo malum hoc Schorbeck / hoc est, oris erosio, qua ratione quibusdam quoq; Schermund: vel à Belgico Schürbuyck / quod ventris torsionem atque rosionem significat, propterea quod in hoc morbo plerumque venter infimus cruciatibus torqueatur, ut annotat post *Wierum Observ. de Scorb. Salom. Albert. cit. lib. thes.39.* Sed ne diutius nominum aucupio tempus teramus, cum vulgo loquendum, & cum doctis sentiendum esse putamus, quam ob caussam ad Scorbuti naturam cognoscendam progredimur.

Gingipedium.

VIII.

Ut autem Scorbuti naturam rectius intelligamus, τὸ πρῶτον δεκτικὸν sive primum subjectum ejus inquirendum est, ubi Lien sese offert, qui Scorbuto præbet originem, propter functionem propriam peculiari modo depravatam.

Hoc ut eo melius cognoscamus, paucis *lienis verum usum* determinabimus, ne communem errorem cum pluribus erremus, qui lienem recipiendis & expurgandis crassis & melancholicis succis, à jecore genitis, & à sanguine separatis, dicatum esse volunt: aliud ac nobilius est visceris hujus officiū, nimirum αἱμάτωσις vel sanguificatio quædam, quod structura substantiæ & vasorum lienis non obscurè innuit, cum à jecoris compositione non admodum diversa sit, quo sensu fortassis ab *Aristotele* quoque lien rectè νοθὸν ἧπαρ dicitur lib. 3. *de part. an. cap.7.* Quod ergò plurimi cum *Galeno lib.2. de loc. affect. c.1. & alibi, cum Avicen. 1. fen. 1. d.4. c.1.* de receptione melancholici excrementitii humoris in jecore geniti affirmat, tanquam improbabile rejicimus, & cum *Alex. sect. 2. probl. Aretæo lib.1. de caus. & sign. Chron. Platero lib. 2. Tabul. Anat. Casp. Bauhino lib.6. Theatr. Anat. c.43. Reusner. 4. de Scorb.* sanguinis quandam præparationem lieni adscribimus, ut sit quasi jecur secundariū, unde mole ac magnitudine sua non raro alterum jecur refert, quemadmodum exempla *Fernelii lib.1. Physiol. cap.7. Ves. lib. Fab.5. c.9. Marcelli Donati hist. mirab. l.6. c.3. Schenckii lib.9. Observ. 91.* testantur, & sæpissimè vices epatis subit, quemadmodum factum fuisse verisimiliter statuit *Reusnerus* in virgine hydropica & cachectica, quæ per integrum biennium, ut refert *Coiter in Observ. Anatom. & Chirurg.* ante mortem hæmorrhagia narium copiosissima laboravit, quam non nisi venæsectione, compescere potuerunt, in qua tamen jecur albicans, tuberosum, inæquale, durum & exangue inventum fuit. At verò modus αἱμαλοποιήσεως illius ab omnibus eodem modo non determinatur, dum alii tenuissimum sanguinem, spiritus

Lienem non esse receptaculum excrementorum.

Verus usus lienis.

Quo modo lien sanguificet.

vitalis materiam, in splene præparari statuunt; ut vult *Franc. Vlmus lib. de lien.* alii humidiores & magis aquosas chyli partes in liene præparari, & in sanguinem converti volunt, ut ex *Reusnero de Scorb.* alii tandem, in quorum numero *Platerus, & Bauhinus,* chyli partem crassiorem à liene allici, sanguificationis causa, verissimè pronunciant, quam sententiam *lib. 1. Nobil. exer. de corp. hum. exerc. 6. quæst. 6.* approbavimus, & semel approbatam adhuc defendimus: Lienem videlicet nutritionis opus adjuvare, quatenus crassiorem chyli partem sibi familiaritate quadam attrahit, adeoque non solum per accidens jecoris αἱμάτωσιν reddit perfectiorem, sed insuper etiam sanguinem ex attracto chylo sibi & aliis partibus præparat. *Crassiorem* dico *chyli partem,* non ἁπλῶς sed κατά τι, nimirum in respectu illius materiæ, quæ jecori communicatur, ut ita nihilominus verum sit, lienem ἐκ τῆς κοιλίας τὰς ἰκμάδας τὰς περισσάς, ex ventre aquositates abundantes attrahere, secundum *Aristotelem loco citato & Hippocratem 4. de morb.* quatenus crudiores chyli partes potulenta materia magis diluuntur, ejusdemque adjumento spleni communicantur. Nam quamvis terrenæ, crassæque chyli partes citra enorme obturationis discrimen à liene attrahi nequeant, non tamen illud procedit de partibus terrenis & crassis in statu secundum naturam beneficio aquosæ potulentævè materiæ dilutis, quod ex subsequentibus magis patebit, Determinato jam usu lienis, consequenter demonstrandum, qua ratione viscus hoc suâ functione læsâ Scorbuto præbeat originem.

IX.

Hæc functio depravata linis consistit in μολύνσει; hoc est, in minus rectâ elixatione, vel concoctione appropriati alimenti, unde consequenter Scorbutus oritur.

Nam quemadmodum reliqua nutritionis membra per alimentorum concoctionem toti corpori serviunt; eam videlicet similitudinem alimentis introducendo, quæ partium substantiæ respondere possit, cum nutrimentum non nisi homogeneum in partium naturam convertatur, *juxta Philosophum l. 2. de anima,* sic etiam lien ἑψήσει sua toti quoq; prospicit ichorosas videlicet & crudas chyli partes attrahendo & elaborando, quâ ratione non tantum jecoris αἱματοποίησιν nobiliorem reddit, sed insuper etiam ipse sanguinem, sibi, partibusque vicinis, conficit & præparat. Ubi verò dicta operatio depravatur, ita ut loco ἑψήσεως fiat μόλυνσις, non solum crudiores & ichorosæ chyli partes non coquuntur, sed insuper etiam præter naturam depravantur, & jecoris aliarumq; partium nutritioni dicatarum concoctionem perturbando, varia nutritionis symptomata, specificam quandam corruptionem consequentia, producunt, adeoque Scorbutum generant.

Margin notes: ἕψησις lienis. — Μόλυνσις lienis.

X.

Est igitur causa Scorbuti antecedens interna crudus & ichorosus sanguis in toto corpore, potissimum tamen in hypochondriis non quantitate solâ, sed specificâ quadam corruptione peccans, ob μόλυνσιν, ex imbecillitate lienis provenientem collectus.

Plurimi quidem Scorbuti causam internam proximam, copiam humoris lutulenti, crassique Melancholici solius, vel etiam cum aliis misti statuunt, quæ circa lienem & jecur, atque in ipsis venis abundet, quemadmodum colligitur *ex Wiero observ. de Scorb. Echtio in Epist. de Scorb. Salom. Alberto hist Scorb. Th. 16. Ronsæo lib. de magn. lienibus cap. 2. Eugaleno lib. de Scorb. pag. 3. Forest. lib. 20. observ. 11. Langio lib. 2. Epist. 13.* eâ tamen additâ cautelâ, quod humor hic morbo Scorbutico familiarem corruptionis formam primum subeat, quâ adjacentia, vicinaque viscera (ut inquit *Eugalenus*) sua, vel substantiâ, vel contactu, vel qualitate & fumis depravat, naturalem eorum temperiem corrumpendo, donec in contagii communionem consentiant, & ad receptam semel infectionis labem, alimenta superingesta commutent; vitientque similem corruptionis formam iis imprimendo, quemadmodum à tenuibus & aqueis humoribus corrumpi alimenta in hydrope, atque à specificâ & propria cuique corruptionis forma in Elephantiasi, morbo Gallico & similibus videmus. Sed omni dubio præsens assertio non caret, propterea quod hypothesin falsam à veteribus quibusdam ex ignorantia rerum anatomicarum petitam, à recentioribus contra rationem propugnatam præsupponat, quod videlicet lien sit receptaculum melancholici succi excrementitii, in jecore à sanguine separati, eo modo, quo vesicam bilariam χολὴν sive bilem flavam recipere videmus, quam opinionem tanquam improbabilem paulò ante rejecimus. Adde quod autores ipsi, quorum mentionem fecimus, adhuc aliquo modo dubitare videantur, dum innuunt crassos, & melancholicos humores abundantes ad producendum Scorbutum ineptos esse, nisi peculiaris & specifica quædam accedat corruptio, cujus proprietatem nullus declarat aut aperit. Alii quorum mentionem facit *Albertus de Scorb. thes. 67. & seq.* quos sequitur *Reusnerus lib. de Scorb. exerc. 4.* proximam causam internam Scorbuti statuunt aquosos & serosos humores, tenuitate potius, quàm crassitie præditos, ex illo fundamento, quod ipsis lien sit receptaculũ abundantis potulentæ materiæ, quæ propter lienis dispositionem p. n. non justo modo alterata, & à sanguine separata Scorbuto præbeat originem. Verùm cum in hac opinione, *tàm respectu antecedentis* (quatenus verus lienis usus attractio potulentæ vel aquosæ materiæ simpliciter sic dictæ statuitur) quàm *ratione consequentis* (prout symptomata Scorbuti ex natura aqueæ materiæ superabundantis deduci nequeunt) salvâ veritate acquiescere nequeamus. Idcirco ponimus *causam proximam Scorbuti esse sanguinem crudum & ichorosum, specificâ quadam corruptione peccantem,* qui in corpore humano, potissimum circa viscera nutritionis, ob depravatam lienis operationem, colligitur. Dico *sanguinem crudum:* quia per lienis affectum p. n. crudiores chyli partes à sanguificatione jecoris non avertuntur, unde primò sanguis in venis jecoris & lienis depravatur, alienæ materiæ commistione, deinde jecoris

Margin notes: An Melancholici succi abundantia sit causa Scorbuti proxima? — An Scorbutus oriatur ab aquosis humoribus? — Vera causa Scorbuti proxima. — Cruditas.

jecoris αἱμάτωσις impeditur, ratione objecti minus rectè dispositi, quatenus chylus ob læsionem lienis justo modo non depuratur. *Addo sanguinem crudum & ichorosum*, quatenus videlicet crudiores, & per consequens crassiores chyli partes, ichore vel sero superabundante diluuntur, & hanc ob causam eò facilius cum sanguineâ massâ commiscentur. Porrò *specificâ quadam corruptione peccantem* subjicio: non enim fieri potest, quin illa materia cruda, & ad alterationem sive concoctionem perfectam inepta, qualitates acquirat alienas, partim ex materiæ suæ, nimirum alimentorum antecedentium, conditionibus, partim respectu causæ efficientis imperfectè agentis, quatenus loco ἑψήσεως vel veræ elixationis fit μόλυνσις, unde materia magis ad putrefactionem disponitur. Quemadmodum verò lienis & jecoris operationes officiales sunt, nec sibi solum, sed toti corpori prospiciunt, ita earundem læsiones toti quoque obesse possunt, quapropter diximus sanguinem ejusmodi in humano corpore colligi, non negando majorem illius abundantiam circa viscera concoctionis, tanquam in fonte & origine sua coacervari. Hæc omnia non incommodè fortassis ex Hermeticorum quoq; principiis demonstrantur, juxta quos alimentorum concoctiones hoc modo declarantur. Primùm alimenta ventriculo, recepta virtute Mechanicorum spirituum secundum scientias (hoc est, proprietates) trium principiorum, salis videlicet, sulphuris & Mercurii, ventriculi essentiam constituentium, resolvuntur & miscentur, ut balsamus illorum humanæ naturæ consentaneus reddatur, *quemadmodum habet Reusnerus*, primâ puri ab impuro separatione factâ, juxta *Quercetan. in defens. Her. cap.* 18. *lib.* 1. *item in Tetr. cap.* 10. fæcibus, videlicet, sulphuris fætidi, tartarique mucilaginosi impurioris, ad nota diversoria depulsis, ut habet *Petr. Severinus lib. Idea Med. cap.* 11. quâ ratione chylus conficitur, qui cum nondum eam habeat similitudinem, ut balsamum nostrum reficere possit, ideo jecori tanquam sanguinis officinæ communicatur, partibus ichorosis & melancholicis, adjumento lienis, aversis & separatis, ubi εὔχυμος ille succus, sanguis videlicet, producitur, rejectis sulphureis, tartareis ac mercurialibus excrementis partim per vesicam bilariam atque meatum χολήδοχον ad alvum, partim renibus mediantibus ad vesicam urinariam, ubi interim lien suum præstat officium in alterandis, & in sanguinem quoq; concoquendis ichorosis & melancholicis chyli partibus, acetosis & ponticis qualitatibus salis vitriolati & aluminosi naturam referentibus, præditis, quarum ratione rara & spongiosa splenis est substantia, eo modo, quo acido fermento panis levior ac spongiosus redditur, qui aliàs densus & ponderosus esset, *ut inquit Quercetanus in Tetrade cap.*7. Talis est apparatus concoctionum in sana corporis constitutione pro sanguine justo modo conficiendo, qui vitiatur, in Scorbuto propter lienis depravatam functionem, quam ob causam crassiores & melancholicæ chyli partes primùm: in venis splenicis & mesentericis, consequenter etiam in jecore ac reliquis partibus abundant, & αἱματοποίησιν depravatam reddunt, eâ ratione quatenus materia crassa melancholica, quam tartaream, vitriolatis & aluminosis qualitatibus præditam esse dicunt, multo ichore diluta cum sanguine commiscetur, cujus respectu sanguis præter naturam crudus & ichorosus redditur, quatenus impurum hoc tartarum ichorosâ materiâ dilutum cum sanguinis materia unitur, unde postea symptomata Scorbutica prodeunt, quam primum illa materia tartarea in sanguine putrescere, & per consequens ab aliis partibus laudabilibus separari incipit, ubi per resolutionem atque coagulationem sibi convenientem jam hæc, jam alia producit accidentia, quemadmodum in subsequentibus, cum varia Scorbuti signa ex causis suis deducta fuerint, liquidò apparebit. Quî autem fiat ejusmodi lienis imbecillitas consequenter monstrabimus, ut ita non solum proximam, sed etiam remotiores Scorbuti causas intelligamus, cum ad has etiam in curatione Medicâ diligentissimè respiciendum sit.

Ichor.

Corruptio.

Quomodo causa Scorbuti deducatur ex principiis Hermeticis.

XI.

Talis lienis imbecillitas potissimum à visceris hujus infectione & obstructione, à crudis humoribus melancholicis facta, oritur, estque nativa, vel adscititia.

Hinc patet qualis sit lienis imbecillitas, nimirum infectio substantiæ, & obstructio meatuum ejus, à crudis melancholicis humoribus, hoc est, ab ejusmodi crudiore chyli parte, peculiari labe corruptionis infecta, cujus respectu non tantùm lienis attactio impeditur, ut superfluitates chyli crudiores perfectè non amplius attrahantur, sed insuper attractæ, vicinioresque partes simili corruptione inficiantur, propter μόλυνσιν, quam loco propriæ & perfectæ concoctionis lien imbecillior producit. Verùm lienis dispositio præter naturam diversam obtinet originem: partim enim à parentibus propagatur in filios, adeoque nativa dicitur, partim adscititia est, maximaque ex parte à causis externis oritur.

διάθεσις lienis p. n. in Scorbuto.

XII.

Nativa dispositio Scorbutica lienis à parentibus in filios propagatur per semen potissimum, quod ad generationem conferunt crudum & imperfectum.

Quemadmodum enim semen ad omnes partes generandas δύναμιν obtinet, quatenus ex sanguine & spiritu, tanquam iis, quæ cedunt in substantiam omnium partium totius corporis producitur; *sicuti lib.* 1 *Nov. exerc. de corp. & an. exer.* 1. *quæst.* 2. demonstravimus; ita fieri potest, ut morbi quarundam partium ad posteros propagentur, illi potissimum, quorum labes semine mediante filiis communicari potest, quod ex Hermeticorum schola sic determinatur: primò seminis materia in balsamo vel vitali sulphure totius generatur, quæ paroxysmo suo turgescens florem emittit, verum videlicet semen, quod spiritus Mechanicos totius anatomiæ potentes continet, atque in testibus & cognatis membris elaboratum conservatur, donec in consentaneo generationis diversorio concipiatur, ubi scientiæ in ipso latentes ordinatè explicantur, ut omnium membrorum multitudo ex

Unde sint morbi hæreditarii?

Responsio communis.

Sententia Hermeticorum.

uno semine exeat, quatenus videlicet omnes partes non mole, non multitudine, sed donorum varietate, quâ pollent mechanici spiritus, ipsi semini insunt, ut post *Paracelsum* & antiquiores disserit *Reusnerus lib. de Scorb. exerc.6.* Quod si fiat, ut semen alienis morbosis tincturis inquinetur, unâ cum productione partium principia morborum quoque propagantur, quæ fuerunt in typo generante, non quidem omnium, sed eorum tantum, qui fixas obtinent radices; ut sunt *morbi tartarei*, calculus, arthritis, lepra & alii, quia morbi Sulphurei & Mercuriales, febres videlicet, inflammationes; catarrhi & similes posteritati non facilè communicantur, quod semina sua firmiter fixa non habeant, *Querc. cons. de Arthrit. & calc.*

Cur morbi alii aliis facilius à parentibus ad posteros propagentur.

Non tamen calculosus semper calculosum generat, vel quia semina morbi, balsami humani anatomiam nondum potenter occuparunt, vel quia seminum efflorescentiis radices morbi expugnantur, vel quia potestate naturalis balsami in utero peregrina morborum rudimenta superantur, vel quia ad terminum sterilitatis morborum semina pervenerunt, ut habet *Petr. Severinus lib. Ideæ c.12.* Hæc ad Scorbuticos accommodabimus, qui posteris quoque malum hoc communicant, eâ ratione, quatenus semen producunt impurum, cujus respectu viscera concoctionis, potissimum tamen lien imbecillior generatur, ita ut ad officium suum præstandum non omni ex parte sufficiat: Vel juxta Hermeticos, parens Scorbuto laborans morbum ejusmodi σύμφυτον proli communicat, quatenus tartarum Scorbuticum, materia videlicet Scorbuto propria, in sanguine & ipsis partibus radices fecit, & longa digestione corporum conjugia lenta contraxit, ut nulla virtute Balsami innati resolvi possit; unde postea tinctura ejus noxia semini communicatur, eique firmiter imprimitur, ob firmam unionem quam habet cum sanguine & Spiritu, quæ efficaces seminalium virtutum naturas imitatur, & digestis maturitatum & exaltationum temporibus ex invisibilibus thesauris morbos parentum in sobolis corpus promovet, accidentibus potissimum aliis causis externis adjuvantibus, quæ in adscititia imbecillitate, morbo huic specificâ, producenda locum habent, de quibus consequenter dicendum.

Cur calculosus non semper calculosum generet.

Cur Scorbutus propagetur in filios.

XIII.

Adscititia debilitas lienis & consequenter jecoris, aliarumque partium in scorbuto à rebus non naturalibus dictis oritur, in quibus causæ Scorbuti remotiores quærendæ, ubi primò aër ambiens crassus & squalidus ponitur.

Hunc ad generationem Scorbuti plurimum inservire, *Albert. lib. de Scorb. thes.44. Eugalen. de Scorb. pag.2. Reusnerus de Scorb. exerc.4. pag.157. Wierus in consil. de Scorbuto* rectissime statuunt, quatenus eodem humores confunduntur, spiritus inficiuntur, corpusque deses & elumbe redditur: hinc in uliginosis locis lienes excrescere scribit *Hipp. lib. de aëre aq. & locis*; *& Aëtius Tetr.3. ser.2. cap.7.* unde *Ronsæus lib. de magn. lienib. cap.5.* talium locorum inhabitatores Scorbuticis affectionibus maximè obnoxios esse statuit, cui subscribit quoque *Stegghius lib.4. Med. pract. cap.13.* dum inquit: Scorbutum locis aridis ignotum, paludosis frequentem esse. Hinc etiam *Olaus Magnus in Septentr. gent. hist. lib.16. cap.51.* Scorbutum frigida murorum exhalatione foveri scribit, qui tamen eodem attestante, intra tabulata mitescit. Hoc posito non negamus aërem calidum interdum etiam ad Scorbuti generationem inservire, sed per accidens, ut vult *Echtius in epit. & Forestus lib.2. obs.12.* quatenus tenuiores humores absumit, adeoque κατὰ συμβεβηκὸς sanguinem incrassat. Patet igitur loca maritima, lacustria, uliginosa, inquinamenta & exhalationes continuò expirantia, tum propter situm naturalem, tum etiam propter exundationes & maris reciprocationem, Scorbuti generationi inservire, potissimum autumnali & verno tempore. Non ergo mirum, quod civitatibus maritimis, Hollandis, Danis, Frisiis, aliisque malum hoc Endemium plerunque sit, cum non solum ejusmodi aërem continuò attrahant, sed insuper etiam consueto victu dicto morbo præbeant originem, ut ex sequentibus patebit.

Cur aër crassus & squalidus faciat ad Scorbutum.

Quomodo aër calidus ad Scorbutum faciat?

XIV.

Post aërem victus ratio consideratur, quæ plurimum facit ad Scorbuti generationem, ubi cruda crassa & fœculenta est.

Nam sicuti victu convenienti natura nostra conservatur aliquandiu in hac vitâ, quatenus eodem id restituitur, quod perenni substantiæ fluxu consumitur, adjuvante nutritione, quâ nutrimentum in partium substantiam convertunt, quemadmodum *lib.2. de corp. & anim. exerc.3. quæst.6. cum Thomâ, Alberto, Scoto* & aliis contra *Lombard. lib.2. dist.30.* demonstravimus, mirabili modo restituitur, & immaturus hominum interitus præcavetur, prout absurdum non est: vitam nostram bona diæta prolongari posse, sicuti probavimus *l. dict. exerc.4. quæst.11.* Ita manifestum est, alimentum inconveniens non tantùm ad nutritionem ineptum, propterea quod destituatur illis conditionibus, quæ in principiis conservantibus requiruntur, de quibus *Vid. lib.1. de corp. & anim. exerc.3.* Sed insuper etiam maximè noxium esse, quatenus partium naturam corrumpit, & consequenter omnes operationes depravatas reddit, quod pro diversitate peccantis materiæ diverso modo accidit. Hac ratione propter victus rationem melancholicam *Gal. lib.2. de ar. curat. cap.11.* plurimos in Alexandria concurrente regionis fervore Elephantiasi corruptos fuisse testatur, & *Hippocrates lib.6. de morb. vulg. sect.4. §.11.* in Aeno, inquit, qui continenter leguminibus vescebantur, tum mares, tum fœminæ, crurum impotentiâ conflictabantur, in eaq; perseverabant, & qui ervo in cibum utebantur, ex genuum dolore laborabant. Non ergo mirum, quod Scorbuti generationem plurimum adjuvet victus ratio, præsertim talis, quæ causam internam proximam fovet & auget. Ut primum de cibis dicamus, *Scorbutum generat & alit panus nauticus bis coctus*, minus à furfure liberatus, vel ad solem arefactus, vel ad perennitatem persumatus, adeoque vetustate

Alimentis convenientibus natura nostra conservatur.

Depravatum alimentum varios producit morbos.

Victus Scorbuto prætalis bens originem.

Panis.

vetustate induratus & submucidus, qui deterior adhuc redditur, ubi secale corruptum, inveteratum, aut pulvio tempore collectum, neque ut decet, arefactum est, ut inquit, *Sal. Albert. de Scorb. thes.* 54. Pani succedunt *carnes*, taurinæ, arietinæ, hircinæ, quas *Galenus lib.* 3. *de loc. affect.* in numero melancholicorum alimentorum recenset, quando videlicet annosæ, nimis exuccæ & permacræ sunt, ita ut laudabilem sanguinem generare nequeant, potissimum tum temporis, ubi infumantur, & quodam rancore inficiuntur, quam ob causam huc etiam pertinet lardum, præsertim ubi crudum devoratur. *Pisces* porrò huc pertinent fumo indurati, scilicet lacustres & marini, quod ex iis etiam crassus crudusque generetur sanguis. Inter *avium genera* locum hunc augent *volucres*, quæ in stagnis & paludibus vivunt, quarum carnes excrementitiis humiditatibus abundant, unde difficulter coquuntur. Imò & *Brassica* cum lente, aliaque pleraque legumina, præsertim uliginosis locis reposita, & crasso modo præparata, Scorbuti causam conjunctam augent, cum ipso *Galeno teste lib.* 2. *aliment. facult. cap.* 44. paucum alimentum & copiosum, crudumque excrementum præbeant. *Caseus* item, videlicet *antiquus*, qui juxta *Galenum lib.* 3. *de alim. facult.* 17. ad melancholici humoris generationem plurimum inservit, in præsentia minimè omittendus est. Inter potulenta secundum *Galeni* sententiam huc referri possunt *Vina crassa*, quæ, ut idem habet *libr.* 3. *de alim. facult. cap.* 40. corpori alendo tenuibus sunt præstantiora, sed facilimè obstructiones viscerum pariunt, quam ob causam, eodem attestante, ad urinam ciendam deteriora sunt, propterea quod crasso sangine venas infarciant, ut habet idem *Galen. lib. de vict. atten. cap.* 12. quod maximè præstant, ubi *pendula* simul sunt, germani nostri Zehe vocant, ubi scilicet ob impuri tartari ebullitionem lentorem quendam contraxerunt. Imò & *aquea immatura vina* plurimo phlegmate insipido, copiosoque tartaro fœculento prædita, Scorbutum augent, quatenus sanguinem aquosum & fœculentum reddunt. Maximè tamen in præsentia *Cerevisia* consideratur, nobis in Germania familiaris, quæ malum hoc admodum fovet, ubi cum pauco lupulo confecta qualitates eas acquirit, quas eidem *Dioscorides lib.* 2. *cap.* 29. tribuit, ita ut præter alia nocumenta flatus, malosque in corpore humores accumulet, quæ aliàs additione lupuli salictarii corriguntur, qui aperiendo, abstergendoque crassitiem, obstructionis causam, corrigit, adeoque sanguinis defœcationem, excrementitiarum partium separatione, adjuvat. Porrò plurimum interest, num rectè præparetur maltum, ex quo cerevisia coquitur, tum maceratione, tum etiam digestione & exiccatione, quò flatulentæ qualitates deponantur, & verus spiritus nutriens ab impedimentis corporeis aliquo modo liberetur: ubi contrarium accidit, impurior cerevisia coquitur, quæ qualitatem acquirit deteriorem, & cruditates atque obstructiones intensius generat: ubi ad satietatem defervere non permittitur, & crassioris lixivii nuper fusi faciem referens, uti inquit *Reusner. de Scorb. exerc.* 2. remanet, unde sedimentum cerevisiæ tartareum, aquositate ejus dilutum, simul hauritur, & concoctionum officinas malignitate sua inficit. Sed præter dicta requiritur etiam aquæ copia in cerevisia conficienda, cujus qualitates hic minimè negligendæ, cum teste *Plinio lib.* 25. *natur. histor. cap.* 3. nec bestiarum scelera ad nocendum sola sint, sed aquarum quoque & locorum, quod exercitus Germani Cæsaris expertus fuit, cui ex potu fontis cujusdam aquæ dulcis in tractu maritimo dentes corrupti, compagesque crurum resoluta fuit. Quò igitur aquæ graviores, crassiores & impuriores, eò magis ad Scorbuti generationem faciunt, sive potæ per se, sive ad coctionem cerevisiæ usurpatæ. In his consistit illa victus ratio, quæ causam & originem Scorbuto præbet, ea ratione, quatenus excrementitias humiditates serosas & melancholicas copiosè generat, viscerum operationes impediendo, sanguinemque lentum & crassum producendo. Cum autem talis victus ratio frequens sit in Septentrionalibus locis, in promptu causa est, cur Hollandis & finitimis Scorbutus frequenter accidat, cum præter aëris dispositionem, de qua diximus, ea, quæ de alimentis proposita fuerunt, optimè huc quadrent, quemadmodum *Ronsæus de magn. lien. cap.* 5. qui Reipubl. *Gaudanæ Batavorum* ordinarius fuit Medicus, ipse inquit: satis enim superque notum est, eosdem cibis nimis quam melancholici succi vesci: nam præter aquaticas volucres, quarum apud ipsos (Hollandos) quotidianus est usus, etiam fumum, si dicere liceat, deglutiunt, dum bubulas carnes (sicuti in septentrione nostra fieri assolet.) sale prius conditas fumo exponunt, atque easdem usu exigente comedunt: ferculum, me hercule, si quod aliud, melancholico succo materiam suppeditans. Nam etiamsi quam maximè boni succi sit, quod fumo asservatur, perfumatione, ut sic dicam, aliam quandam naturam induit, atque innato succo orbatum, atri humoris causa efficitur. Verum in eadem Hollandia multò periculosius & frequentius Scorbuto afficiuntur illi, qui Alcmariam, Amstelrodamum & vicina loca inhabitant, minus verò & rarius qui Gaudam & Roterodamum incolunt, quamvis eodem utantur victu, ac sub eodem propemodum climate versentur, quod *Ronseus* observavit, illudque in *Epist. ad Hadr. Iun.* retulit ad lacustrem & palustrem loci naturam circa Alcmariam & vicinas civitates, quam supra plurimum spleneticis affectibus generandis inservire posse diximus. Simile nos ipsi in *inferiora Saxonia*, *veterique Marchia Brandenburgensi* observavimus, ubi malum hoc omnibus etiam notissimum est, ita tamen ut in quibusdam locis rarius & levius in aliis verò frequentius & periculosius inveniatur, præsertim ubi non tantum crasso illo victu superius denominato, sed insuper etiam cerevisiis minus depuratis ac recentibus frequenter utuntur, accedente loci dispositione palustri & uliginosâ. Hanc ob causam superiori anno, cum in veteri Marchiâ Medicinam factitaremus, frequentissimos Scorbuticos *Soltquellæ*, pauciores in aliis locis vicinioribus eodem victu cum his aliàs utentibus invenimus, propterea quod civitas illa in loco omnino palustri, & uliginosa sita, præter victum, quem cum aliis Septentrionalibus communem habet,

Caro. *Pisces.* *Volucres.* *Brassica, & legumina.* *Caseus.* *Vinum.* *Cerevisia.* *Aqua.* *Quomodo dictæ causæ Scorbutum generent.* *Cur in Hollandia frequens Scorbutus?* *Cur uno in loco ejusdem regionis magis, alio minus sævire solet Scorbutus?* *Cur circa Soltquellam veteris Marchiæ Brandenburgicæ inhabitatores ad morbum Scorbuto obnoxii.*

habet, cerevisia crassâ, minusque depuratâ (Soltmann vocant incolæ) gaudeat, quam vix refrigeratam & ferè calidam adhuc, pauco lupulo, sed pluribus fœcibus, ob denegatam effervescentiam & depurationem, constantem, plerique non tantum sitis restinguendæ causa, sed instar nectaris Deorum, ut inebrientur, quotidiè plenis buccis hauriunt. Ex dictis patet, quænam potissimum esculenta & potulenta constituant diætam illam crassam & fœculentam, quæ Scorbuti generationi inservire potest, quatenus eâdem primò lienis officina labefactatur, ut crassior, melancholica & tartarea chyli pars, aquositate ejus diluta perfectè non attrahatur, nec attracta justo modo alteretur, unde consequenter sanguis, ejusque officina primaria jecur, inficitur, & Scorbuti symptomata producuntur.

XV.

Porrò corporis exercitia vel nulla, vel intempestiva, ut & consuetarum evacuationum suppressiones ad Scorbuti generationem inserviunt.

Noxa otii. Noxæ intempestivi exercitii.

Ut enim ignavo, supinoque otio calor nativus obruitur ac suffocatur, indeque consequenter cruditates oriuntur, quæ Scorbuticis affectionibus in corpore disposito facilimè præbent originem, ita corporis intempestivum exercitium calorem, omnis concoctionis autorem, ab opere suo avocat, hinc alimentorum alterationes impediuntur, ipseque sanguis impurior ob relictas partes excrementitias redditur, unde postea Scorbutus generatur.

Consueta evacuatio denegata causa Scorbuti.

Fit hoc eò citius, ubi consuetæ evacuationes supprimuntur, ut sanguis excrementitius in corpore remaneat, sive illud fiat in fœminis ob menstruas purgationes denegatas, aut imperfectas, sive in viris quibusdam, senioribus potissimum, ob fluxum hæmorrhoidum aliàs consuetum, ac certis temporibus redeuntem, naturæque familiarem, præter solitum suppressum, ut inquit *Wierus obs. de Scorb. Sal. Albert. in hist. Scorb. thes. 56. Eugalenus de Scorb. p. 2.*

XVI.

Tandem ut somno immoderato Scorbuti causa fovetur, ita contra nimiis vigiliis eadem quoque exacerbatur, præsertim tunc temporis, ubi mœror & tristitia accedunt.

Somnus immoderatus noxius.

Etsi somnus insignes ac plurimas utilitates humano generi præstet, dum teste *Ægineta lib. 1. de re Medic. cap. de somn.* cibos concoquit, dolorem mitigat, lassitudines lenit, &c. ut non immerito *Seneca in Tragœd. Hercul.* domitor malorum, requies animi, parsque humanæ melior vitæ, nominetur: non tamen approbatur, nisi moderatus, propterea quod somnus immoderatus crudos succos in corpore augeat, & viscera graviora reddat, secundum *Galenum lib. 12. Meth. Med. cap. 3.* Unde manifestum est, cur malum Scorbuticum augeatur in iis, qui somnum Endymionis dormiunt, cum ejusmodi somnolentia calorem nativum obruat, ut ad separationem ac depurationem alimentorum sufficiens esse nequeat. Contrà, quamvis vigiliæ somno meritò præferantur, quarum encomium elegantissimum his verbis *Querc. in Diætet. polyhist. sect. 9. cap. 9.* repetit:

Luce vigent operosæ artes, it miles in arma,
Luce, gemunt fessi sub juga luce boves.
Delia non noctu venatur: nocte quiescunt
Pulpita: sed luce est docta Minerva vigil.
Luce minax Pallas: vigilata quot bona lucis.
Corpora, Dî, Sensus, Ingenium Arsq; vigent:

Excessus vigiliarum minimè convenit.

Non tamen illud ipsum de vigiliis excedentibus intelligendum: has enim Echtius in Epitom. de Scorb. causis Scorbuti annumerat, nec immeritò, propterea quod per eas desiccatione τὸ θερμὸν ἔμφυλον debilitetur, ut innuit *Galenus lib. 3. de caus. puls.* unde nimiis vigiliis facultates naturales depravantur, ut crudorum & malignorum humorum oriatur copia. Quod si *mæror & tristitia* dictas vigilias comitentur, mirum! quâ celeritate causa morbifica foveatur & adolescat, ita ut *Eugalenus* dicat: quos cum crassiore victus ratione diuturnior mœstitia exercuit, de his ægrotantibus constanter semper prædicere ausus fui, eos à Scorbuto morbo, vel aliis permixto teneri.

Noxa tristitiæ.

Magis enim, *D. Thomâ 1. secundæ sum. 1. quæst. 30. art. 4. Vallesio de sacr. Philos. cap. 72.* attestante, quam nulla alia affectio valetudini corporis & animæ tristitia nocet, unde rectè *Eccles. cap. 20.* tristitiam non des animæ tuæ, & mœrorem longè abs te depelle: multos enim occidit tristitia. *Et Salom. prov. 12.* tristitia cordi nocet, &c. exiccat ossa, *Prov. 17.* & Spiritum in nobis dejecit. *Prov. 15.* Verum igitur, quod *Querc. habet in diæt. Polyhist. s. 1. cap. 9.* quod tristitia è forti meticulosum, è vivido segnem torpidumque faciat: ut enim vermis lignum, *Isodoro teste*, vestimentum tinea sensim devorat, ita tristitia cor hominis exedit. Hinc diuturnâ tristitiâ affectis vultus lividus, facies consternata, concavis oculis prædita, pulsus tabescentium instar debilis, lien turgidus, venter flatuosus, &c. quæ omnia ex innato calido suppresso ac ferè suffocato prodeunt, unde omnes operationes corporis, præsertim concoctiones, læduntur, quod ex iis signis apparet, quæ ab *Aëtio tetr. 3. serm. 2. cap. 17.* enumerantur.

Tristitia quomodo generet Scorbutum.

Quo posito, manifestum est inter alias affectiones tristitiam Scorbuti generationi plurimum inservire, quatenus conjunctam causam auget & fovet; crudum glutinosumque succum circa viscera nutritionis coacervando. Patet hoc modo, qua ratione causa Scorbuti proxima, quam supra determinavimus, ab aliis remotioribus producatur & foveatur: jam consequens est, ut nos convertamus ad ea, quæ instar symptomatum cum Scorbuto connectuntur, ad ejusque cognitionem tanquam signa inserviunt.

XVII.

Principium Scorbuti sicuti longum, ita cognitu difficile est, teste Foresto; artificiosâ tamen conjectura colligitur ex lassitudine spontaneâ, sensatione gravitatis, potissimum circa culinam, pectoris angustiâ, difficili respiratione, præsertim inter labores, & urinâ plerumque crassâ & alba.

Quem-

Quemadmodum enim morbus factus distinguitur ab eo, qui est adhuc in fieri, qui sublata causa effectrice permanentem dispositionem non obtinet, *teste Galen. lib.1. de loc. affect. cap. 2.* sic etiam principium morbi non eadem ratione, ut status ejus, innotescit. Quod maximè in Scorbuto patet, cujus principium difficulter cognoscitur, propterea quod signa allata, maximâ ex parte communia non Scorbuto tantùm, sed aliis etiam affectibus convenientia videantur. Addimus autem artificiosa conjectura ex signis illis Scorbuti principium colligendum esse, quatenus videlicet illa symptomata cum suis causis & natura subjecti diligenter conferuntur. Eò igitur ante omnia respiciendum, an is, cui talia symptomata accidunt, parentes habuerit Scorbuto laborantes, an naturâ sit spleneticus, an sit in regione, cui malum hoc endemium, an crassa victus ratione utatur & similibus. His diligenter consideratis, ipsa symptomata perpendenda, num pleraque concurrant & ex causa Scorbuti conjuncta deduci queant. Offertur autem primo loco *lassitudo spontanea*, at non omnis, sed illa potissimum, quam *Galenus lib.2. de sympt. causs. cap. 5.* tensivam vocat, ubi corporis moles quasi tendi videtur, propterea quod ichorosa, impuritatibusque diluta materia cum sanguine commista, non tantum venis, verum etiam habitui corporis, ipsis videlicet musculosis partibus communicetur, quarum vires magnoperè aggravari necessum est: propterea quod ejusmodi materia morbifica cum sanguine commista in substantiam partium converti nequeat, ut habet *Reusnerus de Scorb. exerc. 5. Sal. Albert. de Scorb. thes. 81.* unde consequenter αἴσθησις vel sensatio *gravitatis* oritur, (quam primo loco numerant Echtius & Wierus) maximè circa viscera concoctionis, quatenus impeditâ lienis attractione crudi humores in venis & præcordiis, ac postea in toto corporis habitu cumulantur, unde propter alimentum adæquatum cujusque partis depravatum completâ perfectâque nutritione corpus nostrum destituitur: at quomodo virium robur absque justa nutritione conservabitur? Porrò *pectoris angustiam* posuimus, quæ fatigat ejusmodi ægros, propterea quod ob copiam humoris in hypochondriis distentis, collecti, respectu vicinitatis, phrenes & organa spiritualia simul urgeantur, quatenus artificiosa corporis dissectione attestante lien & membra adjacentia diaphragma, totumque pectus per συμπάθειαν facilimè afficiunt: quam ob causam *difficilis respiratio* quoque succedit, quam ad Dyspnæam, Asthma vel Orthopnæam propriè loquendo reducere non possumus, cum in his organa respirationis primariò tantùm angustia quadam præter naturam laborent, ut patet ex *Galeno lib. 1. de diff. respir. cap. 11.* Atqui Scorbutici difficulter respirantes nihil de pectore conqueruntur, sed affectum locum, ubi gravamen sentiunt, & cujus causa cum difficultate respirare coguntur, sub diaphragmate ad ventriculi regionem monstrant, quemadmodum præter experientiam *Eugaleni lib. de Scorb. p. 7.* nos ipsi in multis Scorbuticis observavimus videlicet, quatenus ibidem materia turgens diaphragma comprimit, ob lienis vicinarumque partium distensionem, quod ipse *Galen. etiam citato loco* innuit, ubi tumores præter naturam circa ventrem parvum, velocem, densumque spiritum efficere pronunciat, eo modo, quo Aqua inter cutem laborantes, uterum gestantes, aut aliam ob causam ventrem prominentem habentes, difficilem respirationem sentiunt. Hinc etiam accidit, ut in hac respiratione difficili nihil eorum percipiatur, quæ ad morbos thoracis aliâs necessariò consequuntur, ut sunt tussis, sibilus, stertor, dolor pungens, & similia. Diximus *autem potissimum inter labores hoc malum augeri*, propterea quod per exercitationem materia peccans in hypochondriis commoveatur, & aliquo modo excalefacta atque attenuata ob flatus excitatos magis turgeat, adeoque compressioni atque angustiæ confertim ansam præbeat. Etsi enim, attestante *Paulo lib. 1. de re medic. cap. 16. Oribas. lib. 1. synops. c. 2.* exercitatio laboriosa membra organica præparat, & robustiora ad actiones efficit, ut ita concoctio melior, excretorumque separatio perfectior fiat: non tamen illud procedit in corporibus impuris & cacochymicis, ubi jam antea noxii & excrementitii humores collecti sunt. Superest tandem *urina* quam plerunque *crassam & albam in principio morbi* esse diximus cum *Eugaleno lib. de Scorb. pag. 23.* quò etiam aliquo modo inclinat *Reusnerus lib. de Scorb. exerc. 5. pag. 379.* propterea quod talis in omni cruditate frequentissima sit, unde suam assertionem rectissimè Eugalenus in observationibus Scorbuticis confirmat, ut patet ex *observ. 3. 4. 10. 20. 24. & aliis*, cui nostra quoque subscribit experientia, qui in omnibus, quotquot non extremè laborarunt, ejusmodi urinam observavimus. Non autem obstat, quod autores aliâs lotium plerunque fœculentum calore vinum rubrum repræsentans, statuant, ut patet ex *Sal. Albert. lib. de Scorb. thes. 95. & Wiero observ. de Scorb. & lib. german. de morbis incognitis, pag. 7.* quia illud ipsum intelligi potest, de Scorbuto magis ingravescente, cum cruda illa materia in sanguine putrefieri & corrumpi incipit; ubi alia subsequuntur symptomata graviora; de quibus porrò agendum.

Cur principium Scorbuti difficulter cognoscatur?

Unde in Scorbuto lassitudo spontanea?

Unde sensatio gravitatis.

Unde fit pectoris angustia?

Unde difficilis respiratio?

Cur inter labores difficilis respiratio augeatur.

Cur urina in principio sit crassa & alba.

XVIII.

Ingravescente morbo dicta symptomata magis exacerbantur, iisque supervenit gingivarum sanguinolentia, flacciditas ac tandem putrefactio, quam salivatio cum oris fœtore comitari solet, crurum in ambulando imbecillitas, eorumque interdum quasi resolutio, maculæ tibiarum, nonnunquam aliarum quoque partium varii coloris, quibus interdum tumores laxi, non rarò maligna succedunt ulcera.

Quibus enim, inquit *Eugalenus pag. 4. lib. de Scorb.* natura robustior morbosæ causæ prævalet, in iis insita vi & virtute quam longissimè malum à se natura protrudit, partim in pedes, partim in gingivas morbi causam deponens. Fit autem primò *gingivarum sanguinolentia* propterea quod acrior, subtiliorque materiæ peccantis portio, quæ vel à natura criticè movente, vel à calore sursum sublata, loca tenera humidaque facilius arrodit, ut habet *Echtius in Epitome de Scorbuto, Forestus lib. 20. obser. 11.*

Unde gingivarum sanguinolentia?

quatenus

quatenus caro gingivarum sua natura mollior, & ob textum σομφωδέστερα spiritualis plena perviaque ichorosum sanguinem facilimè recipit, *Sal. Albert. in hist. Scorb. thes. 99.* qui receptus primò ὀδαξισμὸν sive pruriginem levem acrimonia sua efficit, luxurie saturitateque sanguinis illius peccantis gingivis extumescentibus, ad cujus attritum caro gingivarum subtilis rimas agit & sanguinem ichorosum effundit. Excipit hanc gingivarũ cruentationem *flacciditas*, qua caro illa subtilis quasi diffluit, ob receptam peccantis humoris copiam, quæ propter μόλυνσιν sive depravatam concoctionem tumori laxo gingivarum præbet originem. *Reusner lib. de Scorb. ex. 5.*

Unde gingivarum flacciditas.

Ubi diutius malum protrahitur, *gingivarum putrefactio* sequitur, ut carunculæ, quibus dentes instar vallis obteguntur, putrore corruptæ abscedant, unde consequenter dentes nudari, eorumque compages luxari contingit, sicuti plurimos Scorbuto confirmato laborantes, vel vacillantibus, ut nullo negotio eximi possent, vel omninò amissis plerisque dentibus in inferiori Saxonia novimus. Quod accidit ob innati caloris corruptionem, adjuvante calida humida dispositione gingivarum & adjacentium partium, quam ob causam tanta putredo, nonnunquam etiam gangræna major existit, quanto interiora oris humectiora sunt, & tam ciborum molitione ac præterlapsu, quàm nidorum & anathymiaseων è ventriculo veluti foco coctionis emergentium mole fœtidius sordidata, *ut inquit Salom. Albert. in hist. Scorb. th. 108.*

Unde gingivarum putrefactio.

Hinc ergo non mirum quod individuus Scorbuti confirmati comes sit *fœtor oris cum salivatione*: quamvis n. quædam naturâ suâ fœteant, quod in Sagapeno, Asa fœtida, Castoreo & similibus apparet, quemadmodum rectè monet *Reusn. lib. de Scorb. exer. 5. p. 305.* ubi tamen præter naturam fœtor accidit, putredinis & corruptelæ signum jure statuitur, propterea quod sicuti à pepasmo, *dicente Alberto citat. loco th. 109.* rerum succidarum εὐχύλων naturæq; εὐχροφόρων ἡ εὐωδία est, sic contra ab earundem corruptione atque putredine, tum etiam à permistione τῶν κακοχύλων ἡ δυσωδία.

Unde fœtor oris.

Cum salivatione dicimus, quæ non rarò *teste Engaleno lib. de Scorb. p. 16.* vomitum inanem comitem habet, propter abundantiam crudorum humorum, nam sicuti *teste Celso lib. 2. de re med. cap. 2. & Xenoph. l. 1. Padia Cyri*, maximum ignominiæ argumentum fuit apud Persas, frequenter expuere, quasi nimia voracitas, aut segnities, ob intermissa exercitia indicaretur, ex hoc fundamento, quod salivatio vel frequens salivæ rejectio copiam humorum crudorum subsequatur: ita in præsentia scorbuticis etiam frequens adest hoc symptoma, propter concoctiones depravatas, quibus plurimus ichorosus sanguis colligitur: cum enim sero iis humoribus ventriculus & adjacentia membra scateant ac turgeant, facili negotio fieri potest, ut iidem Oesophago vel gulâ mediante faucibus & radici linguę communicentur, quod vel maximè colligitur ab iis, qui post crapulam vomitu apprehenduntur, qui plerunque à salivatione incipit, ita ut os confertim aquositate quadam repleatur, donec vi expultricis materia peccans omnino rejiciatur. Redditur autem plerumque cruenta salivatio, propter gingivarum sanguinolentiam, quarum ichores exudantes cum saliva commiscentur.

Unde fit salivatio.

Manifestum hinc est, in quonam potissimum *Scorbutici mali contagium* consistat, & in alios, dispositos tamen, propagetur, nimirum *in osculis mutuis, poculorumq; commercio*: illis alterius halitus oris fœtidus, instar beneolentis moschi, trahitur, quo Spiritus omnis actionis autores inficiuntur: hoc saliva fœtida communi potus materia diluta ebibitur. Quid ergò mirum, quod in Hollandia malum Scorbuticum facilimè serpat, & in exteros etiam hospites grassetur, cum ibidem tot oscula, quot salutationes, præsertim apud fœminas, easque non solum juvenculas (à quibus exosculatis fortè minor expectanda noxa, tum quod malo dicto non admodum obnoxiæ, tum etiam quod, sicut Poëta dicit;

Quomodo Scorbutus fit contagiosus?

——— mollia semper
Oscula delectent:

at quo quid jucundum ac delectabile magis, eo minus noxium, propterea quod appetitus sequatur imaginationem, cujus in humores & spiritus vis maxima non contemnendis rationibus statuitur) sed, proh dolor, etiam vetulas, exuccas, exangues, solo aspectu infantibus, æstimativæ facultatis operatione destitutis adhuc, horrendas; quæ si absque osculo salutarentur, de maxima injuria, contemptuque insolito conquererentur? Quid mirum quod in civitatibus Ansaticis & inferiori Saxonia tam uberi proventu Scorbutus seminetur, cum rarius in una mensa convictores aliquot inveniantur, inter quos non quidam sint Scorbutici: at hoc non obstante, mos nihilominus communis observatur, ut pocula sint communia, plerunque tantæ magnitudinis, ut vix impletione secundâ sit opus, in quæ non semel, sed multoties inter bibendum saliva Scorbutica deponitur, & à vicino ad vicinum (nefas enim est & inhonestum in his locis apud plebejos extra ordinem cuidam haustum propinare) unà cum potulenta materia communicatur. Patet ex his, quam ob causam in Scorbuto ingravescente, *ut inquit Wierus obs. de Scorbuto* gingivarum laxus sanguifluusque tumor, & putredo cum oris fœtore adsit, ita ut aliquando etiam caro earum ad dentium radices consumatur, ac dentes omninò vacillantes reddantur, quapropter non incommodè malum Scorbuticum à quibusdam στομακάκη, quod supra monuimus, à germanis nostris **die Mundfeule** vocatur, quemadmodum patet inter cæteros ex *Tabernamont. lib. german.* **Neu Wasserschatz** in pluribus locis, ubi acidularum virtutes huic morbo convenientes declarantur.

Dentium vacillantium causa.

Superaddit hîc oris symptomatibus rarum & ab aliis non observatum accidens *Sal. Albertus cit. lib. thes. 112.* nimirum *genarum contractionem*, ubi cardo oris, in quo gena inferior sub auditus organo vertitur, non aliter atque compago genuum obrigescit, squalido humore in juncturam illam, & hujus vincula altius imbibito.

Genarum contractio unde fit?

Reusnerus exerc. 5. de Scorb. pagin 279. narium hæmorrhagiam frequentissimè succedere scribit, unde ex veterum sententia Scorbuti signis eandem annumerat, cum per easdem venas, quibus ad fauces materia Scorbutica ducitur, ad nares etiam derivari possit:

Narium hæmorrhagia unde?

possit? non raro autem videmus in splenèticis affectibus naturam superfluorum evacuationem per narium fluxus tentare, quod patet ex *Hippoc. lib. 2. Epidem. sect. 2. & 3.* Verum relictis his ad reliqua signa pergimus, ubi primò *crurum in ambulando imbecillitas* ponitur: quemadmodum enim in principio totius lassitudo quædam spontanea adest, ita procedente tempore crurum imbecillitas succedit, propterea quod sanguis ichorosus crudiorem sui partem largiter ligamentis, tendinibus & musculorum substantiæ communicet, tum quod naturaliter ejusmodi materia deorsum vergat, & à natura ad partes ignobiliores & remotas ablegetur, tum etiam quod ligamenta, tendines, ac nervosæ partes articulorum κατ' ἴφεσιν & quadam inclinatione naturali glutinosum & crassiorem sanguinem attrahant, quod *Aristot. innuit libr. 3. de part. anim.* Quod si magis magisque dicta materia præter naturam copia sua in ipsa crurum vincula fartim sese insinuet, crura quasi resolvuntur unde σκολοΐυρβη *Autori definitionum* ἐςὶν εἶδος παραλύσεως: melius cum *Plinio* solutio compagis in genibus, vel cum *Langio lib. 1. Epist. 42.* crurum enervatio vocatur, propterea quod non omnis motus, ut & sensus, sit abolitus, sed utcunque sibi uterque adhuc constet, quod monet *Sal. Albert. lib. cit. thes. 117.* quam ob causam ad illam Paralyseos speciem pertinet, quam *Quercetanus in Tetrade cap. 4.* abusivam & καταχρηςικῶς dictam appellat, quatenus origo mali non ad nervorum exortum, sed ad ipsius partis imbecillitatem, ob Scorbuticæ materiæ copiam succedentem, refertur. Porrò propter hanc imbecillitatem, passim *in femoribus & tibiis maculæ* efflorescunt, quæ in principio rubicundæ sunt, instar illarum, quæ à recentibus pulicum morsibus relinquuntur, sed mox purpureæ, sublividæque redduntur, propter ἐκχύμωσιν, quâ sanguis orificiis venarum apertis effunditur, ut annotat *Reusnerus lib. de Scorb. pag. 318.* quo [illegible] utis inficitur, propterea quod materia Scorbutica in sanguine diluta sit, quæ cum inepta sit, ut in partium substantiam convertatur, consequenter primò maculas præter naturam producit in cruribus ac tibiis, tanquam iis partibus, ad quas materia Scorbutica plurimùm tendit. Imò & in aliis partibus nonnunquam generantur, potissimum in torso & brachiis, ut cum *Foresto lib. 20. observat. 12. Bal. Ronseo lib. de mag. lien.* testatur experientia, tunc temporis scilicet, ubi cacochymia magna, morbusque maximè confirmatus. Sæpius *laxi femoris tibiarumq; tumores* succedunt, impetu quodam ichoroso sanguine deorsum vergente, & imbecillitate caloris in partibus illis à corde remotioribus concurrente, quemadmodum in phthisi & cachexia pedes intumescere, superioribus membris atrophia consumptis, observamus. Nec obstat, quod in aliquibus contrarium experientia comprobet, quibus *crura* sæpenumero *gracilescunt*, ut vix ossibus hærere videantur: in his enim adest caloris nativi maxima imbecillitas, cujus ratione materiam peccantem ex visceribus ad extremitates expellere nequeunt, ac δύναμιν

Vnde crurum inambulando imbecillitas?

Paralysis crurum unde fit?

Vnde sint maculæ tibiarum?

Vnde laxi tumores femoris ac tibiarum?

Vnde sæpè fit atrophia?

τρεπτικὴν languentem obtinent; in iis præcipuè partibus, in quibus aliâs noxæ nutritionis facilimè conspiciuntur: hinc ergò pedes & crura non intumescunt, quia tantum non adest robur, ut ex venis aliisque partibus peccans sanguis eò transferri possit; absumuntur autem tabe & ἀτροφίᾳ, propter innati caloris, omnis nutritionis principii, debilitatem: ubi verò pravitas humoris augetur, & acrimonia propter aqueas tenuesque partes exhalantes major redditur, *non rarò maligna* succedunt *ulcera*, propter unitatem ab erodente materia solutam, quæ Chironia & Telephia vocantur, juxta *Albertum & Ronseum*, quod cicatricem difficulter admittant, ob κακοήθειαν ac malignitatem suam, quæ specificam Scorbuticæ materiæ corruptionem sequitur. Hæc & plura symptomata ex proprietate causæ Scorbuti proximæ superius determinatæ producuntur, quatenus materia tartarea, propter imbecillitatem lienis cum sanguine commista, putrescit, & vi propriæ coagulationis & resolutionis varios affectus præter naturam generat.

Vnde ulcera Scorbutica?

XIX.

Non autem sufficiunt dicta, sed insuper miris modis inexercitati Medici eluduntur, ubi materia Scorbutica fluores vel constipationes alvi, febres, lipothymias, dolores capitis, colicos, pleuritides, convulsiones, arthritides & plures affectus, sed notis mendacibus producit, ut expertentissimus Eugalenus colligit.

Hos affectus diversissimos interdum in Scorbuto materia peccans excitat, corruptione suâ propriâ, vi coagulationis & resolutionis concomitante, quæ, instar Prothei, formas alias atque alias suscipit. Verum addo, quod ejusmodi morbi notis mendacibus inexercitatos fallant, eam ob causam, quod generationem & curationem peculiarem, juxta Scorbuticæ materiæ proprietates, præ reliquis habeant. Et primum quod *alvi fluores attinet*, illi non sunt cibi crudi, qualis assumptus fuit, quod accidit *in lienteria*, nec etiam sunt liquidi, quantitate impari, minusque confertim egredientes, ut in *diarrhœa*, sed frequentius compactæ sunt egestiones, copia cibum ingestum excedentes, coloris varii, pari plerunq; quantitate rejectæ, tum materia Scorbuti quodammodo coagulata, & à laudabili sanguinis parte separata, suâ acrimoniâ facultatem excretricem stimulet; tum etiam quod impedita sit hepatis transsumptio, propter quam copia nutrimenti jam alterati unà cum materia peccante rejicitur. Imò si præter fœculentam materiam acrimonia major accedat, interdum fluor ille *dysenteriam* mentitur, quatenus aliquid sanguinis ex venis mesaraicis unà effunditur, quod tamen absque lancinatione & ab excrementis separatum egreditur, contra, quàm fieri solet in dysenteria vera. Quemadmodum verò quidam Scorbutici fluxu, sic alii *constipatione alvi* frequenter apprehenduntur, ut annotat *Forestus lib. 20. observat.* [illegible] quando scilicet materia ad alias corporis partes vergit, ipsaque bilis, quæ stimulus est excretricis facultatis in intestinis, à jecore vel non separatur, vel

Vnde alvi fluor?

Vnde dysenteria oriatur?

Vnde alvi constipatio?

ſeparata non inteſtinis, ſed alteri cuidam membro tranſmittitur. Quod ſi materia Scorbutica parte magis aquoſa exhalante, aut præcluſo omni exitu præter naturam incaleſcat, ita ut fervor ille cordi communicetur, *febres* oriuntur variæ, *lentæ* videlicet, *continuæ*, aut *interpolatæ & intermittentes*, ſed quæ nullo, ut inquit *Eugalenus de Scorb. p.* 20. ſæpe ſigno veterum febribus aſſimilantur, niſi quod falſo quotidianæ, tertianæ ac quartanæ febris typo interdum ludant, eaſque dierum imitatione potius, quam ſignorum proprietate exprimant. Hanc ob cauſam experientia teſtatur, quod frequenter hæ febres Scorbuticæ inordinatæ ſint, ut quandoque bis, aliquando ter, quaterve, ſæpius etiam poſt tertium, quartum, quintum vel ſextum diem variis horripilationibus ægrum invadant, ſubſequente plerumq; æſtuante calore cum anxietate præcordiorum, ſigno Scorbutico non infido, conjuncto. Imò & pulſus, quamvis vigente febre, magnus & durus deprehendatur, ſtatim tamen deferveſcente febris æſtu, in parvum, crebrum & inæqualem, Scorbuto familiarem commutatur. Varietatem hanc febrilium ſymptomatum quid aliud producere poterit, quam Scorbutica materia peccans, in ſanguine putreſcent, vi propriæ reſolutionis & coagulationis, quâ non ſolum cum peccantibus humoribus excrementitiis aliis, quæ in ejuſmodi ſtatu præter naturam facilimè colliguntur, commiſta, malitiam eorum auget, ſed inſuper eorundem effecta communicatione quadam ſibi quoque arrogat? Ut autem hoc modo corde affecto per exhalationes febriles febris producitur ſingulari proprietate Scorbuto familiari, unde non communi febrium curatione, ſed appropriatis huic morbo remediis è medio tollitur; ita *lipothymia animiq; deliquium* frequenter Scorbuticis accidit, propter tetros vapores vitalis facultatis organo primario, cordi ſcilicet, admodum infeſtos, poſt levem etiam motum, quo talis evaporatio excitatur. Quoſcunque igitur parvus, quo ad ſenſum, morbus ac febris detinet, ita ut decumbentes parum aut nihil pati videantur, & nihilominus ſubitò, & frequenter lipothymia apprehendit, hos ſceletyrbe laborare certò tibi perſuadeas, inquit *Eugalenus*, quod curatio comprobabit. Cæterùm *dolores in Scorbuto* ſuccedunt varii, quando materia Scorbuti, ſanguis videlicet ichoroſus acredine quadam acquiſitâ, vel copiâ, in partibus ſentientibus cauſam doloris proximam, ſolutam videlicet unitatem producit: Eſt enim dolor nihil aliud, quam triſtis ſenſatio qualitatum tactilium, ut poſt alios repetit *Langius lib.* 1. *Epiſt.* 41. *Card. lib.* 1. *tract.* 5. *contradict.* 17. quæ fit propter unitatem ſolutam in organo ſenſus, ſicuti alibi ſufficienter demonſtravimus. Hoc modo *capitis dolor* oritur in Scorbuticis *continuus & fixus*, quando materia peccans circa ſenſiles partes capitis acrimonia ſua confertim colligitur, *interruptus & per intervalla recurrens*, quando ex infimis partibus exhalationes noxiæ & mordaces certis temporibus elevantur, quæ reſolutâ materiâ Scorbuticâ in vaporoſam ſubſtantiam, ac viciſſim circa membranoſas cerebri partes per coagulationem collecta ſymptomati dicto præbent originem. Ubi vero talis materiæ collectio in inteſtinis & vicinis partibus accidit, *dolor quaſi colicus* adeſſe videtur, quo ventriculus & inteſtina variis cruciatibus & lancinationibus diſcinduntur, ut *Eugalenus pag.* 63. *de Scorb.* affirmat, ſe noviſſe quoſdam, qui ab ejuſmodi diſtenſionibus de doloribus in peritonæi rupturam inciderint. Et hæc eſt cauſa cur in ſeptentrionalibus locis Schürbauch vocetur hic morbus, quod ſcilicet miris torminibus infimum ventrem afficiat, ut habet *Wierus lib. de morb. incogn. pag.* 2. Hic dolor unà cum aliis Scorbuti ſignis pathognomonicis conjungitur, ubi quendam invadit, quapropter non aliter, quam appropriatis morbo remediis, per quæ materia Scorbutica peccans reſolvatur & corrigatur, ſanari ſolet, quod in curatione magis patebit. Interdum accidit, ut materia peccans circa ſenſiles pectoris partes collecta *pleuritidem* mentiatur, quæ tamen facilimè à vera pleuritide diſtinguitur, ubi ſigna pathognominica dictæ affectionis conſiderantur: hîc enim præter notas, quibus Scorbutus cognoſcitur, lateris dolor per intervalla recurrens adeſt, abſque tuſſi inſigni & ſputo, cum pulſu parvo, molli & inæquali, concurrente febri lenta, quæ tamen in vera pleuritide omnino contraria ſunt, cum *Teſte Galeno lib. de conſt. ar. cap.* 15. *& lib.* 2. *de aff. cap* 9. in pleuritide ſit dolor lateris pungens, febris acuta, & per conſequens pulſus durus & vehemens, tuſſis & ſputum plerumque cruentum. Porrò *convulſiones* paulatim quoque fiunt in aliquibus, ut ex iis tandem omnino contracti reddantur ægri, donec materia morbifica à nervis recepta, vel ſponte ſuâ naturâ adjuvante, vel ope medicaminum digeſta reſolvatur. Mirum verò tandem, quos cruciatus dolorificos articulorum Scorbutus interdum ſuccedentes habeat, ut ægri *morbo arthritico* laborare videantur, ſed falſo, propterea quod hi dolores diu in uno loco, maximè in morbi initio, non ſubſiſtant, ſed errabundi ad alium atq; alium locum tranſeant, ita ut dum hunc articulum dolore ſolutum exiſtimamus, præter ſpem & expectationem in eodem, cum vel ſine tumore (*ut obſervavit Eugalenus*) novos cruciatus oriri videas. Fit autem hoc ſymptoma, quando peccans materia Scorbuti in vaporoſâ ſubſtantiâ cum tenuibus humoribus permixta, diverſimodè huc illuc in humano corpore movetur, & potiſſimum ſenſiles articulorum partes afficit. Hunc affectum *Eugalenus* eundem eſſe putat cum eo, quem *Wierus lib. de morb. incogn.* in Weſtphalia, Geldria & Friſia endemium eſſe dicit, die Varen / quaſi dicas, translationem aut commigrationem, quod veriſimile videtur, propterea quod morbus ille, quem die Varen / vel addito epitheto, propter ſubitam commigrationem, die loopende Varen Septentrionales vocant, iiſdem ſignis cognoſcatur, & medicamentis Scorbuto appropriatis curetur: prodit enim (inquit *Henricus à Bra in Epiſt. ad Foreſt.*) cum vagis doloribus valde excruciantibus in omnibus corporis membris, potiſſimùm in dorſo &

Vnde febres in Scorbuto.

Vnde lipothymia.

Vnde dolores in Scorbuto.

Vide Problemata Medica. dec. 3. *q* 9.

Dolor capitis.

Dolor quaſi colicus.

Vnde Pleuritis falſa?

Vnde convulſiones Scorbuticæ?

Vnde ſit arthritis Scorbutica?

ſo & lumbis, primumque unam aliquam ſolet invadere particulam, deinde celeri motu vicinas etiam partes occupat. Siquidem videre eſt, ut in hac lue ſæpius doloribus pedum ſopitis mox ſcapulæ afficiantur, illis tranquillis, è veſtigio manus crucientur, ac ita per omnes artus malum ipſum diſſiliat Exhibitis autem iis, quæ Scorbuto conducunt, teſte Eugaleno, ſymptomata dicta diſcutiuntur & evaneſcunt, ut ab exciſa arboris radice ejus folia & fructus pereunt. Hinc etiam *Heurnius in Epiſt. ad prædictum Medicum*, non immeritò refutat illos, qui ſtatuunt morbum illum Geldrorum, Weſtphalorum, & finitimorũ convenire cum Dracunculis veterum, cùm potius coincidat cum morbo, quem *Ultrajectim* **die ſpringende Gicht**/ quaſi articularem inſilientem dolorem dicunt. Quod autem inter hunc morbum articularum, **die Waren**/ & inter Dracunculos veterum, hodie in Miſnia, Sileſia & aliis locis **die Miteſſer**/ magna ſit differentia, ſufficienter ex *Wiero de morb. incogn.* colligitur. Ex dictis manifeſtum eſt, quomodo Scorbutus multiplices affectus ex proprietate ſuæ cauſæ ſpecifica producat: conſequens eſt ut ad prognoſtica, præſervationem & curationem in exercitatione ſequenti nos convertamus.

Vide Foreſti obſ. lib. 20. in fine.

DE SCORBUTO,

SECTIO SECUNDA.

Paragraph. I.

De prognoſticis Scorbuti.

ANTEQUAM ad præſervationem & curationem Scorbuti progrediamur, ſigna prognoſtica minimè negligenda, ubi primùm notandum, quod gravior ſit morbus in iis, qui ex familiis, vel etiam parentibus Scorbuticis geniti ſunt.

Ante omnia finis certitudo requiritur.

Ut enim fruſtrà quærimus media, niſi primum de fine certi ſimus, ita quoque ridiculum eſt, præſervationis & curationis media non ſine peculiari diligentiâ inquirere tunc temporis, ubi penitus adhuc ignoramus, an morbus periculoſus vel ſalutaris, curabilis vel omninò lethalis futurus ſit. De prognoſticis igitur meritò ſolliciti ſumus in omni genere morborum, propterea quod non ſolum ad exiſtimationem artis faciat, quando futura ex prognoſticorum doctrinâ prædicimus, ita ut *Gal. 3. de diff. reſpir. cap.* 8. bonorum Medicorum opus eſſe dicat, illa præſagire, quæ idiotis minimè apparent, ſed etiam in præſervatione & curatione maximè neceſſarium ſit, quatenus deſperati prognoſticis relinquendi, juxta *Hippocratem*, cum teſte *Galeno lib. 11. Meth. cap. 9.* imprudentis ſit conſilii, in morbis inſanabilibus aliorum reprehenſioni ſubjicere illa remedia, quæ multis fuere ſaluti: Deſperati inquam, revera tales, quos non niſi plurimùm exercitatus atque ſagax Medicus ex comparatione morbi, naturæque dijudicat: quia fieri poteſt, ut prognoſticum fallat, adeoque fallatur Medicus, ubi ſingularis ægrotantis natura perfectiſſimè non cognoſcitur, qua ratione *Horat. Augen. lib. 8. Epiſt. 1. tom.* 1. non temerè penitus ab uſu medicamentorum quieſcendum eſſe ſtatuit. Hanc ob cauſam in præſentia quoque meritò de iis, quæ ad prædictionem in Scorbuto faciunt, agendum, inter quæ primò ſeſe offert, *quod gravior ſit Scorbutus in iis, qui ex familiis vel parentibus Scorbuticis geniti ſunt, ita ut Sal. Albert.* ſtatuat eoſdem difficulter, nec niſi adhibita curatione accommodatiſſima, imò vix unquam ſtirpitus curari, quin morbus aliquod veſtigium relinquat, ſæpeque reſtibili malignitate ſuppullulet. Quî autem hoc fiat, ex ſuperioribus maximâ ex parte colligitur, quatenus illi, qui jure quodam hæreditario malum hoc poſſident, cauſam Scorbuti congenitã obtinent, nimirum nativam quandam lienis imbecillitatem, quam Exercit. priori theſ. 12. declaravimus, quæ difficulter ope medicâ corrigitur, quia morborum hæreditariorum curatio perquàm difficilis videtur, ut apparet ex *Mercato, tom. 2. in fine, tract. de morb. hæred.* propterea quod oriatur ex ſemine longis confirmatiſque morbis vitiato, *juxta Cardanum lib. 1. de venenis cap.* 12. Unde per nativam conſtitutionem accidere videntur: at ſi habitus per aſſuetudinem acquiſitus difficulter removetur, multò magis illa diſpoſitio conſtans eſt, quæ non ab aſſuetudine, ſed à natura oritur. Nec obſtat, quod interdum avus Scorbuto laborans non in filium, ſed in nepotem, filio tamen mediante, malum hoc propaget: quia fieri poteſt, ut parens habeat quidem impreſſam ſigillationem & characterem ab avo, cujus actus obliteratur vi ſeminis & ſanguinis materni, qui tamen repullulat in filio, ſi fortè matrem, quoad conſtitutionem, aviâ debiliorem nanciſcitur, de quo vide *Mercatum* loco citato.

Cur gravior morbus in familiis Scorbuticis?

Cur avus interdum non filium sed nepotem Scorbuticum generet.

Cur de prognoſticis agendum?

An deſperati prognoſticis relinquendi?

II.

Porrò majori periculo, quoad ætatem ſenes juvenibus, quo ad ſexum verò mulieres viris afficiuntur, maximè verò circa vernum & autumnale tempus, ubi malum hoc exacerbatur.

Cur ſenes periculoſè laborent?

Nam ſicuti ſenes debilem obtinent calorem, & cruditatibus aliàs admodum obnoxii ſunt, ita periculoſiùs afficiuntur aliis ætatibus in quibus caloris nativi ἔκλαμψις ſeſe potenter & efficaciter exerit, eo modo, quo vix tandem ac nuperrimè ex diuturnis morbis convaleſcentes Scorbuto ſunt obnoxii (accedentibus ſcilicet ſuperius enumeratis hujuſmodi cauſis:) ut enim in his τῷ θερμῷ ἐμφύτῳ languore, ſic in illis annorum decurſu illud ipſum debilitatum eſt. Viris autem mulieres Scorbuto magis obnoxias eſſe manifeſtum eſt, propterea quod hæ naturæ ſint frigidioris, ut *lib. 1. de corp. hum. exercit. 7. quæſt. ultim.* demonſtravimus, ac maximam humoris fœculenti copiam coacervare ſoleant, potiſſimum tunc temporis, ubi dicente *Salomone Alberto lib. de Scorb. theſ.* 135. per impotentiam excipiendi & concipiendi virile ſemen ſteriles deprehenduntur, aut aliàs menſtruum fluxum ante diem ſubſiſtentem obtinent, ut ſanguis commutatâ veluti velificatione ad viſcera nutritionis remigrare, eorumque officia labefactare coga-

Cur mulieres viris magis Scorbuto obnoxiæ?

cogatur: quod maximè quoque locum habet in iis, quæ ab aquis uterinis vel puerperialibus, quæ, dum fœmina partum edit, futurum opus prænunciant, perfectè non purgantur. Sed maxima ex parte circa vernum & autumnale tempus exacerbantur, *ut habet Bal. Ronsæus lib. de mag. lien. cap. 6.* eadem ratione, quâ *Hippocrat. lib. 6. Aph.* 55. dolores podagricis iisdem temporibus plurimùm invadere statuit, propterea quod, sicuti post *Galenum in com. notat Heurn. ad Aph. cit.* vernum tempus recrementa per hyemem corpori inducta commoveat, & ad partes imbecilliores expellat: autumnale verò sua inæqualitate succos potenter turbet, accedente virium imbecillitate, juxta *Hollerium in com. ad Aph. dictum* labefactatâ nimirum natura ob exhaustum superioris æstatis vi calorem nativum, qui tam suæ imbecillitatis ratione, quam propter materiæ peccantis quantitatem humoribus amplius dominari nequit, unde fit, ut huc vel illuc incidant, variosque morbos gignant, ut habet *Libavius in Scholiis ad Aph. Hippoc. antea citatum, & Mercatus lib. 7. de febrib. cap.* 2. Huic rationi si quis Hermeticorum non inelegantem subjiciet, non repugnabimus, ubi dicunt, exacerbari morbos tartareos circa ver & autumnum, propterea quod his temporibus spiritus impuri tartari plurimùm moveantur, unde materia peccans fructus suos, nimirum Symptomatum paroxysmos, producit. Quoad vernum tempus, res plana est, quatenus in eo, juxta *Quercet. consil. de arthrit. & section. 2. cap. 2. Diatet. polyhist.* Sole domicilium arietis ingresso incipit frigus mitescere, tepidisque ejus radiis ac summè vitalibus aër & terra recreatur, quæ sensim incalescens & sinum suum reserans, humorem radicalem in animantes omnes dispergit, quo eædem reviviscunt, repullulant, nec non tandem fructus ad maturitatem perducunt, pro ut ea variis naturæ ignis gradibus à magno illo luminari irradiata promovetur, & ad operandum excitatur. Hoc enim tempore balsamici spiritus per naturalem sublimationem plantis communicantur, unde sinum suum fœcundum terra variis germinibus aperit: imò in animalibus quoque præsertim in homine, hoc elucescit, ubi naturalis calor antea intrò à frigore compulsus, incipit per totum corpus liberè exspatiari, unde sanguis effervescit, prout spiritus salium resolutione in sanguineâ massa exaltantur (quemadmodum hanc ob causam hoc tempore vina dulcissima turbari videmus) & fructus varios producunt in iis corporibus, quæ morborum seminibus delitescentibus & quietis scatent; ut admiratione careat, cur verno tempore Scorbutus exacerbetur, cum in mentem revocantur illa, quæ de causa Scorbuti proxima *exercit. 1. thes.* 10. diximus. Cæterùm cum per totam æstatem multa fiat resolutio ad partes exteriores, ut inquit *Cardanus in com. ad Aph. Hipp.* citatum, mirum non est, quod autumnali quoque tempore Scorbutus aliique morbi tartari exacerbentur, tum quod ob exhaustam partem aquosam tenuemque per præcedentem æstatem, humores exacerbentur, tum quod spiritus materiæ peccantis exacerbati magis firmiter ac diutius inhæreant, propterea quod corpora vi frigoris externi subitò succedentis magis constipata sint.

Cur circa vernum & autumnale tempus exacerbatio?

III.

Accidit autem ut morbus ingravescens hydropem & cachexiam frequenter, propemodum verò semper tabem & atrophiam, diuturnitate temporis, nisi per adæquatam curam eidem succurratur, introducat.

Plerique dicente *Reusnero exercit. 6. de Scorb.* qui Scorbuti charybdin tranare conantur, in aquæ intercutis scylla tandem submerguntur, διὰ τὴν ἀποτυχίαν τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου, ut inquit, *Sal. Albert. thes.* 141. ob frustrationem operis sanguificandi, cui succedit seri, pituitæ, flatuumque perennis generatio, unde differentes hydropum species producuntur. Non tamen hîc simpliciter tantum ad jecoris refrigerationem, quam post *Galenum lib. 5. de locis affect. cap. 5.* omnis ferè Medicorum consensus pro causa proxima hydropis agnoscit, ut patet ex *Mercato tom. 3. lib. 4. de morb. intern. curat. cap. 6. Valeriola libr. 2. observ. 5. Capivac. cap. de hydrope. Forest. lib. 19. observat. 17. Mercuriali lib. 3. Pract. cap.* 24. & aliis, respiciendum est, sed causa Scorbuti proxima superius determinata diligenter perpendenda, propterea quod hydrops Scorbuticus, ut inquit *Eugalenus lib. de Scorb. p.* 130. fiat ab humore peccante, quo viscera afficiuntur & debilitantur, tàm ab ejus substantia, quam fumosa evaporatione, specificaque putrefactionis qualitate, quâ semel infecta viscera, quoad facultates, læduntur, & ad similem impressionem, quâ affecti sunt, alimentis imprimendam disponuntur, reciproca vice nutrimento accedenti reddentia, quod ab humoribus receperunt, quæ postea contaminatâ qualitate peccante pluribus suis partibus eam acquirunt ineptitudinem, ut ad corporis nutritionem incongrua reddantur: his igitur tacitis incrementis coacervatis, cum amplius ab innato calore occultari nequeunt, à fortiori naturæ nisu ad remotiores corporis partes derivatis, crura primum intumescunt, quibus superfluum non amplius recipientibus, quod residuum est, tandem ad abdomen & peritonæum rejicitur, ut præduro densoque tumore hydrops repræsentetur. Non ergo mirum, quod hic affectus communem hydropis curationem respuat & contemnat, cum aliter curari nequeat, quàm ubi medicamentis incidendi, attenuandique facultate præditis admiscentur illa, quæ erga Scorbutum peculiariter valent, quemadmodum patet ex adductis exemplis *Eugaleni in observ.* 18. Quod autem hactenus de hydrope diximus, illud ipsum ad καχεξίαν vel malum corporis habitum, qui aliâs juxta *Paulum Æginetam lib. 3. de re med. cap.* 47. principiũ hydropicatum passionum existit, commodissimè referri potest, quatenus peccans materia ad fontem & originem gratiosi & alimentarii humoris, nimirum ad jecur, copiosè regurgitat, & cum sanguineâ massâ confunditur, adeoq; per vasorum disseminationem in universam corporis rempublicam non

Cur Scorbutus ingravescens in hydropem transeat?

Quomodo hydrops Scorbuti peculiaris fit?

Quomodo Scorbutum sequatur cachexia?

Cur Scorbutum interdum tabes sequatur?

non sine salutis discrimine distribuitur, ut habet *Sal. Albertus de Scorb. thes.* 142. Cæterùm frequenter Scorbutus ingravescens in atrophiam terminatur, peculiarem omninò à communibus hecticis dispositionibus, quæ non solùm oritur à κακοχυμίας sive imperfecta alimentorum concoctione, cujus vi consequenter adæquato suo nutrimento partes destituuntur, ut vult *Reusnerus exerc. de Scorb.* 6. *pag.* 406. Sed etiam hanc ob causam potissimum, quod fumi vaporesque à materia in primâ corporis regione, melancholicâ crassâ, frigidâ, aqueâ & crudâ, specificâ putrefactione Scorbuticâ infectâ multâ copiâ eleventur, quorum continua copiosaque evaporatione cordis calor modicis incrementis adauctus assurgit, & præter naturam accenditur, ut inquit *Eugalenus lib. de Scorb. pag.* 119. Hinc tabes Scorbutica non eandem cum veterum atrophia curationem admittit, ut scilicet humectantibus & infrigidantibus, calor & siccitas præter naturam corrigantur, sed potius ad radicem respiciendum, ut attenuantibus & incidentibus appropriatis materiam peccantem, & putridas consumentes exhalationes exspirantem alteremus, quod ex observationibus aliquot *Foresti lib.* 20. *& Eugaleni lib. de Scorb.* manifestum redditur.

IV.

In specie verò caro gingivarum in Scorbuto quasi in fungum copiosè luxurians arguit materiæ copiam; ubi verò corruptio ejusdem succedit, sive sit inchoata, sive perfecta, serpendo subinde finitimæ partes inficiuntur, & ad ossa usque consumuntur.

Summa flacciditas gingivarum quid indicet?

Repetendum in præsentia, quod supra *thes.* 18. *exercit.* 1. diximus, nimirum quomodo frequentissimè gingivarum caro in Scorbuto præter naturam afficiatur: quo autem major est flacciditas luxurians, eò etiam copiam materiæ peccantis majorem in foco Scorbuto proprio subesse colligimus, quæ partim ob infirmitatem, partim ob receptionis opportunitatem eò expuatur atque emungatur, ut inquit *Sal. Albert. de Scorb.* §. 151.

Corruptio gingivarum quid portendat?

Quod si corruptio gingivarum, præsertim gangrænosa succedat, quam inchoatam μελασμὸς sive nigredo, absolutam verò νέκρωσις vel mortificatio notat, prognostico cognoscimus, protinus vicinas partes infici, & ad ossa usque carnosam substantiam consumptum iri, nisi in principio succurramus ægris, ut causas incipientis corruptionis robore naturæ & artis dexteritate, remediis adjuvantibus, corrigamus & expellamus cum in corruptione perfectâ, seu parte mortificatâ restituendâ & corrigendâ frustrà omninò laboremus: Illud enim quod corruptum, ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

V.

Porrò lituræ crurum & tibiarum quo magis ad livorem ac nigredinem tendunt, eò majus indicant periculum, sive subitò efflorescant & vicissim evanescant, sive perpetuæ sint, aut in ulcera difficulter cicatricem admittentia degenerent.

Maculæ crurum lividæ & nigricantes quid portendant?

Quemadmodum color lividus aliàs caloris nativi internecionem indicat, ita in Scorbuto maculæ crurum ac tibiarum lividæ & nigricantes reliquis sunt deteriores, propterea quod singularem & efferam materiæ malignitatem indicent, utpote quæ post ἐκχύμωσιν tum actione caloris destituta, tum etiam ob tenuiores partes exhalantes exacerbata, specificæ corruptionis effecta producit.

Maculæ subitò efflorescentes & evanescentes.

Ubi verò subitò efflorescunt & vicissim evanescunt lituræ dictæ, dubium naturæ duellum cum morbo denotant, ut inquit *Sal. Albert.* §. 160. ita tamen, ut juxta *Reusnerum de Scorb. exerc.* 6. *pag.* 414. liturarum παλινδρομεῖν extremam virium detruncationem ut plurimum significet, quatenus subitò efflorescentes maculæ vicissim delitescunt, propter facultatis expultricis debilitatem, cujus ratione sanguinis ad partes interiores, potissimum ad cor ipsum fit recursus, in quo vestigium malignitatis suæ peccans materia relinquit, & toti exitium minatur.

Maculæ perpetuæ quid denotent?

Eodem modo malum est signum ad futurum statum determinandum, ubi perpetuæ sunt illæ maculæ, propterea, quod materiæ malignitatem & copiam arguant, quæ nuper caloris nativi compedibus catenata tenebatur: qua ratione in ipsis morientibus, interdum etiam in demortuis, Scorbuticas ejusmodi lituras efflorescere videmus, quatenus copiosa materia peccans, vi superstitis etiam post mortem caloris, à centro ad circumferentiam corporis movetur: non enim absurdum est in demortuis quoque aliquandiu caloris effecta superesse posse, licet mors extinctio caloris dicatur, quemadmodum in *tractat. nostro de conserv. & cruent. cadaverum problem.* 1. demonstravimus.

Cur in quibusdam post mortem efflorescant maculæ?

Vlcera, sceletyrbica quid significent?

Porrò malum est signum, ubi lituræ degenerant in ulcera, quæ difficulter cicatricem admittunt, vel quod sint atrabilaria, ut placuit *Ronseo lib. de Scorb. cap.* 7. cum peccans materia Scorbutica bilis atræ qualitates acquirat, ubi diuturnitate temporis exacerbatur, & ob tenuiorum partium exhalationem vim erodentem accipit, at ulcera omnia atrabilaria periculosa vocat. *Hippocrates*, qua ratione *lib.* 4. *aph.* 24. dysenteria ab atra bile lethalis pronunciatur; vel quod ob salsi serosique humoris ubertatem in Scorbuto insignem, ulceris exiccatio impediatur, ut vult *Reusnerus de Scorb. exerc.* 5. *pag.* 355. *& seq.*

Cur ulcerà sceletyrbica difficulter sanentur.

Imò quemadmodum maligna dicuntur ulcera & ægrè sanabilia, quando vitiosus sanguis affluit, & pars ipsa δυσκρασίᾳ laborat, juxta *Galen.* 4. *Met. cap.* 1. *& lib.* 4. *de comp. med. secund. gen. cap.* 1. *Paræum lib.* 12. *Chirurg. cap.* 10. *Aquapend. lib.* 3. *de ulcer. cap.* 4. Ita causam utramque in ulcere sceletyrbico concurrere putamus, ut eadem difficulter cicatricem admittant, propterea quod sint ex illorum numero, in quibus humor affluit continuò, qui præterquam quod noxius summeque præter naturam est, nutritionis quandam speciem efficit in ipso ulcere, cujus ratione neque abstergentibus curari potest, quia humor in salsam quandam nutritionem degeneravit, neque sarcoticis, quia genuina caro generari nequit, ob eam quæ genita est, ut inquit *Mercatus lib.* 2. *de morb. Galen. cap.* 7. quodlibet enim

 mutatur

mutatur ad naturam mutantis, quoad illud ipſum fieri poteſt. His ad examen prognoſticorum ſignorum anſam præbere voluimus, conſequens eſt, ut progrediamur ad Scorbuti præſervationem, qua potiſſimum eò reſpicimus, ut morbum hunc præcaveamus in iis, qui ad fomitem ejus concipiendum prompti ſunt.

VI.

De Scorbuti præſervatione.

Qui proni ſunt in Scorbutum, præſervantur victus ratione Scorbuti cauſis contraria, quapropter iiſdem aër calidus, ſiccus & quo ad ſubſtantiam purus eligendus.

Aëris ambientis cognitio Medico maximè neceſſaria.

Cum nullum reperiatur temporis momentum, in quo non, juxta *Hippocrat. lib. de aër. & loc.* aëris inſpiratione indigeamus, & nihil ſit, quod æquè prodeſſe & obeſſe nobis queat, ob ejus in corporibus noſtris, mutationem, quam & ſiderum ortu, occaſuque, & coitionibus quibuſdam quotidiè obſervamus, nec non diverſis terrarum ſitibus, locorumque intervallis, meritò qualitas & diſpoſitio aëris Medico diligenter conſideranda venit, ut inquit *Card. lib. 1. de tuenda ſanit. cap. 17. Quercetan. lib. diatet. polyhiſt. ſect. 2. cap. 2.* præſertim in morborum præſervatione, cum *Aëtio & Aegineta* teſte, ambiens nos aër temperamenta mutet atque pervertat, pro diverſitate ſuarum qualitatum diverſimodè. Imò majoris ſæpè momenti & efficaciæ eſt aër, quam reliquæ res non naturales, ſiquidem ſuperat, quæ medicamenta & reliqua artis auxilia non valuerunt, ſola mutatione loci, ut addit *Mercatus lib. 2. de San. tuend. claſſ. 2. art. 1. num. 4.* Quapropter in præſervatione à Scorbuto iis, qui proni & diſpoſiti ſunt, ante omnia ambientis aëris delectus habendus eſt, ubi commendamus illum, qui caliditate, ſiccitate, & ſubſtantiæ puritate præditus, quo ſpiritus in corpore noſtro reficiuntur, & per conſequens concoctiones atque digeſtiones omnes perfectiores fiunt, unde collectio cauſæ antecedentis inhibetur. Quod ſi naturâ non datur, arte comparandus eſt, quemadmodum fieri poteſt, tum igne luculento in locis accommodatis accenſo, potiſſimum ex lignis laurino, juniperino, roſmarini, lentiſci, & ſimilibus, tum excitatis fumis & evaporationibus, injectis carbonibus ardentibus iis, quæ frangrantiâ ſuâ aëris qualitates corrigant, & ad diſpoſitionem calidam ſiccam reducant, ut ſunt aſa dulcis, ſtyrax calamita, grana junipeti, Gallia moſchata, ſuccinum, thus & ſimilia, aut adhibitis rebus aromaticis, quæ inſenſili evaporatione hypocauſtum ſuavibus odoribus replent.

Quinam aër Scorbuticis conveniat?

Artificialis aëris correctio.

VII.

Porrò eſculenta ſint ex numero eorum, quæ facultatem extenuandi, incidendi & detergendi obtinent, ſint boni ſucci & concoctu facilia, quæ levi quâdam aſtrictione robur viſcerum conſervando calorem nativum probè focillent.

Juſcula in cibis primum locum obtinent.

Quapropter inter juſcula liquidiora, quæ non immeritò in alimentis aſſumendis primum locum obtinent, quicquid dicat *Mercurialis*, qui nullum ordinem in cibis aſſumendis obſervandum aſſerit, *libr. 3. pract. cap. 13.* eligimus illa, quæ ſunt pullaſtrorum gallinaceorum, pipionum, carnium bubularum, item quæ è vino, è cereviſia probè defœcata, ex cremore hordei cum uvis paſſis, coma anethi, thyma, rore marino & ſimilibus conficiuntur, quibus non incommodè frequenter aliquid ſuccorum acidorum, de limonibus, mali citri, de Ribes, berberorum & ſimilium admiſcetur, ut appetitus dejectus in nonnullis excitetur, humores ſuperflui reprimantur, & horum ipſorum vis & fervor obtundatur & conſopiatur, ut habet *Sal. Albert. de Scorb. §. 217.* tanta enim eſt illius aciditatis efficacia, ut ſpiritus coagulare & corpora diſſolvere poſſit, ut inquit *Quercet. lib. 2. de ſignat. rer.* hoc eſt, ut materiam craſſam incidat, atque attenuando diſſolvat, & fervorem ſpirituum, ſive vaporum exhalantium coagulet atque contemperet.

Carnes convenientes.

Inter carnes commendamus illas, quæ ſunt ſubrumorum, agnorum, hædorum, mox hinnulorum, vitulorum ſex vel ſeptem hebdomadum, juvencorum trimeſtrium & vervecum. Inter volucres domi habemus pullos gallinarum, carnes gallorum caſtratorum, columbarum juvenum, quæ licet vulgò nutrimentum tardioris digeſtionis falsò præbere dicantur, boni ſunt nutrimenti, ita ut ſenibus, & iis, qui frigidis affectibus obnoxii ſunt, alimentum præbeant accommodatiſſimum, ut habet *Quercet. in diatet. polyhiſt. ſection. 3. cap. 5.* propterea quod columba ſit animal calidiſſimum, & alimentis ſalſis, nitroſis & aluminoſis admodum delectetur, de quo vide *problemata noſtra Med. dec. 3. quæſt. 2.* Quoad ſylveſtres, conveniunt carnes phaſini, gallinaginis, avium montanarum, turdorum, galeritarum, &c. Præſertim ubi cum baccis juniperi inferciuntur, & inter aſſandum ſucco malorum aurantiorum humectantur.

An columbarum caro boni nutrimenti?

Piſces conceſſi.

Summa dos inter piſces, ut inquit *Sal. Albert. §. 120.* eſt ſaxatilium, qui in petroſis promontoriis, & ubi ſaxa ſunt, aut in rivis glareoſis deliteſcunt, qui non tantum facilis ſunt concoctionis, ſed etiam ſanguinem optimæ conſiſtentiæ, non tenuem, nec craſſum nimis generant.

Condimenta ciborum.

Cum autem tam carnium quam piſcium abſque condimento convenienti præparatio juſta fieri nequeat: ideò notandum, quod pro condiendis cibis modicus uſus Cinamomi, Caſſiæ ligneæ, Zingiberis, Macis, Nucis moſchatæ, Crocique ſufficiat, quibus non ſolum epulis jucunditas conciliatur, ſed ipſum quoque viſcerum robur confortatur.

Intinctus.

His accedere poſſunt ἐμβάμματα ſive intinctus, qui fiunt ex naſturtio, tàm hortenſi quàm aquatico, ex cochlearia, ſylveſtri Raphano, ſinapi, capparibus aceto madefactis, pauco adjecto ſaccharo.

Saccharum Scorbuticis inimicum.

Pauco dico ſaccharo adjecto, quia non admodum dulcedo Sacchari, potiſſimum Scorbuticis, convenit, quatenus Saccharum qualitatem obſtruentem & glutinantem conjunctam obtinet, adeòque obſtructionibus & collectionibus crudorum humorum anſam, præbet, ut habet *Quercet. in Pharmaco. dogm. cap. 10.* unde dulcia ſpleneticis potiſſimùm noxia, quod innuit illud *Pythagoræ.* Τοῖς σπληνικοῖς τὰ μὲν δριμέα, καὶ πικρὰ ὠφέλιμα, τὰ δὲ γλυκέα βλαβερὰ cum quo conſentit *Serenus* dum inquit:

Dulcia,

Dulcia, Plautus ait, grandi minus apta lieni.

Quod insuper ex *Galeno lib. 6. de Simpl. med. facultat. Celso lib. 4. de remed. cap. 9.* comprobari potest, quorum autoritatibus pro confirmanda hac sententia *Talentonius lib. 3. recond. rer. cap. 19.* utitur. Qua ratione factum, ut Medici Saxoniæ inferioris syrupis Saccharatis aquas destillatas & succos expressos substituerent, cum quotidiana testetur experientia, omnes ferè ægros in locis maritimis dulcia plerunque repudiare, quod se iis lædi percipiant, & quod mirum, pueros ægrotantes, qui tamen aliâs dulcibus delectantur, ab iisdem abhorrere, forsitan, quod statim à primis cunabulis aliquam ad hunc abominabilem affectum hæreditariam dispositionem habeant, quod rectè monet amicus olim noster *Dorncrellius in præfat. Dispens. novi*, cujus piè, sed heu præproperè, defuncti labores posthumos, præsertim medullam totius praxeos aphoristicam jamdudum promissam, *à Clariss. D. Petro Finx*, affine ejus, studiosa juventus anxiè expectat. Porrò panis quoque mentio facienda, cum inter alios cibos primatum obtineat, naturæque maximè familiaris sit, quem approbamus, ubi qualitatibus suis maximè oppositus est illi, quem supra inter causas Scorbuti descripsimus, nimirum ut sit triticeus, siligineus, secalinus optimè, fermentatus, cum aniso, cumino, fœniculo & sale conditus, non recens admodum, nec in veteratus.

Panis.

VIII.

In potulentis etiam eò respiciendum, ut habeant qualitatem attenuantem, incidentem & abstergentem, qua non solum crudorum humorum collectio impeditur, sed insuper etiam concoctio juvatur.

Potus ad præservationem Scorbuti.

Sic igitur potus vini subflavi Rhenani potissimum, optimè depurati, quod præstantius est, si arte redditur absinthites, chamædrytes aut similis efficaciæ, & pro diversitate & consuetudine utentium nunc meracum, nunc magis minusvè dilutum, exhibetur. Verum cum non omnis tellus Bacchi ferax, ejusdemque dona cunctis præstò esse nequeant, ideò vini defectum pluribus in locis cerevisia complet, quæ laudatur, ubi justo modo præparata, & ab impuritatibus separata, vim diureticam obtinent, non recens, nec in veteratæ aciditatis, quod ex superioribus etiam potissimum *ex thes. 14. exercit. 1.* colligitur. Qui verò tam à vino, quam à cerevisia penitùs abhorret,

---- *gaudetque meris abstemius undis,*

in aquis bibendis eò respiciat, ut semper eas eligat, quæ sunt optimæ, quas *Galenus lib. de ptisana*, pellucidas, puras, minimeque limosas & exactè colatas esse dicit. *Aëtius tetrab. 1. serm. 3. cap. 163.* exigit, ut optimæ aquæ fontanæ per meatum quendam aut terram puram colentur, & quam citissimè calefiant & refrigerentur. Magis autem accommodatæ redduntur aquæ, si in iis subinde ferrum ignitum tinctum atque extinctum fit, quæ *Celsi* testimonio & experientia comprobant, lienem adeò coërcent, ut absumere penè credantur, quod apparet ex animalibus, quæ apud fabros ferrarios educantur, quæ non solum juncea evadunt, sed lienes etiam perexiguos nanciscuntur, ut asserit *Albertus cit. lib. paragraph. 275.* At his meritò præferuntur, si in promptu sunt, fontes aciduli, sapore subacescentis vini longè gratissimi, quos in Scorbuticis rectè commendat aliquoties *Tabernamont. lib.* Neu Wasserschatz *passim. Ronseus in Epist. ad Cornel. Heidium. Sal. Albertus cit.* loco & alii, quatenus incidunt, acrimoniam humorum obtundunt, & visceribus affectis robur addunt, prout mineram ferri sulphurisque maxima ex parte præterfluentes, ejusmodi virtutes imbibunt, ut ob spiritus illorum metallorum sibi unitos, varios & admirandos in humano corpore effectus producant. Porrò lactis quoque potus interdum concedi potest, potissimum caprilli, ubi ad atrophiam adest inclinatio, propterea quod præbeat alimentum εὔτροφον, facilisque fit alterationis, quemadmodum *Decad. 1. problem. med. quæst. ult.* demonstravimus imò & serum lactis non improbatur, ubi scilicet majori opus est abstersione, magisque redditur accommodatum, si cum Sisymbrio, Nasturtio aquatico, Becabunga vel Cochlearia ebulliat aut infundatur.

Qualis aqua eligenda?

Acidulæ conceduntur Scorbuticis.

An lactis usus concedendus?

IX.

Præter illa, quæ ad aërem ambientem & alimenta pertinent, notandum exercitiis modicis & consuetis evacuationibus justo modo sese habentibus malum hoc præcaveri.

Quod facilimè colligitur ex iis, quæ supra diximus in inquisitione causarum: cum enim quies affectus splenicos augeat, consequens est in Scorbuto modica exercitia convenientia esse, quod etiam ex *Plauto* patet, ubi in *Curculione act. 2.* introducit lenonem *Cappadocem*, his verbis de magnis lienibus conquerentem:

Exercitia splenicis conveniunt.

---- *Iam quasi zona cinctus ambulo,*
Geminos in ventre habere videor filios,
Nihil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.

Huic, aliis interpositis, respondet *Palinurus servus*:

---- *ambula, id lieni optimum est.*

Eadem ratione consuetæ evacuationes minimè negligendæ, cum non solum ad præservationem, sed etiam ad curationem hujus affectus plurimùm faciant, quatenus morbi generationem evacuatione superfluitatum impediunt, & illud, quod generatum est, per sanguinis depurationem corrigunt & auferunt. Hinc experientia testatur mulieres Scorbuto obnoxias tum maximè paroxysmos sentire, cum evacuationum menstruarum obstructio accidit, quod etiam in dispositis quibusdam senibus apparet, quos Scorbutus invadit, ubi fluxus hæmorrhoidum iisdem consuetus supprimitur. Cæterùm quod somni, vigiliarum & perturbationum animi regimen attinet, illud ex ratione contrarietatis facilimè cognoscitur,

Consuetæ evacuationes promovendæ.

cognoscitur, ubi perpendimus illa, quæ supra in doctrina causarum diximus: consequens est, ut in præsentia ad ipsam curam nos convertamus.

X.

De Curatione Scorbuti.

Curatio Scorbuti perficitur, ope remediorum per indicationes rationales inventorum: at Scorbutus, ut & alii; affectus, non tollitur, causâ suâ superstite, quapropter in curatione primò causa tollenda est, ubi tam de venæ sectione, quam purgatione instituendâ deliberandum.

Etsi enim medendi Methodus juxta *Galen. lib. 2. Meth. Med. cap. 7.* nihil sit aliud, quam ejusmodi habitus, quo per indicationes ad morbum depellendum justus remediorum usus præscribitur; non tamen hoc semper immediatè per indicationes à morbo desumptas fieri potest, sed frequentissimè causa morbifica in indicando primas tenet, propterea quod sæpius non tantum illud, quod factum est, tollendum, sed etiam quod futurum, per causæ ablationem, ne fiat, propulsandum sit, ut habet *Galen. lib. 10. Method. cap. 1.* quia frustra laboramus in curando morbo tunc temporis, ubi causa ejus fovens negligitur. Causa scilicet non externa, quæ per se sola nihil indicat; nec etiam continens, quæ peculiarem à morbo non constituit indicationem, sed antecedens interna, quæ potissimùm in contentis, vel substantia, vel quantitate, vel qualitate, vel secundum ubi, vel motu aut quiete peccantibus, consistit, sicuti monstravimus *Disp. Medicâ 17. thes. 40.* Huic autem inter alia maximè sanguinis missione & purgatione, justo modo institutis, succurrimus, idcirco consequenter dicendum, quâ ratione illud ipsum fieri debeat.

Morbus non curatur nisi causa primùm auferatur.

XI.

Sanguis igitur in Scorbuto non solum qualitate, sed etiam copia peccans, lenitivo medicamento præmisso statim in principio, morbo nondum invalescente, & radices altiùs agente, venæ sectionem aut vicariam sanguinis evacuationem indicat.

An vena secanda in principio?

Ubi enim, inquit *Sal. Albert. lib. de Scorb. §. 240.* corpus universum succi plenum est, & obscuro quodam rubore perfunditur, nec aliud quippiam impedit, confestim & inter initia sanguis mittitur: quia sanguine misso deonerata natura & evacuata copia, viis redditis laxioribus, dubium non est, quin melius expurgatio fiat, utpote quæ & ipsa per se citra pharmacum solet sanguinis missionem consequi, ut inquit *Valles. lib. 7. controvers. cap 9.* Hinc etiam *Horatius Augenius lib. 8. de sang. miss. cap. 33.* magis abundante sanguine, quàm aliis humoribus à venæ sectione & non à purgatione incipiendum esse statuit. Quanto minus enim commodum est sanguinem evacuari purum, quàm impurum, tanto minus post purgationem sanguinis missio convenire videtur. Diximus autem lenitivo medicamento præmisso venæ sectionem instituendam esse, quia ventriculi primarumque viarum cruditas facit, ut succi crudiores in sanguinis locum à venis rapiantur, ut annotat *Gentil. super Avicen. lib. 1. fen. 4. cap. 10. quæst. 34.* quapropter in Scorbuto alvus, primæque viæ lenitivo medicamento à sordium alluvie repurgentur, utpote cum spes non vana sese offerat, hac ratione propter propinquitatem lienis & jecoris, adjacentiumque partium naturam à cacochymia seipsam quodammodo liberare posse, adeoque multum peccantium humorum infernè exhaustum iri. Vel igitur præmittatur Enema, quod conficiatur ex sero caprino, vel jusculo galli senescentis, in quo ad consumationem tertiæ partis coquantur *Rad. Polypod. Querc. Vn. j. fol. Malvæ, Origani, Fumar. ana m. j. Sem. Anisi Fænicul. ana drach. ij. prun. Vngar. num. viij. In hujus decocti colaturæ lib. 1. dissolve cass. pro clyst. drach. vj. El. Hieræ simpl. drach. ijs. ol. chamæ. Aneth. ana Vnc. sem. Mellis rosat. colat. unc. j. vitell. ovor. num. j.* fiat clyster. Vel loco enematis præscribatur Electuar. vel bolus hoc modo. ℞. *El. lenitivi de Man. Diacathol. ana unc. S. Sp. vitriol. gutt. v. sacch. q. s.* fiat bolus. Soltquellæ in eodem casu frequens nobis erat jucundum Elect. ibidem usuale, cujus compositio talis: ℞. *Cinam acerr. triti drach. vj. fol. Sennæ Alexand. select. à stipit. Vncias v. factâ ebullitione unica cum vini malvat. lib. iij. stent in infusione per 12. horas: postea cum expreßione percolentur. Hac colatura extrahantur uvarum pass. vino lotar. Vnc. ix. Extractioni huic addantur pulpæ Thamarind. Elect. Diaprun. simpl. Lenitivi ana unc. iij. Ol. nucis Mosch. still. scrup. S.* fiat Electuarium. Datur ab unica j. ad drach. xij. & interdum, pro diversitate medicarum intentionum cum aliis fortioribus miscetur. Non autem inconveniens erit post usum solidiorum medicamentorum lenitivorum haustum juris galinacei vel brodii pisorum, non penitùs insulsi, sed moderato sale conditi superbibere, quo non solùm vis leniens citiùs ad auctum traducatur, sed insuper etiam à saburra viscidorum humorum primæ viæ melius & perfectius eluantur. Dixi jusculis non penitùs insulsis, sed moderato sale temperatis hoc fieri debere, ne communem cum multis erremus errorem, qui contra rationem & experientiam cum vulgo & mulierculis nefas esse ducunt, sale conditos exhibere liquores, quia jusculum, si temperatè saliatur, non modo eluit ventriculum & intestina, sed salis vi etiam ad ipsas medicamenti reliquias abstergendas conveniens redditur. Salis enim proprium est, inquit *Quercetanus cap. 2. lib. 1. defens. Hermet. Med.* inter cæteras facultates, quas possidet, detergere, obstructiones expedire, putrefactionem & corruptionem arcere, unde moderatus illius usus non tantùm non noxius, sed maximè necessarius, ac in conservatione vitæ nostræ utilissimus statuitur, de quo vide *Mars. Ficinum lib. de vita cœlit. compar.* Eo ipso verò quo statuimus lenitivum aliquod præmittendum esse, antequam venæ sectio instituatur, non consentimus cum *Reusnero lib. de Scorb. exercit. 7.* qui statuit, in Scorbuto nunquam ante purgationem venam secandam esse, propterea quod *Galeno teste*, copia crudi humoris sanguinis missionem prohibeat, juxta *cap. 21. lib. 3. Meth. Med.* at corruptus humor circa jecur, lienem, vicinasque partes

Cur lenitivum præmittatur in venæsectione?

Enema leniens.

Electuarium leniens.

Electuar. extractionis sennæ.

An post lenitiva juscula insulsa præbenda?

An venæ sectio ante purgationem tentanda?

tes multo majus minatur periculum, quàm cruditas, ubi in venas pertrahitur: respondemus enim ad hanc instantiam dupliciter, nimirum, quod non omni morbi tempore venæ sectio concedatur, quia in morbo ingravescente mittendi sanguinis occasio præter lapsa censetur, propterea quod sanguis corruptus in viscera nobiliora regurgitet, & truculentiora invehat symptomata, quam ob causam eadem ratione, quâ venæ sectio postponitur purgationi, nos eandem omninò prætermittendam esse statuimus. Adde pro secundo, quod sanguinis evacuatio in præsentia concedatur, propterea quod per eandem levata, quæ corpus nostrum regit, natura, exonerataque eo, quo veluti sarcina premitur, haud ægrè quod reliquum est, vincere queat, ut ex *Galeno lib.* 11. *Meth. Med. cap.* 15. colligitur, quocirca præmissa venæ sectione citiùs & perfectiùs, quæ restat, purgatio subsequens perficitur. Verum his determinatis, non immeritò quæritur, quæ nam vena secanda pro sanguinis evacuatione in Scorbuto? *Sal. Albert. lib. de Scorb. paragraph.* 240. *Wierus observat. de Scorb. & lib germ. de morb. incogn. pag.* 11. *Ronseus de mag. lien. cap.* 8. *Forest. lib.* 20. *observat.* 11. & alii eò inclinant, ut præ cæteris venas sinistri brachii commendent, tunc potissimum, ubi, quod in Scorbuto accidit, lien magis, quam jecur afficitur, cujus assertionis fundamentum deducitur ex *Galeno lib.* 2. *ad Glauconem cap.* 2. *& lib.* 13. *Meth. Med. cap.* 10. ubi dicitur, quod in splenis inflammatione venæ manus sinistræ interiores, contra jecore affecto, eædem in dextra sint aperiendæ. *Et lib. de curand. rat. per venæ sect. cap.* 16. multùm juvare dicit lienem afflictum sanguinis è sinistro brachio detractio: propterea quod hoc modo fiat è directo lateris laborantis, adeoque καὶ ἴξιν secundum rectitudinem, quà dextra dextris & sinistra sinistris opponuntur. Etsi verò in aliis revulsionum generibus illam rectitudinem partium, quâ sinistra sinistris opponuntur, minimè negligendam esse putamus, in venæ sectione tamen magis ad rectitudinem ductuum, vasorumque continuationem respiciendum esse diximus *Disp. Medicar.* 16. *thes.* 34. Quam ob causam posthabita veterum autoritate, ne in aliorum verba jurasse, & contra conscientiam quicquam approbasse videamur, cum quibusdam recentioribus, in quorum numero est *Thaddæus Dunus lib* 1. *Artis evacuand. per venæ sect. cap.* 3. *& alibi in eodem opere. Reusnerus lib. de Scorb. exerc.* 7. *Sennertus in. quæst. Med. controvers. disput.* 6. *quæst.* 5. statuimus, in lienis affectibus, & per consequens etiam in Scorbuto, venas brachii sinistri, nullam habere prærogativam, propterea quod artificiosa corporum dissectione manifestum sit, nullum esse ramum venarum sinistri brachii, qui magis cum liene convenientiam habeat, quam venæ dextri brachii, utpote cum omnes venæ superiores cum liene beneficio jecoris jungantur, quatenus eædem à vena cava ascendente oriuntur, quæ tamen venâ portæ mediante tantùm lienem attingit, ita ut sanguis circa lienem abundans per sectam venam in brachio revellatur vel evacuetur non immediatè, sed mediante jecore, propter anastomosin, quâ rami venæ cavæ & portæ in jecore coëunt & uniuntur. Porrò in eligendis brachii utriusque venis eadem cæcitate laborant illi, qui tantum splenicam vel basilicam, aut post hanc medianam secandam esse statuunt, minimè verò in tali casu cephalicæ vel humerariæ sectionem concedunt, adducti majorum opinione falsâ, ex ignorantiâ rerum anatomicarum proveniente, qua statuerunt alium esse exortum Cephalicæ, alium quoque medianæ & Basilicæ, quæ tamen in humano corpore unius propagationis, uniusque parentis soboles sunt, quemadmodum post αὐτοψίαν testantur Anatomicorum celeberrimi *Vesalius*, *Fallopius*, *Bauhinus*, & alii. Patet hinc etiam, quid sentiendum de iis, qui cum *Paulo lib.* 6. *de re med. cap.* 40. tantopere in lienosis commendant, venam sal vatellam dictam sinistræ manus, inter minimum proximumque medio digitum sitam, cui, quod remotissima sit, vim revellendi concedere possumus (quamvis *Dunus lib.* 2. *artis evacuand. per venæ sect. cap.* 5. *contra Fuchsium lib.* 2. *de med. morb. cap.* 10. eandem nullo modo incidendam esse statuat) non tamen peculiarem quandam prærogativam, quod sinistra sit, eidem attribuimus, ex eodem fundamento, quod hactenus ex αὐτοψίᾳ Anatomica deduximus. Nec obstat quod *Valesius lib.* 7. *controvers. cap.* 5. novam adducat rationem, quod scilicet membra secundum rectitudinem excrementa sua deponere, & expellere soleant; quia maximè dubium hoc est, cum excrementa vergant ad sua receptacula, si dantur, sin minus ad partes imbecilliores decumbunt. Hac ratione dextram corporis partem ad glandulas ejusdem lateris post aures, circa alas & inguina sua excrementa exonerare concedimus: at venarum alia est ratio, quæ distribuuntur in totum corpus, & per consequens etiam in extremitates, non ut excrementa deponant, quod fit per accidens, quia accidit, ut sanguis præter naturam impuritate laboret, sed ut materiam nutritionis adducant. Adde quod eadem superesset difficultas; quomodo enim lien magis ad salvatellam sinistræ manus quàm dextræ deponeret excrementa sua, cùm æqualiter unaquæque distet à jecore, quo mediante, lieni succurritur. Cæterùm supra diximus in thesi proposita vicariam sanguinis evacuationem interdum pro venæ sectione substitui posse, nimirum tunc temporis, ubi fortassis natura subjecti magis hæmorrhoidum vel mensium provocationem, quàm venarum incisionem suadet. Si igitur vel ob consuetas evacuationes suppressas, vel alias ob causas materia peccans eò vergit, naturæ succurrendum per illa remedia, quæ ad hæmorrhoidum mensiumque reserationem faciunt, quia commodissimè per illa loca ducitur materia peccans, ad quæ sua naturâ vergere videtur, ut ex *Hipp. lib.* 1. *Aph.* 21. *colligitur.*

Quænam vena eligenda in phlebotomia?

An in lienis affectibus potius in sinistro, quam dextro brachio vena secanda?

An religio sit loco cephalicæ incidere jecorariam?

Quid statuendum de sectione salvatellæ?

Hæmorrhoidum & mensium provocatio quando conveniat?

XII.

Indicatâ sanguinis evacuatione peractâ, peccantis humoris copia, potissimum circa nutritionis organa, considerantur,

sideratur, quæ convenientem præparationem & purgationem indicat.

Cur in Scorbuto purgatio instituatur.

Quamvis enim obstructio & infectio lienis, & consequenter quoque jecoris, causa primaria sit omnium Scorbuticorum Symptomatum, ut ex priori exercitatione patet, non tamen his succurrere possumus, nisi primum impedimenta removeantur è medio, quæ alias operationem remediorum appropriatorum interturbare possunt. Hanc ob causam propter copiam ichorosæ crudæque materiæ, circa viscera concoctionis primariò collectam, purgatio, cum præcedenti præparatione, jure meritoque instituitur, tum ut corpus primò fluidum reddatur, juxta præceptum *Hippocratis*, tum etiam ut evacuentur illa, quæ evacuari convenit secundum *Galeni decretum lib. 2. Aph. 9. in com.* ubi inquit: si quis extenuet & incidat crassos atque tenaces humores, qui in corpore sunt & meatus aperiat, per quos isti transmittuntur atque trahuntur, à medicamentis purgantibus, tunc operatio rectè in omnibus procedit. Quapropter ante omnia crudorum humorum digestio vel collectio instituenda, nimirum talis, quæ in præparatione peccantium humorum locum habere potest, ubi per crassorum attenuationem & tenuium incrassationem homogenea congregantur & heterogenea secernuntur in materia Scorbutica, ut habet *Reusnerus exerc. 7. de Scorbuto.* Quî autem fiat ejusmodi digestio pulchrè declarat *Mercatus lib. 1. de recto præsid. usu. cap. 3.* nimirum dum in materiâ præparandâ crudâ crassâque naturam imitamur, quæ priùs humores fundit & attenuat, eosque postea ad mediocrem crassitiem reducit, quemadmodum patet ex chylificatione quâ alimenta primùm comminuuntur & funduntur, postea verò vicissim vi caloris agentis coagulantur, & mediocrem chyli consistentiam nanciscuntur; ex sanguificatione, quâ chylus primò resolvitur, & postea solidiorem sanguinis consistentiam acquirit; item ex coctione, quæ fit in qualibet parte, quâ sanguis primò resolutus subsequenti coagulatione in partium substantiam convertitur, eo scilicet fine, ut hac ratione heterogeneorum separatio fieri possit. Etsi verò in peccantibus humoribus natura finem eundem non assequatur, cum propter noxam acquisitam in partes nostras converti nequeant; nihilominus ope medicamentorum illud, quod melius est, attenuare nititur, separando scilicet partes noxias ab innoxiis, quo facto multò facilior & minus periculosa κάθαρσις instituitur. Quocirca priusquam fiat purgatio in Scorbuto, natura adjuvanda est, ut meteriam crudam concoquat, ideoque digerentia præscribenda sunt, quæ modicâ qualitate incidente, attenuante, & penetrante, non solùm ad humoris præparationem, verùm etiam ad meatuum libertatem comparandam inservire possint. Præ reliquis medicamentorum formulis commendantur hîc Apozemata, qualia præscribuntur passim ab autoribus: *Sal. Albert. lib. de Scorb. §. 253.* tale habet:

Digestio purgationem præcedens.

Quomodo natura coquat humores noxios?

Qualia digerentia in Scorbuto conveniant?

Apozema digerens Alberti.

℞. *Passul. corinth. syr. de succo acetosæ. inebriat. unc. j. ß. Rad. Polypod. querc. unc. ß Asari dr. ij bistorta. dr. iij. Glycyrrhizæ, Oxylapathi ana. dr. ij. cort. rad. capp. dr. iij. Tamarisci, sem. Anisi, Fœniculi ana drach. j. ß. Agni cast. dr. j. Vrticæ scrupul. iiij. Herbæ Cuscutæ, Acetosæ, Capil. Ven. Lichenis Petrei, Ceterach. Linguæ cervinæ ana M. ß. Thymi. Epithymi ana P. ij. Flor. cordial. demptis rosis ana P. j. Cinam. dr. 1. ß. fiat decoct. in aq. purissima ad lib. 1. In colatura clarificata ovi cand. dissolve Sacchari albiss. quantum satis. Iterum coque ad justam consistentiam syrupi. Vsus sit quotidianus unciæ j. ß. cum aq. Scolopend. capil. Ven. & Lupuli ana unc j. horis antelucanis. Hoc digestivo inferius non est illud* Reusneri, *quod habetur* exerc. 7. de Scorbut. pagina 430.

Digestivum Reusneri.

℞. *Fœniculi Apij. Petreselini. Ebuli. Eryngii Enulæ campanæ, Iridis Illyricæ, calam. arom. una unc. ij. cort. rad. capparum. tamaribis; Rad. Asari ana unc. j. Herb. Nasturtii sativi. M. j. ß. Cuscutæ, Capil Ven Polytrichi. Scolopendrii. Chamædris ana unc. j. Flor. Borrag. Thymi, Fumariæ. ana P. j. ß. Sem. Marathri. Anisi, Ammeos ana dr. iij Melonum dr. v. Vvar. passul. major. exossatarum paria. x. Cinam. Elect. conquass. dr. iij. Cicer. rub. P. ij. fiat decoctio in lib. iiij aqua fontana ad causam medietatis. Colatura prælo expressæ adde syrup. de quinq. rad. de Eupatorio ana unc. iij de Absinth. Oxysacchar. compos. Oxymel. cum Agarico ana unc. j. Clarificetur & aromatisetur Cinam. acut. Rad. Ireos & santali citrini ana drach j. Fiat Apozema, de quo quotidie propinetur Scorbutico triens ante cœnam & prandium horis quatuor, quo haustu sumpto, tabellam unam vel alteram devoret extract. Calam. arom. Agallochi.* His potionibus decoctis, in gratiam ægrorum, si opus est, aquæ destillatæ substitui possunt, ubi locum habet aqua *Scorbutica Quercetani in Pharmacopæa dogmat. cap. 7. descripta, quæ* ℞. *Cort. Rad. Fraxini. Tamarisci, Polypodij. querc. ana. unc. ij. Herb. Cochlear. Nastur. aquat. Sum. Meliss. Eupat. Mesuæ. Ceterach. Chamæd. Chamæpit ana M ij Sem. Fœniculi, Anisi, Card. bened. ana unc. j. ß. Centaur. minor. Hyperici. Sambuci. Epithymi ana P. ij. Omnia macerentur per tres dies in Aqua Fumariæ, Serilactis, ana lib. iij Vini alb. generosi lib. iiij. Oymelitis Stillitici lib. j. Dein colentur & exprimantur: expressioni adde Trochisc. de cappar. Dialaccæ ana drach. vj. fiat destillatio per cineres ad siccitatem. Dosis est. unc. ij. manè tribus horis ante cibum, continuando per aliquot dies, secundum morbi magnitudinem.*

Aqua Scorbutica Quercetani.

Talium remediorum usu tartarei crudique humores digeruntur, præparantur, emolliuntur, liquefiunt, & futuræ evacuationi apti redduntur, quatenus dicta digerentia non solum incidunt & moderatè attenuant, sed etiam peculiari vi confortandi visceribus succurrunt, & latentem ac ferè copiâ crudorum humorũ obrutum calorem nativum excitant & confortant. Hâc digestione præmissâ, consequens est, ut in curatione progrediamur ad evacuationem, ubi validis catharcticis supersedendum, cum vehementium purgationum hic morbus maximè

Purgatio quibus fieri debeat?

ximè impatiens ſit, ut inquit *Sal. Albertus cit. lib.* §. 254. qui primò potionem leniter purgantem talẽ præſcribit. ℞. *Fol. Senæ Sel. Rad. Polypod. ana dr. iij. Cort. rad. Hellebori nigri præp. dr. j. ſ. Sem. fœniculi Aniſorum. ana. dr. j. Viticis ſcrup. ij. Herb. Agrimon. M. ſ. Acetoſ. Franc. Chamædryos, Origani ana P. j. Epithymi. P. ſ. Flor. borrag. Buglоſſ. Lup. ſalict. ana p. j. Cichor. P. ij Paſſular. min. inciſar. unc. ſ. infunde per noctem in ſero caprillo, vel jure gallinaceo, mane uno atque altero fervore lento igne ebullias, fiat ſine vehementi expreſſione colatura, de qua ſumas unc. iiij. in quibus diſſolve Syrup. de ſucc. acetoſ. unc S. Elect. Indi dr. ij. Lenitivi dr. iij. fiat hauſtus* Loco potionis idem commendat hunc pulverem. ℞. *Pulv. ſenæ præpar. dr. ſem. Epithymi. Tartari albi ana Scrup. ſem. Diagryd. benè lævigati. g. ij Sacchari albiſſ. Scrup. ſem. Maſtich. gr. iiij. Detur ex jure gallinaceo jejuno ſtomacho.* Eodem modo commendatur etiam uſus Pulveris *Wieri, hui habetur lib. de morb incog. pag.* 12. *R. Fol. Senæ. unc. j. Tartari albi unc. Epithymi dr. ij. Cinam caryophyl. Galangæ, Aniſi ana dr. j Diagryd. dr. ſ. M.* Et fiat pulvis. cujus unc. ſem. infundatur per noctem in aliquot unciis ſera lactis, mane cum expreſſione coletur, & horis quinq; ante prandium ebibatur. Non autem ſufficit ſemel ejuſmodi purgationem inſtituere, ſed pro diverſitate peccantis materiæ ſæpius dictorum remediorum uſus repetẽdus eſt, interpoſitis digeſtionibus antea præſcriptis, quò reſpicit *Carrichterus* von der Leibartzeney/ *lib.* 1. *cap.* 41. Ubi præſcribit contra Scorbutum pulverem purgantem, qui ℞. *Fol. Senæ. unc. j. Rhabarb. Monach. dr. ij Sem. Aniſi. Fœniculi, Zingiberis ana dr. j. fiat pulvis, de quo mane & veſperi drac. ſem. exhibet, potu interim præſcrito quotidiano ex decoctione flor. cydonior. & prunor. ſylveſtr. niſi ventriculi imbecillitas ſimul adſit, ubi loco prunorum ſylveſtrium. Coriand. Præpar. & aliquid Galangæ additur.*

Potio purgans Alberti.

Pulvis purgans VVieri.

Pulvis Carrichteri.

His & ſimilibus remediis ad præparationem & evacuationem humorum præmiſſis, ulterius ad lienis μόλυνσιν corrigendam, & ſanguinem depurandum progrediendum eſt.

XIII.

Purgata ſuperflua crudorum humorum, quoad fieri poteſt copia, lienis obſtructio & infectio corrigenda, & ſanguis à Scorbutico tartaro per peculiaria convenientia & appropriata remedia depurandus eſt.

Hic igitur ἐκφρακτικὰ medicamenta, quæ vim obtinent expediendi meatus infarctos, ipſamque materiam obſtruentem reſolvunt, meritò conſiderantur, in quorũ electione potiſſimum eò reſpiciendum, ut tam viſceribus, quæ afficiuntur, quàm humoribus peccantibus accommodata ſint. cum enim lien obſtructus & materiâ corruptâ obſtruente infectus, ad ſanguinis crudi collectionem faciat, eò allaborandum, ut per medicamenta incidentia, penetrantia & ſingulari proprietate corruptis humoribus Scorbuticis reſiſtentia, non ſolum obſtructiones aperiamus, ſed etiam ſanguinem ichoroſum Scorbuticum corrigamus & purificemus, additis medicamentis appropriatis iis, quæ vel per urinas, vel per ſudores evacuant. Quod ex *Hermeticorum* quoque Schola non inconcinnè deduci poteſt: nam quemadmodum aliâs coagulatio per reſolutionem, & reſolutio per coagulationem ſolvitur, ita impræſentiarum opus eſt, ut ad Scorbuti cauſam proximam tollendam adhibeamus ea, quæ materiam tartaream cum ſanguine ichoroſo & mucilaginoſo commiſtam tàm in viſceribus, quàm in venis reſolvant, eamque reſolutam partim per urinas, partim per ſudores deturbare nata ſint. Hic igitur inter ἐκφρακτικὰ medicamenta meritò primatus attribuitur illis, quę ſingulari quadã proprietate Scorbuto reſiſtunt, vel, ut loquamur cum ſpagyricis, quæ poſſident ſalis incidentis & penetrantis copioſum ſpiritum, ut apparet in iis, quæ ſingularem acrimoniam cum amaritie permixtam guſtatui repræſentant, inter quæ priori loco numeratur herba *Cochlearia*, à forma cochlearis dicta, quam ad vivum deſcribit *Wierus obſervat. de Scorb. item lib. de morbis incogn.* & poſt experientiam in hoc morbo cum eodem admodum commendant *Dodonæus obſervat. Med. cap.* 33. *Eugalenus de Scorb. in obſer. paſſim. Sal. Albert. lib. citato. Foreſtus l.* 20. *obſerv.* 11. *& alii:* hanc ſequitur *Naſturtium aquaticum, Becabunga vel Anagallis aquatica, Sinapi, Raphanus ruſticus* & hujus generis vegetabilia alia; inter foſſilia deſumuntur in hoc morbo præſidia *à vitriolo, Alumine, vini tartaro, &c.* in quibus diligenti præparatione, noxiique ab innoxio ſpagyrica ſeparatione opus eſt. In his omnibus qualitas incidendi, penetrandi, coagulatumque tartarum Scorbuticum tum in viſceribus, tum in ipſo ſanguine reſolvendi reſidet, quam ob cauſam intentioni præſenti maximè inſerviunt, ubi poſt antecedentem præparationem cum iis miſcentur, quæ viſcerum robur confortant, & calorem nativum excitant, Quapropter ex herbis recentibus (exiccatis enim plurimùm decedit, propter ſpiritum ſalis, quo præditæ ſunt volatilem & Mercurialem, quam ob cauſam iis in locis, ubi Scorbuticorum quotidianæ curæ præfuimus, ſuccos expreſſos vitris hermetico ſigillo clauſis, & in arena ſepultis per hyemem quoq; conſervavimus) tale conficit remediũ *Albertus lib. de Scorb.* §. 261. *R. Naſturtii aquat. cochleariæ ana. plenos M. iiij. Lupul. Salicta. M j Rad Raph. Sylveſt. unc. ſem. Acori aut Galangæ dr ij* Conquaſſentur omnia in mortario lapideo, affuſo ſero lactis caprilli q ſ. ad meliorem ſuccorum extractionem: mane ad luculentum ignem ebulliant, de qua colatura manè & veſperi horis duabus ante cibum æger unciis quinque utatur. Ejuſdem ferè efficaciæ eſt illud, quod tanquam ſpecificum in Scorbuto poſt purgationes præmiſſas commendat. *Quercetanus in Diætet. polyhiſt. ſect. 2. cap. 1. ubi Raphani agreſtis minutim inciſi unc. ij. Cochleariæ m. iij in lib. j decoct hordei & vini albi unc vj contunduntur & exprimuntur, ita ut ſuccus hic expreſſus poſtea mane & veſperi bibatur.* Delicatioribus dictorum ingredientium deſtillata ſubſtitui poſſunt, unde huc pertinet *aqua Scorbutica Doncreilii in diſpenſatorio novo*, quæ liberat obſtructiones

Ἐκφρακτικὰ medicamenta qualia eſſe debeant.

Appropriata potio in Scorbuto Alberti.

Appropriatum in Scorbuto Quercetani.

Aqua Scorbutica Doncreilii.

nes lienis, emollit & attenuat humorem fœculentum, visceraque roborat, estque talis: *℞. Rad. Raphani sylvest. acerr. lib. iiij. Polyped. querc. unc. j. ſ. cort. rad. capp. unc. sem. Fœniculi unc. j. Cardam. unc. ij. croci oriental. drach. j Radices Raphani incidantur, reliqua pulverisentur & infundantur in vini albi opt. lib. xvj. Stent in digestione in loco calido per octiduum, vase quotidie semel atque iterum agitato: deinde adde Aquæ (per baln. Mariæ destillatæ) Cochleariæ. Becabungæ Nasturtii aquat. ana lib. j. ſ. Chamad. veræ, Fumariæ compositæ (quæ habetur in eodem dispensatorio) ana lib. j. seri lactis lib. j. ſ. Misce & destilla in Balneo Mariæ lento igne. Dosin constituunt unciæ iij aliquot diebus pro morbi magnitudine & ægri natura continuatæ.* Hæc & similia medicamina à vegetabilibus desumpta multò redduntur efficaciora, cum iisdem aliquid de appropriatis fossilibus præparatis, pro judicio Medici præsentis, additur, ubi primò locum habet acetositas ex Calchanto Spagyrica diligentia extracta, nimirum spiritus vitrioli, quem sequitur spiritus Tartari vini, non vulgaris, quo chrysurgi ad metalla solvenda utuntur, sed juxta *Reusneri de Scorb. exercit. 7. pag. 434.* intentionem præparatus, cujus vicem in casu necessitatis cremor vel butyrum Tartari, levissimo negotio confectum, sustinet. Hinc etiam apparet, quod non incommodè Scorbutici post adæquatas evacuationes ad acidulos fontes ducantur, eorundemque usum aliquandiu certâ præscripta diæta continuare jubeantur, de quo vide *Tabernamont. lib.* Neu Wasserschatz / *cap. 28. & alibi, Reusnerum de Scorb. exercit. 6. Ronseum de magn. lien.*

Spiritus vitrioli. Spiritus Tartari. An acidulæ aquæ Scorbuticis conveniant?

Verùm dum hæc medicamenta Scorbuto appropriata continuamus, & viscerum robori per adæquata confortantia prospicimus, diligenter notandum, an per urinas vel sudores natura materiam peccantem expellere conetur, ut per convenientia remedia eidem succurramus, adeoque commistis vel diureticis, vel diaphoreticis, naturam voti sui compotem reddamus.

È ducenda materia, quò sua natura vergit.

Si igitur ad urinarias vias materia vergit, frequenter cum dictis medicamentis ad Scorbuti causam tollendam præscriptis misceantur, quæ transitum per meatus urinæ moliuntur, tam simplicia, quàm composita: contra, si talibus morbus non cedit, adeoque magis fixas radices egit, succurrendum naturæ, quo διαφόρησιν quod optamus, perficiat, quia verisimile est, resolutam tartaream materiam è sanguine habituque corporis vix commodiori modo, quàm per sudorem & occultam transpirationem resolvi posse. Quo circa diaphoretica medicamenta cum dictis misceantur, ubi *Reusnerus* usum *Ligni Guajaci, sarsæ pariglia, sassafras & Rhodii* commendat, quorum decoctiones & infusiones cum Scorbuticis appropriatis remediis, pro natura morbi & temperamentorum commisceri possunt,

Quibus medicamentis διαφόρησις perficiatur.

Balneis insuper sudorquoque prolicitur, ubi roscido vapore vel per vinum, decoctum vel *ligni Guajaci*, silicibus ignitis aspersum, excitato, vel ex herbarum diaphoreticarum decoctis per lapides ignitos in iisdem frequenter extinctos genito, cutis spiracula reserantur, materiaque peccans resolvitur.

Balnea convenientia.

Ut autem finem balnei eò citius consequamur, idcircò ante ingressum aliquid διαφορητικῶν præbendum, ubi maximè sales artificiosé præparati locum habent, nimirum *Sal carduibenedicti, Absinthii, Rutæ, &c.* cum destillatis *aquis Fumariæ, Cochleariæ, Nasturtii aq. Becabungæ, &c.* exhibitus.

Salium chymicorum usus.

Quod si balnea minimè convenire videantur, per arida fomenta transpiratio occulta tentabitur, sale videlicet, *Milio, Avena, furfure*, aut etiam è testis & lapidibus calefactis in linteamen conjectis, & corpori nostro per vices adhibitis: quod etiam refert *Sal. Albert.* sepulchra humana sagacitate in usum mortalium excogitata esse: sepelivit ea (inquit ille) jam olim, si qui ex turba ægrotantium paulo essent delicatiores, in furno, ex quo pistus panis nuper extractus esset, ut blando illius tepore morbi reliquiæ è penetralibus corporum in summa transfunderentur ac simul discuterentur.

XIV.

His peractis & justo modo secundum indicationes curativas continuatis, sponte suâ cessant symptomata, ubi morbus est incipiens: at verò quando magis ingravescens est affectus, στομακάκη & σκελοτύρβη præ cæteris symptomatibus diligenter à Medico perpendenda.

Quod enim attinet lassitudinem spontaneam, sensationem gravitatis, pectoris angustiam, difficilemque respirationem & similia, quarum declarationem *exercit. 1. thes. 12.* proposuimus, de iis non admodum sollicitus est Medicus, ubi præcedentem morbi curationem strenuè sustinuit, propterea, quod talia symptomata morbo curato sua sponte cessent, ita ut hic verum sit illud Philosophorum, causâ sublatâ tolli quoque effectum. Id quod artificiosa curandi methodus etiam requirit, quâ tantum à morbo, morbificaque causâ & facultatibus seu viribus corporis indicationes desumuntur, quemadmodum ex *Galeno Disp. Med xvij. thes. 9.* demonstravimus.

An à symptomatibus indicatio sumatur.

Verum ubi morbus ingravescens est, ipsa symptomata diligenter respicienda veniunt, utpote, quæ tunc temporis augentur, & partim sævitiâ suâ vires adeò convellunt & conficiunt, ut metus sit, multo prius vires deficere, quàm morbus curetur, ut habet *Albertus*, partim etiam in morbos degenerant, qua ratione morbo mitescente sæpissimè symptomata redduntur deteriora, de quâ controversia vide *Sylvaticum controvers. 17.* Qua ratione de symptomatibus Scorbuti meritò quoque agimus in curatione, de iis scilicet, quibus vires insigniter labefactantur, aut novorum quorundam affectuum generationi causa præbetur: cum enim nunquam aliquid laude dignum absque naturæ adjumento Medicus perficiat, vires facultatum diligenter in omni morbo considerandæ veniunt, maximè verò in Scorbuto, morbo profectò præ reliquis, diversa symptomatum genera producente.

Quænam symptomata in Scorbuto peculiarem curam requirent?

Cum igitur ingravescens est morbus non negligantur oris, crurumque vitia, symptomaticè in hoc affectu provenientia, de quibus corrigendis præcepta sequentia notanda veniunt:

XV. In

XV.

In στομακάκῃ prospiciendum est oris vitiis, ut gingivarum sanguinolentiam, flacciditatem & putrefactionem per medicamenta constringentia, consolidantia, putredines & graves halitus inhibentia, singularique proprietate Scorbuti symptomatibus resistentia, corrigamus.

Cum in pluribus Scorbutus admodum in gingivis radicetur, ibidemque suam ferociam exprimat, quatenus eædem ex putrescente tartareo sanguine, juxta Spagyricos, emolliuntur, ob salis proprii corruptionem, indeque livorem & putrefactionem contrahunt, ita ut cum sanguinolentia fætidus adsit halitus, propterea quod sanguis Scorbuticis affluens, ob corruptum spiritum salis, ad figendam substantiam carnosam gingivarum sufficiens non fit: idcirco de harum correctione meritò hîc agitur, ubi non incommodè commendantur illa remedia, quæ salem contrahentem & consolidantem possident, ubi inter simplicia sese offerunt *folia Lauri, Quercus, cortices Pruni sylvestris, Plantago, Rosa immatura exiccata, Salvia, Bistorta Radix, Alumen, Vitriolum, Corallia, Diamoron, Mel rosatum, &c.* ex quibus & similibus varia componuntur medicamenta, quorum usus in στομακάκῃ diversimodè præscribitur. Ita contra sanguinolentiam & flacciditatem in principio talis pulvis ab Alberto conficitur. *R. Farina Cyperi, Pulegii. cremati in cineres, ana dr. j. ß. putam. cochl. ustor. Scrup. ij. Misce F. Pulvis, quo aspergantur dentium gingivæ.* Vel hujus loco præparetur hoc linimentum. *R. Succi. Bistorta unc. ij. Suc. Rosar. immatur. unc. j. ferveant in melle crudo unc. iij. ad consumpt. succor. Postea adde aluminis scissi, chartaque involuti atque in cinerem exusti, scr. ij. salis Scr. j. Diamoron. unc. j fiat Linimentum, quo inungantur gingivæ. Forestus* commendat succum Cochleariæ, ut & ejus aquam destillatam, quâ commodè os eluitur post usum præcedentium. Quibus inunctiones displicent, illi utantur oris collutionibus, qualem commendat *Ronseus de mag. lien. pag. 53. R. Bistorta cum rad. Tormentilla ana M. ij. Malicorii unc. ij. Rhois obson, unc. j. decoq. in aq. pluv. lib. ij. ad lib. j. colo transfundantur, colaturaque addantur, Aluminis scissilis dr. ij. Mellis opt. unc. ij fiat oris collutio frequens. Wierus in observat. de Scorb.* hujus loco proponit decoct. ex corticibus & foliis Oxyacanthæ & Rosis immaturis, addita Cochlear. sisymb. cardamine & Nasturt. hyemali, in aqua chalybeata coctis. *Dodonæus cap. 33. observat. Med.* decoctionem ex Hyssopo, Rosmarino, nuce Cupressi, additis paucis granis cubebarum & nucis moschatæ, cum rosaceo melle præscribit. Adjunge consilium Cratonis numer. 72. in consil. Med. à Scolzio editis. Ubi magis augetur στομακάκη, ita ut non solum sanguinolentia & flacciditas, sed insuper etiam incipiens putrefactio sese ostendat, ad fortiora progrediendum, ubi maximè locum habet *oleum vitrioli correctum, seu spiritus Calchanti*, qui nihil aliud est, quàm purissimum sal resolutum, maxima sanandi, purificandique facultate præditum, quo gingivæ renovantur, & dentes vicissim firmantur, unde *Ronseus de Mag. Lien. cap.* 10. Dentibus vacillantibus optimum est oleum Calchanti, acidodulce, chymicâ arte elicitum. Eligas igitur spiritum vitrioli correctum, eumque commisceas cum Melle rosato colato, quantum satis ad intensam aciditatem, eoque linimento singulis diebus ter gingivas, aliasque partes oris affectas, inungas. Si gargarismum expetis. *R. Aq. Plantag. Prunella ana Vnc. v. spir. Calchanti Scrup. j. Mellis rosati unc. j. Alum. usti Scrup. sem Misce & fiat gargarismus.* Huc etiam pertinet illud Reusneri. *R. Ligni Guajaci select. unc. j. ß. Herb. Salviæ. Pilosella, Vermicularis, ana M. j. Plantag. Nasturtii aq. fol. Myrti, ana M. v. Flor. Rosar. rub. P. iiij. fiat decoct. in vini rubr. & aq. fontana, aut chalyb. ana lib. j. ß. ad medietatis casum. Colato admisce Mell. rosati, rob. nucum, ana unc. j. Olei vel spiritus vitrioli Scrup. v. fiat gargarismus.* His & similibus collutionibus utimur, quarum vicem interdum fontes acidi vitriolati sustinere possunt, ubi copia eorundem ægrotantibus dari potest. Quod si magis adhuc graveolentes ac putrescentes oris quædam partes reddantur, *Albertus* easdem novâ spongiâ in succata vitrioli oleo, de consilio *Matthioli* præparato, perfricandas esse suadet, ore interim peculiari stillatitio liquore sæpius eloto, qui *R. Rosar. Mosch. fol. virentis Oleæ, vel ligustri ana M. iiij. sum. rubi M. ß. Cochleariæ aut vermicularis. Nasturtii, Rutæ ana M. ß. Salviæ M. j. Myrrhæ pulverif. drach. ij. si copia recentium est, tantisper contundantur, dum succum à se remiserint: sin aridorum, macerentur simul. in aq. rosacea fragrantissima, quæ operiundis singulis & universis sufficiat: asperso saccharo q. s. fiat liquoris destillatio per Balneum, organis vitreis mediantibus.* Ubi verò magis ingravescente morbo sordida gingivarum putrefactio intenditur, sæpè numero dicente *Alberto* §. 327. manuum operâ & forficulâ opus est, quâ corruptum præciditur, habita diligenti discretione, ne carnem superficietenus infestam pro syderata habeamus. Iis autem, qui à ferro abhorrent, id quod inutile est, per corrodentia & exedentia consumitur, ubi *unguentum Ægyptiacum*, cum Alumine usto, melleque rosato subactum, locum habet, maximè illud quod describit amicus noster *Guilielmus Fabricius lib. de Sphac. cap.* 10. *Wierus, ut & Albertus atque Reusnerus* in extrema gingivarum putredine hanc à quam commendant. *R. Arsenici sublim. Scrup. ij. Aluminis usti dr. ij. ß. in pulverem contusa bulliant in aqua Plantag. lib. j. ad horam in vase duplice, admisso secundum Albertum syrup. de cornis: huic liquori intingatur spongiola, quâ putridæ gingivæ tempore jejunii perfricentur.* Verùm in his & similibus cautè procedendum, & levioribus remediis natura primùm tentanda, priusquam ad dictorum usum perveniamus. Consequens est, ut ad σκελολύρβην nos convertamus, hoc tantum addito, quod pro fœtore oris corrigendo *trochiscos ex rad. Ireos florent.*

Quænam remedia conveniant gingivis.

Contra sanguinolentiam & flacciditatem gingivarum in principio.

Quid agendum in incipiente putrefactione gingivarum.

florent. drach. j. Moschi gr. vj. mucilagine trag. cum aq. ros. extracta q. s. addito Sacchare albissimo Unc. iij. cum Reusnero præscribere possimus, ne fœtidus halitus oris interdum, dum in reliquis vitiis corrigendis laboramus, tam ægrotantibus quam adstantibus intolerabilem creet molestiam.

XVI.

In σκελοτύρβην seu crurum tibiarumque affectibus potissimum respiciendum ad notham resolutionem, laxos tumores, maculas variegatas, & ulcera sceletyrbica, quibus omnibus per sua conferentia succurrendum.

Paralysis notha crurum quomodo corrigatur.

Quod enim primò debilitatem in ambulando & notham paralysin attinet, illius causa cognoscitur ex priori exercitatione, quo circa in præsentia facilime colligitur, quod hic adhibenda sint ea media, quæ causam & originem hujus mali, nimirum Scorbuticam materiam, tendinibus atque musculis copiosè inhærentem, resolvant atque discutiant. Quapropter post universalem affectus hujus curationem non dissuademus crurum, ut & tibiarum fomenta frequentia, quæ fiunt *cum decoctis Meliloti, Malvæ, Chamomil. ana M. j. Artemisiæ, Matricariæ, Lavendulæ ana M. j. s. additis granis juniperi M. ij. Nasturt. aq. Becabungæ ana M. j. Misce incidantur, & coquantur in s. q. aq. ad Balneum.* Post fomentationes inconveniens non erit inunctio, quæ fieri poterit *ol. Chamæmelino, de castoreo, medulla cruris bovini, succo Raphani Cochleariæ, Nasturtii cum ol. communi ad consistentiam linimenti cocto, & similibus.*

Laxi tumores.

Ubi verò laxi tumores crura occupant, *Albertus lib. de Scorb. paragrah.* 340. lotionem præscribit ex iis, quæ exiccant, absumunt, flatulentos ædematososque tumores discutiunt, videlicet ex lixivio, muriâ, aqua marina vel salsa, cui incoxerint *baccæ juniperi Rosmarinus, flores Sambuci, Salvia, Chamæmelum, Raphanus agrestis, Sisymbrium, modicum alumen, &c.*

Contra maculas crurum.

Porrò frequens est, ut lituræ varii coloris in Scorbuto circa crura potissimùm & tibias efflorescant, quas corrigimus per ea, quæ sanguinem ichorosum, Scorbuticoque tartaro infectum, & per ἐκχύμωσιν sub cute collectum, resolvunt & discutiunt, qua ratione *Wierus observat. de Scorb.* lituras in cruribus *decocto baccar. Iuniperi, Sisymbrii, Cardamin. utriusque, Nasturtii hyemalis, Cochleariæ, flor. Chamomill. Artemisiæ, Melissæ, Majoranæ, Thymi.* & similium herbarum fovendas esse suadet, ex quibus ingredientibus formulam peculiarem fomenti describit *Sal. Albertus* §. 347. ad lituras latitantes evocandas, & evocatas dissipandas, simul & semel inservientem. His adduntur inunctiones, ubi dictarum qualitatum ingredientia cum butyro majali rediguntur in formam linimenti, aut cataplasmata, quando eadem in pulveres redacta cum aq. destillatis Cochleariæ, Nasturtii, & similiũ in forma cataplasmatis litteratis locis applicantur.

Contra ulcera Sceletyrbica.

Tandem quamvis rarò fiat, ut ulcera sceletyrbica subsequantur, ne tamen quidpiam desideretur, horum tractationem subjicimus, reperitis nihilominus iis, quæ suprà diximus, quod ulcera sceletyrbica sint δυσεπούλωτα, ita ut non incommodè maligna & Telephia dici possint. Cum autem ejusmodi ulcus ob vitiosum humorem affluentem, etiamsi ritè peragantur omnia, diuturnum sit juxta *Galenum lib. 4. Meth. Med. cap. 5.* idcircò frustra curatio sceletyrbici ulceris suscipitur, nisi diligens totius Scorbuti curatio præmittatur. Quapropter, præmissis præmittendis, eò allaborandum, ut quàm primum extersione, sordiumque expurgatione partibus exulceratis succurramus; ubi Syrupus ex rosis aridis illitus, superstrato folio plantaginis ab *Alberto* primùm proponitur, huic subjicitur mel rosatum, Saccharumque Thomæum, quæ levi cum astrictione detergunt, & malignitatem ex influxu humoris corrigunt: requirit enim *Ronsæus de mag. lien. cap. 9.* ut medicamenta, quæ hujuscemodi ulceribus conveniunt, facultatem simul digerentem & astringentem possideant, ut ita quod influit repellant, & quod parti affectæ inhæsit, discutiant. Meritò igitur huc referunt unguentum mundificativum de Apio, quod *R. Succ. Apii. Melissophyl. Cochleariæ ana unc. sem. Chelido. drach. v. Mellis crudi q. s. coq. ad justam consistentiam, adjecto Thure, Aloë, Myrrha, si ita videbitur.* Quando verò sordes & ichores adhuc augentur, quotidiè decocto vermicularis herbæ, aut aqua consolidæ Sarracenicæ, guttis aliquot ol. vitrioli commistis, partes exulceratæ purificentur, inspersis postea exiccantibus & in pollinem lævigatis, ubi post leviora ad *Sigillum Saturni*, hoc est, ad plumbi pulverem accedendum, qui fit mediante calcinatione potentiali, qua per adæquatum menstruum affusum limatum plumbum solvitur, eodemque vicissim citrà ustionem separato, in lapideo mortario cum pistillo plumbeo in atomos conteritur. Quibus pulveres displicent, illi post lotiones dictas utantur *Linimento de plumbo Montagnana*, quod *R. Plumbi usti unc. j. Lithargyri probè despumati unc. sem. Cerussa lotæ, aceti ana dr. ij. ol. rosac. unc. j. s. Mellis rosati unc. sem. Vitell. ovor. num. ij. Mirrhæ dr. ij. Ceræq. s. f. Linimentum* quo abluta tibiarum ulcera calidè perungantur. Qui plura de talium ulcerum curatione desiderat, huc illa referat, quæ *Galenus lib. 4. Meth. Med. & lib. 2. artis curativæ ad Glauconem proponit*, quemadmodum & illa, quæ habet *Tagault. lib. 3. instit. Chirurg. Aquapendens lib. 3. de ulcer. cap. 4. Ronseus loco citato. Paræus lib. 12. Chirurg. & alii.* Jam superesset, ut aliorum symptomatum & affectuum succedentium, quorum suprà mentio facta est, tractationem & correctionem adderemus: Veruntamen cum artificiosa conjecturâ Medicus eruditus ex dictis facilimè intelligat, qua ratione per appropriata remedia, cum aliis communibus pro morborum diversitate commistis, procedendum, idcircò hîc finem facimus, & vero Archiatro, DEO Ter. Opt. Max. gratias immortales agimus.

OBSER-

OBSERVATIO XXXV.

De quibusdam Scorbuticis dispositionibus.

Vir Clariss. Excellent.

DN. D. PHILIPP. HOCHSTETTERUS, Physicus Augustanus,

GREGORIO HORSTIO, D.

PP. Semestre est, quo literas accepi, in quibus Bavarum nobilem mihi commendabas. Is vix Augustâ nostrâ visâ, ad paternum tumulum properavit. Posuit quidem omnem spem in consilium à te communicatum: voluit tamen & meam in charta videre sententiam: ego, quantum istis momentis, quibus hora mensuratur, videre potui, annotavi, & illa sub eo titulo, quem *Platerus* Discolorationes ex cachexia vocat, tractavi, quæ ante obitum paucis diebus Monachum venere. Fateor sanè rarum nobis Scorbutum morbum esse, quem prædecessores mei ad domum morbi gallici ablegarunt. Ego Anno 1616. quo febris stigmaticæ nulla, quartanæ verò multa vis erat, in meo Nosocomio apud textores pauperrimos & infimæ sortis, qui sordes devorare solent homines, primò vidi. At non ejus malitiæ, qualem describunt *Eugalenus*, *Wierus*, *& Ronseus*, *vel etiam Forestus*. Cessit paucis medicamentis, purgatione scilicet ex Conf. Hamech, El: Diabelzemar Renodæi, syr. rof. hellebor. & similibus, cum continuato usu syr. scelotyrbici, quem ex succo Nasturtii aquat. Becabungæ, fumariæ, & lupulo, ad modum Bysantini, jussi conficere, addito oxymelite Juliani. Sanè *Eugalenum*, *Wierum*, *Ronseum*, *Forestum*, (ex quibus *Platerus*, cum de Fœdatione corporis suum componeret, transscripsit, quæ habet: autoptis nunquam fuit, ut fassus est, cum opponeret Anno 1602. Thesibus Mithobii) dum lego, vix umbram habere nostrum Scorbutum cum septentrionalium intelligo. Nec mirum: alia nobis victus ratio, alius aër, aliud vitæ genus. *Eugalenus* latissimè eum extendit, omniumque morborum quasi materiam primam esse, quemadmodum in lectionibus & consultationibus de Morbo gallico pronunciavit *Her. Saxonia*. *Reusnerus* eum ex serosi humoris abundantia, *Sennertus* ex corruptione, & commistione seri cum humoribus adusti resurgere putat; quare hydragoga putavi esse utilia. Hinc hisce diebus junxi rad. Jelappæ dosin, & sæpe mecum dubitavi, an gummi gittaiemu usus esse possit. Tentavi ejus vires in quodam hydropico, ad scelotyrbem, ob maculas luridas in extremis, & sanguinis fluxum ex gingivis, inclinante, non sine fructu. At una hirundo veris præsentiam non asserit, ita semel exhibuisse medicamentum ejus utilitatem non adstruit. Vomitu & purgatione aliquid promovit; correxi ejus grana X. cum ℥ij. Syr. cinamomi, & cremorem Tartari ad ℈s. jussi esse socium, cui vinum punicum dilutionis gratiâ admistum. Si tua Excell. de his duobus purgantibus quid singulare habet, quæso significet. Radicis frequens est usus apud nos in substantia, cum Rhabarb. & Cremore Tartari, irroratis pulveribus aq. Cinam. aut ol. stillat. sem Fœnicul. imò & sine Rhabar. in hydropicis aquas jugas evacuat, sed vehemens ejus operatio. Pharmacopæus quidam Extractum ex eâ præparavit, hujus ʒß. minus purgat, quam ipsa substantia: gummosa est radix, Bryoniæ non absimilis, &c.

Scorbutus mitior in Suevia. *Origo Scorbuti.* *Usus gummi gittajemu.* *Correctio ejusdem.*

Idem Eidem.

PP. Cum præterito anno militari jugo nostra Augusta subjiceretur, simul etiam causus maligna cum capitis dolore & maculis ac morte civium, unà cum militibus in civium locata fuit ædes. Autumnus minus maculavit, alvus plures tamen sustulit, maximè pauperes: ut febris causodes quadratos, juniores & ditiores. In hyeme malum minus lethale. Post conversionem solis, plebs de pedum dolore gravativo conquesta est, usum ambulandi in ejus fine, & veris principio totum amisit. Qui ad Nosocomium portati, illi obscuros pedum dolores sensisse, & sensim intumuisse affirmarunt: tangenti mihi, sua duritie & renitentia non cedebant, nec foveæ vestigium ullum servabant: maculæ hinc inde nigræ, lividæ, flavæ, latæ, ut plurimum rotundæ, parvæ. Chirurgis & plebi erant gangrænosa, nobis videbantur refrigerata maximè. Quibus latæ admodum fuerunt maculæ & cataplasmatibus discutientibus, & resolventibus curavimus satis feliciter. Cacochymiam quandã serpentem, cum iisdem ædibus plures, iiq; diversarum ætatum simul inficerentur, esse statuebam, æmulam Scelotyrbicæ. Subscripserunt statim aphthæ & epulides stomacacæ: gingivæ siquidem tumidæ, molles, laxæ, cruentæ, luxuriantes, & à dentibus abscedentes, fætidi coloris, impedientes masticationem, & ulcerosæ, idipsum confirmarunt. Ex his aliquæ hydropicæ, quæ tractatæ durius, moriebantur. Morbus chronicus, cedens tardius medicamentis, & in senioribus, Epilepticis vel Apoplecticis insultibus finitus. Purgavi horum corpus ut plurimum Medicamentis phlegmagogis & hydragogis: maximè in principio lenioribus, postea usus sum gummi gittaiemu, cujus usus est in maritimis: dein fortioribus, pillul. de fumaria, de nitro, de hermodactylis. Cum vero Eugalenum legerem fortioribus irritari malum, observo an ad hydropem decedat malum, an ad pedes. His mea conjunctione pillulari decimo quoque die, data interim his diebus aqua Dorncreilii ad ℥iij à qua dolor non exiguus in pedibus primis diebus, sudor, & urinæ copia, subvenio. Inungo pedes ut plurimum hoc linimento: ℞. *Ung. de Bdellio, Arregon. an.* ℥*ij. Scelotyrbici, quod est ex baccis Juniperi, rad. sigill. salom. cum vino coctis & butyro* ℥*ij. ol. lumbricor terr.* ℥*iiij. Castorei. de piperibus ana* ʒ*j. M.* Aqua viridi Plateri oris epulides & ulcera auferuntur, &c. Augustæ, 12. Junii. 1633.

Febris Epidemia *Cum dysenteria.* *Scelotyrbe.*

Idem

Idem Eidem.

Scorbuti simplex curatio in rusticis.

PP. De Scelotyrbo & stomacace præterito anno scripsi: rediit hoc anno circa veris initium cum dyspnæa, malo habitu, pedum duritie, immobilitate: rusticis, civibus & orphanis infesta. Rusticis usum nasturtii aquat. monstravi: successit ipsis melius, quam meis ægris, quibus tres illos succos Nasturtii, Anagall. aq. & chelidoniæ, una cum sero lactis ac pauco saccharo dedi per mensem. Stomacace orphanis minus frequens, quam Scelotyrbæ? contracturæ, tensiones pedum multæ, inunctiones parum proficientes: calor aquæ dulcis motum in aqua & extensionem dabat; extra aquam antiquum. Cum ol. lilior. al. lumbricorum terrestr. Philosophorum & similibus inungerentur pedes, magis renitebant. Centum & sex ægros habeo in Nosocomio, cives, rusticos, milites. Expugnare igitur averem citò hanc cachexiam cacochymicam, sed altas radices agentis difficilior est eradicatio. Et miror, cum Orphanis nostris sint cibi ex farina optimi frumenti & lacte, quod in hoc morbo apprimè laudat Eugalenus, cur illi hoc malo afficiuntur, &c. Sæpè mecum cogitavi, cum malum nervosis partibus, & ori infensum sit, an non sit de natura Mercurii, & an non tale virus melius evacuaretur Antimonio, quod dejiciendo & rejiciendo ageret; & an diaphoreticum aliquid præstet? Ante annum lædebantur decoctis diaphoreticis, ad normam von der Meye / Brædanæ obsidionis Medici, præscriptis, multosque, imò omnes, venter sustulit? In magnis anxietatibus Mercuriales hos spiritus, Tartari compositum spiritum aqua Nasturtii aq. mixtum, ut etiam Theriacam Sp. V. infusam & similia, solitus sum usurpare, &c.

Viro Clariss. Excellentiss.

DN. PHILIPPO HOCHSTETTERO, Philos. & Medico D. apud Augustanos celeberr.

GREGORIUS HORSTIUS, D.

PP. Literas tuas de Protheo Scorbutico lubenter legi, cujus morbi nunquam non pro ratione regionum, victus, & subjectorum laborantium alia atque alia facies, ut ex Epistolis aliorum mecum communicatis, tum etiam ex tractatu meo de Scorbuto, quem ante multos annos, cum ad tempus aliquod Soltquellis veteris Marchiæ, quo in loco morbus Endemius quasi, praxin Medicam factitassem, publico Examini Academico subjeci, satis superque colligis. Cæterùm de purgante isto exotico gummi Gittaiemu, vel gummi gotta laxativo Indico nosti, quid inter me & *Clariss. D. D. Hildebrandum* ante annos aliquot epistolari velitatione fit actum, *lib. 1. Epistol. Medicin.* Plenius postmodum *Clariss. D. D. Lottichius* de eodem scripsit peculiari libello Francofurti cum aliis apud Schonwetterum impresso. Noviter eruditè doctus Medicus *Dn. Iohan, Carolus Rosenbergius par. 2. Rhodologia, cap. 22.* de eodem quoque tractat, ubi lachrymam Ricini Indici idipsum esse statuit, & oculatis testibus modum proponit, quod ad radicem arborescentis istius Ricini colligatur ab Indis, postmodum Indico croco coloretur, corrigatur, & in formulas, instar caseorum ovillorum, redigatur.

Gummi Gotta quid sit.

Quid sit Mechoacanna nigra radix.

Quod porro radicem Mechoacannæ nigræ concernit, quam etiam Jelapam vel Selapam dicunt, illa describitur à *Clar. Bauhino in Pinace lib. 8. Sect. 1.* sub nomine Bryoniæ septimæ, quæ ex Indiæ regione, Chelapæ vel Selapæ nominata ante paucos annos allata sit. *Rad. Fonseca tom. 1. Observ. pag. 97.* dicit, Selapam esse genus Mechancannis, eamque maximè commendat, quod gratum sit phlegmagogum medicamentum, odore, saporeque carens. Insignis est Medicina *Magisterium* ex eadem confectum, Francofurtensibus & nobis in frequenti usu, quod ab 18. ad 24. grana datur, magna cum facilitate sumentium, fitque modo eodem, quo vester *Mindererus* pulverem syrium conficere jubet, sub finem Aloëdarii, Memorabili vero, quod *Clariss. Clossaus* Medicus Metensis ad me scribit his verbis: *Caterùm pro communicato Ielapa Magisterio, habeo gratias: rectè ex ea radice per sp. v. cremorelicitur, ob copiosam gummositatem, quâ abundat, unde carbonibus vel igni admota flammam concipit, quâ conjectura decepti quidam Scammonii radicem esse contendunt: nondum enim innotuit quid sit, & quibus in locis hac radix crescat. Est autem nihil aliud (ut nobis referebat Anglus quidam exoticarum Plantarum expertissimus) quam Mirabilis Peruviana flore rubro, cujus radix inodora diebus canicularibus effunditur, tessulatim inciditur, inque loco umbroso siccatur. Color radicis recenter effossa albus est, gustus insipidus, sed qui tractu temporis, evaporatâ scilicet parte aquea, rufescat, & vinosas lineas repræsentet, atque incisoriam suam lingua prodat facultatem, viribusque ab invicem non discrepant. Itaque jam Mussiponti copiosè seritur, & ad educendam Hypochondriacorum tùm atram bilem, tum serosos ichores, tum corporis flatus, quibus vexari illi quam maximè solent, fructuosè usurpatur.* Hactenus amicus ille, qui postmodum seminis etiam copiam mihi fecit, duarum specierum, quarum ea, quæ flore purpureo rubet, Jelapæ radicem esse statuebat, Semen Jasmini Indici mihi videbatur, quo terræ mandato pullulabat dicta planta hortulanis omnibus elegantiâ diversorum florum notissima, quam *Clusius Rarior. Plant. hist. lib. 5. cap. 5. Halchal. Indi, sive Admirabilem Peruanam* vocat, Germani nostri Schweitzerhosen. Mirabar Plantam tot annis oculorum gratiâ tantùm plantatam, viribus suis egregiis nobis incognitam fuisse, præsertim cum ex relatione prædicti *Clusii Iacobus Anton. Cortusus*, olim Patavinus Botanicus, aquas educendi vim radici tribuerit, ubi pondere ℨij. assumitur, Cum autem radix prima æstate non eam crassitiem acquireret, ut Mechoacam nigram repræsentaret, communicatione factâ cum artis pharmaceuticæ studioso Johan. Philipp Zachmanno, vo-

Magister Ielapæ.

flo, vobiscum tunc temporis ante triennium vivente, misit ille radicem Jasmini per biennium, juxta modum à Clusio propositum, asservatam, crassam satis ac tuberosam, ut ovum ovo similius esse non possit, ac radix illa cum Mechoaca nigra collata: conservatur enim Jasmini planta per annos aliquot, modò radix hyemali tempore recondatur in cellam non admodum humidam; quæ vere vicissim solo commissa floret, & sat magnas atque tuberosas radices, humi nanciscitur. Quod autem Cortusus ℥ij. exhibuerit in hydropicorum aquis purgandis, adeoque nostram dosin communem longè superârit, ea propter factum fuisse censeo, quod annuæ tantum plantæ radices intelligat. Ita dies diem docet. Benè vale cum familia, Raptim Ulmb. prid. Calend. Aprilis 1635.

Vir Magnificus & Excellent.

JOHAN. FABER,

Med. D. Comes Pal. & Sereniss. Elect. Bavarici Archiater,

GREGOR. HORSTIO D.

Observatio singularis Scorbuti.

Cum cordis palpitatione ex levissima causâ.

P. P. Honesta fœmina, annorum 37. liberorum quinque mater, Anno præterito 16. Maij, ultimò peperit, olim corpore robusto & agili, temperamento melancholico prædita, bene tamen colorata & aliàs disposita, jam à quinque annis malè sese habuit, & quidem primis duobus annis in ascensu per scalas, vel vehementiori motu, cor palpitare cœpit, accedente lipothymia gravi, rarissimè tamen: hinc indies magis magisque auctum fuit malum, ita ut etiam in plano, si parum tantum celeriori gradu, vel aëre spirante fortiori incederet, vel sedere, vel ad minimum aliquandiu stare coacta fuerit, nisi symptoma prædictum pati voluerit, in quod tamen incidens inscia sæpius urinam excernit. Et eò devenit malum, ut in ultimo puerperio post partum ad quatuor usque septimanas, si tantùm vel brachium celerius sublevaret, vel ad latus decumberet, vel aliter parvum tantum motum exerceret, mox palpitatio cordis cum lipothymiâ tam vehemens eandem prehenderet, ut morti vicina videretur. Elapsis vero septimanis quatuor, affectus in eum statum, quo fuit ante puerperium rediit, ita tamen, ut vix per plateas nisi lentissimo gradu progredi possit. Licet autem hactenus varia medicamenta sint adhibita, videtur tamen affectus paulatim in antiquum labyrinthum redire. In omnibus aliis secundum naturam sese habet, sed quam primum motum aliquem violentum habet, statim cor palpitat, & nisi protinus quiescat, in lipothymiam incidit. De hoc gravissimo palpitationis affectu quid scribant tam veteres, quam Neoterici scio: verum quid tu sentias & an spes aliqua pristinæ valetudinis recuperandæ, & quibus mediis hæc consequenda sit, judicium atque consilium tuum desidero. Benè Vale. Dabam Landishuti die 20. Novembr. Anno 1630.

Viro Magnifico, Excellentiss.

DN. JOHANNI FABRO,

Com. Pal. Cæs. Archiatro Electorali, &c.

GREGOR. HORSTIUS, D.

Casus singularis.

S. Rectè tuas literas sub dato 20. Novembr. heri mihi traditas fuisse scias, Vir Magnifice &c. fautor & amice colende, quas eò gratiores mihi fuisse certò tibi persuadeas, quò magis constantis amoris erga me tui testes erant. Quod primo casum singularem notæ istius fœminæ concernit, nolui intermittere, quin (antequam respondeam) similem historiam, ejusque eventum, primo præmittam. Eruditus quidam Medicus, amicus meus singularis, sub dato 13. Julii, Anno 1627. hæc ad me perscribit, Generosa Comitissa, cujus constitutio calida, & humida, calore tamen humidum exuperante, in visceribus maximè, quæ immodico æstu affecta hypochondriacæ Melancholiæ obnoxiam reddunt, præterito Anno in principio Junii, propter mortem fratris, animo consternata & perturbata valdè (sicut aliàs habet naturam mobilissimam ad corporis, animique pathemata suscipienda facilimam) in cordis affectum vehementissimum incidit, qui varias palpitationis, tremoris, concussionis, agitationis & subversionis formas hactenus exhibuit, cujus tamen mali principia prius in Februario, dum puerpera esset, sensit, ita ut sub vesperam semper circa cordis regionem affligeretur, cum debilitate quadam, conquerens cor concussionem quandam vel tactum quasi pati, à quo tamen accidente, finito puerperio, rursus liberata est, ad dictum usque tempus, quo subitò iterum præhensa, jam ultra annum mirè affligitur. Interea temporis prægnans facta (decima octava vice nunc uterum gerens, & binos etiam abortus passa) per duos ab impragnatione menses à malo libera mansit, tertio autem mense denuò corripi cœpit; ita ut eodem per certos paroxysmos 14. 12. 8. 9. die, interdum frequentius recurrentes, nunc vero in octavo mense existens, quotidie ferè tentetur. Afflictio autem cordis hæc varias habet species: nunc enim palpitat cor, vel tremit, id quod nunquam ipsam planè deserit; commota namque lenissime & incedens saltem, nunquam non tale aliquid patitur, cum molestia & debilitate, interdum cum concussione, & quasi subversione, cor sustinet cum insigni terrore, timore & languore: nunc tactum quendam violentum, ac si subitò divellerentur ejus partes, cum animi solutione, & insigni virium labefactatione. Paroxysmos hos præcessit ante hac plerumque alvi perturbatio, quam initio invasionis semel, iterumque deponere coacta fuit, quamvis jam rarò hoc fiat: finit autem semper ferè oscitatio creberrima, interdum quoque ructus stomachi, flatuum indicium.

Pulsus non eodem semper modo, sed jam creber & magnus, jam languidior & rarior, præsertim in paroxys-

 mis

mis matutinis, ſemper inæqualis, nunquam tamen pro mali vehementia ita debilis, ut in veris lipothymiis, deprehenditur. Extra paroxyſmum ſatis benè habet, ſed ad leviorem corporis motum & inceſſum, cordis patitur moleſtiam & ſaltum, arteriarum etiam totius corporis pulſationem, viriumque languorem, cujus cauſa è lecto vix ſurgere, multò minus è conclavi progredi licet: appetitus viget, ſitis nulla, noctes quietæ, ſomnus placidus: urinæ cum copioſo ſedimento ſemper, craſſo, ſæpè rubro, ſabuloſo etiam, quarum ſubſtantia nunquam tenuis; color plerumque intenſior, alvus pigra per ſe, quæ clyſmate leniter commota magnam excretorum copiam, ſæpius induratorum & in globulos exiccatorum, egerit.

Variæ ſunt adhibitæ Medicinæ, maximè cordiales confortantes, nullo tamen cum fructu, ſicut eædem adhuc etiam nihil utilitatis præſtant, quantumvis ſint pretioſiſſimæ. Poſtquam meæ curæ ſubjecta fuit, Martio currentis anni, purgata fuit, venam aperuit, & poſtea Syrupo de Pomis Compos. Auguſtan. cum dimidia parte Syr. Diaſereos, frequenter uſa fuit, qua ratione laxabatur alvus, & mali mitigatio, ſed exigua, ſentiebatur.

In ſuſpicionem autem venit affectus Scorbutici, ob maculas lividas in pedibus, gravidis aliàs frequentes, quapropter, ut obviam iremus huic malo, & conſilia, medicinaſque eò dirigeremus, flagitare indies, imò urgere non deſiit: nos vero cum ſcrupulum ipſi eximere nequiremus, ut ex parte morem gereremus Apozema præſcripſimus ad præſentis affectus primam cauſam, nempe obſtructionem viſcerum, lienis maximè, directum: ℞. *Cort. Cappar. tamariſc. fraxini ana ℥ij. ſem. aniſ. fænicul. ana ʒiij. Apii ʒj, Herbar. Naſturt. aquat. Chamæ dr. Cuſcut. Scolopenr. Ceterach. ana Mß. Cochleariæ Mj. (hanc herbam alibi comparavit, & ut decoctum ingrederetur ſerio. mandavit) thymi, Epithymi. Fl. Geniſtæ ana pjß. Rad. Ononid. Petroſel. fænicul. ana. Paſſul. min. ℥iij. Polypod. ℥j. q. ℥jß. Herbar. Capill. Veneris Mß. fiat. Decoctio in æquali p. aq. & vin. ad ℔ij. Caſu mediet. Colaturæ pro vice Rec. ℥iiij. Aq. Cinamom. ℥ß. Sacchari alb. ʒj. M.* Quam potionem 4. Maij ſumpſit, ſed eodem die circa veſperam crudeliſſimè paroxyſmo præhenſa vitæ periculum ſubire videbatur, ſenſim autem ad ſe rediit, & placidè dormivit. Mane, reſumpto animo, decoctum iterum ſumpſit, & ſic deinceps 14. diebus, ex quo tandem melius habere cæpit, & paroxyſmi facti mitiores & rariores. 13. Junii, cum aliquot diebus nil egiſſet, propterea que minus rectè haberet, enemate uſa eſt, & ſequenti die Syrupi ſupra deſcripti cochl. tribus: utriuſq; operatio feliciſſima erat: excretorum enim craſſorũ tantam copiam egeſſit, ut omnes miraremur, imò totum mali fomitem jam è corpore eductum exiſtimaremus.

Sed ab inde non benè habuit: nam paroxyſmi acerbiores facti ſunt, quibus indies ferè hactenus tentata fuit, ſæpè non ſemel tantum in die, ſed bis, terve, manè ſomno vix excitata (placidus autem is ſemper eſt) cordis concuſſionem patitur repentinam, & quaſi tactum quendam, ac ſi manu præhenſum cor è regione ſubitò divelleretur: accedit terror ingens, vireſque decedunt, quæ tamen ſenſim redeunt: Pulſus tamen plerumq; tardus & parum debilis; veſperi, quam primum lectum ingreditur, paroxyſmo multò crudeliori ſæpè corripitur, nempe agitatione cordis vehementi, & q. ſuffocatione, vel compreſſione violentâ; pulſus tamen magnus eſt, & creber, reſpiratio frequens, & quaſi ſuppreſſa, arteriarum in jugulo pulſationes inſignes, vicinas partes quatientes, loquela difficilis, vel penè nulla, auditus moderatus, oculorum obtutus fixus, corporis motus nullus, &c. Hæc, quæ & adſtantibus terrorem incutiunt, ultrà quartam horæ partem durare poſſunt, imò ad dimidiam ſæpè excurrunt. Frictiones autem brachiorum lenes, varia interna & externa confortantia, omnis gravis odoris, quem non tolerat, expertia, ſenſim eam reſtituunt, tum oſcitationes ſuperveniunt, & interdum ructus, puſillanimitar etiam, & ſæpius lachrymæ: nox autem excipit quieta & ſomnus placidus, &c. Hactenus ille, qui caſum hunc per literas mihi proponebat, cui tunc temporis abſens reſpondebam, Seri copiam & in capſula cordis, & in intermedio ſpatio duplicis Mediaſtini, præeunte viſcerum concoctionis ſecundæ δυσκρασία cauſam continentem hujus mali diuturnioris mihi videri, cujus exacerbatio, jam ultimis geſtationis menſibus, ob ſanguinis copioſi ὀργασμὸν, augeatur. Venæ ſectionem in hac corporis conſtitutione, gravius atque frequentius malo affligente reiterandam eſſe duxi: imò & iis naturæ ſuccurrendum, quæ abſque inſigni commotione cauſæ antecedenti ſubveniant, & appropriata ſint, nimirum uſu pillularum Marocoſtinarum ℈j. alternis diebus, horis duabus ante cænam aſſumendarum, cremore quoque Tartari in brodio diſſolut. ʒj. diebus intermediis alvum ſtimularem, concurrentibus Enematibus ſimpliciſſimis, vel etiam ex ſolo Ung. Clyſmatico, cum Decoct. ficuum, & ovi vitellis &c, apparatis, donec benedictione divina partus ederetur.

Reſponſio prima ad caſum præcedentem.

His ita 14. Julii, 1627. determinatis, parum vel nihil affectu periculoſo remittente, poſt puerperium abſolutum, ipſemet ad ægrotantem Comitiſſam vocor, & coràm in præteritorum ſtatum & præſentium Symptomatum congeriem inquirens, præter alvi obſtructiones quotidianas, laſſitudinem ſpontaneam diuturnam, partium omnium motui deſtinatarum imbecillitatem, macularum in tibiis frequentem efflorеſcentiam, facilem gingivarum ſanguinolentiam, ructus ventriculi inanes, ventris inflationes, urinarum craſſarum, jam coctarum, jam crudarum, variatas ſecretiones, & alia, cordis inſultus atque terrores prædictos deprehendo, quos pulſus varietatem, cum virium jactura, ſubitaneam faciei rubedinem, dorſi dolorem & interiorum pectoris partium tenſionem, comitari videbam. Hinc igitur ſuſpicionem de Scorbutica malignitate non penitus vanam hactenus fuiſſe mihi perſuadeo, quam ob cauſam ſequens conſilium communico: nimirum Illuſtriſſ. & Generoſiſſima

Indicia Scorbutica.

Indicationis curativa.

ſiſſima Comitiſſa eò reſpiciat, I. Ut prima concoctio ritè peragatur, non tantum in victus ratione omnem exceſſum, quoad qualitatem & quantitatem aſſumendorum, vitando, ſed ſimul etiam eò reſpiciendo, ut abſoluta chyloſi, recrementa in plicis inteſtinorum diutius non retineantur, quotidianis alvi laxationibus promotis. II. Cum autem focus mali ſit circa viſcera ſecundæ concoctionis, eaque potiſſimum adjuvantia δύναμιν αἱματοποιητικὴν jecoris, ibidemque non ſolum obſtructiones in parte Meſenterii ſuperiori, venis ſplenicis, pancreate & vicinis ſubſiſtant, ſed etiam peccans materia per aduſtionem, ad congelationem & reſolutionem apta, colligatur, idcirco reſpiciendum eò, ut per medicamenta appropriata materia cauſæ antecedentis in hoc loco, & conſequenter in tota maſſa ſanguinea corrigatur, & per vices, tam per alvum, quam per urinam, & ſudorem, promoveatur. III. Tandem cordi quoque proſpiciendum, quod ob ſingularem imbecillitatem facilimè noxam evaporationis ab hypochondriis, mediante ſanguine ichoroſo, & promptiſſimè efferveſcente, recipit, tam in ipſis invaſionibus, quam extra eaſdem. Quanquam enim cordis in ventriculis, alias in ſtatu ſecundum naturam, tanquam aurum obryzum in noviſſimo fornacis camino depuretur, ut loquitur *Iohan. Iac. Paviſius de Accretione, cap. 17*, mirum tamen non eſt, quod hîc, ob materiæ, ſanguinis videlicet venoſi dyſcraſiam, ab hac puritate plurimum recedat. Quo ad 1. victus ratio ſit moderata, ne vitium coctionis primæ malum ſecundæ concoctionis augeat. In qualitate vitentur cibi difficilis alterationis; inprimis eò reſpiciendum, ut alimenta ſint, quantum fieri poteſt, homogeneæ naturæ, ne cum carnibus commiſceantur piſces, ſemper ab humidioribus incipiendo. Imò & quantitatis ratio habeatur, ac interdum non ad extremam uſque ſatietatem ingeſtio fiat. Quandoquidem vero non tam concoctio ventriculi, quam ſegregatorum evacuatio, negotium faceſſere ſoleat, idcirco eò reſpiciendum, ut quantum fieri poteſt, alvus quotidie ad excernendum ſtimuletur, quod fiat uſu *Pillularum Marocoſtinarum*, ℈j. *Item Angelicarum* ℈ß. *Item pomo acidodulci, cui Rad. Hellebor. nigri radicularum pp.* ʒij. *imprimantur, quod charta involutum in cineribus calidis aſſetur, cujus pulpa poſtea remotis radicibus, uſurpetur: Item cremoris Tartari* ʒj. *ſumatur cum brodio quodam ante cœnam: Item Electuar. de Tamarind. cum fol. ſen.* ℥ß. Interdum initium cœnæ fiat à brodio gallinæ, cui poſt remotionem ab igne vitellum ovi permiſceatur, interdum fl. perſicorum vel Acatiæ. Mß. per noctem in hauſtu vini maceretur, exprimatur, & in principio cœnæ ſumatur. Quo ad ſcopum ſecundum, optarem quidem vernum tempus, quæ præmiſſis præmittendis, per ſuccos ſpleneticos depuratos naturæ ſuccurri poſſet, utpote quibus ob ſalem incidentem, penetrantem ac reſolventem ſingularis eſt proprietas ad expugnandum contumacem hunc hoſtem, ſed cum injuria temporis obſtet, impræſentiarum primo per 14. dies primam, & initium ſecundæ regionis evacuarem per uſum vini laxativi, quod accommodetur hoc modo:

℞. *Rad. Valerian. Vincetox. ana* ʒij. *Pæon. Liquirit. raſ. ana* ℥ß. *Polypod. querc.* ʒjß. *Cort. Tamariſc. Cappar. ana* ʒij. *Summitat. Sambuc. in vere collect.* ʒj. *Herbar. Capill. Vener. Fumar. Scordii. Meliſſ. ana* Mß. *Flor. Anthos. pij. Fol. Senæ. ſ. ſt.* ℥jß. *Mechoac. nigr. Hermodactyl. ana* ʒj. *Rhabarb. opt.* ʒjß. *Agaric. Trochiſc* ʒiij. *ſem. Cartham.* ℥ß. *Anis. Fœnicul. ana* ʒjß. *Cremor. Tart.* ʒv. *Paſſular. minor. inciſor.* ℥j, *Cinamom. Galang. ana* ʒj. *Cochleariæ* Mjß. *conciſa & contuſa ad ſacculum laxum pro menſur.* jß. *vini Neccarini*,

De hoc præſenti vino per 24. horas infuſo, quotidie, matutino tempore, poſt hauſtum brodii paſſulati, bibantur ℥vj. Hoc modo ſatis purificatis primis viis, ad ulteriorem digeſtionem materiæ peccantis accederem, uſu deſtillati ſplenetici ex recentibus herbis appropriatis in vere præparati, quod ad imitationem *Dorncreilii & Quercetani* ita proſtat in officinis noſtris.

℞. *Rad. Raphan. ruſt.* ℔iij.
Polypod. querc. ℥jß.
Cort. Cappar. ℥ß.
Sem. Fœnicul, ℥j.
Cardamom. ʒij.
Croci Orient. ʒj.
Miſce,

& contuſa infunde in vini veter. ℔. *xvj. ſtent in loco calido per octiduum, vaſe quotidie moto: deinde adde Aq. recent. deſtillata ex Bachacunga ſeu Anagall. aq. Naſturt. aquat. aq. Fumar. ana* ℔jß. *ſeri lactis deſtillati* ℔ij. *M. deſtilla per Balneum.* Hujus ſingulis diebus manè in lecto ℥iiij. cum ℥j. Syr. de ſummitat. Lupuli in vere præparat. præberem.

Hâc potiunculâ manè continuatâ, veſperi ſemper aliquid prædictorum, in indicatione prima conſignatorum, ad alvi laxationem exhiberem: quinto quoque die fiat purgatio appropriata, quæ ℞. *Magiſter. Tart. Vitriolat.* ʒß. *Mechoac. nigr.* ℈ijß. *pulv. Syru. gr. iij. Ol. cinam. gut. ij. Anis. g. iij. Miſc.* Detur in vino infuſionis Meliſſæ vel Scolopendr. Hujus loco potiuncula quoque fieri poterit, quæ ℞. *Syr. Splenetici compoſ. de pomis Auguſtan.* ℥jß. *Mannæ* ℥j. *Extr. Rhab.* ℈jß. *Magiſter. Tart. Vitriolat.* ℈ß. *Decoct. flor. & fruct. cum fol. ſenæ q. ſ. fiat hauſtus.* In forma boli ℞. *Extract. Rhabar.* ℈jß. *Mechoacæ* ℈j. *Magiſter. Tart. Vitriolat.* ℈ß. *pulpæ paſſular. minor cum vino decoct. & per ſetaceum trajectorum q. ſ. fiat bolus, cum ſacchar. cui adde ol. Cinamom. gutt. ij.* In forma Syrupi: ℞. *Syr. de pomis compoſ.* ℥jß. *aperitiv. Mind.* ℥j. *Cremor. Tart. optim. diſſol.* ℈jß. *Extract. Diacartham.* ℈j. *cum Aq. Meliſſ. q. ſ. fiat Syrupus dilutus.* Peracta purgatione uno vel altero præſcriptorum, quatriduo viciſſim fiat reiteratio cum deſtillato, ubi rurſus quinto die purgans exhibeatur; idque hoc modo continuetur uſque ad inſtans menſium tempus. Quo ad III. cordialia

 non

non negligantur *& extra invasionem & in ipsa invasione. Extra invasionem* frequenter aliquid assumatur de pulv. cordiali ex *spec. cordial. temper. de gemmis frigid.* &c. item *confect. de hiacyntho cum solut. corall. Margarit: Vnicornu & Terra Sigill. addito sacchar. rosat. tabul. q. s. Item Cons. Melissæ, Borragin. Bugloss. Corticis citri, spec. cord. soluto corall. Margar. &c. confect. Alkermes.* Inprimis vero *pulv. Vnicornu*, quod in promptu est gr. viij. cum aqua Meliss. & veronic. dulcorata, ut & sequens pulvis interdum matutino tempore sumatur, qui ℞. *Chrysolithi p. p.* ℈ß *sol. corall. Margar. ana g. v. confect. Manus Christ. perlat.* ℈j. *Misc. In ipsa invasione* reiterentur hactenus ordinata, ubi *Elixir Proprietat. Paracels. gutt. x. vel xij. cum Aq. Meliss. & Cerasor. nigror.* conveniret cum aliis, quo sæpius gravissimos cordis insultus, ob consensum ortos, lenitos vidi: huc etiam pertinet *spiritus Theriacalis Tartarisatus* dictus, seu *mixtura simplex*; cum externis Epithematibus, & aliis hactenus usurpatis. His per præsentem Dn. Medicum, intentioni meæ subscribentem, administratis, gravissima symptomata sic remiserunt, ut eventus testaretur, in morbi determinatione nos minimè falli, qua de causa subsequenti verno tempore succos herbarum recentium, nimirum *chelidonii minor. Anagallid. Aq. fumar. numular. & similium* cum destillato seri caprini expressos ac depuratos loco Destillati, simul etiam parte quadam *conserva cochleariæ* ex officina Hamburgensi transmissâ (cum recenti planta nos destitueremur) additâ, præscripsimus, & ita curam Scorbuto appropriatam repetivimus, ob fervorem sanguinis, sub initium æstatis, serum lactis depuratum, cum recentibus Rosarum Damascenarum foliolis ebulliens, per 14. dies exhibendo, quibus remediis, Illustrissima fœmina sibi DEI gratia perbellè restituta videtur, ita ut ab ejusmodi insultibus cordis jam non tantum per triennium immunis vivat, sed etiam aliâs ambulando, peregrinando, scalas ascendendo, ac reliqua corporis munia peragendo, nihil impedimenti sentiat, quæ antea perpetuo ferè decumbebat, & nullam corporis motionem perferre poterat. Pluribus casum hunc enarrare volui, Vir Magnifice, propterea quod ab historia fæminæ istius honestæ, quam proposuisti, non videatur admodum alienus: tuum etiam erit, cum temperamentum ægrotantis Melancholicum, adeoque ad collectionem Scorbuticam in habitu robusto dispositam pronuncies, penitius symptomatum causas rimari, nec non concurrentibus aliis indiciis, ad appropriatam Scorbuti curam remedia dirigere. Plurimum præstaret cochleariæ recentis succus, quo cum destituamur, illius loco conservam ejusdem ex inferiori Saxoniâ commodè adveheretur, cujus copia Bremæ, Hamburgi, Lübecæ, & in finitimis civitatibus haberi potest. Istius succus, cum sero lactis depurato expressus, non absque juvamento singulari causæ palpitationis hujus per consensum genitæ succurret. Semen istius plantæ ex Westphalia mihi transmissum communico, quod verno tempore loco humido, non semper radiis solaribus illustrato, projectum luxuriat. Problematum meorum θεραπευτικῶν exemplar lubens communicarem, sed penitus distracta est editio secunda, quam ob causam in eo jam totus sum, ut auctiorem editionem adornem, brevi σὺν θεῷ prælo subjiciendam; Pro tempore transmitto herbarium Horstianum, quod procul dubio, propter varia medicamenta facilè parabilia, non displicebit. Hisce benè Vale, Vir Magnifice, nec intermitte, quin per otium literis tuis me exhilares. Dabam Ulmæ Suevor. prid. Calend. Novembr. Anno 1630.

CONCILIUM

Pro Nobili quodam Bavaro in singulari Scorbutica dispositione conscriptum

à

GREG. HORSTIO, D.

EX relatione Nobiliss. Dn. Patientis, & oculari demonstratione manifestum est, quod tota massa sanguinea Scorbutica quadam corruptione sit infecta, quam ob causam, morbus, quo laborat Dn. Patiens nihil aliud est, quam Scorbutus, cujus origo dependet à depravata lienis operatione, quemadmodum in libro meo de Scorbuto pluribus apparet. Quanquam autem usus acidularum Ubenhusensium, quò se contulit æger, præparationis gratiâ suaderi posset, mirum tamen non est, quod durante earundem potu, gravissima symptomata supervenerint, tam quò ad ulcera mali moris, quàm quò ad lipothymias instantes, pectoris angustias, dejectionem appetitus, intumescentiam hæmorrhoidarum venarum dolorificam, lumbaginem & impotentiam membrorum motui animali servientium, utpote cum acidulæ peccantem materiam commoverint, nec tamen hostem commotum expugnare potuerint, quam ob causam autor fui præsenti Dn. Medico, quò naturæ per infusum laxativum succurreret, apertis simul hæmorrhoidibus, cum dolore tumescentibus, per hirudinum applicationem, quorum beneficio natura mediocriter refocillata fuit.

Scorbuticus.

Usum acidularum cur non admittat.

Cum autem parum spei nobis supersit, quo ad usum acidularum, propterea quod malum hoc radicatum peculiarem & appropriatam curationem requirat: id circo consequens erit, ut juxta sequentes indicationes posthac procedatur: 1. Alvus & viscera concoctionis reiteratis mediis purificentur: 2. Peccans materia Scorbutica, tam respectu totius massæ sanguineæ, quam respectu radicis & originis suæ, circa lienem & venas minores infimi ventris, digeratur, attenuetur & educatur; 3. Nec interim accidentia periculosa, potissimum ulcera mali moris, & curatu difficilia, negligantur; 4. Et tandem, quo ad diætam atque pharmaciam, nihil intermittatur, cujus ratione robur naturæ confortari queat.

Indicationes curativæ.

Quo ad primum, non deerunt præsentium Dnn. Medicorum præscripta, quorum judicio subjicio sequentes formulas, diversis diebus reiterandas:

℞. *Fol.*

℞. Fol. senæ s. s. ʒij.
Rhabar. el. ʒjs.
Cort. Hell nig. ʒß.
Ceterach. pj. sem. Anisi
Zedoar. Galangæ ana ℈s.
F. infus. : per noctem in s. q. seri lactis destill. in loco calido : manè ebulliant, & colentur ℥iij.
adde Syr. ros. sol. cum Rh. ℥j. Crem. Tart. ℈js.
Aq. cinam. ℥j. M. F. haustus.
vel ℞. El. de Tamarind. d. n. ʒiij.
Magist. Tart. Vitriol. ℈ij.
Faculæ Aronis, Bryoniæ ana. ℈ß.
M. cum sacch. F. bolus.
vel ℞. Syr. de Hell. nig. d. Vlm. ℥jß.
ros. ol. ℥j.
Extr. Diacarthami ℈ij.
Crem. Tartari. ℈s.
Aq. Fumar. q. s. F. haustus brevis.

Quo ad secundum, præmissis ejusmodi purgantibus reiteratis, properandum erit ad illa media, quæ Scorbuticam corruptionem alterant, & radicem morbi respiciunt, quam ob causam fiat potio sequens, quæ

℞. Her. cochleariæ Mij.
Anagall. aq. Nasturt. aq. ana Mj.
Acetosæ min. vel Hispan. Mß.
Absinth. sedi minoris, vel Illecebræ.
Rutæ ana Pj. seri lactis caprini destillati q. s. in mortario marmoreo herbæ recentes contundantur, & exprimatur succus, qui lento igne depuretur, & in vitris minoribus benè clausis conservetur.
℞. Istius succi ℥iij.
Syr. de fumar. ℥j.
Aq. cinam. cochl. j.
Misce.

Hic potus per 14. dies continuetur quotidie bis, non neglectis intermediis evacuationibus, quò non tantum materia peccans attenuetur, sed simul etiam per alvum educatur. Quod si nauseabundus ventriculus toties reiteratos haustus non admitteret, fieri posset Destillatum sequens, quod

Destillatum anti-Scorbuticum.

℞. Her. Barbareæ.
Anagallid. aq.
Nasturt. aq. ana Miij.
Fumar. Chamæpyth.
Chamæd. veræ ana Mjs.
Rad. Helenii
Chelidon. major. ana ℥js.
Cort. Tamarisc. ℥ij.
citri ℥ß.
Troch. de Rhabar. recent. ppt. ℥j.
Anisi ʒij.
Galangæ ʒjs.
Infunde per quatriduum omnia recentia, si haberi possunt, in aq. fumar. cuscutæ, anagall. aq. vini al. q. s. F. destill in B. per organa vitrea. In Alembico suspendantur spec. Diambr. ʒij. De hoc destillato ℞. ℥iij. adde syr. de pomis, vel Fumar. ℥j. Misce, & usurpetur loco prioris potionis.

Quo ad tertium, ulceribus rebellibus quoque prospiciendum, ubi mundificatio fiat decocto sedi minoris, cum pauxillo sulphuris olei acidi permisto, syrupo itidem de rosis siccis, cum subsequenti linimento, quod fiat ex succo cochleariæ, apii, melissæ, absinth. cum melle cocto, cui pro rei necessitate aliquid pulveris aristoloch. rotundæ vulgaris, aluminis, vel etiam præcipitati ad misceatur. Huic intentioni commendatur etiam *unguentum de Apio*, quod fiat hoc modo:

℞. Succi Apii, Melissæ, cochleariæ ana ℥ß.
Chelidon. major. ℥v.
Mellis q. s. coq. & adde pauxillum Thuris,
Myrrhæ & Aloës.

Quo ad quartum tandem nihil addo, sed omnia præsentibus Dnn. Medicis ordinanda relinquo. Faxit DEUS, ut omnia cedant ad votum. Ulmæ 27. Aug. 1627.

Vir Clariss. & Excellentiss.

Dn. GUIL. ROMANUS, Phil. & Med. D. & Reipubl. Naumburgensis Physicus,

CL. V. Dn. PETRO CRUSIO, Med. D.

Casum istum, quem dilucidè & διεξοδικῶς proposuisti, plurima & intricata Symptomata difficilimum reddunt, tum ratione cognitionis, tum ratione curationis. Nec mirum; cum enim neque dogmaticè cognitus, neque dogmaticè curatus, eundo, ex levi principio vires acquisivit, quas nunc Polypi instar, ad omne momentum ostentat & variat. Verum hâc Philologiâ accisâ, ad Physiologiam hujus morbi enodandam me accingo, breviter tamen, quia importuna festinatio & impetus tabellionis, & alia negotia vix mihi spacium deliberandi concedunt. Tria sunt Symptomata potissimum, de quibus ægra hoc tempore conqueritur. 1. Tumor crurum ποιώδης. 2. Ἀρθρῖτις variorum articulorum, & fluxus hæmorrhoidum creber & copiosus. Hæc dependent à certa origine, & à certo morbo, qui ceu mater prægnans hanc sobolem progignit & producit. Tria morborum genera summa sunt; ut nosti, intemperies, mala conformatio, & unio soluta. Utrum ad hæc tria hic morbus debeat aut possit reduci, hîc non disputo, neque hîc locus hoc postulat; ad nullum tamen genus reduci posse autumo. Hinc ad quartum genus, ad morbum in tota substantia reducendum statuo, ad Scorbuticam ἰδιοσυγκρασίαν, ex qua omnia illa Symptomata emergunt. Est autem illa Scorbutus dolorificus, vulgo der reissende Schorbock / qui cum ab humore melancholico hac propriâ ἰδιοσυγκρασίᾳ insignito dependeat, πολυμορφίαν καὶ πολυειδίαν Symptomatum producere potest, quæ non, nisi iis, quæ proprietate contra Scorbutum pugnant, expugnari possunt. Origo autem hujus mali oriri potest ab aëre crasso, frigido & humido, & aquis frigidis, crudis, & subsalsis, quibus tota Thuringia scatet: & si his inversa & crassior vivendi

Inquisitio in morbum.

Scorbutus dolorificus.

Origo Scorbuti hujus.

vivendi ratio accesserit, cum tristicia durante, & consuetæ alicujus evacuationis suppressione, certius de præsentia hujus morbi possumus concludere. Adde etiam Empiricas, & futiles, & fatuas Empiricorum medicationes, quæ ægram ferè ad insaniam redigere potuerunt. Hæc omnia, præsertim mæsticia quædam tacita, cum præcesserint, quid aliud inferre possum, quam ægram hanc hoc morbo tentari, præsertim cum illa ipsa Symptomata hæc clarè testentur. Nam crurum tumor ille, cum ulceribus siccis, diuturnis, & omnem curationem respuentibus, insignit quasi, & circumscribit hanc ideam Scorbuti, & licet quandoque visus sit tolli Balneis Franckenhusanis, fomes tamen & hospitium morbi cum non sit expugnatum, statim ibi iterum cœpit hospitari, & opes suas in exitium ægræ experiri. Confirmat me etiam magis in mea sententia, quod hic tumor cesserit nullis medicamentis ex arte propositis: est enim hoc Scorbuto in more positum, ut etiam interdum cedat vel nullis, vel malè adhibitis pharmacis, cujus evidentiæ exemplum in historica tua morbi relatione animadverti. Deinde quod in Scorbuticis, ut singulare, animadverti, qui fieri posset, ut tumor hic crurum duraret, cum nulla viscerum, ut scribis, manifesta læsio deprehendatur: si enim non ab illorum δυσκρασίᾳ, & saburra foveretur, fieri haud posset, ut ita ibi hæreret & maneret. Verum ex tuis edoctus sum literis, nulla labes viscerum hic apparet, unde cum & hoc in Scorbuto aliquando observârim, de Scorbuto ægræ vestræ magis confirmor. Ob latentes enim vires sæpe excitat Symptomata talia, quæ non nisi ab aliqua labe viscerum aliàs possunt provenire.

Iudicia Scorbuti.

Pulsus & urina in Scorbuticis.

Tumorum proprietas in Scorbuto.

Mallem ego, ut certius quid & de urina ægræ, & pulsu ejusdem scripsisses: hæc enim duo signa sæpissime ita morbum præsentant, quem aliàs apparenter sana viscera occulunt: Tertiò solet etiam hic tumor pressus, ut aliàs, non foveam & vestigium impressionis adeò evidenter demonstrare, & licet ut neque hujus memineris, cum tamen durus & renitens sit tumor, facilè conjicere possum, parum aut nihil prementi cedere. Et licet hîc videamur discrepare verbis, re tamen convenire poterimus: nam tu hoc tribuis humori, propterea quod tenues variis fomentis & medicamentis sint discussi, crassior verò sit statarius, cujus gratia & tumor durus, ac scirrhosus appareat. Huic quamvis suum locum concedam, proprie tamen ab ἰδιοσυγκρασίᾳ Scorbutica istum renitentem tumorem dependere, & alia symptomata, ceu leves convulsiones, contractiones, & id genus symptomatum convincunt, non à sola materiâ, sed ab alia causa causari. Etsi veterum tumores inspicias, rarò vel nunquam in cruribus offendes, qui tot atque tam variis accidentibus fuerint insigniti; unde prudentis est Medici, hæc nova cum veteribus rectè conferre: ita non solum in certam cognitionem, sed etiam in rectam curationem morborum poterit abire. Ex quibus clarum evadit, hos tumores crurum longè aliud, quam vulgares, sapere & loqui Quantum ad alterum symptoma, ad hæmorrhoides attinet, mirari hic aliquis non immeritò posset, cur status & ordinarius fluxus hæmorrhoidum parum aut nihil opis in hisce tumoribus, imò pro sanando Scorbuto conferat: nam certum est & experientia probatum, non solum tumores pedum diuturnos hac critica, ut etiam à te explicatur, expulsione juvari & tolli, sed tanquam salutare remedium celebrari pro scorbuto abigendo. Hic velim pedem, ac mentem sistas, & me benignè audias de hac re differentem. An hæmorrhoides fluant hîc, nec ne, ego vehementer dubito: nam si venas illas intuemur, ex quibus hæmorrhoidum fluxus proruit, positæ illæ sunt in circulo intestini recti circa annum, hinc si turgent, ante excrementorum exitum solent deponere onus, ut ita raro post excretionem descendant: raró inquio, nam nisi sint cæcæ & raró apertæ, quæque quasi attrita duriorum excrementorum atteruntur & aperiuntur, raró etiam post excrementorum expulsionem apparent: adde, quod si copiosè & frequenter fluant, cur non solæ, sed solùm post stercoris expulsionem? Quod igitur post excrementorum expulsionem copiosè effundant onera, id mihi suspicionem præbet, non de hæmorrhoidum fluxu, qui certè multum opis ferret & pro tumorum & scorbuti expugnatione, sed potius ex cavæ venæ ramis expulsione.

Different à veterum descriptione.

Fallax hæmorrhoidum fluxus.

Nam in Scorbuto quoque memini me videre mendosam dysenteriam, quæ à veterum & vera dysenteria differt, quod sine torminibus, & sine ulceribus fiat, id quod in vera dysenteria fieri haud potest. Nec solum id me confirmat, sed & aliud: cum enim copia satis magna circa hepar restagnet, fortis natura licet toties expugnata in hac ægra duplici robore se opponit. 1. Seri copiosi vacuatione per lotium, deinde mendosæ dysenteriæ expulsione. Et cum in Scorbuto utraque excrementa abundent, quæque ceu pathognomica signa Scorbutum attestentur, nihil aliud statuere possum, quam Scorbutum esse fontem & lernam horum malorum. Acceptum etiam refero hoc robustæ naturæ, quæ tam validè se munit contra hunc hostem: hoc enim, si non attentaret, jam dudum conclamatum esset de hac ægra. Præter has autem excretiones etiam alias attentat sanguinis quidem in effigiandis arthritidis doloribus, seri vera per jugem pedum madorem. Et ne te hîc maceres propter colorem faciei florentem, scias velim id propterea fieri, quando per ejusmodi expulsiones sanguis clarescit & efflorescit in facie, qui tamen causis cognitis fallax est, & lubricus, cui ne quidem in tanta societate malorum symptomatum fides adhiberi debet. Et nisi aliud malum hîc delitesceret, qui quæso fieri posset, ut in hæmorrhoidum fluxu diutino talis flos faciei appareat. Evolve veteres & recentiores Medicos, nemo hoc signum ponet in diutino fluxu hæmorrhoidum. Quare ἰδιοσυγκρασίᾳ Scorbuticæ hoc, in qua ἐπαθητικὰς melancholici humoris ita ἐκλαμπει, præsertim cum tot filtrationibus colatus serenescat, debemus acceptum ferre. Fieri enim non posset,

Mendosa dysenteria in Scorbuto.

Arthritis Scorbutica.

Vnde facies florida.

posset, quin calor naturalis omnino exhauriretur & debilitaretur tam pertinaci fluxu, qui tamen videtur florere, cum tumore diutino, & corpore tot morbis & symptomatibus fracto. Et ut supra quoque positum est, si jam collatio hæmorrhoidum cum hac mendosa dysenteria, instituatur, grande discrimen invenietur, de quo etiam plus verborum facerem, si ægram accuratius fuissem contemplatus.

Accedit huc etiam diversitas curationis: nam illa longè diversa est à vulgaribus hæmorrhoidum curationibus. Memini decoctum & satis expertum Medicum in Scorbuto talem fluxum astringentibus curare: quantas turbas ille dederit, eventus miserrimus ferè docuisset; & cum ita habenæ huic fluxui sint laxatæ, metuo ne iste fluxus omnem astrictionem respuat & rideat. Nunc de tertio, videlicet de Arthritide, cujus Ideam si intimius introspiciamus, videtur multum à veterum Arthritide discrepare.

Quomodo differat Arthritis Scorbutica à communi.

Arthritis Scorbutica plerumque irritatur in principio vacuantibus, deinde sæpè cedit, & delitescit sine manifesta ratione, verum quæ ἀφανίζουσι ἀλόγως καὶ ἀσήμως, aliud sub se claudunt, & extra naturam vulgarium morborum transiliunt: hoc autem de hac Arthritide cognitum, quæ sine Medico, sæpè sine Medicina abit, interdum autem non desperata & prædicta gravissimè redit. Tertiò plerumque cum quadam resolutione partium ingreditur: 4. Sæpè gravissima accidentia, aliena à veterum Arthritide importat, quorum etiam tu meministi: 5. Illa non vulgaribus cedit medicamentis, sed solum Scorbuticis alexipharmacis: 6. Locum mutat subitò, nec sistit in loco uno, donec dissipentur peccantes humores, quod equidem necessarium, si ab aliquo humorum, non vero à vaporibus Scorbutica affectione inquinatis fieret. Et hoc argumentum velim tu penderes: hæc enim quasi Lesbia regula hanc Scorbuticam passionem Arthriticam à veterum & communi distinguit.

Indicia ex urina & pulsu.

Ad quæ si jam pulsus inæqualis & parvus, nec non crassa, turbida & rubra urina, ut plurimum, jungatur, quæ in superficie matulæ quandam pinguedinem addat, & varia ac crassa sedimenta, inde de hac Arthritide Scorbutica longe rectius sentire poteris. Cum itaque ex his omnibus pateat, hunc morbum aliquid supra communem naturam morborum dictorum continere, & hæc symptomata scelotyrbicam putredinem attestentur, de Scorbuto ægræ non admodum dubitare possum. Nec est, quod te vulgariter practicantium libido avocet, asserentium neque gingivas hic putrescere, ægram esse benè coloratam: nugæ sunt, & ineptiæ vulgarium. Plura & consentientia Symptomata certius possunt morbum definire, quam unum aliquod vulgare, quod deest, negare. Nec sanè adeò credo, ex hydrargyro motos esse dentes, imò ex hac etiam proprietate Scorbuti humoribus tenuibus impressa, qui cum alias ad ima, natura duce, fuerunt detrusi & extrusi, nunc motu pharmaci ad gingivas impulsi hanc dentium mobilitatem excitarunt; quamvis non negem etiam hydrargyrum aliquid adjumenti præstitisse.

Verum de caussis hactenus: nunc de diæta quædam monebo. Aër sit calidus & siccus, temperatè tamen: inclusum, uliginosum & putridum summopere caveat. Cibus sit εὔχυλος, εὔχυμος καὶ εὔπεπτος, non crassus, sed paucus, nec nonnihil roborans grata stipticitate. Juscula pullastrorum gallinaceorum, pipionum, caponum, carnis bubulæ, jura ex pane intrito & cerevisia, cum cumino & butyro, hordeatum pipere præparatum, si appetitus, dejectus corrigendus acidis & leniter austeriusculis. Condiantur cibi cum mace, garyophyll. pipere nuce mosch. croco, sed parum. Carnes sint animalium subtumorum & novellarum avicularum, quæ facilè superantur, bonumque succum præbent, assæ cum succo limonum vel arantiorum, dum veru torrentur. Moderatè utatur carnibus: hic enim deliciæ & saturitates summopere fugiendæ. Minores & saxatiles pisces interdum, sed raro, concedantur, Menestræ vulgo Zugemüss/ sint ex avenacea & hordeacea polenta, ex pane intrito cum jure gallinæ vel carnis bubulæ, passulæ, ova tremula, sallamenta ex nasturtio unice probantur, quod ex limpidis petendum aquis, item ex sinapi, sed rarius. Melle & Saccharo dulcorata non ita possunt & debent præberi, cappares à sale per loturam corrigantur, & cum oleo & pauco aceto, quod aliàs propter dominium melancholici humoris obesse creditur, præbeantur. Panis sit bene coctus & fermentatus ex rogga sive secali, non ex tritico, ne fiat sagina humorum. Cerevisia absinthites hic primas sibi poscit, & multi hujus usu à Scorbuto insigne levamen sentiunt. De quibus omnibus pluribus dissererem, nisi scirem apud Medicum verba me facere: de lacte an conveniat dubito, si tamen sysymbrio, cardamine, becabunga, cochlearia &c. corrigatur, non dubitarem concedere, quia proprietate tale lac prodest. Hoc vitium quies auget, quare quamprimum poterit, motus moderatus imperetur. Cæteræ res non naturales omnes sint moderatæ. De curatione instituenda proximè. De correctione quoque Symptomatum posthac latius agam. Vale, & nostri memoriam cum benevolentia serva. Raptim Numburgi, mense Aprili 1604.

Idem eidem.

P. P. Ex omnibus Symptomatibus colligo, ægram istam dolorifico Scorbuto laborare, in quo & creberrimi illi tumores crurum, convulsiones, arthritides, ulcera chironia & fluxus hæmorrhoidum falsus apparere soleat.

Symptomata Scorbutica.

Quando enim crassi & adusti humores tum ratione aëris crassi, nebulosi & frigidi, & ratione victus, ob aquam crudam, nitrosam & subsalsam, præsertim in consuetæ vacuationis suppressione & quadam mæstitia, colliguntur & ex putredine Scorbutica qualitate insigniuntur, tam varia & pluriformia Symptomata emergunt; ut vix

ut vix

ut vix ad alium fontem reduci possint, nisi ad Scorbuticam hanc ideam, quæ est lerna tot, & tam diffidentium Symptomatum. Quæ sanè omnia ego latius, firmissimisque rationibus munirem, nisi tẽpore destituerer. De Prognostico hoc habeto, difficilem, non tamen omnino impossibilem fore curationem auguror. Et hæc difficultas intenditur ob moram & neglecta remedia, tum potiss. ob agyrtarum & vetularum imperitiam, flagris castigandam. Quod si alexipharmaca adhiberentur, & alia unà administrarentur, quæ implicatis affectibus succurrerent, facile vires monstrarent, quid in hoc languore esset expectandum. In ligni cura parum vel nihil spei ponerem: animadverti enim hanc nihil profecisse, etiamsi ab aliis sanctissimè fuerit administrata. Primum igitur primas vias bolo eluerem ex cassia & Hiera s. Galeni: deinde Syrupo Scelotyrbico præpararem materias ad aliquot septimanas, donec spes aliqua mitigati humoris nos solaretur de eventu: Secundo, vesperi imperarem ego conservam è cochlearia, quæ jam recenter præparari potest, sed non cum multo saccharo, ne vires ejus saccharo obtundantur, quando sumit cons. cochleariæ, statim superbibat aquam ex succo cochleariæ destillatam, præsertim si sit ventriculus paulò infirmior: quod si robur ventriculo suum constet, purum succum cochleariæ poterit superbibere: Si opus purgatione, expedietur illa clysteribus frequentibus ex appropriatis & refrigerantibus, quæ hîc mirè conducunt. Quod si clysteres nocturni sumerentur, & noctu retinentur, plurimum lucri inde nobis sperandum, & quam feliciter id evenerit mihi, testari possum. Attemperatis succis, & exhausto à saburrâ corpore, de lapide Bezoartico orientali cogitandum, in quo certam, D E I gratia, spem salutis ponere possemus: tantum enim sudorem moveret, quem vix ligni decoctum. Et sanctè affirmo, me hujus ope quam plurimos Scorbuticos per D E I gratiam in integrum restituisse, inter quos unus est ex Einsideliorum familia præcipuus & literatissimus, qui hujus lapidis vires in hac polymorphæâ varietate non satis laudare potest. De cæteris medicamentis in posterum. Scelotyrbici syrupi descriptio talis est:

Prognosis. — *Curatio.* — *Lapus Bezoar commendatur.*

℞. *Succi cochleariæ. Becabungæ ana* ℔ *iij.*
Sacch. opt. ℔ *ij. cum ovi alb. depuretur, coq. ad consist. Syrupi.*

Hujus syrupi recent. ℥ *js aq. cochl.* ℥ *ij. aq. Nasturt.* ℥ *j Borrag.* ℥ *ß. M. Fiat haustus*, qui repetatur ad aliquot vices, Plura proximè. Bene Vale Ocyus 23. Maij. 1604.

Vir Clariss. & Excellentiss.

Dn. PETRUS Krauß / Med. D. & Physicus Reipubl. Numburgensis,

GREGOR. HORSTIO, D.

Præcedentis casus curatio.

P. Transmissum consilium in affectu complicato Scorbutico, mihi, tunc temporis Erphordiæ adhuc Medicinam facienti, communicatum à Clariss. Dn. D. Romano, procul dubio non displicebit, juxta quod in perficienda curâ totùm corpus per integri mensis spacium ritè per vices evacuavi, semper additis appropriatis Scorbuticis. Pro alteratione humoris melancholici sæpius propinavi succum recenter expressum Herb. cochleariæ, Fumariæ, Lupuli, Absinthii, Nasturtii aq. & quidem cum sero caprino & saccharo mixtum; aliquando etiam cum lacte caprino. Permutationis gratiâ syrupum Scelotyrbicum quoque præscripsi, cum syr. de Lupulo & de fumaria majori. Tandem factis fiendis, curam sudoriferam adornavi, quam ad duos menses feliciter continuavi, nimirum ex ligno sancto, sarsaparilla & china, additis pluribus antiscorbutis, & sanguinem optimè depurantibus. Horâ somni sæpius hoc insigne electuarium alterans, quod maximoperè commendabat, ad ℥ iij. quotidiè præbui, cui interdum ℈ ß. Theriacæ permiscui, quod

℞. *Cons. Rad. Scorzeneræ*
Fol. cochl ana ʒ *v.*
Fol. Borrag. Bugloss. Sambuci ana ℥ *ß.*
Sp. Diamarg. frig. ʒ *ß.* ℈ *ß.*
Antimon. Diaphoret. ℈ *js.*
Lap. Bozoar. or. ℈ *ß. gr. v.*
Misce.

Hisce longo temporis spacio, ferè per semestre, continuatis, D E I gratiâ, morbus maximè mitescere cæpit: arthritis Scorbutica penitus evanuit, ut hinc & inde vicissim, sine dolore & difficultate progrederetur, remanente tamen in femore quasi uno & altero fonticulo, per quos natura superfluitates residuas deponebat. Similem complicatum affectum cum Scorbuto puella quædam primaria, 16. annos nata mihi præbuit hoc anno 1629. quæ diuturna malacia vel pica laborans, in cacochymiam cum tumore ac dolore magno cruris sinistri, œdematoso quasi, lienis inflatione, cardialgia, respiratione difficili, menstruis suppressis, incidit, maculis plumbeis in brachiis & cruribus efflorescentibus. Appetitus erat argillæ & calcis, aliàs dejectus, cum urinis crudis, & febricula inordinatâ. Curatio fuit instituta sequenti modo:

Malacia cum Scorbuto complicata.

℞. *Aq Beton. Fæniculi, Borrag. ana* ℥ *j.*
Syr. de quinque rad. ℥ *j.*
Tartari vitriol. ℈ *j.*
Aq. cinam. ʒ *ß.*
Misce, pro digestivo reiterando.

℞. *Crem. Tartari* ʒ *ß.*
Pulv. Mechoacanig. ℈ *s.*
Extr. Diagryd. gr. v. ol. cinam. g. j.
Misce.
Sumat in jusculo prunorum.

Prima regione hoc modo purgatâ, somni tempore malignitatis corrigendæ causâ propinavi sequens:

℞. *Aq Fumar.* ℥ *j.*
Fl. Sambuci, card. bened. Aquileg. ana ℥ *ß.*
C. C. V. pp ℈ *j. salis Margar. gr. v.*

Mix-

Mixturæ. simpl g. XXX. Manus chr. perlat. ℥ß. *M. pro haustu.*

Egregiè noctu sudabat, cum insigni doloris & cordialgiæ remissione. Posthac ad alterantia Antiscorbutica & splenetica perveni.

℞. *Syr. Scelotyrb.* ℥js. *de Lupulis*
Oxysacch comp. ana. ℥j.
Ext. baccar. Iuniperi
Polypod. ana ℥ß.
Buglossæ, Melissæ ana ℈j.
Elix. Propriet. Par. ℈ij. *Aq. cinam.* ℨj. *M.*

De hac mixtura sumat cochl. ij. duabus horis ante cibum, quotidie bis, superbibendo brodium carnis. Contra tensivos dolores cruris fiat inunctio.

℞. *Ol. Lumbricor. terrest.* ℥ß.
fl. Sambuc.
lilior. alb.
Amygd. dul. ana ℨjs.
Salis g. XX. Misce, Subsequatur fumus. qui ℞. *Gum. Tacamahaca* ℨijs. *caranna* ℨjs.
Mastich. Thuris, Succini ana ℨj.
Fl. Chamæmel. Rom.
Rosmarini,
Stach. arab.
Absinth. ana ℈j. *F. pulvis grossus*
Pro fumo in tumoribus articulorum frigidis.

Porro materiâ quodammodo præparatâ, sequenti modo purgabatur:

℞. *El. Diacatho* ℥ß. *Conf. Hamech. majoris* ℨij.
Rhabar. el ℈ijß.
Schænanthi g. v. sem. Fanic. ℈s.
Infund. per noctem in s. q.
Aq. Fumariæ, Borrag. Meliss.
manè ebulliant, & colentur ℥ijs. *adde*
syr. diasereos ℨvj.
Extract. Elescoph. ℈j *salis Melissæ g. iiij.*
Ol. cinam. g. ij. F. haustus, quo copiosissime alvus exonerata fuit: postea dedi Elix. Propriet. per biduum, cum decoct. cicer. rub. Cæterùm ad obstructiones magis reserandas & menstrua provocanda

℞. *Extr. Aloes* ℨj. *Rhabar. Tart. vitriolat. an.* ℈ij.
Extr. Castor. g. iij. Facula Bryoniæ ℈j.
Ol. cinam. Fænicul. an. g. iij. cum Aq. Meliss. F. massa, pulvere cinamomi Aspergenda S. Extracta. Morgens auff iij. mahl.

Superbibat jusculum cicer. rub.

Horis pomeridianis sumat ex hac conserva, ut etiam tempore somni:

℞. *Conf. cochlear.* ℥js.
Flor. Rosmar.
Borrag.
Melissæ.
Sambuci ana ℥ß. ℨij.
Tomus secundus
Elect. nostri Stomach. ℥ß.
Spec. Diamarg. frig ℨj.
Mixtura sim ℈ij.
Arcani vitrioli g. XX.
Ol cinam. g. v.
Cum oxysacch. comp. F. Elect.

Tandem nodulum laxativum pro lib. 6. vini, cum aperientibus & purgantibus præscripsi, cum convenienti diæta, quibus mediis menstruo spatio adhibitis menses redière, cum pristinæ sanitatis restitutione, Symptomatis prædictis evanescentibus. Hisce benè Vale, &c.

Vir Clariss. Excellent.

Dn. DAVID VERBEZIUS,

Philos. & Medicus D. in Republ. Argentinensi,

GREGORIO HORSTIO, D.

Indicia Scorbutica.

P. P. Frequens in hac urbe Scorbutus est, cujus ad do sequentem casum. Primarii cujusdam uxor, 38. circi ter annorum, ab aliquot annis malè habuit, de cujus restitutione desperabant alii. Ego vocatus ante semestre, urinam deprehendi variam, ut plurimum cum sedimento rubro, interdum albo, eodemque copioso, sæpius cum Tartaro splendente, rubro, pellucido, & parietibus matulæ vitreæ adhærente, quæ nephritidis suspicionem aliis præbebat. Adfuit nausea, vomitus bilis æruginosæ, lancinantes & vagi dolores abdominis lumborum, femorum, brachiorum, sterni, ita ut à contactu manuum ubique facilimè doleret, & lodices etiam interdum non sine molestia ferre posset. Alvus erat adstricta; hæmorrhoides interdum tumebant: gingivæ leviter exulcerabantur cum dentium nigredine: maculæ interdum violaceæ in cruribus & brachiis ut plurimum minimæ, interdum etiam, sed rarò, latæ emergebant. Dyspnæâ premebatur cum omnium virium imbecillitate. Atrophia aderat summa, & umbilicus ad spinam dorsi depressus, cum imbecillitate manuum ad carpum contracturæ prodromo. Supervenerant etiam convulsiones universales, quibus alias etiam ob noxia fuit. Uno verbo: Scorbutica fuit, quo morbo non animadverso, malum radices egerat. Hanc ego Anti-Scorbuticis remediis intra paucas septimanas, DEO sit laus, integrè curavi, ut nunc ab aliquot mensibus optimè valeat, nec ulla amplius de re, quam podagrâ, quæ hisce diebus dextri pedis pollicem invasit, conqueratur: facies quin etiam, quæ ante hac morphaica fuit, post curationem nec rubedine nec pustulis amplius deturpata sit. Hæc, ne nudas plane ad te mitterem literas, tibi communicanda duxi. Quæ rariora Stutgartiæ observavi, proximis ad te perscribam literis. Interim Vir Clariss. Fautor & Amice observande, feliciter Vale. Dabam celeri calamo Argentinæ 23. Septembr. 1632.

RESPONSUM AUTORIS.

Literas, quas Amoris erga me tui affectus extorsit, rectè mihi traditas fuisse scias, Vir Nob. Excell. fautor & amice pl. colende, quæ sicuti valetudinis tuæ recuperatæ testes erant, & in aliis etiam te cum laude, tua existimatione dignâ, praxin in Republ. vestra populosâ feliciter exercere confirmabant; ita quoque propter amicitiæ continuationem acceptissimæ fuerunt. Quod Scorbuti diagnosin concernit, verum sanè, quod principium morbi sæpius etiam exercitatissimos lateat: atqui in tantâ signorum συνδρομῇ quis de morbo dubitaret? rarior quidem nobiscum affectus est qui tamen interdum cum aliis complicatur, quemadmodum etiamnum puellam post febrim continuam Scorbuto prehensam remediis appropriatis, inprimisque succo recenti cochleariæ depurato pristinæ sanitati restituere conor. Porrò febris ista Epidemia, quæ præcedenti æstate plures hic invasit, verè Protheum egit, quæ quibusdam per crisin perfectam, hæmorrhagiâ narium, alvi fluxu, copiosis urinis, & sudoribus diebus criticis, ad salutem finita fuit: aliis, imperfectè criticâ μετασάσει parotides, furunculi, vagæ Arthritides, icteritiæ, & pectoris angustiæ cum anhelosa tussi supervenerunt: pauciores, quibus primis diebus urinæ nigricantes & subcruentæ fuerunt, sexta vel nonâ perierunt. Pro tempore contagiosum malum istud remisit. Curatio per venæ sectionem in primâ septimanâ, cum reiteratis evacuationibus, etiam per superiora, & succedentibus Bezoarticis, præsertim mineralibus, ex voto successit, de quibus & aliis notatu dignis per otium hyemale, σὺν θεῷ, pluribus agam, inprimis de cancro pectoris, quem præcedenti mense per appositum causticum Arsenicale feliciter, manum admovente Chirurgo nostro Baulero, radicitus extirpavimus, & locum ex voto vicissim consolidavimus. Hisce benè Vale cum filio doctissimo ἐπὶ μήκιτον. Dabam Ulmæ τάχισα 23. Octobr. 1632.

Princi-pium Scorbuti obscurum.

Mos febris Epidemiæ an. 1632.

Cancer exulceratus.

Vir Nob. & Clariss.

D. DAVID VERBEZIUS, Phil. & Med. Doctor.

GREGOR. HORSTIO, D.

P. P. Literas, quibus ad meas non ita pridem ad Te datas, respondisti, accepi, & cum eas Tibi non ingratas fuisse abundè cognoscerem, ut frequentiores in posterum à me habeas, operam dabo. Rectè sentis rariorem nobiscum Scorbutum esse. Ulmæ enim, dum degerem, per 18. integros annos vix tres hoc morbo laborantes observavi; Augustæ paulò frequentius hoc malum est, & ut plurimum aliis morbis mixtum Stutgardiæ & solitarium, & cum febribus quartanis complicatum, colicam quin etiam æmulans, deprehendi. Verùm Argentinæ frequentior est is morbus, cum Hypochondriacis affectibus, ut plurimum, copulatus.

Observatio.

Nobilissa quædam, ut & hanc superiori historiæ addam, à multis mensibus, cum præsertim superiore anno fœtum in utero gestaret, & postea in puerperio male habuit. Tandem cum de vita videretur periclitari, ego præterito mense Julii vocatus, Scorbuticam eam deprehendi, & antiscorbuticis remediis intra octiduum integræ ipsam sanitati restitui.

Conquesta est non de Lumborum solum, sed & abdominis, Hypochondriorum, nuchæ, colli & brachiorum vagis, variis, lancinantibus, pungentibus, & interdum etiam spasmaticis doloribus. Continua adfuit sputatio, lipothymiæ frequentes, molestus quidam gingivarum ad linguæ contactum sensus: lodicibus modicum levatis, admissâ aurâ, abdominis dolores exacerbabantur. Alvus fuit adstricta, cum tensione quadam intestinorum, ad instar chordæ: Umbilicus depressus: Urinæ variæ. Addo hisce rarissimum casum, Stutgardiæ observatum, quem tibi non ingratum fore, spero: vir septuagenarius Cachecticus, cui crura à longo satis tempore à phlegmate seroso & salso intumescebant, cum Ulcusculis, Stranguria & Tenesmo corripitur: cum ab aliquot prius mensibus urinam frequentius sine difficultate tamen & dolore, reddere cogeretur. Adhibita sunt remedia methodicè, cùm interna tùm externa: sed omnia frustrà Stranguria pariter ac Tenesmo indies invalescentibus: viribus autem naturalibus & vitalibus, cùm appetitus simul prostratus esset, confertim labentibus. Usus est inter alia Emuls. Amygd. dulc. cum sem. melon. frequenter.

Symptomata singularia Scorbutica.

Casus rarus.

Bibit etiam aliquoties vinum, rubrum; Tandem derepente corripitur ἰσχουρίᾳ. Sumpto autem Spir. Therebinth, & emulsione Amygdal. dul. cum sem. viol. mart. paratâ, adhibito item fomento, & balneo, urinam iterum reddidit, eamque uti videbatur, cruentam, turbidam & crassam, quæ quiescens deposuit sedimentum multum, album, nonnihil inæquale, reliquo liquore clarescente, & Vinum rubrum referente. De substantia hujus excreti liquoris dubitabatur. Quidam verè cruentam & purulentam fuisse urinam, ob apostema in collo vesicæ maturatum & ruptum, asserebat. Ego ambigens nihil certi adfirmavi, sed mortem in propinquo esse prædixi. Considerans enim nulla prægressa esse inflammationis, aut apostematis crudi, vel suppurati, in vesica vel ejusdem collo, indicia: nullam febrim, nullam δυσουρίαν, aut ἰσχουρίαν, nisi hanc postremò vix sedecim horas durantem: ad pectinem item, vel perinæum, nec tumorem, nec dolorem fuisse animadversum, liquorem præterea illum vel urinam excretam, ab omni gravi odore & fœtore prorsus fuisse immunem: ideo sedimentum illud purulentum, vel pus esse, asserere non potui. Repositam itaque urinam in loco tepido per aliquot dies reliqui, quæ ne tunc quidem ullum præ se ferebat fœtorem, nec sanguinem, uti fieri solet, concretum deponebat: sed nares propius admotas acore quodam feriebat, & odore pariter, atque consistentiâ, supernatante simul flore, quam Germanicè Kahn appellamus, nil nisi vinum corruptum, & acescens referebat. Meis sensibus non fidens, liquorem huncce vinosum

nosum decantatum, in poculo vitreo domesticis meis inspiciendum, & olfaciendum exhibui, qui eum vinum corruptum & acescens esse statim judicarunt. Confidentius itaque, quod prius suspicabar, urinam hancce, non sanguinem, sed Vinum illud rubrum fuisse, quod æger bibit, & sedimentum album emulſ. fuisse amygdalar, statui: nihil tamen, ne risu & calumniis me insectarent æmuli, ea de re palam dixi, cum præsertim nil ad ægrotum hinc resultasset commodi: mortuus namque est, uti prædixeram, secunda, post vinosam hancce excretionem, die.

Rarus hic casus est, & admiratione ac consideratione dignus. Scribit quidem ad me Clariss. D. D. Casp. Hofman, Altorfio, nil miri esse, in corpore omnibus modis debilitato, excerni talia, qualis assumpta erant. Verum mihi maximoperè admirandum videtur, in summa naturalium & vitalium facultatum debilitate, excretricem aut attractricem facultatem tam validam fuisse, ut etiamsi è spiritu Terebinth. vi diaphoretica adjuta, per tot vias & ambages potum minimè alteratum, nec cum aliis excrementitiis, quibus corpus abundabat humoribus mixtum, excernere, aut attrahere potuerit, neglecta breviori & faciliori via, per œsophagum, aut alvum. V. Trincavell. lib. 10. d. cur. pt. aff. cap. 11. habet historiam, huic aliquo modo similem, cujusdam Cardinalis Pisani, qui ex intemperie Renum frigida, post febrem malignam ex usu aquæ gelidæ contracta, potum nihil omninò mutatum minxit, servantem colorem, odorem, saporem & consistentiam. Marcelli Donati historia lib 4. mirabil. cap. 27. mihi fol. 496. de puella, potum non alteratum per poros cutis instar sudoris excernente, Clarissimo Viro nota est. De hisce malo doctiorum judicia cognoscere, quam mea tenuia aliis obtrudere. Hisce bene Vale Clariss. Vir, & me ama.

Responsum Autoris.

S. P. P. De Protheo Scorbutico, Vir Clariss. Excellentiss. &c. pluribus agerem, imprimis quoad ea, quæ partim in generosa Comitissa, Tibi notissima, per multos menses gravissimâ cordis palpitatione laborante, nec non antiscorbuticis ad miraculum restituta, partim superioribus annis in comite quodam Hohenloico, mesenterii abscessu diuturno, cum Scorbuto complicato, graviter affecto, fuerunt observata; sed obstat temporis angustia, cui sub initium hyemis recrudescens febris continua maligna præbet originem, quæ non parum molestiarum & ægris & medicis creat. Interim pro communicatis observationibus gratias habeo maximas. Imprimis placet annotatio senis istius imbecillitate retentricis in visceribus concoctionis laborantis. Lucis aliquid huic casui Sennertus, Amicus noster communis, affert in lib. 3. prax. ubi de diabete tractat, monstrando, quomodo sæpius etiam potus penitus non mutatus per urinam ejiciatur. Quod attinet Laudani opiati descriptionem, pro ut nobis idipsum in usu est, eandem publicè proposui sub finem 1. part. mear. observat. hoc tantum observo, quò Magist. seu Extr. croci non addatur semper toti massæ, propterea quod sæpius in Hystericis odor illius medicamentum reddat ingratum. Hisce bene Vale, Vir Clariss. Amice honorande, & quis harum regionum status sit, â nostris coràm percipe. Dabam Ocyus Ulmæ 23. Decemb. Anno 1633.

Vir Clariss. & Excellent.

Dn. JACOBUS ECKOLDUS, Phil. & Med. D. Reip Memmingens. Physicus.

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Vocatus à Præsule N. N. Vir Clariss. & Excellentiss. Fautor & Amice medullitus dilecte, ob ejus adversam valetudinem, omnium signorum ac accidentium tam præteritorum, quam præsentium factâ inquisitione & exploratione, rationem habui. Deprehendi autem Phthisicum esse. Id quod imprimis sputum purulentum, post cruentum, cum tussi & pectoris difficultate, tum etiam corporis tabes, ac infirmitas indicant; ast antecedentem morbi causam ex vitio viscerum secundæ concoctionis profectam tecum planè consentio: nam dyscrasia quadam, Hepatis inprimis, & obstructionibus priùs laboravit, & ob easdem causas tum acidularum, tum aliarum medicinarum usum, ex præscripto clarissimorum medicorum crebrò repetiit, jam autem adhuc de ingenti dolore circa partes stomachi anteriores, continuò ferè durante cum duritie quadam, conqueritur, id quod tum stomachi, tum mesaraicarum oppletionem ex crassis lentis ac viscidis humoribus satis indicat; quapropter in curatione tàm ad hunc affectum, quâm Phthisin respiciendum planè puto; Infirmus tamen est, & medicamentorum vires ægræ sustinet, præsertim purgantium. Totus comsumptus. Mentionem fecisti decocti galli cum aperientibus & appropriatis; ut ejus descriptionem mitteres, & reliqua, quæ necessaria & accommodata hûc fore existimaveris, ordinares, etiam atque etiam Te rogat. Ego Elixiri terebinthinato tuo multum tribuerem: infirmissimo enim est stomacho: de lacte caprino an proficuum sit, valdè dubito, cum metus sit de coagulatione in stomacho, oppleto nimis & debili, cujus inflationem etiam ex ejus usu experitur non raro. Ex phthisi non multum periculi, majus ex cachexia & obstructionibus illis imminere videtur. Tabem vel hecticam dispositionem ex hac potius, quam illa causa proficisci existimatur, quamvis ex utrisque infirmitas non parva: hæc autem illam produxit, uti quidem mea opinione rectè judicasti.

Phthisica signa.

Ut Tecum communicarem quoque de affectu suo R. P. Prior petit: confirmata hypochondriaca laborat, per plures annos, quæ in Scorbuticam degeneravit, nam omnia Scorbuti signa adsunt, præter reliqua hypochondriacis cõmunia, generalia non tantum, sed & specialia: nam insigni lassitudine membrorum, lumborum infirmitate & dolore magno, respirationis difficultate &

 anhelatione,

anhelatione, ob levem corporis commotionem, ventris torsionibus, catarrhis ad varias partes delabentibus, & quasi exufflationibus, tussi compressionibus, hypochondriorum, maximè sinistri, tensionibus, gingivarum quoq; laxitate & corruptione: nam earum caro ferè tota consumpta, pruritu & sanguinolentiâ crebra, maculis etiã tibiarum, & aliis innummeris accidentibus conflictatur indies, quæ ad affectum hunc sequuntur, ut ex te aliisque autoribus didici, ita omnino, ut in hoc ægro omnis eorum exercitus ducem infestum sequantur: Collega in curando hypochondriaco malo, hactenus oleum & operam perdidit: ego ad appropriata veniendum esse dixi, & de curatione spem feci. Tu verò, ut medicamenta convenientia describeres, ab ipso rogaris; Consignationem facere poteris generalem, quam ipsi exhibere queam, si specialem otium non permittit: facis rem D. Abbati & Patribus omnibus gratissimam, & ipsos tibi multum devincies, & existimationi Tuæ maximum pondus addes. Sed per hunc Tabellarium, si unquam fieri possit, ut judicium de utroque, atque consilium tuum communices atque transcribas, oro. B. Vale.

Responsum Autoris.

IGnosce, Amicissime Dn. Doctor, quod pleniùs ad tuas nuperas respondere non potuerim, ob occupationes diebus Nundinarum cumulatissimas: jam intermittere nolui, quin in gratiam Reverendiss. Dn. Præsulis N. N tum etiam ejusdem monasterii Dn. P. Prioris, paucis mentem meam ulterius aperiam. Quod ipsum Dn. Præsulem attinet, conjecturam meam pluribus ipsemet declarasti Nimirum ἀτροφίαν istam, ut & pectoralem affectum, cachexiam viscerum concoctionis præsupponere, quam ob causam præter ea, quæ tussim & angustiam leniunt, eò respiciendum esse duxi, quò causa antecedens pedetentim incidatur, emolliatur ac detergatur, quocirca decoctum galli decrepiti, salvo tamen vestro judicio, præscriberem hoc modo:

Indicationes curativa.

℞. *Rad. fragariæ Fæniculi ana* ℥j.
Conserv. Borag. Acetosæ an. ʒii.
Violar. ℥j.
Spec. Diarrhod. abb. ʒii.
Diatrionsant. ʒj.
C.C. ust. præp. ℥ß. *Corall. r. præp.* ʒij.
Crem. Tartari ʒvj. *Pastul. min.* ℥j.
Jujubar. Sebesten. an. ℥ß. *incisa & contusa coque in gallo decrepito s. q. aqu.*
Ad remanent. lib. iij sine express. coletur.
Dosis sint. ℥iiij. *quotidiè bis, per octiduum.*

Insuper etiam usum *Elix. Terebinth. g. iij. vel iiij in Syrupo violato vel jujub. manè v. q;* adderem, & quarta quoque die quiescerem ab usu decocti, atque illius loco cum *brodio Passulato* ʒj. *pulv. digestivi roborantis*, exhiberem, cætera naturæ, donec canicularium æstus abierit, committerem. Porrò quod Rev. Dn. P. Priorem concernit, vix ovum cum ovo similitudinem majorem, quam Symptomata ejus enumerata cum Scorbuto convenientiam designant: ego protinus modo sequ. procederem: Primò bis per quatriduum digestionem instituerem.

Cura Scorbutica.

℞. *Rad. Cichorii, dentis Leonis an.* ℥iiij.
Filicis, fragariæ an. ʒii.
Polypod. qu. ʒj.
*Herb. fumar. Scolopend. an. M*ß.
Acetos. Anagallid. aqu.
*Absinthii Rom. an. P*j.
Conser. Borragin. ℥ß *Galang.*
Cinam. an ℈j.
Fiat decoct. in brodio gallinaceo ad 3. coletur ℔ii.
℞. *Colat.* ℥iiij *adde succi fumar. depurati* ℥ii. *Spirit. Salis rect.* ℈ß. *Misce f. digestiv.* trüncklein auf. 2mal.

Quinta die purgetur

℞. *Fol. senæ s. s.* ʒvj.
Rhab. el.
Mechoac. nigr. ana ʒj.
Epithym. Helleb. præp. an ʒß.
Anisi ℈ß. *Crem. Tart* ℈j.
F. infusio per Noctem in s. q. seri lactis caprini destill. manè leviter ebulliant & colentur. ℥iij. *adde syr. d. Helleb. n. Vlm.* ℥j. *Crem. Tart* ℈j.

His repetitis adhuc semel potio Scorbutica per 14. dies manè in lecto, & vesperi duabus horis ante cænam, præbeatur, quæ

℞. *Herb numular. nasturt. aq. Anagallid aqu. ana M*ij. *absinthii, rutæ, fumariæ an. P*j.
Sedi min. P. ß. *cum sero lactis destill. in mortario lapid. contundantur & Succus exprimatur, & depuretur.*
Cujus
℥v. *sumuntur cũ* ℥ß. *Syr. d. cinam. idq; calide Provocato sudore paululum, vel in lecto, vel per motum.*

Quod si Patiens penitus abhorreret à succis, destillatum fieri posset,

℞. *Rad. Rhaphan. sylv.* ℔j.
Cichor. recent. ℔ß.
Polypod. qu. Liquiritiæ fragar. an. ℥ij.
*Herb. Anagallid. aq. nasturt. Barbareæ an M*iij.
*Beton. Veron. an. M*ij. *sem. Fænic. urticæ an.* ℥j. *Tart. opt. alb* ℥v. *infunde recentia.*
in s. qu. seri lactis destill. capr. ad octiduum, stent in loco calido, postea destilla per B. M. Dosis ℥iiij. *vel* ℥v. *cum Syr. d. fumar* ℥j. *vel d. Pomis* ℥ii.

Hæc sunt Vir Clariss. quæ in gratiam Reverendissimi Dn. Præsulis, & venerandi admodum Dn. Prioris, addere volui, non tàm quod meis istis præscriptis indigeatis, quàm ea propter, ut tantum promptam meam voluntatem vobis declararem. Deus Ἀρχίατρος benedictione suâ clementer adsit. Hisce bene Vale, Ocyus. Ulmæ 15. Juni, 1629.

Finis lib. VII. De Morbis Contagiosis & Malignis.

LIBER

LIBER OCTAVUS DE MORBIS EXTERNARUM PARTIUM.

OBSERVATIO I.

Podagricorum dolorum incipientium præservatio.

Ad ICtum quendam, Consiliarium Haßiacum,

GREGOR. HORSTIUS, D.

S Amplissime & Consultissime Vir, fautor, & amice pl. colende, literis Ampl. V. certior fio, quod non parum sollicita sit, ne posthac fluxionibus arthriticis affligatur. Quanquam verò pro tempore morbus hic nondum adsit, necessarium tamen erit, ut præservatio non negligatur, cum vagæ fluxiones dolorificæ, de quibus querela est, eundem præsagire soleant, quatenus pedetentim postea magis ipsis articulis sese insinuant.

Vagæ fluxiones podagræ nuncii.

Antecedens causa podagræ.

Cum autem *antecedens causa fluxionum podagricarum* à cruditate concoctionum oriatur, omnino requiritur, ut ante omnia eò respiciamus, *quomodo cruditas concoctionum vitetur, & superflua serosorum humorum copia consumatur & evacuetur: deinde pars recipiens una cum capite corroboranda venit. Prius* convenienti diætâ potissimum consequimur, ubi primò respiciendum ad refectionem spirituum, per aëris ambientis usum, ubi frigidus, humidus, nebulosus, inprimisque æstuosus iis vitandus, qui si natura non emendatur, arte corrigendus erit, fumo excitato per pulverem, qui prunis ardentibus injiciatur, ex *Tacamahaca, Mastiche, Olibano, Benzoi, Succino* & similibus, cui interdum *Gallia Moschata* admisceatur. *Radix Iuniperina* frequenter incensa plurimum etiam hîc intervit, ut etiam lignum Sassafras frequenter naribus adhibitum, & in Musæo diversis in locis repositum.

Indicationes.

Aër ambiens qualis.

Cibus potus.

Porrò *cibus & potus* etiam observetur, ubi eligantur alimenta facilis concoctionis, non admodum serosum sanguinem generantia quorum usus moderatus sit, juxta communem regulam, cuivis stomacho nihil melius, *quàm cibis non repleri, nec fame torqueri*, quòd eò magis naturæ congruit, quò magis ordinem observamus, ne quocunque tempore, etiam absente fame, quæ tamen peractæ concoctionis indicium est, quovis etiam diversarum qualitatum cibos ingeramus. Tales cibos in specie non difficulter quis colligit ex illis, quæ libello nostro de tuenda sanitate literatorum proponuntur. *Quoad potulenta*, nihil deterius frequenti ingurgitatione, quâ copiâ serositatum cumlatur, & caput atque articuli debilitantur. Hic igitur, ut etiam in cibis, Temperantia regnet, ubi vina immatura, tartarea & terrestreitatibus adhuc permixta, sicut etiam fortiora, penetrantia, vitentur, electis temperatis Neccarinis & similibus, quibus interdum decoctum Rad. Glycyrrhizæ, nec non infusum ligni Sassafras, cum passulis minoribus, &c. addatur. Primus haustus in prandio sit *vinum medicatum infusionis rad. Helenii*, quod coctionem juvat, fluxiones consumit, & serosas humiditates per vias urinarias educit. Præter dicta sæpius etiam ad corroborationem ventriculi respiciendum, quo melior alimentorum digestio subsequatur. Huc ergo pertinet *conditura & praparatio ciborum*, ob calorem nativum imbecilliorem necessaria, quando cibi Cinamomo, Galanga, Nuce Moschata, Croco, Mace, & similibus parumper (nimia enim conditura aromatica sanguinem reddit acriorem) aromatisantur. Sic etiam radices Petroselini, Sem. Anisi, Fœniculi, Cumini, herba Majoranæ, Salviæ, Rosmarini, Saturejæ, &c. conceduntur. Quod si viscida pituita ventriculi plicis sese insinuet, indicante idipsum appetitu dejecto, jejuno stomacho plurimum usus *Oxymellis Squillitici* ℥ij. superaddito haustu vini Absinthitis conferret, cui intentioni *Aloës insuccata* usus singulis septimanis etiam conveniret, scrupuli quantitate mox ante cœnam assumptæ.

Verum ubi talis *nausea cum siti* deprehenditur, indicium est, bilis effusionem stomachum occupasse, quo casu *Syr. Acetos. Citri, Rob. Ribes. Conf. Rosarum Vitriolata* & similia ante cibum succurrunt: cum cibis *Olivæ immaturæ, Cappares. Herba acetosa cum pullis Gallinarum, columbarum, carne vitulina, hædina, &c.* laudantur. Contra *evaporationes à ventriculo ad caput* post cibum aliquid corroborandæ concoctionis gratia sumatur de conf. coriandri simplice, Nuce moschata cond. siccæ, Diacydonio cum speciebus, Cydoniis conditis, Conservâ rosarum rub. antiq. cum Magisterio Corall. rub. permixtâ, & similibus, inprimisque confectione Morsulorum contra fluxiones, cujus ℥ß. post cœnam conveniet.

Morsuli vespertini contra fluxiones.

℞. *Cons. rosar. antiq.* ℥ß.
Diacydonii s. ʒvj.
Mastich. opt.
Nucis mosch. cond. sicc. ana ʒj.
Sem. Coriand. præp. ʒß.
Ambra grysea gr. iiij.
Sacch. opt. in aq. rosar. solut. ℥vj.
F. confectio in Morsulis.

Præter diætam, ubi *moderatus animi corporisq; motus*, nec non *conjugalis amplexus rarior* includitur, pro superfluis humoribus serosis evacuandis semestrales evacuationes instituuntur, ubi primo per quatriduum *Oxymellis Squillitici* ℥jß. *in decocto rad. Cichorii* quotidie bis usurpentur, super addita quarta die purgatione, quæ fiat *Mechoaca nigræ* ℈iis *Rhabar. opt.* ℈j. *Cremoris Tartari* ℈ß. *Misce f. pulvis.*

Cum autem Amplit. V. constitutio plenior sit, præmissis

missis hisce, verno tempore venæ sectionem non dissuaderem, ubi subsequentibus diebus, pro dissipandis reliquiis superfluitatum serosarum in ipso habitu corporis, sudorem provocarem ad dies aliquot, assumpto Rob. Ebuli, cum æqualibus partibus aq fumariæ & aq. veronicæ dissoluto, quæ tamen omnia propter quotidianas mutationes, quibus corpora nostra subjiciuntur, pro Medici præsentis directione fieri poterunt. *Quod secundo loco capitis atque articulorum corroborationes* attinet, post prædicta universalia, fiat pileolus capite gestandus, qui ℞. *Majoranæ.*

Corroboratio capitis & articulorum.

Rorismarini.
Salviæ, Betonicæ,
Fl. Lavendulæ. rosf. rub. ana Ms.
Nucis moschat. Caryophyll.
Macis ana ʒß.
Santali Citrini, albi ana ℈j.
Thuris.
Ligni Aloës ana ℈ß.
Moschi, Ambræ ana gr. iiij.
F. pulvis grossus pro Cucupha.

Imo *Balsami Capitales* hic etiam commendantur, ut Bal. Majoranæ, Rorismarini, Nigellæ, Succini, Macis &c. quantitate pisi naribus, temporibus, & cervici frequenter adhibiti. Interius conveniens est *Bals. Fœniculi*, ex ejus oleo, tinctura & sale diligenter præparatus, matutino tempore quantitate fabæ dimidiæ sumptus: ut etiam confectio *Rotularum*, quæ

℞. *Nucis mosch. cond. sic. num. 1.*
C. C. usti prap.
Eboris prap. ana ℈j.
Ol. nucis mosch. per exp. ℈ß.
Sacch. opt. in Aq. Lavend.
Solut. ℥v. F. Rotulæ.

Ad articulorum robur firmandum fiat *balneum pedum ac manuum*, in quo decoquantur sequentia.

℞. *Fol. Myrti, Plantag. Salviæ,*
Origani ana Mj.
Fl. Rorismarini, Balaustior. ana Mj.
Bacc. Iuniperi ℥ij.
Aluminis.
Ciner. Vitium ana ℔j.
Fl decoctum in aq. pluviali.

Hâc fomentatione præmissâ, post exiccationes & sufficientes abstersiones, oleo sequenti fiat frictio:

℞. *Ol. comm. ℔s adde fl. lilior. convall. q. s. aliquoties ebulliat, rursus de novo semper flores imponantur: tandem coletur, exprimatur, & cum ℥jß. olei, ʒj. salis tosti permisceatur.*

Hæc sunt, quæ servationis gratiâ consignare volui: Deus ἀρχίατρος det incrementum. Bene vale. Dab. Darmstadii, 12. Maij, 1616.

OBSERVATIO II.

In podagricis fluxionibus inveteratis.

Ad

Rev. & Clariss. Virum,

DN. BALTHASARUM MENTZERUM,

S. S. Theol. D. Professorem in Academ. Giessena,

PETRUS FUHRMANNUS, M. D.

S. Admodum Rev. & Clariss. Vir, fautor pl. colende, ut paucis expectationi & petitioni vestræ R. Dign. satisfaciam, judicium meum qualecunq; de morbosâ dispositione, quâ per tot annos V. R. D. affligitur, paucis aperiam. Idipsum ferè duobus hisce absolvitur, nimirũ *ut primò causam morbi, locum affectum & symptomata suis ex causis deducam, & secundo loco postea demonstrem, quid in Curatione tentandum.* Quod causam morbi concernit, *illa remota est, atq; proxima: Remota* est cruditas ciborum, & alia hujus generis, de quibus hic non admodum solliciti sumus, cum potius indicationem præservatoriam, quam curatoriam subministrent. *Proxima morbi causa* partim efficiens est: *illa* juxta Paracelsi dogma, *Sal est volatilis & subtilis,* qui cum fluxionibus & Catarrhis Capitis in ligamenta & tendines articulorum sese insinuat, ac vehementi acrimonia dolores intolerabiles excitat. *Efficiens* causa partim *principalis*, partim *adjuvans* est *principalis* causa potissimum in imbecillitate Cerebri & Articulorum consistit, quatenus Cerebrum humidum atque frigidum resolutioni vaporum atque exhalationum inservit, quâ ratione defluxiones postea ad articulos derivantur, quando vel imbecillitate nativâ, vel ex præcedentibus paroxysmis podagricis iidem admodum debilitati sunt. Hæc omnia promovent *adjuvantes causæ*, quæ partim intemperiem fovent, partim materiam peccantem cumulant, ut sunt mutatio temporum anni, ætas Senilis, temperamentum phlegmaticum, vita sedentaria &c. Hinc ergò manifestum est, quinam sit *locus affectus in hoc morbo*, nimirum *articuli cum ligamentis, tendinibus & membranis circumjacentibus.* Cum enim hæ partes exquisito sensu præditæ sint, viisque excretionum manifestis destituantur, idcirco peccans materia diutius hîc retinetur, unde dolor ingens excitatur, ubi dissipatis subtilioribus partibus crassior substantia fixas radices diuturnas nanciscitur. *Symptomata morbi præsentis gravissima succedunt; ut sunt Capitis gravedines, articulorum dolores, tumores, rubedines, inflammationes, tensiones, membrorum indurationes & contractiones*, quando salsæ fluxiones articulis communicantur, quæ cum glutine articulorum uniuntur, tendines & ligamenta pedetentim exiccant, ac tandem separando à se invicem *contorsiones & luxationes irreparabiles* producunt: quatenus enim natura fluxilem atque humidam materiam per sudorem & transpi-

Remota causa podagræ.

Proxima causa.

Locus affectus in podagra.

Deductio symptomatum.

transpirationem occultam separat, eatenus fixa substantia residua manet, quæ non rarò nodos ac tophos generat, & propter obstructionem & repletionem nervorum, tendinum, ligamentorum, aliorumque vasorum, nutritionem convenientem impedit, unde membrorum debilitas augetur, organa motus debilitantur, & quidquid superfluitatum serosarum in reliquo corpore superabundat, hucusque tanquam ad partem debiliorem catervatim adfluit, ut hac ratione partium intumescentia, quæ pro ratione naturæ suæ, jam citius, jam tardius, dissipatur, subsequi soleat, quæ omnia V. R. D. & multos annos frequenter invadunt.

Cum autem prædictus affectus non tantum firmas radices egerit, visceribus admodum diuturnitate morbi debilitatis, viribusque corporis non parum resolutis, consultum esset, quemadmodum in omnibus chronicis fieri consuevit, quatenus vitiosa morbi materia semel expurgari non potest, tam propter naturam debiliorem, quam propter ineptitudinem loci, cujus ratione difficulter eadem commovetur, *ut pedetentim peccans materia detraheretur, vires totius roborarentur, & externis membris debilioribus, quantum fieri potest, succurreretur.* Has indicationes per diætam, pharmaciam & chirurgiam absolvemus, ubi primò, quo ad diætam non opus est ulteriori admonitione, cum V. R. D. aliàs temperatissimè vivat, & sæpius etiam inediâ generationi cruditatum occurrere conetur. Novit insuper V. R. D. omnia alimenta difficilioris digestionis, inprimisque resolutioni & putredini plurimùm occasionis præbentia, vitari debere, cum vinis nimis generosis, nervorum genus afficientibus & recentibus crassis, à tartaro necdum separatis. Eliguntur autem vina tenuia, ὀλιγοφόρα, qualia sunt Neccarina benè depurata, ex quibus fiat medicatum Autumnali tempore, juxta descriptionem subsequentem, cujus usus Catarrhos Cerebri consumit, ventriculi coctionem roborat, cruditates corrigit, & superfluas humiditates in habitu corporis absorbet.

Indicatio specialis.

Vinum medicatū pro podagricis.

℞. *Rad. Caryophyllatæ* ℔vj.
Enulæ ℥iij.
Fœniculi ℥iij.
Pæoniæ ℥jß.
Gran. Juniperi ℔ij.
Visci querc. ℥v.
Incidantur pro 88. mens. vini recentis, ut conjunctim ebulliant & deferveant.

Hoc vino medicato V. R. D. sub initium prandii & cœnæ quantitate ℔j. plus, minus, utatur, idque per aliquot menses continuet.

Specificum purgans singulis mensibus.

Quod porro pharmaciam concernit, primo necessarium est, ut singulis mensibus, paulo post conjunctionem, laxativum medicamentum adhibeatur, quod ad educendos humores podagricos specificam vim habeat, cum circa tempus novilunii frequentes humores commoveri soleant. Ut autem ventriculus etiam roboretur, & cruditates ab alimentorū digestione relictæ, quæ destillationibus occasionem præbent, alterentur ac detergantur, necessum est, ut alternis diebus in brodio quodam ℨß. pulveris sequentis sumatur, paulo ante cibum, tempore matutino:

℞. *Cremoris Tartari opt. præp.* ℨjß.
Salis Tartari Vitriol. Croll. ℨij.
Ol. Fœniculi destill. gr. xij M.

Porrò *quò Cerebrum etiam, atque Caput*, confortetur, & spiritus animales atque vitales, propter virium jacturam, reficiantur, ipsaque materia peccans, quæ in motu est, & ad articulos properat, intercipiatur, singulis diebus vespertino tempore, post ventriculi coctionem ferè peractam, sequentis pulveris ℈j. cum cochlearibus duobus destillati sumatur, idque per mensem integrum continuetur:

℞. *Magist. perlar.* ℨiij.
Corall. ℨv.
Salis Betonicæ, Majoranæ ana ℨß.
Ol. Rorismarini
Lavandulæ ana gr. vij. M.

Item:

℞. *Succini albi* ℨij.
Myrrhæ ℨj
Aloës Succotrinæ ℨß.
Fl. Violar. ros. rub.
Borrag. buglossæ ana Mij.
Cardamomi ℨiß.
Cubebar. ℨj

Incisa digerantur in loco calido cùm duabus mensuris vini albi per triduum: destilletur in B. M. vitreis instrumentis, destillatum tribus vicibus rursus fœcibus affundatur & destilletur: in tertia destillatione tantùm dimidia mensura ad usum servetur.

Tandem *externa quoque remedia* non negligenda veniunt, nimirum ut materia in ipsis articulis resolvatur, educatur, ac postea partes induratæ tendinum ac ligamentorum emolliantur ac roborentur. Huc referatur *balneum pedum tepidum ex recentibus fœcibus vini*, cui quotidiè per horas duas ante cœnam & prandium pedes immittantur. Absoluto balneo pedibus abstersis, cum aqua subsequenti num. 1. frictio instituatur, ubi postea cum spiritu numero 2. tendines ac ligamenta illinantur, superposito Emplastro num. 3. juxta formulas sequentes.

℞. *Saponis Veneti* ℔ij.
Calcis vivæ ℔j.
Camphoræ ℥iij.
Incisis & contusis adde Spir. vini opt. mens. 1. fiat in digestione per triduum: post destilletur tribus vicibus, semper cum fœcibus destillatum rursus miscendo, postea relinquatur destillatum in fœcibus per horas aliquot, ac filtretur.

S. Aqua num. 1.

℞. *Terebinth. Venet.* ℔vj.
Styracis liquidæ. ℥iij.
F. Spir. volatilis lento igne, qui postea digeratur per triduum sequentibus.

℞. *Rad.*

℞. *Rad. Ireos* ℥ij.
Cort. aranziorum ℥ij.
Macis ℥j.
Sem. fœniculi ℥ß. *Iterum destilletur.*
S. Spiritus num. 2.

℞. *Lapid. Calaminaris.*
Lithargyrii.
Magnetis.
Carabaana ℥j.
F. *Pulvis: adde Ol. lini coq. addendo cera* ℔ß.
Terebinthina ℥iij. *Vernicis* ℥ij. *usque dum color sit puniceus: adde sequentia gummata dissoluta.*

℞. *Opoponacis, Galbani.*
Serapini, Bdellii.
Ammoniaci ana ℥j. *Misce, coque & adde*
Pul. Carabæ, Mastiches.
Thuris, Myrrha, Magnetis.
Aloës hepatica ana ℥ß.
F. Emplastrum num. 3.

Contra capitis fluxiones vertex & spina tota subsequenti oleo inungatur:

℞. *Ol. ex medulla cervi* ℥ij.
Lumbricorum ℥ij.
Chamæmelini ℥j.
Rosar. ℥ß.
Lavend. destill. ℈j.
Fœniculi destill. ℈ß. *Misce. ad vitrum.*

Post pharmaciam, operationes Chirurgicæ considerantur, quæ ad revellendam, intercipiendam & evacuandam materiam morbificam inserviunt, inter quas est *fonticulus pedi impressus*, qui retineatur apertus, & ubi segnior esse videtur extractio, *globuli inungantur butyro recenti, cui parum præcipitati sit admixtum.* Quoad venæsectionem & scarificationem, mos consuetus observetur, quatenus consuetudo natura dicitur altera, quanquam scarificatio venæsectioni præferenda videatur, inprimis ubi post eandem sudor etiam in lecto provocatur, haustâ potione sudorifera, quæ

℞. *Extract. Ebuli* ℥ß.
Salis Ebuli gr. vj.
Theriaca ℈ß.
Aq. Card. ben. ℥ij.

Hæc sunt, quæ R. V. D. communicato consilio cum Clariss. Horstio, præceptore honorando consignare volui, faxit Deus fons omnis salutis, ut ad diuturnam & constantem sanitatem vergant. Giessæ Cattorum, prid. Cal. Julii 1618.

OBSERVATIO III.

De Podagricis etiam absente paroxysmo ad motum progressivum ineptis.

Ad Magnificum, & Clariss. Virum,

DN. JOHAN. FABRUM, Med. D. Comit. Palat. Cæsar. & Serenissimi Electoris Bavarici Consiliar. & Archiatrum.

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Quæ scribis de Podagricis duobus, Magnifice & Clarissime Vir, fautor & Amice pl. colende, qui absentibus etiam doloribus, præ nimiâ membrorum imbecillitate progredi nequeunt, cum tamen tophi nondum appareant, ipsemet etiam in pluribus observavi. Tales Arthriticos nihil magis juvari video, quam ex præsidiis Chirurgicis *fonticulos in diversis corporis partibus excitatos.* Per multos annos Collegam meum, Professorem Theologum, *D. Balthas. Mentzerum*, olim in Academiâ Hassiacâ taliter dispositum fuisse recordor, cui commodùm *Balneum Acidularum Swalbacensium* ex fonte peculiari (quem Tabernæmontanus in libello Germanico Wasserschatz/ & Incolæ, fors ab ebullitione vehementiori, Brodelbronnen vocant, succurrebat, cujus beneficio *Seniorem Wolff. Ernestum, Comitem Dn. ab* Eysenbergk / non tantùm ab imbecillitate articulorum in extremâ senectute liberatum, sed etiam à gravioribus insultibus præservatum fuisse memini. Plurimùm aquis medicatis in oppido Imperiali Weissenburg/ propè Noribergam, in ejusmodi casu tribuitur, ut videre licet in libello Germanico, quem *D. Ioachim. Camerarius, D. Mentzelius, & D. Rosa* de iisdem publicis typis, Ambergæ impressum evulgarunt. Non absque fructu balneum, pedum ex fœcibus vini liquidioribus (ex quibus aliâs spiritum eliciunt) adhibitum fuisse recordor. Sed sicuti verè Protheus est hic morbus, ita diversis diversa succurrere videmus. Uratislaviensis Medicus pro tempore, *D. Michaël Doringius*, olim in Academia Collega meus, propriâ morbi calamitate coactus, sequẽtes pillulas præservativas invenit, quas per triginta dies singulo trimestri pondere ʒß. sumit, & ab insultibus, quos antea passus est, seipsum præservat, quæ ita habent:

Brodelbronn Swalbac.

Aqua medicata in Weissenburg.

Balneum ex facibus vini.

℞. *Pulv. Chamæpith. Chamedryos vera ana* ℥ij.
Centaur. min.
Rad. Aristoloch. rotunda.
Rha. pontici Veri.
Gentiana.
Semen Hyperici, Cranii humani pp. an. ℥is.
Rad. Cichorei, Santali rub. ana ℥j.
Incorporentur cum s. q. succi Chamæpith. addendo nonnihil Terebinth. Cypreæ pro meliori unione f. pil. pro lubitu.

Pillulæ antipodagricæ Doct. Doringii.

His ipsis eodem modo præscriptis Mercatorem hîc jam in tertium annum præservavi, ut non nisi levissimos tantùm arthritidis insultus semel tamẽ expertus sit, quos gravissimos antea sæpius annuatim sensit. De his ipsis pillulis doctum discursum ipsemet *Doringius* conscripsit, & Cl. *Sennerto*, ac mihi ante quadriennium dijudicandum transmisit, in quo multa notatu digna continentur cumque prælo subjectus non sit, si placuerit, curabo ut describatur. Diligens aliâs, in hac materiâ fuit celebris iste Chymicus, *Michaël Mejerus*, p. m. libello singulari, tùm etiam *Martinus Pansa*, in Germanicis suis consiliis, ubi inter cætera commendat aquam Antipodagri-

podagricam, cujus descriptionem sibi reservat. *Libavius* autem eandem esse putat cum illa, quàm *D. Philippus Müllerus* (qui P. t. nobis vicinus est, ordinarius videlicet Monasterii Zwifaltensis & Marchtalensis Medicus, Amicus meus honorandus, Riedlingæ habitans) describit ex *Mastiche*, *Olibano*, *Myrrhâ*, *Ammoniaco*, *&c.* Sicuti videre licet in Epistol. Cistæ Medicæ Hornungi, p. 170. ubi ex communicatione meâ varia, seria, jocosaque de Podagra leguntur. Hisce vale, & cum tuis ex voto vive. Raptim Ulmæ 24. Martii, 1627.

OBSERVATIO IV.

De Sudoriferorum usu in Podagricis.

Vir Clarissimus

DN. MARTINUS WALTHER, SILESIUS,

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Ut me videndi T. Exc. desiderium, Vir Clariss. dum adhuc extra Germaniam versarer, tenuit, sic me jam alloquii ardor rapit: lubens enim dulcissimæ consuetudinis cum Exc. T. fructu frueret: nam conversatio illa, superioribus diebus hic Francofurti per horas aliquot, non auxit solummodo, sed auget de die in diem amoris ignem, antea, imò jam dudum accensum. De multis quidem mihi erat animus colloquendi, verum temporis importunitas impedimento nobis fuit, quò minus desiderium meum expleretur. Verum an omnia cum tempore? an tempus fert rosas? fert, si fert divina voluntas. De Podagræ Curatione lubenter locutus fuissem cum T. Excell. an per sudorifera, & quidem Antimonialia tutò ante paroxysmi vehementiam institui possit: ratio videtur suadere, non tam aversionem materiæ, quam evacuationem, ne ad locum affectum effluat, &c. Benè vale, tuique Waltheri, qui te Patris loco suscipit & amat, memor esto. Ocyus inter turbas Nundinarum Francofurti, 17. Septemb. Anno 1611.

Viro Clarissimo

DN. MARTINO WALTHERO, MEDIC. D.

Respondet

GREGORIUS HORSTIUS, D.

Sudorifera in Arthritide an conveniant?

S. Et mihi nihil exoptatius fuisset, quam ulteriori tuâ conversatione frui, Vir Clarissime, Amice Intime, maximè verò propter singularia quædam, quæ Gallis quibusdam Medicis in curatione Luis Venereæ, & aliis morbis familiaria prædicantur. Quod quæstionem *de Sudoriferis in Arthritide* concernit, non ineptè judicas, & aversionis & evacuationis gratiâ partem affirmativam defendi posse. Nosti quod *Crato noster in Consiliis num.* 240. Sudores admodum commendet, ubi inquit: *Ego & experientia multiplici, & ratione adductus, rasuram Cornu Cervi optimi, ligatam in* petia, *& impositam potui, certum habeo, & urinam provocare, & corpora, modò ad id proclivia sint, facilè ad sudorem disponere, si præsertim manè in lecto se contineant; & membra foveant, quod qui faciunt, à podagra ferè liberi sunt. Nam cum crassi humores absque serosis non possint fluere, optima est præservandi ratio, in victu serosorum copiam evitare, & si corpore cumulentur, per sudores & urinas tempestivè educere.* Idem reperit in Epist. 150. ubi inquit: *profectò quàntum ego longâ observatione & usu didici, nihil sudoriferis medicamentis & usu continuo limaturæ Cornu Cervini in potu infusæ convenientius.* Subscribit etiam *Solenander sect. 4. Cons. 24* ubi utilis vacuationis speciem Sudationem statuit, & consentit in continuatum usum *decocti sarsa pariglia, & ligni sancti*, quatenus hoc modo peccans humor evacuatur, ab articulis avertitur, carnosis partibus firmatis, nervosoq; genere moderatè siccato. Qua autem limitatione Sudorifera talia sint usurpanda, notum est ex Medendi Methodo, præmissis sc. Universalibus appropriatis, tandem eò usque perveniendum esse. Sed quæris de *Sudoriferis Antimonialibus*? non nego quin prædictis commodùm addantur, quemadmodum in aliis quoque morbis idipsum observamus, ubi Antimonium Diaphoreticum, Bezoarticum Minerale, Sulphur Auratum Diaphoreticum & similia magno cum fructu sæpius usurpantur. Novi Chymiatrum peritissimum, qui pro ratione naturarum, præmissis præmittendis, appropriatam primò purgationem instituit Electuario sequenti, quod

An Sudoriferis mineralia conveniant?

℞. *Fol. Sena. Turbith. gummosi. Hermodactyl. Diagrydii correcti, Ossium human. calcinat. anâ* ℥ß.
F. pulvis minutissimus adde Sacch. ℥iis. *dissolve Sacch. in aq. Fœniculi, subjice carbones ignitos & quando ebullierit pulverem pedetentim admisce ad formam Electuarii.*

El. purgans in Arthritide.

Postea pillulas exhibet, ex diversis mineralibus operosa præparatione confectas, addito extracto Theriacæ, quibus per aliquot dies sudorem provocat, etiam ipso paroxysmo Podagricorum affligente, qui feliciter hoc modo discutitur. Plura non addo, sed Te Deo Opt. Max. commendo, nec non felicem reditum ad Patrios Lares ex animo precor. Ocyus Giessæ Cattorum 25. Septemb. 1611.

OBSERVATIO V.

De præservativis medicamentis antipodagricis, nec non quibusdam topicis.

Viro Clariss. & Excell.

Dn. MICHAELI DORINGIO, Philos. & Med. Doct. ac Reipublicæ Uratislaviensis Ordinario,

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Doleo, Vir Clariss. & Excell. fautor & amice pl. colende, quod in hac ætate vix ad ἀκμὴν pervenientem, toties arthriticis doloribus afficiaris. Consilium tuum

Vide de script. Observ. 3. praecedenti.

præſervativum lubenter legi, dignum profectò, quod publici juris fiat, cum ſingulari diligentia, quæ ſparſim ab omnibus dicuntur, à te non abſq; judicio, convenientique limitatione, compendiosè hic comprehendantur.

Antipodagricum Ant. Galli.

Pillularum præſervativarum examen perplacet, in quo Dn. Mindererum p. m. imitatis, qui ſimili indagatione, Marocoſtinas ſuas in Aloëdario declarat. Eandem intentionem tecum etiam obtinet *Anton. Gallus*, cujus Antidotus Podagrica talis eſt.

℞. *Rad. Valerianæ* ℥j.
Agarici ℥ij. *Mej.* ℥iij.
Sem. Petroſelini Maced. ℥iiij.
Hyperici ℥v.
Rad. Gentianæ ℥vj,
Ariſtoloch. ℥vij.
Centaur. min. ℥viij.
Chamedryos ℥ix.
Oſſium human. ex articul. modicè ſicc. ℥x.
M. cum Oxymel. ſquil. q. ſ. Doſis ℥j. *Singulis diebus per annum integrum.*

Topica Antipodagrica.

Quoad Topica, non poſſum intermittere, quin unius atque alterius mentionem hîc faciam: primum ante paucas ſeptimanas communicabat Mercator quidam Auguſtanus, ad Acidulas Ulmenſes Uberkingæ mecum vivens, cujus Parens Schutlinus fuit, celebris olim iſtius Reipub. Medicus, qui *lixivio ſale ſufficienter condito* dolores podagricos diutiſſimè præſervavit, cui tepefacto pedes, jam jam inſtante paroxyſmo, protinus immiſit, idque nunquam ex toto renovavit, ſed quo diutius repoſitum fuit, eò utilius id ipſum experiebatur.

Alterum Generoſiſſimus Imperii Pro-Cancellarius, Dn. ab Ulm. Liber Baro in Erbach, &c. commendabat, à Gallo quodam ſibi, inſtar arcani, revelatum, nimirum *pul. lapidis Bezoartici orientalis cum roſaceo melle & aceto calore levi miſcendum*, & inſtar cataplaſmatis articulis dolentibus adhibendum eſſe, cujus beneficio dolor, unius noctis intervallo, protinus leniatur, ut die ſubſequenti membrum conſueta munia motus animalis viciſſim peragere queat. Hoc ipſo non tantum Imperatorem Matthiam p. m. ſed ſe quoque non ſemel, inprimis gravioribus negotiis urgentibus, ſucceſſu felici, à vehementioribus inſultibus liberatum fuiſſe. Tu quæſo per occaſionem & pillularum tuarum uſum exoptatum, & judicium tuum, quod inſtar multorum mihi ſemper erit, tum de his, tum etiam de aliis aperias. Bene vale cum conjuge lectiſſima. Dabam Ulmæ prid. Cal. Octobr. Anno M. DC. XXIII.

Vir Clariſſ. & Excell.

DN. MICHAEL DORINGIUS; Med. Doctor.

GREGOR. HORSTIO, D.

Conſilium meum, *Cl. Dn. Horſti*, Amice chariſſime, de Arthritide tibi probari gaudeo. Ita verò ſentio; in præcavendâ Arthritide omnem deſiderari & ſpectari Medici induſtriam, Quod Medicinæ punctum ſi attingat, de præſentis curatione ut anxius ſit, neceſſarium non erit. Meritò itaque magnifacienda ſunt remedia, è quorum continuato uſu immunitatē cui ſperare licet. Ex eorum numero utiq; ſunt pillulæ illæ meæ, in conſilio illo non ſolum deſcriptæ, ſed & ſecundum omnia ingredientia probè à me examinatæ. Illarum quippe uſui, juxta Dei benedictionem, unicè acceptum fero, cum quod iſtius anni menſe Martio levius ex Arthritide decubui, tum quod decurſu ſeptembris eâdem in utroque pede per intervalla ſemel atque iterum prehenſus, domo nihilominus, & quidem pedes, exire potui, & non niſi unicâ die, domi latere coactus fui. Nimirum coctionem ventriculi ab iis juvari, obſtructiones vaſorum liberari, corpus tranſpirabile reddi, alvum officii admoneri, &c. animadverto. Jam inde à Menſe Martio nihil, præter dictas pillulas, medicaminis ſumpſi. Sudores matutini à duobus menſibus ferè quotidiè pro voto ſpontè procedunt. Iis plurimùm me allevari, ac defluxionum materiam tolli, percipio. Similem planè ſucceſſum ex earum uſu experitur Dn. Nicolaus Buſchokius, caupo, annos aliquot ſupra 50. natus, ab Arthritide verò per aliquot item ſupra 20. annos graviſſimè excarnificatus; adeò, ut cùm ante hâc multò maximam temporis partem lecto affixus, & doloribus articularibus miſerè diſcruciatus, tranſigere cogeretur, nec Vinum deguſtare auderet, hodiè, pari mecum intervallo, ab Arthritide immunis vivat, ſeque quandoq; pluſculum vino ad hilaritatem invitet. Ipſe etiam Ventriculi cauſa vinum moderatè citra noxam ullam bibo: ſive Ungaricum ſit, ſive Auſtriacum, ſive Rhenanum, Moravica, utpote magis Tartarea, ſtudioſè fugio.

Præſervatio maximi momenti in Arthritide.

Commendatio pillularum observ. 3. deſcriptarum.

Judicium de remedio Antonii Galli.

Antonii Galli remedium eadem ferè habet ingredientia, quæ meæ pillulæ. Non dubito, quin uſurpantibus futurum ſit proficuum. Oſſa humana ex articulis pro baſi conſtituit; ut articulis magis redderetur ſpecificum. Ego tamen Cranium humanum præfero; quò parti mittendi proſpiciatur. A capite enim in articulos ſerum ut plurimum defluere, certiſſimè monuit *Carolus Piſo in opere ſuo elegantiſſimo de Morbis à ſeroſa humorum diluvie oriundis.* Quid de viis, per quas materia feratur ad articulos, ſentiat *Fernelius*, etiam me non monente, noſti. Ponderum proportionem in Galli remedio admiratus ſum; eò, quod pro ingredientium numero denario, drachmâ unâ uniuſcujuſque ingredientis pondus ſemper adauxerit. Pillulis meis multò eſt calidius; ideoque corporibus pituitoſis, quàm bilioſis longè convenientius.

Uſus pillularum dictarum.

Gallus de ſuo remedio quotidiè ℥j. per integrum annum capi vult. Ego de meis pillulis ſingulo anni quadrante per dies 30. poſt Solſtitia & Æquinoctia quotidiè ℈ß. ſumo. Ecquid verò tu cenſes de *Geſneri* ſuper ejuſmodi remediis cenſurâ? quam habet *lib. 3. Epiſtolarum pag. 97. a. Ego*, inquit, *medicamenta varianda, tum quia Natura aliâs alia deſiderat, tum quia uni aſſueta parum amplius ab eo movetur, cenſeo: & periculum videtur, ne tam longo unius medicamenti tam validi.*

Topica improbantur. *lidi usu totus corporis habitus nimium exsiccetur*. Topica quod attinet, de iis ego non laboro. Persto enim in eâ, cum *Pisone* hæresi (dummodo hæreseos nomine opinio ista digna sit) præter meritum in affectibus ex humorum transmissione natis, articulos culpari, quasi ob laxitatem & cavitates humores aliunde dejectos promptè admittant. Frustra igitur de articulorum roboratione cura suscipitur. *Impediatur seri proventus; tollatur ejusdem abundantia: Arthritis, crede mihi, vel nunquam, vel rarissimè, & mitissimè saltem, recurret. Lotioni ergò pedum, quâ Schenrlinus* incipientes Podagricos ab ulteriori invasione præservasse dicitur, parum tribuere possum: nisi in ea forsan podagrâ, quæ per congestionem generatur; quæ tamen, meo judicio, est rarissima & fortè duntaxat hæreditaria. *Cataplasma è lap. Bezoar. cum melle rosaceo & aceto subacto paratum*, nimis sumptuosum est. Posset procul dubio *C. C. præpar. Terra aliqua sigillata vel Bolo, similive absorbente*, eundem effectum multò minore sumptu quis consequi. Sed enim stultitiâ patiuntur opes. Mihi *farina siliginea* sufficit. Nostratium quidam *siliginem è Cerevisiâ nostrate, quæ triticea* est, (triticum verò anodynum est:) ad crepaturam coctam, alii *vinum*, in quo *Sal communis* efferbuit, commendant. Quæ duo tametsi domestica sint & parvi precii, illo tamen preciosissimo vix sunt, quo ad vires, ignobiliora. Sed ita sæpe cum Magnatibus comparatum est, ut viliora contemnant. Tantum scilicet in Medicina potest ægri vel confidentia, vel diffidentia, &c.

OBSERVATIO VI.

Dolores articulorum vagi cum febribus.

Vide Observationem 20. lib. 1. de febribus.

OBSERVATIO VII.

Arthritis spuria cum febri continua.

V*IR consistentis ætatis, Iohannes Hafner, civis Vlmensis, constitutione corporis plenior, ad sanguinis atque serosi humoris abundantiam naturâ dispositus, Anno 1626. sub initium Octobr. in febrilem dispositionem incidit, quam protinus dolor vehementissimus articulorum in pedibus atque manibus, cum subsequente inflammatione & tumore, subsequitur.*

RESOLVTIO.

CUm vocatus, ex urinâ, tum etiam aliis symptomatibus febrim biliosam adesse cognoscerem, mox eò respiciendum esse duxi, *ut peccans materia convenientibus medicamentis educeretur: 2. Intemperies viscerum per alterantia corrigeretur: 3. Superfluum serum ex habitu corporis per sudorifera discuteretur: 4. & dolor partium externarum, tanquam urgens symptoma*, leniretur. Hinc igitur, *juxta primum scopum*, evacuationem instituimus per potiunculam, quæ

℞. *Syr. de spina cervina* ℥j.
Rosat. solut. ℥jß.
Extract. diacarthami ℈ijs.
Magist. Tartari vitriolati ℈j.
Cum decoct. fl. & fr. fiat haustus.

Hoc modo feliciter operante medicamento, venæ sectionem administravimus consequenter, quò pedetentim superstes materia biliosa & serosa quotidie per alvum ablegaretur, ordinato hydromelle laxativo, quod

℞. *Rad. Cichorei* ℥ß.
Fœniculi, Pæoniæ.
Ireos ana ℥is.
Herb. Veronicæ, Absinth. Fumar.
Card. ben. ana Pj.
Fl. Rosar. rub.
Borrag. ana Pjs.
Sambuci Pij.
Fol. Senæ s. s. ℥vj.
Rhabar. el. ℥iis.
Agarici ℥iij.
Sem. Carthami ℥ij.
Anisi ℥ß.
Crem. Tartari ℥is.
Passul. min. incis. ℥j. Fiat *infusio in mens. j. hydromellis per 22. horas, de quo singulis diebus haustus* ℥v. *sumatur.*

His observatis, *pro secundo*, simul etiam contra febrim & intemperiem laborandum erat, quam ob causam loco vini potus ordinabatur, qui

℞. *Rad. Acetosæ* ℥j.
Fœniculi ℥ß.
C. C. usti pp. ℥vj.
Sem. Fæniculi ℥ß.
Galangæ ℈ß.
Sacch. cand. al. ℥iij.
F. decoct. in quatuor mens. aq. ad consumptionem quartæ partis:
Coletur ad usum.

Vlterioris alterationis gratiâ sequens haustus pro 2. vicibus ordinabatur, ut & emulsio vespertino tempore sumenda:

℞. *Syr. Acetos. Citri,*
De Succ. Acetosæ ana ℥js.
Aq. Endiviæ, fragor. ceras. nig. ana ℥ijs.
Spiritus Vitrioli ℈ß. *Misce pro 2. vicibus.*

℞. *Sem. papav. al.* ℥is.
Amygdal. d. excort. ℥j.
Pistaceor. ℥ß.
Aq. Cichorei.
Borrag. Caponis s. an. ℥iiij.
F. Emulsio: coletur & adde
C. C. usti præp. ℈j.
Corall. rub. præp. ℈ß.
Conf. Man. Chr. perl. ℈vj.
Aqua cinam. ℥ij.

Præter

Præter dicta, *tertio loco* respiciendum erat eò, quò serum superfluum ex habitu corporis per sudorem discuteretur, & putredo massæ sanguineæ inhiberetur, quam ob causam sudorifera potio præscribebatur, quæ

℞. *Aq. Card. ben.*
Veronicæ ana ℥ is.
Sp. Ebuli ℥ ß.
Cerasf. nigr. ℥ ij. Misce.

Hac aliquot diebus reiteratâ, simul addito Bezoartico Minerali gr. vj. partes externas, ob urgentem doloris vehementiam, minimè negligendas esse putavimus, ubi præsens remedium fuit Cataplasma, quod ex mica panis albi decocta cum lacte bubulo, vitellis ovi, ol. rosato, salis atque crocimento permixto, fiebat. His remediis, pro ratione Indicationum urgentium, aliquoties reiteratis, pristinæ sanitati patiens, cum DEO, restituebatur, cui postea singulis mensibus Electuarium purgans ordinavimus, quod

℞. *Elect. Caryocostini ℥ iij.*
Syr. rosf. solut. ℥ is.
de Carthamo ℥ ß.
Decoct. fl. & fr. q. s. fiat haustus.

Hujus beneficio collectionem serositatum de novo præcavere co[illegible]ati sumus, repetitis quoque syrupis alterantibus & sudoriferis, quibus perfectè restitutus jam in tertium annum ex voto sanitatem optatam transigit.

OBSERVATIO VIII.

Singularis Arthritis vaga Scorbutica.

Vir Clariss. & Excellentiss.

D. HENRICUS PETRÆUS,

Med. Profess. Marpurgensis,

GREGOR. HORSTIO, D.

SAlutem &c Clariss. & Experientissime *Dn. D. Horsti*, fautor plurimum honorande, quod nunc temporis intempestivis, & extemporaneis hisce meis literulis Exc. T. negotiis, quâ publicis, quâ privatis, occupatissimæ obstrepere minimè verear, partim singularis tua humanitas, & omnibus bonis gratificandi promptitudo me invitat, partim aliqua amici causâ injecta necessitas impellit. Eximiam humanitatem ab omnibus deprædicatam mihi & coràm alloquio amico, & absenti literis & donis librariis satis declarâsti, imò comprobâsti, quamvis quæ mea hactenus fuit σκυθρωπία & morositas, nondum ipsi responderim. Necessitatem paucis explicabo. Primarius quidam ex nostris, Vir natione Westphalus (nomen sicut & alterum proxime, ut spero, coram edam) ex Westphalico itinere redux, ante decem plus minus hebdomadas, sensit primò singularem corporis & membrorum lassitudinem, & quando manè è lectulo surgere voluit, sinistro in crure tensionem veluti spasmodem, & velut ἀπόσπασμα quoddam in musculis suræ. Sensit deinceps titillationem quandam, ac si esset spasmus ventosus, quem Galli gutte Crampe appellant, cum quodam stupore in sura sinistra. Id mihi aliquando in vitâ obiter indicavit.

Casus singularis.

Putavi fortè paroxysmum nephriticum instare, fierique compressionem nervi infra renes ad crura abeuntis. Calculo siquidem Renum valdè obnoxius est. Nil fuit curatum. Dolor postea circa partes Ischio adjacentes & os sacrum invasit. Consuluit Medicum Illustriss. nostri Principis, hic tum agentis. Ille pro Ischiadico habuit, clysterem præscripsit, decoctum ligni pro sudoribus ordinavit, oxycroceum admovit. Me accersivit. Calculum, ex demonstratione loci affecti & doloris, Aulico-Medico adjeci meum: Oxycroceum, cum affluxus videretur valde augeri, non valdè probavi; pulverem Athriticum, vel caryocostinum suasi, qui tamen usurpatus non fuit. Dolor non prorsus deserens illum locum in sura cruris dextri tibiam versus firmiorem & manifestiorem fixit sedem. Accessit alius Medicus, qui plane putavit, primò, esse fluxionem dolorificam, deinde spasmum esse pronunciavit, quia non potuit sine dolore extendere pedem: causam statuit repletionem à pituitâ, pòst cum vagum deprehenderet dolorem, flatus adjecit. Diætam adversus flatus instituit, suffumigia, inunctiones ex ol. Castorei, Chamæmel. lumbricorum, cum aquâ vitæ ordinavit: apozema purgans dedit, & ceroneum imposuit, ex quo valdè dolor exacerbatus fuit. Nihil prorsus profecit, sed omnia in pejus abierunt. Itaque in consortium adhuc alium Medicum sibi ὁμόψηφον adscivit, cujus consilio vesicatorium in loco affecto fuit adhibitum, quod intolerabilem dolorem, & inflammationem veluti Erisipelatoden excitavit. Prohibendi affluxus ergò secta fuit vena mediana lateris oppositi, ratione revulsionis, ratione derivationis, saphena lateris affecti: dolores nihil prorsus remittunt, sed noctu subinde atrocissimè ægrum excruciant, somnum penè omnem elidunt, & in anxietatem maximam, velutique ἀλύκην quandam, non sine maximo virium detrimento, conjiciunt. Metuuntur convulsiones universales. Spes in angusto: jam nihil in arte superesse præsidii videtur, ob doloris immanitatem & vigiliarum pertinaciam. Tandem & ego in consilium accersor. Video medicamentis, cum ratione & methodo adhibitis, nihil planè effici, nec posse doloris levamen ullum idoneum reperiri: Emplastrum ex succis, aliisque malacticis, cataplasma etiam seu pultem ex anodynis imposuerant illi, præ immanitate doloris patiens impatienter rejiciebat. Statim suspicor occultioris & altioris aliquid subesse. Revoco mihi in memoriam morbum ipsius contumacissimum, quo ante biennium ferè desperatè laboravit, morbum nempe hypochondriacum, cum tumoribus scirrhosis glandularum mesenterii, tactu etiam foris deprehendendis. Considero ipsius temperiem & ἰδιοσυγκρασίαν mihi, si cuipiam alii, utcunque cognitam, cui etiam post Deum priores istius suæ sanitatis partes acceptas refert. Victum, educationem, vitæ genus, morbi ideam, speciem & erratio-

errationem doloris, juvantia & lædentia perpendo, dolores imprimis recurrentes ad animum revoco. Concludo esse forte reliquias morbi, dolores hos oriri ex ichoribus humoris melancholici, peculiari malignitate inquinatis, sive ex spiritibus salium tartareorum acribus resolutis. Dico congenerem esse affectum illi, quam *Westphali & Frisii, Geldri itidem, atque Hollandi*, apud quos sæpè vidi, die Maren / & Lopende Maren / und springende Gicht appellant. Misit ægro *Forestum* meum, ex quo epistolam Campensis Medici legit, huncque suum esse morbum omninò persuasissimus est, in quam sententiam unus ex concurrentibus statim ivit. Curationem igitur ipsis non improbantibus, per lumbricos, hujus morbi Alexipharmacon tantoperè Wiero decantatum, institui. Antè id tempus, sudoris ciendi gratiâ, dedi tincturam, quam vocant, simplicem, ex aqua Theriacali, Spir. nitri & vitrioli, optimo cum successu. Radicum etiam Hellebori extractionem in vino cum petroleo, Euphorbii item & Oleorum nephriticorum extractionem non infeliciter, sicut & Emplastr. Fernelii, quod habet in consilio pro Ischiade adhibui. Sed specifica & alexiteria hic utramque paginam facerent. Scripsit æger in Westphaliam, & rescriptum accepit, morbum ibi familiarissimum, & curatu facilimum, sicuti & probatu, si imponatur loco maximè dolenti lumbricus vivus, eum exilire, circumgyrari, incurvari, tabescere & emori. Probam fecimus, cum multis vermibus, miro & jucundo spectaculo. Remedium adjectum fuit geminum: I. ℞. novem lumbricos in mortario contusos, cum 2. cochl. vini, per pannum expressos: his addatur dimidia vini mensura: sumantur cochlearia 3. manè & meridie & vesperi: Minor tamen Vermium copia, nimia vini nobis visa fuit pro singulis dosibus; Alterum est. ℞. Sabinæ Ramulos ij. vel iij. Mediis virg. cochl. ij. coq. cum mens. vini, ad subsistentiam 2. digitorum, coletur per pannum. Bibat mane, meridie, vesperi, Cochl. iiij. vel v. &c. Hæc ex Westphalia missa sunt, priori sumus usi; posterius valde arridet ægro; ego vero non libenter discedo à vermibus. Successum felicem per duas hebdomadas habuimus: dolores valde remiserunt, quies nocturna rediit, sed tamen dolores singulis ferè noctibus, non tamen tanti, nec toties repetunt, incessus etiam (nam isti cruri rectè & firmiter insistere non poterat) melior, sed adhuc subclaudicans, cum infirmitate poplitis. Dolor etiam in pede minor circa talum, cum aliquali tumore, unde eruptio fors metuenda, quam non spero. Æger, meâ quidem sententiâ, Tartareis morbis valde obnoxius, & magnam ad Scorbutum dispositionem habet, morbum nempè sibi vernaculum, & suis Endemium, quod & color faciei, cum livore quodam pallidus, arguit, quamvis pathognomica signa nondum adsint. Quoniam vero *Celeberrime Dn. D. Horsti*, morborum horum incognitorum cognitionem; præ aliis, te singulari Ingenii acumine & dexteritate adeptum esse scio maximam, id quod non solum multis curationibus, sed etiam eleganti tuo de Scorbuto tractatu, in linguâ utrâque, boni publici gratia divulgato, præclarè ostendisti, in quo fol. 65. posterioris edit. german. hujus nostri morbi mentionem facis, cum ab aliis nostris medicis parum consilii habere queam, ad te confugio, cum in locis istis, quibus morbus hic est Endemius, medicinam feceris, & absque dubio plurimas, easque singulares observationes collegeris, diligenter & officiosè à T. Exc. petens atque contendens, ut pro singulari suo candore & φιλαδελφίᾳ Medica, suam mihi, tàm de naturâ, quàm curâ istius morbi mentem, atque sententiam per literas aperire & communicare non dedignetur. Annè putet, quod ex signis antea dictis, quæ præcipua sunt (omnia enim allegare temporis angustia non patitur) morbus prædictus rectè concludatur? Quæ istius morbi sit indoles? quæ causa propria & proxima: quid differt à Dracunculis, & illis, quos vocamus die Mitesser / quos sæpe in pueris curavi? quæ signa pathognomica, qui locus affectus, quod methodicæ curationis filum, qualem lumbricorum usum maximè probet, quid judicet de Asellis, in quibus maxima tartarum dissolvendi vis? quid de contarellis, sive Meywurm / de talpis & cæteris remediis, quid item de probis vulgaribus? Nos ægrum in balneum collocavimus, ipso sic urgente, postea fricuimus partes rad. Bryon. in lixivio coctis, hinc melle innuximus; visi sunt pili quidam prodiisse, nulla autem capitula nigricantia, quod in puerulorum molliorum corporibus vidi. Qua dosi vermes exhibendi, quamdiu, qui itidem extrinsecus, & quæ topica conveniant? Quid judices de remedio, secundo loco à Wiero posito, Matronæ Monasteriensis, quod patienti valde placet? an non putas hunc morbum scorbuti prodromum esse posse, cum ex eâdem minera scaturiat? Multa rogo & postulo, Celeberrime Vir, & quidem nimis confidenter. Tu ad ea, quæ videntur necessaria, tribus responde verbis, tuumque consilium candidè imperti. Quod si hac in parte mihi fueris gratificatus, omnem observantiam, honorem, obsequium tibi promitto, & quoad vixero, præstabo. Vale pancraticè, Vir Clarissime, honoratissime, in rei Medicæ ornamentùm & emolumentum. Dabantur in summâ festinatione, ideoque volanti calamo ignosce. Plura brevi coràm. Marpurgi 20. Januar. 1619.

Die Mazen / die Lopende Maren / springende Gicht.

Modus cognoscendi morbum hunc singularis.

Clariss. & Excell.

DN. D. HENRICO PETRÆO

Phil. & Medico.

GREGORIVS HORSTIVS, D.

S. Gratæ mihi fuerunt amicæ tuæ literæ, Vir Clarissime, fautor & amice plurimum colende, quæ præter singularem amoris ergà me tui affectum, quem declarabant, casum quoque satis implicatum proponebant, ex cujus relatione diversas quæstiones tibi dilucidandas ac decidendas deduxisti. Quamvis autem non

 facilè

facilè censuram in talibus suscipiam, utpote qui mihi benè conscius, ab aliis lubentius informari desidero; nihilominus, ut expectationi tuæ quodammodo satisfiat, paucis respondebo. Quod autem rem ipsam attinet, non immeritò divinus *Hippocrates* pronunciavit, diligenter à Medico perpendendum esse τὸ θεῖον, num scilicet aliquid divinum, hoc est, ut veteres illud ipsum intelligebant, aliquid singulare præter consuetudinem ac communem causarum naturalium seriem in morbis adsit, quod omnino quoque necessarium esse videtur in quibusdam affectibus, nostro tempore raris & novis. Quis ergo non commendet solertiam tuam, ubi singulari acumine ingenii, tàm ex consideratione antecedentium, præsentium, atque consequentium symptomatum, quàm etiam ex juvantium, & lædentium naturâ colligis, in ægro tuo τὸ θεῖον, seu insolitum quid, altius & magis occultum quid, latitare, quod pro singulari suâ proprietate atque indole, singularia quoque & appropriata requirat remedia. Quæris autem primò, num sufficientia judicem signa proposita, quibus persuasus es, ægrum vestrum arthritide illâ vagâ laborare, quam Westphali & alii die Varen / vel Lopende Varen nominant? Scio quid de hac re scripserit experientissimus *Wierus*: Legi quoque, quod in *Foresto Campensis medicus* de eodem morbo refert, ubi miror, *Foresto* morbum hunc, frequentem in istis regionibus, per tot praxeos annos incognitum esse potuisse. Cum autem signa tua, tàm ex antecedentibus, quàm ex consequentibus desumpta, cum iis, quæ *Wierus & Medicus Campensis*, imo & *Eugalenus* habent (qui soli rarum & novum hunc affectum descripserunt) coincidant; non video, cur non assertioni tuæ subscribendum sit.

Quæ sit indoles istius morbi.

Quæ autem istius morbi sit indoles, ulterius scire cupis. *Eugalenus*, quemadmodum in *libro de Scorbuto* idipsum etiam allegavi, non sine ratione statuit, hunc affectum nihil aliud esse, quam *Arthritidem vagam Scorbuticam*, cujus causa propria & proxima nihil aliud est, quam *tartarum scorbuticum resolutum*, & cum fluxili materiâ humorum, singulari proprietate nervosum ac musculosum genus petente, permixtum, quâ ratione *Wierus etiam, in tractatu German. de morbis incognitis*, peccantem materiam hujus morbi statuit esse materiam fluxilem, singulari malignitate huic morbo propriâ præditam, ac principaliter nervosas ac tendinosas partes lædentem, quæ omnia pulchrè ex modo læsionis, & qualitatibus juvantium demonstrantur.

Differre hunc morbum à Dracunculis Veterum.

Manifestum hinc redditur, à *Dracunculis veterum* hunc affectum longè diversum esse, præsertim cum adhuc sub Judice lis sit, quid de veterum Dracunculis statuendum, si perpendimus ambiguas & diversas opiniones, quæ hâc de re, juxtâ *Galenum*, *Paulum*, *Aëtium*, *Rhasem*, *Soranum*, *Monardum & alios* proponuntur.

Alius est à pilari affectu.

Nec etiam quicquam commercii habet cum pilari puerorum affectu, quem nostri die Miteßer vocant, ex obstructione pororum cutis, ob difficilem primæ lanuginis egressum, indeque caloris nativi denegatam eventilationem provenientem, cujus ratione pueri macie consumuntur, donec per abstergentia convenientia pori cutis ab obstructione tali liberentur. Quod signa pathognomica concernit, omninò cum antecedentibus consequentia quoque conjungenda censeo, sicuti rectè fecisti, cum hic ipse dolor cum aliis quoque, præter propriam suam specificam nocendi qualitatem, communia habeat, quâ de causâ *Wierus* præter ea, quæ à causis & naturâ morbi sumuntur, simul etiam probam addit, cujus ipsemet quoque mentionem facis.

Methodus curandi.

Cum verò scorbutici morbi, respectu radicis & originis quasi Soboles aliqua sit hoc accidens, rectè methodicæ curationis filum in eo consistere statuis, ut antecedenti causæ per universalia succurratur: quapropter dexterrimè, priusquam, appropriata fuerunt adhibita, tàm digestiva, quam evacuantia proposuisti.

Quid statuendum de usu lumbricorum.

Quo ad Lumbricorum terrestrium usum meritò subscribimus, præsertim cum experientia successum confirmet optatum, id quod ratio quoque suadet, cum lumbrici terrestres variis etiam ac diversis rationibus præparati, singulari fructu nervosis partibus sanandis aliâs præscribi soleant, quemadmodum diligenter præ cæteris idipsum à *Wiero*, dicto libro, fuit annotatum. Modus utendi diversimodè ibidem præscribitur, ubi non displicet additio eorum, quæ nervosis partibus dicata sunt, & malignitatis expulsionem per sudorem adjuvant, ut sunt Betonica, salvia, succisa, chamædrys, theriaca, & alia. Hac ratione non improbanda videtur potio Monasteriensis, quæ ℞. Salviæ, Betonicæ, Rutæ, ana folia 5. lumbricorum, cum cingulis rubeis in collo, num 5. Sabinæ parum, & rad. succisæ num. ij. cum aqua fl. Sambuci contundantur, & succus expressus pro sudore movendo exhibeatur, additis scrupulis duobus rad. Aristolochiæ rotundæ, veræ fortassis, &c. Paulo aliter potionem eandem, forsan majori cum fructu, proponit *Medicus Campensis* apud *Forestum*: ℞. *Rad. Succisæ* ℥j, *Aristol. rotund.* ʒiij. *Herb. Salviæ nobilis Beton. ana* Mj. *Abrotani*, *Rutæ. Vincæ pervincæ*, *Sabinæ an. p.* 1.

Coq. in aq. flum. ad med. cum hujus decocti expressi ℥iiij *trajiciantur lumbrici terrestres circulis in collo insigniti, vino prius abluti, & triti, num. 5 deinde admisce theriacæ* ʒß. *pulveris Cinam.* ʒj. *Sacch. q. v. exhibeatur manè, calidè, ad sudorem per aliquot dies.* Quæris ulterius de *talpa*, cujus adustæ pulverem quidam etiam in hoc affectu dicuntur adhibere, quod aliter quoque fieri non puto, quam quatenus ejusmodi pulvis Tartareas & Mercuriales collectiones promptè dissolvere potest, quâ ratione *Gesnerus* exterius etiam cinerem talparum cum melle subactum Strumis convenire statuit. Quod *Asellos* attinet, seu *millipedes*, nosti quid iisdem tribuat *Dioscorides*, quod videlicet non tantùm ex vino potæ difficili urinæ, & regio morbo, auxilientur, sed etiã exterius Anginis, & Aurium doloribus conveniant, qua ratione Oleum ad Cephalæã ex iisdem *Galenus* conficit. Famosum est Lithontribum ex his, quod *Horatius Augenius* proponit, quodque *Dn. Hartmannus*, Socer tuus,

Dioscor. lib. 2. cap. 34.

Galen. lib. 2. de comp.

med. f l. Horat. Augen. tom. 2. Epist. lib. 9. tuus, amicus meus honorandus, in additionibus ad *Crollium* pluribus repetit, & utendi, præparandique modum monstrat. Non ergò repugnarem, tàm virtute suâ tartareas collectiones easdem dissolvere, quam etiam alienâ quâdam qualitate vim expultricem extimulare posse, quò, conjunctis aliis appropriatis, eò citius malignitas, nervosis partibus inimica discutiatur. *Vide Marcell. Donat. histor. Med. lib. 7. cap. 7.* Nosti quid in hydropicis desperatis observatum fit in pulvere Bufonum adustorum exhibito, quemadmodum idipsum pluribus in additionibus Marcelli Donati repetivimus. Sic etiam in cantarellis, quos nostri Meyenwurm/ alii *Observatio de oleo Cantarellorum.* Ever / und Kadden vocant, eadem videtur esse ratio, de quo insecto nihil peculiare observavi, præterquam quod quidam Illustris in viciniâ vermes hos, viventes adhuc, æstivo tempore capiat, eosque in oleum commune immittat, atque in Sole per mensem digerat, quod oleum efficacissimè usurpat in omnibus iis affectibus, quibus aliàs oleum Scorpionum convenire solet.

Vide Probl. Therap. dec. 9. qu. 2. Sed quid tandem statuendum de remediis narcoticis internis, quorum *Wierus* quoque meminit, ubi in specie decoctum solani Somniferi proponitur? non repeto de opii naturâ sententiam meam in problematibus medicis propositam: hoc tantum addo, cum præter stuporem, quem opium introducit, fauces incendere, sudorem largum provocare, durities emollire & noxios humores expurgare soleat, omninò non erit à ratione vomitus alienum, in corporibus robustioribus opiata quoque plurimum præstare posse. Novi peritissimum chirurgum, qui graviter vulneratis mox in principio *Laudanum opiatum* exhibebat, & stuporem atque somnum provocabat, tàm ad hæmorrhagias præcavendas, quam etiam propter affluxum ad læsas partes inhibendum. Fortè non parum & hâc ratione narcotica servient in prædicto morbo, quatenus minor ad partes dolentes affluxus causabitur. Ut ut sit methodicam curam omnibus experimentis præferendam esse censeo, nimirum, ut primo conveniens evacuatio instituatur, postea per dies aliquot prædicta potio *Campensis Medici* vel potius *Wieri*, qui eandem quoque proponit pro sudore provocando sumatur, non neglectis insuper aliis, quæ singulari cum successu scorbuticis corporibus præscribi solent, cum hic morbus, ut rectè statuis, reverà cum Scorbuto sit complicatus, nisi quod *ob tartari scorbutici solutionem* fibrosæ musculorum partes magis cum affluxu tenuioris materiæ lædantur, quam ubi coagulata magis interna substantia cum ipsa sanguineâ massâ coalescit, unde & prodromum, & consequens, imò comitem interdum ipsius scorbuti morbum hunc esse posse statuerem. Sed hæc breviter ad tuas respondere volui, non quod necessarium esse videretur, cum ipsemet omnia melius, me etiam non monente, jam dudum cognita habeas, sed ut tibi morem gererem. Tu boni consule, tuumque Horstium amare perge. Dabam Giessæ, calamo currente, prid. Cal. Febr. 1619.

OBSERVATIO IX.

Dolor in brachio dextro diuturnus.

V*IR honestus, annorum ferè sexaginta constitutione corporis aliàs robustus, fluxionibus ad musculosas partes obnoxius, dolore brachii dextri prehenditur.* Quamquam verò superioribus annis, evacuatione reiterata, per subsequentem Bollensium Thermarum usum dolor remitteret, nihilominus tamen sub initium hyemis iterum recrudescebat malum, etiamsi patiens excitato fonticulo materiam affluentem aliò quoque divertere conaretur. Tandem igitur quod jam dudum suaseram, *sudoriferam curationem* instituit, ubi primo digestionem ordinavi, sub finem Maij, superioris anni M.DC.XXVII. subsequenti potiuncula, quæ

℞. *Rad. Caryophillata, Paoniæ ana ℥ß.*
Fœniculi, Liquirit. an. ℥vj.
Herb. Betonicæ, chamædryos veræ,
Chamapityos ana Mj,
Fl. Anthos, Betonica.
Stach. Arab. ana Pij.
Galangæ ℥ij F. decoct. in f. q. aq. ad 3. stent per noctem: Mane calefiant & colentur ℔js.

℞. *Colaturæ ℥vj.*
Syr. de beton.
Oxymellis Squillitici ana ℥js.
Sp. Salis ℈j M. pro 2. vicibus.

Hoc modo præparata materia per dies aliquot, evacuatio sequens instituebatur:

℞. *Colaturæ prioris decocti q. f. Infunde per noctem.*
Agarici ℥iij.
Fol. Senæ ℥ij.
Rhabar. ℥ß.
Anisi, Crem. Tartari ana ℈ß.
Stent in loco calido per noctem, Manè colentur Col. ℥iij. add. Extr. diacarthami ℈js. Syr. de carthamo ℥j. M. Præmissâ, reiteratâque materiæ secretione, decoctum sudoriferum, cum potu quotidiano, sequenti modo fuit accommodatum:

℞. *Ramentor. ligni ℔s.*
Sarsæ pariglia. ℥iiij.
Cort ligni ℥j.
Sassafras ℥js. Per 24. horas infunde in Aq ℔xv postea decoq. ad 3. pro decocto sudorifero.

℞. *Reliquias, adde Aq ℔. xx. coq. ad 3. & sub finem adde*
Sassafras ℥j. Passul. num. ℥ij.
Cinam ℥ß. Pro potu quotidiano.

His ordinatis, pro more quotidiè bis sudorem provocavimus, ita tamen, ut sequentia duo diligenter observarentur, nimirum ut singulis septimanis evacuatio institueretur pulvere sequenti, qui

℞. Mechoaca

℞. *Mechoacæ nigræ* ℈ij.
Magist. Tart. vitriol. ℈j.
Feculæ Bryoniæ ℈ß.
Pulv. Syrii gr. vj.
M. pro dosi, cum brodio quodam assumenda.

Deinde majoris discussionis gratia, postremis septimanis in haustu sudorifero *Bezoartici Mineralis gr. iiij. v. vj vij. vel viij.* ad summum addebantur; cujus beneficio penitus dolor diuturnus dissipatus fuit, ita ut ab eo tempore hucusque per annuum spacium nihil quicquam ulterius sentiat. *Compendiosior longè curatio* diuturni doloris in brachio contigit aliquando *Præfecto cuidam Militari Generoso*, cujus ex ore idipsum habeo. Hic postquam diuturno brachii dolore torqueretur, fortè fortunâ factum fuit, ut ob enormem cujusdam refractarii militis petulantiam, Regimine, quod vocant, summis conatibus, doloris sui oblitus, in adversarium irrueret, eundemque verberibus continuis tractaret, quò facinoris commissi pœnam lueret. Ab eo tempore per multos annos nihil quicquam istius doloris amplius sensit, unde manifestum est, quid caloris atque spirituum ἀθρόως affluentium efficacia queat in dissipandis materiis, aliquandiu præter naturam in partibus nervosis atque musculosis latitantibus, quâ ratione videmus intensissimos partium internarum dolores, somno superveniente, miraculi instar, sæpius evanescere, quod etiam accidit ea ratione, quatenus somno caloris atque spirituum revocatio & recollectio versus interiora fieri solet, cujus beneficio postea doloris causa consumitur, ac dissipatur, nisi materia multa sit; quæ recidivæ facilem occasionem præbere potest.

Observatio alia.

Ratio istius accidentariæ curationis.

OBSERVATIO X.

Dolor circa sinistrum humerum & homoplatam intensissimus, ex ebullitione bilis.

Honesta fœmina, quadragesimum ætatis annum excedens, Anno M.DC.XXVII. sub finem Novembr. in vehementissimum dolorem humeri & homoplatæ sinistri lateris incidit, præeunte horrore, quem calor excedens, pervigilia, dejectus appetitus, cum urinâ biliosâ secretâ, nec non tussi sicca plurimùm affligente, sequitur.

RESOLUTIO.

Cum *dolor hic vehementissimus* subitò prehenderet, eundem ab acrimoniâ biliosi sanguinis ebullientis provenire statui, quod *horror præcedens* innuebat, *cum reliquis signis febrilibus*, quam ob causam protinus Enemate naturæ succurrebam, post ea vehementissimos dolores interius exhibitione *Laudani Opiati cum Magisteriis*, exterius verò *Cataplasmate ex farina hordei, Chamæmeli, Meliloti cum Ol. anethino*, Chamæmelino, vitellis ovorum, &c. lenire conabar, non neglecta *pleuritide spuriâ* concurrente, *tussique sicca*, cujus gratia syrupos pectorales temperatos, & Julapium appropriatum exhibebantur, administrata quoque venæ sectione. Remediis hisce diligenter usurpatis, sua sponte vehementissimus dolor evanuit, ubi propter reliquias biliosas exturbandas *Claretum laxativum* per dies aliquot cum fructu continuatum fuit, semel atque iterum sudore quoque *lap. bezoartico cum aq. scabiosæ & Cardui benedicti provocato.*

OBSERVATIO XI.

Arthritis vaga mirabilis Dysenteriam subsequens.

Vir Clariss. & Excellent.

Dn. AUGUSTINUS THONNERUS, D. Reipubl. Ulmensis Physicus ordinarius,

GREGOR. HORSTIO, D.

S. P. Cum ita pridem, Clar. & Excellentiss. Vir fautor & collega plurimùm colende, tibi gratum fore retuleris, si affectum N. N. cum symptomatis concomitantibus, literis consignatum, communicarem, cum casus perquam rarus & speculatione haud indignus. Quamvis ipsemet ab exordio morbi, curæ mecum adhibitus & spectator & consultor, ut tibi, ceu viro erudito, haud grave, eum delineare, & causas rimari: & ne ligna in Sylvam. At cum mea manu, stylo & calamo illum adumbrare placuerit, id laboris efflagitanti detrectare, indecorum æstimandum, eò magis, dum animum meum, ad istam provinciam suscipiendam, sat benevolum, coràm ostendi: proin, ut fidem exolvam, & præstem pollicita, casum illum libero ingenio adornatum, & rationibus potius, quam authoritatibus suffultum, tibi perlustrandum transmitto, & æquum arbitrum constituo. Si ea ad tuum gustum, prout in votis, me cum ἀθυμίᾳ haud pœniteret insumptæ operæ: sin minus, non culpanda voluntas, (indubia affulget spes) & ad gratificandum animi promptitudo.

Vir doctus & honestus N. N. annum excedens 30. corporis habitu sat carnoso olim dotatus, complexionis à prædominio melancholicæ, subserviente sanguine crassiore, prout ex colore faciei subfusco, ingenio hebeti ac obtuso, animi moribus placidis ac verecundis, & ὀλιγοδιψίᾳ, deprehendendum. Omnia interna viscera videntur ipsi à natura obtigisse sat justa ac convenienti χρόᾳ correspondentia ac consentientia, pro in ab incunabulis usque ad præteritam æstatem (nisi quod semel, dum in Academia operam daret literis, febre tertiana correptus) sat commoda usus est valetudine. Si membra principalia ἀνάλογα, sanitas tam diu inconcussa stare non potuisset, cum aliàs omne Regnum, in se divisum, haud diuturnum. Cum illi res angusta domi, dum apud Parentes ævum traduxit, proin sudavit & alsit, per ardua conscendit, ad famem compescendam, ex inopia, obvia quævis cibaria, nullo habito respectu, assumere, & ad sitim sedandam, aquam haurire coactus. Ludum frequentans literarium, ubi ad supremam ascendit classem, aliquandiu in ea hærens, continuandorum studiorum gratiâ, ad Academiam profectus, ibidem

Dispositio subjecti laborantis f. n.

dem egestate pressus, victum & amictum famulando sibi comparavit, pravi succi alimentis non rarò fruiscens, cerevisiam insuper copiosam ingurgitans. Nupera æstate, mense Julio, in gravem incidit dysenteriam, materiâ purulentâ & cruentâ, sat largâ, per alvum rejectâ: ab eâ liberatus, cum animi recreandi gratiâ, æstuante cœlo, radiis solaribus acriter ferientibus exspaciatus, domum rediens, vesperi in pede sinistro circa talum, penè intolerabilem sentire cepit cruciatum, loco intumescente cum calore & rubore; eo sopito, dolor vagabundus, quatridui spacio post, transiliit in genu dextrum, eo in tumorem sat grandem levato, velut è gutturnio materiam descendere ac destillare, advertit. Dehinc in oculos serpsit, lippitudinem gravissimam concitans, per dies 15. perseverantem, exin manante ichore velut sanioso. Post in collum materia deflexit, in nervos se insinuans, clamosum peperit dolorem, ut per octiduum id ne minimum dimovere, nec inflectere quierit. Hinc brachium & manum dextram occupavit: exin in genu sinistrum descendit; tandem in brachium & manum sinistram se recepit. Bimestri post intervallo, linguam invasit, eâ mirabili modo, motu convulsivo, exagitatâ, periodicè sæpius paroxysmo recurrente, salvâ loquelâ, mente constante, sensibus integris. Accesserat penè continuus πτυελισμὸς, die noctuque perdurans, quotidie aliquot vascula plena aquosorum ac pituitosorum humorum exspuit æger, non rarò actu frigida multoties salsa percipiens excreta. Incredibilis copia, aliquot mensurarum, per illius morbi decursum, profluxit. Vagum illum omnium externorum membrorum vix ferendum cruciatum, infelix æger, in quartum mensem sustinere est coactus, eorum usu ex toto privatus, & quasi resolutus, ut in lecto quiescens, in dorso tantum cubare solitus, topicis parum proficientibus, & incassum adhibitis purgantibus; dum tandem, nutu ac Gratia divinâ aspirante, exantlatis tot ac tantis molestiis, beneficio decocti *Rad. Chinæ cum Sassafr.* in integrum restitutus. Haud de lana caprina prædictorum symptomatum fontem investigare, & causas indagare, ob quas, in tam truculentam ille malorum Lernam, inciderit. Casus haud vulgaris & contemplatione dignus, ut ingenii nervi nonnihil intendantur.

Dysenteriam subsequentia symptomata gravissima.

Dolores vagi diversarum partium.

Mirabilis linguæ motus convulsibus. Sputatio perpetua.

[illegible]

Affectus ille, quo æger inauspicatò tantopere infestatus, ad arthritidem vagam ac subsultoriam, & quidem universalem totius corporis, jure merito referendus videtur, cum nulla particula ab ea immunis, quam non obsederit. In collum irruens, trachelagram: oculos molestans, opthalmagram: linguam exagitans, γλωττάγραν: in humeros penetrans, omagram: incubitum se insinuans, pechyagram: in manus fluens, Chiragram: Genu corripiens, gonagram; in pedes descendens, podagram invexit, ut nullus propemodum totius corporis angulus relictus, quam non perreptans occupârit. O versipellem ac sævum carnificem, nullum articulum intactum prætermittentem, cui sua non admoverit tormenta.

Inquisitio in causas dictorum symptomatum Arthritis vaga universalis.

Ipsa ἀυξαλγία ostendit, locum affectum esse pene omnium membrorum articulos, secundum cavitates, membranas, ligamenta & tendines, cruciatum sustinentes.

Locus affectus.

Cum autem dolor sit symptoma actionis animalis læsæ, & quidem depravatæ ipsius sensus tactus: proin aliquem morbum habebit Antesignanum, qui vel ex intemperie, vel continui dissolutione prodibit. Non ex sola & nuda intemperie, quia ingens dolor se exeruit, conspicuo haud parvo tumore. Exin continui divisio erat in culpa, materiâ influxâ vel suâ copiâ divellente corpora nervosa, vel acriore qualitate mordente, & quasi dilaniante. Cùm primæ qualitates, calor & frigus, solum alterando, magnum dolorem concitare nequeant, nisi tantus excessus, ut continuum distrahant.

Quo ad causas, constituendæ vel internæ, vel externæ. Internæ vel immediatæ, vel mediatæ. *Quo ad immediatas*, aliæ esse nequeunt, quam humores pituitosi, serosi & ichores biliosi, (qui instar vehiculi excrementitiarum superfluitatum, eas attenuando & fluxiles reddendo) non tam primis qualitatibus, calore & frigore exorbitantes, quam secundis qualitatibus delinquentes, quatenus sunt imprægnati spiritibus salinis, nitrosis, aluminosis, vitriolatis. Suâ proin acrimoniâ, aut maligna ac virulenta qualitate, partes εὐαισθήτους, ac sensu exquisito dotatas, rodentes, vellicantes, lancinantes vel copia distendentes, dolorem proritant. Eò accommodari potest id, quod Hippocrat. lib. de Prisca Medic. eleganter & verè literis tradidit: *Non calidum, frigidum, humidum & siccum, magnam habet vim agendi, sed amarum & salsum, dulce & acidum, insipidum & acerbum: quæ etsi in mistione, & motua inter se contemperatione, neque cernantur, neque molestia afficiant, tamen ubi horum quidquiam secretum fuerit, & per se extiterit, tum & conspicuum fieri, & hominem molestia afficere, & noxam inferre, &c.* In Patiente nostro, cum serositatibus commixtos ichores pituitosos & biliosos, exin arguendum, quod tumores in articulis se ostentantes, sat duri, contumaces, ægrè resolubiles, cum calore & subflavo rubore: materiæ autem virulentiam, prodit cruciatus atrocissimus & pervicacissimus.

Immediata causæ.

Quoad causas mediatas, possunt esse, generantes ac mandantes, & recipientes. Cum constitutum, humores serosos ac pituitosos, & ichores biliosos excedentes immanis illius doloris authores: hi à calida Epatis intemperie provenient; illi autem à cerebri & ventriculi δυσκρασίᾳ frigidiore ac humidiore emergent. Humores illi superflui, in venis collecti, cum ad nutritionem inepti, indies magis sensim coacervati, tandem vel suopte nutu ac sponte, repagulis solutis, instar rivuli, è vasis, velut subulis per ἀναστόμωσιν exilire, & in subditas partes dimanare solent: vel quantitate aut alienâ qualitate irritata facultas expultrix, noxios illos ac naturæ adversos humores persequens, procul a se amandare contêdit, & velut sarcinam, in extimas partes deponere satagit.

Mediatæ causæ.

Externæ causæ.

Quoad causas externas, ad congeriem illorum vitiosorum humorum, & colluviem serositatum, haud levem occasionem suppeditarunt, varia coincidentia. Primo namque, etsi illi à natura obvenerit sat laudabilis complexio, & interna viscera, concoctioni & generationi humorum destinata, ita temperata, ut à pueritiâ ad præteritam usque æstatem, inculpata permanserit sanitas; at ob gravissimos errores, in victus ratione commissos, dum ex defectu, urgente fame, quosvis cibos oblatos, indiscriminatim abligurire, & ad sitim frenandam; non baccho, sed Lymphis litare, præsertim postremo hoc biennio, ob annonæ difficultatem, & vini caritatem, hydropotam agere, coactus: olim etiam συσσιτίαν sectando, Cerevisiam mensuratim absorpsit. Exin mala διάθεσις internis visceribus impressa, quæ non raro multis annis latet, dum progressu temporis, pedetentim succrescentes vitiosi humores, tandem levi accedente incitamento, erumpant. Elapso mense Julio, dysenteria sat gravi tentatus in tertiam septimanam perdurante, ob acrimoniam humorum, exulceratis intestinorum tunicis, materiâ purulentâ & cruentâ haud modicâ excreta. Ab ea immunis, cum bellè sibi restitutus videretur, & corporis exercendi gratia, & animi pascendi causâ, sub dio fervido exspaciatus, à calore solari fusis humoribus, ac in furorem actis, ex omnibus venis, velut reseratâ, catarrhacta, magno impetu, stillantibus, & in articulorum cavitates se insinuantibus, universali arthritide est correptus.

Dysenteria invasa.

Occasio Arthritidis.

Sed unde tantus superfluorum humorum exortus atque proventus? haud abs re, perscrutari rationes paulo pressius. Quia ob præcedentem dysenteriam, tum crebrum aquæ & cerevisiæ potum, calor naturalis non parum violatus & debilitatus, ventriculus exin cum primis refrigeratus, prout & cerebrum, tum ob consensum sexti paris nervorum, illius orificio implantati, tum ob frequentem ac diuturnam in Templis moram, frigida ac humida affectum intemperie. Id ex inappetentia & πτυελισμῷ, penè assidua partim aquosi, partim pituitosi crassioris, interdum salsi, & actu frigidioris humoris percepti expuitione, indies aliquot vascula sat ampla replendo innotuit. Materiam illam tùm è capite descendere sensit, tùm ex ventriculo vapores ascendere animadvertit, qui in ore coagulati, denuò in aquam converſi, more μετεώρων circulari generatione pronatorum, exhalationibus humidis ad mediam aëris Regionem subvectis, à frigore concretis, & guttatim depluentibus.

Singularis linguæ convulsionis causa.

Illius occasione, exacto mense, à cepto morbo, supervenit mirabile & miserabile illud symptoma, quidam motus convulsivus linguam corripiens, ea invito ægro quaquaversum agitata, variis modis exultante ac cespitante, haud sine stupore spectantium, accedente faucium constrictione, cum suffocationis periculo. Is paroxysmus per intervalla repetebat, quodam die penè singulis horis invadens. Necessum est læsum fuisse vel nervorum principium, vel musculos linguæ, cum nervis insertis: Non illud, quod mens incorrupta, & sensus integri permansêre, loquela non ex toto intercepta, ut DEI opem atque auxilium imploraret. Existimarem septimum nervorum par, movendæ linguæ destinatum, ac in ejus musculos variè dispersum, præter naturam affectum, illius propaginibus, vel materia pituitosa repletis, vel potius ea maligna qualitate imbuta, extimulante facultatem expultricem, ad rem inimicam exterminandam. Cum autem æger ille universali totius arthritide divexatus fuerit; id mali, à solius capitis depluvio, prodiisse, Rationi haud videtur consonum, cum ibi tanta superfluitatum saburra generari, & dimorari nequierit, sed alibi materiam collectam & transmissam, à vero non alienum, & talem productionis modum statuerem.

Occasio generationis serositatum abundantium.

Cum materia liquida, in cibo & potu assumpta, ad chyli ἀνάδοσιν & massæ sanguineæ distributionem inserviat, proin Hippocr. haud inscitè, serum vocat ὄχημα τῆς τροφῆς, vehiculum nutrimenti. Non enim chylus in ventriculo, ex cibariis elaboratus, ob crassitiem commodè in venas transire, nec facilè per venas Epatis admodum exiles & angustas commeare posset, nisi tenuis quædam & aquosa humiditas admista, cujus attrahendæ gratiâ ipsi Renes destinati, è qua postmodum urina suam habet ἔξοδον, per emulgentes attracta, & per ureteres delata ad vesicam, partim sanguini contemperata, in omnes venas & arterias defertur, ad ejus diductionem necessaria. Serum hisce muneribus perfunctum, non amplius retrocedit in vasa, natura regulariter operante, sed in corpore benè disposito, in tertia illa concoctione, quæ in venis peragitur, attenuatum sensim resolvitur, ac in vaporem abit, qui vel insensili expiratione evacuatur, vel sudore emittitur. Si Renes in attrahendo sero segniores ac imbecilliores, vel habitus corporis densior obtingat, ut nec per ἄδηλον διαπνοὴν exhalare, nec per sudores ejici queat, tunc natura in eo strenuè elaborat, semper studens sequestrare malum à bono, ut istud onus, sibi molestum, avertere, & aliorsum exonerare valeat. Hinc serositates illæ accumulatæ, vel copia è venis ultrò, instar fluminis alveum excedentis, promanare solent: vel acriore ac maligna qualitate incitata facultas expultrix, eas ad membra extrema, propulsare consuevit.

Cùm igitur in ægro illo, ob prædictas in cibo ac potu exorbitantias, præsertim ob πολυποσίαν, copiosum olim cerevisiæ & aquæ haustum, serosi humores, in omnibus vasis redundantes, conspirante indigestione ventriculi, capitis depluvio, infirmitate Renum, sudoris interceptione, indies magis congesti, dum vel sponte, vel accedente stimulo quantitatis, aut alienæ qualitatis, ad extimas partes amandati, & articulorum civitates pertingentes, velut obice objecto, terminum & fixam sedem acquisiverunt, ulterius fluere nequeuntes. Cumprimis autem humores illi ad cursum provocati à causa προκαταρκτικῇ dum ægro sub sole ambulante, radiis perurentibus concepto igni, ac exin concitata ebullitione, instar Euripi exæstuantis, aut musti in dolio effervescentis, è vasis majoribus ad minora, dehinc ad minima, & suc-

succeſſivè deſpumantes, ad extremos artus derivati, & ibidem firmati ac intercepti, non tantum cruciatus illos pepererunt, ſed & efferveſcentes, & φλόγωσιν concitantes, febriculam induxerunt.

Tametſi ad πάθος illud extirpandum, varia præſidia medica & interna & externa adhibita, at omnia vana ac irrita.

Ratio curationis. Affectu illo graviſſimo tàm refractario, in tertium menſem renitente, & diſcruciante, cum argumentis haud levibus ægro demonſtraſſem, ſiquidem ab illa tyrannide liberari exoptet, opus eſſe hidroticis, materiam nervoſo generi & articulis impactam, attenuantibus, & per ſudorem diſcutientibus. Id conſilii æger, obſtante etiam ac refragante alia imperitorum turba, ob hebetudinem mentis, non rarò optima Medicorum attentata, retardante & evertente, aliquandiu ſurdis auribus prætermiſit, virium prætendens imbecillitatem, eam Remorā, quò minus curam ſuſcipere, & continuare poſſet. Tandem urgentibus doloribus, re velut proclamatâ ac deſperatâ, aſſenſum dedit. At in ſuſpenſo, anceps ac dubium, qualis cura magis proficua. Etſi prima fronte ob πλυσλισμὸν, ex frigida ac humida ventriculi & cerebri intemperie pronatum, decoctum ligni ſancti videretur haud inconveniens: at id diſſuadebat virium proſtratio, natura diurnis & nocturnis doloribus fracta, totius ἀτροφία, & calidior Epatis δυσκρασία. Proin in eam deſcendi ſententiam, (eò magis, dum animum ipſis ægri, uxoris & ſocrus ab illius uſu, perquam alienum adverti: Triga illa manibus pedibuſque reluctante) ut proponerem decoctū Rad. Chinæ cum portione Saſſafras, hiſce fretus conjecturis. *Cur China potius quam Lignum approbatum fuerit?* Cum per aliquot hebdomadas calores non naturales obſervati, nec immunis æger à lentâ febriculâ, à leviore putredine ac fervore ſeroſorum humorum, ob præcedentes obſtructiones ſuccensâ: 2. Quia aderat calidior Epatis conſtitutio: 3. Omnium partium conſumptio, ob ἀνορεξίαν; per aliquot enim ſeptimanas jurulenta tantum aſſumebat: 4. Virium imbecillitas; 5. Quod ventriculum haberet faſtidientem ac nauſeabundum, abhorrentem & averſantem inſuavia. Erat enim patiens valde impatiens, mollis, ac delicatus: 6. Quia non ſoli humores ſeroſi ac pituitoſi, ſed & ichores bilioſi & ſalſi, haud carentes malignitate, illorū cruciatuum effectores. *China decoctum quid præſtet.* Exin, cum China temperata in activis, & in provocandis ſudoribus haud inſignis, ſuperfluos quidem humores reſolvens, utiles autem intactos relinquens, vel ad minus, eos haud multum depaſcens, palato inſuper grata, prærogativam habere viſa, addita portione Saſſaf. ob majus ventriculi ſolatium, & inſimul craſſiores humores in nervoſis partibus defixos, magis attenuandos ac reſolvendos, felici auſpicio, illa cura eſt inchoata, & proſpero ſucceſſu ad finem perducta. Hauſtu ſudorifero matutino tantum aſſumpto, quotidiè ſemel duntaxat, habita ratione virium, ſudabat, natura binum ſudoris elicium haud tolerante. Sat commode ferens indies affatim ſudavit. Intra dies 14. dolores evanuêre, appetitus proſtratus rediit, corpore obeſiore facto, πλυσλισμὸς receſſit, menſe exacto, tumores etiam reſoluti, ſat commodè incedere, cibum ipſe capere, & alia ritè obire munia cepit, vindicatus in priſtinum ſanitatis ſtatum. Si æger dicto obediens, nec tam moroſus ac querulus, adhibita majori patientia corporis & mentis, haud dubiè maturius, amiſſam recuperaſſet valetudinem; vires etiam imbecilliores obſtaculo, quò minus generoſa licitum experiri remedia. *Gal. quidem lib.* 1. *Meth.* monet, Medicum debere ægris ſuæ fidei concreditis, imperare, haud ſecus ac Duces militibus, aut Reges ſubditis: at noſtrates tale imperium non ferunt, oportet rogare, & penè ſupplicare cogimur, ut ſalutaribus pareant conſiliis: exin nil miri, ſi non rarò Medicus ad exoptatam metam pertingere nequeat. At benedicto ſit laus in ævum, qui illius tandem miſertus, plantanti Paulo & riganti Apollini ſuum dedit incrementum, cujus clypeo, & te, Vir Clariſſ. obtectum pervelim. Ex Muſæo Ulm. 20. Januarii, Anno 1624.

Occaſio generationis ſeroſitatum ob- ... tium.

OBSERVATIO XII.

Dolores partium diverſarum post Dyſenteriam, tandem per abſceſſus ſoluti.

Clariſſ. & Excellent. Viro,

Dn. AUGUSTO THONERO,

Phil. & Med. Doctori, nec non Phyſico ordinario, Collegæ honorando,

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. Grata mihi fuit diligens, & ingenioſa variorum ſymptomatum deductio, Vir Clariſſ. & Excell. Collega & amice plurimum colende, digna ſanè, quæ philiatris ob raritatem ſuam communicetur. Similes ferè caſus à me *libri* 4. *obſerv.* 21. deſcribuntur, in eo tamen differentes, quod materia vagos primò dolores, tandem certum aliquot membrum ita prehenderit, ut ad ſuppurationem & apertionem omnino perventum fuerit. Quemadmodum verò modus ſolutionis in his caſibus alius fuit, quàm in prædicto tuo determinatum, ita non nego, quin in cauſis affectum ipſum ſymptomaticum producentibus, ipſiſque partibus affectis, magna quoque differentia fuerit. Interim, nihilominus pro amicâ communicatione gratias ago, teque cum tuis Divinæ clementiæ commendo. Raptim Ulmæ.

OBSERVATIO XIII.

Artuum dolores, ſtato tempore recurrentes.

Vir Clariſſ. & Excellent.

DN. JOH. CHRISTOPH. EISENMENGER,

Med. Doct.

GREGORIO HORSTIO, D.

NOn loquor de doloribus in ipſis artuum juncturis, quos arthriticos vocant, ſed de talibus, qui vel à

 ſca-

ſcapulis ad cubitum, aut manum, vel à femore ad genua, vel extremos pedes excurrunt, & ſtatum tempus, potiſſimùm noctu, (hinc dicunt: **Es könne die Federn nicht leiden:**) obſervant. Hos ſæpius ad aliquot annos aut menſes durantes obſervavi. Noſtri vocant **kalte Gesichter**/ quaſi ex refrigeratione membrorum ortum trahe-rent. Præter alia Exempla unum ſubjungere placet. Superiori anno honeſta fœmina Quinquagenaria de ſimilibus conqueſta fuit doloribus, ſingulis ferè noctibus, circa ſecundam matutinam, ab humeris ad cubitos plerunque, nonnunquam etiam ad extremos digitos deſcendentibus, tantosque cruciatus inferentibus, ut nullibi quieſcere poſſet, ſed vel erecta ſedere, vel hinc inde curſitare cogeretur. Dolores hos adeò exquiſitos eſſe dicebat, ut illos, qui dentes invadere ſolent (quos in juventute quoque experta fuerat:) longè ſuperarent. Conſilia autem aliquot Medicorum collegit, quorum alii thermas, alii Acidas commendarunt; quidam, quod faciei color ictericus eſſet, & dolores poſt excandeſcentiam ex ira magis exaſperarentur, ex bilioſis vaporibus, ad nervoſas partes delatis, eos ſuboriri exiſtimans, poſt acidarum uſum, inunctiones frigidas ex oleo roſarum, nymphea & hyoſquiami fieri voluit. Conceſſit tandem ægra ad Acidas Göppingenſes, easque poſt univerſalia, tàm potu, quàm inſeſſu commodè tulit. Nam & multum bilis per alvum & urinam crevit, affatim ſudavit, & toto illo tempore dolores vix aut parum ſenſit. Sub finem autem curæ (ex nauſea & animi commotionibus ut puto:) in tertianam incidit, quæ ad 6. ſeptimanas durans, omnem illum dolorem obſcuravit: febri verò fugata, iidem redierunt, ſed aliquanto mitiores, & dextrum potiſſimùm brachium ad cubitum uſque exercentes.

Quando autem per horam, plus minus, ſatis ſævierunt, tunc ſpontè remittunt, relictis in brachio formicatione cujuſdam ſenſu, & debilitate. Poſt ſudorem verò in Laconico excitatum, & inunctionem ex infuſione variarum herbarum, florum, aromatum, ligni item Indici, &c. in ſpiritu vini facta, multum levatur. Alios thermarum Ferinarum uſu potiſſimùm percuratos fuiſſe novi.

Quæ verò cauſa ſit hujus doloris periodici, quibusve remediis tutò percurari poſſit, Exc. T. judicium expeto, &c.

OBSERVATIO XIV.

De doloribus Vagis partium externarum à diluvie ſeroſa, perioſtia, membranoſumque genus divellente.

Ad Virum Clariſſ.

DN. JOHAN. CHRISTOPH. EISENMENGERUM,

Medicum Doctorem,

GREGORIUS HORSTIUS, D.

Quæ de doloribus artuum vagis ac recurrentibus Vir Clariſſ. proponit, ad iſtud ſymptoma reduci poſſe cenſeo, quod *Carolus Piſo in eruditiſſimo ſuo libro de morbis ex diluvie ſeroſa productis, mihi pag.* 393. innuit, dum inquit: *non ſolum articulos, ſed medios etiam artus, & externum omnem habitum corporis dolere à conferto decubitu aquei humoris, citrà aliam notabilem noxam, quotidianis conſtat experimentis, &c. audire namque eſt quotidie multorum Voces de ſubito brachii alterutrius, omoplatæ, aut thoracis dolore ferè ſuccedaneo, gravitati colli quiritantium: alii autem per febres ſibi crura & quandoque brachia quaſi piſtillo tundi vociferantur, in quibus omnibus; ſi partes dolentes intueare, illas neque in colore, neque in mole, aut habitu à ſeipſis ſanis immutatas dixeris.* Hanc aſſertionem Autor non tantum obſervationibus annotatis, ſed etiam conjecturis rationalibus minimè vanis concludit, ſcilicet *continentem cauſam hujuſmodi dolorum ſtatuendo decubitum ſeroſi humoris, confertim in perioſtia vel membranas muſculorum proprias irruentis.* Confirmatur idipſum *à priori*, quia pleonexiæ ſeroſæ manifeſta ſeſe prodant argumenta reſpectu ſubjecti laborantis, nimirum urinas in iis copioſas, longè potum excedentes, tenues atque perſpicuas ſecerni, ſanguineamque maſſam (quod venæſectiones teſtantur:) ſero plurimùm dilutam conſpici, totiuſque corporis conſtitutionem talem vel naturâ, vel aſcititiâ complexione deprehendi ſolere, quæ prompta nimis ad ſuperfluitatis ſeroſæ copiam colligendam. Cùm autem caput aquarum quaſi labrum & fons conſtituatur, ex eodem ſecundum membranas ſeroſum humorem, dolorum cauſam, depluere veriſimile ſtatuitur, adjuvantibus jecore & liene, ſuo modo capitis plenitudinem generando. Non ab externo, quod depluvium intumeſcentiam partium cutanearum, ſed ab interno capite cauſam hanc doloris communicari manifeſtum eſt, quatenus nihil quicquàm tumoris, vel mutati coloris, deprehenditur. *A poſteriori* modus curationis atque ſolutionis idipſum quoque demonſtrat, quatenus præmiſſâ totius providentiâ, quæ conſiſtit in obſervatione eorum, quæ ſeroſitatum copiam & efferveſcentiam præcavent, maximè ſudoribus dolores ejuſmodi diſcutiuntur, idque ſine ſenſibili partium dolentium intumeſcentiâ, quod non fieret, ſi cum ſero materialis aliquis humor craſſior (quemadmodum in reſolutione dolorum arthriticorum videmus:) commiſceretur.

Reſolutio ad præcedentem obſervationem.

Omnia hæc ad caſum tuum propoſitum accommodari poſſe non dubito: *matronam quinquagenariam*, illius ſcilicet ætatis, ubi menſium defectus naturâ ſequitur, & per conſequens *ad collectionem ſeroſitatum*, tàm propter menſtruas evacuationes ſubſiſtentes, quàm reſpectu declinantis ætatis *promptiſſimam*, in qua totum corpus catarrhis obnoxium *redditur de doloribus ejuſmodi vagis ſingulis noctibus, circa ſecundam matutinam, conqueſtam fuiſſe* dicis, quatenus ſcilicet tunc temporis, abſoluta primâ concoctione, natura per ſomnum confortata, peccantem materiam ſeroſam tepore lecti plurimùm incaleſcentem, & fervefactam, tanquã alienã commovet,

qua

qua ratione secundum naturam frequenter sudorem per poros cutis alias provocare solet, *quos dolores exquisitos instar eorum esse asserat, qui dentes in juventute graviter affligere solebant*, argumento, quod ab ineunte ætate collectioni serositatum obnoxia fuerit. *Color faciei citrinus* viscerum secundæ concoctionis discrasiam hûc maximè facientem indicat, unde *commotio per iram*, effervescentis seri copiosi causa facilimè colligitur. Minimè verò mirum est, quod *febribus affligentibus periodici dolores ejusmodi quieverint*: quatenus natura pugnans cum febri, quietam interim collectionem ejusmodi circa membranosum genus reliquit, accedente fervore febris, non parum superfluitatum absumente, quam ob causam *post febrem dolores redeuntes*, natura videlicet antiquum obtinente, mitiores observati fuerunt.

Quando per horam, plus, minus sævierunt, spontè remittunt, quia tenuissimus & resolubilis est affluxus, dolorem introducens, *relicto formicationis sensu & debilitate*, quatenus effervescentia tenuioris seri pedetentim remittit, & spirituum animalium influxus, antea non parum perturbatus, sensim de novo quasi totum habitum musculosum pervadit. *Post sudorem verò Laconico excitatum*, tum etiam *Ferinarum thermarum usu*, dolores *hos leniri* rectè subjicis, unde manifestum est, *præcipuum scopum curationis* in duobus consistere, *nimirum seri copiosi proventum in massa sanguinea, nec non particulatim in capite, quantum fieri potest, præcavere, & quod in habitu corporis est, quodque jam ipsum membranosum genus occupat, & certis temporibus effervescit, sudoribus, frictionibus & convenientibus moderatis exercitiis discutere*. Quid ad utrumque scopum usus *acidularum, thermarum, ligni decoctum sudoriferum & similia* remedia, post appropriatas evacuationes, præstare possint, omnibus in propatulo est, quam ob causam plura non addo, sed sapienti sat dictum esse puto. Bene vale, Vir Clariss. meque, quod facis, amare perge. Ulmæ prid. Calend. Junii 1628.

Curationis Indicatio.

OBSERVATIO XV.

Tremor artuum involuntarius sine dolore.

Idem Vir Clariss.

DN. D. EISENMENGERUS,

Ad

GREGORIUM HORSTIUM, D.

Priori licet mitior, non minùs tamen fortè molestus occurrit Affectus extremorum, dum videlicet ea, præter voluntatem inordinatè moventur, & tremulo motu quasi convelluntur. Id quod vetulis frequenter accidit, quibus caput continuò vacillat: aut potatoribus, quibus jejunis manus tremunt, & pedes titubant. Peculiare autem hoc esse existimo, quod *Ludimoderatoris cujusdam uxori in puerperio* accidit. Ab eo enim nescio quam ob causam, jam ultra 12. vel plures annos totum latus sinistrum vigilanti continuò movetur præter voluntatem, ita ut oculus perpetuò nictitet, labia assiduè diducantur & claudantur, brachium subsultet, digiti gesticulentur & pes nusquam consistat; omnia tamen sine sensu & dolore: dormienti vero omnia quiescunt.

Observatio tremoris singularis in diversis partibus.

Est & minister quidam Ecclesiæ, 40. circiter annorum, vir Melancholicus naturâ, sed corpulentus, & succiplenus, victus rationem optimam servans; is ante biennium in templo stans, novos nuptos copulaturus, sinistri pedis sensit motum involuntarium, quo perterrefactus, toto inhorruit corpore, steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit, ut reliquum negotii non nisi pulpito innixus, peragere potuerit.

Obs. tremoris per intervalla sinistri tantùm lateris.

Ab eo tempore, quoties suggestum conscendit, vel etiam de concione habenda sollicitus fuit, toties similis tremor dictum pedem invasit, & ex eo totum corpus concussit, non aliter, ac si paroxysmo afficeretur febrili, nullum tamen usquam dolorem persensit. Hujus affectus causam ego inquirens, nullam aliam invenire potui, quam nimiam membri frigiditatem, & inde contractam debilitatem; solitus n. fuerat per æstatem pedes ex obambulatione incalefactos frigidissimæ aquæ imponere. Post universalem igitur purgationem & venæ sectionem revulsoriam, sudorem aliquoties movi, decoctis etiam herbarum convenientium pedem fovi, & ut thermas adiret Badenses in Marchionatu, consului. Mutuâ vero sententiâ certas ob causas, eo anno Ferinas visitavit, & post earum usum, Inunctiones ex oleis calidis adhibuit, cum lavamine quodam. Sed quia, mox post reditum, pestis ingruens metum & tristitiam redintegravit, & non parum negotii fecit, malum recruduit, & extra concionem quoque diutius stantem, infestavit, atque manum etiam sinistram tremulam reddidit. Meo igitur consilio superiori æstate Badensibus thermis usus est: simul etiam propter Melancholiam bibit acidas Petersthalenses, quæ eò feruntur. Licet verò primis 14. diebus egregiè confirmata fuerint membra; continuato tamen insessu labefactari iterum eadem sensit, & ab acidis abhorruit, unde molesto satis itinere domum reversus, non solum viribus prostratis, sed & admodum Melancholicus, ut omnem porro spem restitutionis abjecit. Hactenus tamen officio suo perfungitur; nunquam autem concionem potest habere, licet probè præmeditatam, nisi poculo uno & altero vini meracioris (etiam cum nausea) exhausto, animum sibi conciliârit. Quo facto, pes utcunque firmatur; donec vini vis discutiatur, tunc ad pristinum redit morem. In cæteris autem vel mentis, vel corporis functionibus, nulla insignis percipitur læsio, nec ullus dolor. Quæ igitur hujus affectus sit causa continens, ego nondum satis exploratum habeo, uti nec quibus remediis cura porro aggredienda. Quoniam vero in hac constitutione Melancholica ex Imaginatione tremor plerumque initium sumit, forsan non inconsultum arbitrarer, si præviis decentibus purgantibus, & aperientibus, instante vere, acidas vel Griesbacenses, vel Goppingenses primò biberet, dein insessionibus

Occasio externa.

nibus calidis probè illiniret & fricaret. Ut autem hoc in casu E. T. consilium & judicium nobis communicare dignetur, singulariter Dominus patiens (qui debitam remunerationem promittit:) etiam atque etiam rogat, &c.

Responsum Autoris ad casum propositum.

S. Inter alios casus, per literas communicatos, notatu dignus est iste, Vir Clariss. & Excellentiss. qui Rev. vestrum Ecclesiastem concernit, *tremor videlicet involuntarius*, absque dolore pedem atque manum sinistram, adeoque lateris istius artus integros per intervalla concutiens. Motum hunc ob pugnam inter facultatem moventem & partis movendæ gravitatem fieri *Galenus* innuit, dum 1. *de caus. sympt. cap. 2.* per tremorem in vitæ facultate membrum quidem deorsum gravitate labitur, quod facultate vicissim agente sursum movetur, successione quâdam æqualis pugnæ moventis ac mobilis, quod idem *Galenus* 3. *Epidem. comm.* 1. pluribus declarat. Manifestum itaque, primordium ejusmodi noxæ facultatem moventem esse, propriam operationem imperfectè edentem, non tàm sui, quàm resistentiæ mobilis causâ. Fit a. idipsum, vel quatenus eadem facultas à principio suo fluens languida, non satis proportionata est respectu objecti justo modo sese habentis, quod in senibus atque convalescentibus videmus; vel quatenus ipsum objectum, seu pars mobilis defectum aliquem obtinet. *Ad utrumque respectu præsentis casus* respiciendum esse censeo, *nimirum ut pars mandans, seu exortus nervorum* superius ad vertebrarum colli finem, & inferius circa os sacrum, calefacientibus ac digerentibus roboretur, *ipsaque pars, imperfectè facultatis animalis influxum recipiens*, frictionibus atque fomentis recreetur, non neglecto totius regimine, potissimum eò directo, quò superfluitates abundantes consumantur, & caput, inprimis adpropriatis suis, confortetur.

Tremor quomodo fiat.

Resolutio ad casum propositū

Quoad primam intentionem, spinam, maximè circa colli finem & ossis sacri initium, præmissis tamen universalibus, cum *Aq. Aurea Langii, addita Aq. hirund. cum castor. & Spiritu liliorum convallium*, m. v. que. fricarem, mediante nodulo, qui ex *Castoreo, Fl. Lavend. Stach. Arab. Her. Rutæ, Salviæ, Beton. Fl. Anthos Chamæmeli Rom, Camphora &c.* conficiatur, & in aq. prædictâ infundatur. Imò fomentum præcedentibus præmissum quoque plurimum conferret, nimirum, si *Her. Salviæ, Rosmar. Chamæpityos Chamedryos. Beton. Fl. Stachad. Arab. Chamæmeli Rom. Bacc. lauri, Iuniperi &c.* vino decoquerentur. *Quoad secundam intentionem*, femur ad extremum pedem usque, sicut & manum universam deorsum versus fricandam, & spongiâ novâ decoctione vini salviati ebriâ fomentandam esse statuerem, frequenter postea adhibito Balsamo axungiæ humanæ, qui ℞. *Axungiæ human.* ℥vj. *Terebinthinæ claræ tantundem, axungiæ taxi, vulpis ana* ℥iij. *ol. Laurini, Masticchini spicæ, ana* ℥ß. *Fol. Lauri, Chamæpityos, Salviæ nobilis, Majoranæ ana Mj. Aq. vitæ rectif.* ℥viij. *Macerentur hor. 24. deinde f. destill. per Retortam.* Plurimum hic quoque spei ponerem in usu *Spiritus Tartari* benè rectificati, similiter per frictionem adhibiti. *Destillatum Galbani Cratonis*, eidem in colicis doloribus commendatum, utiliter & exterius adhiberetur, nisi gravis odor inimicus videretur, cujus usus, pro intentione prima, spinali medullæ quoque conveniret. *Quod tertio* loco totius regimen concernit, nihil præscribo, sed totus sum in ea opinione, primo per *infusum spleneticum laxativum* naturæ succurrendum esse, quo præmisso, singulis septimanis bis *Marocostinas pil.* ℈j. quantitate ante cœnam exhiberem, matutino tempore non neglectis universalibus roborantibus, inter quæ primum locum *Elixiri Proprietatis Paracelsi* tribuerem, secundas obtineat *Spiritus Terebinth.* cum aceto destillatus; particulariter verò caput etiam roborarem; usu *Ambræ gryseæ, cum Extracto ligni Aloës s. q. Sacch. in aq. lil. convall. fol.* in orbiculos per confectionem redactæ &c. His per mensem continuatis, Acidularum potus commodum usurparetur, antecedentis causæ respectu, propter splenis affectum concurrentem, potu potius, quam balneo, de cujus tamen usu periculosis hisce temporibus valdè dubito ejusque loco *Decoctum chinæ, cum sarsapariglia & Sassafras*, ad superfluitates absumendas, & partes roborandas suaderem. Hæc sunt, quæ in gratiam optimi viri absens consignare volui, Deus ἀρχίατρος det incrementum, & benedictione sua non desit. Bene vale Vir Clariss. & me amare perge. Raptim Ulmæ, 6. Julii 1628.

Balſ. Axungiæ humanæ.

OBSERVATIO XVI.

Exquisitissimus pedum dolor, certis horis vehementer affligens.

Casus proponitur per literas hoc modo. Nobiliss. Matrona N. N. annorum 28. ætatis, duorum liberorum mater, constitutione antehac sanguinea, jam verò ad Melancholiam declinante, cibi perpauci, largioris tamen meri potus, pedibus laborare cepit: elapso Majo currentis Anni M. DC. XXVI. phlebotomiam instituit, nullis tamen prævíis medicamentis digerentibus, vel purgantibus admissis: nihil tamen remittentibus doloribus, quibus laborare ceperat, sed quotidie certis intervallis magis affligentibus, impatiens ex persuasione cujusdam Empirici in utroque pede venas Ischiadicas, vulgò die Gichtadern/ ante tres circiter septimanas incidi curavit, à qua venæ sectione in tantum morbus invaluit. & in dies augmentum accepit, ut tandem Medici alicujus consilium implorarit, qui Unguenta & olea ex chamæmelo, Scorpionibus &c. tandem Bezoartica, sine penitus ullo emolumento, adhibuit; imò exacerbati magis indies dolores, &c. Nescimus an morbus multum sit dissimilis ab iis, quos Ex. V. Dom. *in lib. 1. Epistol. Med sect. 2. & 3.* recenset, præterquam quod una die magna ex parte inter mittat, tertia vero semper majori & atrociori cum dolore redeat, & insuper etiam

etiam crura nunquam transcendat, sed firmissimam sedem in plantis & superioribus plantarum supra digitos partibus, in quibus secta vena fuit, figat. Immanissimus iste paroxysmus in 10. usque horas protrahitur, cum violenta & spasmodica pedum contractione brevissimo interim aliquando tempore intermittente: toto corpore se ægra benè habet, præterquam quod ultra consuetum tempus menstruas evacuationes jam patiatur; citra tamen ullam molestiam. Super intricatissimum hunc casum Ex. V. consulere, & ipsius operam implorare visum fuit, cum Ex. V. ejusmodi secretiorum rimatorem, & humanissimum omnibus bonis auxiliatorem esse constet.

Ad casum præcedentem Responsum Autoris.

Determinatio morbi.

DOlorificus pedum affectus, quo Nobilissima Matrona de tertio in tertium jam per septimanas aliquot affligitur, *partem affectam habet nervosas & membranosas partes infimi pedis*; cumque non sit absque tensione, *convulsivus dolor* nominari poterit, qui non per πρωτοπάθειαν sed per δευτεροπάθειαν generetur, aliunde scilicet causâ dolorificâ parti affectæ communicatâ, *quatenus perpetuum non est*, sed statas suas & certas exacerbationes habet, *originem*, proculdubio ducens *à biliosâ evaporatione*, cujus proprium est circa tertium exacerbari, circa venas splenicas & mesentericas *originaliter collectam, & per adustionem acrimoniam acquirente*, quatenus non rarò tales collectionis ἀναθυμιάσεις nervosis partibus communicantur, easque per vices, non perpetuò, graviter affligunt.

Occasio mali.

Occasionem malo præbere potuit tàm naturalis aliqua partis recipientis imbecillitas, quàm etiam contra præcepta Methodi, in ipso membro laborante venæ sectio instituta, qua fluxio peccantis materiæ promptior subsecuta fuit, ipsius subjecti laborantis innato calore magis dissipato.

Prognosis.

Quemadmodum verò plus doloris, quam periculi, dictus affectus secum portendit, ita spe bonâ solabimur ægram nobilissimam, modo non negligat illa, quæ ad expugnandum hunc hostem necessaria videbuntur.

Curatio.

Ante omnia verò, *quoad causam antecedentem averruncandam*, *vinum chalybeatum* præscriptum commendarem, ita ut per octiduum singulis diebus jejuno stomacho pleniorem haustum ad ℥vj. adsumeret, addita simul portiuncula pulveris aperientis pondere ℈j.

℞. *Rad. pæoniæ fœniculi ana ʒiij.*
Cichorei ʒvj.
Glycyrrh. polypod. q. an. ʒij.
Cort. rad. ebuli ʒiiij.
Herb. fumariæ.
Scolopend. ana Ms.
Cort. Tamarisci ʒij.
Fol. senæ s. f. ℥j.
Mechoacæ nigræ ʒij.
Rhabar. el.
Hermodactyl. ana ʒjs.
Sassafras ʒj.
Anisi ʒß.
Passul. min. incis. ℥j.
Chalybis cum Sulph. pp. ʒx.
Galangæ, ZZ ana ℈js.
Incisa & contusa ad sacculum, ad ℔vj. vini tenuioris. Item:

℞. *Magist. Tartari Vitriol. ʒij.*
Feculæ Aronis ʒj. Misce, divide in ix. partes. Usurpetur cum vino Chalybeato.

Hoc remedio per octiduum continuato, *causæ conjunctæ respectu*, diaphoreticum remedium appropriatum adhiberem, nimirum *pul. ex lap. bezoar. orientali, cum Magist. corall. & Perlar. in aq. Veronicæ, cum spiritu lil. convall. temperatâ*, quod singulis septimanis quater, diebus alternis commodùm repeteretur, non neglecta interim *convenienti victus ratione*, ubi simul roborandorum viscerum causâ quotidiè *gutt. iiij. vel v. Elixiris Proprietatis* in brodio quodam alimentali matutino tempore commendarem, ordinato simul *vino Medicato* sub initium prandii sumendo, quod fiat infusione *rad. Caryophyll. Scorzoneræ, pæoniæ ana ℥ß. Herb. Salviæ. Betonicæ, Chamæpityos, Chamædryos veræ ana Mij. Fl. Anthos, tiliæ, salviæ, thymi ana Ms. sum. Absinth. Centaur. min. ana Pij. ad vasculum vj. vel vij.* mensurarum. Tandem *exacerbatione doloris admodum urgente*, post usum vini Chalybeati, *Laudanum opiatum cum Magisteriis gr. iiij. vel v.* exhiberem in bolo *Conservæ Anthos. Betonicæ*, vel simili, cujus usus omnino tutus nobis est, utpote quo sæpius ad octo vel x. grana cum successu feliciter in vehementissimis ac summis doloribus utimur. Plura pro tempore non addo, ne Nobiliss. ægram aliàs à medicamentis abhorrentem pluribus obruam; DEUS det incrementum benedictione sua, qui sit laudatus in secula. Scrib. Ulmæ IX. Calend. Jul. Anno M.DC.XXVI.

ADDITIO.

Cum paulò post ad ægrotantem nobilissimam hanc ipsemet vocarer, in opinione mea præsentium symptomatum observatione magis confirmabar, ubi doloribus, certis suis temporibus vehementer affligentibus, ad miraculum usque succurrebat *Aqua antihysterica Camphoratâ, cum spiritu lil. convall. & cerasorum nigrorum permixta.* Præter dicta verò interius pulverem appropriatum ordinavimus, qui:

℞. *Pul. Rad. vincetox. Succisæ,*
Caryophyllatæ ana ʒj.
Sarsæ pariglæ.
Rad. pæoniæ ana ʒß.
Her. Rosmarini, Salviæ.
Thymi ana ℈j.
Sp. pleres Arch.
Diamosch. amari.
Dianthos an. ℈ß. Misce fiat pulvis per cribrum. Dosis ʒß. in aq. Veronicæ cum sacch. cand. dulcoratæ per octiduum.

Porrò,

Porrò, *quo laxa retineatur alvus*, pillulæ ſequentes ℈j. quantitate ſæpius ante cœnam cum ſyrupo de pomis, vel de fumaria ſumantur:

℞. *Maſſæ pil. Angelicar ʒj.*
Extr. Rhabarb.
Catholici.
de helleboro nigr. ana ℈j.
Eſſentiæ Chalybis ℈js.
Magiſt. Corall. rub.
Margar. ana ℈ß.
Syr. de pomis q. ſ. fiat maſſa, ex qua formentur pil. num. xxx. ex ʒj.

Roborandi nervoſi generis gratiâ fiat inunctio ſpinæ per linimentum, quod ſequitur:

℞. *Rad. pæoniæ, galangæ ana ℥iij. Sum. Salviæ, Betonicæ ana Pij. Fl. Chamæmeli y pæoniæ ana Pß. Fol. origani, Rut. rec. ana Mſ. Bacc. lauri, juniperi, ana ʒij. Caſtor. ʒj. Inciſa & cont. coq. in ol. com. ℔s. aq. Salviæ ℥iij. ad conſumptionem aquæ: expreſſo adde ol. Nuciſmoſch. per expreſſ. ʒij.*
ol. Roſmarini deſtill.
Succini albi ana ʒß.
Miſce.

Quanquam v. dictis & ſimilibus mediis non parum dolores hi lenirentur, vitrea tamen valetudo fuit, ob intemperantiam ægrotantis, quæ vini potu præ reliquis ſeſe recreare conabatur, quam ob cauſam, totali tandem convulſione superveniente, naturæ debitum ſolvit.

OBSERVATIO XVII.

Vehementiſſimi pectinis dolores.

Vir Clariſſ. & Excellentiſſ.

DN. JACOBUS ECKOLDUS,

Med. D. Reipub. Memmingenſis Phyſicus,

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Ægræ Generoſis. ſtatum paucis accipe, Vir Clariſſ. &c. poſt diſceſſum noſtrum omnia rurſus exacerbata fuerunt, lipothymiæ languores hyſterici, pectinis ac perinæi dolores ſubinde recurrerunt, ſubſequentibus mox graviſſimis deliriis, non abſque periculo quaſi extremo; quibus per noctem continuatis, verſus matutinum tempus paulo melius habere cepit, ut ſenſim morbus decreſcere putaretur: vomitus fuêre rariores, appetitus ac ſtomachi vires redire, & univerſa natura quaſi mutari videbatur. Heri poſt uſurpatū Elixir Proprietatis benè habuit, noctem tamen ferè inſomnē peregit. Hodie pectinis dolores recidivi tantoperè torquere ceperunt, ut ad inſaniam ferè adacta penè deſperet. Flatus copioſi per anum & pudenda propelluntur: infimi ventris durities per intervalla recurrit cum intumeſcentia: Stranguria, copioſior mictus, urina craſſa & fœculenta magnam materiæ in imo ventre latitantis copiam arguunt. Colicæ crudeli affectus ſimilis eſt. Inſeſſibus utitur, fomentationibus & inunctionibus atque clyſteribus, ex quibus ad momentum ſaltem dolor cedit mox tamen recurrit. Datem Laudanum Opiatum correctum cum Magiſteriis, ſi à te communicaretur, tibique conſultum videretur: ſi quæ alia habes ſingularia, ſimul eadem communicare ne graveris per hunc tabellarium, quem propterea ad te mittimus, ut dexteritate tuâ nos juves. Stomachi everſiones & vomitiones non admodum timentur jam, ut antea: tantum dolor ille, ſive ſit in inteſtinis, ſive in veſicæ partibus, ſive in utero (forſan in omnibus his partibus inferioribus, in quibus copioſior materia latet:) negotium faceſſit: per ſuperiora purgare grave erit, ne denuò ventriculus turbetur. Tu pro judicio & ſolertiâ tuâ in medium conſule. Vale. Raptim 28. Septembr. 1625.

Viro Clariſſ. & Excellentiſſ.

DN. JACOBO ECKOLDO,

Phil. & Medico.

GREGOR. HORSTIUS, D.

SAl. & officia reciproca, &c. Expectatas tuas literas rectè quidem accepi, quas corrugata potius, quàm explicata fronte perlegi, poſtquam iiſdem certior factus ſum, Generoſæ & optimæ Matronæ Symptomata graviora non abſque terrore recidivam produxiſſe. Solatur me, quod maximè urgens ſymptoma Vomitionis deſierit. Quo ad reliqua enumerata, *maximè dolorem affligentem compeſcendum eſſe* puto, qua de cauſa Laudanum opiatum tranſmitto, cujus grana quatuor exhibeantur.

Laudanum opiatum cum cautione exhibeatur.

Quanquam verò non dubito, quin hoc remedio, ſomno quoque provocato, ſymptomatum exacerbatio mitigari queat; omnino tamen neceſſarium erit, ut materia circa partes infimas collecta ſimul etiam attingatur, quocirca non tantum enemata, ſimul addita Terebinthina in ſubſtantia, cum vitello ovi diſſol. pondere ℥j. reiterarem, ſed ſimul etiam per os *Spiritum Terebinthinæ cum affuſione aceti deſtill. ℈ij. in Syrupi de Althea. ℥ij.* exhiberem, non dubitando, quin in flatulentis iſtis doloribus infimi ventris plurimùm præſtare poſſit, utpote cum in colica flatulentâ dolorificâ ſæpius ſpir. ejuſmodi ad ʒij. hoc modo commodùm exhibeatur. Deus opt. max. benedictione ſuâ clementer adſit. Bene Vale. Ocyus Ulmæ, 29. Septemb. 1625.

Vir Clariſſ. & Excellentiſſ.

JACOBUS ECKOLDUS, D.

GREGOR. HORSTIO, D.

S. De ſtatu valetudinis Generoſæ noſtræ viciſſim certiorem te reddere debeo, vir Clariſſ. &c. Ab eo tempore, quo ad te ſcripſi cuncta remiſſiora facta ſunt, eademque benè habuit, & nocte ſequenti placidè quievit. Ob ſtranguriam ſemel atque iterum inſeſſibus uſa fuit, inde-

indeq; sat benè valuit. Noctem subsequentem insomnem duxit, non tamen propter symptomatum exacerbationem, sed quod decumbere vix potuerit: partes n. pedum superiores & clunes intumescentiâ & dolore graviter affectæ decubitũ prohibuêre. Semel tantum hactenus vomuit; appetitus mediocris: sitis matutino tempore insigniter urget, quæ pomeridiano molesta non est, ita ut etiam potu penitus abstinere queat. Unicè hoc miror, quod sensibilis frigiditas ascendat, & per os egrediatur: sæpe n. conqueritur, frigidissimum aërem ascendere, & ad dentes usque, appellere, eosdemque ac totum os concutere ac afficere, stomachoq; ita gravem esse, ac si frigidam bibisset, quod symptoma jusculis ac hispanico vino, quod hactenus stomachum correxisse videtur, compescendum est. Heri Terebinthinæ spiritum exhibui, vix absque revomitionis periculo: benè inde habuit, copiososque flatus eduxit. In partibus ventris inferioribus copiosam & impuram (tantum non malignam) materiam delitescere necessum est, quæ tàm frigidum vaporem expirat: eadem difficultatem insignem in iisdem partibus parit, stranguriam, dolorem pectinis, duritiem, ardorem & alia accidentia excitando, quæ ferè insessibus mitigantur. Hæc ipsa, ut & exteriorum partium dolores ac tumores adhuc affligentes, vix mea opinione aliter quam expulsione istius materiæ per enemata corrigi poterunt. Tu si quæ alia tentanda putas, de iis me admonere ne graveris, ut etiam quibus inunctionibus, vel fomentis intumescentiæ & tumores externi corrigendi? Vale feliciter, & mihi favere perge. Ocyus prid. Cal. Oct. 1625.

Spiritus Terebinthinæ usus in flatibus.

Viro Clariss. Excellent.

DN. D. JACOBO ECKOLDO,

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. Hoc ipso momento tuas accipio, Vir Clariss. Excellent. &c. quæ singulari lætitia me affecêre, quod Generosæ & optimæ Matronæ statum meliorem indicarent. Omnino adhuc illius sum opinionis, quantum fieri potest, peccantem materiam circa partes infimas averruncandam esse, quod maximam partem per enemata fieri debere tecum sentio, præsertim si Terebinthina in substantia adderetur. Nihilominus tamen usu Spiritus Terebinthinæ, cum Syrupo de Althea Fern. permixti, plurimùm adhuc etiam naturæ succurri posse non dubito Σὺν Θεῷ pedetentim & indies natura Victoriam obtinebit, præsertim cum intelligam, appetitum mediocrem ad assumenda redire, quod ex animo voveo. Contra tumorem partium infernarum vaporem decoctionis herbarum continuarem, ubi maximè *Anagallidem aq. seu Bachbungam* in majori copia adderem, *recentem tamen*, ob copiam salis resolventis, quod in exiccatâ exhalat. Interius ante insessum in vaporarium non displiceret *haustus decoctionis milii cum aqua & vino*, *Syrupum S. Ambrosii* quidam vocant, ut nosti. Imo *Spiritus Ebuli, vel Sambuci* ℥ß additus majori penetratione partibus internis etiam succurreret. Sitim matutinam, jecoris æstuantis indicium, passulis in aq. & vino macera-tis, conserva rosar. vitriolatâ, vel etiam conf. Rad. Cichorei & Petroselini fallerem. Hæc raptim ad tuas. Bene vale, nec non Generosos conjuges submisè saluta. Ulmæ inter turbas nundinarum Calend. Octobr. 1625.

OBSERVATIO XVIII.

Vehemens & periculosus dolor, nucham, ac cervicem affligens.

Vir Clariss. & Excellentiss.

DN. D. JACOBUS ECKOLDUS,

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Consilium meum hisce diebus expetitum est à viro quodam Magnifico, qui alioquin perfectè sanus, in colli parte dolere primùm cepit, postea dolor occiput & nucham occupavit, ex quo jam tertio mense ferè conficitur; per intervalla quædam is revertitur, quamvis non omnino evanescat: vertere sese nescit, nisi summâ cum molestiâ, & non nisi in dorso cubare cogitur, nec in latera se, nisi summa cum difficultate, devolvere potest: miserè cruciatur, & pene vigiliis & doloribus consumitur. Omnem affectus hic rationalem & empiricam medicinam hactenus elusit. Ego curam ex Guajaco & Sarsafras, tanquam Bezoartico capitali (nam in ea sum sententia, affectum originem trahere ex defluxione quadam à cerebro in colli & nuchæ nervos, & cervicis vertebras, non quidem merè pituitosâ, sed quæ acrium humorum nonnihil habeat admixtum) præmissis præmittendis, præscripsi: tum localia, primum leviora, posteà vehementiora, & ferè rubificantia, &c. Hæc exercitii gratia transscribere placuit: de remediorum successu suo tempore te certiorem reddam. Vale Vir Experientissime. Dabam VI. Id. Januar. 1624.

Ad prædictum Casum Responsio Autoris.

S. &c. Casum, quem addis, libenter legi: similem præcedentibus septimanis hic in honesto Viro, Senatore ex plebis ante septennium delecto, Michaële Todel, habui, qui primo quoque de dolore circa nucham & occiput conquerebatur, ita ut caput semper erectum habere cogeretur: exterius nihil quicquam tumoris apparuit; interius verò faucium intumescentiam difficilis deglutitio testabatur. Procedente tempore dolor augebatur, ut ea propter insomnes noctes duceret: tandem interius & exterius collum & cervix intumescebant, absque tamen insigni aliquâ inflammatione, succedente denique 7. Jan. manuum atq; brachiorum paralysi, quam die 8. Jan. catarrhus suffocativus, ægrum è medio tollens, excipiebat. In hoc casu statim in principio, digestivo præmisso, pillulas capitales ordinavi, scarificationes derivationis gratiâ adhibui, resolventia & digerentia, tàm interna, per gargarismata, lambilia, &c. quàm externa, per cataplasmata, frictiones, emplastra, &c. præscripsi, sed ferè frustrà, nisi quod tandem cervix exterius intumesceret, & unà etiam interius musculi laryngis interim magis cum ipsa uvula, simul affluxu crassioris & tena-

Observatio similis cum priori.

tenacioris materiæ defluentis accedente, increſcentes, reſpirationem ac deglutitionem impedirent, ubi propter nervos ad brachia deſcendentes penitus obſtructos, utriusq; brachii paralyſis, & mox, continuatione defluentis materiæ, catarrhus ſuffocativus oriebatur. Quod ſi prædictorum mediorum beneficio, præſertim uſu convenientium gargariſmatum (quibus ob dolorem & defectum inclinationis in cervice æger uti noluit:) morbus leniri potuiſſet, omnino *decocto Ligni & Saſſafras* laboranti ſuccurrere conatus fuiſſem, juxta tuam intentionem. Sed gravior erat affectus, quam ut uſui talium inducias largiretur. Eventum Obſervationis & curationis in caſu ſimili, quem proponis, libenter in poſterum à te audiam. Hiſce benè vale cum tuis. Ulmæ Ocyus 16. Januar. 1624.

OBSERVATIO XIX.

Diuturnus ſimilis dolor collum, cervicem, ac ſcapulas afficiens.

AD caſum cum circumſtantiis propoſitum reſpondeo, chronici hujus mali originem proculdubio viſcidam & acrem defluxionē ad prædicta loca collectam produxiſſe, quæ muſculos cervicis, ac vicinas partes membranoſas ita prehenderit, ut hactenus omnium dextrè præſcriptorum remediorum vim eluſerit. Eò reſpiciendum eſſe putarem, ut iteratis evacuationibus, ad caput & nervoſum genus directis, primo fiat *fomentatio cum ſpongiâ novâ* ſatis magnâ, quæ vicibus iteratis in ſequenti decocto calido inebrietur, nimirum *Rad. Aſari, Ireos, cort. rad. Ebuli, Her. Serpilli, Salviæ, Origani, Betonicæ. Fl. Chamæmeli, Sambuci, Caſtoreum & Myrrha vino macerentur* ac ebulliant, & manè veſperiq; per horam dimidiam prædicto modo uſurpentur, exiccatis poſtea partibus dolentibus linteo ſicco, fumo maſtiches calefacto. Quibus peractis *Deſtillatum Galbani, cum Spiritu Tartari*, partibus iſtis adfricarem, idque per dies aliquot continuarem. His autem fruſtra quoque tentatis, curam Sudoriferam non diſſuaderem, ubi *Ligno Guajaco Saſſafras* etiam, tanquàm appropriatum adderem, quæ omnia præſentis Dn. Medici directioni relinquenda. FAXIT DEUS, ut omnia cedant ad ægrotantis valetudinem recuperandam, Ulmæ 29. Jan. 1624.

De eodem caſu.

Vir Clariſſ. & Excellentiſſ.

DN. MARCUS WIDEMANNUS,

Med. D. Phyſicus Imperialis Urbis Yſnenſis.

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Pl. Eamque longè officioſiſſimam, Clariſſ. & Experientiſſ. Vir, Domine omni obſervantiæ cultu proſequende.

Quòd ignotus ad te ſcribo, vitio, ut ſpero, mihi non vertes: Nominis enim tui & Humanitatis fama, quæ dudum in auribus meis percrebuit, tum Domini patientis preces, ipſiuſque ſalutem juvandi in me ſtudium, facile mihi perſuaſere, ut potius in civilitatis leges (ad te plurimis negotiis diſtentum, & ignotus quidem dum ſcribo:) peccare, quàm de egregiæ voluntatis tuæ, omnesque juvandi ſtudii promptitudine, dubitare, vel patientis deſiderio deeſſe, aut meæ conſuetudinis rationem intermittere voluerim. Ignoſcas igitur, Vir Clariſſ. importunitati meæ, & ſi pudoris limites tranſgreſſus videor, dictis rationibus id condonabis. Exhibitæ ſunt Domino ægro literæ tuæ, quibus in debellando contumaci hoc affectu mentem tuam aperis. Eas avidè perlegi, & omnia, tàm quo ad cauſæ morbificæ aſſignationem, quàm ejuſdem, ut & ipſius morbi eradicationem veræ innixa methodo cognovi, & ægrum ad obſequendum diligenter hortatus ſum. Curæ, quam vocant, ego ante plures menſes coràm ægro mentionem feci, à quâ tamen hucuſq; ille maximoperè abhorret, & ideo tuorū remediorum ante eam adhuc experiendorum rationem maximam habet, jamque in eorum uſurpatione principium fecimus, præparando ſcilicet digeſtivo hauſto corpore, & exhibitis hodie pillul. purgantibus, caput potiſſimùm reſpicientibus. Pluribus digeſtivis ſuperſedere nos poſſe impræſentiarum arbitratus ſum, quòd antehac ſæpius, iis ut & ſubſequentibus purgationibus, uſus fuerit. Fotu & inunctione diligenter utemur, Sed cùm ol. diſtill. Galbani, & Tartari Spiritus nobis hîc non ſuppetant, rogat te Dominus æger, ut & ego, ut eorum quantitatem, quæ tibi videbitur, prima occaſione tranſmittere velis. In omnibus ſe obſecuturum, tibi æger promittit. Me quod attinet, hucuſq; ſummo ſtudio, quantum in me fuit, operâ meâ ei adfui, in mali hujus cauſis, & profligatione ab initio ſemper tuæ opinionis (quam aſſignas) licet ea tum mihi nota non fuerit, fui: hoc eſt, morbum ex dictis hiſce cauſis, originem habere, & eâdem methodo debellandū eſſe. Sed nihil à me perfectum eſt. Ipſe enim æger meis conſiliis & admonitionibus parum obſecutus, ad varia Empiricorum, & omnis generis hominum (ut deploranda eſt in plurimis locis Medicinæ, diviniſſ. artis, conditio) monita, conſilia, remedia abiit, & ipſi ſibi ità, proculdubio, malum plurimùm auxit. Dolor, qui primò colli partem ſub dextrâ aure occupârat, poſt occiput & cervicem, nunc etiam ſcapulas & humeros maximè infeſtat, & tàm atrox ſæpè eſt, ut æger lachrymas copioſè fundens, mortem unicè in votis habeat.

Noctes inquietas habet propter dolorem, qui tamen de die etiam ſæpius eum infeſtat. In omnibus aliis functionibus, tàm animalibus, quàm vitalibus ac naturalibus, omninò integer eſt, ut ſi dolor ille, ejuſque cauſa expugnaretur, ipſi ad perfectam ſanitatem nihil penitus defuturum videatur. Hæc ægri rogatu Excell. T. perſcribere volui, plurimùm rogans, ut ea in malam partem non accipiat, ſed ſi tanti viri amicitiâ non indignus videbor, in amicorum numerum adſcribere me dignetur, cui ſimul animum meum candidum, & qualiacunque officiola mea promptiſſimè defero. Vale, Vir Ampliſſ. & me tibi commendatum eſſe ſine. Dabam Yſnæ, prid. Nonar. Febr. Anno 1624.

Reſpon-

Responsum Autoris.

S. Literas tuas, Vir Clariss. & Excell. fautor & amice pl. colende, recte mihi traditas fuisse scias, quas eò gratiores fuisse certò tibi persuadeas, quò magis amicam atque benevolam affectionem erga me tuam declararent.

Nihil n. hactenus ex voto mihi magis accidisse mox ξὺν θεῷ publico Epist. Med. volumine testabor, quam cum viris doctis amicitiam alere, eorumque conversatione quotidie proficere. Quod casum præsentem attinet, adhuc tecum illius sum opinionis, quam breviter per schedam consignatam Dn. ægro transmisi. Destillatum Galbani profuturum spero post universalia præmissa, quod proximè statim ad petitionem tuam una cum Spir. Tart. communicassem, nisi huic intentioni conveniens idipsum duxissem, si addita aq. liliorum convall. cum vino macerat. idipsum destillaretur, nimirum quando juxta Cratonis præscriptum ex Galbani, gum. Elemi, hæderæ & bacc. ana cum sp. lil. conv. q. s. per Retortam igne lento extrahitur.

Nosti quid remedium hoc in tensivis vehementissimis Colicis doloribus præstet: non dubito, quin etiam in hoc casu dolorificum hunc affectum consumptione materiæ peccantis penitus infixæ lenire queat, modo non odorem Dn. æger aversetur. Per vices autem alternis diebus m. v. que jam destillatum Galbani, jam spir. Tart. adhibeatur. Quod si neque hoc modo, præsertim hac Saturnina aëris ambientis qualitate perseverante, levamen aliquod insigne sequeretur, omnino Curam sudoriferam, verno tempore appropinquante, instituendam esse censeo.

Hisce Cl. T. maximopere rogatam volo, ut moram hanc apud Dn. ægrum excuset, meque, quod facit, amare pergat, & per occasionem Venerandum senem, JCtum celeberr. Dn. D. Fridericum Tafingerum officiosè salutet. Optimè vale. Raptim Ulmæ, 13. Febr. 1624.

OBSERVATIO XX.

Dolor femoris sinistri gravativus Chronicus.

NObilis juvenis, annorum circiter XX. ætatis, fluxionibus capitis obnoxius, anno M. DC. XXII. Giessæ, conqueritur, de dolore gravativo, ferè superficiali in femore sinistro, quem per *affluxum* potius, quàm *congestione* fieri pronunciabam, quam ob causam præmissa digestione per dies aliquot ex decocto passularum, cum Cremore Tartari, nec non syrupo de 5. rad. & de Suc. Veronicæ, purgationē suadeo per usum Morsul. purgantiū de Mechoaca, subsequenti postea venæ sectione.

Quibus peractis ad serositates ex habitu corporis discutiendas sudorem aliquoties impero, sumptâ primum aquâ veronicæ cum vino destillatâ, spiritui Ebuli, & pauxillo Mithridatii commistis. Tandē exterius spinam circa os sacrum oleo Rutaceo, Lumbricorum ac Fœniculi fricare jubeo, præmisso aliquoties balneo, cum floribus Chamæmeli, Veronica, Salvia, Beton. & bac. Juniperi decocto.

OBSERVATIO XXI.

Dolor superficialis ab Erysipelate frequenter affligente.

NObiliss. *fœmina constitutionis sanguineæ, post primum partum per annos aliquot sterilis, frequenter superficiali dolore diversarum partium afficitur, membris æstuantibus, & saturatè rubentibus, non absque signis intemperiei calidioris, totum corpus affligentis.*

RESOLUTIO.

CUm Anno M. DC. XXII. ex Hassia abirem, prædicta Nobilis fœmina consilium petebat, *ob symptomata enumerata* frequenter eandem molestantia. Malum ipsum *Erysipelas* indigitavi, scilicet *tumorem calidum* cujus causa conjuncta sit *humor sanguineus, biliosus, tenuis & inflammabilis*, quem *constitutio sanguinea*, propter menstruorum fluxum imperfectiorem, vi jecoris calidioris procreat, qui *dolores superficiales intensissimos producit*, quatenus in massa sanguinea levi de causa mobilitate & ebullitione agitatur, suâque tenuitate, vi facultatis expultricis, *ad superficiem partium carnosarum & glandulosarum* promptè excutitur, unde plurimùm faciem, mammas, collum, inguina, brachia & pedes, inprimisque emunctoria prehendere solet, *membris æstuantibus*, propter biliosi inflammabilis sanguinis adfluxum, *& saturatè rubentibus*, quatenus cutis temperies præter naturam ad excessum alteratur, & affluxu majori, quam ipsius nutritio requirit, imbibitur, *non absq; signis intemperiei calidioris*, ob sanguinis biliosi ebullitionem, febri synocho putri concurrente. Quo vero leniatur malum istud, dictas ob causas frequenter invadens, duo respicienda esse dixi, nimirum præservationem extra paroxysmum, & correctionem in ipsâ accessione. *Quoad prius*, cura totius singulo semestri diligenter observetur, institutâ sub signo Cancri, Piscium vel Aquarii purgatione, quæ fieri poterit usu Rhabarbari & Mechoacæ nigræ, pauxillo Cremoris Tartari adjecto, subsequenti postea venæ sectione, quam tunc temporis exeunte Majo commodum usurpabat, non neglectis iis, quæ instantibus Mensibus naturam adjuvarent, sæpius etiam saphænâ pedis dextri paulò ante mensium fluxum apertâ. *Quoad antecedentem causam*, ex consilio *Solenandri Sect.* 5. *cons.* 13. eidem autor eram, ut per septimanas aliquot Absinthii, Taraxaconis & Chamedryos veræ, simul etiam addita Acetosa, ana P. ij. vel iij. cum ovo recenti permisceret, atque tantillo butyri & olei ad mollem placentulam coqueret, & singulis matutinis assumeret. Quia n. (inquit Solenander) medicamentum hoc rationibus nititur, & manifestas suæ efficaciæ causas habet, hepar ita disponit, ut minimum istius tenuis, biliosi, pinguis, fluxilis humoris ingeneret, scilicet ab obstructionibus liberando, & quod biliosum inhæret, abstergendo, modicè refrigerando; & robur visceri communicando, &c.

Erysipelatis cognitio.

Curatio.

Extra paroxysmum

Hoc fine commendabam etiam *Conservam ex Rad. Cichorei recentibus* confectam; tum etiam *Conserv. rosar. vitrioli* Spiritu *modicè temperatam &c.* Interim non negligantur; quæ subinde bilem ac tenues humores expellunt, ubi *Rhabarbarum cum cremore Tartari*, singulis mensibus bis terve sumptum, conveniret; vel ejusdem *Rhabarbari pulvis passulis Corinthiacis vino lotis* aspergatur, & singulis septimanis duabus horis ante prandium sumatur: imò ejusdem quoque *Rhabarbari infusum cum Agarico & radicibus Cichorei, fieri* poterit, de quo sub initium prandii primus sit haustus. In cibis à pinguibus, oleosis & ab acribus, admodum aromatisatis, vinis generosis, & similibus abstinendum. Cibus sit euchymus, sit facilis coctionis, & sit sanguinis crassioris autor, adeoque moderati lentoris aliquid habeat, ut sunt pedes, capita, lactes, & intestina animalium mediæ ætatis: ex herbis, Acetosa, Spinachia, Lactuca, Cherefolium &c. vel in forma pultis, vel in acetariis etiam conveniunt, ubi experientiâ Mindereri maximè folia *Bellidis min. hortensis* commendantur, ut videre licet in *Medicinâ Militari*: quo ad legumina, hordeum excorticarum, oryza, &c. quo ad fructus, Passul. min. ac majores, Pruna acida, Cerasa subacida siccata, Poma acidodulcia &c. Vinum non admodum generosum, sed subausteriusculum sit, cui *Pimpinellæ folia* sæpius infundantur: si verò generosius bibendum erit, parumper acido liquore *Sualbacensium Nympharum* diluatur. *Quo ad posterius*, in ipso paroxysmo protinus Sudor promoveatur, ubi *Rob. Sambucini* ℥ij *Theriacæ* ℈j. *cum aq. flor. sambuci* dissolvantur, pro haustu sudorifero. Paratu facile est medicamentum, quod prædictus *Solenander* commendat, nimirum, accipe *Nucem moschatam*, obvolve lino, vel cannabi madente, sub cineribus calidis affetur; similiter *Sem. Aquilegiæ*, linteo quoque panniculo madenti inclusi, nec non eodem modo tosti tantundem, misce, fiat pulvis, qui vel tenui vino, vel aq. scabiosæ bibatur, quô turgens humor in venis mobilis facilius expellitur, & ad cutim deturbatur. Præstant id ipsum & alia alexiteria, quibus aliâs in malignis febribus utimur. Parti laboranti, post habitum sudorem, succurrat apposita farinâ secalinâ, cum pul. sabinæ, fl. chamæmeli, similibusque digerentibus, postea linteola quoq; fiant, quæ in lixivio cinerum fagi, cum albumine ovorum & Camphora conquassato, sæpius humectentur, & vicissim exiccentur; item verno tempore frequẽter linteola spermate ranarum humectentur, & in umbra vicissim exiccentur, atque exterius apponantur. Quod si admodum urget inflammatio, compositum Sperniolæ dissolvatur vino atque aceto, & linteis expressis in eodem apponatur, vel

In paroxysmo.

Expor istũ.

℞. *Olibani. Myrrhæ ana* ʒß.
Camphoræ ℈ij. *croci* ʒß.
Aceti.
Vini ana ℔j. *Coq. tect. vase, in quo postea linteamina humectentur & apponantur.*

OBSERVATIO XXII.

De Morbo Convulsivo Maligno & Epidemio.

Ante triginta circiter annos, in gratiam vulgi, Germanicè conscriptum à Doctoribus Medicis in Academia Marpurgensi.

PRÆFATIO.

Miserabilis, & omnino terribilis, fuit iste convulsivus morbus pestilentialis, qui Anno M. DC. XCVII. Hassiæ Westphaliæ, Episcopatui Coloniensi, & vicinis locis Epidemius fuit, quem vulgo **die Kribelkranckheit / Krimpffsucht / oder Ziehende Seuche** nominârunt, cujus morbi recidivas aliquot, subsequentibus lustris, vocatus tunc temporis ad Academiam novam Hassiacam, in aliquibus vidi, quemadmodum pluribus ex Problemat. meis Medicis, tum etiam in part. 1. observ. ibidemque lib. 1. Epist. Medicin. sect. 3. patet. Cum autem de hoc ipso miserabili affectu nunquam non aliquid sparsim observetur, nec non hic omnis ferè doloris externarum partium idea concurrat, in gratiam proximi tractatum hunc de morbo dicto, tunc temporis vehementer grassante, per Clariss. Collegii Medici Professores olim in Academia Marpurgensi prælo subjectum, latinitate donare, & cum præcedentibus, appendicis instar, conjungere voluimus.

CAPUT I.

De Naturâ & Causis morbi Convulsivi.

Morbus *Convulsivus, sive Spasmus pestilentialis, nihil aliud est, quàm intemperies contagiosa nervorum & tendinum, ex venenatis mucilaginibus & vaporibus proveniens, quæ pro diversitate naturarum, cum præternaturali tensione & convulsione membrorum, Epilepsiâ, Veterno, Delirio, imò interdum & Furore, cum vel sine febri, manifestatur.*

Morbus convulsivus malignus quid?

Causas hujus affectus quod attinet, ex ægrotantium relatione scire licet, quòd externa causa communiter in alimento, ad nutriendum minus idoneo & improportionato, consistat, dum pauperes rebus ad vitam necessariis destituti, panem impurum & malè coctum longo tempore in summâ famis urgentiâ devorant, interdum etiam poma acerba & austera, fungosque & similia deglutientes, sese eduliis crudis, immaturis & astringentibus ingurgitant, de quorum depravatâ concoctione cruditates obortæ, & circa mesenterium, ventriculum, jecur, ac lienem collectæ, à partibusque nutriendis, alimenti instar, ob insatiabilem cupiditatem, & intensissimam famem, attractæ, specificam tandem & malignam corruptionem inducunt, ex cujus minera & fomite pestilentes vapores quandoque erumpentes, nervosumque genus impetentes, vim nervorum motricem ita irritant ac incitant, ut membra primùm motu convulsivo agitan-

Causa externa.

Causa antecedens.

Causa proxima sym-

ptomatum terribilium.

agitantes, formicarum instar, vellicent ac stimulent, qua lucta non discussi neque digesti, sed adhuc fortè prævalentes, in intimos usque nervos sese insinuant, quo facto, membra, cum truculenta morbi & doloris exacerbatione, mirum in modum incurvantur & extenduntur, ac consequenter penitùs convelluntur; nonnunquam etiam *Morbus Herculeus* producitur, tandemque ægrotantes adeò pessumdantur, ut vel paralysi, artuumque contractione, vel delirio ac veluti mentis stupore corripiantur, ac iisdem longè detineantur.

CAPUT II.

De Signis.

Signa diagnostica.

Signa diagnostica, quibus affectus hic innotescit, apud omnes quidem eadem & similia non sunt; ut plurimùm tamen sequenti modo sese habent. Primò omnium ægrotantes, modò in manibus saltem, modò in pedibus duntaxat, interdum in manibus & pedibus simul, aliquando in uno tantùm latere, nonnunquam in utroque, sensum quendam formicantem, ac si pars plena formicarum transcurrentium, aut aliàs cosopita esset, percipiunt. Hinc digiti manuum ac pedum ex improviso arctè contrahuntur, aut validissimè, ac si obriguissent, extenduntur, tensioque hæc à manibus ac pedibus usque ad cubitum, humerum, crura, coxasque progreditur, ac simili ratione horum unumquodlibet membrum usque ad corpus, atque etiam eò usque contrahit, donec æger aut omninò in corbem coëat, aut in longitudinem exporrectus instar ligni oblongi rigidus, & violenter quasi expansus, jaceat, quæ extensio aut contractio sæpè in toto paroxysmo eodem modo & tenore perdurat, sæpè verò alternatim invadit, adeò ut membrum anteà distensum & rigidum, modò instar sphæræ conglobetur, modò verò, quod in globum coactum est, rursus distrahatur & extendatur: frequenter etiam hæc convulsio in solis manibus, aut brachiis, aut in utroque, crebrò quoque in ore, labiis, oculis, & toto corpore perseverat. Pro ratione autem, & copia horum pestilentium vaporum, Spasmus hic malignus diu aut pauco tempore persistit, neque prius cessat, quàm omnis vaporosa materia per hanc membrorum agitationem & conquassationem discussa, & expugnata fuerit. Quâ dissipatâ, artus tam diu quiete & pace fruuntur, donec de novo minera ista venenata moveatur, vaporesque novos, inprimis nervos infestantes, rursus exuscitet, à quibus spasmi prægressi omnis redintegratio & exacerbatio proficiscitur.

Duratio symptomatum.

Locus affectus non est idem.

Pro varietate quoque loci, quem materia hæc pestilens occupat, variatur & ipse Spasmus: Si enim in capite & cerebro, ut plurimùm fieri solet, sedem suam fixerit, tunc, medullâ spinali in consensum illicò pertractâ, totum nervosum genus cum toto corpore, & omnibus artubus in momento convellitur: si verò in manibus, aut pedibus, in uno saltem latere, vel in utroque, aut in aliâ quâvis corporis parte radices habeat, tunc in illa, cui inhæret, tantam vellicationem & tensionem excitat, ut non prius desinat, quin materia ipsa aut penitus absumpta fuerit, aut validior aut copiosior existens, in totum corporis habitum penetraverit, omnesque artus in commune malum perduxerit.

Dolor cum convulsione jungitur.

Ad hanc tensionem & convulsionem accedit etiam *dolor crudelis & implacabilis*, qui miseros ægrotantes adeò discruciat atque torquet, ut præ summâ ejus acerbitate ingentes clamores miserabiliter ingeminent, quos nec astantes, ob cordolium & commiserationem, ferre possunt, atque interdum in pagis, ultra nonum decimumvè tugurium, aut eminus in campo, homines audire coguntur. Convulsorum querela & desiderium, plerumque est, ut contractæ partes extendantur, aut distensæ & expansæ rursus incurventur, quo enim facto, dolor ipsis remisisse videtur. Et dum *causa proxima, venenatus* scilicet *halitus, nervosum genus invadit*, sensum quendam frigoris, totum corpus percurrentis, instar aquæ glacialis, aut magnum æstum, ac si in igne essent & arderent, ægrotantes experiuntur. Quâ ratione non pauci in æstuantes calores & febres tunc temporis incurrunt.

Sensus frigoris & caloris in invasione.

Subitò sæpius invadit.

Sæpè etiam spasmus hic *tàm subitò & inopinatò* quosdam corripit, ut inter cibos, cultrum vel cochleare, quod jam tenebant, è manibus elabi sinant, in terramque concidant; quosdam verò ad vomerem ruri, vel in nemoribus, nihil mali præsentientes, ac tale nihil metuentes, derepentè obruit, ut, attonitorum instar, collabantur. Multi in principio invasionis strenuè multas serositates, viscidamque materiam, ut plurimùm, vomunt, nec tamen quicquam de adversâ ventris valetudine, vel dolore abdominis conqueruntur.

Affectus hic, quando in membris extremis rudimentum & initium habet, aliquandiu in iisdem solùm commoratur, nec caput, ulterius progrediendo, tentat, persistitque ita per sex, octo, decemvè dies, imò in aliquibus per aliquot septimanas & menses.

Epilepsia quando sequatur.

Quòd si verò morbo huic incipienti debitis & appropriatis remediis non obviam eatur, ad caput etiam pergit, atque post multas vellicationes, tensionesque, Epilepsiam cum vehementi artuum jactatione, conquassatione & inquietudine parit, quâ præsente, ægrotantes nihil amplius sentiunt, aut percipiunt, neque eorum, quæ ipsis interea acciderunt, recordantur, quemadmodum nonnulli in tali exacerbatione, in obvium ignem præcipitati, miserè ambusti sunt, de quo tamen, post paroxysmum ad se redeuntes, ne minimum quidem sciverunt, aut persenserunt.

Post paroxysmum quidam attoniti quasi mortui.

Finito paroxysmo quidam per sex vel octo horas sine motu aut motus significatione, ac si mortui, aut Apoplectici essent, jacent, quorum aliqui sepulti essent, nisi in vasio circa vesperam demùm apprehendisset, noxque superveniens sepelientibus impedimento fuisset, qui tamen postmodum viribus instauratis sese recolligerunt. Nonnulli planè mente capti manent, & quibus

Alii mente capti

deprehensi sunt.

bus pituitosa cerebri dispositio est, Veterno ad unum, duos tresvè dies corripiuntur, aut amentes evadunt, ut perditâ omni discretione, cibos, quos ad famem sopiendam postulaverunt, in sterquilinium projiciant, ventrisque saburram & excrementa corporis, non habitâ pudoris ratione, in conclave, quo decumbunt, exonerent, atque in illa vestes, aut quicquid impetus ipsis subministrat, reponant: quamvis hæc mentis abalienatio in alio atque in alio pro ratione frigidæ cerebri intemperiei, aut frigidi ac pituitosi humoris copiâ, & pestilentium vaporum admistione major minorvè existat; durat tamen interdum ad tres vel quatuor dies, aliquando verò diutissimè.

Alii meticulosi redduntur & quasi delirantes.

Quibus verò caput melancholicis & crassis vaporibus repletum est, meticulosos esse contingit, in somno perterrefiunt & evigilant, atque solitudinis amentes, nudi, cum vel sine indusio, in campos, saltus, nemora, sæpiùs etiam ad flumina, quâ data copia, aufugiunt, atque ibi tàm diu delitescunt, donec summâ diligentiâ, ne frigore indurescant, aut aquis suffocentur, quæsiti, astuque singulari circumventi, domum reducantur.

Alii quasi maniaci furere solent.

Biliosi, & qui sanguine acri, fervido, & adusto cum similibus vaporibus caput obsessum habent, iracundi, furiosi & valdè impatientes sunt, in vicinos irruunt, certam sibi personam, quam bestiam aut diabolum ipsum esse reputant, cæcoque odio prosequuntur, sibi ob oculos ponunt, astantes execrantur, dirisque omnibus, commota bile, devovent; sicuti quidam tàm contumax odium in parentes & agnatos suos conceperunt, ut non modò illos non tolerare potuerint, sed in ipsos involantes, à verberibus & persecutione non prius destiterint, quàm ex ipsorum oculis sese subduxissent. Multi etiam tantâ rabie furorisque œstro perciti fuerunt, ut illos antè obitum vinculis, compedibusque ligare necessitas coëgerit.

Temperati atque sanguinei mitius delirium patiuntur.

Inter hos tamen omnes ii, qui antè mali hujus invasionem constitutione laudabili, ac temperamento sanguineo prædíti fuerunt, mitissimum delirium patiuntur, neque adeò feroces gestus præ se ferunt, sed ridendo, gesticulando, varia, eaque præter mentem, loquendo, mansuetiores sese exhibent.

Et licet omnes ferè ægrotantes post Epilepsiam demùm è potestate suæ mentis dejiciantur, aliqui tamen sunt, etsi pauci, qui antè Epilepsiæ insultum delirare incipiunt.

Dispositiones præternaturales post paroxysmorum deliria.

Mentis hæc perturbatio in aliquibus ad tres, quatuor, pluresvè dies, in quibusdam verò ad longissimum tempus exporrigitur: & licet è paroxysmo emergentes, ad mentem pristinam redierint, nihilominus tamen more ebriosorum sese gerunt, vivunt & ambulant alto gradu incedentes, cruraque mirificè ac stolidè disponentes, neque eorum, quæ ipsius in paroxysmo obtigerunt, reminiscuntur, deque nullo capitis dolore præsente, vel præterito, conqueruntur. Raró tamen sine notâ aut stigmate impresso, deliramenta hæc abeunt, sed interdum tinnitum aurium, gravemque auditum, aliquando visûs obscurationem, nonnunquam & visûs & auditûs difficultatem post se relinquunt. Plurimos verò malum hoc ita pervadit, ut eosdem nullius membri amplius compotes, & undique contractos, non aliter atque infantes, cibare & inescare astantes cogantur.

Fames post paroxysmum ingens.

Superato paroxysmo, ægrotantes ferè omnes intensissima *fame & appetitu* in varios cibos feruntur, ut quasi expleri nequeant, & si copia edendi ad satietatem ipsis detur, incredibilem cibum ingerunt, & absumunt, neque tamen ullam gravitatem, compressionem, & molestiam à cibo ingesto percipiunt.

Diarrhææ supervenientes.

Ad perseverantiam hujus mali erumpere incipiunt diarrhææ continuò, usque ad totalem affectûs expugnationem, affligentes, & quò minor eduliorum quantitas ingeritur, eò vehementius urgentes.

Intumescentia extremorum.

Pariter tractu temporis manus ac pedes in plerisque ferè intumescunt, in eorumque digitis vesicæ ingentes, ichoribus plenæ, exoriuntur, quibus apertis, multùm serositatis per longitudinem digitorum effluit, morbo tamen nihilo magis remittente, sed in eodem statu permanente. Sudores quoque pauci apud eosdem animadvertuntur.

CAPUT III.

De Prognosticis.

An morbus hic curabilis.

Quoniam hactenus pauperiores, Empiricorum auxilio ubique locorum frustra implorato, omninò nulla ad morbum hunc abigendum salutaria præsidia invenire potuerunt, in eam tandem persuasionem & superstitionem devoluti sunt, ut communiter statuerint, quod is, qui semel hac lue correptus fuerit, in posterum ex integro ab eâ liberari nequeat, sed per reliquum vitæ curriculum miserabiliter vivere cogatur, donec tormentis & miseriis fatigatus atque fractus, in finale exitium præcipitatus fuerit, quæ opinio ob exempla quotidiè occurrentia tantò magis confirmata fuit.

Eventus morbi confirmati.

Omnes enim ii, quibus morbus comitialis supervenit, recidivantes epilepsiæ insultus per reliquos vitæ dies experti sunt. Pari modo & illi, qui mente exiverunt, aut in furorem, rabiemque conversi fuerunt, plerumque ad ultimum vitæ terminum, non redintegratâ pristinâ discretione & judicio, stupidi permanserunt. Exemplis enim notis constat, quòd aliqui post invasionem hujus mali quindecim annis supervixerint, qui aspera & prægelida hyeme, circa mensem Decembris & Januarii (*quo tempore minera & radix hujus luis moveri solebat*, ita ut affecti neque mandatis onerari, neque irâ percelli debuerint,) annuatim in eandem cladem reciderint, & peractis quindecim annis, ex improviso recidivâ quidam correpti in campos excurrentes, & in flumina prosilientes, aquis submersi fuerint.

Verùm quidem est, ac ratione non caret, quòd affectus hic, (quemadmodum & omnes alii nervorum) diffi-

difficillimo negotio curari & debellari possit, ea propter, quod non ad alios morbos sequatur, sed per protopathiam, sua sponte, ex internis propriis causis exoriatur: nihilominus tamen, si altas radices nondum egerit, neque diu partibus inhæserit, sed in tali statu fuerit, ut materia pestilens infixa digeri, educi, ac simul ita præcaveri possit, ne de novo recrudescat; prætereaque membris nondum ad incitas redactis robur addi queat: tunc non solùm adhuc ex integro curabilis est, sed etiam is, qui per aliquot annos jam duravit, ita mitigari potest, ut ægrotantem tàm immani sævitiâ, ut aliâs solet, non maceret, sed mediocri quiete & tranquillitate, induciis quasi factis, frui permittat.

Contagium hujus luis. Cæterùm *lues hæc valdè contagiosa* est, raroque, teste experientia, contingit, quòd non omnes, qui cum infectis multùm diuque conversati, iisdemque familiariter in eadem domo usi fuerunt, simili tandem labe invaserit, etsi modo, motuque contagionis à peste vel dysenteria, quæ celerrime inficiunt, longè differat, dum temporis progressu sensim spacio unius, duorum aut sex mensium, interdum unius anni, imò & adhuc tardiùs sese colligit ac prodit: fieri namque solet, ut ex decem vel duodecim sub eodem lare degentibus, unus & alter per integrum biennium ab hac lue immunis vivat, ac demùm contagii semina consequatur.

Quod tamen potissimùm ex defectu præsidiorum, & penuria remediorum appropriatorum malo interim pro lubitu hinc inde serpente, profectum est; cùm post medicamentorum usum maxima pars ægrotantium, imò & illi, qui mania aut morbo caduco jam laboraverunt, notabiliter sublevati, & ad integritatem restituti fuerint.

Quia verò malignitas hæc in omnes illos, qui tenuiter vitam suam tolerare coguntur, atque omnium rerum penuria laborant, tàm convulsionibus, quàm supervenientibus aliis accidentibus, mania, furore, diarrhæa, dysenteria, fame, & similibus, violentiùs sævire solet, quàm in eos, qui lautioris fortunæ sunt, atque alimentis, curaque omni ad salutem necessaria gaudent. Ideò etiam fit, ut remedia iis cum feliciori successu teste experientia, offerantur, qui victu exquisito utuntur, quàm illis, qui indifferenter omnem cibum crudum & coctum assumunt: Unde meritò certa vitæ regula & ordinaria diætæ ratio instituenda est.

CAPUT IV.

De Curatione in genere.

Cognito ex præcedentibus affectu, facilè elucescit, quid ad ejus curationem requiratur, & quò potissimùm in ea respiciendum sit. Cumque omnis spes salutis frustranea sit, quamdiu materia illa venenosa in corpore persistit; *Indicationes curativa.* *igitur in curatione ante omnia eò allaborandum est, ut materia illa peccans extirpetur: deinde cùm nervosum quoque genus per eandem materiam adeò debilitatum & exhaustum sit, ut etiamsi à causâ morbificâ eradicatâ quietem habeat, nihilominus tamen debile, languidum, & convulsionibus facilè obnoxium maneat, ideò alter scopus curativus emergit, qui ad nervos debiles corroborandos dirigitur.* Primum scopum quod attinet, quia raró materia hæc pestilens suam originem in partibus imbecillioribus habet, ac plerumque in aliis locis stabulatur, è quibus partes morbidæ, transmissa malignitate infestantur, hinc requiritur, ut in averruncatione hujus materiæ *tam ad fomitem ipsum, quàm ad partes affectas* oculi convertantur.

Quoniam verò ex præsuppositis causis & signis tàm notum est, quàm notissimum, quòd *antecedens seu interna fovens hujus affectûs causa sit contentorum circa ventriculum, jecur, lienem & interjacentes venas splenicas & mesentericas specifica corruptio*, præ cæteris hic cogitandum est, ut mox in principio omnia hæc viscera à saburrâ peccante liberentur ac repurgentur: quod fieri potest *primo* per exquisitum vitæ institutum, & convenientem diætæ in rebus sex naturalibus dictis rationem, tàm benè valentibus, quàm morbo detentis diligenter observandam, ad omnem occasionem hujus mali præcidendam & incrementum ulterius præcavendum; *Diæta.* *deinde* per iteratas & appropriatas purgationes, quibus materia peccans jam jam collecta, & in primis viis delitescens, per epicrasin evacuetur. *Pharmacia.*

CAPUT V.

De Diætæ regulis.

In hunc ergò finem firmi & infirmi rectam vivendi rationem ineant, sibique diligenter prospiciant, ut totum corpus, atque inprimis extremæ partes, caput nempè, manus ac pedes, à frigore externo præmuniantur, præcipuè verò mense Decembri & Januario probè custodiantur, cùm non solùm lues hæc propter hybernum gelu, sed etiam per se ex suâ naturâ hoc tempore graviùs & atrociùs sævire soleat. *Frigus vitandum.*

Testatur enim experientia malignitate hac populariter grassante, quòd ægroti de nullo magis conquerantur, quàm de frigida & austrina aëris constitutione, qua, venenatis proculdubiò vaporibus, per occlusas cutis porositates non exhalantibus, & frigore nervis inimico & mordace sese intimiùs insinuante, malum acriùs intenditur & exacerbatur. Quapropter unusquisque *aërem siccum & calidum* eligat, aut artificio sibi talem ex *ligno & baccis juniperi, floribus Lavendulæ, Thymo, Mastiche, Thure & similibus* præparet, atque eundem sæpiùs in hypocausto renovet, semperque ad ingressum ad infirmos, aut in transitione ædium infectarum, aliquid de *Salviâ, Serpillo, Betonicâ, Roremarino, Lavendulâ, &c.* pro aëris contagiosi emendatione masticet.

Evitata aut correctâ cœli frigidâ, nebulosâ, & austrinâ constitutione, Magistratus in locis infectis pauperibus de alimentis ad vitæ sustentationem necessariis provideat, eoque omnis paterfamilias, qui in re lauta, & benè aucta est, curam suam dirigat, ne domesticos *Victus ratio conveniens.*

cos omni rerum indigentia laborare, fameque macerari ac confici finat, sed tantum cibi potusque subministret, quantum ad vitæ conservationem sufficiat: cùm experientia luculenter comprobet, quod lues hæc fame non solùm sobolescat, sed etiam vehementiùs intendatur atque irritetur.

Fames noxia.

Nec minùs quoque tàm viri, quàm mulieres à Veneris usu, citra noxam & jacturam corporis nunquam futuro, quantum possibile, sibi temperent: alvum habeant lubricam, excrementaque corporis & urinas quotidiè debito modo reddunt, alternis pariter septimanis ad superfluitates absumendas sudorem proliciant, & quarta quavis, sexta vel octava hebdomade, pro mali violentia, de Electuario purgante specifico ad causam remotam extergendam, aliquid deglutiant, aut natura ad sudorem incliante ad eundem sese accepta pulveris convulsivi drachma una disponant.

Venus vitetur.

Quoad alimenta, vitentur, tempore morbi epidemii, caro, porcina, bovina senescens, crassa, viscida, & hujus generis cibi difficilioris digestionis: quò etiam pertinent omnis generis pisces, & ex leguminibus pisa, fabæ, milium; ex fructibus nuces, castaneæ, poma cruda; ex oleribus, bulbis, & radicibus cæpe, sinapi, porrum, allium, raphanus vulgaris & rusticus, ex reliquis verò esculentis & potulentis brassica muria condita, caseus, cerevisia recens, non probè defæcata, aut præ vetustate acescens, aqua putrida & corrupta, vinumque tandem nimis generosum, aut vetus.

Alimenta interdicta.

Contra verò eliguntur cibi boni succi, & concoctu faciles, quales sunt caro vervecina, vitulina, bovina, caprina, gallinarum, gallorum, caponum, & quibus rerum copia est, perdicum, avium montanarum & sylvestrium, &c. ex frumentis triticum, avena, secale, far, *ex fructibus* mala, pyra, pruna damascena & alia, siccata, cocta, & frequenter assumpta: *ex herbis & oleribus*, Salvia, Serpillum, Hyssopus, Pulegium, Thymus, Majorana, Rosmarinus, Mentha, Origanum, Satureja, tàm cibi & condimenti, quàm præservationis gratia comesta; item Fœniculum Cuminum, Anethum, Artemisia, Beta, Spinachia, Blitum, interdum Rapa, Siser, sive Carotta lutea; ova recentia, butyrum recens, fercula & jscula ex pane, carne, oleribus aut herbis, brodiisque, pro cujuscunque lubitu & conditione præparata: *Vinum* quoque depuratum, aut cerevisia mediocris, non ex malto nimis copioso & crasso confecta, item Melioratum, potusvè alius ex furfure, hordeo, lupulo, &c. prout unicuique facultas suppetit, coctus.

Alimenta convenientia.

Somnus non statim post cibum, aut interdiu, sed noctu & debito tempore ineatur, neque corpus assumpto cibo nimis moveatur, & fatigetur, sed moderatè per duas quasi horas in quiete fit: antè verò pastum, exercitiis & laboribus consuetis modicè exerceatur.

Animi tandem Pathemata omnia moderata sint, iraque ac timor, metus, tristitia, & alia vehementiora diligenter caveantur.

CAPUT VI.

De Curatione per medicamenta.

Quicunque hâc lue detenti fuerunt, aut eâdem adhuc detinentur, *regulas vivendi præscriptas* curiosè observent, postmodum ad *causam pestilentem & malignam* è corpore eliminandam in principio, per duos tresvè dies, pro virium tolerantia, *Electuario specifico*, quantitate unicæ dimidiæ, sese purgent, & post quatuor horas, ut & circa vesperam jusculo carnis, pauxillo Rorismarini, Serpilli, Saturejæ, aut Salviæ alterato, vires suas reficiant. Peracta purgatione, sequentibus remediis per integrum mensem alternatim utantur, & post primam corporis evacuationem, (si curatio fortè in Novilunio incipiat,) diebus quinque vel sex quotidiè ℈ j. *pulveris convulsivi* accipiant; hinc sexta vel septima die, & quidem proxima post primam quadraturam (pro ratione tamen phaseon Lunæ, in quas curatio incidit) rursus electuarii purgantis ℥ ß. devorent; postea pulverem convulsivum usque ad Plenilunium continuent, quo facto ℥ ß. Electuarii purgantis reiterent, atque hoc modo pergant usque in tertiam septimanam, aut ad ipsam Lunæ renovationem, donec malum optima ex parte remiserit, & membra viribus recollectis se ipsis leviora & tolerabiliora appareant. Quibus præsentibus, à continuo remediorum usu desistant; nihilo tamen seciùs menstruatim ℈ j. pulveris convulsivi, brevi antè Novilunium, maximè verò hyeme, circa mensem Decembris & Januarii, quo tempore aliàs malignitas hæc atrociùs affligere solet, reassumant, & Theriaca accepta sudorem provocent, nonnunquam etiam de Radice Pœoniæ, Helenii, Salvia, Ruta, Baccis Juniperi, Cumino, &c. quæ haberi possunt, pro membrorum corroboratione masticent: Sique spontè in quarta septimana sudores sese exerant, eos ultrò sequentes procurent, nullo verò modo violenter cogant.

Usus medicamentorum.

Membra porrò affecta, atque eorum confortationem quod attinet, unusquisque quotidiè semel uno vel altero oleo, vulpino scilicet, Amygdalino, Lumbricorum, è Castoreo, atque alio convenienti, quod in promptu est, calidè totam spinalem medullam, à prima cervicis usque ad ultimam ossis sacri vertebram, probè inungat: vel in horum defectu ex pinguedine anserina, gallinæ, vel medulla vitulina, sævo vervecino, vel axungia catti, quæcunque harum præ manibus fuerit, cum lumbricis terrestibus, castoreo, floribus Chamæmeli, Roremarino, Anetho, Origano, Satureja, Serpillo, Primula veris, Ruta, horum sc. uno & altero admisto, & vini, vel brodii gallinarum pauxillo affuso, omnibusque simul ad vini, vel brodii consumptionem decoctis, linimentum, pro totius spinæ inunctione componat. Ac si fortè ingentem tumorem vel dolorem circa lienis, vel hepatis regionem, aut in alia corporis parte sustineat, ex herbis modò enumeratis aliquas in vino pro fomentatione decoquat,

Pro membris affectis.

Inunctio Spinæ.

Fomentatio contra tumores & inflationes.

Spiritus compositus ad partes convulsivas.

coquat, partemque subinde probè inungat; ac præterea membra motibus convulsivis exagitata sæpiùs ac ferè quotidiè toto curationis tempore, præsertim verò post sudores, linteis calidis molliter fricet, atque postea vino sublimato, in quo flores primulæ veris, Lavendula, Ruta, Salvia, Betonica, aut ipsum Castoreum per noctem infusa fuerint, vel vino sublimato, aqua lavendulæ stillatitia diluto, ritè illinat. In quem finem etiam Chirothecas & calceamenta de pelle vulpina aut felina confecta, continuò pro membrorum robore ac tono conservando, gestet; Pedumque tensione vehementiùs urgente, eosdem in Balneum ex Betonicâ, Serpillo, Primulâ veris, & Chamæmelo paratum, pro recreatione immergat, eoque finito, leniter calido linteo reficcet, atque postea dicto modo inungat. Quibus præsidiis non sufficientibus, fonticulos in cruribus & brachiis sibi inuri curet, eosque apertos retineat, donec malum sensibiliter remiserit. Ne dum verò morbo hoc radicitùs sublato, in thermas, ex consilio Medicorum peritorum, sese conferat, aut per certum tempus decocto Ligni, aliavè universali cura, modo debito utatur, donec divino aspirante auxilio, si per Naturam modò licebit, successus diu optatus voto responderit.

CAPUT VII.

De iis, qui in paroxysmo versantur.

SIquis verò convulsivis motibus jam jam correptus sit, atque ipso paroxysmo teneatur, mox post sensationem illam dolorificam, formicantem, & hinc inde in manibus, pedibus aut aliis partibus transcurrentem, membrum affectum vino sublimato superiùs enarrato, aliisvè calidis petiis, aut ipsis quoque manibus strenuè fricet, linatque; contractum tamen extendat: distractum verò incurvet, semperque leviter permulceat. Ab his, si vellicatio aut formicatio properè non desierit, partem laborantem per ligaturas intercipiat: si manus, exempli gratia, laboret, in brachio inter cubitum & humerum; si pes aut sura, in femore inter genu & coxam; sin verò duæ partes simul, tunc in unâquâque, ut modo dictum, vinculum sericeum, vel chordam communem, bacillo arctè constrictam, applicet, partemque ita ligatam tàm diu retineat, donec vapor ille malignus & dolorificus sensus omninò evanuerit: sique hæc vellicatio & formicatio diutiùs protrahatur, ligaturam nonnunquam solvat, quò membrum liberius sanguinem & spiritum vivificum recipiat, quo tamen facto, mox vicissim vinculum injiciat, arcteque constringat, atque hoc modo alternatim diutissimè procedat, donec omnis vellicatio & inimica sensatio remiserit, quâ tandem cessante, vinculum è medio tollat.

Frictio & ligatura partium affectarum.

His ita administratis, drachmam unam *Pulveris Convulsivi*, aut unciam semis *Antidoti convulsivi*, in jusculo benè dissolutam, ad cerebrum & membra principalia præmunienda, vaporesque venenatos in iisdem dissipandos, accipiat. Atque si forsan malignitas ipsi quasdam inducias dederit, ut decumbere in lecto queat, stragulis ut incalescat, benè sese cooperiat, & si vires permittant, sudorem cieat, sudore verò difficulter exeunte, undique tectus & quietus in lecto requiescat, vaporesque venenatos per insensibilem transpirationem evaporare sinat, remediis hisce, alternis vicibus, usque ad totalem mali & doloris intermissionem, reiteratis.

Exhibitio Alexipharmaci.

Quo pacto sequenti die pro purgatione corporis ℥ß. *Electuarii purgantis* deglutiat, atque in posterum in omnibus ita sese gerat, ut in præcedenti capite de ægroto extra paroxysmum constituto, prælibavimus.

CAPUT VIII.

De Symptomatibus hunc morbum plerumque comitantibus.

QUemadmodum omnes affectus graviores Naturam in variis facultatibus & corporis partibus adoriuntur, eamque ita oppugnant & torquent, ut eorundem violentiæ corpus cedere, subinde cum multis, iisque sævissimis accidentibus, decertare, tandemque undique aggravatum succumbere cogatur: ita etiam *morbus convulsivus*, si quis alius, sæpe numero corpori multùm negotii ac molestiæ facessit, atque illud ipsum multis symptomatibus in variis functionibus crudeliter exercet. Et quidem talia symptomata non omnia omnem ægrotum, aut æqualiter, infestant, sed hunc acerbiùs, illum verò remissiùs; interdum etiam spontè sine ullo labore post initam curationem evanescunt.

Quia tamen non omnibus idem eventus accidit; sed plerique omnes, quibus in tempore non consulitur, per totum vitæ curriculum, valetudinis vitio laborare, morboque intabescere coguntur, ideò symptomata, quæ hactenus in ægrotantium conversatione observare & annotare licuit, accuratiùs describere, eorumque curationem in medium adferre volumus; quorum hæc sunt:

I. Bulimos, seu fames & appetitus insatiabilis.
II. Vomitio crebra & vehemens.
III. Diarrhæa diu perseverans.
IV. Membrorum intumescentia.
V. Manuum ac pedum vesiculæ & ulcera.
VI. Caloa febrilis, sive æstus p. n.
VII. Epilepsia.
VIII. Resolutio Apoplectica.
IX. Veternus.
X. Mania, Stupor, & Delirium.
XI. Dolor intensus.
XII. Paralysis.
XIII. Gravis auditus, auriumque susurrus.
XIV. Visus imbecillitas.

I. Fames illa irrationabilis causam plerunque manifestam comitatur, nempè prægressam alimentorum necessariorum inopiam; deinde magna ex parte humorem aliquem vitiosum, acidum & melancholicum, qui in ori-

Causa famis p. n.

orificium ventriculi impactus, ipsum mordet atque irritat; talis namque mordacitatem suctioni similem inducit, & ventriculi tunicis coactis, astrictisque, cibo ad fundum compresso, inanitionem, perinde ac naturalis fames invehit, atque inexplebilem cupiditatem, non obstante cibo assumpto. Præterea fieri potest, ut dum ventriculus ex ciborum defectu omnia absumit, orificium, & in eo sensum suctionis atque appetentem facultatem ita exhauriat, ut eò intensiùs appetat, fameque corripiatur, quæ non facilè expleri queat. Si igitur fames hæc ex alimentorum penuria proficiscatur, cibis convenientibus, in capite de Diæta commemoratis, resarcienda est; non tamen una vice, aut ingenti ciborum quantitate, ne copia digestionem superet, atque ab indigesta ciborum mole viscerum oppilationes, febres & similes affectus oriantur; sed ab initio sæpè & parùm, & inprimis cibus pinguis præbeatur; hinc indies lentè augeatur, donec fames exatiata fuerit. Sin verò sit ab acido phlegmate, cibus primò sit mediocriter largus, & coquatur ℥j. seminis urticæ contusi, & pauxillum de summit. Anethi in hydromelite, cum exiguo oleo olivarum, & dentur bibenda usque ad nauseam, pennaque oleo imbuta, fauces irritentur, ut vomitus humoris pituitosi excitetur, postea ventriculus onere tali sublevatus, cibo naturali recreetur, famesque hæc immanis sedabitur.

Correctio.

II. Vomitus citra dubium maxima ex parte ab esculentorum ingluvie, qua ægroti detinentur, oritur, quam ventriculus distentus retinere nequit, sed magno onere atque mole quasi aggravatus rejicit, licet etiam à venenata ciborum corruptorum qualitate cieri soleat. Si proinde ab ingluvie nimia fiat, cibi parciùs ac moderatiùs assumantur. Si ex venenata qualitate, non ilicò sistatur, sed evacuatis hoc modo corruptis humoribus, ultrò curabitur, respectu saltem eo habito, ut deinceps esculenta convenientiora exhibeantur. Sin verò in excessu ad virium prostrationem usque peccet, componatur *Emplastrum ex vino, pane secalino, nuce moschatâ, caryophyllis, cinamomo & modico diacydonii*, atque applicetur ventriculo, frustumque panis albi tostum, & pulvere nucis moschatæ fricatum, vinoque sufficienti imprægnatum cum saccharo pro jusculo offeratur.

Vomitus.

Correctio.

III. Diarrhœa ortum habet à corruptis & venenatis ichoribus, in & circa mesenterium hærentibus, vel interdum etiam à bile & melancholia ex liene, vel aliis quoque, pro cujuslibet ægrotantis dispositione, è capite fluxionibus delapsis, quæ alvi fluxio non nimis properè compesci debet, sed consultius est, eam per aliquod tempus fluentem servare, donec usu pulveris & antidoti convulsivi materia vitiosa majori ex parte imminuta fuerit, aut sponte cessaverit. Præter spem verò & virium tolerantiam eâ diutiùs perdurante, chalybs ignitus in potu ordinario frequenter extinguatur, ac brodium oryzæ, cydonia, pruna sylvestria condita aut exiccata & mespila, nonnunquam ℥j. de terrâ sigillatâ, vel bolo armeno vero, nuce moschatâ tosta, C. C. U. PP. vel alio, quod in promptu erit, crebrò præbeatur.

Diarrhœa.

Correctio.

IV. Intumescentia membrorum provenit ex venenatis & malignis flatibus, ichoribus & fluxionibus, à dolore vehementi in membra attractis, aut in iisdem per congestionem collectis, quæ mediante *pulvere & electuario convulsivo* notabiliter absumi & digeri solet. Quâ tamen diutiùs resistente, externis quoque præsidiis discutienda & dissipanda est, quo fine paretur lixivium ex cinere foliorum vitis, betulæ, fagi, aut quercûs pro cujuscunque lubitu, in quo decoquatur origanum, calamenthum aut Alsine, herbisque decoctis, & sacculo inclusis, membra tumida quotidiè calidè foveantur, & resiccato oleo de castoreo vel nucum juglandium, donec tumor omnis abierit, inungantur.

Intumescentia membrorum.

Correctio.

V. Quandiu etiam vesicæ & excoriationes ichoribus scatent, & calore p. n. non inflammantur, tamdiu eas sinere oportet; si enim serum hoc acre & malignum per vim retineatur & repercutiatur, convulsiones & vellicationes graviter recrudescent, eo verò sufficienter promanante, loca exulcerata sponte exiccabuntur. Sin autem res ad nutum haud succedat, fiat ex puriore fornacum aut furni terra subtiliter pulverisata cum flore lactis unguentum, quo digiti excoriati illinantur, & vesica obtegantur, aut emplastro albo cocto ad integritatem reducantur.

Vesicæ in digitis.

VI. *Aestus febrilis* plerunque electuario antidoto, aut pulvere convulsivo, vel theriaca sudoribus prolicitis mox infringitur, si verò magis intendatur, dictisve remediis non perdometur, coquantur ægrotantium cibi cum lactuca, acetosa, endivia, foliis vitis, &c. aut ex his oleribus paretur pulmentum frequenter usurpandum: exteriùs quoque hepatis & renum regioni folia nymphææ viridia, donec exaruerint, calorque extinctus fuerit, admoveantur.

Aestus febrilis.

VII. *Epilepsia* pari modo iisdem remediis convulsivis, purgationem & diaphoresin respicientibus, sensibiliter obliteratur & inhibetur: si tamen ægrotus in ipso paroxysmo versetur, membra ipsius non omninò cohibeantur, neque hinc inde violenter jactari sinantur, sed ita teneantur, ut parùm adhuc moveri queant; præterea crura & brachia linteis probè fricentur, naribus ruta, castoreum, lavendula, origanum, & serpillum objiciatur, atque his singulis manus ac pedes, tempora, vertex & nares terantur; nonnunquam etiam penna tenera succo rutæ imbuta profundè naribus immittatur; & cochlear semiplenum succi rutæ præbeatur: omnia hæc tàm diu continuando, donec expugnato malo æger ad pristinam mentem & sanitatem redierit, quibus præsentibus, medicamentis convulsivis in posterum eo, quo antea, modo procedatur.

Epilepsia.

Quid fieri debeat in accessione.

VIII. *Resolutio Apoplectica*, qua ægrotantes ita obrigescunt, ut in ipsis vix aliquod vitæ vestigium reperiri queat, exinde irruit, quando venenati halitus & maligni humores cerebrum præcipiti impetu invadunt, venasque & arte-

Resolutio Apoplectica.

& arterias carotidas obstruunt, & intercipiunt, aut alia pestifera qualitate tàm acutè oblædunt, ut nulla corporis functio suum munus ampliùs obire queat.

Hoc symptoma prorumpit, aut ex phlegmonosâ cerebri dispositione, aut ex affluxu corruptarum & pestilentium humiditatum, vaporumque in cerebri ventriculos: si enim venæ & arteriæ post ingentem æstum, phrenitidem, aut maniam crasso sanguine turgescant, dispositio talis phlegmonosa expectari debet, protinusque requiritur, ut vena cephalica aperiatur, sanguine non confertim, aut una vice, sed paulatim aliquot vicibus, ad uncias tamen sedecim aut octodecim, emisso, venaque pertusa, alternis vicibus, donec debita sanguinis quantitas profluxerit, modò claudi, modò liberè fluere potest: deinde opus est, ut pedes & manus cum brachiis, & cruribus, totoque corpore linteis asperis & calidis validè fricentur, cruraque & brachia pro sanguinis è capite ad infernas partes revulsione, crebrò & arctè vinciantur, quibus si non succedat eventus optatus, in summo vitæ periculo & discrimine ægrotus versatur. Postea ipsi aquæ stillatitiæ de Endivia, Acetosa, Cichorio, Plantagine, Lactuca, & similibus, quæ haberi possunt, propinentur, atque sandalio aut assere aliquo plantæ pedum tam diu percutiantur, donec ad vigorem pristinum restitutus fuerit. Quod si talis resolutio, veternum, singulorumque membrorum torporem, absque manifesto calore sequatur, potiùs ex incursu vaporum & humiditatum malignarum nascitur, quàm ex alia causa: essetque hoc primum & optimum consilium, ut ægrotis, simul ac correpti fuerint, clyster acris pro revulsione injiceretur: quia tamen pauperiores enematum commoditate & oportunitate destituuntur, de iis non multa verba facimus, sed suademus ut penna, succo rutæ, vel vino sublimato, nuce moschatâ alterato, tincta intrudatur, crura, brachia, manus ac pedes fricentur, totum corpus undique vino sublimato illinatur, barbæ, pubisque pili manibus vellicentur, ex adustis crinibus fumus ad nares excitetur, omnia hæc eousque alternatim reiterando, donec pristinæ sanitatis gradus affulgeat, quâ præsente, supra enumeratis remediis in curatione, ut antea dictum, pergatur.

Veternus. IX. *Veterno*, è quo ægrotantes vix atque nè vix quidem expergisci queunt, vel maximè clystere acri revellente consuleretur, sed quia enematum apparatus apud pauperes nullus est, proximum erit, ut omni ingenio veternosi exuscitentur: & primò in locum apricum & lucidum calidum tamen, collocentur, venæ sanguine turgentes feriantur & exonerentur, pulegium, serpillum, origanum, salvia, &c. naribus affricentur, caput herbarum dictarum decocto, cum aquâ & pauxillo aceti facto, fomentetur, lateres aut silices candentes, linteo obtecti & aquâ atque aceto cum baccis juniperi & salviâ præparato conspersi prope lectum, ut vapor ad caput pertingere possit, reponantur; ligno quercino in apice adhuc ignito, & occipitio admoto cutis aduratur, doloresque invicem excitentur, donec meliusculè valeant.

Delirium ac stupor. X. *In Mania, stupore & delirio*, unica semis electuarii purgantis, si modò per furorem licet, per duos dies pro purgatione offeratur, diaphoresis pulvere convulsivo, si possibile est, promoveatur, somno ut indulgeant, omnis industria adhibeatur, vertici capitis violaria, lactuca & folia nymphææ ana Mj. in aqua & modico aceti decocta tepidè applicentur; pulmentum ex farinâ avenaceâ pro cibo exhibeatur, si ℥ij. seminis papaveris albi simul incoctæ fuerint, nullusque non lapis moveatur, quin fessis oculis mulcentem soporem, furoris domitorem, admiserint.

Dolor membrorum. XI. *Dolorifica membrorum* dispositio originem sumit à convulsionibus, validisque artuum distensionibus, unicuique hoc morbo detentorum familiaribus. Præmissis ergò universalibus, purgatione scilicet atque diaphoresi, membra oleo amygdalino, vulpino, vino sublimato, cui infusi fuerint flores primulæ veris, leniantur, vel solo vino dicto illinantur, atque hoc ordine ad vehementis symptomatis correctionem procedatur.

Paralysis membrorum. Triplex linimentum. XII. Pari modo *membrorum paralysi*, iisdem ex causis oriundæ succurratur, absolutisque purgationibus & sudoribus intentio ad *tria linimenta* dirigatur, *mite* scilicet, *mediocre, & validum*; atque in principio per octo vel decem dies oleo amygdalarum dulcium, lacte muliebri & medullâ crurum vituli permixtis omnibus membra probè demulceantur: (1.) hinc per tot rursus dies axungiâ catti sylvestris, & tantillo castorei vel oleo castorei, cum modico mucilaginis sem. lini factâ illinantur; (2.) denique unguento composito ex pinguedine anguillæ, quæ in ipsius ventre latet, atque etiam inter assandum destillat, adipe vulpis & oleo lilino ana part. æqual. lumbricis terrestribus. part. dimid. his ipsis contusis, aut cum oleo subactis, atque omnibus cum exiguo vino ad ejus consumptionem lento igne coctis, ita ut gutta in carbones vel torrem incidens non amplius crepat, inungantur. (3.) Et si fortassis accidat, quòd primâ vice membra his inunctionibus à paralysi non liberentur, quies tùm per mensem integrum impetretur, quo elapso, inunctiones de novo ad symptomatis emendationem redintegrentur, aut thermales aquæ, ex consensu Medici, in usum adhibeantur.

Auditus & visus læsio. XIII. & XIV. *Auditus difficilis, visusque imbecillitas* exinde potissimùm scaturiunt, quòd in hoc morbo, accedente inprimis epilepsiâ, cerebrum mirè conquassetur, convellatur, basique, è qua nervosum genus emergit, vis inferatur, associatis proculdubio vaporibus & humoribus malignis, cerebrum labefactantibus; extra namque omne dubium positum est, omnia sensuum atque functionum capitis organa post tales paroxysmos imbecillitatem quandam sensura & habitura, si modò laborantes mentem adverterent. Hæc symptomata non illicò removentur, sed tempus aliquot requirunt, unde primitùs materia peccans electuario purgante con-

vulsivo & sudoriferis antidotis per epicrasin diligenter evacuetur, singulisque accidentibus, remediis hisce universalibus nondum extirpatis, pro naturarum & affectus ratione, prudentis Medici, consilio occurratur.

CAPUT IX.

De Universalibus quibusdam remediis ad curationem hujus morbi pertinentibus.

Quoniam tractatus hic non præcipuè in gratiam Medicorum, quorum unusquisque pro suamet prudentia morbum, ejusque statum & conditionem spontè ab ægrotantibus explorare potest, sed potiùs in gratiam pauperiorum ruri degentium, qui sæpiùs Medicorum præsenti auxilio & pharmacopoliorum beneficio privantur, & quos morbus hic potissimùm invadere solet, conscriptus & adornatus est, hinc ea, qua potuimus, diligentia maximam remediorum partem eum in modum consignavimus, ut ex plebe etiam quilibet proprio Marte, citra pharmacopæi adminiculum, iisdem curationis suæ exordium facere possit. Posteaquàm verò impossibile fuit, atrocissimum hunc affectum domesticis, adeoque tenuibus remediis edomare, sed necessitas valentiora quædam & generosiora, radicem ipsam demolientia, extorserit, ideò universalia nonnulla præsidia pro singulis & omnibus annotavimus; jurisque publici in communem utilitatem fecimus, ut quilibet pro sui ratione ea ex pharmacopoliis petere queat. Ex quibus autem tria præcipua sunt, Electuarium nempè purgans convulsivum, Antidotum convulsivum, & Pulvis Convulsivus.

Electuarium purgans sic habet:

℞. *Diaphanici solidi* ℥iiij.
Electuarii è succo rosar. ℥ijß.
Antidoti Convulsivi seu Theriacæ hic descriptæ. ℥ij.
Pulv. Hermodactylor. albor. à cortice superiori mundatorum,
Turbith. albi boni,
Esulæ mundatæ correctæque ana ʒj.
Diagrydii,
Castorii ana ℈ij.
Gingiber. Costi,
Caryophyllor. ana ℈j.
Sem. Rutæ,
Cymini,
Croci, ana ℈ß.
M. & cum Syr. Rosf. solut. f. Electuar.

Antidotum Convulsivum:

℞. *Rad. Pæoniæ,*
Visci quercini ana ℥ij.
Castorii,
Salviæ. ana ℥ij.
Baccar. Lauri,
Cranii hominis usti ana ʒij.
Theriacæ Alexandrinæ,
Mithridatii opt. ana ℥xij.
Mellis despumati ℔ij.
M. pro Electuario Theriacali.

Pulvis Convulsivus:

℞. *Pulv. rad. Vincetoxici.*
Elenii.
Succisæ.
Caryophyllatæ.
Pæoniæ. ana ʒijß.
Baccar. Lauri. ʒß.
Summit. Salviæ.
Serpilli.
Florum Anthos. ana ʒij.
Spec. Diamosch. dulcis.
Pliris archontici.
Dianthos ana ʒj.
Misce & f. pulvis.

Atque hoc modo sese habet morbus hic convulsivus huc usque descriptus, cum suâ curatione. Et cùm nobis quotidiana experientia compertum fuerit, remedia hæc consignata, modoque supra posito usurpata, Naturæ tàm luculentum auxilium præstitisse, ut morbo devicto, symptomata omnia quoque mitigata & evanida fuerint, idcircò ex Christiano affectu hæc plebi indigenti, calamitosæ, & ærumnosæ, morbo hoc correptæ, vel adhuc ab eodem immuni, communicare & aperire voluimus, Marpurgi 7. April. Anni 1597.

FINIS LIBRI VII.

LIBER NONUS DE CHIRURGICIS QUIBUSDAM CASIBUS.

OBSERVATIO I.

Aneurisma venæ sectionis occasione genitum & curatum.

Vir Iuvenis Doctus, præservandæ sanitatis gratiâ venæ sectionem in brachio dextro instituit, ubi mox incisâ venâ sanguis rubicundissimus, saliendo quasi, confertim profluit, quod parum animadvertens Balneator, qui venæ sectionem administraverat, vulnus more solito ligat. Mox autem subsequitur partis vulneratæ dolor insignis, intumescentia, atque in ipso loco venæ sectionis, tumor ad ovi gallinacei magnitudinem pulsatilis, digitorum compressioni parumper cedens, unà cum superveniente totius brachii inflammatione & intumescentia.

RESO-

RESOLVTIO.

Signa arteriæ apertæ.

Vide similem casum ap. Rond. Fonf. lib 1. con. 75.

VEnæ sectionem hîc minus dextrè peractum *sanguis rubicundissimus, saliendo quasi confertim profluens* testabatur, nimirum loco venæ factam fuisse arteriæ incisionem, cujus sanguis à venoso differt in eo, quod sit spirituosus ac floridus magis, *saliendo*, propter arteriæ pulsum profluens ubi venâ sectâ sanguinis color magis nigricans, nec impetu saliente deprehenditur, quod Chirurgus optimè notet, quò præter intentionem hoc errore proveniente, protinus arteriam occludat, adhibitis convenientibus remediis, de quibus postea. Cum autem, propter imperitiam in hoc casu, vulnus tantùm more solito ligaretur, *mox vulneratæ partis dolor insignis* subsequebatur, *cum intumescentia*, propter sanguinem ad partem læsam affluentem, ipso calore nativo per evacuationem arteriosi sanguinis non parum debilitato, *tumore ad ovi gallinacei magnitudinē apparente*, scilicet Aneurismate, quod vitio arteriæ generatur, non tàm quod sanguis spirituosus arteriâ læsâ sub cutim effundatur, ut veteres voluerunt, cum hac ratione extra suum locum citò corrumperetur, undique difflueret, ac cutim etiam, ut in ἐκχυμώσει fieri consuevit, lividam redderet, sed potius arteriæ dilatatione, vel respectu utriusque tunicæ; quod interdum parturientibus accidit, arteriis circa collum ita dilatatis; vel unius ratione tantum, quod etiam hîc fiebat; arteriâ per phlebotomum vulneratâ, *pulsatili*, propterea quod unà cum arteria dilatata respectu tunicæ exterioris moveretur. *Digitorum autem compressioni parumper cedebat*, sanguine spirituoso vicissim intus in arteriæ corpus recedente; *unà cum inflammatione totius brachii*, scilicet non adhibitis iis, quæ talia præcavere debebant.

Aneurisma quid, sit?

Vera causa Aneurismatis.

Curatio.

Vocatus autem cum alio Chirurgo, prognostico primum facto, quod affectus periculo non careat (utpote cum adsit Aneurisma, seu tumor arteriæ, qui plùribus omnino statuitur incurabilis, quod videre licet apud Autores Classicos) ejusque curatio diuturna futura sit, protinus ea, quæ præter rationem ad emolliendum tumorem adhibita fuerant, rejicio, mox iis ordinatis, quæ necessitatis ratio requirere videbatur, Cum enim ad apertionem hujus tumoris in manifestum vitæ discrimen æger præcipitetur, quod unà cum spirituoso sanguine vitæ principium effundatur, cujus rei exemplum videre licet apud *Pareum lib.6.Chirurg.cap.28.* ad emollitionem verò ac suppurationem gangræna, partisque sphacelus & corruptio subsequatur, quemadmodum apud *Forestum lib. 1. de tum.obs.* 15. patet: id circo aliter procedendum erat. Quanquam autem levi negotio, si mox post incisam arteriam adfuissem aneurisma, seu tumor hic periculosus præcaveri potuisset, quâ ratione superioribus annis, in mea præsentia, viro cuidam Nobili, Senatorii ordinis, venæ loco, similiter arteriam in brachio incisam fuisse memini, in quo protinus occluso foramine superaddito emplastro ex farina volatili, bolo armeno, terra sigillata, pul.consolidæ majoris & similibus, sanguinis arterialis effluxus cohibitus, & ligatura fortiori coadjuvante, spontè vicissim arteria consolidata fuit: nihilominus difficilior hîc curatio fiebat, propterea quod seriùs vocarer, adhibitis interim iis, quæ morbum deteriorem reddebant.

Aneurisma non aperiendũ, nec emolliendum.

Secta arteria levi negotio consolidata.

Media curationis.

Ordinata itaq; diæta, tum etiam adhibitis iis, quæ ulteriorem affluxum ad partem affectam prohiberent, universali videlicet evacuatione præmissa, vitatis omnibus iis, quæ majorem inflammationem introducere nata sunt, *parti affectæ modicè repellentia & astringentia* adhibuimus, vicinis partibus intumescentibus & inflammatis, per convenientia quoq; succurrendo. Pedetentim itaq; totius brachii intumescentia subsistente, tumori, pulsatili *composito Sperniolæ* dissoluto succurrimus, *defensivis in vicinia non neglectis*, successu satis optato, ita ut trium mensium spacio totaliter ad pristinam sanitatem brachium restitueretur. Veteres *Aneurismata* per sectionem aggrediebantur, ut videre licet apud *Paul. Æginetam lib.6.c.38.* ubi modum sectionis, quem ex eodem etiam *Pareus citato loco* repetit, exactè describit, ita tamen, ut abstineamus ab *Aneurismate*, quod alas, inguina & cervicem infestat, &c. conjugatur *Iul. Cæs. Claudinus Consult. 67.* ubi similem casum *Aneurismatis*, occasione venæ sectionis geniti, proponit, ac tandem quoque medicamenta astringentia & indurantia probat, ubi enumerat *Emplastrum de Cupresso Aëtii, Cerotum de Scoria Ferri Montagnanæ, ex cortice Vlmi, Saniculâ, fotum ex decoctione Scoriæ ferri cum spongiâ nova, &c. Pareus citato loco & Rod. à Fonseca, art. 2. consul.* 53. Emplastrum ex caseo recenti, cum succo sempervivi, commendant, quorum hîc etiam addit salem prunellæ, vel nitrum cum sulphure depuratum ℥j. cum ℥ij. succi plantaginis permixtum.

Observatio similis apud Iul. Cæs Claudinum.

Eventum lethalem ejusmodi arteriotomiæ in brachio, cum subsequenti Aneurismate, videre licet apud *Libavium in Cista Medica Epist. Medicinalium Hornungii*, ubi superveniente gangræna, post spontaneam hæmorrhagiam præcedentem, mors & interitus subsequebatur. In internis partibus *Aneurismata* sæpiùs incurabilia fieri, non tantùm Autores, sed etiam Experientia confirmat, inprimis in iis, qui litus atq; sudores ad curationem Morbi Gallici toties sustinuerunt, ob sanguinem attenuatum & incalescentem, arterias majores in amplitudinem præter naturam distendentem, quod *Pareus* in cadavere cujusdam vestiarii deprehendit, qui ejusmodi Aneurismate arteriæ venosæ repente rupto, subitò mortuus fuerat. Similem observationem hîc in Nosocomio Gallico quoq; notavit Ordinarius Medicus, annis superioribus in quodam juvene, qui vix in curationem receptus, derepentè suffocatione perierat. Cum autem de causis subitaneæ mortis dubitaretur, consilio meo, pectus post mortem fuit apertum, ubi tumor aneurismatis insignis in Arteriâ magnâ propè jugulum deprehendebatur, ob sanguinis ebullitionem & incandescentiam suffocationi occasionem præbens. Addat lector Exempla, quæ *Dodonæus cap. 51. Med. Observat. proponit, ut & illa, quæ Marcellus noster Donatus lib. 5. Histor. Mirab. sub finem refert.*

Eventus lethalis Arteriotomiæ.

Aneurismata interna inquibusdam.

OBSERVATIO II.

De Malitiosa Scarificatione.

Viro Clariss. & Excellentiss.

DN. ANDREÆ LIBAVIO,

Phil. & Medic. celeberrimo,

SIGISMUNDUS SCHNIZERUS,
Med. D. & Archiater Bambergensis.

S. Pl. Tandem aliquando, Vir Clariss. ad intermissum scribendi genus ζητητικὸν ut redeam, de ista Balneatoris venefici confessione quid sentis? Infecti scatebant pustulis & ulceribus, quasi cancrosis, non tantùm in locis scarificatis, sed toto ferè corpore, patiebanturque artuum dolores immensos, tantâ cum debilitate, ut nisi suffulti, lecto exire non potuerint. Horum (qui plurimi erant, aliqui curati sunt ligni decocto, & alexipharmacis, cæteri magnitudine mali occubuerunt. De pulvere μυιοκτόνῳ & bufonibus pulverisatis ne quid dicam, *saltem grylli quid virium ad hac mala contulerint*, ex te audire liberet, nisi seria magis te à tàm tenuis materiæ argumento abstraherent. *In tenui labor: at tenuis non gloria*, inquit ille de Apibus. Et tu reipsa hóc approbasti editis Bombyciorum libris. *Plinius* sanè gryllos præterire noluit; tametsi apud eum nihil inveniatur, quod proposito nostro serviat. Nam *lib*. 30. *cap*. 6. gryllorum græcam & latinam appellationem refert, & descriptionem. *Ibid. & cap*. 4. 8. 9. 12. 13. 14. *& lib*. 29. *cap*. 6. multiplices tryxalidum in medicina usus recenset.

Proponitur quæstio de gryllis.

Quibus alii alios addunt, inprimis contra calculum & vesicæ difficultates: quod tamen *Dioscorides* locustis adscribit, è quarum genere dicuntur esse potius, quàm ex genere cicadarum, ut vult *Matth. contra Albertum Magnum*. Vir aulæ nostræ non vulgaris, gryllorum pulverem cum bombace denti inditum, dolorem ejus sedare, crebro suo experimento, asserit. Verùm, inquam, ex his omnibus nihil est, unde vim sistendi sanguinem gryllis adscribamus; Imò contrà *lib*. 30. *cap*. 14. expurgationes seu menses, adjuvare dicuntur. Sed huic loco contrarius videtur esse alius *lib*. 30. *cap*. 6. ubi tryxalidum viginti torreri jubentur, ac bibi è mulso, contra orthopnæas, sanguinem expuentibus. An multùm sic, candi, & quasi adurendi facultati hoc tribuamus: hæc enim fortè locustis, earumque speciebus inest, gryllis inquam, atque etiam pyraustis, ut vult *Bodinus lib theatri naturæ lib*. 3. *pag*. 310. Tactu solo locustæ multa adurebant olim, ut testantur historiæ. Et Acridophagi corpora habebant maximè extenuata & macilenta: tametsi illi nationi in suavem victum sufficiebant locustæ, ingenti fumo suffocatæ, & sale conditæ. Fortè ex formicarum quoque viribus de gryllorum facultatibus conjectura capi potest. Illis enim hi delectantur & capiuntur. Sed tuam hac de re expecto sententiam. Admonet me locus *Plinii* citatus (*lib*. 30. *cap*. 13. ubi tryxalidum cinerem cum melle margines ulcerum duros auferre tradit) Angli, cognominati Puthman, qui monialem hîc ulcerato cancro, per triennium, in sinistra mammâ conflictatam, non ita pridem curare aggressus est, de curationis successu perfecto adeò certus, ut vitam suam Principi nostro deposuerit. Margines duri nescio quo oleo inuncti, sine omni dolore, magna ex parte deciderunt. Septicum aliquod esse videtur, & fortè oleum Arsenici, ni fuerit potius ol. vitrioli: hoc enim ex pharmacopolio nostro crebrò petit, ut & argentum vivum, quod in cura Cancri palliativa à multis commendatur. Restitutæ sanitatis merces ex pacto cum principe nostro, erit flor. 175. tempus curationis trimestre. Sed ne pluribus te onerem, vel obruam potius, finem scribendi facio, & valere te plurimùm jubeo. Datæ 2. Februarii Bambergæ, Anno 1603.

Gryllorum pulvis ad dolorem dentis.

CONFESSIO BALNEATORIS LEONHARDI KURMREUTTERI.

ER hat drey oder vier Wochen lang das Muckenpulver/ auff die Lederseilen gestrichen/ und die Laßeisen darauff gewetzt.

Er hat in ein Grillen die Schräpffeisen gerieben/ und den Leuten/ die inficirt worden/ damit geschräfft/ darauff ihnen das Blut verstanden/ und auff den Schräpffmahlen/ Rufen und Beulen auffgeschossen.

Er hat die Krotten gedörzt/ und das Pulver in einen Zuber mit Wasser gethan/ das Wasser auffgerührt und auff den Badofen gegossen/ daraus ein Dampff und Dunst erweckt worden.

Clariss. Viro.

DN. SIGISMUNDO SCHNIZERO, Philos. & Medico eximio,

ANDREAS LIBAVIUS, S. P.

VIctimam Gratiis debemus, quod te tandem ad officium literarium reverti permiserint. Equidem me voti reum agnosco, quod quo pacto persolvam, non desistam deliberare. De quâ autem re scripsisti, de ea pridem partim ex Doldio nostro, partim aliunde cognoveram, atque etiam illud ipsum, quod tu exigis, sæpè perpenderam, quò facilior expeditiorque mihi tecum erit confabulatio. In gryllos impegisse ille scalpellum narratur, eòque vulnusculis factis, consistente putrescenteq; sanguine, ulcera excitasse maligna, malo ad interiora quoque serpente, & sanguinem undiquaque inficiente.

Quæritur quâ id virtute istæ bestiolæ possint, cum non dubitent quidam etiam potandum exhibere, contra vesicæ difficultates pulverem ex istis, similibusque aliquando etiam fœdioribus, magisque humanæ naturæ reformidandis. Sed hoc argumentum facile est explicatu. Multa

Responsio ad quæstionem de gryllis.

Quomodo quadam

externè noceant, minus autem assumpta.

Multa enim sanguinis vivi contactu perniciosa sunt, quæ si comedas, potesve, nihil exhibent molestiæ, suntque extra periculum. Non ignotum est in ventribus gestari sæpe numero serpentes, bufones, ranas, &c. non infecto per se sanguine, nec excitatis ulceribus malignis. At si quem mordeat vipera, suamque saniem succo vitali immisceat, pericula etiam horribilia sunt præstò.

Toræ Waldensium succus, *Autore Gesnero*, potu lethifer non est: at pro toxico additus jaculis, sanguinique commissus, celeriter interficit. Spumam, sudoresque equinos potari innoxiè posse non dubitem. At qui phlebotomos candefactos iis restinguunt potantque vulnuscula faciunt cruentare ante mortem non desinentia. Nota sunt tibi exempla. Itaque non opus est multis verbis. Non observatam autem vim talem, & specie expressam ab autoribus videtur mirum esse, præsertim tàm vulgatam bestiam non exploratam habentibus tot jam medicinæ seculis. Sed accuratius commentarios scrutandos, & experientiam analogiamque consulendam attentius putaverim. Quinam sint illi nostrates grylli, non constat inter omnes. *Matthiolus* notat *Albertum Magnum*, quod cicadas esse putaverit, quæ tamen Germaniæ desunt, nec hyemes ferunt, uti nec domibus assuescunt. Ipse *blattas Dioscoridis & Plinii* interpretatur Teutonum vocabulis **Grillen Heimichen** / vel ut nos, **Heimen** / atque domesticum esse animal, in Hetruria, cellis vinariis, latrinis, pistrinis, balneis, &c. familiare, noctibus æstivis stridens, & lucifugum, quanquam planicie corporis & crurum tenuitate dicatur cedere gryllis vulgaribus; ex quo intelligimus (si modo constare explanationem *Matthioli* volumus) gryllos esse duorum generum, Germanicos nempe, & Hetruscos, utrosque domesticos discrepantes cruscul is & tergore. Nobis aliud genus est arvense, quod **Feldenheimen** vocamus, quamvis aliquibus non videantur specie distare à domesticis, cum credantur in domos migrare, appropinquante hyeme, aut interire, nisi quis velit latere, seu φωλεύειν. Sed cum ista scribat *Matthiolus*, num ideo grylli sunt σίλφαι seu blattæ *Dioscoridis*? Blatta homonyma quidem vox est (aliquando enim tinea est, quæ rodit pelles & vestes: aliquando vermiculus, chartas, librosque exedens; nonnunquam animalculum alvearibus innatum, quod *Aristoteles* scribit pennatum esse: interdum purpura, aut serici vermiculus: quin & nigra bestiola scarabæis vel gryllis similis) veruntamen quia *Plinium* citat *Commentator*, tibique placuit quendam ex historiis hujus consignare, quæramus quid sit vero consentaneum. Patet autem ex *lib.* 29. *cap.* 6. aliud esse *gryllum*, aliud blattam. Discretim autem de utroque scribit: *Auribus*, inquit, *prodest gryllus, cum sua terra effossus, & illitus: venantur cum formicis capillo alligatis, &c.* De *blattis* autem, interposita medicina ex tunicis ventriculorum gallinaceorum, ea tradit, quæ facilè ibi potes legere. Videbitur itaque *Matthiolus* quidem rectè accommodasse Plinianas blattas, ad Dioscorideas, sed malè vertisse gryllos Plinianum genus alterum, quod μυλοῖκον vocari tradit, (vel μυλικὸν, μυλαβρὶν, μύλακριν quòd farinis molarum vescatur) Dioscoridis blatta est juxta descriptionem. Primum genus erat blatta mollis; tertium σίλφη βδέουσα: Nullos hic gryllos videas. Sed *lib.* 11. *cap.* 28. *tenebrarum alumna*, inquit, *blatta est, lucem vitamque fugit: In balneis maximè humido vapore prognata.* Hæc est illa *blatta Hetrusca* Matthioli, cumque in nostris balneis & pistrinis frequens sit, tenebrasque amet, quid obstat, quin dicamus etiam gryllum esse aliquando dictū blattam, ut sic aliquatenus non aberraverit *Matthiolus*? Hæ ipsæ videntur blattæ esse, quas scribit *lib.* 20. *cap.* 16. Cunilagine herba congregari; & *lib.* 25. *cap.* 9. Blattaria vocata: quanquam audivi aliquandò Abrahamum Wernerum medicum narrantem sibi evenisse, ut panem in pileo reposuerit, in quo sequente die invenerit circiter 16. gryllos congregatos, quos etiam pileo capiti imposito in templum detulerit, & tandem animadvertentibus hospitibus, cum rediisset domum, expugnaverit. Intellexerat autem in pileo eos esse ex strepitu, & provolante inde uno, inter rem sacram. Est alius locus apud eundem autorem *lib.* 11. *cap.* 28. de scarabæis, ex quibus narrat aliquos focos & prata crebris foraminibus excavare, nocturno stridore vocales. Non desunt, qui gryllos scarabæis comparaverint.

Quid sint grylli.

Cùm ergò *Plinius* ex diversis autoribus historias colligeret, an non observabat, se de gryllis loqui, sub nomine scarabæorum? Sanè utrumque genus distribui videtur, nempe tàm arvense, quam domesticum, nisi dicendum sit, blattam hanc esse Canthari similem, quæ & ipsa potest esse gryllus. Tu putas eosdem designare appellatione Tryxalidum: propterea, quia de gryllis *lib.* 29. *cap.* 6. refert eos Nigidio autore magnæ esse autoritatis: majoris autem magorum judicio, quoniam retrò ambulent, terram terebrent, stridantque noctibus. Et rursus *lib.* 30. *cap.* 3. esse animal locustæ simile, sine pennis, quod Tryxalis Græcè vocetur, latinum nomen non habeat, aliquibus arbitrantibus esse id, quod Gryllus vocetur. Adstipulatur autem etiam nominis inventio. Nam γρυλλίζειν καὶ τριλλύζειν, utrumque Græcis est id, quod latini dicunt, noctu stridere, gemere, grunnire, &c. Verum enim verò, cum simile esse locustæ scribatur, pennisque carere Tryxalis, censendum est, Dioscoridis Asiracon vel Onon esse, de quo agit in historiâ locustæ, quanquam non negem etiam hanc bestiam nocte stridere, & sic gryllo commune nomen adeptam esse. Quid si grylli nomenclatio γενικῶς significet insectum, noctu stridens lucifugum, & in cavernis terræ habitans? Noster gryllus ita species fuerit ex gryllorum classe generica. Habes de nominis & speciei historia. Jam inveniamus in medendo, nocendove δύναμιν. Facilè consentio scribenti, pulverem gryllorum cum lana xylina denti dolenti impositum dolorem sedare. Est hoc commune cum multis venenatis, ut lacerto, rana, calamitide, &c. *Plinius* affricat gryllos faucibus tonsillisque, atque ita coërcet destillationes & asperitates. Si jam aliud est

Tryxalis,

Tryxalis, aliud gryllus, cadit argumentum tuum de purgationibus puerperarum promovendis, illitu cineris Tryxalidum cum melle; quanquam non ignoremus, quædam diversa diverso usu vel modo posse. Magnam vim discussoriam, vel alligatoriam (σταλτικὴν) vel Gorgoneam oportet habere gryllos, qui spiritus tàm promptè sistunt, & humores alligant, prohibentq; fluere, nec minoris potestatis esse, quam *mullum*, qui *Torpedinis* virus solvit, aut *aconitum*, quod *scorpium* reddit torpidum: aut *Corylum*, qua serpentes & viperæ cohibentur: aut *taxum* contra angues, &c. Si esset aliqua ex genere blattarum nescio, an arsenicale & corrosivum venenum ei tribuendum esset; quale inest buprest. Si enim deest σίλφη βδέουσα seu blatta fætida, *Aëtio teste*, sumenda est buprestis, cujus erosiva καὶ σηπτικὴ δύναμις non est incognita. Eadem ratio cohibet, ulcera cacoëthe & leprosa, ut sic etiam in tryxalidum familiam irrepat. Verum cum eventus docuerit, non tantùm sanguinem in scarificatione fluere desiisse, veneno seu sanie gryllorum delibuto phlebotomo, vel scalpello; sed & ulcera extitisse; considera an non tota natura adversetur sanguinis vitæ, juguletque vel mutet suo veneno spiritum, & calorem nativum in sanguine; quibus dissipatis vel mutatis jam sponte sequitur abolitio fluxus, & putredo comes. Sanie verò altius subeunte, tanquam in morsu canis rabidi aut scorpii, &c. corruptio exoritur in aliis quoque locis. Hoc modo & septicos dicas esse gryllos, quia calorem nativum in sanguine destruunt, & de propria forma dejiciunt, inducuntque putredinem, quam nosti esse cum extinctione, vel evacuatione caloris nativi, & corruptione substantiæ, soluto misturæ vinculo, propter dominantem siccitati humorem, & spiritus, residuumque calorem penitus suffocantem. Sed satis est gryllizatum. Nolo enim disputare, calidi an frigidi; vel narcotici & opiati sint grylli; quod sanguine carent. Satis enim est efficaciæ in argumento dispositionis adversæ, & qualitatibus occultis, quas qui negat, simili stultitiâ laborat, quâ Erastus olim, & se formas posse putat intelligere, contra evidentissima rerum experimenta, quæ à primis & secundis seu manifestis qualitatibus sunt inexplicabilia. Medicamentum Puthmanni non ineptè tibi videtur metallicum esse. Tale enim, quod ulcera istiusmodi compescit, & eorum labra tollit, ex hydrargyro sublimato per destillationem, vel deliquium conficitur. Uti & aliud ex Arsenici butyro, sed quod non caret doloris acerrimi sensu; nisi peculiare arte fuerit correctum. Fit aliud ex Lithargyro, Realgare, Stibio, &c. Quid si hydrargyrum, spiritu vitrioli mortificatum, specie unguenti illevisset? Mortificatus Arsenico Cancer, facilè sanatur, etiam solo herbarum (agrimoniæ, & aliarum) fotu. Defensivum doloris est, solutum sulphuris, & simul sanativum. In hujusmodi morbis Sulphur solvimus spiritu Terebinthinæ, & in solutum aliquoties dejicimus. Hydrargyrum ferventem; vel reductum sublimati liquorem ei jungimus. Nobile evadit medicamentum. Qui laborem & periculum fugiunt, incoquunt, Sulphur unà cum Arsenico, vel Hydrargyro sublimato, & eadem opera prodit medicina, &c. Vale. Rotemburgi 2. Martii, An. 1603.

Putredinis introductæ ratio.

Sulphur solutum cum Mercurio ad cancrum.

EX LITERIS

Viri Clariss. & Excell.

DN. MARCI WIDEMANNI,

Med. D. Physici Reipubl. Ysnensis,

Ad

GREGOR. HORSTIUM, D.

SAL. &c. Si diutius te morari fas est, adscribam, quæ Clariss. *Dn. D. Abrahamus Boxbarter, Sympatriota meus, Reip. Windsheimens. p. t. Physicus*, hisce diebus ad me scripsit! Ac nunc ecce! inquit, grassatur apud nos inter cives passim lues quædam Epidemica contagiosa, quâ ultra 70. homines jam infecti sunt. Symptomata eadem planè sunt, quæ Luis Moravicæ, à Thoma Jordano quondam descriptæ. Nam à scarificatione omnes hoc malum contraxêre, pustulis primùm in cucurbitularum sedibus obortis lividis, latis, crustaceis exedentibus, dolentibus quibusdam, nonnullis verò indolentibus. Has sequuntur lassitudo totius, articulorum dolores, cephalalgiæ nocturnæ, ulcera magna phagedænica, gummata, dolores ὀστοκόποι, tubercula, oris inflammationes & exulcerationes, atque summatim, quæ morbum Gallicum comitari solent, ferè omnia. Rogatus ego à senatu nostro, quænam hujus mali causa esset, contagium per contactum & fomitem esse affirmavi, cùm præter hos, qui scarificatione usi sunt, nemo fuerit infectus, iique solùm, quibus in eodem balneo sanguis extractus, aut illius balneatoris operâ fuissent usi, in altero verò nemo fuerit infectus. Potest enim Scalpellum, quemadmodum alia arma, ac tela, vel malitiosè intoxicari, ut quamprimum sanguinem contigerit, venenatam qualitatem ilicò ei communicet, vel potius (cùm tàm inhumanum facinus in neminem cadere existimem) cum ab infecto ad sanum balneator transiit, eodemque scalpello, virulentâ labe adhuc sordido ipsum vulneravit, illius sanguis per contagium corrumpi, qui postquam corruptus fuit, alios etiam potuit inficere, contagio in infinitum sic serpente. Quin & fomitem contagii in cucurbitulis, spongiis, ac loris quibus acuunt scalpella, diu delitescere verisimile est, qui à calore demum motus atque agitatus, longo tempore pòst noceat. Nam quod alii causam vel iræ divinæ, vel astris, aut hominum intemperantiæ adscribunt, vel nimis communia, vel aliena mihi dicere videntur. Illud verò mirari satis nequeo, quod magna pars infectorum balneatoris fidei ac curæ sese credant, ab eoque veluti à rabioso cane aut scorpione vulnerati, remedium expectent, vel Chirurgis aut Empiricis se committant. Equidem paucos adhuc habeo, qui opera & consilio meo utuntur, rationalem Medicinam seu mentis stupore,

seu

ſeu communi vulgi errore aſpernantes. Si quid tamen ſingulare vel in curatione, ſive ſymptomatibus obſervavero, diligenter annotabo. Hactenus Dn. D. Boxbarter, amicus meus ſingularis & vetus. Hiſce vale quàm feliciſſimè. Vir Eminentiſſime, & me tibi porrò commendatum eſſe permitte. Dab. Yſnæ 10. Calend. Aprilis Anno M. DC. XXIV.

Viro Clariſſ. & Excellentiſſ.

DN. MARCO WIDEMANNO,

Med. D. & Reipubl. Imperialis Yſnenſis Phyſico Ordinario.

GREGOR. HORSTIUS, D.

SAL. Cùm brumalibus hiſce diebus in ſeligendis epiſtolis doctorum virorum ſingularibus noctium longiſſimarum tædium fallere conarer, quò tandem aliquando multorum expectationi, promiſsâ ſecundâ parte Obſervationum & Epiſtolarum ſatisfacerem, Vir Clariſſime, inter alias eruditas à te transmiſſas epiſtolas, incidi quoque in hanc, quâ caſum malitioſæ ſcarificationis refers. Quid olim in *Moraviâ* factum fuerit, ex *Iordano* tibi notum eſt: quod in *Franconia* noſtris temporibus acciderit, ex manuſcriptis epiſtolis *Libavii & Schnizeri*, quas hîc legendas communico, patet. Ex iis, quæ de lue venerea publici juris fient in Obſervationum parte ſecunda, ſingularem habebis hiſtoriam, de quodam textore, qui an. 1622. mox, ubi vocatus huc eram, inter alios conſilii cauſa me conveniebat, & de doloribus artuum nocturnis fixis ac vehementiſſimis conquerebatur, quorū gratia diverſa medicamenta fruſtrà præſcripſi, donec tandem anno ſubſequenti tophis in tibia, maximo præeunte & concurrente dolore, ſeſe manifeſtaret. Poſtquam verò cognita jam luis malignitate, cauſam & originem mali penitus inveſtigarem, æger referebat, in balneo publico ſcarificationem ſeſe (aliàs ab ineunte ætate nihil quidquam conqueſtus fuerat) adhibuiſſe, quo facto, paulò poſt locus ſcarificatus fœdis ulceribus depravatus fuerit. Balneator idipſum intelligens, ſilentium imperabat, infamiam & detrimentum rei familiaris metuens, exterius medicamentis partem exulceratam tractat & pedetentim conſolidat. Repercuſsâ verò hoc modo materiâ verſus interiora, protinus lues interius indicatur, doloribus nocturnis atque fixis primùm, poſtea tophis etiam dolorificis ſeſe cum aliis ſignis manifeſtans, ut non aliter, quam appropriata morbi Gallici curatione reſtitueretur; quemadmodum pluribus patebit in meis Obſervationibus. Hanc infectionem abſque malitia, caſu potius, quod inſtrumenta ſcarificationis cuidam infecto fortaſſis inſcienter adhibita fuerint, ſubſecutam facilè credo: non autem veriſimile videtur, Winshemii quoque ſimilem fuiſſe infectionis modum, ob multitudinem plurium ſimul atque ſemel infectorum. Benè vale, nec non rationibus tuis me delectare perge. Scrib. Ulmæ 8. Decemb. 1627.

MARCUS WIDEMANNUS,

Med. D. & Phyſicus Reipubl. Imperial. Yſnenſis.

GREGOR. HORSTIO, D.

S. P. D.

MAgnæ mihi voluptati fuit, Clariſſime ac Excellentiſſime Vir, Dn. Fautor & Amice omni obſervantia colende, cùm ea, quæ ad me ſcribis, tùm quæ ex *D. Libavii & D. Schnizeri* m. ſ. epiſtolis mihi communicaſti, legiſſe. Mirum ſanè eſt, eundem quaſi affectum, tàm longè ſeparatis in locis, eodem ferè invaſionis modo, ſuppullulaſſe, quo *Brunnogallicus morbus* in Moravia primùm viſus & à *D. Th. Iordano* olim deſcriptus fuit. Omnes enim illi, quorum Jordanus, tu ipſe, Schnizerus & Boxbarterus mentionem facitis, poſtquam ſcarificatione uſi eſſent, ſimili ferè labe tentari cœperunt, Præcipua autem illius ſymptomata hæc fuere; puſtulæ & ulcera maligna ac fœda, primùm in ſcarificatis locis erumpentia, toti poſtea corporis habitui communicata, artuum dolores vehementes, fixi & noctu potiſſimum ingraveſcentes, eorundem laſſitudo ac debilitas, & alia multa, quæ Luem Veneream aliâs conſequi ſolent. Cui Lui malum hoc affine fuiſſe, præter enumerata ſymptomata, illud evincit, quod non aliter, quàm appropriatâ Luis Ven. curâ, eradicari potuerit, ut ex tuis & Schnizeri literis videre eſt, quibus conſentit ipſe *Iordanus*, qui totius hujus mali curam in ſudoris evocatione poſuit, ut & *Crato lib. 2. Epiſtolarum Medicinalium.* De *Boxbarteri* methodo nihil habeo dicere, cum ante biennium ex hâc vitâ exceſſerit, ideoque quomodo ægros ſuos curârit, mihi cognoſſe non licuit. Originem infectionum harum (à *Dn. Schnizero* recenſitam excipio) indaganti, hæc mihi cauſa ſeſe offert, quod ſcilicet ſcalpella, quibus balneatores illi ad ſcarificandum uſi fuére, infecta fuerint ſanguine, ichore, aut vapore alicujus morbo Gallico laborantis, cui primùm hi ſcarificando ſanguinem elicuere, & ad alios deinde, ſimile exhibendo miniſterium tranſivere.

Quod inde clarè, ut reor, elicitur, quod omnes hi primò ſani, quotquot ſcarificationibus his uſi ſunt, ſtatim, vel paulò poſt, in locis ſcarificatis ulcera illa primùm, ac deinde ſuccedente tempore reliqua accidentia pati cœperunt, atque ii, qui à ſcarificatione abſtinuerunt, priſtinâ in ſanitate perſtitere. Miratu autem dignum eſt, in textore Ulmenſi malum ſolo conſtitiſſe, nec alios, qui idem balneum ingreſſi erant, & abſque dubio ſcarificationem admiſerant, invaſiſſe, cum Brunnæ & Windshemii omnes (quorum magnus fuit numerus) in balneis illis ſcarificati æquè infecti fuerint, quod de iis, quos *D. Shnizerus* recenſet, ſuo tamen modo, etiam ſuſpicor. Illud tamen conſideratione non indignum eſt, quod Lues Brunno gallica à Solſtitio hyemali uſq; ad Æquinoctium Vernum duravit, reliquæ certum permanſionis

tempus non habuêre. Volupe verò mihi erit, si vixero, videre ea, quæ tu ipse de hac materiâ in secundâ parte Observ. & Epistolarum recensebis: ibi enim veras cognoscam causas omnium horum eventuum quos ut observemus, operæ est pretium. Infectio tamen, cujus *D. Schnizerus* meminit, simpliciter malitiosa fuit, ut ex confessione balneatoris patuit: an Brunnensis & Windshemensis ex balneatorum malitiâ prodierint, dubitari adhuc posset ex eo, quod Brunnæ, post diligentem Magistratus inquisitionem, Adamus balneator innocens repertus fuerit, & Windsheimii ne suspicio quidem ulla veneficii orta sit. At plures simul atque semel infecti fuêre? id fieri potuisse reor, quod eodem phlebetomo, sive telo plurimi, consequenter unus post alium, scarificati malum hocce haurirent, ex eodem quippe fomite, lue in plures sese diffundente. Quomodocunque verò sese habeat res, sive ex veneficio, sive contagio scalpelli (ichore venenato infecti) ortum sit malum, essentia ac symptomatibus idem videri potest fuisse, ac curatione eadem, eâ scilicet, quæ Gallicæ lui debetur, expugnari potuisse, ut supra etiam innui. Et hæc habui, Vir Clariss. quæ raptim in hac materia, ad tuas rescribere potui, quæ si tibi probabuntur, operæ pretium fecisse mihi videbor, sin minus, animi mei promptitudinis signum tibi sunto. Vale. Hic verò annus, cum ad finem vergat, sequentem lætis auspiciis tibi inire, lætioribus progredi, lætissimis exire, ac sæpius semper feliciorem recurrere ex animo precor. Feliciter omnia, quæ sub manibus habes, (ut priora, Medicæ Reip. commodo hactenus publicasti) prodire voveo; nec dubito, quin optimam gratiam, cùm apud nunc viventes, tùm omnem posteritatem initurus sis, quod omen in aliis meis literis etiam legisti, non vanum, ut spero. Dab. Ysnæ, 17. Decembr. Ann. 1627.

OBSERVATIO II.

De Sectione Scroti in Icterico & hydropico, ubi multa singularia proponuntur.

VIR Nobiliss. ac Strenuus N. N. per triennium circiter Ictero laborans, quotidianis alvi obstructionibus, bile stimulante per habitum corporis dispersâ, vexatus, aliàs quoad ætatem annorum 26. medicam implorat opem. Huic sub Maij finem Anno 1623. communicato consilio cum Dn. Collega *D. Sebastiano Stromajero*, post primas vias evacuatas, digestionis ergò *decoctum galli decrepiti*, ad imitationem *Quercetani* præscribitur, unà cum pulvere digestivo, qui

Digestio prima.

℞. *Cremoris Tartari* ℥iij.
Faculæ Bryon. ℥ij.
Magist. corall. rub. Margar. an. ℨj.
M. & divide in 14. partes.

Hoc modo per dies 14. digestione instituta, consequenter usus pillularum sequentium ordinatus fuit, quæ

Evacuatio

℞. *Extr. pill. sine quibus cochiar.*
Cathal. Theoph. ana ℈ß.
Mercurii Crystallini ℈j.
Ol. succini gutt. iiij.
Cum aq. Fumar. F. pil. communes & deaurentur.
Sign. Pillulen auff einmal.

His mense Junio vicissim repetitis, parum vel nihil affectus radicatus & contumax remittere visus fuit, qua de causa Nobilissimus patiens consilium petiit, *quò ad usum Acidularum* Uberkingensium, quas eidem denegare non potuimus, eà propter, quod in contumacibus viscerum obstructionibus plurimum valeant. Ut autem earundem operatio tantò felicior esset, per octiduum vinum laxativum, cum ℨß *Cremoris Tartari*, quotidiè quantitate ℔ß. concessimus, quod

Præparatio ad potum acidularum.

℞. *Flor. Borrag. bugl. samb. prun. sylv. ana* Pj.
Herb. Agrim. Centaur. min. Card. ben.
Scolopendr. summit. Absinth. ana Mß.
Fol. Senæ Alex. purg. opt. ℥jß.
Rhab. el. ℨiij.
Rad. Scorzon. Pæoniæ ana ℨiij.
Brusci, Asparagi, Fœnic. an. ℥ß.
Sem. Anisi, Fœniculi ana ℈ij.
Passul. min. ℥jß. *Cinam. ac.* ℨij.
Incisa & contusa M. ad sacculum.

Præmissâ præcedenti evacuatione, statim ad usum acidularum bibendo continuandum accessit æger, cujus operatio, cum per alvum segnior esset, aliud infusum, simul alternis diebus usurpandum, ordinatum fuit, quod

Infusum chalybeatum.

℞. *Flor. Viol. Bor. Bugloss. ana* Pj.
Herb. Agrimon. Endivia.
Eupatorij Scolopendr. ana Mß.
Fol. Senæ s. s. ℥jß.
Rad. Fœnic. Apii, Petrosel.
Passul. minorum ana ℥iß.
Sem. Anisi, Fœnic. ana ℈ij.
Chalybis cum Aceto pp. ℨiß.
Incisa & contusa dentur in sacculo pro vino.

His per menstruum spatium usurpatis, affectus Ictericus antiquum obtinebat, quâ de causâ naturæ negotium aliquandiu fuit commissum, donec Autumnali tempore patiens nos certiores redderet, quod *suspicionem habeat de malignitate quadam in exteris regionibus tempore peregrinationis contracta*, quam suspicionem augebant *tubercula, verrucarum instar,* ingenubus, in extremitate ulnarum, & circa regionem ossis sacri in dorso copiosè germinantia, quorum color ex albo flavescens, superficies lævis & consistentia dura percipiebatur. Cùm autem ob *induratum jecur*, quod tactus confirmabat, non tantum *tenuis*, quam vesicula biliaria separat, sed etiam *crassabilis*, quæ alias immediatè per porum bilarum ad intestinum duodenum ablegatur, in sanguine remaneret, idque tanto temporis spacio, protinus statui, tuberculorum istorum materiam esse bilem crassiorem,

Tubercula verrucarū instar in certis partibus.

Eorundem causa.

rem, cum sanguine tenaciori, quem partes tendinosæ pro nutrimento trahant, conjunctam. Hinc de *Ligni decocto* cogitare cepimus, utpote cujus beneficio mesenterii & ipsius jecoris contumaces obstructiones incidendo, attenuando, detergendo & evacuando, procedente tempore, corrigantur, non sine viscerum corroboratione, quam adstringens amica qualitas, in cortice plurimum abundans, præstat. Quo autem felicior expectanda sit operatio *Decocti Ligni Guajaci cum Corticibus*, optimè præparandam & evacuandam esse putavimus illam materiam, quæ circa mesenterium radicata videbatur. Digestio talis fuit.

℞. *Magist. Tart. vitriolati* ℥ij.
Feculæ Aronis. Bryon. ana ℥j.
Magist. corall. rub. ℥jß
M. ac divide in 8. partes, singulis diebus cum decoctione rad. cichorei sumendas.

Hanc digestionem sequebatur *sequens purgans*, quod

℞. *Extr. Panchymagogi Crollii.*
Mercurii Crystallini vel dulcific. an. ℈j.
Diagryd. præp. cum ol. Fænic. & Spir. vitrioli gr. vj. F. cum Syr. de pomis pil. num. 9.
Sign. Pillulen auf einmal.

Tanta vero fuit Meseraicarum & ipsius Jecoris obstructio, ut evacuationes ad votum, & pro ratione qualitatum purgantium non responderent. Hanc ob causam circa finem Octob. ad *Ligni decoctum* accessimus quidem, ita tamen ut additione *Sulphuris Aurati diaphoretici* vim aperientem attenuantem, & discutientem augere conaremur hoc modo.

Ligni decoctum ordinatum.

℞. *Ligni Guajacini* ℔j.
Cort. ejusdem ℥iij *F. decoctio in lib. xvj.*
Aq. coq. ad tert. pro sudorifero.
℞. *Reliquias, adde liquirit. rasæ* ℥j.
Sem. Fæniculi, Anisi.
Cinam. ac. ana ℥ij.
F. decoctio in lib xx. Aq. pro potu quotidiano.

Effectus usurpati decocti.

In exhibendo haustu sudorifero, semper matutino tempore *Sulphuris Aurati diaphoretici. gr. x* addidimus, quibus continuatis per octiduum, tensivus infimi ventris dolor subsecutus fuit, donec eodem remittente *materia tenax subcineritia, picis instar copiosè per alvum* rejiceretur, ubi naturam eò magis adjuvandam esse duximus usu clysteris, frequenter adhibito, pro cujus confectione sequentia transmissa fuerunt.

℞. *Rad. Althea, Lilior. alb. an* ℥ij.
Fænic. Eringii, Petrosel. an. ℥j.
Herb. Parietar. Mercurial.
Veron Fumariæ an. Miij.
Flor Chamæmeli Sambuci an. Mij.
Sem. Cicer. rub. ℥iij.
Fænic. Anisi, Cumini ana ℥j.
Ficuum num xx. Passul. min. ℥iij.
Incisa dentur. f. Kräuter zum Clystier auff 4 mal.

℞. *Elect. Hiera* ℥iij.
Bened lax. ℥ij. *M. f.*
Latte erg zum Clystier auff 4. mal.
℞. *Mellis rosati colati* ℥iij.
℞. *Ol. Chamæmel. Amygd. dulc. Anethi an.* ℥ij.
Terebinth. Ven. ℥j. *M. f.* Oel auff 4. mal.

Hoc modo continuato decocto Ligni cum additione, subinde simul clysteribus adhibitis, non tantùm peccans materia per alvum egregiè fuit evacuata, sed, remittentibus hypochondriorum doloribus, *color Ictericus* etiam eò usque discussus fuit, ut extuberantiæ circa genua & alias partes etiam emollirentur, & plurimum minuerentur, ita ut spes restitutionis plenioris nobis fieret. *Sed quid fit?* circa finem Novemb. rescribit æger, de novo *Colorem Ictericum* totum corpus invasisse, qua de causa *balneum sudoriferum* præscribimus, ad reliquias ex morbo discutiendas, quod

℞. *Herb. Agrimon. Saponar. Malvæ.*
Meliloti, Mercurialis ana Mx.
Origani, Arthemb. Chamæmeli cum toto.
Hypersconis, Fumar. Serpilli, Scabios. ana Mvj
Centaur. min.
Cort. Samb. Ebuli. ana Miij.
Bacc. Iuniperi, Rad. lili. alb. Alth. ana ℔j.

Recidiva ex nova bilis illuvie.

Incidantur grosso modo pro decoct. ad balneum sudoriferum. Verum, cum potius *Icterus* usu prædicti remedii magis augeretur, invadente simul calore præter naturam affligente, protinus statuimus, non à reliquiis in habitu corporis remanentibus, sed ex nova bilis effusione recidivam vehementem adesse, præsertim cum insuper etiam certiores fieremus, ægrum per septimanas aliquot genio vicissim inordinata vita, potationibusque concurrentibus, indulsisse. Quocirca mox, intermissis balneis sudoriferis, *intemperiem calidam alterandã* esse putavimus, loco vini, *decoctum radicum Acetosæ, cum Cornu C. usto* præscribendo, sicut etiam usum *brodii decoctionis radicum Cichorei*, nec non syrupum, qui

℞. *Syr. Granat. dulc.*
Citri ana ℥iij.
Corall. ℥ij. *M.*

Conditum quoque sequens commendabatur, quod

℞. *Conf. rad. Cichorei, Rosar. an* ℥iij.
Magist. Corall. ℥ß.
Syr. corallini q. f. M pro Elect. molli, & adde Spir. Vitrioli q. s. ad jucundam aciditatem.

Hæmorrhagia contumax subsequẽs.

Usurpatis his, calor & sitis nihilominus ad Martium 1624. usque perseverârunt, fortè quod sanguis penitus à bile vicissim copiosè genita, non per vias ordinarias secretâ, fervens fieret, unde circa 1. Martii *vehemens hæmorrhagia narium* patientem prehendit, sanguine copiosè, maximam partem bilioso, per intervalla non admodum magna, usque in tertium diem profluente. Quarto Martii vocatus adsum, ubi stillicidium sanguinis circa vesperam vicissim oriebatur. Cum autem partim acrimoniâ sanguinis, partim retentricis facultati-

Causa istius hæmorrhagiæ.

imbecillitate symptoma hoc fieret, mox ad sequentia remedia (cum vulgaria, sanguinem alias sistentia præsidia, nihil quicquam conferrent) progressus sum, facto tamen prognostico, *vel viribus resolutis ægrum brevi periturum, vel hydropem subsecuturum*. Exterius autem protinus *Compositum Sperniolæ* cum Aqua spermatis ranarum dissolutum temporibus, fronti, cavitatique narium: interius *Laudani Opiati cum Magisteriis gr. vj.* adhibui, quibus inclinatio ad somnum, & hæmorrhagiæ remissio procurata fuit, quanquam totaliter nondum sisteretur. Hinc igitur 5. Martii *fervorem massæ sanguineæ temperare* conabar, ordinato primum Enemate, quod

Ad temperandum fervorem sanguinis.

℞. *Rad. Cichorei. dentis leonis ana* ℥jß.
Herb. Acetosæ, Endiviæ, Cichor. an. Mііj.
Flor. Chamameli, Rosarum ana Mjß.
Sem. 4. frig. major. an. ℥ß. *Incisa dentur. s.*
Kräuter pro decocto aliquot Enematum.

℞. *Elect. Hieræ. s.* ℥iij *f.*
Lattwerg zu 6. Clystieren.

℞. *Ol. Violar. Chamamel. ana* ℥ij. *M.*
Sign. Oel zum Clystieren.

Ad vires roborandas.

Virium gratiâ maxime conferebat Aqua perlata, quæ sequitur.

℞. *Aq. Cichorei. Acetosæ, an.* ℥vj.
Ceras. nigr. ℥jß.
Magist. Corall. rubr. ʒjß.
Margar. ʒß.
Confect. Manus Chr. perl. ℥jß. *M.*

Ad sitim & calorem.

Sitis & caloris temperandi gratiâ, decoctum rad. Cichorei cum syrupo corallino, acetosit. citri & similium concessimus, Cum autem subinde *stillicidium sanguinis* vicissim oriretur, circa vesperam ejusdem diei secundâ vice *Laudanum Opiatum prædictum gr. vij.* exhibui, post cujus usum sanguis sistebatur, & somnus per vices subsequebatur.

Hoc modo horribili symptomate correcto, domum abituriens, consilium sequens sub dato 7. Martii 1624. Nobiliss. ægro relinquebam, nimirum *Sanguinis hæmorrhagiâ jam correctâ, nec non viribus quodam modo recollectis, eò potissimum esse respiciendum: 1. ut naturæ per corroborantia succurratur: 2. alvus quotidiè laxa retineatur: 3. intemperies jecoris, Lienis, totiusque massæ sanguineæ alteretur, materia peccante, quantum fieri potest, per vias urinarias ablegatâ: tandem 4. gravioribus accidentibus convenientibus remediis occurratur.*

Indicationes in futurum.

Ad 1.

Quoad primum, victus ratio plurimum præstabit, cibos bonæ digestionis non admodum calidos, nec etiam acres adhibendo, *quo pertinent brodia* gallinarum, caponum, solitariè, vel cum ovo dissoluto, decoctum hordei excorticati, decocta prunorum, pisorum, carnis vitulinæ, bovinæ &c. *de carnibus* eligantur gallinæ, caponis, vitulorum, agnorum, tàm elixando, quàm molliter assando præparatæ, *quoad obsonia* prunellæ Italicæ, poma exiccata, pruna Damasc. hordeum excorticatum, & similia convenient. *Ova* quoque sorbilia non nocebunt, sicut etiam ex *piscibus* funduli benè cocti. cum brodio recentis butyri. *Potus* quotidianus sit decoctum Rad. Acetosæ, cum C. C. usto præparato, cui permutationis ergò *decoctum Rad. Tormentillæ* substituatur; interdum quoq; *decoctum Rad. Petroselini* cum Sacch. dulcoratum bibatur.

Ad evaporationes calidas adscendentes reprimendas commodùm quoque succurret usus decocti sequentis, quod ℞. *Sacch. optimi* ℥vj. *Coq. in mensura aquæ ad 4. postubi ab igne removetur, adde mali citrei partem dimidiam incisam:* interdum eadem intentione *conserva rosarum vitriolata cum decocto acetosæ* diluatur: vinum vero penitus vitetur.

Ad 2.

Quoad secundum: ut alvus aperta quotidiè retineatur, alternis diebus reiterabitur commodè Clyster leniens, emolliens & modicè refrigerans *ex decocto Rad. Cichorei, acetosæ, malvæ, meliloti, flor. Chamæmeli: &c. cum* ℥ß. *Elect. Hier. S. & Ol. humectantibus, ac vitell. ovorum num. ij.*

Ad 3.

Quoad tertium, temperandi jecoris, lienis, totiusque massæ sanguineæ causâ quotidiè bis assumatur *brodium decoctionis radicum Cichorei*, cui majoris corroborationis gratiâ, vel *magisterii Corall.* ʒß. *vel cons. Rosar. vitriol.* ʒß. vel aliquid *Syrupi acetos. citri, granat. acid. & dulc. Rob. Ribes; &c.* addatur, eò tamen respiciendo, ne saporis aciditate excedente tussis commoveatur.

Ad 4.

Quoad quartum, peccantis materiæ deductionem per vias urinarias, promovebit decoctum *Rad. Cichorei, Fæniculi & Petroselini*, partibus æqualibus apparatum. *Tandem recidivæ*, quàm Deus prohibeat, quoad hæmorrhagiam, succurret interiùs usus *Laudani Opiati*, exteriùs verò *compositum Sperniolæ* cum Aq. Spermatis ranarum dissolutum, tàm ad regionem jecoris, quàm ad frontem & tempora cum linteis, epithematis forma, adhibitum. *Contra virium lapsum Aqua cordialis* cum Magisterio Corallorũ & perlarum in promptu sit. *Contra linguæ siccitatem* succus cancrorum cum Aq. Plantag. & sempervivi expressus, tum etiam mucilag. seminis cydoniorum in Aq. rosarum extracta, mox aq. prunellæ cum nitro præparato vicissim absterſa, conveniens erit. *Exterius* pulsibus & regioni cordis frequenter *Aq. Odorifera Fuchsii*, pauxillo Aceto rosaceo mista, cum linteis adhibeatur: *Circa renes* Unguentũ rosatum camphoratum, cum oleo amygdalarum dulcium, & Chamæmel. permixtum, ad præcavendum dolorem nephriticum inungatur.

Ad alvi obstructionem, oris exiccationem & tussim siccam.

Hac instructione post me relicta, paulo post certior fio, vires quidem mediocriter vicissim esse recollectas, sed imminente, *quotidianâ alvi obstructione, tum etiam oris exiccatione, tussisque inanis continuatione* plurimum affligente. Cum autem fieri non possit, quin biliosis excrementis non per consuetas intestinorum vias rejectis, sed toti massæ sanguineæ commistis, absente stimulo facultatis excretricis, natura segnior in expellendo reddatur, ideo præter Enemata, diebus alternis adhibita, Vinum quoque laxativum circa 13. Martii 1624. ordinavimus.

℞. *Rad.*

℞. *Rad. Helenii, Ireos, Calami arom. an.* ℥ij.
Polyp q. Glycyrrh. an. ℥iij.
Fol. Senæ s. s. ℥x. *Agar. troch.* ℥iij.
Rhab. el. Turbith. ana ℥jß.
Herb. centaur. min. Melissæ.
Prasit. ana Mß.
Sassafras ℥ß.
Sem. Chartami pon ℥iij.
Fænic. ℥j.
Tartari purificati ℥iij.
Galangæ, Zinzib. Cinam. ac ana ℥ß.
Passul. min. ℥x. *Incisa & contusa dentur pro Mens.* jß. *Vini.*

Hoc infuso per dies aliquot, unà cum enematibus intermediis, usurpato, natura quidem alvinam regionem exonerare voluit, relicta interim *jecoris induratione*, tactui quoque satis occurrente; simul ob sanguinis biliosi qualitatem alienam, *ἀτροφία totius, quotidie magis adaucta*. Rursus igitur advocatus 15. Martii, ad jecoris dispositionem præter naturam corrigendam ordino *linimentum & Emplastrum*.

Jecoris induratio.

Ἀτροφία totius.

℞. *Vnguenti Rosati Camph.* ℥ß.
Ol. Amygdal. dulc. Chamæmel. ana ℥j.
Pulv. santali rub ℥jß.
Flor. rof. rub. Mß.
Aq. Ros. ℥jß. *Decoq. lente igne*, coletur & exprimatur. S. Leber-salben.

℞. *Ceroti Santalini, Infrigidentis Gal. an.* ℥jß.
Myrrhæ. Mastich. ℥j.
Fl. rof. rub. an. Mß.
Chamæm. el.
Sum. meliloti ana Pij.
Camphoræ ℥ß.
Pulverisatis pulverisandis, cum cera & resina, addito oleo Rosato F. emplastrum extensum Corio ad regionem hepatis. S. Leberpflaster.

Tussis molestissimæ causâ, *Rotulas* ordinavimus, quæ

Contra tussim molestam.

Troch. sci de Rad. Ireos.

℞. *Rad. Ireos Florent* ℥ij.
Liquiritia rasæ ℥j.
Aq. Fænic. Scabiosæ ana ℥ij.
Fl. papav. errat. Rosar. ana ℥j.
F. decoctio in duplici vase ad tertias, coletur, & in colatura dissolve Sacch. Cand. ℥vj.
Penid. ℥iij. *lento igne inspissetur, & adde Pulv. Rad. Ireos* ℥j.
Tragac. in Aq. Rosar. fol ℥j.
Marg prap. ℈j. *F. Trochisci.*

Permutationis gratia insurpet interdum Syrupum pectoralem, qui

℞. *Syr. fl. papav. errat.* ℥vj.
Extr. Glycyrrhizæ ℈jß. *M.*

Interdum cum brodio decoctionis hordei excorticati sumat de Elect. pectorali, quod.

℞. *Looch sani & experti* ℥jß.
de portulata ℥j.
Syr. viol. ℥ß.
Spec. diaireos s. ℥jß. *M.*

Revulsionis gratia *balneum pedum* instituebatur, quod decoquebatur cum

Herb. Acet. End. an. Mvj.
Plant. Salv. ana Miij.
Flor. rof. rub. Mij.
Chamæmeli Mjß.
Rad. Bistortæ, Tormentillæ ana ℥jß.
Incisa Sign. Kräuter zum Fußbad.

Imò exteriùs etiam *Vnguentum & Emplastrum* ordinabatur ad regionem pectoris, quod

℞. *Vnguenti Pectoral. Aug.* ℥ij.
Ol. Violarum, lilior. alb. an. ℥jß.
Ceræ parum F. linimentum.

quo usurpato, mox *Emplastrũ de Meliloto* apponebatur.

Interdum cum prædictis syrupis pectoralibus *Balsamus Sulphuris Terebinthinatus*, interdum *Ol. Anisi*, & similia permiscebantur. Verùm parum vel nihil his ipsis remediis adjuvantibus, *Hydropem*, quem antea prædixeramus, præ foribus esse diximus, pedetentim ichoribus biliosis in cavitate ventris infimi collectis, & acrimonia sua sensiles diaphragmatis partes vellicando, tùm etiam copia sua pectoris angustiam producendo, tussim molestissimam efficientibus.

Occasio hydropis.

Eò igitur sub finem Aprilis respiciendum esse diximus, cum quotidiè magis totum abdomen, ut etiam pedes, intumescerent, 1. *ut materia circa mesenterium, & ipsum quoque jecur impacta, digereretur & emolliretur*: 2. *ut partim enematibus, partim purgantibus superius assumptis fortioribus evacuatio tentaretur*: 3. *ut per vias urinarias, quod superfluum, educeretur*: 4. *ut per habitum quoque corporis, quantum fieri posset, per sudorifera serum biliosum discuteretur.*

Vlteriores indicationes.

Quoad primum: ordinabam pulverem sequentem pro 12. vicibus, qui

℞. *Cremoris Tartari* ℥ij.
Essentia Martis ℥iij.
Fæc. Aronis, Bryon. an. ℥jß.
Magist. Corall. rub. ℥j. *M. ac divide in* 12. *partes.*

Hic pulvis cum decocto rad. Cichorei & Petroselini reiteretur per sex dies, quotidiè bis, quo præmisso, pro secunda intentione, diebus alternis, Enemata prioribus fortiora injiciantur. V. g.

℞. *Rad. dentis Leonis* ℥iij.
Ebuli, Cycl. Asari. an. ℥jß.
Herb. Mercurial. Agrimon. Brassicæ marinæ. Fumariæ ana M ij.
Fol. senæ s. s. ℥jß.
Fl. Genistæ, Sambuci an. Mjß.
Sem. Carui. Fæniculi, Cumini an. ℥ß.
Incisa Sign. Kräuter zu den Clystiren auff 4. mal.

 ℞. Elect.

℞. *Elect. Hieræ ſ. Gal.* ℥ij.
Caryocoſtini Gal. ℥j. *M.*
Sign. Lattwerg zu den Clyſtiren auff 4. mal.

℞. *Ol. Chamam. Aneth. an.* ℥vj. *M.*
Sign. Oel auff 4. mal.

Intermediis diebus *Electuarium purgans* exhibeatur quater, ſemper auctiori doſi, juxta formulas ſequentes.

℞. *Elect. de Tamarind. cum fol. ſenæ d. n.* ℥ij.
Extr. Rhabarb. ℈jſs.
Diacyd. luc. lax. ʒj.
Magiſt. Tartari vitriolat. ℈j. *M.*
Sign. Lattwerg. *numer.* 1.

℞. *Elect. de Tamar. cum fol. ſen.* ℥ij.
Extr. Rhabarb. ℈ij.
Diacyd. luc. laxat. ʒj.
Magiſt. Tartari vitr. ℈jſs. *M.*
Sign. Lattwerg. *num.* 2.

℞. *Elect. de Tamarind. cum fol. ſenæ* ℥ij.
Extr. Rhabarb. ℈ijſs.
Diacyd. luc. lax. ʒj.
Magiſt. Tartari vitr. ℈ij. *M.*
Sign. Lattwergen. *num.* 3.

℞. *Elect. de Tamarind. cum fol. ſenæ* ℥ij.
Extr. Rhabarb.
Diacyd. luc. laxat. an. ʒj.
Magiſterii Tart. vitriol. ℈j. *M.*
Sign. Lattwerg. *num.* 4.

Quoad tertium, non tantùm uſus *Magiſt. Oculorum Cancri*, ſed ſimul etiam potiuncula ſequens ordinata fuit, quæ

℞. *Spir. Ebuli* ℥iiij.
Aq. Fœnic. Petroſelini an. ℥viij.
Syr. de Althæa ℥ij.
Extr. Glycyrrh. ʒj. *M.* pro quatuor doſibus.

Quoad quartum: ſudorifera potio talis per quatriduum fuit adhibita, quæ

℞. *Aq. fl. ſambuci recenter per iterationem deſtillatæ* ℥xij.
Spirit. Ebuli rectific. ℥ij.
Sacch. Cand. alb. ℥ſs. *M.*
Sign. Schwitzträncklein auff 4. mal.

His omnibus diligenter adhibitis, operatio minus exoptata ſequebatur, cum ad tot digeſtiones præmiſſas, malum radicatum in meſenterio & vicinis partibus nihilominus antiquum obtineret, ita ut nec enemata, nec etiam fortiora purgantia præſcripta quidquam educere viderentur, niſi tantum ea, quæ circa primas vias à prima concoctione ſuperabundantia per congeſtionem quotidie coacervabantur. Hinc ergo non mirum, quod etiam diuretica, licet alias ſatis efficacia, nihil quidquam efficerent, intercluſis videlicet viis intermediis. Aliquandiu igitur naturæ quietem concedendo, virium roborandarum gratia, *ſæpius Elix. Proprietatis Parac gutt. vij. vel viij* cum liquore quodam appropriato, *ſæpiùs conſ. roſ. vitriolata cum Magiſt. Corall. & perlarum*: ſæpius etiam tragema ſumebatur, quod

℞. *Spec. Diarrh. Abb. diatrion ſant. an.* ʒjſs.
Pul. roſ. rub. ʒj. *Sant. alb. rub. an.* ʒſs.
Corall. rub. prap. C. C. uſti prap. an. ℈j.
Sacchar. roſ. tabul. ℥iij. *M. F. Tragæa.*

Cum autem cutis undique non tantum bilioſo colore ſaturatè tingeretur, ſed ſimul etiam moleſtiſſimo pruritu laboraret, ubi frictione leviſſimâ factâ, primò ſerum bilioſum, mox bilioſus ſanguis egrediebatur, idcirco præcautionis ergò, ne periculoſa narium hæmorrhagia propter ſanguinis bilioſi acrimoniam, jecoriſque debilitatem rurſus oriretur, Venæ ſectionem inſtituimus, ſaphænem pedis dextri aperiendo, quo facto, laborans non parum levaminis percipiebat. Non autem levamen iſtud diuturnum eſſe poterat, magis, magiſque pedetentim abdomine, pedibuſque intumeſcentibus, quam ob cauſam interius Tragæam ſequentem ordinavimus loco prioris, quæ

Venæſectio quo fine adhibita

Tragæa hepatica.

℞. *Spec. Dianiſi* ʒjſs.
Diagalangæ ʒj.
Diacurcumæ ʒſs.
Sem. Aniſi, Fœniculi. carui ana ʒjſs.
Coriandri prap. ʒij.
Galangæ. Cinamomi ana ʒj.
Magiſt. Corall. rub. ʒjſs.
Sacchari roſ. tabul. ℥viij.
M. F. Tragæa ſ. Triet.

Digeſtionis gratia continuabatur quotidiè bis lixivium ſequens, quod hoc modo præparabatur.

Lixivium contra hydropem.

℞. *Herb. Abſinth. Card. bened. Agrimon.*
Soldanellæ, geniſtæ cum toto, ana Miiij.
Rad. Ononiæ Petroſ. Eryngii. Aſpar. ana ℥iij.
Iuniperi ſummitatum cum toto Mviij.
Comburantur & ex cineribus F. lixivium ad ℔ij. *adde ſyr. de Althæa.*
De 5 *rad. ana* ℥iij.
Spir. ſalis ℈iiij. *Doſis* ℥v.

Hoc præmiſſo per dies aliquot, inſtituatur evacuatio per uſum

Elect. Carycoſtini ℥iij.
Diacyd. laxat, de gutt. gamand. ʒjſs. *M.* pro doſi

Quibus peractis exterius abdomini *Cataplaſma* ſequens adhibebatur, quod

℞. *Herb. Abſinth. Agrimon. Soldanellæ ana Miij.*
Fl. Chamameli Roſar. rubr ſpicæ celt. an. Mj.
Farinæ ſem. lini, Fœnugræci ana ℔j.
Sem. Aniſi. Cucumi. Carui.
Baccar. Lauri ana ℥ij.

F. Pulvis per cribrum, poſtea cum oleo Anethino, Chamæmelino, & Unguento Ebulino F. cataplaſma. *Intumeſcentiæ Scroti*, per tempus aliquod ſuccurrebatur inunctione, quæ

℞. *Empl. de Baccis lauri* ℥jſs.
Ol. anethini, ſambucini an. q. ſ.
F. linimentum.

Cata-

Cataplasma quoque singulare post inunctionem tale fuit:

℞. *Farinæ Hordei. Lupinorum.*
Fænugræci, Lini, ana ℥ß.
Cumini, Myrrhæ.
Fl. Sambuci ana ℥ij.
Mellis rosati
Ol. Scorpionum, Anethini
Rosarum ana q. s. F.
Cataplasma ad Scrotum.

Loco Cataplasmatis, interdum etiam *sacculi in vino & aqua decocti* præscribebantur

℞. *Cort. Ebuli. Miij.*
Herb. Agrimon. Veronicæ, Rutæ, Hederæ terr. an. Mj.
Rad. Asari, Aristol. rot. Vincetox. an. ℥vj.
Sem. Fœniculi, Cumini, un. ℥j.
Fl. Sambuci Genistæ, an. ℥vj.
Fiant Sacculi interpastati duo.

Quanquam verò nunquam non æger Nbilis. præscriptis medicamentis diligenter uteretur, parum tamen levaminis inde sequebatur: Imò semper in pejus omnia vergebant, non tantùm abdomine, sed ipso quoque scroto, pedibusque plurimum intumescentibus. *Quo circa prognostico facto, restitutionem in integrum ob viscerum corruptelam, impossibilem futuram esse diximus*: diutius tamen, & non absque gravativi doloris, aliorumque symptomatum remissione, Nobilis. ægrum vivere posse statuimus, si *scroti fiat apertio*, in quam æger eò citiùs consentiebat, quò magis Clariss. *Dn. D. Iacobum Eckoldum*, tunc temporis etiam præsentem, eò etiam me cum inclinare videbat. Factum igitur fuit bono omine 11. Jun. 1626. ut circa partem inferiorem, in dextro latere, per scalpellum à Joh. Jacobo Merckio, Lithotomo peritissimo, fieret apertio, subsequente fluxu aquæ instar loturæ carnis ad mensuras ii. Hinc flatus ingentes, dolor tensivus immanis, & alia accidentia mox remittebant, ut æger Orci faucibus ereptus sibi videretur. Exterius *Emplastrum ex Lithargyrii, aceti & olei rosati* mixtione convenienti, propter excoriationem & imminentem inflammationem, commodum fuit adhibitum, foramine sectionis per turundum aperto retento, per quod magna copia seri biliosi profluebat. Hoc modo dolores vehementes abdominis remittebant, pedibus tamen nihilominus ad miraculum usque intumescentibus, ut quibus vesicæ subortæ, suâque sponte disruptæ, copiosum quoque serum effundebant. Hinc igitur scarificationes, diversis temporibus, in tibiis instituimus, ubi pedetentim ita successit evacuatio, ut æger, quem antea sex viri robusti vix de lecto in lectum suscipiendo promovebant, vicissim absquè adminiculo per hypocaustum ambularet, ferè ad maciem usque pedibus detumescentibus. Quanquam verò ventris tumor hydropicus non remitteret, nihilominus vires aliquo modo vicissim colligebantur, appetitus ad cibum constans per-

Scroti apertio feliciter tentata.

Scarificatio in pedibus.

Eventus.

manebat, cibos varii generis, laudabiles & illaudabiles, inprimisque fructus æstivos, copiosè ingerebat, nec non serum lactis caprini ad satietatem usque bibebat, & hoc modo laborans per Julium, Augustum, Septembrem, Octobrem, Novembrem, & maximam partem Decembris vivebat, adhibitis tantùm iis, quæ quotidianam alvi excretionem adjuvabant, donec tandem sub finem anni 1626. subitò vitam cum morte permutaret. Etsi verò nihil magis in votis mihi fuisset, quàm præsentem viscerum internorum constitutionem per artificiosam sectionem exactiùs cognoscere, quia tamen propter distantiam loci idipsum fieri non potuit, per Chirurgum astantem *Ioh. Iacobum Kielkopff Geislingensem* certior factus sum, sub dato literarum 28. Decembr. quod primo leviter aperto abdomine *serosi humoris biliosi mensuræ Wirtembergicæ decem* extractæ fuerint, ubi postea *jecur scirrhosum & induratum* in conspectum venit, nec non exuccum, instar ligni putredine consumpti, **die Leber gantsz hart gewesen / darein zuschneiden / wie een faul Holtz** / *lien verò mollior* fuit, **das Miltz gar weich** / cujus beneficio sanguificationem loco jecoris qualemcunque adhuc per istud temporis spatium factam fuisse reor, adeò ut hæc lienis constitutio non p. n. talis inventa fuerit, *venæ mesaraicæ quasi glutinosâ materiâ repletæ*, **die kleine Krosadern beschaffen befunden / darinnen wie ein Hartz** / circa quas *thrombi sanguinis concreti*, quos ad ulnam unam atque dimidiam extrahere potuerunt.

Anatomia post mortem.

Ex dictis dubia quædam oriuntur: *Mirum enim primò, quòd purgantia fortiora parum sæpius operatione suâ præstiterint?* An quòd nihil aliud, quàm primarum viarum contenta tantùm adorirentur, viis intermediis à coagulata viscida tartarea materia penitùs infarctis. II. *Mirum, quod optatâ operatione, post adhibitam ligni curam, succedente, brevi temporis spatio recidiva gravior ex nova bilis effusione subsecuta fuerit?* An quia jecur scirrhosum erat, adeoque lien sanguinem multa bile scatentem producebat, quemadmodum ex sequenti observatione quoque patebit? III. *Mirum quod diuturna & copiosa hæmorrhagia toties recurrens levamen aliquod attulerit?* An quia tota massa sanguinea deonerabatur hac ratione copiosissimæ bilis causa sibi permistæ? IV. *Mirum quomodo materia sanguinis, mesenterio penitùs obstructo, nec etiam jecore attrahente pervenerit ad lienem sanguificantem?* An quòd per vias proximiores, venas scilicet splenicas, fundo ventriculi insertas transsumeretur. V. *Mirum, quomodo cordis vires tam diu conservatæ fuerint, ipsâ sanguificatione satis illaudabili existente?* An quia chylificatio quoque vaporosa sua exhalatione cor recreat, utpotè quæ respectu subjecti laborantis valida satis fuerit? VI. *Mirum, quòd scroti sectio minus periculosa sit, quam abdominis?* An quia remotior est hæc solutio continui à principio vitali, nec etiam immediatè ex abdominis cavitate, sed transsudatione quasi per musculorum abdominis carnosam atque membranosam substantiam serum superfluum

Dubia quædam. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

hic

hic transcolatur? VII. *Tandem verò minimè mirum, quòd generosa medicamenta toties reiterata nihil quicquam præstiterint?* An eapropter, quòd confirmatus jecoris scirrhus, ejusdemque totalis induratio, cum infarctis omninò mesenterii vasis post mortem deprehenderetur?

7.

OBSERVATIO IV.

Jecur scirrhosum in Scorbutico, post vomitum sanguinis cum dejectionibus nigris lethalem, per Anatomiam deprehensum.

V*Ir consistentis ætatis, constitutione corporis melancholicus, adeoque habitu corporis squalido, strigosoque praditus, alvum habens astrictiorem, urinasque mingens biliosas saturatè, more febrientium, rubentes, frequenterque corruptionis putredinalis notas exhibentes, ructibus ventriculi, sputatione cruentâ, sanguinolentiâ gingivarum per annos aliquot afficitur, interim aliquoties alvi fluxu sanguinolento, semel etiam febri continuâ, praeunte tumore in inguine, tandemque, anno superiori, intumescentiâ ventris atque pedum hydropicâ superveniente, prehenditur. Quanquam autem convenientibus mediis, inprimisque curatione ad Scorbutum appropriatâ verno tempore decurrentis anni 1627. dicta symptomata lenirentur, ita ut per præcedentem æstatem optimè sibi valere videretur, nihilominus brumali tempore appropinquante, recidivæ signa sese ostentabant, donec sub finem anni currentis subitò vomitus sanguineus, cum dejectionibus nigris, picis instar, invaderet, quo symptomate per triduum continuante, viribus pedetentim consumptis, 29. Decembr. 1627. naturæ debitum solvit. Die subsequenti certas ob causas, in præsentiâ Dn. Doct. Antonii Rüberi, Dn. Andreæ Knoblochii, & Dn. Iohan. Danielis Dieterici, abdomen demortui aperui. Mox ventriculus & intestina inflata, nec non nigricantia, sese offerebant, interius atramento quasi sutorio oblinita: Renes & pulmones naturaliter sese habebant: Iecur totum scirrhosum ac tuberosum interius atque exterius erat nec quidquam vasorum vel sanguinis exhibebat. Lien verò triplo major, quam sæpe esse solet, optimè sanus conspiciebatur, parenchyma jecoris colore saturatè rubeo, nec non substantiâ carnosâ referens. Mesenterium satis glandulosum ac tuberosum atque crassum occurrebat, vasis mesaraicis, ob sanguinis ad partes ventriculi atque intestinorum effusionem, obliteratis.*

RESOLUTIO.

V*Ir consistentis ætatis*, trigesimum ætatis annum superans, *constitutione corporis melancholicus*, cui corporis habitus squalidus atque strigosus, ea propter accidit, quod nutritiva facultas alimento convenienti destituatur, utpotè cùm tota massa sanguinea qualitatem atrabilarem induat in talibus, unde sequitur *alvus astrictior*, quòd bilis excretionis stimulus, languente jecore, non justo modo separetur ad intestina, sed potiùs in sanguine relinquatur & aduratur: *urina biliosa*, dictam ob causam: *saturatè more febrientium rubens*, non propter calorem febrilem, sed jecoris imbecillitate reddita, cujus rei exemplum apud *Dodon.* videre licet *Observ.* 31. quâ ratione in additionibus. *l.* 1. *Arte curat. Gal. addit Akakia*, rubras urinas quoque fieri, ubi per imbecillitatem jecoris, aut venarum, serum, aut rubra sanies unà cum urinâ, emittitur: *frequenter putredinis notas exhibens*, absque tamen siti, propterea, quod scorbutica sanguinis infectio concurreret, cujus proprium hoc est, quemadmodum apud *Eugalenum* videre licet *pag.* 33. ut interdum insignes putredinis notas in urinis exhibeat, etiamsi laborantes de siti febrili nil quicquam conquerantur, & consueta vitæ munia perficiant. *Ructus* aderant *ventriculi*, scilicet inanes, hypochondriacis familiares eo tempore, quo ventriculi digestio solet absolvi: *sputatio cruenta*, tàm propter serosi sanguinis è gingivarum carne spongiosâ separationem, quod massæ sanguineæ serum cruentum, ob imbecillitatem jecoris ad ventriculum effunderetur, ac postea pedetentim ad fauces communicaretur, quâ ratione *Hippocr. in Coacis Pranot.* multum sputum cruentum hepatis statim lethale, pronunciat his verbis: οἷσιν ἡ παλικοῖσι πολὺ πτύαλον, ὀλέθριον αὐθέως, quod *Iacottus l.* 6. *sect.* 2. *com.* 1. *aph.* 21. tribus de causis in Hepaticis fieri dicit, nimirum venarum infirmitate, sanguinis pravâ qualitate, & tandem plenitudine ad vires. Nota verò, quod *Hipp.* addat πολὺ *multum*, quo distinguatur malum confirmatum & in summo periculo constitutum à levi diuturnâ exputitione, in quâ non αὐθέως, subitò moriuntur, quâ ratione præsenti laboranti talis *sputatio cruenta cum sanguinolentiâ gingivarum* per annos aliquot molesta fuit. pedetentim scilicet infectione scorbuticâ massam sanguineam occupante, cujus ratione tenerior gingivarum caro præ cæteris afficitur, calore, pruritu, tumore, nec non putredine sanguinis corrupti transsudationem copiosam exhibens, unde sputum cruentum ac copiosum redditur. Interim aliquoties *alvi fluxus cruentus* dysenteriam repræsentans invadit, qui fiebat sanguine crasso, fæculentoque, copiosè per venarum extremitates in intestinorum cavitates effuso, quâ de causâ non cum excrementis, sed separatim, & absque torminibus reddebatur, in quo talis fluxus sanguinolentus Scorbuticorum ab aliis distinguitur: *semel etiam febre continuâ* præhenditur, propterea, quòd massa sanguinea, quoad vasa majora quoque corruptionem putredinalem indueret, unde sanguis Venæ sectione emissus lividus, ad virorem inclinans, multoque sero livido dilutus conspiciebatur; *præeunte tumore in inguine*, tanquam in emunctorii loco, peccante materia crassiori collecta, vi naturæ versus exteriora superfluis propulsis: *tandemque ventris intumescentiâ atque inflatione pedum affligitur* sub Autumnum Anno 1626. eâ videlicet *Hydropis specie*, quæ ex parte *Tympanitidem*, ex parte *Anasarcam* referre vide-

Fluxus cruentus Scorbuticus.

videbatur, non absque suspicione *Scorbuti*, quam ob causam in averruncando malo Scorbuti malignitatem simul respiciendam esse putavimus. Hinc igitur verno tempore, currentis anni, *curationem Scorbuto appropriatam* per menstruum spatium adhibui, cujus effectu per totam æstatem optimè sibi valere videbatur. Autumnali tempore curationis istius reiterationem optabam, quam tamen eò usque suspendebat æger, donec indicia ingravescentis recidivæ circa brumam apertè sese manifestarent. Sub finem autem anni currentis, nimirum XXVI. Decembr. subitò *sanguineus vomitus cum dejectionibus nigris* invadebat, aliquoties per triduum recurrens, ut 29. Decemb. naturæ debitum solveret.

Cùm autem rariores sint ejusmodi casus, ulterius in symptomata dicta inquirendum restat, præsertim consideratis iis, quæ in Anatomiâ post mortem observata fuerunt. *Hippocrati in Coacis* ὁ ἐρυθρὸς ἔμετος ἐςὶ θανάσιμος, ruber vomitus lethalis est, cum *Hollerio ibidem sect.* 3. *l.* 3. *aph.* 6. vitio hepatis vel venosi generis fiat, quâ ratione 5. *Epidem.* 37. qui apud Dromum habitabat, nocte sanguinem multum vomens suffocatus fuit. *Iacotius in Coacis l.* 6. *sect.* 2. *aph.* 1. sanguinem, qui vomitione redditur, tùm ab hepate, tùm à liene, tùm ab utero esse posse statuit, propterea, quod ex his locis sanguis ἀνάῤῥοπος in venas; quæ in ventriculi membranis inseruntur, plerunque redundet. *Vallesius ad citatum exemplum Epidemiorum* addit, ut Splenis elevatio sanguinis eruptionem è naribus solet facere, ita huic fecit sanguinis emissionem per ventriculum, disruptâ aliquâ in eo venâ earum, quæ è liene prodeunt. Imò non tantùm adapertis venis, sed etiam osculis arteriarum reseratis, vomitus ejusmodi periculosos concitari verisimile fit, tàm ex αὐτοψία sanguinis arteriosi cum sanguine venoso rejecti, quàm ex subitaneâ virium jacturâ, quâ cordis robur dissolvitur. Concedimus quidem, quod *Gal. l.* 5. *de L. A. cap.* 5. innuit, è jecore & liene per vomitum sanguinem rejici posse; minimè tamen inficias quis ibit, quatenus à materiâ morbificâ plurimum irritatâ natura talem expulsionem peragit, quin etiam per arterias à corde fiat, plus minus, arterialis sanguinis, vitæ thesauri, rejectio. Verùm excipiantur hîc observationes illorum, in quibus robustior vitalis facultas arteriosi sanguinis effusionem, ἀθρόως factam, præcavet, quos interdum restitutos fuisse legimus, ita tamen, ut plerique postea *cachexiam atque hydropem* contraxerint, ob viscera concoctionis secundæ plurimum debilitata, quemadmodum apud *Forestum l.* 16. *observ.* 24. videre licet. Sed gravior affectus redditur, ipsumque periculum augetur, ubi *cum sanguinis vomitu dejectiones nigræ, piceæ*, junguntur: hinc *Hippocr. in Coacis*: μεθ' αἱμοῤῥαγίην μελαίνων διαχώρησις, κακόν; ab hæmorrhagia nigrorum dejectio, malum: ubi addit *Iacotius l.* 4. *Coac. sect.* 2. *com.* 1. *aph.* 5. ejusmodi dejectionem fieri, cùm lien non probè expurgat jecur & sanguinem, unde cœnosa illa materia, diu retenta in hepate aut mesenterio, aliquando corrumpitur mora, & fit exquisitè atra bilis; aliquando antè ejusmodi corruptionem, à facultate oppressâ & irritatâ, quod superflua amplius continere nequeat, excernitur. Imò cum sanguinis vomitu nigra talis materia commista summam virium jacturam indicat, juxta *Hippoc.* ἔμετος μέλας, πονηρὸς: *vomitus niger; malum*; quia juxta *Duretum l.* 4. *Coac. aphor.* 25. vomitus & dejectiones nigræ ab eadem materia, & ab iisdem fontibus oriuntur. Non autem obstat, quod *Rodericus Fonseca par.* 2. *observ.* 86. refert, de adolescente, coloris subnigri, ventriculi debilioris, jecoris intensè calidi, qui singulo mense succum nigrum, crassum & insipidum evomuit, per plures annos, usque ad declinantem ætatem, quo tempore succus ejusmodi acidus fuit, ita ut caninam appetentiam introduceret, adeoque hominem extenuatum redderet, ut tabe tandem consumeretur: hîc enim robori naturæ tribuendum aliquid quæ protinus collectam materiam atram separabat, donec vis nutritiva languidior insufficiens redderetur, ubi materia peccans acrimoniam acquirebat, & nutritionis opus in ætate declinante magis impediebat, qua ratione *Cardanus l.* 4. *aphor.* 21. *in com. in Petro Maria Locareno* fæculentum sanguinem maxima quantitate ultra 20. libras ejectum fuisse refert, qui tamen sæpiùs evasit, donec postea, debilitato jecore, in hydropem inciderit. His & similibus diligenter consideratis, ægrum nostrum mox ab invasione symptomatis hujus in vitæ periculo versari diximus, quemadmodum eventus idipsum edocuit. Cùm enim tot annis Scorbuti symptomata varia deprehendissem, facili conjectura collige, pro tempore massam sanguineam undique tartaro scorbutico resoluto plurimum scatere, circa mesenterium & splenem atrabilariis excrementis copiosè collectis, & subitò malignitate connatâ plurimum effervescentibus, ita ut vomitus sanguinis cum dejectionibus nigris lethalem exitum indicaret. *Mirum verò, quod aperto cadavere Renes omninò sani deprehenderentur, cum tamen æger per multos annos de dolore dorsi nonnunquam conquereretur?* An quòd adusta materia atrebilaris in mesenterio & splenicis venis pedetentim colligeretur, & malignitate sua nervosas partes, quibus spinæ dorsi meseræum annectitur, afficeret? *Mirum, cùm jecur penitùs scirrhosum esset, quomodo tamdiu superesse potuerit æger?* An quia Lien fuit triplo major solito, substantiaque laudabilis, viscus sanguificationis referens, cujus ratione sanguificatio facta fuit à Liene loco Jecoris? *hinc ergò non mirùm*, sanguinem productum fuisse minus laudabilem, quatenus aliâs Lien & vesicula fellea sanguificationem jecoris, separando heterogenea, laudabiliorem faciunt: at ubi Lien solus sanguificat, idipsum non accidit, unde sanguis producitur impurus, quemadmodum ex præcedenti observatione similiter patet, ubi sanguis, sed illaudabilis, vi Lienis producebatur, & acrimonia sua narium hæmorrhagiam frequentem causabat. Ita *Coiter. in Obs. Chirurg. & Anat.* Lienem solito majorem in cadavere cujusdam observavit, cui jecur putridum ac purulentum fuit, interim habitu totius melancholico

Vomitus sanguinis vitio venarum.

Et arteriarum.

Vomitus sanguinis cum dejectionibus nigris pejor.

Ratio prædictionis.

Dubitatio I.

Dubitatio II.

cholico existente, propter lienis sanguinem. *Idem* in simâ jecoris parte vomicam, eamque satis magnam observavit, reliquis partibus sanis, ubi procul dubio per sanguificationem Lienis totum aliquandiu conservatum fuit. Sic apud *Dodon. cap.* 28. *Observ.* Ulcus in gibba jecoris parte, diu gravi hypochondrii dextri dolore affligens, annotatur, qui *cap.* 30. hepar in cachexia sphacelo corruptum etiam observavit: sic tantos jecoris abscessus purulentos annotarunt *Erastus, Iacotius, Hollerius, Bauhinus*, quod refert Schenckius l. 3. obs. ut saniei materia venis majoribus communicata fuerit: sic tumores instar Steatomatum *Trincavell l. 3. de compos. med. c.* 27. Sed furunculos, nullo dolore, vel tumore, vel decubitu difficili *Fern. l. 6. Pathol. cap.* 4. in eodem viscere deprehenderunt. Imò curatos etiam jecoris abscessus per apertionem circa costas nothas ex *Hercule Saxon.* & *Capivaccio* refert idem Schenckius. Manifestum hinc redditur, etiam vita superstite læsiones jecoris insignes observatas fuisse: maximè verò fidem omnem ferè superat, quod Schenckius per fide digna testimonia confirmat, de *Matthiâ Ortelio*, qui per annos multos, toties inflammatione atque abscessu intestinorum affectus, tandem omninò hydropicus factus, è medio sublatus fuit. Is post mortem apertus, nec *Iecur, neque Lienem* habuit, cui tamen natura substantiam intestinorum carnosam solidam concesserat, cujus ratione sanguificationem in defectu dictorum viscerum miraculosè peregit. *Mirum, cùm verisimile sit, jecur longo temporis tractu scirrhosam istam naturam obtinuisse, quod sanguineus vomitus cum dejectionibus nigris citius non prehenderit?* An quia per semestrales ordinarias evacuationes & venæ sectiones, tum etiam aliis intermediis, urgentibus symptomatis medicationibus, massa sanguinea taliter qualiter, fuit depurata, potissimum adhibita Scorbuti curâ appropriatâ verno tempore præscripta plurimum levabatur, ubi per septimanas tres integras quotidiè succus expressus hoc modo propinabatur.

Quidam sine jecore & liene vivens.

Dubitatio III.

℞. *Eminentiar. Lupuli Mvj.*
Herb. Nasturt. aq. Anagall. aq. Chelidon. min. *ana Miiij.*
*Rutæ viridis Absinth. rec. an. M*ß.
Cum aq. fumar. q. s. contundantur & fiat expressio, de quâ depurata ℥iiß. cum seri lactis caprini depurati ℥j. pro haustu sudorifero propinavimus, intermediis evacuationibus ex Rhab. cum Magist. Tart. Vitriolati non neglectis.

Mirum, quod lienis constitutio sanguinea, magnitudine communem confirmationem excedens, inventa fuerit in ea, qui Scorbuto confirmato tot annis afflictus fuerat, cum tamen Lien communiter subjectum Scorbuti statuatur? Ad quod, Scorbutus interdum quoque salvo liene, fieri solet, cujus rei exemplum *Forestus* habet in quodam Hollandiæ præside, cui jecur potius, quàm lien præter naturam affectum erat: & *Sennertus* refert *lib. de Scorbut. cap.* 3. quod Scorbutici cadaver apertum fuerit, in quo Liene salvo Omentum totum ferè putridum inventum fuerit? An verò, quod lien officio suo defuerit, à sanguificatione (quæ jecori scirrhoso denegabatur) peccantem materiam non secernendo, sed potius naturæ institutum, ob defectum jecoris, chyli partes laudabiliores attrahendo, sanguinemque salsum ac tartareum relinquendo, quod ejus magnitudo, sanguineaque constitutio satis innuebant, cujus beneficio sanguis quidem generatus, sed ab excrementitiâ bile tenui, crassaque ritè depuratus non fuit, undè tota massa sanguinea salsa, tartareaque reddebatur? Manifestum igitur, quomodo thesis ista *de Lienis in Scorbuticis operatione depravatâ in tractatu de Scorbuto sect.* 1. §. 8. determinata, non semper locum habeat, quatenus etiam ex accidenti lien interdum Scorbuto præbet originem, quod ex Obs. præced. satis apparet. Imò non ita pridem annis superioribus idipsum etiam observatum fuit in *Nobili quodam Bavaro*, viro 36. circiter annorum ætatis, corpulento, lassitudine spontanea, maculis lividis nigrescentibus, in ulcera degenerantibus, in cruribus ac brachiis affecto, quæ omnia longè antè gingivarum sanguinolentia & exulceratio præcesserat, ita ut non dubitandum, quin Scorbuto confirmato laboraret, in quo post mortem Lien quoque sat inculpatæ constitutionis, viscus sanguineum referens, inventus fuit.

Dubitatio IV.

Scorbutus salvo liene.

OBSERVATIO V.

Induratio brachii circa articulationem ulnæ ex lapsu.

Vir *Nobilis, Patritius Vlmanus*, Juvenilis adhuc ætatis, sub initium anni 1626. lapsu lædit brachium, contusione circa ulnæ articulationem obortâ: restitutus taliter qualiter, post semestre de *induratione tendinum* circa locum dictum conqueritur, superveniente sæpius *stupore digitorum* in manu, eorumque *contractione*. Suadeo per menstruum spatium *fomentationem* quotidianam per horam integram *ex decoctione pedum vervecum, vel vitulorum, cum Rad. Alth. Herb. Malv. Meliloti, Betonicæ, Salviæ, Chamæpityos, Rosmar,* &c. quâ peractâ totum brachium *aquâ Hirundinum cum castoreo, Salviæ & Spiritu lilior. convall.* fricetur. His dicto modo continuatis, induratio remisit, ac dissipata fuit, remanente tamen imbecillitate quadam, quam postea pedetentim ἀτροφία subsequebatur. Mox itaque verno tempore *thermarum Bollensium* usum adhibuimus, ubi non tantùm, quod residuum videbatur, penitùs dissipabatur, sed insuper etiam brachium robur pristinum acquirebat, ut jam in tertium annum nihil ulterius laborans conqueratur.

Bollensium thermarum effectus.

Similem casum 1609. Darmstadii habui in Nobili Aulico Andrea de Gall, qui cadens cum equo, brachium sinistrum in eodem articulationis ulnæ loco vehementer læserat, ubi adhibitis medicamentis, Chirurgus extensionis,

Observatio similis.

stionis brachii oblitus fuerat. Restitutus igitur, & vulneribus consolidatis, brachium extendere non poterat, circa insertionem musculi bicipitis, in ipsa articulatione ulnæ, interius tumore duro, instar ovi gallinacei, existente. Petenti consilium præscripsi, nimirum, ut pedetentim fomentatio similis prædicta quotidie per mensem adhiberetur, subsequenti inunctione convenienti, quò non tantùm induratio vicissim emolliretur, sed simul etiam affluxus consumeretur, corroborantibus partem affectam postea non neglectis. Cùm autem Nobilis iste domandis atque exercendis equis generosioribus præesset, fieri non potuit, ut monitis obtemperaret, donec Anno M. DC. IX. lapsu tibiæ fracturam pateretur, ubi meo quoque consilio, cùm alias ipsi per septimanas aliquot decumbendum esset; unâ fideliâ duos parietes dealbans, simul illis usus fuit, quæ brachii contracti causâ eidem præscripta fuerant. Hoc modo DEI benedictione perfectè fuit restitutus, de quo tamen ipse laborans, aliique Medicorum desperaverant.

OBSERVATIO VI.

Vulnus in collo uterino.

Honesta fœmina, textoris hîc Ulmæ conjux, annorum quinquaginta, 22. Septembr. 1626. læditur à Vacca, quæ cornu feriens, eandem in cunno muliebri prehendebat, & sursum versus attollebat, urina primùm cruentâ, post verò mero sanguine, eoque rubicundo, pellucido, qualis arteriarum est, copiosè profluente. Cùm autem exterius in membro muliebri nulla læsio deprehenderetur, protinus concludebam, interius collum ipsius uteri, unà cum vasis insignioribus, eò ab Epigastricis venis & arteriis derivatis, solutionem continui passum esse, cornu sub ipso osse pubis firmato, cujus beneficio sursum versus sublata mulier fuerat, cui alias, si supra os pubis vacca cornu immisisset, totum abdomen istâ violentiâ vulneratum, atque divisum fuisset. Vocatus igitur cum Chirurgo, protinus alvi laxandæ causâ Mannam cum decocto prunorum exhibeo, circa pubem ac vicinas partes defensivum ordino, posteâ quoque madefactis linteis inferius abdomen ac perinæum per Chirurgum involvo, non neglectis iis interius, quæ majorem affluxum inhiberent & inflammationem præcaverent. His per dies aliquot continuatis, hæmorrhagia sistitur; urina vicissim naturalis redditur, & mulier brevi rursus optatæ sanitati restituitur. Cum autem fieri non potuerit, quin interior læsio solutionis continui gravissima, nec non satis ampla fuerit, admiratione non caret, *quod tantillo temporis spacio consolidatio successerit?* An quia hîc verum illud *Hippocratis* τῶν νόσων ἰατροὶ αἱ φύσιες; vulnerum enim consolidationem natura peragit, idque eò citius quò minus impedimentorum adest: Cum etiam hæc læsio interior esset in illâ parte, quæ majoribus venis atque arteriis caret, mirum non est, quod vi caloris nativi minimè deperditi, quod alias in externis vulneribus accidit, prompta fuerit sanatio, qualitate fortè vulneris simul adjuvante, quatenus cornu rotunditate vulnus etiam orbiculare fuerit inflictum, adeoque sponte sua vicissim eò citius unitur.

Modus læsionis.

Dubitatio.

OBSERVATIO VII.

Vulnus oculi singulare, additis quibusdam de Guttâ serenâ.

Fratri suo uterino charissimo.

JACOBO MULLERO,

Med. D. & Mathemat. Professori in Acad. Giessenâ.

S. Casum, quem scire desideras, frater charissime talis erat. Anno 1621. 20. Novemb. Dn. D. Peithmannus Westphalus, cultello scriptorio, nî fallor, fortè fortuna sibi ipsi vulnusculum tunicæ corneæ propè pellucidam partem imprimit, quod tamen parùm sanguinis ichorosi tantùm emittebat. Perterritus hoc accidente me vocat, ubi considerata læsione, futuram totius oculi inflammationem prædico, quæ cùm periculosa satis esse consueverit, eidem præservationis mediis omni ingenio succurrendum esse statui, qua de causa repulsionis gratia *Vng. Populeum cum rosaceo* exterius ad oculi circumferentiam, ipsique oculo *cataplasma ex pulpâ pomorum dulcium cum mucilagine sem. Cydon. in aq. rosf. extractâ*, propter affluxum temperandum ac resolvendum; *scarificationes* autem ad scapulas & brachia, sicut & *vesicatorium Emplastrum* ad nucham revulsionis gratiâ suasi. Quibus adhibitis post biduum, *pillulas capitales* evacuationis gratia superaddo, ut & *collyrium ex aqua fœniculi cum succino præparato & pauxillo croci*: tandem ad affluxam materiam digerendam ac resolvendam *sanguinem columbarum in aq. fœniculi recenter dissolutum* frequenter adhibere jussi, quibus mediis visus, antè propter incrassationem tunicæ penitùs abolitus, sensim redire cepit, ulterius succurrente naturæ *collyrio, quod ex Tutiâ præpar. & Margar. præpar. cum aq. fœniculi* fiebat. Restitutus hoc modo doctus juvenis videbat quidem, sed aversis quasi radiis visivis ad latus, ob nubeculam antè pelluciditatem corneæ in ipso aqueo, ut mihi videbatur, hærentem, quam tamen tu, nî fallor, affectionem tantùm tunicæ incrassatæ putabas. An autem natura penitùs obstaculum hoc dissolverit, ignoro, cùm paulò post à vobis discesserim. Hisce benè vale. Raptim Ulmæ 8. Martii, 1624.

Tuus

GREGORIUS HORSTIUS.

Vir Clariss. & Excellent.

DN. JOHAN. HULDARICUS STREITTER,

Med. D. & Physicus Spirensis.

GREGOR. HORSTIO, D.

CUm nuper in ἀμβλυωπίας cognitione & curatione mihi laborandum fuisset, circa fabricam oculi studiis accuratioribus impediri volui, deque proximo visionis organo Autores consulere. Occurrit inter alios Exercitatio Tua nobilis, prout reliqua Tua mihi sæpè sunt in manibus, quam habes pro confirmatione Retinæ dictæ tunicæ: quæ, quod in oculo illud sit, cujus beneficio visio proximè fiat, tanquam immediatè & continuè ex nervo optico producta, humorque crystallinus medii interni rationem habeat, præter inibi physicas & opticas rationes adductas, ex ἀμβλυωπίᾳ & ἀμαυρώσει patere puto; ubi salvo per omnia oculo, tàm quoad partes continentes, quàm contentas, visio vel diminuitur vel aboletur; propter obstructionem, ut erudior, nervi optici, vel compressionem ejusdem, obversationem item flatuum & vaporum, quod *Platerus in suis observationibus* notare voluit: unde spirituum communicatio vel impeditur vel denegatur. Sed de his forsan intempestivè, & aliquando, & utinam brevi! coram, &c.

Responsum Autoris.

SAl. Non possum intermittere, Vir Clarissime, amice honorande, quin pro ulteriori ἀμβλυωπίας cognitione sequentem observationem celebris Spigelii subjiciam, quæ ex communicatione Dn. D. Fingerlini, hactenus Auditoris ipsius, sic sese habet: Fœmina quædam cœlebs adhuc, occulto cancro minus rectè tractata, moritur, & investigandæ causæ antecedentis gratia post mortem secatur. Cum autem eadem guttâ oculorum serenâ, ex magna cerebri debilitate per 20. annos quoque laborasset, cranio aperto, inventi sunt duo ventriculi anteriores subsistentiam passi, nec non conglutinati, sensim nervis opticis emarcescentibus, qui duplo minores fuerunt solito, qua ratione cæcitas, oculo ipso nullatenus læso, suborta fuit, utpote cum oculus venis atque arteriis illæsis ritè nihilominus nutriretur atque viveret. Huic vitio succurri non poterat, licet Pausanias aliquando ex vulnere frontis talem guttam serenam sublatam fuisse statuat. Manifestum hinc redditur, non semper, & fortè rarissimè, nervorum opticorum obstructionem ἀμβλυωπίας, vel guttæ serenæ causam esse, sed plerumque subsidentiam ejusmodi, tandemque Spiritus influentis defectum præsupponi. Plura alias, ubi plus otii supererit. Benè vale. Ocyus Ulmæ Idibus Aug. 1624.

Gutta serena ex subsidentia anteriorum ventriculorum cerebri nervis opticis emarcescentibus.

OBSERVATIO VIII.

Abscessus auris mirabilis.

Vir Clariss. & Excellent.

JACOBUS MULLERUS,

Med. D. & Professor in Acad. Marpurgensi, &c.

GREGOR. HORSTIO, D.

SAl. &c. Admiratione dignus est casus venatoris cujusdam, qui consilii causâ superioribus mensibus me accedens, inter cætera referebat, quod hactenus ingentes capitis dolores, inprimisque auris dextræ perpessus fuerit, ubi tandem aperto abscessu, multum puris & saniei, unà cum animalculis nigris quàm plurimis, ex singulari putredine procul dubio genitis, effluxerit. Ab hoc cruciatu tamen se liberatum esse dicebat, id tantùm ægrè ferens, quod aurium sordes profundiùs extrahere cogeretur, simulque auriscalpium ad digiti longitudinem ostendebat, quod sine molestia hinc & inde auris in cavitatem agitabat, nec ullum dolorem vel etiam auditus difficultatem, quod maximè mirabar, percipiebat. Quid dicam igitur de usu Tympani? quodnam munus ossiculis auditus attribuendum erit? membranam hanc putredine corruptam & cum malleolo & incude, quæ sustinet, quis non opinabitur: &c. Marpurgi. 2. April. 1628. Confer Plempium de fund. Med.

OBSERVATIO IX.

Ruptura venæ circa radicem membri virilis insertæ.

SEnex annorum ætatis LX. Hans Wolfenter/Nauta, antè biennium circiter abitum navi parans, lapsu navim conscendens projicitur, ita ut resurgens per virgam seu membrum virile sanguinem purum, absque omni dolore, nulloque conatu excretionis, secerneret copiosum. Domum ergò repetens, injectione per syringam detergente & modicè astringente protinus utitur, ubi tamen nihilominus per septimanas aliquot, sed absque omni dolore, viribus constantibus, excretio ista perdurat, lotio totaliter sanguinolento exeunte. Tandem symptomate remittente, usque ad Aprilem Anni currentis 1628. benè valuit, ubi rursus prædictum accidens sese obtulit. Vocatus ergò 29. Maji, currentis anni, certior fio, præter fluxum sanguinis è pene, simul etiam adesse stranguriam, admodum dolorificam, tunc temporis, ubi sanguinis interdum etiam grumosi secretio tentanda; deprehendo insuper circa penis partem posticam indurationem, quam ob causam per Lithotomum catatherem adhibeo, quem meatus urinarius ad vesicam usque promptè satis admittebat, profluente postea urinâ copiosâ, subsequente nihilominus excretione sanguineâ. Cùm autem nihil quicquam hactenus purulentæ materiæ secretum fuerit, colligo, venam insigniorem ex internis profundioribus, quæ ab hypogastrico ramo enascuntur, atque ad bifurcatum penis exortum

ortum inseruntur, læsam fuisse, cujus ad apertionem sanguis purus profluit, vicinis istis partibus propter dolorificum sensum excretionis tempore subortum induratis. Eò igitur allaborandum esse duxi, purificatis jam alvi viis per usum hydromelitis laxativi, quò exteriùs per sacculos, ex herbis emollientibus durities excretionem impediens emolliatur, ac leniatur, nec non per decoctum hordei, cum mucilagine sem. lini, psyllii, cydonior. addito pauxillo mellis rosati, syringæ beneficio meatus urinarius detergatur & eluatur: interdictis in victus ratione iis, quæ feri acrimoniam augent, exhibito pro potu quotidiano decocto hordei, cum Agrimonia & rad. Liquiritiæ rasæ. Singulis verò matutinis temporibus haustus fiat ex *aq. Malvæ.* ℥iiij. *Syr. de Alth.* ℥jß. *Terebinth. in aq. Plantag. lota* ʒjß. Quanquam verò non dubito, quin continuatione talium remediorum diu præservari potuisset, parùm tamen egenus hic Senex de vitæ regimine sollicitus, doloribus exacerbatis, viribusque dissolutis, ob nimiam hæmorrhagiam, post mensem unum atque alterum naturæ debitum solvit.

Indicationes.

OBSERVATIO. X.

Mira Femoris fractura.

PEtrus **Kerler** / Ulmensis, artificii Murarii, mense Novembri Anno M DC XXIV. Argentinæ per lapsum femur sinistrum dupliciter transversim frangit, ut postea patebit. Adhibitis adhibendis, per semestre ferè penes Chirurgum decumbit, donec fractura consolidata, nec femore breviore reddito respectu alterius, huc Ulmam pedes sese conferret; ac de abscessu circa locum affectum, nec non ulcere fistuloso conquereretur. Adveniens itaque medicam implorat opem, ubi particulam aliquam ossis fracti diuturnioris istius abscessus causam statuimus. *Hinc igitur ulcus fistulosum ampliandum, & naturæ, quo citiùs ab alienâ materia liberetur, succurrendum esse putavimus.* His itaque continuatis tandem femoris fracti partem insignem, trium digitorum transversorum longitudinem æquantem, Chirurgus noster Baulerus, 18. Aug. 1625. extraxit, non absque singulari naturæ miraculo, quæ callo tanto spatium istud intermedium in femore fracto repleverat, ut etiamnum absque claudicatione, benè restitutus, dictus juvenis ambulet, & in longitudine huic femori nihil quicquam decedat. Hoc pedetentim diuturno isto tempore factum fuisse reor, quo femur ad longitudinem alterius solenter à Chirurgo semper extensum fuit, particulâ separatâ interim ad intermedia musculorum spatia per naturam remotâ, quæ postmodum abscessui, fistulosisque ulceribus ansam præbuit.

Indicationes.

OBSERVATIO XI.

Ecchymomata rara.

QUemadmodum malum oculorum, ubi sanguis tenuis resudat, atque in substantiam corneæ tunicæ effunditur, ἐκχύμωσις, ἐκχύμωμα & Sugillatio dicitur, ut videre licet in *Probl. Medic. nostris Dec.* 3. *quæst.* 2. Sic etiam in aliis corporis partibus interdum affectus hic generatur, unde *Paulus lib.* 4. *cap.* 30. *Carne à gravi quodam corpore, quod extrinsecus superinciderit, contusâ, venisque exiguis indidem divortium expertis, sanguis profunditur per subsultum, quod Græci κατὰ διαπήδησιν appellant unde sub cute collectus ἐκχύμωμα dictum efficit.* Non autem ab externa tantùm, sed etiam ab interna causa talem ἐκχύμωσιν, & sanguinis subter cutim profusionem interdum fieri per observationes hasce patebit, *quarum prior est* viri sexagenarii, qui antè biennium nephriticis & arthriticis vagis doloribus excarnificatus, per menses aliquot decumbebat, constitutionis aliâs plenissimæ, qui tandem de fluxionibus capitis conquerebatur, & subsequente nocte subitaneam cephalalgiæ remissionem observabat; ex improviso toto brachio sinistro, ejusdemque lateris regione superiori saturatè rubente sanguineo colore, sine omni dolore & inflammatione, infecto. Vocatus ἐκχύμωσιν esse statuo, ab interna causa, natura robustiori copiam sanguinis, Apoplexiam ex plenitudine minitantem, ad externas proximiores partes istius lateris, in quo dolor & fluxio capitis affligebat, propellente. Hinc igitur ægrum benè sperare jubeo, propterea quod potiùs critica quam symptomatica fit ejusmodi expulsio dum ad ignobiliorem partem natura, quod superfluum, separare conata fuit. Pedetentim autem digerentibus, ac minimè repellentibus, adfluxum hunc dissipandum esse pronuncio, qua ratione rubicundus color primò livorem aliquem, posteà verò flavedinem acquisiturus sit, eo modo, quo frequenter ejusmodi Sugillationes, post Venæ sectiones in quibusdam relictas, à natura quoque dissipari videmus. Hac de causa *farinam secalinam cum polline sabinæ, flor. chamam. melil. similiumque sacculis comprehensam,* quotidiè bis applicare jussimus, adhibitis etiam interiùs iis, quæ plenitudo requirebat, qua ratione sensim ampla hæc sugillatio digesta fuit, ita ut tandem livore, flavedineque dissipatâ, cutis nativum colorem vicissim adipisceretur.

Observatio 1.

Posterior observatio nobis eodem etiam anno M. DC. XXVI. occurrit in puello sex mensium, qui aliquoties epilepticis convulsionibus prehensus, tandem instantibus aliquo modo paroxysmis, subitò similem ἐκχύμωσιν, vel sanguinis effusionem in substantiam cutis, circa sinistram palpebram atque genam patiebatur, quo ipso levatus quasi, & in cæteris meliùs habere videbatur. Hîc à liquidis, utpotè propter actualem frigiditatem, quam promptè nanciscuntur, repellendi facultate præditis, abstinendum esse diximus, fomentationibus siccis digerentibus rem aggrediendo, queis pedetentim etiam, sicut in priori, dissipatio facta fuit.

Observatio 2.

APPENDIX.
De Sugillatione rara.

Vir Clariss. Dn. D.

PHILIPP. HOCHSTETTERUS,

GREGOR. HORSTIO, D.

P. P. Legi nuper de Ecchymomate mirando tuis in Observationibus: habui & ego inter mea rara sugillationem in quadam puella quinquenni, corpore eleganti & decenti, tenero, in quo nihil desiderasses. Epileptica fuit admodum infans, multis assultibus fatigata; & quia inter medicinas nata erat, Medici frequentissimi & multitudo pharmacorum varia subministrarunt. Ab insultibus quidem liberior, labia tamen retinuit cærulea, livida, volas item manuum, ac plantas pedum, apices digitorum tumidi, ungues sublati in altum, anthini caloris, tandem lividi, abscessere sæpius. Cum jam quartum superasset annum, à cibo dyspnæa talis, quæ motum prohiberet, faciem inflaret, & labiis livorem daret: comedebat parum, & cum esset in iisdem ædibus mecum, sæpè mihi socia mensæ fuit. Quiescenti intra oram, desiit anxietas hæc, & creber spiritus. Incedebat gradu testudineo. Posterioribus annis sanguis interdum ex hæmorrhoidibus prodiit sincerus, niger, non sine allevatione. Maculæ item sparsim per corpus videbantur, quæ in scabiem humidam abscessere. Filia erat Pharmacopæi charissima, & pulcherrima extra has maculas, quibus tamen & suus erat decor, unde ab omnibus Medicis pro his Symbolum datum. Sed Cachexia vires consumens, anxium pectus crebrò spiritu fatigavit, per ulcera scabiei non absumpta cordi vitam eripuit. Mirabar maculas illas latas orificii quicquid nomine in corpore venit, spacium occupasse, & de illo, quod Pictorius **den Flug** vocat, monuit. Spiritalis morbus est Epilepsia; ac cerebri, quæ commaculavit extrema sanguine suffuso. Vagari sanè vult Hipp. aut quisquis est, qui de Morbo sacro scripsit, sanguinem in corpore, & figi ab humore pituitoso & frigido in Epilepsia in venis: at quomodo extra vasa effluat ac protrudatur in mortuis, jam dixi. In hac autem puellula vivente, ut factum fuerit, nondum causa mihi nota: quam habes, pro tuo candore, impertire, &c. Vale. In Angustia nostra 7. Novembr. Anno 1629.

In puella Epileptica.

Cui supervenit dyspnæa.

Cum eventu lethali.

Dubitatio,

Viro Clariss. & Excellentiss.

DN. PHILIPPO HOCHSTETTERO, D.

GREGOR. HORSTIVS, D:

S. Sanè verum est, Clarissime & Excellentissime Vir, amice pl. colende, quod in silentio & spe salutare Domini nos expectare cogamur. Sed nosti, quod apud Herodotum Cræsi filio, nativo linguæ, vocisque impedimento prædito, Perses quidam, Regi parenti hostiliter irruens sermonem extorserit, ita ut metu simul atque ira percitus, filius mutus vocalis redderetur, occisorem acclamans: homo, ne perimas Cræsum. Vereor ergò, ne patientia læsa tandem in furorem etiam mutetur, ita ut contra naturam literæ Mutæ vocalium tenorem induant. Addita singularis historia grata mihi fuit, nec dubitandum, quod puella dicta Malum Sonticum, ab impurioris sanguinis in utero materno nutritionis gratia communicati, malignitate contraxerit, qui postea nec per capitis ulcera manantia, vel alio modo purgatus, in venis ac habitu corporis, conclusus, acres ac noxias qualitates nervorum principio per expirationem transmisit, ἐκχύμωσιν in partibus à foco caloris remotioribus simul producendo, propter τὸ θέρμον ἔμφυτον debilius, ad attracti nutrimenti partium istarum digestionem insufficiens, qua ratione lituras ejusmodi morientibus quibusdam, cacochymia putredinali præeunte, frequenter etiam accidere videmus. Insignem ἐκχύμωσιν annis superioribus in decumbente quodam homine quadrato & maximè corpulento deprehendi, qui patiens insultum quasi supervenientis Apoplexiæ, noctu, vi roboris naturæ, liberatus ab ejusmodi Symptomate, protinus circa sinistram partem Pectoris, humori, dorsique, sanguine suffusus, sine omni dolore, conspiciebatur, quæ discoloratio pedetentim vi naturæ, medicamentorumque siccorum digerentium, vicissim consumebatur, rubore sensim in flavedinem mutato, tandemque penitus evanescente. Cæterum in Germanico libro Medicinali Principissæ Darmbstatinæ pag. 648. **Der Flug** ita describitur: **der Flug der jungen Kinder sind braunrohte Flecken / welche sich an einem Ort deß Leibes erheben / und allezeit fort lauffen / biß sie ein Loch antreffen / da ziehen sie sich in den Leib / und muß alsdann das Kind sterben / &c.** Hisce benè Vale. Ulmæ, 8. Id. Novemb. Anno 1629.

Herodotus lib. 1. pag. 18.

OBSERVATIO XII.
Hæmorrhagia ex vulneratâ arteriâ.

PEriculosa sæpiùs & *non rarò lethalis* omninò fit *hæmorrhagia*, quæ vulneratam arteriam sequitur, cujus rei exemplum Anno M. DC. XX. sub finem Aprilis nobis occurrit in Academiâ Giessenâ, dum Vir *Nobilis Iuvenis, Iohannes Ernestus ab* **Eglofstein** / Eques Francus, in manum sinistram circa carpum, divisis tendinibus exterioribus, ligamento circulari, venis item atque arteriis istius loci, gravem hæmorrhagiam patiebatur, quam postea febrilis calor excedens, ut fieri solet, subsequebatur, cum extremâ virium debilitate. Quanquam autem, adhibitis adhibendis, per dies aliquot, vires recolligeret, ita ut restitutionis spem bonam conciperemus, post quatriduum tamen, ægrotante parumper in victu peccante, nec non haustu pleniori sitim restinguente, gravis hæmorrhagia arteriæ læsæ vicissim oborta

Observatio 1.

oborta fuit, quâ nullo ingenio subsistente, vires pedetentim, aliàs adhuc, & à priori sanguinis profusione, & à febre concurrente labefactatæ, resolvebantur, ut brevi post, vitali principio exhausto, naturæ debitum solveret. At magis salutaris exitus observatus fuit in rustico quodam viciniæ, qui 5. Februar. 1625. vulneratus in manu, similem arteriæ læsæ solutionem patiebatur, ubi hæmorrhagia sanguinis arterialis cum saltu frequenter invadebat, nullisque remediis communibus corrigi voluit, quanquam tanta debilitas, ut in priori, cum arteria læsa non admodum insignis esset, non subsequeretur. Hic tandem accedens ad Collegam meum, Dn. D. Sebastianum Stromajerum, auxilium in hâc periculosâ hæmorrhagiâ desiderat, cui pauxillum Magisterii Opii ad arteriam vulneratam apponitur, quo ad miraculum usque contumax hæmorrhagia, quæ reliqua media penitùs eluserat, mox restinguitur, vulnere post Emplastro Stictico Crolliano facilimè consolidato.

Observatio 2.

OBSERVATIO XIII.

Excrescentia carnea linguæ & aliarum partium.

Observatio 1.

Ante quadriennium circiter textor quidam, vir Juvenis, unà cum Chirurgo me accedebat, & *in sinistrâ linguæ parte ὑπερσάρκωσιν seu excrescentiam carneam*, ad nucis juglandis mediocris quantitatem, monstrabat, absque inflammatione, & dolore singulari, nisi quod masticationis & loquelæ leve quoddam impedimentum crearet. Cùm autem excrescentiæ radix non admodum lata esset, filo serico triplici ligaturam instituì, simul adhibitis iis, quæ affluxum reprimerent, & dolorem præcaverent. Hoc modo graciliori redditâ radice, per sectionem caro superflua separata, vulnusque consueto modo vicissim levi negotio consolidatum fuit.

Observatio 2.

Sic *excrescentiam umbilici* recentis natæ puellæ protinus etiam ligaturâ quotidiè magis contractâ, sublatam antè quadriennium memini.

Observatio 3.

Notabilis est historia per literas *à Clariss. & Experientiss. Dn. D. Barthol. Merclino*, ad me perscripta, cui proculdubio similiter etiam in principio succurri potuisset: Casus ita habet: Anno 1592. Mulier rustica ex pago Harthausen, per Nobiliss. à Reitheim / ejus loci Dominam ad me, ut inspicerem, & quid agendum putarem, missa est. Habebat hæc carneam excrescentiam ab inguine sinistro, annexam ligamento longo, digiti crassitie, nervoso, albo, infra genu dependentem magnitudine caput infantis unius anni æquantem, figurâ inæquali protuberantem. Referebat hæc, initio verrucæ ac pisi formâ & magnitudine erupisse, postea cerasi modo à petiolo dependisse, & augmentum indies accepisse.

Observatio 4.

Sic idem refert, quod Anno 1614. obstetrix Lavingana, Barbara, nomine puellæ recens natæ, consilium petierit, eà propter, quod puella ex pudendo tumorem à petiolo pisi instar dependentem habuerit, quo contacto mox ejulatum acerbissimum edat, ubi suasor fui, ut filo serico ad radicem ligaturâ fieret, & alternis diebus paulò arctiùs constringeret, ubi decem diebus exactis spontè decidit.

Observatio 5.

Huc etiam referri potest *Excrescentia fungosa è pudendo muliebri* levi negotio sublata per *Clariss. & Excellentiss. Dn. D. Christophor. Eisenmengerum*, cujus verba ad me perscripta sic habent: Fœminæ cuidam honestæ, post læsionem leviorem in partu factam, ex pudendi labio dextro fungosa quædam substantia tenui radice enata est, ficûs forma & magnitudine. Hujus radicem ego filo serico ligare, & indies arctiùs constringere jussi: quo facto, admodum quidem intumuit, & inflammatio successit cum pustulis, quæ disruptæ ichorem reddebant: postquam verò pulvere ex bolo, tutia, & cerussa frequenter conspersisset, tandem inflammatio cessavit, & nona vel decima die tota excressentia decidit, nullam molestiam ulteriorem post se relinquens.

OBSERVATIO XIV.

Naphtæ sectio cæcitatem introducens.

Ex annotatis ejusdem D. Merclini.

Casus 1.

VIR spectatus, Dn. Jacobus Ackermann / Cœnobii Neoburgici, in Medlingen Præpositus, annis circiter 17. *abscessum ingentem infra nucham, Natam vel Naphtam* vocant, infra scapulas dependentem, magnâ cum molestiâ jam diu gestaverat. Hujus ponderositatis pertæsus Chirurgo ἐντόμῳ Ulmensi, artis peritissimo Joh. Jacobo Merckio eandem auferendam commisit. Tumore feliciter radicitùs ablato, sensim visus habetior factus est, & augescente indies malo, circa ætatis annum 75. omnis penè videndi usus deficere cepit. Ne igitur omni privaretur videndi potentiâ, Oculistæ curandum se dedit. Cura absolutâ, prò diminuta ablatam omninò rulit visionem, ita ut vitam jam in tenebris agat, nec lumen cœli videat amplius.

OBSERVATIO XV.

Mira peccantis materiæ maturatæ μετάστασις vel translatio.

FRequenter fieri solet, ut in abscessibus à partibus nobilioribus ad ignobiliores materiæ peccantis translatio fiat, quemadmodum hinc & inde in parte prima, secundaque observationum demonstravimus: at rara sunt exempla, præsertim eventus salutaris, ubi natura contrario modo procedit, & ab externis ad interna, ab ignobilioribus ad nobiliores partes superfluam materiam ablegat. Hujusmodi duos casus nobis communicatos addere placuit, *quorum prior est ejusdem Dn. Mercklini, cujus verba sic sese habent*: Studiosus Dillinganus, Dn. Christophorus Kelner / ex Elwang oriundus, cùm diu claudicasset, & coxâ doluisset, tandem femoris caput coxa excidit, & pes tabescere cepit. Valetudinis igitur causâ Augustam ad cognatum translatus, & Medicis atque Chirur-

Chirurgis commendatus est. Curatio ex voto cùm non succederet, Clariss. Vir Dn. D. Casparus Guttmann, quamvis difficulter commovendus, etiam in consilium accersitur. Hic principio symptomati (ut potiori urgenti) curando & demulcendo incumbens, simul laudani Opiati aliquid dedit, & locum dolentem cataplasmate Anodyno demulsit. Interim factâ præter spem & intentionem maturatione, adolescens puris ingentem copiam per os, à loco tàm remoto & per vias invias rejecit: sic ab hac fœda rejectione feliciter quidem curatus est, sed claudicans mansit. Hæc ex ipsius Dn. D. Guttmanni relatione addo, cùm adolescens ille ab initio sub mea & Dn. Michaëlis Berchtoldi, Chirurgi Dillingani in arte exercitatissimi, cura fuerit. *Posterior casus à Clariss. Dn. D. Ioh. Widenmanno, notatus fuit, ita habens propriis ipsius verbis ad me perscriptis:* Mulierem quinquagenariam sub cura habui, Johannis Pauli fabri ærarii, conjugem, quæ toto triennio domo exire non poterat, sed continuò lecto vel sella sese continere cogebatur, ob tumorem circa genu dextrum obortum, colore subflavo, sine tamen manifesto quodam dolore. Cùm verò negligenter affectum hunc tractaret, me tandem accersivit, qui primitùs eam phlegmagogis, vicibus successivis, purgavi; quo peracto, loco tumido Cataplasma ex resolventibus, juxta præscriptum meum, cùm apposuisset, materia incuneata præter opinionem, loco priori relicto, per μετάστασιν à parte ignobiliore ad nobiliorem, sursum ad ventriculum detrusa, & per vomitum rejecta fuit, cujus beneficio à malo hoc diuturno liberata, cum admiratione multorum hinc inde per civitatem expatiata fuit, ut mirabiliter Dei Benedictione restitutam plebi sese manifestaret.

Casus 2.

Notanda hîc etiam historia prædicti CL. Dn. Merckl. lini, quæ sic habet: Fracto crure, & biennio jam curato, tamen singulis mensibus tribus crus aperiendum esse Studiosus Michaël Stechlin, convictor Collegii Dillingani Anno 1598. præsente Dn. Patre Subregente, Chirurgo, & me, retulit. Hoc nisi fiat, se febrim, nauseam, urinas purulentas, & expectoratum purulentum experiri. An verò ipsius relationi & expectationi locus datus, & pes singulis anni quadraturis per Chirurgum toties apertus sit, me latet, cum postea nunquam mihi curandus obvenerit. *Porrò translationis à circumferentia versus interiora periculosa duplicem adhuc casum communicat idem*, quorum primus his verbis describitur: Nobilis ac Magnificus Vir, Dn. Leonhardus Plebst, LL. Doctor, & Sereniss. Archiducum Austriæ Consiliarius, Anno 1602. præter capitis totius, & faciei cacoëthicam exulcerationem, gingivarum & dentium serpentem corrosionem; pectoris scabiem fœdissimam, & abscessum grandem, duorum pugnorum magnitudinem æquantem, diu in cervice magno cum fastidio circumtulit. Tandem victus tædio, tumore scilicet caput antrorsum deprimente, ut rectè erigere non posset: meo & chirurgi suasu curationi nostræ se commisit. Præparato itaque corpore, sanguine misso, & diæta, cum Chinæ, Sarsæ, & Sassafras usu, præscriptâ, cum viriliter quotidie sudaret, Chirurgus verò escharoticis abscessus partem post partem frustratim auferret, intra sesquimensem ab isto onere egregiè est liberatus, & per multos annos post, sed morbosam vitam vixit. Viâ enim expurgationi capitis ad abscessum interceptâ, malum intro versum, Asthma continuum & grave excitavit; quod tandem vitam etiam eripuit.

Materia purulenta à fracto crure interius ad vias urinarias translata.

Asthma periculosum ex curato abscessu in cervice.

Alter Casus non incommodè quoque huc refertur, qui talis est: Nobilis fæmina, Illustr. Gynæcæi Palatini in Hochstet præfecta, N. ab **Hertzheim** / vidua, per multos annos pedem graviter ulceratum, & fontanellam etiam in altero pede habuit. Horum diuturna molestiâ defessa, per Chirurgum, dissuadente me & aliis plurimis, consolidari tamen & ad cicatricem perduci curavit, quo facto, statim spirandi difficultas occupat, appetitu edendi non dejecto, imò, ipsâ dicente, jam vegetiore reddito, ita ut desiderio indulgere, ob asthma, nunquam audeat. Tandem facies & manus extremæ cum abdomine atque pedibus, ob humores stagnantes, & exitum amplius non habentes, intumuerunt, & asthmate aucto viribus diuturnitate fractis & attritis, vitam naturæ reddidit.

Anasarca & Abscessus internus ex consolidato fonticulo.

In hujus post mortem latere sinistro, ad lienis situm, abscessus, quem omnium cum admiratione occultum habuerat, apertus inventus est, ex quo, defunctâ jam ipsâ; magnam fœdissimæ saniei copiam effluxisse mihi relatum est. Hinc patet ulcera diuturna, aut abscessus, in quos natura se exonerat, cautè tractandos esse, nisi in aliud tristius discrimen se conjicere quis velit.

OBSERVATIO XVI.

Alia μετάστασις.

J. R. SALTZMANNUS,

GREGORIO HORSTIO, D.

Est mihi filius undecim annorum, qui ante sesquiannum vel circiter, gravi ophthalmia, & quidem in utroque oculo laborare cæpit, quæ infinitis, ut ita dicam, licet remediis adhibitis, caput purgiis, scarificationibus, Venæ sectionibus, vesicatoriis, aliis plurimis, quin & acidularum usui, ne minimum quidem cessit, nisi quod in sinistro oculo, ob fonticulum in sinistro brachio inustum, multo quam in altero, mitior fuerit, unde ante decem forte dies, in dextro brachio idem tentavi, nec frustra quidem: Verum antequam fonticulus ex toto paratus & formatus esset, en ex inopinato & quasi in momento Ephemera corripitur circa vesperam, altera die in pede dextro phlegmone obruitur, cum ingenti tumore, tertia die, omnis oculorum inflammatio ita disparuit, ut liberè & absque insigni impedimento seu dolore diei & lucis claritatem ferre potuerit, quod integro sesquianno non potuit. Mirum quomodo humor ille & materia peccans, quæ infinitis remediis debellari non poterat, nunc affatim & quasi in momento à natura ad par-

ad partem ignobilem detrusa sit. Ego Deo gratias ago, eundemque oro, ut ipsi etiam imposterum benedicere pergat. Hæc tibi Medicus Medico, amicus amico scribo; Iterum vale.

Responsio Horstii.

S. Cum instantibus nundinis vestris amicitiam nostram literis meis refricandam esse statuerem, Vir Clariss. Excellentiss. fautor & amice pl colende, protinus memoriæ succurrit post scriptum tuum, de mirabili *μεταστάσει* peccantis materiæ, qua contumacem ophthalmiam charissimi filii, febre Diaria interveniente, per inflammationes ac tumoris subitanei exortum in pede paucis diebus solutam fuisse scribis. Memorabile & verum hoc esse confiteor, cui sequentem addo casum non absimilem. JCtus celebris & Reip. nostræ consiliarius D. D. Joh. Rudolph Wickius filium alit, annorum circiter xx. ætatis, nomine Leonem, qui statim à teneris unguiculis in prima pueritia fistulosis insanabilibus ulceribus in pedibus, manibus atque brachiis cum ossium corruptione laboravit, multis externis atq; internis frustrà præscriptis, ad annum usque ætatis 14. ubi febri continua maligna (qua tunc temporis tres ipsius sorores etiam laborabant) prehenditur insigni diarrhæa copiosæ fætidæ corruptæ materiæ superveniente, quâ præter spem DEI benedictione convenientibus remediis adhibitis expugnatâ, perfectè convaluit, & hactenus ab omnibus istis contumacibus ac *phagadenicis ulceribus* totaliter liberatus ex voto vivit. Ita natura sæpius artem superat & ætatis mutatione, tum etiam *διαθέσει* præternaturali morbosis affectibus contrariâ frequenter illud præstat, quod ope medicamentorum ex artificiosa methodo conscriptorum frustrà speravimus. Quod autem in filio tuo charissimo per imperfectam crisin, materiâ peccante vi caloris commotâ protinus à nobiliori parte translata versus partem ignobiliorem; idipsum in ægro prædicto crisi perfectâ morbo soluto per diarrhæam, concurrente mutatione temperamenti, tàm pubertatis ratione, quàm propter febrilem æstum superfluitatibus consumptis factum fuisse reor. Plura non addo, sed T. Ex. cum familia DEO opt. max. commendo. Benè vale *ἐπὶ μήκιστον*. Dabam ocyus Ulmæ 16. Decemb. 1629.

T. Ex. addictiss.

G. Horstius.

OBSERVATIO XVII.

Genitalia non perforata, nec non mirabiliter læsa.

DE *coalitu genitalium præter natur lib. 4. Obs. LVI.* pluribus egimus diversis exemplis ibidem enumeratis: impræsentiarum addere placet illa, quæ amicus meus, *Dn. D. Ioh. Christoph. Eisenmengerus*, per literas communicavit. Anno 1611. (inquit) natus est Heilbrunnæ puellus cæterùm benè conformatus, sed penem perforatum non habens: urinam autem per foramen à naturâ sub scroto, eo loci, ubi calculi vesicæ per sectionem eximuntur, efformatum, voluntariè emittit, qui etiamnum vivit, sed valetudinarius. Ex Domini parentis p. m. collectaneis; qui eodem anno fæminam rusticam variis præscriptis emollientibus & relaxantibus curavit, quæ, ob sinus muliebris connaturalem angustiam, virum, aliàs rectè proportionatum, sine maximo dolore admittere non potuit. *Appendicis loco subjicio historiam de mirabili vulnere scroti, quæ sic habet apud eundem:* Anno 1592. quidam Maniacus sibi ipsi, cultello arrepto, scrotum vulneravit, & utrumque testiculum extraxit, cui tamen à domesticis cohibito, licet ad genua usque propenderent testiculi, per convenientem curationem à D. Parente p. m. directam, ita scrotum consolidatum fuit, ipsis testiculis in locum suum repositis, ut licet ad integrum rationis usum nunquam redierit, sed ad vitæ finem ferè catenis alligatus fuerit, tamen per intervalla liberis operam dederit, & postea filium progenuerit.

Casus 1. *Casus 2.* *Casus 3.*

OBSERVATIO XVIII.

Abscessus circa pubem admirandus.

Ex literis Clariss. Viri

DN. JOHANN. BILGERI,

Med. D. & Physici Campodunensis.

Ad

GREGORIUM HORSTIUM, D.

ANno 1622. Mense Majo, duæ fæminæ quadragenariæ, aut circiter, me consilii causâ accessêrunt, de insigni propè pubem dolore ac tumore conquerentes, majorem in modum, ut propter Deum ipsis pauperculis suppetiatum succurrerem, rogantes. Hisce, ut nonnihil opis adferrem, emplastra, tumores ad suppurationem ducentia, præscripsi, quibus applicatis, paucorum dierum spatio, emolliti atque disrupti sunt, ex quibus profluxit primò pus, boni coloris; verùm non longo intervallo pòst, aqua lutea, bilis instar, quam profluentem hisce meis oculis vidi. Quùm igitur pauperculæ forent, suasi, ut *succo Plantaginis*, itemque decocto ejusdem cum vino, ad extergendum, ac mundificandum, pòst pulvere exiccato, ad abscessum penitùs consolidandum, uterentur. Et factum est, ut una earum, spacio paucarum septimanarum hujus solius simplicis beneficio, abscessum dictum ad cicatricem perduxerit. Altera verò in hunc usque diem suum ulcus apertum gerit, per cujus foramen interea temporis, quod mirum auditu visuque est, esculenta ac potulenta, ut sunt nuclei cerasorum, pyra, brodium de cerasis, cerevisia & alia, intra unius horæ spacium, quod sanè mirandum, egrediuntur. Quin imò interpolatis vicibus vermes,

Plantaginis efficacia in ulceribus.

Esculenta assumpta per abscessum rejecta.

Vermes per eundem rejecti.

vermes, nonnunquam 6. 5. 7. usque ad 26. ad spithami longitudinem & amplius, quos tùm in meis, tùm in suis ædibus conspiciendos exhibuit, cum ingenti dolore ac pruritu molesto exierunt. Memini me *in Obs. Schenckii* legisse, vermes quibusdam intestina, cum dolorifica morsicatione, tristique ventris inferioris sensu perforasse, quorum etiam *Solenander sect. 5. consilio 15.* meminit. Hæc misera, licet ex meo consilio multis usa sit medicamentis, ut decoct. vulnerariis, sudoriferis, balneis sulphureis, ac arte paratis, purgationibus; quibus nonnunquam vermes necantia admiscui; nihilominus tamen ad cicatricem abscessus iste perduci non potuit. Aliquando bolum ex *saech. rubeo cum ☿ vivo ad ℈js. addita pauca conf. Ros.* & nonnullis guttulis ol. Spicæ exhibui, cujus beneficio maximam vermium copiam, majorum minorumque, cùm per inferiora, tùm per dictum abscessus istius foramen rejecit; imò indies per idem foramen etiamnum egrediuntur. Ex hisce vermibus dejectis in hanc veni suspicionem, etiam hisce mulierculis intestina fuisse perforata, alioquin esculenta & potulenta effluere non potuisse. Verum in hanc usque horam fæmina hæc commiseratione digna, à vermibus exeuntibus, aqua lutea emanante, nec non atroci ventris infimi lancinatione graviter affligitur, &c. Scriptum Campoduni.

Mercurius crudus in vermibus exhibitus.

Intestinorum perforatio.

OBSERVATIO XIX.

Ulcus umbilici, per quod excrementa alvi rejiciebantur

Ex literis ejusdem, sub dato 22. Febr. 1625.

ANno currente 5. Januarii ad infantem cujusdam textoris, sesquiannum agentem vocabar: & licet tum temporis aliis occupatus essem negotiis, nihilominus tamen rei novitate motus, è vestigio in pedes prosiliens, concitato gressu ad domum patientis propero. Ingresso itaque hypocausto, parentes infantem in cunis jacentem, totum emaciatum atque extenuatum, distento tamen mirum in modum ventre, cum umbilico læso demonstrant. Huic petia linea erat imposita, quemadmodum in infantibus mulieres facere consueverunt, quâ detractâ, alvi excrementa in illa, certissimo oculorum judicio, adhærere deprehendi. Post umbilicum inspicio, angustum anfractum, in modum fistulæ, ad interiora currentem, ex quo me præsente, sanies putida emanabat, animadverto, quâ abstersâ, alvi excrementa vicissim per dictum anfractum egrediebantur, eandem faciem formamque repræsentantia, prout per alvum quoque secernebantur. Huius ulceris curationem, quia viribus admodum debilis erat infans, suscipere nolui, veritus, ne fortè mihi contingeret, quod aliis, qui, non sine famæ dispendio, disperatorum affectuum restitutionem promittunt, quippe cùm non solùm umbilicus, sed etiam intestinum hîc ulcere maligno laboraret, quo viribus consumptis paulò post infans natura debitum solvit.

Fistulosum ulcus umbilici, ex quo alvi excrementa rejiciebantur.

OBSERVATIO XX.

Abscissio femoris in corpore atrophiâ consumpto.

ANno M. DC. XXVII. sub initium Junii, civis quidam Murarii artificii, Johannes Schmidt, ad filiam, annorum ætatis viginti duorum, me vocat, simul etiam me certiorem facit, quod jam per triennium ferè fistulosis ulceribus circa genu dextrum laboret, occasione levi, quam ex lapsu quodam contraxerit. Accedens igitur corpus ipsius laborantis penitùs consumptum & emaciatum invenio, quam ob causam in consumptionis causam inquirens, intelligo, ciborum appetitum nunquam non adesse, cum subsequentibus excretorum notis, indicio, concoctiones viscerum minimè accusandas. Hinc igitur statuo, non tantùm vehementissimos partis affectæ dolores continuos, sed etiam ipsa fistulosa ulcera succum omnem laudabilem reliquis partibus exhaurire, quam ob causam tanta saniei materia copiosè quotidiè profluebat, putredine sua fœtida non parum naribus molesta. Cùm autem non levi conjectura colligeretur, totum tibiæ caput una cum patella cariosum esse, adeoque spes consolidationis nulla superesset, de pedis supra genu amputatione deliberandum erat, utpote quam ipsa patiens admodum desiderabat, mori potiùs, quàm tantis cruciatibus ulteriùs excarnificari cupiens. Viribus igitur utcunque constantibus adhuc spe freti, fore, ut sublato membro corrupto, succus alimentalis reliquo corpori vicissim communicetur, ipsamque consolidationem eò citiùs in juvenili corpore, visceribus minimè laborantibus, promoveat, amputationem femoris in superiori parte per Chirurgum exercitatum, *Ioh. Georgium Baulerum*, (desperantibus aliis) VII. Junii instituimus, eo ferè modo, quem amicus noster, *Dn. Guiliemus Fabricius lib. de Gangræna, cap. 19.* præscribit, ubi singulari industria, diversis in hanc rem fabricatis forcipibus, majoribus & minoribus, protinus vasa majora prehensa, ligataque fuerunt, ut parùm omninò sanguinis profunderetur, dextrè postea cauteriis actualibus, inprimis extremitati ossis, adhibitis, tùm etiam pulveribus stegnoticis, inprimisque periculosis in locis, ubi maximè sanguinis eruptio timenda videbatur, *Composito sperniola*, cum petiis applicatis, unà cum reliquo apparatu, quem citato loco *Dominus Fabricius* diligenter describit. Peractis his, pedem abscissum interius, quoad tibiam, fibulam, atque patellam circa genu & inferius ad dimidiam usque suram, omninò cariosum atque corruptum, ulceribus fistulosis, tendines atque nervosas partes consumentibus, ansam præbentem, invenimus, femoris parte abscissa penitùs, ad votum & expectationem nostram, adhuc sana consistente. Feliciter igitur operatione peracta, ῥωςικοῖς naturam confortare conati sumus, & vesperi Laudanum Opiatum cum Magisteriis gr. v. exhibuimus, cujus beneficio nox quieta subsequuta fuit. Quan-

Causa atrophiæ in hoc subjecto.

Indicatio amputationis.

Quanquàm verò viij. Junii, die subsequenti, levis interdum lipothymia cum indiciis convulsionum deprehenderetur, ita tamen Dei gratiâ per corroborantia viribus prospectum fuit, ut nox iterum quieta sequeretur. Audacter itaque prima deligatio ix. Junii suscepta fuit, eaque ex voto, sanguine totaliter subsistente, peragebatur, qua ratione postea, tàm interius, quàm exteriùs dextrè procedendo brevi sanitati restituebatur ægra, pedetentim atrophia totius abeunte, totoq; corpore suum incrementum recipiente, ita ut jam corpulenta satis, grallæ beneficio, sine difficultate progrediatur.

OBSERVATIO XXI.

Contumax & diuturna tibiæ exulceratio, ad varicum rupturam subsequens, feliciter curata.

QUàm difficilis sit varicum curatio, patet ex *Rhase, Aëtio, Grado, Gattinaria & aliis*, quorum assertiones compendiosè contraxit *Forestus lib. 29. observ. 24. & 25.* Mitiora veterum Chirurgiâ sunt media, quæ præscribit *Hieronymus Fabr. ab Aquapend. part. 1. operat. Chirurg. cap. 105.* Inprimis verò varices exulceratæ Chirurgis & Medicis plurimùm negotii facessere solent. Hoc modo fœmina quædam honesta, triginta, plus, minus, annorum, constitutione sanguinea, post frequentia puerperia, varicibus etiam per multos annos afficitur, quæ tandem in tibia rumpuntur, & ulcera mali moris introducunt. Cùm autem per annum unum atque alterum Empiricorum opera frustra uteretur, & inflammata tota tibia parùm levaminis ab adhibitis medicamentis experiretur, tandem Anno M. DC. XXIII. sub initium Februarii, meum implorat auxilium. Mox igitur in causas mali diuturni inquirens, *antè omnia toti prospiciendum; deinde partem affectam quoque minimè negligendam esse dicebam.* *Prius* absolvimus digestivis & evacuantibus appropriatis, per septimanas aliquot reiteratis, venæ sectione simul etiam adhibitâ, nimirum ordinato decocto galli decrepiti, cum iis, quæ serosos & adustos humores per vices educerent, ut erant Electuarium Caryocostinum, Pulv. Mechoacæ nigræ, cum Rhab. & Magist. Tartari Vitriolati, Syrupus de Spina Cervina cum Syr. de Manna, de Carthamo, Rosar. solut. &c. *Posterius* autem lenita primùm partis affectæ inflammatione, potissimùm sequentibus absolvebatur. Detersio mundificans talis erat.

Curationis scopus.

℞. *Aluminis*, ℥j.
Cerussæ Lithargyrii, ana ℈j.
Mastiches, Thuris, ana ʒß.
Camphoræ. gr. vj.
Fiat pulvis, qui linteo comprehendatur, & in aq. Plantag. coquatur, quâ fiat ipsius partis exulceratæ diligens abstersio, superposito postea Emplastro, quod sequitur.

℞. *Lithar. Cerussæ. ana* ℥j.
Thuris Mastich. ana ʒß.
Camphoræ ℈ß.
Vng. Rosi. ʒß. *Ceræ Terebinth. an partum, f. Emplastrum.*

His ita continuatis, victus ratione non neglectâ, simulque fasciâ longâ ab inferiori parte sursum versus adhibitâ, quæ semper aqua fontana frigida primùm inebriata, & vicissim expressa fuit, ad votum consolidatio subsequebatur, ut jam in quintum annum nihil ulterius patiens conqueratur.

OBSERVATIO XXII.

Gangræna pedis inferioris præter spem absque sectione curata.

TAnta sæpè malignitas in *Gangræna* concurrit, ut Medicis atq; Chirurgis omnis agendi occasio prætereat labatur, cujus rei exemplum sub finem *Problematum Medicorum* proponitur, ubi Gangræna ex contusione totum crus, scrotum & inguen spacio 24. horarum mirâ celeritate invasit, atque ægrum è medio sustulit, quemadmodum ex *Epistola Clariss. Fabricii, meoque responso, à pag. 389. usque ad finem* pluribus patet: Sic etiàm interna gangræna post calculi sectionem subitò laborantem occidens *inferius in appendice libri hujus* enarratur. Sæpiùs quidem lenta est corruptio, quando pedetentim extremi digiti moriuntur, ob debilitatem caloris nativi, propter causam internam, cujus rei *exemplum lib. 3. de morbis pect. observ. 8. in peripneumonia maligna* proponitur, in qua tandem pedum tumor, & extremorum digitorum sphacelus oriebatur; vel etiam *in extremâ senectute* idipsum fieri solet, quod accidit octuagenario cuidam antè triennium, cui digitus major dextri pedis sensim gangræna nigrescebat, quo per sectionem reciso, licet in parte penitùs sana, nulla tamen sanationis spes oriebatur, sed ulterius corruptio de novo prehendebat, & paulatim per septimanas aliquot versus partes superiores pedis serpebat, donec tandem exhaustis omninò viribus, naturæ satisfaceret. Admiratione non caret exemplum quod sequitur. Anno M. DC. XXVI. Johannes Dielin, annorum 44. in vicino Monasterio Wiblingensi minister cellæ vinariæ, postquam per multos annos dolore quasi convulsivo sinistri pedis in musculosis partibus afflictus esset, cumque non aliter quàm scarificatione sæpiùs iterata in exteriori pedis parte corraccess rexisset, mense Majo, proprio consilio, non consulto Medico, nec etiam corpore præparato, thermas adit Bollenses, quarum usu protinus in principio circa femoris articulationē dolorem ex affluxu deprehendit, qui post dies aliquot remisit, deorsum ad plantam atque digitos pedum materia commota, quo in loco tumorem & lancinantē dolorem produxit externa cute quadantenus livescente, donec exulceratio pustulosa sequeretur, ex qua serosa sanies non absq; dolore, copiosè, per septimanas aliquot profluit, quæ tandem sub finem menstrui

Vide Problem. nostra Medica sub finem.

Gangræna lenta ex morbo acuto.

In extrema senectute.

Observatio notabilis.

Thermarum usus cautè instituatur.

 spacii

ſpacii viciſſim ope balnei conſolidata fuit. Cùm ergò balnei laboribus exantlatis ſeſe reſtitutum jam ſtatueret antè abitum, pro more ſuo, ſcarificationem non ſolum in dorſo, ſed etiam, ut alias ſolitus erat, in externa planta pedis laborantis inſtituit, ſanguine ibidem copiosè profluente, quibus peractis, eques Ulmam verſus abiit, ubi medio nondum itinere perfecto, ſtuporem pedis affecti totius deprehendit, ut non abſque moleſtia tandem domum uſque perveniret.

Error Empirici.

Cùm autem ſtuporem pedis dolor atque affluxus exciperet, extemplò balneatorem vicinum advocat, qui *Lac Virginale*, quod vocant, applicat, quamvis exterius, neque calor vel inflammatio quædam deprehenderetur. Hoc continuato, pedetentim calor ſuperſtes, alias debilis, in extremis digitis, emoritur, quam ob cauſam ex Chirurgis noſtris duos peritiores advocant, nimirum *Ioh. Iacobum Merckium Lithotomum, & Ioh. Georgium Baulerum*, qui protinus gangrænam digiti majoris, unà cum vicino, totaliter ſphacelo correpto conſpiciunt, ideoque rectè lac iſtud Virginale rejiciunt, & ea adhibent, quæ fluxionem ad partem affectam inhibeant, materiamque congeſtam evacuent, atque parti affectæ, quantum poſſibile, ſuccurrant. Præmiſſis igitur univerſalibus, in ordinata diæta, tùm etiam quotidianis alvi laxationibus, lenitivis medicamentis procuratis, conſiſtebant, inſuper affluxus ulterior præcavebatur *Defenſivo Dn. Guilielmi Fabricii, quod ex Chalmeteo lib 1. Chir. cap. 3. deſcribit lib. de Gangran. cap. 13.* ſanæ parti, circa pedis articulationem cum tibia appoſito, mox partis affectæ *ſcarificatione* inſtituta juxta, *Paulum Æginetam lib. 4. cap. 19.* & corruptis ſanguineis ichoribus *decocto Salis, Aceti & Aquæ vitæ* diligenter deterſis, ſuperaddito tandem cum petiis *Ægyptiaco Magiſtrali* prædicti Fabricii, quod hoc modo conficitur.

Scopus Curationis convenientis.

Ægyptiacum Magiſtrale.

℞. *Æruginis* ℥ij.
Mellis opt. & cum decoct. Abſinth. & Scordii deſpumati. ℥viij.
Aceti Scyllit. ℥iij.
Alumin. rochæ. Sal. Ammon. ana ℥ß.
Succi Rutæ. Scordii. utriuſque Alliariæ. ana ℥jß.
Coque ad ſpiſſit. mellis: deinde admiſce Theriacæ opt. Mithridatii. ana ℥ij. *Camphoræ (plurimum enim penetrat & putredinem inhibet)* ℥ß. *f. Vnguentum.*

Undique pede læſo hoc modo contecto, ſuperaddunt *Cataplaſma ab eodem citato loco* deſcriptum ex farinis, & herbarum putredini reſiſtentium pulveribus, in oxymelite leviter tantùm coctis, & poſt coctionẽ *pulv. Aloës, Myrrhæ & Aquæ vitæ*, additis. Omnia hæc ſæpiùs reiterabantur, eſcharâ per Ægyptiacum introductâ, non per ſcalpelli aciem, cujus attactum hujus loci nervoſæ tendinoſæq; partes non perferunt, ſed beneficio linimenti ex Melle roſaceo cum farinâ hordei, &c. pedetentim ſeparatâ, ſemper Ægyptiaco de novo ſuperaddito. Cum autem nihilominus verſus partem ſanam corruptio ſerperet. Reverendiſſimus Monaſterii dicti Præſul, in gratiam ſubditi decumbentis, me quoque vocare juſſit, quò deliberatio ſuſciperetur, num id, quod corruptum, recidendum ſit, ne pars ſincera trahatur: an ſcilicet amputatio pedis anterioris tentanda, priuſquam calcaneus quoque corrumpatur.

Cautio in ſeparatione eſcharæ.

An amputatio tentanda deliberatur.

Quanquam verò, cognito morbi progreſſu, illius eram opinionis, abſq; ulteriori deliberatione, per ſectionem in ipſa articulatione metapedium à pedio tutiſſimè ſeparari poſſe: nihilominus oculari demonſtratione poſt deligationem, præter ſpem etiam Chirurgorum, obſervabatur, malum ulteriùs non ſerpere, ſed corruptam partem à ſanâ ſeparari, circulo rubro, exquiſiti ſenſûs, inter ſanam atque mortuam carnem apparente, materiâ albicante, puris ſpiſſioris inſtar, ſeſe oſtendente, quam ob cauſam verum eſſe deprehendimus, quod dicit Dn. Fabricius de ſuo Ægyptiaco; *nimirum primarium eſſe remedium in Gangrana, laudabilemque eſcharam generando carnem mortuam à viva ſeparare.* Concluſum itaque, ſuprà dictis remediis ulteriùs continuandum eſſe, loco *Defenſivi*, quod non amplius neceſſarium eſſe videbatur, ne nativi caloris operationem retardaret, *fomentatione* quotidiè bis & noctu ſemel adhibita, quæ fiebat ex decoctione capitis, pedum atque interaneorum vituli, eò uſque, donec oſſa ſponte ſecederent, omnibuſq; poſtea minutius inciſis, & brodio immiſſis, iteratò elixis, & colatis, ac triplicatis linteis toti pedi inferiori; poſt factam ligaturam convenientem, idque ea intentione, qua *Dn. Fabricius* ſimilem fomentationem in Gangrænâ per excedentem ſiccitatem introductâ commendat, propterea, quod pedis inferioris tendinoſa, nervoſaq; ſit ſubſtantia. Quomodò procedendo, duodecim circiter dierum ſpacio, pars ſphacelata ſeparabatur à ſanâ, nudis oſſibus atq; tendinibus, ac nervis in conſpectum venientibus, ubi, *linimento mellis roſacei aliquid olei Terebinthinæ*, propter nervoſas partes roborandas, & oſſibus ſeparandis, *pulv. ex rad. Ariſtol. rot. Peucedani, Irid. Florent. & ligni Guajaci, ana part. æqu.* addiderunt, fomentatione dictâ rurſus intermiſſâ. Continuatis hiſce, primò digitorũ oſſicula ſphacelo corrupta pedetentim ſeparata fuerunt, uſq; ad oſſa metapedii, quorum duo exteriora, cum digito majori & minori contigua, labem corruptionis etiã contraxerant, quæ tamen non totaliter, ſed ad partem dimidiam, frequenter aſperſo prædicto pulvere, ſponte ſua deciderunt, reliqua parte ſanâ paulò poſt carne creſcente viciſſim obducta. Tandem igitur, ubi nulla cariei oſſium ulterior ſuſpicio, per incarnantia & conſolidantia pes quaſi detruncatus cute viciſſim occalluit, ut æger ad votum ab interitu liberatus, in hanc horam Deo & Hygieæ gratias immortales agat.

Signa ſeparationis viventis carnis à mortuâ.

OBSERVATIO XXIII.

Gangræna deplorata in febri malignâ per errorem extremis introducta.

TALIS eſt caſus à Clariſſ. Dn. D. Bartholom. Merclino communicatus, cujus verba ſic habent. Anno

Immersio manuum in aquam frigidam gangrænæ causa.

Anno 1586. Posonii cum Medicinæ candidatus versarer, apud Chirurgum tonsorem, *Dn. Christoph. Eckhardum*, viri tum primarii, *Dn. Andreæ Heindelii*, Pharmacopæi artis peritissimi servus, *Severinus Franz*, ex Marchionatu Badeno oriundus, febrim incidit ardentissimam, calore p. n. corpus exurente: refrigerationis causa, vetulam astantem, situlam gelida plenam apportare rogavit, quo facto, manus aquæ immersit, & cum benè secum agi existimaret, atque incendii æstum deliniri, extinguique animadverteret, diutius ita retinuit; his tandem extractis, nigredo ambas livida deturpat cum sensus privatione. Quæ ἀναισθησίαν cùm suspicionem sinistram accedentibus afferret, Chirurgum, artis imperitum, vocant. Malum cum infortunio ad aliquot dies absque ulla salutis spe, auctum protrahitur. Hoc igitur dimisso, alius exercitatior *Martinus Brechtler & Christoph. Eckardus* accersuntur: laborant hi anxiè pro calore nativo revocando, & manibus ad integritatis statum reducendis, sed incassum omnis abiit labor. Quatuor enim digitis manûs dextræ & duobus sinistræ, annulari & minimo detruncatis, vitam & digitos, pro delectamento refrigerationis, amisit.

OBSERVATIO XXIV.

Gangræna extremorum ab internâ causâ progenita.

EJUSDEM.

Intempestivus usus acidularum noxius.

ANno 1596. Vir Consularis, Dn. Christoph. Kupfer/ Dillinganus, suomet consilio acidulas, corpore non præparato, accessit: bibit, pleuritide corripitur, quam negligens, bibendo, cùm nihil referre putaret, perrexit, dolore pungente, licet sudaret, crescente, nec inducias ullas faciente, tussique sicca graviter auctâ, aquis relictis, 30. Junii, domum repetiit: me vocato, alvus clysterio subducitur, vena secatur, fomentationes, inunctiones & sudoris promotiones imperantur, sed sine fructu. 7. & 9. Julii deliria, 12. Julii Icterus, cum urinis olei lini instar tinctis, 13. Julii Coma occupat, a quo difficulter excitari poterat; accessit (instante 14. die Julii, sed invasionis quotus fuerit, indagare certò non potui, cùm peregrè in acidulis initium ceperit) materiæ crassæ, fætidæ, sanguine permixtæ, cum virium lapsu, expectoratio; sub vesperam dextri pedis, ad extremos usque digitos; item sinistræ manûs, cum metacarpio, ad minimum usque digitum, livor & nigredo, & tandem omnis caloris nativi cum sensu extinctio. Chirurgus *Michael Berchtold*, artis exercitatissimus, nihil quod ad salutem spectabat, ad 19. Julii usque indefesso studio, & diligentia intentarum prætermisit: sed atrocitas mali, omnem ἐνέργειαν exquisitissimorum medicamentorum elusit, vitamque eripuit. Ex quo cum *Dodonæo obs. 27.* expertus sum, interiora hujus viri omninò corrupta fuisse: ita ut exterioribus inde ruina, vitæ discrimen, & amissio, extiterit.

Eodem modo notatu quoque digna est historia ejusdem, quæ sequitur. Arcularius Michael Kauffmann / civis Lavinganus, febre laboravit ardente, dato, ut ipsemet mihi retulit, medicamento, purgandine, an sudoris promovendi causa datum fuerit, nescire se ampliùs significavit; ultrò tamen sudâsse: post sudorem surgere volens, dextro pede inniti non potuisse, per femur rectà, & totum pedem ad extremos usque digitos defluere aliquid sensisse, statim ἀναισθησίαν, & Gangrænam pedem occupâsse, tantâ malignitate, ut febris soluta, pedi naufragium, & jacturam conciliaverit, & fulcro ligneo, pedis vice, jam uti cogatur.

Ardens febris non rectè curata gangrænæ causa.

OBSERVATIO XXV.

Gangræna in corpore cacochymico vi purgantis vehementioris introducta.

EJUSDEM.

Lazius l. 8. de Suevis. fol. 144.

N. N. Præfectus domûs illius, quæ Lavingæ pontibus reficiendis & viis reparandis (vulgò Bruggshauß nominant) dicata est, à Nobili & Generosâ Gisela, Dn. Werneri à Schwabeck & Balatzhausen conjuge. Hic cum hyeme asperrima, sub infesto frigore cum servis, lignorum quercinorum grandium convehendorum causa, in sylvam longè dissitam toto die exiisset, pedes, maximè dextrum, frigore ita corrupit, ut continenter post frigerent, stuperentque: adventante vere, corpus purgare volens, ab agyrta medicamento furiosè purgante sumpto; illicò in pedem dextrum humorum facta est translatio, qui malignitate & copia calorem partis jam antè fractum & debilem suffocando, omninò possumdederunt, & repentinam gangrænam, quæ multis & idoneis applicatis medicamentis, integritati, sine pedis & vitæ amissione restitui non potuit, induxerunt. *Ex hoc, & aliis exemplis palàm est, periculosum esse, corpora humoribus impuris repleta, & vel naturâ, seu ab ortu, vel accidente externo debilia facta, medicamentis aggredi agonisticis. Violenter enim motis humoribus, pharmacis atrociter agentibus partem materiæ peccantis ad loca debiliora protrudunt, & calorem partis strangulando, exitium afferunt.*

Cautio quoad purgantia vehementiora.

OBSERVATIO XXVI.

Abscessus profundus in natibus.

Q*Vanta sæpius pus in profundo latens symptomata terribilia producat, quotidiana patet experientia, cujus gratiâ sequentem ejusdem Dn. Merclins causam subjicio.* Civis, inquit, Lavinganus, Georgius Breß/ qui variarum rerum mercaturam, inprimis ferri, exercebat, aliquando retrò cecidit, & natem dextram massæ ferreæ graviter impegit: dolorem, quia tolerabilis erat, nihili fecit. Elapsis verò quatuordecim diebus, dolore ingravescente, Chirurgum vocat, qui cum nec tumorem, nec ruborem animadverteret, cataplasma anodynum digerens & maturans applicat: tan-

dem

dem pus subesse deprehendens, aperire, nisi medico præsente & annuente, noluit. Vocor ego tanquam familiaris, explorando, pus, sed in profundo valde, certò cognovi: difficultatem tamen apertionis in altum, astantibus affinibus atque cognatis, ne terrerentur, prædixi. Itaque Chirurgus manum admovet, & cultro Chirurgico ponderoso, lato, in apice resimo, ad unius digiti profunditatem vulnus infert, & una vice sesqui pelves tonsorias puris, cum magno patientis levamine & virium constantia exhausit. Factis postea faciendis, sine negotio, brevi temporis spacio restitutus est. Hinc veritatem Aphor. 41. lib. 6. didici: pus latens, si nullam de se notam det, ob crassitudinem vel loci profunditatem accidere.

Sectio profundi abscessus.

OBSERVATIO XXVII.

Abscessus Umbilici monstrosus.

EJUSDEM.

Anno 1624. adcursum est ad me ex pago **Aißlingen** nomine uxoris Nicolai **Schillers**. Significatum 19. Martii illam repentè frigoris quodam sensu, subsequente calore, lassitudine totius, torminibus, spirandi difficultate, tussi, copiosa & fœda expectoratione, dolore capitis, siti, nausea correptam: tandem circa Umbilicum grandem tumorem magno cruciatu enatum esse. Heri 29. Martii sponte ruptum, & materiam albam, puris instar lentam, ad mensuras sex (ostendens ollam 2. mensurarum capacem, dicens per vices ter illam repletam fuisse) effluxisse mihi refertis, qui consilium petebat nec dum omnino finem esse, quin aliquid exudet. Viribus tamen non deficere, imò melius jam, & levius habere. His examinatis, præter diætam ordinavi lenitivum sequens, R. Decoct. flor. & fr. cum Sena & Agar. aucti ℥iij. Elect. Diacathol. ʒvj. Syr. rosat. solut. ℥js. Misce, fiat haustus. Huic subjunxi apozema ex sero caprino, cum radice Eryngii Petroselini, Fœniculi, Filipendulæ, pauxillo Symphyti, Her. Alchimillæ, Hederæ terrest. Fumariæ, Pyrolæ, Saniculæ, sem. Melon. &c. simul tonsore, qui ulcerati loci curam gereret, adhibito, ubi rectissimè convaluisse postea significatum fuit.

Magna copia puris ex Umbilici abscessu.

OBSERVATIO XXVIII.

Abscessus gulæ lethalis.

EJUSDEM.

Anno 1624. me convenit Banthelius **Braun** / ex **Burgau** Marchionatus, referens, se ab anno integro, usque in Autumnum 1623. præteriti anni, in præcordiis semper rosiones, punctionesque sensisse, cibi potusque appetitum propterea non diminutum, nec in opere faciendo impeditum fuisse. In Autumno anni præcedentis 1623. spinam acutam ligneam, articuli longitudine ab ore se rejecisse. In Januario hujus 1624. anni, longiorem, cum multo phlegmate & sanguine, hinc dolorem pungitivum cessasse, sed nihil cibi potusve perfectè deglutire & ad ventriculum demittere se posse, quam primum ad locum, ubi dolor fuerat, ingesta perveniant, illicò sursum regeri & ejici. Fieri quandoque, ut œsophagus totus cibo distentus per totam noctem turgeat: manè in cæna sumpta demum non confecta & cruda ejiciat. Hinc cum nihil ad ventriculum deferatur, viribus se exhauriri & contabescere conquestus est. Ex cujus relatione certâ conjecturâ observavi, ab ultima spinæ cum sanguine ejectione locum in abscessum degenerasse, qui cibis transitum ad ventriculum impediendo, marcoris & consumptionis totius corporis causa existat. Medicamenta, quæ oretenus tunc proposueram, ob paupertatem opinor non admisit, interim usque in Majum miserè vitam produxit, tandem consumptus naturæ concessit.

Spina lignea ex gula rejecta.

Abscessus gulæ occasio.

OBSERVATIO XXIX.

Ulcus fistulosum circa regionem vesicæ.

Vir Magnificus & Clariss.

DN. JOHANN. FABER.

Med. D. Com. Palat. Cæs. & Sereniss. Elect. Bavarici Archiater,

GREGOR. HORSTIO, D.

Salutem & officia mea paratissima, &c. Tempore veris præterito, in fine Maji, fui vocatus ad quendam Nobilem Virum periculosè laborantem, cum quo curandi causa aliquot diebus mansi: interea temporis, filius cujusdam Agricolæ, homo rudis, ad me consilii causa venit, conquerens de maximis rosionibus & doloribus inferioris ventris, ab aliquo tempore miserè afflictus, causam conjeci in lumbricos, eâque intentione dedi *Spec. Diaturbith. cum Rhabarb.* ℈iij. & ecce! à prandio ad me rediens, Ranam seu potius Bufonem, colore subnigro, & parvis pustulis refertam, ad me tulit, & cum terna sede hoc animal simul rejectum & evacuatum esse dixit, verùm levamen nullum sentiens, ulteriorem opem imploravit meam, quare vesperi ituro cubitum (cùm aliud medium conveniens apud me non haberem,) exhibui *Cornu cervi rasi & Absinthii ana* ℈ij *in aceto fortissimo*, ad stuporem inducendum, si plura adessent animalia, manè deinde sequenti rursum *Spec. Diaturb. cum Rhab.* ℈iij. *additis Troch. Alhand. gr. iiij.* dedi, & adhuc tria non absimilia priori animalia, cum materiâ fœtidissima, ejecti fuere, patiensque sanitatem recepit pristinam. E Chirurgicis casibus sequentem communico.

Casus singularis de bufonibus in ventre genitis.

Vir annos natus plus minus 33. temperamento pituitoso, & toto corporis habitu cacochymo, Anno 1620. è casu quodam fortuito circa regionem vesicæ, incidit in ulcus, quod malè curatum, tandem in fistulam abiit, quam annis sex ægrè tulit, & variis frustrà adhibitis, tandem

Observatio Ulceris fistulosi.

dem me vocavit, affectum inspexi, & inveni locum humidissimum, ulcerosum, & fistulosum, sinum unum satis profundum habentem ad penem, & plures alios tortuosos quasi anfractus, labyrinthi instar, quos instrumento experiri non potui. Prædixi periculum, incertam & dubiam curationem, non tamen omninò desperandam. Curationem itaque secundùm sequentes indicationes institui: 1. cùm affectus à totius corporis, humiditate madentis, vitio, ex imbecillitate ventriculi & hepatis, dependeat, in eam curam incumbendum esse statui, ne humiditas illa indies augeatur; deinde quæ præsens est, idoneis auxiliis absumatur: 3. ut visceribus tonus ac robur restituatur: ac denique fistula à callo & carne putridâ liberetur, & probè repurgetur; carne impleatur, & denique consolidetur. *Quoad primum*, probam victûs rationem, atque sex rerum non naturalium regimen pro ratione morbi rectè instituendum esse duxi, ut aërem nocturnum & vespertinum, humidum, frigidumque fugiat, somno neque longiori, neque breviori, aut diuturno utatur: victus ad calidum & siccum accommodetur naturâ & arte, &c. 2. Materiam peccantem decocto Erasti (cum æger aliquo modo à medicamentis abhorret) parùm tamen mutato, evacuavi, hâc ratione:

Indicationes curativæ.

℞. *Sarsaparill. incisæ & contusæ crasso modo;*
Scobis Ligni Guajaci, an. ℥ijß.
Rad. Chinæ incisæ, Cornu Cervi usti ana ℥ij.
Aq. fontis ferventis ℔viij. *macerentur per* 24. *horas, deinde ad prunas candentes coquantur ad consumptionem quarta partis ferè, quo tempore injiciantur sequentia:*
Epithymi, Fol. Senæ el. ana ℥ß.
Rad. Mechoac. contusæ crasso modo.
Hermodactylor. orient. similiter tus. ana ℨvj.
Sacchari. ℥ij. *vel quantum videbitur.*

Ultimò addendo *Cinamomi ac.* ℨij. ab igne remota benè tecta refrigerentur, post residentiam fiat colatura per manicam Hipp. ut sit clara aqua, quantum fieri potest. Hoc decocto per decem dies ad ℥vj. quotidiè adhibito, lentè fuit evacuatus cum bona tolerantiâ. Hoc absumpto, *Hydroticum* suasi è *Ligno Guajaco & Sarsaparillâ, cum momento Sassafras, aromatisatum cum Passulis & Cinamomo:* & primo decocto pro sudorifero; secundo verò pro potu ordinario usus est per mensem. Tandem corroborationis causâ Electuarium passulatum *Iulii Alexandrini* hâc ratione præscripsi:

℞. *Passul. enucleat.* ℥iijß.
Fisticor. ℨij. ℨij.
Cuscutæ. ℨjß. *Cinam. el. Schananth.*
Cass. lign. ana ℨß. *Croci* ℨij. *Spodii* ℨj.
Sant. alb. & rubr. ana ℨij. *Sacch. albiss. in vino odorifero dissoluti.* ℔ijß. *f. s. a. Elect.*

Interea verò temporis externa medicamenta neglecta non fuêre, & omnium primo sinus fistulæ dilatavi *medulla sambuci exiccata*, quantum fieri potuit: dein callum abstuli *phlegmate Spir. vitrioli:* Repurgavi aqua sequenti destillata.

℞. *Rad. Pentaphyll. Arnoglos. major. rec. ana* ℥ß.
Herb. Chamadr. Scabios. ana Mj.
Summit. Centaur. min. Rorismar. ana Mij.
Vini albi opt. ℔vij. *coque parùm: stent* 24. *horis, dein destillentur.* ℞. *Hujus Aquæ* ℥ijß. *adde*
Succi Apii. Mell. Ros. col. ana ℨij.
Alum. sacchar. ℨj.
Misce, immittatur ad fundum usque fistulæ Syringâ.

Et ultimò ad carnem implendam & consolidandam accepi *dictæ aquæ* ℥vj. *addidi Aloës hepat. Myrrhæ, Sarcocollæ ana* ℨij. *facta una alterave ebullitione, colaturam injeci:* Et semper *Emplastro Oppoteldoch magno Theophrasti* apposito, spongiam in dicta aqua madefactam, expressam tamen, ad excipiendam saniem imposui, & his medicamentis sanitatem restitui per gratiam Dei, cui laus & gloria in omne ævum. Lubens plura scripsissem, modò tempus & occasio fuisset, sed hæc propter nuncii abitum celeriorem sufficiant pro nunc, modò non nimiùm serò. Hisce Mag. T. benè valeat cum suis, meque ut facit, sibi commendatum habeat. Landishuti die 31. Julii. 1628.

OBSERVATIO XXX.

De Exulceratione narium malignâ diuturnâ.

Ad prædictum Virum Magnificum, &c.

GREGORIUS HORSTIUS, D.

SExpectatas tuas literas, prid. Cal. Aug. datas, rectè mihi traditas fuisse scias, Vir Magnifice, Nobilis & Clariss. fautor & amice pl. colende, quæ duplici nomine mihi gratissimæ fuerunt, tàm quod amoris ergà me tui continuationem testarentur, quàm etiam quod unam atque alteram observationem Medicam notatu dignam simul etiam communicarent. Admiratione non caret casus prior de Bufonibus, ope medicamentorum expulsis. Verisimile videtur, rusticum istum, vel inscium etiam, seminarium aliquod hausisse, cujus ratione pedetentim postea, principio isto vi caloris actuato, tales bufonum aquaticorum species, progenitæ fuerunt. Posterior historia digna quoque publicatione, quo videant juniores, etiam in cacochymicis fistulosas exulcerationes curationem admittere, quanquam singularis Medici dexteritas, & ipsius ægrotantis obedientia promptè requiratur. Similis ferè, quoad curationem, casus est subsequens, ubi nullum non movi lapidem, quò toties exoptatam sanitatem laboranti restituerem. Puella circiter annorum 25. civis atque pistoris hic filia,

Causa generationis bufonum in præcedenti historia.

Historia curationis in ulcere narium maligno.

filia, constitutione corporis phlegmatica, cum sanguinis serosi superabundantis notis, per annos aliquot exulceratione narium, interiùs & exteriùs laborat, fistulosis quoque tuberculis saniem serosam effundentibus ad oculorum angulos conjunctis. Quanquam verò sæpiùs reiteratis evacuationibus, venæ sectionibus, & externis exiccantibus usa fuerat, semper tamen in pejus malum abire videbatur; ideoque sub initium Maji, currentis anni, consilii causa cum matre me convenit, & auxilium Medicum implorat, suamque promptitudinem & obedientiam sanctè promittit. Considerata naturâ subjecti laborantis, cacochymiam phlegmaticam, cum sanguinis serosi superabundantis acrimonia conjunctam, inprimisque caput unâ cum reliquo corpore madidissimum deprehendo quod copia mentium stato tempore fluentium, tùm etiam fluxiones ichorosæ, oculorum, somnus profundior & alia testabantur: pars autem læsa, nimirum nasus, exterius & interius exulcerationem exhibebat satis magnam diuturnam, oras duas, callosas atque tumentes exhibentem, saniem non multam, sed tenuem profundentem, dolore modico præditam, nec etiam inflammatione admodum urgentem, ita ut descriptio *Ulceris Chironii*, quam *Celsus* habet, menti succurreret, qualia ulcera difficulter sanantur, adeoque dysepulotica, cacoëthe, & Telephia dicuntur.

Natura subjecti laborantis.

Ulcus malignum Chironium.

Facto igitur prognostico, restitutionem spondeo, sed reciprocâ factâ promissione, si per menses duos ad minimum, & in victus ratione, & in usu medicamentorum monitis meis obtemperatura sit. Hac conditione, menstruis evacuationibus consuetis peractis, primò *laxativum hydromel* ordinabatur per octiduum, cujus operatione quotidiè succedente, tandem *Venæ sectionem* instituimus, hoc modo scilicet corpus ad subsequentem aliorum medicamentorum usum præparando. Cum enim ejusmodi diuturnis exulcerationibus, difficulter & ægrè cicatricem admittentibus, mederi non possimus, nisi primum causas earundem submoveamus & abscindamus, ac deinde malignam ulceris correctionem aggrediamur: idcircò necessarium erat, ut totum corpus à cacochymia & copia serosi sanguinis liberare conaremur, antequam ad curationem particularem accederemus. Hinc ergò per mensem curam sudoriferam imperavimus, quæ sic ordinabatur: ℞. *Ligni Guajacini.* ℥vj. *cort. ejusdem.* ℥jß. *Sarsaparigliæ.* ℥j. *Sassafras.* ℥jß. *Coq. in 7. mens. aq. ad 3. ubi primo per 24. hor. facta fuerit infusio.* ℞ *Reliquias. Coqu. & adde sub finem Passul.* ℥vj. *cinam.* ℥j. Hoc modo quotidiè bis sudorem continuavimus, ita tamen, ut *cum* ℥v. *decocti sudoriferi semper matutino tempore Sulphuris Aurati Diaphoretici gr. vij. vel viij.* permisceantur; singulo quoque quarto die de purgatione institutâ, quæ ℞. *Elect. de Tamarind.* ℥ß. *Caryocost.* ʒijß. *Magist. Tart. Vitriolati.* ℈j. *M. f. bolus cum sacch.* Absolutis his sudoriferis mediis, diligenter in hypocausto, non neglectâ victûs ratione, continuatis, parùm adhuc, vel nihil contumax affectus remittebat, quam ob causam ulterius superfluitates per purgantia fortiora, cùm robur naturæ satis constaret, deturbandas, ipsamque exulcerationem interim etiam aggrediendam esse statuimus. Mox itaque sub initium Junii primò per *oleum Antimonii* locum affectum inunximus, quo parum operante, statim accessimus ad *aquam causticam*, quæ ex Mercurio Philosophico dextrè in meteoron solitariè redacto, spiritus vini beneficio per digestionem conficitur, qua quidem duplo major exulceratio fieri videbatur, maligna partis affectæ corruptione correctâ, & versus superficiem extractâ, paulò post tamen per septimanam unam atque alteram *Singulare præcipitatum* (quod interius etiam sub nomine *Mercurii vitæ* tutissimè sæpiùs usurpatur) aspergendo petiis applicandis ita purificata fuit, ut undique callosa circumferentia consumpta, nec non exulceratio fœda, cute penitùs novâ restituta, radicitùs jam, DEI gratia, sit extirpata. Nihil autem intermisimus interim, quod totius purificationem promovere, simulque affluxum ad partem affectam inhibere, vel alio derivare videretur: Hinc singulo tertio vel quarto die purgans appropriatum exhibebatur *ex Diagrydii cum fumo sulphuris calcinati, laxativi Mineralis compositi cremoris Tartari ana* ℈ß. Misce pro una vice: Interdum, quo vomitu quoque superiores partes pleniùs simul evacuarentur, loco *Mineralis pulveris Aurelii Mejeri dextrè præparati* ℈ß. admiscuimus: interdum ad viscidos etiam humores eò magis attenuandos *Mercurii dulcificati* ℈jß. addidimus. Hoc modò per tres ferè septimanas procedendo, simulque derivationis gratia *cucurbitulis cum scarificatione* ad dorsum, tùm etiam *Vesicatoriis* reiteratis ad nucham appositis, voti compotes facti sumus, ut jam nihil supersit, quàm ut vitæ regimine diligenti, tum etiam reiteratis evacuationibus singulis mensibus purgante appropriato, recidivam, aliàs in hac affecta parte promptam, præcaveat, & Deo Archiatro Summo pro benedictione sua gratias agat. Hæc est curatio laboriosa satis, quam communicato consilio cum CL. Collega Dn. D. Stromajero, præcedenti septimana feliciter σὺν θεῷ, maximam partem Mineralibus medicamentis, cùm ad vegetabilium usum parum vel nihil cederet affectus, ad optimum finem perduxi, quam reciproca affectione transscriptam boni consule, meque, quod facis, amare perge. Benè Vale cum tota familia. Ocyùs Ulmæ 29. Julii stylo veteri, 1628.

OBSER-

OBSERVATIO XXXI.

Lithotomia seu Calculi vesicæ sectio.

Ad petitionem Generosi cujusdam, Calculo vesicæ laborantis, communicata, & in honorem Autorum, ac utilitatem discentium publicata.

CONSILIUM PRIMUM.

IN exposito oretenus affectu, & scriptis declarato, collecta signorum syndrome, suspicari jure possumus, Illustriss. Virum vesicæ calculo torqueri, quem lithotomus cathetere delitescentem patefecit, ita ut nullus sit dubitandi locus. Utinam ita facilè esset ipsum conterere, vel sectione extrahere, sicuti facilè est generationis modum & ordinem proferre. Non est dubitandum, causam materialem ipsius esse humorem crassum, cum aliqua bilis portione, qui ad renes collapsus, à calore attenuatus, in minimasque partes dissolutus, in arenulas concrescit; at crassior pars, quæ in halitum dissolvi non potest vel proposito modo incidi, in lapillos degenerat, ideò assiduæ fuerunt arenularum & lapillorum excretiones elapsis mensibus. Neque fuit difficile, crassiorem humorem ad vesicam propulsum, ibi hærere, ac tandem cogi, & exposito modo lapidis naturam subire: hinc dolores in Illustrissimo Viro, hinc cruciatus, vesicâ ab improportionato objecto lacessitâ: concrescit magis lapis ex defluxu arenularum, quæ in unum coactæ majorem molem constituunt. Hinc facilè colligo, crassioris humoris mineram ex ventriculo pendere, qui frigida & humida donatus est intemperie, favet humorum generationi humiditas, & capitis caliditas, quam assidua oculorum lippitudo & ophthalmia declarant, ex cujus impetu palpebræ subvertuntur: hic calor p. n. magis attrahit, & inde minus proba subsequitur concoctio, quæ à calore naturali perficitur: hinc excrementa multiplicantur quæ ab hoc calore attenuata funduntur ad varias corporis partes, ideò subsequuntur expositi affectus; & præcipuè exposita symptomata; pro quibus tria quæsita Vir Illustrissimus proponit. 1. An lapis possit conteri, & in minimas partes, vel arenulas dissolvi. 2. Si non possit esse voti compos, quærit, num sectione possit tutò extrahi. 3. Si sectio differatur in futurum ver, an dentur subsidia, quæ impediant illius augmentum usque ad futurum ver. *Respondeo ad 1. quæsitum*, non deesse antiquas & recentiores historias, quibus patet, dissolvi talem lapidem. Verùm *Gal. in 6. Epid 26.* solâ chirurgiâ sanari hunc affectum asserit. Concors & ego cum viris Exc. assero, non posse hunc lapidem conteri, ideò diuretica quam plurima tentata tantum abest, ut lapidem in arenulas dissolvere potuerint, ut potius majus augmentum addiderint: etenim ante 6. menses urina supprimi sæpe consuevit, quod in præsentia non contingit. Exiguus enim lapillus facilè ad vesicæ os potuit propelli, major factus, non ita promptè dilabitur, neque urina supprimitur. Accedit, quod per exiguus lapillus, undique in vesicæ foramen sese immittens, exitum impediat sed cum majore mole urinæ locum undique non potest occupare.

Generatio Calculi hujus vesicæ.

[T]ria quæsita.

An lapis [v]esica possit medicamentis conteri.

Ex diureticorum etiam usu patet, cur in præsentiâ non excernat arenulas & lapillos, quandoquidem ex tali usu redditæ fuerunt venæ patentiores, & renum magis laxa substantia, & aperta, unde confluxis humoribus à renibus ad vesicam aditus magis patens evasit. Quanti fecerit hanc conditionem *Hipp. & Gal.* licet ex pluribus ipsorum scriptis cognoscere.

Efficiens causa referenda est ad hepatis & renum calorem, quo illud fervet, & renes æstuant. *Quo ad 2. quæsitum*, confugiendum ad sectionem tanquam ad sacram anchoram, de qua nihil certi polliceri possumus, cum anceps satis ac dubium sit remedium. Antè hanc sectionem plura sunt tentanda remedia, quæ totum & partem respiciunt; & præcipuè, quæ antè sectionem humorum impetus sistunt, quæ in sectione propellunt, & post sectionem accidentia corrigunt. Verùm cum in præsentia talem sectionem respuat, incumbendum præservationi; hoc prima facie videtur non solùm laboriosum & difficile, sed impossibile, cùm lapis paucis mensibus, me judice, in majorem molem fuerit adauctus; sed non est eadem lex, neque idem ordo, cùm inordinata vivendi norma & assiduo diureticorum usu, quæ erit cum præscribendis auxiliis, neque video tàm brevi tempore adaugeri lapidem sine occasione expositâ. Novi hic Ampliss. Senatorem tali lapide detentum cum jugi excretione crassioris humoris in maxima copia: tamen multis mensibus & fortè annis non fuit auctus, quod colligo ex propriis accidentibus. Præterea elapsis annis quidam Causidicus fuit sectus, & lapidis frustulum relictum, quod temporis tractu intulit priora sæva symptomata: transactis pluribus mensibus iterum fuit dissectus, & frustulum extractum, cui adhærebat exiguum augmentum factum post incisioné unius anni cum dimidio, ab inordinata vivendi norma. Secus continget Illustrissimo viro ex recta regula vivendi & pluribus auxiliis, desumendis ex Chirurgia & Pharmacia. Sed prius perpendamus illa desumpta ex Chirurgia, & an ex præservatione liceat mitti sanguis. Non est dubitandum, quin peccantes humores distent à sanguinis natura: imò videtur Illustrissimus patiens potiùs cacochymus, quam secus. Verùm licet sanguis non peccet, ut causa principalis, videtur peccare ut coadjuvans, cùm calidus humor deferat crassos & lentos humores ad penitiores partes; ideò probamus aliquam sanguinis missionem ex cubito, quæ etiam oculis ipsis prodesset. *Quoad fonticulos*, eos nullo pacto probamus, quia si illos velimus inurere pro præservatione & revulsione à vesica, vix ac ne vix quidem tàm brevi spacio usque ad sectionem id obtinebimus. Quoad frictiones, laudantur in partibus superioribus gratia revulsionis, & nequaquam in infernis. Quoad pharmaciam, probamus Lenientia consueta & syrupos præparantes consuetos. Facta præparatione, exhibendum est medicamentum ex Agarico cum pauxillo Rhabarbari, cum Syr. rosl. & de Polypodio; essemque contentus hac simplici purgatione, cum vir Illustrissimus abundè fuerit, expurgatus. Credimus tamen necessaria esse toto

An sectio calculi sit tuta?

An calculi augmentum præservari possit.

An sanguinis emissio faciat ad præservationem?

An fonticuli conveniant pro præservatione?

tempore

tempore hyemali lenientia aliqua blanda, ficuti cassiæ pauxillum, & pillularum ex Aloë lota, bis, vel saltem in hebdomada; intermediis verò diebus, quàm maximè laudamus usum oxymellis ad ℥ij. cùm *Gal. 6. de locis aff. c.4.* habeat hæc verba: *Oxymel per se lapidem terere posse, quam autoritatem* semper magni facimus ad calculi præservationem & curationem. Deinde in cibis, gratia attenuationis, si addamus succum limonum, qui attenuata materia crassiori, tollitur occasio augmenti lapidis, hac lege, ut nunquam omittatur oxymel. *Pro dolore & urinæ ardore*, si maximè urgeret, hoc remedium tenet primum locum, Decoctum, quod conficitur ex floribus Nenupharis, violarum, sem. pap. albi, sebesten & liquir. quæ omnia bulliant in aq. communi, ex quo decocto ardor ille sedari poterit. Quoad Decoctum ex Salsâ & Chinâ, nos omninò improbamus, quoniam & fundit humores, & fusos compellit ad renes, unde materia lapidis augetur. Accedit quod decoctum non corrigit malas viscerum temperaturas, quæ altas fixêre radices. Præterea improbamus diuretica valentiora, quia devehunt materiam ad vesicam, cum lapidis augmento & majori dolore. Recta vivendi norma viro Illustrissimo notissima est.

Contra ardorem urinæ.

Sanctorius Sanctorius, & Hieronymus Theobaldus Medici Veneti.

CONSILIUM. II.

Quamvis in lapidis extractione non possint præscribi certæ regulæ, quibus æger tutò possit regi, propter varietatem symptomatum, quæ supervenire solent post incisionem, & cum *quid agendum* semper desumatur ex præsentia indicantium: nam à futuro nulla desumitur indicatio; tamen potest quædam universalis norma proferri: ægro utilis & necessaria. *Tria sunt perpendenda, primum spectat ad ea, quæ occurrunt antè sectionem. 2. tempore incisionis: 3. post incisionem.* Quoad 1. eligendum est congruum & opportunum tempus, sc. in vere, sed quia quandoque est inæquale, ideò debet esse constitutio, quæ non vergat ad calidum; primum præsidium totum corpus respiciens erit conveniens expurgatio scriptis consignata: semper erunt dirigendi oculi ad prædominantes humores, quod colligemus ex habitu totius, sed præcipuè ab ipsa evacuatione cùm ex humorum prædominio cuncti morbi prodeant. Hic notandum, omnem corporis expurgationem tentandam esse exigua virium jactura, habita ratione non solùm ad illas vires, quæ possunt expurgationem sufferre, sed multò magis ad illas, quæ possunt vincere magnum morbum, ut est sectio, & lapidis extractio, ideò erit tentanda per epicrasin, paulatim præparando, & paulatim purgando præcipuè humorum prædominium. Notandum, quod præparantia seu attenuantia & detergentia debeant administrari antè sectionem pluribus diebus; nam attenuatis humoribus aliâs majori impetu ruerent ad partem læsam. Notandum 3. sanguinis missionem non esse tentandam multo tempore antè incisionem, quia parùm conferret, quandoquidem educitur sanguis non solùm ad imminuendam ipsius copiam, sed etiam ad revellendum à parte affecta, quò igitur proximior erit incisioni, eò melior. Modus educendi sanguinem probaretur iteratis vicibus, quia melior revulsio contingeret, quod sæpè notavit Galenus, fieret etiam citra virium jacturam. Recta vivendi norma semper erit instituenda, quæ respiciat quantitatem, tempus & ordinem. Quantitas & qualitas, in principio purgationis, non erit admodum tenuis, quæ temporis tractu erit imperanda. Bibat semper vinum, quod non sit generosum, & diluat aquâ coctâ cum santalis: etenim vinum est vehiculum omnium humorum, talis facultas infringitur aquâ. Accedit, quod Santalum præter exiccationem, quâ egemus, robur etiam inducat visceribus & sistat humores, ex quibus imminent cuncta accidentia post sectionem. Aliquibus diebus antè abstineat à vino, & loco ipsius bibat aquam cum Santalis & *Sorbeto*, hoc est, *Syrupo Constantinopolitano*; nam ita viæ angustiores redditæ impediunt humorum transitum ideò aqua fit cum majori quantitate Santalorum. His cunctis diebus fiant frictiones partibus supernis ad evacuandos humores ab infernis, & non exerceat corpus. Duobus vel tribus diebus antè incisionem, utatur *clystere ex solo oleo rosato tepido*, cùm nullum detur præsidium, quod magis possit occurrere laboranti vesicæ, illo excepto, quod per annum injicitur, cùm vesica recto intestino adhæreat. Tale oleum reprimit sanguinem, & illas venas corroborat: cùm venarum surculi, qui constituunt infernas hæmorrhoidas, promanent à surculis venæ cavæ, qui etiam per vesicam sunt disseminati. Quam maximè probo duobus diebus antè incisionem, ut illis utatur, quæ possunt *somnum conciliare*; nam vigilia cunctos humores diffundit, viresque dissolvit, quia fieri non potest, in negotio, ubi de vita agitur, quin assiduæ sint animi passiones, quæ somnum impediunt, coctiones perturbant, & humores liquant ac fundunt: id corrigi non potest, nisi somno. Verùm præter hæc potest consequi etiam summum beneficium, incrassando eosdem humores eodem medicamento, ne impetu, ex factâ sectione, ruant ad vesicam, id fiet præsidio admodùm accommodato, quod paratur Venetiis: quantitas, modus ac tempus, tùm potest præscribi, cum particularis ægrotantis conditio id patefaciat. 2. Animadversione dignum est novisse, quid conferat ægrotanti in ipsâ sectione. Probavimus, Exc. Santorius & ego, ut factâ incisione, & digito immisso, priusquam impellatur aliud instrumentum, intromittatur apto instrumento oleum, quod inserviat ad extrahendum ipsum lapidem majori facilitate, quàm sine oleo. Laudavit Excellentissimus Santorius oleum Amygd. d. verùm melius esse credo oleum rosatum omphacinum, vel completo mixtum, hoc facilem parabit exitum, lapidi, dolorem demulcere valebit, sed quod magis est, & quod magis probo, poterit inflammationem arcere, fluentem sanguinem & humores propellere, & laboranti parti robur indere, imò experientiâ.

Tria consideranda in sectione calculi. — *Quo tempore instituenda sectio.* — *Expurgatio peccantium humorum.* — *Fiat absq; virium jactura.* — *Idq; longè ante sectionem.*

At venæsectio proximè præcedat. — *Diæta.* — *Decoctum cum Santalis & Sorbeto.* — *Frictio superiorum.* — *Clyster olei rosati.* — *Somni provocatio.* — *Huc pertineret Laudanum opiatum cum magisteriis paratum.* — *Quid in ipsa sectione sit necessarium.* — *Immissio olei rosati post factam sectionem.*

tiâ cognovimus, in vulneribus nullum dari præstantius remedium. Extracto autem lapide olea non dimittantur consueta, & negotium totum relinquatur perito artifici, neque Medicus debet manus in alienam messem mittere. Post sectionem plura solent supervenire accidentia, quibus certè artifex, medicinæ ignarus, non potest, neque valet succurrere. Faxit DEUS, ut liber evadat. Hæc symptomata multa solent esse, & inter ea *inflammatio*, quæ sanguinis extractionem & alia requirit præsidia, quæ non possunt proponi, nisi cognitio ægrotantis statu, librata virium jactura redigendo morbum & symptomata ad certum examen: etenim nullus moritur, cui accidentia non superveniant, quæ necem inferant. Quibus assistere debet diligens & peritus Medicus, vario modo & ordine rectam vivendi normam, & medicinam instituendo. Comes huic morbo solet esse *urinæ maximus ardor ex vulnere*: hic mitior redditur vario præsidii genere, quod dirigitur ad variam vulneris conditionem. Hic parantur varia hujus conditionis præsidia, tuta omninò, quæ absque dubio valent ardorem demulcere. Caveatur, quo magis fieri poterit, ab aqua, & omni aliâ potione, nisi febris intensa esset, quæ sine humectatione urinam fervidiorem redderet, ex qua major excitatur ardor. Clysteres hoc tempore sint molles, loco juris cum lacte, vel lactis sero & oleo rosato, cum cassiâ & sacchari portiunculâ. Caveat omninò, ne hæmorrhoides excitentur, quæ ob vicinitatis consensum maxima læsæ vesicæ damna producunt. Hæc currente calamo.

Quid post sectionem faciendũ.

Contra inflammationem.

Contra urinæ ardorem.

Hieronymus Thebaldus

Medicus Venetus.

CONSILIUM III.

Vesicæ calculo laborare patientem Illustrissimum est ita conspicuum, ut frustratorium censeam, alias vitiatæ mictionis causas in ipso perquirere, siquidem frequens dejiciendi cupiditas, dolor lancinativus, & veluti corrosivus ad extremitatem glandis expansus, ac si virgæ canalis esset exulceratus, mictio cruenta post equitationem, vel iter in curru habitum, hæmorrhoidum intumescentia, & æstus, prægressa arenularum excretio, subsidentiaque materiæ cujusdam tartareæ, in urinis apparens, lentoremque materiæ contrahens ex diuturna mora & diuturnitate affectus, octo ab hinc annis excruciantis virum Illustrissimum absque ullo levamine à quocunque remediorum genere, vel saltèm perexiguo, nihil aliud indicare possunt, quàm vesicæ calculum, quemadmodum suspicati fuerunt, & non immeritò, viri doctissimi, & Lithotomi certiores facti, primò immissâ candelâ cum linimento, quæ in extremitate leviter abrasa fuit, dum immisso cathetere argenteo, quo calculum ipsum se persensisse confessi sunt, calculusque præsens est aliqua asperitate donatus non lævigatus, ut marmoreus, vel mucore quodam illitus; tunc n. neque abrasisset candelam in transitu, neque dolores insignes produxisset, neque tàm facilè cruorem causasset in violento motu: non tamen est insignis, licet à multo tempore genitus, quoniam insigne pondus non excitat, non dolorem continuum, non urinæ stillicidium, non stranguriam, neque impedit scalarum descensum, neque sentitur digito per podicem immisso, hocque ideò factum est, quia vir Illustrissimus ferè continuò usus est diureticis, & evacuantibus, mineram ac fomitem deturbantibus, alioquin in majorem molem fuisset adauctus. Genitus autem est hic calculus ex pituita prædominante à capite partim fluente, partim in ventriculo humido frigido genita, accedente incongrua victûs ratione, & imperfecta ciborum attritione, cum sub dominio crassæ bilis & exustæ, in æstuante hepate genitæ, accedente nimio fervore renum, ad sese talem materiam attrahente, & immodico diureticorum usu plures cruditates ad partem affectam comportantium. Ob hanc eandem effervescentiam jecoris & capitis, cum inæquali temperie ventriculi, & aliorum viscerum, non solùm ante hac subjectus fuit dysenteriæ, lienteriæ, diarrhœæ hepaticæ, febribus mali moris, phrenitidi, aliisque gravissimis affectibus, sed & in præsentiâ patitur inversionem palpebrarum, cum rubore, illachrymatione, & fluxione materiæ viscidæ & glutinosæ, profluentis ad angulos oculorum, & facilimè subjicitur inflammationibus in quâcunque parte corporis, ubi postea ex levi aliquâ occasione conscissionem & exulcerationem aliquam patiatur; & hæc de affectu & causis.

Signa calculi vesicæ.

Quantitas ac qualitas calculi hujus determinatur.

Generatio hujus calculi.

Hujus autem affectus sanatio, cum duobus procurari possit, medicamentis scilicet, & chirurgicâ operatione: medicamentis equidem, me judice, sanari non poterit, sed solâ manuali operatione: non quod medicamenta prorsus sint interdicenda, siquidem Epicerastica & Anodyna dolorem demulcebunt, in quem usum potissimas partes tenet *oleum amygd. d. extractum sine igne cum succo Limonum & cytoniorum*: dejectoria & blanda vomitoria fluxionem arcebunt, & diuretica temperatiora materiam aliquam fluxam poterunt evacuare, absque ullo nocumento, ideoque tutò administrari poterunt: sed medicamenta illa, quæ præscribi solent ad atterendum, comminuendum & dissolvendum calculum, omnia in vanum præscribentur, siquidem officiunt manifestè jecori, & toti corpori, absque eo, quod lapidem ipsum valeant comminuere, & expellere: medicamenta enim extrinsecus applicita vix quicquam præstabunt, præter doloris remissionem, quod præstabunt etiam balneum ex oleo vel emplastrum aliquod regioni pubis applicatum; medicamenta verò interna vel sumentur per os, vel injicientur per syringam, aut siphonem: per os assumpta, leviora vires amittent in transitu; generosiora adurent jecur, renes & sanguinem; injecta per siphonem, non diu retinebuntur, propter exquisitum sensum partis affectæ; præterquam quod calculus, me judice, est ita durus ex diuturna mora, ut solo malleo conteri possit,

Curatio.

Operatio manualis tantùm locum habet.

Medicamenta lapidem atterentia noxia.

 quare

quare unicuique medicamento valedicendum; sola etenim incisione, à perito Lithotomo facta, sanari poterit, quam credo esse operationem tutissimam in hoc anni tempore, in hac constitutione corporis & in hac ætate: neque fa-

Quomodo inflammatio præcavenda.

cessit negotium, quod facilè inflammationibus subjiciatur, præmittenda enim est totius evacuatio, sanguinisque detractio, permittendumque post incisionem, ut aliquid sanguinis exeat ex parte affecta, repellentibusque tandem inhibenda est fluxio, quare tota sanatio in operatione chirurgica est reponenda, neque ullam aliam video salutis spem, quoad vesicæ calculum. Oculorum autem affectus non solum indigebit evacuatione totius, & revulsione, sed etiam inustione fonticuli in sinistro saltem brachio, si abhorret setaceum; & hoc pro derivatione: indigebit quin etiam refrigeratione sanguinis & jecoris, cùm ex cichoraceis ipsis tantùm, vel etiam cum usu Seri destillati, quod magis laudo, quam aquam virginis; ac tandem indigebit peculiari capitis expurgatione, & topicis refrigerantibus, & exiccantibus, oculis applicitis, quorum sylvam cùm proponant omnes auctores, supervacaneum duxi singillatim materias remediorum proponere. Et hæc sunt; quæ ex usu futura censeo in casu Illustrissimi hujus patientis. Datum Patavii 2. Septembri. 1624.

Benedictus Sylvaticus Med. practicæ Professor in pavitate primæ Sedis.

CONSILIUM. IV.

Etsi vesicæ calculi signa persæpè ambigua sunt, & quibusdam aliis affectionibus tam convenientia, ut magnæ inter Medicos ea de re disceptationes excitentur; nulla est tamen in casu Illustrissimi viri dubitandi occasio,

Calculum vesicæ adesse.

an urinæ vitia, quibus jam dudum torquetur, à vesicæ calculo proficiscantur, siquidem immisso cathetere à duobus peritissimis Lithotomis manifestè deprehensus est; ut si omnia alia signa deficiant, hoc satis esse possit ad mali cognitionem. Idem tamen alia etiam arguunt, nempè continua stranguria & dysuria, quæ maximè exacerbuntur, equitatione, sessione, ambulatione, scalarum ascensu; ad hæc assiduus inter mingendum tenesmus, colis tentigo, urina crassa, alba, cum hypostasi crassa & tenaci, præterea frequens arenularum exacto tempore excretio, quæ multis abhinc mensibus amplius non apparet. Adde minutiores etiam calculos olim redditos fuisse, cum ingenti lumborum cruciatu & subinde sanguinis excretione, & quo tempore mingendi molestia perseveravit, primo quidèm tolerabilior, ob minutiores & pusillos calculos in vesica relictos; deinde verò gravior, adaucta calculi mole ex arenularum decidentium, crassique excrementi sensim facta agglutinatione. Calculus ergò vesicæ, tùm aliqua asperitate atterendo, tùm salso muco, quo oblitus est, mordicando collum vesicæ, perpetuum infert ardorem, mole sua exitum urinæ impediendo dysuriam facit, eadem gravando, duritieque sua exasperando per omnes validiores corporis motus cuncta accidentia efficit deteriora. Quandoque crassi quoque excrementi defluxione ad vesicam eadem mala modò imminui modò ingravescere contingit, prout plus minusve materiæ mitioris aut mordacioris, deorsum labitur. An verò unicus in vesica cal-

Qualis sit calculus.

culus existat, an multiplex, an grandis an parvus, difficilis est omninò conjectura, quæ tamen ad curationis facilitatem non parùm confert. Unicum adesse calculum asserunt Lithotomi, qui Syringam experiendi gratia immiserunt: quod suspicari inde etiam licet, quod neque ex toto urina supprimitur, nisi per rarissima & longissima intervalla; & minor est in mingendo conatus & dolor, quam in habentibus plures calculos etiam exiguos, uti quorundam calculo olim laborantium & post mortem dissectorum casibus didici. Magnitudinem verò calculi

Quantus sit.

comparant Lithotomi moli castaneæ, quæ media est quodammodo magnitudo, ad quam vesicæ calculi pervenire ut plurimum observantur. Et profectò aliter credi non potest, quàm duorum annorum spatio, quo hac ægritudine tenetur vir Illustrissimus, calculum ad hanc molem excrevisse, cùm & multæ arenulæ excerni olim conspectæ sint, quæ nunc retinentur, sensimque cohærere & conglutinari possunt; atque multa tenaxque pituita jugi defluxu ad vesicam ruat, quam oblinere, & veluti crusta obducere lapidem necesse est. Atque hæc causa est; quod Illustrissimus Dominus abhinc aliquot mensibus citatam equitationem perferre amplius nequeat, quæ tamen antè annum per quadrantem horæ absque molestia sustinebatur. Generatio verò calculi fuit ejusmodi: crassior ma-

Generatio calculi.

teria præsertim pituitosa renibus communicata, & diuturniorem ibi moram trahens, cùm ob proprium lentorem, crassitiemque, tum fortasse ob aliquam renum angustiam, à præter naturali eorum calore paulatim excocta, hisque tenacibus partibus evanescentibus, in lapides tùm minutiores & arenosos, tùm grandiusculos obdurata est; inde pulsi ad vesicam lapilli partim excreti sunt, partim retenti, sicque assiduo arenularum affluxu, & crassioris muci adhæsu, grandiorem molem, tractu temporis, acquisiverunt, atque in unum corpus coierunt. Pituitam communicat viis urinariis totum corpus, vitio præsertim ventriculi languidioris, multa etiam ex improbo victu excrementa congerentis, nec non cerebri humidissimi, ad aliquam caliditatem vergentis, unde continua ferè ad oculos quoque fluxio utcunque mordax delabitur, factumque est immodico diureticorum usu, ut ea excrementa majori nunc impetu, quàm antea ad renes decurrant, urinamque alias tenuem, crassissimam modò reddiderint. Ex his constat periculosissimum esse hoc ma-

Prognosis.

lum, sive curationem tentes, sive negligas. In curatione enim non pauci deficiunt, aut supervenientibus accidentibus enecantur; loquor de curatione, quæ sectione perficitur. Neglecta curatione ipsa dolorum assiduitas & magnitudo ægros tandem conficit. Itaque non immeritò à nobis quærit Vir Illustrissimus *possitne mitiori,*

Triplex Quæstio.

minusque crudeli & ancipiti modo curari vesicæ calculus, quàm sectione; secundò an impediri saltem possit augmentum calculi, atque averti gravissima illa symptomata, à quibus interitus imminet; denique an sectio

an sectio commodè & absque periculo vitæ differri possit in proximum ver, cum sibi vix liceat per gravissimas occupationes anceps hoc remedium hâc tempestate experiri.

1. *An vesicæ calculus absque sectione curari possit?*

Ad primum respondeo curari quidem aliquando vesicæ calculos ope medicamentorum, multorum casibus exploratissimorum, quæ Illustrissimus Dominus legere potuit ad *Horatium Augentium & Ferdinandum Epiphanium*, quale hoc anno compertum est efficacissimum in casu *Hieronymi Monegina ex Ord. Min. conventualium S. Francisci*, emplastrum ex Cæpa albâ coctâ in vino albo, calidè admotum pubi, quo bis repetito, calculum triennio in vesicâ gestatum in minutissimasque particulas divisum eminxit, pristinamque sanitatem recepit; vix tamen esse quicquam sperandum ex horum remediorum usu, in casu Illustrissimi Domini, quandoquidem multis validissimisque medicamentis calculum frangentibus usus est, per multum tempus non modò sine juvamento, sed etiam cum damno, provocata nimirùm majori, quàm antea, humorum copiâ ad vesicam; unde conjicio, calculum in eo concretum non esse friabilem, & ex arenulis tantùm sibi mutuò cohærentibus compactum; sed durum & ex crasso, lentoque muco firmissimè obdurato concretum, qualis exsectione solâ tollitur; itaque Lithontriba denuò tentanda esse non arbitror, ne provocato majori fomite lapis citius augescat, nisi fortè externum illud emplastrum experiri placet, quod absque ullo periculo fieri potest.

Exemplum calculi vesicæ dissoluti.

Hoc ipsum testatur eventus inferius.

Sectio suadetur.

Sectionem vero tentare placeret, quæ licet periculo non careat, utcunque tamen tuta esse observatur, si in peritum inciderit artificem, qualis est *Iohannes Maria Nursinus*, Lithotomus Venetiis degens, sub cujus curâ ausim salutem polliceri, cùm calculus neque sit tàm grandis, ut magnum vulnus requirat ad extractionem, neq; tàm exiguus, ut difficulter apprehendi possit, neque tàm friabilis, ut apprehensus rumpi valeat, & in particulas dissilire.

An impediri possit incrementum?

Ad 2. respondeo, non posse multo tempore impediri lapidis augmentum, quia fluxio ad partes urinarias revocari omninò nequit: unde ex continua excrementi adhæsione aliquod incrementum, etsi lentum, accedere lapidi necesse est. Quæ causa est, ut calculi accidentia mitigari non possint, sed pro calculi augmento necessariò increscant. *Hinc patet tertii quæsiti solutio*, an sectio differri possit in medium annum absque periculo. Cùm enim lapis grandior eo tempore sit evasurus, necessariò dolores augebuntur, & fortasse ex continua vesicæ attritione, vel ulcus in ejusdem, collo, vel gangræna excitabitur, quibus præsentibus nequaquam sectio tentatur. Ergò quàm citissimè cogitandum est de remedio, quod unicum superesse videtur, sectione inquam, & ad hanc præparandum est corpus. Quod si hoc tempore id facere vel nolit, vel non possit Vir Illustrissimus, danda est opera, ne malum increscat & calculi accidentia ingravescant, quoad ejus fieri possit. Impedietur calculi augmentatio, si fluxio divertatur, à renibus & vesica, si optimo victu, partiumque affectarum, & inprimis capitis corroboratione inhibeatur copiosi excrementi regeneratio, denique si urinariæ viæ interdum emundentur miti aliquo remedio, post debitam corporis expurgationem, ne videlicet secum rapiant pravos humores ad vesicam. Pro diversione humorum utiles essent duo fonticuli, alter in brachio sinistro, alter in crure dextro, à quibus multum utilitatis oculis quoque adferetur. Conveniet quoque frictiò extremorum facta matutinis horis, & frequens usus fl. cassiæ extr. ℥ß. paulò antè cibum, quæ etiam urinæ acrimoniam utcunque leniet. Huic intermisceri poterit usus pillularum de Aloë cum succo Rof. si ad ℈j. semel aut bis in hebdomade paulò antè cœnam assumantur. Pro capitis & oculorum corroboratione placet usus conservæ Anthos, Eufrasiæ & Rof. in æquis portionibus, si ʒij. utatur à cœna, vel manè, per 4. horas antè prandium, per multos dies. Placet quoque assiduus usus per totam hyemen vini medicati, cum China, Lentisco, Betonica, Eufrasia & Rosis. Ad mitigandam urinæ acrimoniam præstantissimus est pulvis ex *unâ parte sacchari candidi violati, & duabus partibus pulveris radicis Althææ*, si sumatur quotidiè cochlearis mensura ex momento vini albi, duabus circiter horis antè prandium. Conferret etiam illinitio pubis cum oleo amygd. d. expresso sine igne. Interim necessaria est quoque victus ratio optima. Eligatur aër minimè nebulosus, ventisque obnoxius. Victus, quoad substantiam, sit boni succi, ideò caveat esum multorum piscium, & bonis, parcè vescatur. Abstineat fructibus exceptis passulis, pomis & pyris coctis. Eligantur carnes pullorum domesticorum, avicularum montanarum, vituli lactentis, hædi; item ova gallinacea recentia. Quoad qualitatem, vitentur acria & salsa, item vaporosa, uti lac, & crassa, glutinosaque, uti lacticinia bellaria non fermentata. Quoad quantitatem cœna sit parcior duplo, quàm prandium. Somnus sit moderatus, & ad illum non se componat, nisi duabus horis exactis à sumto cibo. Vinum sit potius album, substantia referens aquam, non intensi odoris. Ambulatio sit familiaris, sed lenis, & antè cibi sumptionem. Noxia est diuturna sessio, & violentus quicunque motus, vel equitationis, vel vectionis. Quod si sectionem meditetur, purgari debet per decem dies circiter antè operationem; sed medicamento blando, subtrahente potissimùm calidos humores, qui fluxionem irritare possent ad vesicam cum inflammationis periculo. Itaque vel capiet Syr. rof. solut. & mannam, in potione, vel cassiæ flores in bolo. Tùm per 5. dies sumet jusculum alteratum cichorio, soncho, taraxaco, portulaca, cum Syrupo acetoso, & altero die, quo hoc jusculum sumet, curabit sibi mitti ℥vj. circiter sanguinis ex jecoraria dextra. Post sextum diem repetet jam dictum pharmacum. Victus eo tempore debebit esse mediocris, quia plenior augeret plenitudinem, unde imminet periculum inflammationis; tenuior vero dejiceret vires, quæ in sectione validæ esse debent. Triduò antè sectionem abstineat vino, ut sanguis sit quietior, & abstineat ab omni cibo, & condimento salso, & aromatico. Modus operandi & secandi dimittendus est peritis Lithotomis,

An sectio differri possit?

Consilium in impediendo incremento calculi.

 in quorum

in quorum dexteritate tota patientum salus versatur. Post operationem id est agendum Illustrissimo Domino, quod agendum esset, si aliam ob causam vulnus in vesica accepisset. Nimirum utendum victu tenui, absque vino, usque ad ulceris agglutinationem, in qua procuranda hoc tantum moneo, transacto inflammationis periculo, præsentissimum esse ad citam agglutinationem Balsamum Occidentale, vulneri instillatum, superpositis quoque filamentis eodem Balsamo imbutis.

Johan. Prævotius, Rauracus,
Medicinæ pract. Professor. Patav. & Horti Medici Præfectus.

CONSILIUM V.

Ex Italico idiomate in Latinum translatum.

Præservatio ab augmento calculi.

Regimen, quod Generosissimus Dominus per hanc hyemem observare cupit, quò calculi augmentum, quantum fieri poterit, in vesicâ impediatur, debet esse tale, ut primò minus incrementorum pituitosorum & biliosorum in corpore generetur, & ut deinceps excrementa genita & collecta evacuentur, aut divertantur à renibus & vesica. Inserviet etiam ad futuram incisionem, facilem lapidis extractionem, & simul vulneris citam, tutamque consolidationem, hunc servare ordinem, 1. Laudo, ut accipiat hâc hyeme ter quaterve sequentem potionem horis quinque ante prandium.

℞. *Fol. Cichor. Beton. Agrimon. Cap. Veneris.*
Borrag. Sonchi ana P ß.
Uvar. passul. prunor. Damasc. ana ℥ij.
Rad. Gramin. ℥ij. *bulliant ad* ℥iij.
Colaturæ infunde per noctem,
Fol. Senæ ℥ß. *Agar. trochisc.* ℈iiij.
Flor. Violar. Malvæ. ana P j.
Glycyrrhizæ ℈j.
Expressioni adde Mannæ el. ℥j.
M. F. potio ℥iiij.

Aliis diebus, summo mane, sumat hanc potiunculam, sed prius mittat sese in balneum, quod usque ad mamillas pertingat, factum cum herbis subjiciendis:

℞. *Pariet. Violar. Malvæ ana M iij.*
Furfurum M vj. Gran. Alkekengi ℔ß. *M.*

Potiuncula sive decoctum debet esse hoc.

℞. *Fol. Malvæ M j. Equiseti. M ß.*
Cicer. rub. ℥ij. *Gran. Alkek. num.* iij.
IV. sem. fr. major. mund. an ℥ß.
Milii ☉ ʒj. *Glyz.* ℈j.
Bulliant s. a. ad ℥iiij. *adde colaturæ pulv. Lap. Spong.* ʒj. *M. f. potio brevis.*

Laudo præterea clysteres infra scriptos per aliquot vices, singulis septimanis ad minimum semel. Diæta erit talis: pro potu utatur aliquando decocto sive Clareto, aliquando vino temperato, & diluto aqua cichorei, vel malvæ. Laudo supra modum Sorbetum illud Turcarum, Syrupum nempè Constantinopolitanum: Aliquando bibat aquam hordei cum passulis, & sem. coriandri, prout plus minusve caloris p. n. in corpore deprehenditur.

Pro cibo laudo carnem vitulinam, vervecinam, juvenem, assam & elixam, aves montanas, turdos, perdices: laudo insuper alias quoque aviculas, item lepores, carnes bovillas, cum raphano rustico, vel petroselini radice, vel carottis luteis, vel pastinacis, vel rapis præparatas: item pisces marinos, passeres, truttas, lucios assos, aut cum oleo & aqua, & petroselino coctos, minutimque dissectos. Poterit etiam comedere mala persica cocta, poma dulcia, aut pruna; vitet verò carnem suillam, aliasque aves aquaticas. Laudo rapas, napos & carrottas luteas, cum pauxillo butyri sub vesperam coctas. Si erit præscribenda regula, quæ convenit per dies decem, aut duodecim antè incisionem, quæ serviat ad refectionem renum & vesicæ, quò minus inflammatio ad vulnus concurrat, tunc temporis laudo, horis vespertinis, ova duo recentia, ipso die parta, & hordeum coctum cum jusculo, vel aqua cum butyro recenti, vel panatellam factam cum aqua & pauxillo butyri, item placentam ex duobus ovis conquassatis, cum pauxillo lactis, sive emulsionis sem. Melon. recentis. Horis yerò matutinis jusculum cum pane, de carne vitulina assâ, & elixâ: Vitando in edendo & bibendo omne illud, quod poterit renes & vesicam calefacere.

Claretum fieri debet aquosum, non adeò generosum, cum paucissimis speciebus, quantum licet. Equitando tunc temporis sese non fatiget, nec etiam frequenter plaustro vehatur: eat modicè.

Ad maculas crurum accipiat pulverem ex Sinapi cum aceto in formam linimenti redactum, & post sudorem crura inungat. Clysteres erunt facti cum jure pingui, vitello ovi, ℥j. facchari, & ℥iij. olei amygd. d. in pauca quantitate, & non valdè calidi; ac si fortassis Generosiss. Baro sentiat ventositates, misceat ℥j. olei de Chamæmelo, &c.

Adrianus Spigelius,
Bruxell. Chirurg. & Anatom. Prof. P. Patavii.

CONSILIUM VI.

Cum Illustris & Generosus Dominus à Medicis multis multa collegerit consilia, quæ ratione essentiæ, morbi, causæ, accidentium, & partis affectæ plena sunt & plana, nolo in superfluis conterere tempus, sed prætermissis ambagibus rem ipsam aggrediar.

Signa calculi.

Quod V.G. calculo vesicæ laboret, manifestè patet ex tentamine cum Syringa, qualitate & doloris situ. Dolent enim epigastrium, pecten, & perinæum, præsertim in motu violentiori, quæ indices sunt vesicæ affectæ per calculum, siquidem in Generoso Domino patiente vesicam per se non esse læsam, actiones & excreta attestantur. Calculo deprehenso, ceptum est cogitari de curatione ejus tuta; dubitari vero, an sectione sit auferendus, nec quidem immeritò, cùm operatio Chirurgica, *teste Hippocrate*, sit peri-

fit periculosissima, præsertim in senili subjecto, in disposita minus corporis constitutione, & tempore operationi inepto. Inde non temerè & præcipitanter ad sectionem accedendum duxi præcipue cùm aliqua spes in dextro medicamentorum usu & accuratiori diætæ observatione affulgeat, quando lapis non adeò durus & magnus deprehenditur, urina non impeditur, dolor tolerabilis, motus commodus, & per urinam multa sabulosa, & viscosa materia adhuc liberè excernitur. Verùm extra controversiam est, quod calculus inveteratus ac firmiter compactus, seu in siliceam duritiem concretus, nullis medicamentis comminui, liquari, ac resolvi possit; econtra mollis, rarus & spongiosus nulla cum difficultate. Curatio calculi tutissima in materiæ viscosæ, quæ arenulam colligit & cogit, evacuatione consistit, nec non impediendo, quo minus ea ibi generetur: illud fit pharmacia, hoc diæta. Cùm Generosus Dominus sit calidioris hepatis, renumque, ventriculi imbecillioris, & biliosæ constitutionis, vehementiora, calidiora, & corrosiva summè sunt fugienda, & manendum in detergentibus, aperientibus & incidentibus, qualia sunt clysteres lenes, & detergentes, vomitus lenis, cùm natura ad illum proclivis: deinde summè prosunt sequentia sæpissimè in plurimis cum fructu probata.

An spes aliqua in medicamentis.

Curatio calculi in quo consistat.

Decoctum à Foresto admodum commendatum.

℞. *Sem. Malvæ. Alth. ana* ℥iij.
4. fr. major. ana ℥ij.
Hordei mundi ℥ij.
Cicer rub. ℥iij.
Caricar. ping. num. ix.
Sebesten. num. vij.
Glycyrrh. rasæ. ℨvj.

F. horum omnium decoct. in aq. simpl. ℔. iij. *ad medietatis consumpt. de quo decocto ad placitum per biduum bibatur.* Vel sumatur *syrupus de Althea Fernelii.* ℥js. *Aq. Fabar.* ℥ij. Misce pro haustu,

Pro lenienda alvo hæc debent esse in usu.

℞. *Terebinth. lota. cum Aq. raphani* ℥ß.
Gran. Berb. minutiss. concis. & in aq. portulacæ per noctem infus. ℨß.
Pul. succini al. opt. pp. ℈j.
Ol. Amygd. dul. q. s. M. cum sacch. fiat Bolus.

Si magis placet absque Terebinthinâ.

℞. *Flor. Cassiæ n. extr.* ℨvj.
El. Diasebesten ℨij.
Extr. rhabarb. ℈j.
Succi liquir. ℈ß.
Cum sacch. q. s. fiat bolus.

Si magis placet potio:

℞. *Flor. cassiæ recent. extr.* ℥ß.
El. de succ. rosar. ℨij.
Tartari vitriolati ℈j.
M. cum aq. petroselini & parietar. q. s. f. haustus.

Vel sumantur *pillulæ de Terebinthina.* Fortiora Morbus hic non fert; quod in frangendo quoque lapide observandum, ubi illa medicamenta plurimùm valent, quæ habent parum substantiæ, & multum qualitatis, & non sapiunt corrosivum & lixivium, inter quæ mihi probantur *spiritus salis & vitrioli dulcis*, item *spirit. Terebinthina, Ol. Crystallor. & succini, Tartarus vitriolatus, sal stipitum fabarum. Ononidis &c.*

Ultimò silentio non præteribo secretum *Iohan. Bapt. Theodosii.* à quo se minimè deceptum prædicat:

℞. *Fol. Altheæ recent. manip.* js.
Butyri recent. ℥ij.
Mellis lib. ß. *Bulliant in aq. q. s.* ad 3. de quo bibatur calidus haustus brevis, manè & vesperi.

Hæc pro temporis angustiâ currente calamo: faxit DEUS, ut omnia feliciter succedant. Ratisbonæ.

Johann. Freitag. Med. D.

EVENTUS.

CUm Illustriss. & Generosiss. N.N. per annos aliquot Experientissimorum Medicorum & Chirurgorum judicia varia de dolorificâ corporis sui affectione collegisset, tandem sub finem ferè Julii Mensis, anni currentis, huc sese contulit, ut peritissimi Lithotomi nostri, Joh. Jacobi Merckii, dexteritate, per sectionem, à vesicæ calculo, tot annos eundem hactenus affligente, liberaretur. Quò autem corpus alias inflammationibus obnoxium, eò magis ad operationem istam disponeretur, acidularum usum præmittere voluit, tàm intemperiei calidioris temperandæ causâ, quàm etiam ea propter, ut adhibitis simul aliis convenientibus mediis primæ viæ circa viscera concoctionis, unà cum renibus & vesicâ, eò magis purificarentur. Mox igitur, hic Ulmæ uno atque altero Enemate adhibito. Uberkingam ad Acidulas sese contulit: ubi reiteratis aliquot vini laxativi dosibus, per octiduum cum εὐφορίᾳ potum Acidularum continuavit. Quo facto vicissim Ulmam abiit, eo fine, ut decrescente Lunâ, simul aëris ambientis intemperie non admodum calidâ concurrente, negotium sectionis institueret; quod ut eò feliciùs σὺν Θεῷ succederet, Claretum laxativum per triduum usurpavit, succedente sanguinis per V. S. detractione, die 31. Aug. (10. Julii.) 1626. nec non subsequenti octiduo naturæ quietem concedendo, diætam exquisitam & moderatam observando, vinumque penitùs vitando, non neglectis interim alterantibus temperandi sanguinis biliosi gratia sæpiùs de Conserva Rad. Cichorii, rosar. corticib. citri cond. & Magist. Corall. rub. de emulsionibus appropriatis, de Syrupis convenientibus, de jusculis alteratis, decoctione herbarum & rad. &c. unà cum iteratis enematibus, ex emollientibus & refrigerantibus decoctis, cum oleo rosato & violato permistis &c. non intermisso usu Syrupi papaver & similium vespertino tempore ad somnum promovendum utilium, aliquid assumendo. Quibus continuatis die $\frac{7}{17}$. Aug. fusis primò ad Deum precibus, sectioni artificis supradicti, Illustrissimus Generosissimusque Heros sese subjecit, quæ ad votum Ill. Generos. suæ protinus fuit peracta, ut absque ulla

mora,

mora, prima apprehensione calculus duarum unciarum, lævis, solidissimus, & maximè compactus, extraheretur. Huic operationi licet nullus Medicorum interesset, utpotè cùm nostrûm præsentiam ob insignem pudorem Generosissimus non expeteret, ita tamen eandem peractam fuisse vulnus ipsius sectionis nobis postea monstratum testabatur, ut nihil quicquam desideraretur. Sed quid fit? vix justo convenientique modo reponitur Generosiss. æger, & ecce! dolores pungitivi circa regionem vesicæ suboriuntur, eò usque ut nox prima post sectionem laboriosa satis esset. Cùm autem fomentatione circa vesicæ regionem adhibita dolor pungens ipsaque urinæ retentio leniretur, tandem unà cum urina grumi sanguinis in vesica concreti per vulnus rejiciuntur, quibus rejectis, nox quieta magis subsequitur. At die post sectionem quarta $\frac{10}{20}$. Aug. pungitivi dolores cum interno ardore totius infimi ventris sub umbilico tam miserabiliter ægrum invadunt, ut noctem integram ejulatibus consumeret, qua de causa nihil aliud, quàm insignem vesicæ, finitimarumq; partium inflammationem inde colligebamus, inprimis & vulnere, & toto perinæo, cum scroto, livore nigrescentibus. Omni igitur ingenio, tàm iis, quæ per os assumuntur, quàm etiam enematibus & injectionibus in vesicam, unà cum externis etiam, malò huic obviam ivimus, sed frustrà penitus, magis magisque viribus vitalibus succumbentibus, donec Generosiss. Heros $\frac{13}{23}$. Aug. circa sextam matutinam piè expiraret, cujus anima cœlitus æternùm vivit; corpus autem quod mandato defuncti Illustriss. & Generosiss. ad iter in Patriam ad sepulturam condiendum erat, sequenti modo fuit inventum. Caput non apertum, sed ad petitionem integrum relictum, & infusione convenientium per nares & aures præservationis gratia fuit præparatum. In pectore nihil p.n. observabatur, nisi quod pulmones in sinistrâ parte totius cavitatis pectoris membranæ costas succingenti essent firmiter annexi. Vesicula fellea copiosa bile referta calculos habebat numero xxx. quorum unus instar castaneæ nucis, coloris subflavi pondere ℥j. alter instar nucis avellanæ pondere ʒß. reliqui verò minores erant, & instar melonum, coriandri, miliique seminum conspiciebantur. Ventriculi, lienis, jecoris, renum, & intestinorum ac mesenterii constitutio naturalis erat, usque ad inferiorem intestini recti situm, ubi vesica plus justo crassior, atque carnosior cum adjacente prædicti intestini parte, propter excedentem inflammationem sphacelo correpta, penitus nigricans, interioris superficiei ratione, conspiciebatur, aliàs integra, nec ullibi læsa, præterquam eo in loco, ubi per vulnus in collum ejus stylo exploratorio transitus dabatur, quod vulnus ita comparatum erat, licet jam etiam inflammatione communicatâ livescens, ac nigricans, ut, respectu latitudinis, perinæi septum non attingeret nec anum vel scrotum, respectu longitudinis, afficeret, unde colligendum firmiter, præsertim cùm primis diebus vulnus omni alienâ qualitate destitueretur, accidens illud non à vulnere, sed ab internâ causa plenitudinis suam originem habuisse, quocirca partibus dictis omnibus exemptis, interior abdominis musculosa substantia sursum versus usque in pectoris cavum corruptione nigra suffusa quoque conspiebatur. Quæ omnia ad petitionem ministrorum Ill. & Generos. Dn. Baronis demortui, prout peracta fuerunt, nos infra scripti Medici, qui vocati præsentes ut plurimum conjunctim fuimus, testari voluimus. Actum Ulmæ Suevor. $\frac{13}{23}$. Aug. Anno M. DC. XXVI.

Gregorius Horstius, D.
Joh. Regulus Villinger, D.
Sebast. Stromajerus, D.

Aqua Antinephritica.

Eidem Ill. & Generosiss. Baroni à Religioso quodam Gallo communicata.

℞. *Rad. Fœniculi*
Eryngii marini
Petroselini ana lib. iij.
Fruct. Rosar. sylv.
Visci Quercini ana lib. j.
Sem. Bardanæ Major.
Minor. ana lib. jß.
Sem. urticæ
Saxifragiæ
Petroselini ana ʒvj.

Fiat infusio in lib. xx. vini Malvat. dicti Malvasia de Garbo. Huic infusioni adde

Succi limonum
Parietariæ
Raphani
Petroselini ana lib. iiij.
Misce omnia, & destilla in B. M. usq; ad faces.

℞. *Salis urinæ humanæ*
Ex Charabe
Mercurialis ana ℥j.

F. infusio horum in prædictâ, aquâ & servetur: usus aquæ erit ℥iij. cum gutt. v. spir. vitrioli quatuor horis ante prandium purgato optimè, ut decet, corpore.

Viro Clariss. & Experientiss.
Dn. GUILIELMO FABRICIO, Medico & Chirurgo celeberr.
GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Cum appendicem hanc de Lithotomia concludere vellem, Vir Clarissime, memoriæ succurrebat illud, quod ante biennium de usu turundarum post sectionem adhibendarum, per epistolam unam atque alteram inter nos, occasione præcedentis casus, agitatum atque discussum fuit. Quandoquidem vero concertatio ista amica non incommodè cum præcedentibus conjungeretur, Lectorem hic ad librum tuum Latinum de Lithotomia remittere, volui, ne repeterentur hic illa, quæ ibidem cum aliorum clarissimorum virorum judiciis ad calcem appo-

apponuntur. Cæterùm recordor, quod in literis tuis sub dato 7. Septemb. Anno 1625. doleas, ob immaturam mortem Nobiliss. & Clariss. Viri, Dn. Adriani Spigelii, Anatomicè præcellentissimi, quem levi occasione, punctura scilicet alicujus digiti, lethiferum affectum sibi contraxisse refers, additâ observatione simili ferè, Matronæ videlicet honestæ, quæ spinâ piscis digitum medium dextræ manus læserit, eamque læsionem primis diebus neglexerit, cui paulò post dolor ingens, inflammatio totius cubiti, nec non imminens Grangræna successerit, quemadmodum pluribus quoque idipsum centur. 5. observar. 2. deducis. Cum autem Clariss. Vir, Dn. D. Christophorus Fingerlinus, amicus meus, casum istum prædicti viri Clarissimi plenius delineatum, tanquam αὐτόπτης secum ex Italia attulerit, nolui intermittere, quin hisce eandem historiam paulò plenius tibi referrem, idque verbis ab eodem consignatis. Vir Nobilis (inquit) annos natus 44. gracilis, pallidus, ad iram promptus, & per multos dies versatus in locis, ubi erant cadavera inhumata, conqueri cepit, 40. circiter diebus, de dolore brachii sinistri, ab indicis puncturâ suborto, ac deinde sub axillâ glandulosæ substantiæ communicato, ubi & tumor non magnus, sed profundus, & dolor subortus est talis, ac tantus, ut febri occasionem dederit, diu duranti, imo pluries repetenti, nec dum cessanti, somnumque ademerit, nec non motum totius brachii tantùm, sed totius corporis impediverit, vires labefactaverit, & corporis maciem causaverit, donec circa 20. diem, tumore suppurato, abscessuque disrupto, ℥xx. saniei subcruentæ, liquidæ, fœtidæ inde effluxerint, trium dierum spacio, ubi super latus affectum decumbere, dormire, & melius habere visus fuit. Verùm cessante illa fluxione, supervenit diarrhæa materiæ flavæ, & ad nigredinem vergentis, modò mixtæ cum sanguine limoso & sanioso, modò sine sanguine, cum nullo vel saltem levi dolore ventris. Cum verò febris adhuc cũ tali excretione perseveraret, de agendis consultatio fuit instituta. Præcipuus autem affectus erat abscessus sub alis, factus ex occasione externa puncturæ digiti, diu durans, donec ad malignam suppurationem perduceretur. In diarrhæa pus excernebatur, de quo valde dubitabatur, an fieret ab apostemate in Mesenterio rupto, vel transmitteretur ex thorace in alvum per venam cavam & azygos, quæ aliquando in venam portæ inseritur: posterius credebatur, quia dolor sentiretur in latere ante puris excretionem, qui eodem excreto remittebat, idque exemplo juvenis, cui brachium fractum erat, & dum pus generabatur, nec ex loco affecto effluebat, per alvum emanabat, pure verò fluente ex vulnere, fluxio puris per alvum sistebatur.

Additur, ægrum, cùm sentiret apostema in glandulis sub axillis, metueretque ne ad cor recederet, setaceum in eo loco (licet aliquantò tardius) per acum candentem sibi inuri curasse, sed pure eò affatim confluente, tantum abfuisse ut malum mitigatum, ut potius ipsa glandulosa corpora putredine correpta, febris aucta, nec non ingens putredo primùm partibus Spiritalibus, postea naturalibus communicata fuerit, unde cruentum sputum ejicere, super latus dextrum malè decumbere, ibidem dolores sentire, diarrhæam purulentam pati, anxietates & decubitum molestum habere ceperit, donec tandem, viribus absumptis, expiraverit. Aperto corpore, quod ipse petiit, inventi sunt pulmones putridi, semicorrupti, ex vario colore nigricantes: jecur totum quasi in Apostema conversum, quod per diaphragma saniei acrimoniâ perrupit, adeoque omnia viscera naturalia & spiritualia satis insignem putrilaginem exhibuerunt, unde mirum non fuit, quod ante mortem tantam anxietatem experiri coactus fuerit. Hæc sunt Vir Clariss. quæ de morte *meritissimi Spigelii* communicare volui, cujus observationis historia & eventus, inprimisque sectio post mortem, philiatris in causas morborum, sæpius concatenatas, inquirendi occasionem subministrant. Urinam sæpius in abdita naturæ per Anatomiam cadaverum inquirendi libertas nobis daretur. Tu boni consule, cum tuis ex voto vive, meque, quod facis, amare perge. Dabam Ulmæ Suevorum prid. Calend. August. 1628.

FINIS LIBRI IX.

LIBER DECIMUS De PHARMACEUTICIS.

OBSERVATIO I.

De Theriacæ visitatione & compositione.

Viro Doctissimo & Peritissimo,
Dn. GEORGIO SCHMIDT,
Pharmacopæo Giengensis Reipub. Imp.

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. *Ita est*, Vir Doctiss. peritissime, fautor & amice plurimùm colende, *sicuti graphicè perorando sub initium dispensationis tuæ Theriacalis* Vir Reverendus Dn. M. Felix Rösch, Pastor in Dettingen, *demonstrabat, nimirum imbecillitati, per lapsum Protoplastorum nobis corporis respectu relictæ, Medicinam à Deo creatam succurrere, quæ variis ac diversis remediis sanitatem præsentem defendere, lapsamque restituere doceat. Inter illa, tot seculis celebratissima*, est Theriaca, *non tam propter ingredientem* viperinam carnem (*cùm vipera Græcis* ἔχις καὶ ἐχίδνη *dicatur, quanquam Neapolitanis Tirus sit, improprio & generico vocabulo*) *quàm propterea sic dicta, quod venenis omnibus, inter quæ bestiarum seu* τῶν θηρίων, *maximi momenti sunt, resistat, ut voluit* Barthol. Marantha lib. 1. de Theriaca cap. 1. *cui tamen ex professo contradicit* Mar. Oddus de Ther. & Mithrid. ser. 1. cap. 7. *Ut ut sit, rebus intellectis, in verbis simus faciles, nimirum* Theriacam *tale Alexipharmacum esse, quod assumpta tandem viperinâ quoque carne summâ diligentia confectum & experientiâ subsequenti ab* Andromacho *seniore*, Neronis Imperatoris *Medico, confirmatum sit, ita ut ejusdem compositio posteritati hucusque sit relicta. Non autem audiendi, qui nostro tempore* Theriacam Græcorum *minimè confici posse statuunt, inter quos à* Fuchsio lib. 2. de compos. Med. cap. 2. Bernhardus Dessenius, *& ab amico meo* D. Michaële Doringio in Examine Mithridatii pag. 280. Andreas Büttnerus *numerantur; cum pleraque ingredientia, modo sumptibus & diligentiæ non parcamus, paucis exceptis, quorum sedem succedanea efficacia complent, etiamnum haberi queant. Hinc tuam quoque non immeritò commendamus solertiam*, Vir peritissime & amice pl. dilecte, *qui conquisitis undique necessariis simplicibus, in duodecuplo nobilissimam hanc Antidotum præsente Ampliss. Reip. Magistratu, censuræ Medicorum subjicere voluisti, non absque laboris, eruditionisque tuæ encomio singulari. Quanquam autem non incommodè rationem ingredientium respiciendo*, Quercetanus in Pharmacopæa restituta, primæ Classi *tribuat* Trochiscos de Scilla, Hedychroos & Viperinos, *tanquam Basin compositionis constituentes: in* 2. classem, Opium *atque* Crocum, *tanquam anodyna, cum suis corrigentibus*, terrâ sigillatâ *scilicet*, Acaciâ, Hypocistide & Gum. Arabico *reponat:* tertiæ classi *radices, folia & fructus venenis atque putredini resistentes adscribat:* quartem classem *aromatibus, sanguinem & spiritum calefacientibus, assignet:* quintæ classi *mox lachrymas*, Myrrham, Thus, Styracem Calamitam & Therebinthinam *ad radicalis nostri balsami defensionem, ab imminente putredine, subjungat.* 1. *&* sextæ classi *gummi attenuantia, dissolventia & deoppilantia subnectat; ut ita omnium aliqua ratio, tribus exceptis, de quibus postea, redderetur: nihilominus communem destinctionem tu sex Classes observatam olim, & etiamnum ob componendi rationem consuetam, non improbamus, juxta quam tecum quoque diligentiâ quâ fieri potuit, ingredientium Theriacalium examen non ita pridem, nimirum* 29. Septemb. *currentis anni, tuis in ædibus instituimus.*

Theriaca unde dicatur?

Theriaca quid?

Theriaca Græcorum an hodie etiam fieri possit?

Classis Prima Ingredientia:

Classis I.

primùm nobis exhibebas, ubi sese offerebant.

Rad. Ireos Illiricæ,

odoratissimæ, duræ & optimè mundatæ.

Scordium nostrum,

Quod præ *Cretico* retinebamus, utpote quod efficax judicatur, modò non *allium sylvestre*, vel *alliariam* hîc aliquis intelligat, cujus aliqua cum Scordio vero convenientia est, si solius odoris testimonio quispiam contentus esse cupiat, quâ de causâ *Guilel. Fabr. in cent.* 2. *Obser. Chirurg. Obser.* 94. videatur. Cùm autem *scordium nostrate* copiosum in vicinia nobis nascatur, absonum esset, inodorum atque insipidum, quod venditur, *Scordium Creticum* hîc immiscere, quocirca meritò illud ipsum rejicimus. *Marantha* probat istud *Scordium*, quod in montosis locis crescit, cujus copiam non procul à *Thermis Emsensibus* propè *Confluentiam* ad Rhenum observavi, quod ipsemet etiam uliginosis in locis provenienti prefer-rem. Quæritur autem cùm scordii succus maximè putredini resistat, ita ut prædictus peritissimus *Fabricius* minorem efficaciam plantæ siccatæ tribuere velit, an non potius

Dubitatio

potius succus verno tempore expressus & depuratus, quam herba conveniat, quem modis diversis citato loco conservari posse docent idem? Sed pergamus ad

Semen Buniadis,

Seu *napi sylvestris*, *Cretici* juxta *Galenum*, cujus loco semen *rapunculorum Bavaricorum*, *Fuchsii* & aliorum consensu, rectè substituisti; postea

Zedoaria

selecta quoque, minimeque cariosa, monstrabatur, quæ quondam *Costi* loco sumebatur in Theriacam, cujus tamen impræsentiarum non indigebamus, eapropter quod *Costus verus*, instar albi *Cinamomi*, linguam aromaticâ amaritie, & nares odore jucundo feriens, esset in promptu, de quo plura videantur in *Aleodario Marcocostino Mindereri cap.* 3.

Polium

scilicet *Montanum*, acre satis, à stipitibus electum & purgatum, comis, floribus, semineque refertum.

Semen Anisi

granis æqualibus & maturis fragrantissimum,

& Seseleos

Massiliensis dicti, quod apud nos etiam provenit, *anethino* semini non absimile, nigricans aliquantum, & acrimonia linguam feriens, cujus usus loco *Cretici*, nobis incerti, meritò commendatur.

His crasso modo contusis, & commistis ad locum suum repositis, ad

Classis II.

Classis secundæ simplicia

progrediebamur, ubi primum sese offerebat

Radix Pentaphylli,

cujus cortices exteriores diligenti industriâ separatos ab internâ lignosâ substantiâ, tempore justo collectos & excitatos, approbavimus,

Gentianæ

solida, crassa, recenterque siccata,

Herba Marrubii

scilicet albi, seu Prassii Officinarum, recenter ad confectionem hanc, quoad summitates & flores, collecta,

Nepethæ

seu *Calaminthæ montanæ*, ubi placuit delectus, assumpta calamintha montana, quæ facie ferè *mentham vel origanum*, odore verò *pulegium* refert, cujus copiam hortus tuus subministrat,

Chamædryos

veræ scilicet, quæ summitatibus ritè collectis & exiccatis conveniebat,

Semen Fœniculi

majus scilicet *Creticum seu Venetum* dictum, æqualibus fragrantissimis granis selectum,

Amomi

cujus loco *Galangam majorem* substituimus, cum *Augustanis*, atque ita secundæ quoque Classis revisionem absolvimus.

Classis III.

Tertia Classis exhibebat

Radices Angelicæ,

in horto proprio cultas, odore gratissimas, sapore acerrimas, quas efficaciâ suâ *Costo* non immeritò Matthiolus in Epistolis æquiparari conatur,

Phu Pontici,

cujus locum complet *Valeriana nostra major*, ubi radix ejus cum filamentis suis recens exiccatur,

Aristolochia longa,

ubi nostram potius fragrantissimam, quam *peregrinam*, *veram* dictam omni sapore & odore destitutam, elegimus, idque cum *Fuchsio & Oddo* sine ullo errore, quantumvis *Clematicis* Dioscoridi dicta, quam *Andromachus* innuere videtur, cum vulgari nostrâ non penitus convenire velit,

Folia Dictamni Cretici,

unâ cum floribus scilicet selecta, lanugine sua albâ referta, intusque viridia, & seminibus prægnantia,

Nardum Celticam,

seu *Gallicam*, quæ recens, lævis, larga coma, spicaque brevi, *Cyperum* redolente, nares feriebat, & amaritie sua linguam mordicabat,

Herbam Chamæpityos,

recenter exiccatam, cum illius copiam vicina *Flore vestræ* tempe subministrent,

& semen Thlaspios,

quod ipsemet collegisti passim herba crescente vulgari, quæ notas istas exhibet, quas in *vero Cappadocio* requirunt Autores, cujus natura penitus à *bursa pastoris* alia, ne quid addam de facie etiam externâ satis differente quanquam sunt, qui confundant.

Classis IV.

Classis quarta,

quæ primo exhibebat

Rosas rubeas

fragrantissimas, maximam partem nondum apertas, abscissâq; posticâ parte suo semine mundatas,

Flores Hyperici

seu comas ejusdem, eleganter exiccatas, & odoris suavitate gratas,

Centaurii minoris summitates,

Flores scilicet cum in volucro suo recenter exiccatos,

Semen Petroselini Macedonici

non grandius istud *Olusatri*, sed minutius, *nostro Petroselino* non absimile, quod acriori & aromatico sapore linguam pungebat.

Schænanthum cum floribus,

juncum videlicet *odoratum*, singulari diligentia cum floribus selectum, ubi interior pars, in stramine isto latens, in fasciculos compacta conspiciebatur, acerrime jucundique aromatis saporem exhibens, unâ cum floribus industria singulari separatis, & æquali pondere cum prædictis stipitibus adhibitis,

Semen Dauci

subintellige *Cretici*, cujus usus ita cæteris præfertur, ut non solùm hac in parte, sed in radice quoque conveniat,

Trochiscos de Vipera.

ex Italia nuper allatos, addito testimonio quod præcedenti verno tempore diligenter confecti fuerint, non rancidi vel situ obducti, sed pellucidi, subflavi, quos etiam *pastillos è Tiro* quidam vocant, quod Barbari viperam *Tirum* appellent. Hîc quæstio movebatur, *an non ex nostris etiam Colubris* trochisci succedanei confici queant, cum experientia confirmet, etiam ex nostris serpentibus *Bezoarticum*, ut vocant, *vegetabile* sat efficax præparari? quanquam verò non sim nescius, nostris etiam serpentibus convenientiam esse cum viperis, præsertim Colubris, qui quotannis quoque viperæ more suas exuvias deponunt; nihilominus tamen à viperina carne non facile descendendum esse putarem, tam quod antidotus Theriacalis in *Germania* confecta postea mox alia diceretur ab illa, quæ *Venetiis & Patavii* conficitur, quàm etiam quod *Andromachus*, & post ipsum alii, certas ob causas *viperam* præ reliquis speciebus elegerint, quod post *Autorem de Theriaca ad Pisonem cap.* 8. videre licet apud *Oddum Serm.*1. *de Ther. & Mithrid.cap.*10. *& Marantham lib.*1. *de Ther. cap.*3. scilicet minus venenatam esse viperam cæteris speciebus, quas citatis locis enumerant. Adde, quæ pluribus, ante quindecim circiter annos *in problematibus nostris therapeuticis* proposuimus *Dec.*10. *quæst.* 4. ubi demonstratur, carnem viperinam Theriacam ingredi, non ut tanquam venenum per similitudinem alexipharmaca ad venenum expellendum quasi manû ducat, quod *Marantha & Thomæ Iordano* placuit; nec etiam, quatenus veneno venenum contrarium esse potest, quod *Joubertus voluit*, sed ea ratione, quatenus vis alexipharmaca singularis carnibus viperarum inest, quemadmodum pluribus à nobis citato loco confirmatur. Legatur de hoc argumento Epistola *And. Baccii ad Anton. Portam*, annexa ad *tractat. de compos. Med. Marci Oddi Patavini.* Quod si quid in Trochiscis viperinis mutandum, potius præparationis modum cum *Quercetano* mutarem, neque id penitus absque ratione, sicuti facilimè colligis ex iis, quæ in Pharmacopæa ejusdem proponuntur. Sed missis his progrediamur ad

Quæstio.

Trochiscos Scilliticos,

ex *Scillâ* præparatâ cum ervi farinâ diligenter confectos, & pedetentim in umbra exiccatos, ut nec farinæ nec scillæ cuticularum quidpiam in iis deprehenderetur. Hic si quid mutandum, *Quercetanum* audirem, qui præter cætera transplantationis etiam meminit, qua plurimùm Scillam correctam esse memini, dum bulbum unum atque alterum Francofurti coëmptum Gieffæ quondam in hortum medicum transferrem, ubi non dubito tot encomia, quæ ex *Serapione, Avicennâ, Actuario, Aëtio, Paulo, Galeno, Dioscoride, Plinio &* aliis collegit *Ianus Matthæus Duraftantes, de præstantia aceti Scillitici*, præmissa tali præparatione, multo præstantiora futura. Sequitur

Classis V.

Classis quinta,

quâ porrò nostris oculis subjiciebantur

Semen Ameos

quod selectum erat, verum videlicet & origanum sapore redolens,

Calamus Aromaticus,

non quidem verus ille, quem *Dioscorides* atque *Galenus* ita dicunt, *Arabicus* Plutarcho, *Alexandrinus* Celso, qui crebris geniculis fistulam referens, fragilis & aromatici saporis est, cujus generis pro *Calamo aromatico* junceas fistulas geniculatas acris & adstringentis aliquantulum saporis olim Patruo meo, *Clariss. Iacobo Horstio, Professori Helmstadiensi*, nî fallor, à *Paludano celeberr.* communicatas fuisse memini, de quo plura vide apud *Mathiolum lib.* 1. *Diosc. cap.* 31. contra *Brassavolum & Fuchsium*, item *Clusium* in notis ad *Garc. ab Horto lib.*1.*c.*32. sed nostrum istud Acorum in horto proprio tuo *spicâ suâ rarâ* florens, quod *Amomi* succedaneum hîc constituebat;

Cassia lignea,

diligenter selecta, & acredine Cinamomeâ prædita;

Rhabarbarum

ponderosum, interius vernis ex albo rubescentibus ornatum, loco *Rhapontici*, frequenter adulterati, sumptum: quanquam enim *Fuchsius & Mathiolus* hic discrepent; dum ille *Rhaponticum*, vel ejus succedaneum *Centaurii majoris radicem*, hic verò potius *Rhabarbarum* vult, cum *Marantha* tamen & aliis potius *Rhabarbarum* retinendum esse putamus, nisi *Rhaponticum* omnibus notis exactum sese offerat, de quo *Marcus Oddus cap.*14. *serm.*2. *de Theriaca* videatur,

Nardus Indica,

diligenter à radiculis selecta, spicam odoratam referens, de qua videatur *Marcus Oddus mihi pag.*211. ubi *Manardum, Brassavolum* & alios, qui veram *Spicam Indicam* nobis denegare conantur, solidè refellit, quam obiter commodùm separatim pulverisari posse monuimus.

Cinamomum,

quod licet hodie notissimum, olim tamen sat rarum erat, quod vel maximè patet ex *Galeno*, qui *lib.*1. *de Antidot. cap.* 13. videatur,

Piper longum;

solidum non obsoletum pediculis suis adhuc conspicuum, quod hoc modo seligendum, & à fucato dignoscendum *Gal. de Theriaca ad Pis. cap.*12. describit, unde non immeritò miramur *Melichium*, qui in errore versari putat eos, qui piper longum Theriacæ miscent, cum etiam in ipso Andromachi carmine libr.1. de Antidot.cap. 6. reperiatur, dum inquit,

& piperis longi sit quoq; pondus idem.

Notatu dignum est, quod *Pontanus* in dispensatione Theriacæ sub finem *Observat. & Consil. Med. Wittichii* addita refert, omne genus piperis ejusdem plantæ fructum esse, eumque tantùm respectu maturitatis ita differre, quod qui credere nequit eò remittendus esse videretur, ubi piper crescit, ut in Germanico Proverbio pronunciari solet, nisi plenius differentiam plantarum piper producentium *Garzias ab Horto lib.* 1. *cap.* 22. & alii recentiores revelarent. Sequuntur in hac Classe

Trochisci

Trochisci Hedychroi,

diligenter à te juxta *Galenum* confecti, cum quibus simul *oleum Caryophyllorum*, omissum consilio prudenti, nobis exhibebas, ut scilicet sub finem mixtionis *Theriacæ* misceatur, adeoque totam compositionem perfectiorem reddat. In *Mari* locum folia *Dictamni Cretici* te substituisse candide suggerebas, interim exiccatam *Mari* plantam nobis tuis sumptibus comparatam exhibendo, quam ego genuinam, non solum ex foliis, sed etiam odore, judicavi, scilicet mihi notissimam, & in Aulico Darmbstadino, & in Giessensi Academico horto sæpius excultam, etiamsi *Fuchsius lib. 2. de composit. med.* eandem in Germania provenire non crediderit, de qua plura legis apud *Francisc. Alexand: Rad.* 3. sub titulo de *Trochisc. Hedychrois*. Superest

Classis VI.

Classis sexta, quæ continebat

Folium

cujus loco *Macis* & *Caryophyllorum* partes æquales cum *Augustianis* substituebas: nec immeritò, cum dubia penitus sit veterum de *Folio* seu *Malabathro* sententia, quemadmodum ex *Scaligero Ex.* 146. *Sect.* 2. *Fallopio tractat. de materia Medic. in lib.* 1. *Dioscor. cap.* 15. & aliis videre licet; quanquam *Garcias ab Horto libr.* 1. *cap.* 19. & *Fragosus tract.* 2. *cap.* 7. *de Medicamentis exoticis*, aliud *Folium* seu *Malabathrum* describant, cujus copiam in inferioris Saxoniæ officinis nobis fuisse memini, quod aromatico suo sapore & odore fortean veterum *Malabathro* non cederet:

Cubebas

Carpobalsami loco substitutas, electas, æqualibus granis majoribus à stipitibus liberatas: *Melichius* hic baccas Juniperi sumit, quæ tamen minus effectibus *Carpobalsami veterum*, quàm *Cubebæ*, respondent, imò *Cubebas* etiam à *Marantha* & aliis minus dextrè surrogatas demonstrare conatur *Marcus Oddus citat. loco serm.* 2. *c.* 3. qui potius *Nucem moschatam* idque non sine ratione, reliquorum etiam succedanea, nimirum *baccas Iuniperinas*, *hederæ Corymbos*, *Daucum Creticum*, *Caryophyllos* & *Cardamomum* refellendo, substituit:

Cardamomum,

minus scilicet, acrius & validius majore, quod inter gustandum aliquid amaritiei sapit, & *Maranthæ* magis, quam *majus* hic convenire videtur:

Piper nigrum,

quod *Actuario* & ferè etiam nobis hodiè communiter *Piper* absque adjectione dicitur, quodq; ponderosum, crassum, subtili cortice, non nimis crispum, nec etiam friabile, sicuti *piper album* quoque conspiciebatur, unà cum

Herba Stæchados Arabicæ.

Floribus Stæchados Arabicæ,

recentibus adhuc, quantum scilicet, tanta locorum intercapedo permittit, spicis videlicet integris & redolentibus, semen maturum continentibus, quod terræ commissum aliquoties herbam spithamæ longitudine nobis produxit, odoratissimam, Lavendulam facie referentem, quam recenter in umbra siccatam floribus exoletis substitui posse minimè dubitarem, sicut ipsemet ex herba recenti hâc æstate mihi germinante hîc tibi transmissâ mecum forsan rectè judicabis. His juxta prædictas sex classes separatim crasso modo contusis & repositis, perpendenda fuerunt ulterius, partim quæ per se pulverisanda, partim etiam quæ lege artis dissolvenda sunt.

Alia ingredientia prædictis sex Classibus certas ob causas non contenta. Separatim pulverisanda.

Illius generis erat

Agaricus,

cum vino tantum absque additione ulterioris corrigentis, cujus vicem aliàs Zingiber sustinet, in trochiscos formatus, albissimus ac recentissimus, qui ne mortario nimis adhæreat, cum aliqua radicum & herbarum parte conteri poterit;

Cautio.

Myrrha,

pellucida, unctuosa, confracta, venas albicantes interius exhibens, quæ cur *Troglodytica* dicatur *Cordus* addit, de cujus electione *Marantha* & *Marc. Oddus* videantur;

Thus,

purum ac nitidum, quod in ligata oratione descriptionis Theriacæ Andromachi per *nitorem* Thuris innuitur, integrum, albicans granis rotundis concretum;

Castoreum,

ubi testes integri adhuc suis in tunicis convoluti, recentes & odoris gravissimi demonstrabantur, de cujus adulterio eò minus solliciti sumus, quò frequentius animal istud in Germania nostra capitur, sicuti recordor aliquoties in patria mea ex *Albi*, celebri fluvio, propè *Torgam* & *Wittebergam* à piscatoribus idipsum adductum fuisse, quod alibi quoque fieri *Gesnerus* testis est;

Bitumen Iudaicum,

sic dictum, quod in mari mortuo collectum credatur, alias *Asphaltum*, quod purum, fractumque splendens erat instar purpuræ; juxta *Dioscoridem*, non specie, sed vivacitate coloris, cum purpureus splendor omnibus coloribus eo modo tribui queat;

Certo modo dissolvenda.

Hujus generis fuerunt

Succus Acaciæ,

quem ex nostris prunis sylvestribus diligenter expressum, colatum & optimâ consistentiâ in spissatum exhibebas substitutione convenienti, cum *verus Acaciæ succus* nobis non sit, quod quanquam *Marantha* non displiceat, nihilominus ipse potius, cum *Bononiensibus*, succum, *Rhois* seu *Sumach* sumit; *Marcus Oddus* substituit *succum Myrti recentem*, qui nobis in Germania deficit;

Succus hypocisthidos,

quem recentem adhuc, & sapore convenienti præditum lubentius, quàm succedaneum ejus retinere voluimus.

Succus glycyrrhizæ,

diligenter à te ipso confectus, non adustus, sed ad consistentiam convenientem ita inspissatus, ut confractus interius eandem substantiam succi concreti cum externa superficie exhiberet,

Opium,

sive lachryma, sive succus sit *papaveris*, quem *Meconiam* vocant, hodiè notissimum, quod crudum adhuc & solutum quoque nobis exhibuisti quanquam enim *Marantha* juxta Veterum intentiones, potius lachrymam papaveris,

 quam

quam succum expressum hîc exoptet, nihilominus cum *Oddo* nostrum istud Opium prælo fortassis expressum, quod grave, densum, gustu amarum, & odoratu soporiferum est, substituimus, utpote quod effectu quoque minimè fallit, quemadmodum Extractum ejus in Laudano opiato satis confirmat, quâ de causâ recentiores etiam videantur, nimirum *Garcias ab Horto libr.* 1. *capit.* 4. *Christoph. à Costa lib. Aromatum tract.* 4. *capit.* 12.

Styrax Calamites,

sic dictus, quod in arundinibus vel calamis nascatur, qui tempore *Galeni* ratus erat, & ita differebat à *Styrace vulgari*, sicuti *vinum Falernum* ab eo, quod *in tabernis* vendebatur, qua de causa non *Styracem* sordibus plenum, sed selectum granis puris, odoratissimis, resinosis & interius albicantibus admisimus; improbatur enim niger, resinosus friabili consistentia, canoque situ præditus, ut admonet *Mutonus in Exam. Mithridatii*:

Therebinthina,

Cypria videlicet, Venetiis allata, colore aureo pellucida, clara, puraque;

Oleum Nucis Moschatæ per expressionem,

ex nuce myristica recenti, pingui, ponderosa, nec adusta, diligenter expressum, eo modo, quem præter alios docet *Marcus Oddus serm.* 3. *de Ther. cap.* 4. quod in locum *Opobalsami* cum *eodem Marantha* & aliis substituimus, remoto destillato ejusdem oleo, quanquam à quibusdam illud etiam, sicuti quoque caryophyllorum oleum, succedanei vicem obtineat, quod tamen meritò refutatur iis argumentis, quæ *Doringius*, amicus & olim Collega meus, *in libello suo de Opobalsamo*, ex sententia eorum proponit, qui libentius *Opobalsamum Peruvianum vel Toletanum* substituerent, à quibus non abiremus, si modo nobis etiam cũ tempore sine adulterio istius Opobalsami, copia fieret:

Crocus,

Orientalis, longis filamentis, puniceique caloris, purissimus, & odoris gravitate ferè naribus inimicus, qui juxta *Mathiol.* in *Austria* etiam selectus nascitur, notis suis Orientali non cedens, quem idem in *Antidotis* conficiendis admittit:

Terra Sigillata Silesiaca,

quæ meritò *Sigillo Lemnio* substituitur, cum hoc fraudulentum & incertum, hæc autem autoritate publica non tantum confirmatâ, sed etiam operatione felicissima, quam præstat in omnibus malignis affectibus, approbata sit:

Chalcitis,

non quidem veterum, quæ remediis crustam inducentibus atque urentibus cum astrictoria facultate præditis, annumerabatur, & inter *Misyn atq; Soryn* medium obtinere videbatur, de qua pluribus in *Phœbo vel Apolline Francisc. Alex. rad.* 1. *contra Cardanum*, *Amatum*, *Matthiolum*, *Brassavolum* & alios disceptat in additionibus ad *Theriacam Andromachi*; sed *Vitriolum Romanum* ad flavedinem calcinatum, quod contra *Cordum*, *Dessenium* & alios nullo pacto omittendum esse putavimus, tàm quod præter nigrum colorem, quem conciliat, fermentationem optimè juvet, quam ejus loco per spiritum vitrioli ritè præparatum excellentiorem reddere statuit *Quercetanus* mihi pag. 608. in Pharmacop. restit. quàm quod *Theriaca* siccandi qualitatem hinc adipiscatur, ut innuit *Fuch. lib.* 2. *de comp. med.* ne quid addam de eo, quod probare conatur *Mindererus lib. de Calcantho cap.* 6. nimirum *Chalcitidem*, vel ejus succedaneum *Vitriolum Calcinatum* singulariter quoque venenis resistere:

Gummi,

quod officinis cum adjectione dicitur *Arabicum*, juxta *Galenum* in genere lachrymam cujusvis arboris resiniferæ denotans; quanquam *Aëtius Gummi vermiculare* ponit, quasi *Tragacantham* velit, quod *Dioscoridi* vermiculorum instar apparere dicitur, ubi tamen benè selectum *Gummi Arabicum*, acrimonia & amarore carens tecum retinuimus:

Sagapenum,

Serapinum quoque dictum, *Myrrhæ* colore pellucidum, granosum & odoratum, cui cum *Galbano*, vel ut dictio Græca vult, *Chalbano* magna familiaritas, ut ferè sicuti *Cinamomium & Cassia*, sicuti *Myrrha & Opobalsamum* convenientiam habeant.

Opoponax,

interius albo rubescente, exterius croceo colore præditum, consistentiâ pingue, gravi odore nares & amarissimo sapore linguam afficiens:

Galbanum,

non omni lignorum & lapillorum immunditie plenum, ut communiter in officinis venditur, sed granis selectum, thuris instar, cujus depurandi modum *Galenus lib.* 3. *de medicam. secundum genera caput* 5. innuit.

His omnibus diligenter ponderatis & observatis, *Mel* supererat & *Vinum* quorum illud selectum erat odoratum, colore pallidum, gustui acerrimum atque dulcissimum, consistentiâ, nec admodum crassum, neque concretum, neque valdè liquidum, sed undiquaque continuum & unitum, quas notas in eodem requirit cum aliis *Marcus Oddus*, qui pluribus de *Mellis* natura & electione disserit *citato lib. serm.* 2. *cap.* 12. cui jungatur *lectio Maranthæ lib.* 1. *de Ther. cap.* 30. Hoc verò, *vinum scilicet Creticum*, antiquum, optime depuratum, pro Candore tuo, cui tota superstes Theriacæ compositio concredita fuit, te convenienter adjecturum promittebas, quâ de causâ feliciter huc usque cunctis expeditis, *Cretici* loco *Neccarinum* optimum, quo diversi, diversorum ingredientium, sapores penitus in linguis nostris abstergerentur, nobis visitatoribus, imo & spectatoribus quoque largâ manu fudisti, simul apparatâ cænâ, non instar illius, quam *rancidus senex Milo L. Apuleio* exhibebat, in quo famelico convivio, somno potius, quam cibo, se gravatum, solisque fabulis cænatum *Apuleius* idem pronunciat, sed lautissima, quam volatilium Autumnalium delectus, pisciumque rarorum varietas, cum aliis ornabant, queîs saturato stomacho latrante, quod supererat vespertini temporis, colloquiis jucundis consumebatur, jocoseriis subinde permistis, inter quæ ferè primum locum habebat amica

Jocosa.

amica dissensio, quâ tecum Experientissimus *Dn. D. Sebast. Stromajerus*, collega meus, & in hoc quoque negotio Parastates fidelissimus, de confectione singulari *Spiritus Rosarum*, ubi tu *Spiritum Cerasorum*, ni fallor, intelligebas, disceptabat, quam controversiam historiæ jocosæ recitatione dirimebam, nimirum in ædibus cognati mei, *Dn. Danielis Leicheri, Senatoris Lipsiensis p. m.* quondam *Dn. D. Ioh. Iessenium, Profess. Witebergensem*, & *Dn. D. Ioachimum Tankium, Profess. Lipsiens.* convenisse, quorum ille *singularia Anatomica*, quibus excellebat: hic autem *arcana Chymica*, sibi commendatissima, referebat, cumque tandem *Iessenius* eo usque cognitionem Anatomicam extolleret, ut non dubitaret, etiam sponsione facta, vel acu tantum robustiore robustissimum taurum trucidare, modò posticam capitis partem attingere liceret, idque propterea, quod artificiosa sectione verum principii nervorum exortum didicerit: subjunxit *Tankius* serióne vel jocosè, me latet, sibi per Chymiæ cognitionem talem esse balsamum vitalem, ut non dubitaret, quin eodem inuncto Spiritus mechanicos ita refocillare posset, ut pristinæ sanitati vicissim bovem prædicto modo trucidatum restituere valeat: Jocosus applausus utrique parti factus his, ut & vobis, de diversis quoque materiis differentibus, certamen amicum componebat. Obiter occasione prædicti *Iessenii*, Præceptoris olim mei meritissimi, notatu dignam retuli commemorationem *Hieroglyphicæ significationis Theriacalis*, *Witebergæ publicè Anno M. DC.* factam, cum Vir Excellentiss. *Andreas Scato, Profess. primarius*, sex Doctores consuetâ solennitate renunciaret. Hic pro more doctam & eruditam *de contagio* dissertationem præmittebat: quo facto promovendi potestatem Clariss. *Iessenius*, tunc temporis *Decanus* & *Procancellarius*, concedebat, ex tempore memoriter graphicè demonstrans, contra tot contagii insultus unicè *Theriacam* inventam haberi, cujus ut *sex præsentes Doctorandi* semper memores essent, cuilibet simplex aliquod, juxta sex ingredientium Classes, hyeroglyphica significatione tribuebat. *Primo* qui *Melchior* erat *Iostelius*, *Mathematicus Professor celebris*, SCILLAM adscribebat, quod sicuti Cæparum omne genus Lunæ φάσεις diversas, in augmentatione ac diminutione, sequitur, ita Medico quoque Cœlum & superiora sint observanda, singulari SOLERTIÆ documento. Alteri *secundo loco* constituto, *Danieli Torschmidt*, Fribergensi VIPERA nuncupabatur, tanquam germanæ PRUDENTIÆ τεκμήριον. *Tertius* erat intimus olim meus *Tobias Tandlerus Torgensis* p. m. per annos multos & de Philosophicâ & Medicâ professione apud Witebergenses benè meritus, cui ex tertia Classe ROSA, Humanitatis & Gratiæ symbolum dicabatur. *Quarto loco* COSTUS præ reliquis CASPARO HORN, tanquam PIETATIS incitamentum adscribebatur, cum veteres, Plinio teste, Costo sacrificârint. *Stephano Marcello* quintæ Classis *Terra Lemnia* conveniebat, humilitatis encomio, quam veteres per terram denotarint. Tandem ultimo *Basilio Plinio* PATIENTIÆ commendatione *Fiber* donatus fuit; cujus testes Theriacam etiam ingrediuntur, quos animal istud, ni planè sese interfectum velit, propriis dentibus abscindere, venatoribusque projicere dicatur, quanquam hoc ipsum fabulosum potius, quam verum ex Autorum collatione pronunciat *Gesnerus de Animalibus*. Hac enumeratione jucunda Consules vestros Amplissimos, Theologos præsentes venerandos, & quotquot aderant, hospites exoptatos, more ingenii humani, quod ex uno nectit aliud, meditabundos reddidissem, nisi joco superaddito protinus ad te conversus fuissem, scilicet ex omnibus Theriacæ Ingredientibus pro tempore nihil magis tibi ipsi accommodari posse, quam *Patientiæ Symbolum*, ita tamen ut illud ipsum non sit *Fiber*, qui sibi ipsi testes & patrimonium abscindendo venatorum, ut fabulantur, pericula vitat, sed potius *Crocus*, qui testibus rei herbariæ peritis lætior conculcatus crescit, unde *Camerarius in Emblemat.*

[Margin: Medicus sit ...lers. — ...rudens. — ...umanus. — Pius: — & ...umilis, ...tiens.]

Lætior ut crescat, teritur Crocus: o furor ingens!
Lætior ut possit surgere nolle premi.

[Margin: Crocus Symbolum hospitis liberalis.]

Lætior ergo tibi res crescat familiaris, quanquam liberalitate tua pro tempore detrimentum aliquod perpessa sit. Cætera quæ de Theriacæ fermentatione, tempore convenienti, quoad præparationem & usum, sicut etiam ejusdem ætate per discursum obiter occurrerunt; non repeto, præsertim cùm eadem doctè satis *Clariss. p. m. Libavius* singulari epistolâ, tibi hic communicata, demonstret, quam cum aliis m. s. ex relicta bibliotheca Clarissimi Medici *Dn. D. Sigismundi Schnizeri* p. m. bono jure possideo. Interim hisce benè vale cum tota familia, brevemque repetitionem visitationis tuæ Theriacalis boni consule. Raptim Ulmæ 22. Octobr. 1624.

Clarissimo Viro

D. SIGISMUNDO SCHNIZERO, Phil. & Medico eximio, S.

ANDREAS LIBAVIUS D. Medicus & Philosophus celeber.

NOn possum facere, quin tibi significem, quid ante paucos dies apud nos in Pharmacopolio sit gestum, teque problemate medico exerceam. Non ingratum tibi id fore confido. *Theriacam Andromachi* alter ex nostris Pharmacopeis conficere in animo habebat. *Quæstio prima* de tempore parandæ movebatur. Quid enim? Theriacam in hyeme, idque inter frigidas Germanorum, circa Thuringiam in radicibus montium gelidissimorum, sylvas? Vetus est, legendum ad eam rem esse *principium veris*, usque ad initium æstatis, quo tempore viperis captis Trochisci viperini fiant? deinde *æstatem* flagrantissimam Scillinis destinare, moxque istis perfectis mistionem Theriacæ aggredi, idque ut ex *Galeno* placuit *Matthiolo* in sole, in fine æstatis & principio autumni, secundum *Marantham*, dum adhuc calet aër, in quo etiam fermentatio quadraginta dierum procuranda, ita ut singulis diebus bis agitetur in vase amplo metallico argenteo stanneo puro, aureo: (cætera enim metalla tempore fermentationis rejiciuntur,

[Margin: Quæstio I. Tempus parandæ Theriacæ. Secundum Veteres quo tempore & modo.]

rejiciuntur, quod virulentia sua & ramentis, seu calce & efflorescentia, compositionem vitient) aut fictili lapideo, vel vitreo aut vitreato, donec perfecta mistione possit reponi, quanquam non omnino intermissa subactione. *Gal. c.14. de Ther. ad Pis.* Theriaca absoluta reponatur in ampulla argentea, aut vitrea, intervacante ad evaporationem spacio, & identidem deoperculetur, ut melius digeratur & citius possis uti. *Commentator* inauratum quoque vas admittit & Corneum. *Gal. in Epitome de antidotis* stannea vasa in omnibus antidotis repudiat, quia adulterentur plumbi mistura: Ita rejicit ex impuro argento facta. Vult autem *Nicolaus* in primo mense bis indies manè & vesperi debere subigi per horam circiter dimidiam, & post claudi, signoque appresso muniri: Secundo quaternis diebus semel hora media: Tertio septenis: quarto denis: quinto quindenis, sexto toto duntaxat semel dimidia hora, quo semestri elapso optimè obturata servanda sit in ampulla, juxta *Galenum ad Pisonem*, argentea vel vitrea, licet, si ebullire observetur, denuo sit permiscenda, ut melius digeratur, citiusque veniat in usum. *Fernandus Imperatus* negotio huic annum imputavit. *Avicenna lib. 5. summa 1. tract. 1.* Theriacæ assunt infantia, pubertas, adolescentia, senectus & mors. Fit infans post 6. menses. Deinde incipit in pubertate & augmento usque ad statum per 10. annos in regionibus calidis: & 20. in frigidis. Deinde stat 10. annis; aut 20. Declinat post 20. aut 40. annos post 40. vel 60. virtute expoliatur Theriacali &c. Plerique, alii semestre, à quo incipiunt ejus ætates quatuor, Infantiam, pueritiã, adolescentiam, senectutem, ita ut si *Iohanni de S. Amando* credimus, primi septem menses sint infantis, inde usq; ad finem mensis decimi succedat in regione calida juventus, quæ in frigida extendi debeat in mensem usque vicesimum, quo exacto incipiat senium in calido loco, 30. annorum, in frigido 40. quanquam hæc supputatio aliis non placeat; qui infantiæ destinant triennium aut quinquennium, quo tempore propter vim opii narcotica sit & vix cuiquam usui medico nisi ad somnum utilis *Iohannes de S. Amando* ait, recentem esse meliorem vetere ad ea, ad quæ Thirus seu vipera facit: (quę venenum à centro ad superficiem pellit) veterem meliorem esse, quantùm ad operationem quam habet ex sua forma, &c. aliis frigida judicata, aliis calida sicca paulo ultra gradum secundum: elapso triennio ajunt sequi pubertatem usque ad 9. vel 10. annum, aut à quinto usque ad 15. post quos jam sit alexiteria, & venenatus morsibus sanandis efficax: ab anno 15. adolescentiam ponunt usque ad 30. annum, post quem senescat: valeat autem totos 15. annos tanquam ignis purgatorius ad omnia ea, quæ *Galenus Pisoni* narrat. *(Annum)* Error videtur esse in *Amandi* libro, positis mensibus pro annis, procul dubio enim transtulit opinionem ex *Avicenna:* quanquam variet. Docet enim infantem esse usque ad 7. menses, &c. Conferantur cum Avicennæis. Saludinus infantiam mensurat sex mensibus primis, seu ut scriptum est, usque ad sex menses: quo tempore sit frigida, propter vim opii: juventutem ab anno 2. usque ad 20. assignat, quo tempore sit calida: primum senium ponit cum est 30. annorum, quo minus sit calida, & in usu tutior. Extendit autem frigiditatem usque ad annum secundum. Vult enim eam per integrum annum fermentari debere, ut & *Imperatus*. *Franciscus Alexander* verba *Avicennæ* retinuit, quod attinet ad ætates, licet usque ad 30. annum efficacem velit: *Avicenna* etiam 40. & 60. attingente. Descripta verò ista sunt ex cap. 14. *Theriac. ad Pisonem*, licet cum variatione. Requirit, inquit *Gal.* annos, 12. quidam contra ictus venenatos etiam post 5. vel 7. annos usurparunt. Non degenerat ante 30. In minus periculosis morbis etiam 60. annorum commendatur, supra quod tempus inefficax est, &c. Hæc ferè sunt illa vetera de Theriaca in Italia Romæ, Venetiis, Paduæ, Neapoli, Genuæ, &c. paranda: quæ si ad amussim sequenda sunt, & tanquam Manliana edicta observanda, non est conficiendum istud pharmacum extra Italiam, vel similiter disposita, viperisq; affluentia loca, ut temerè Norimbergicæ Officinæ, & Augustanæ cæteræque operi isti insudare sint dicendæ. Neque enim regionis aër similis est Neapolitano, neque calor, & cætera. *Matthiolus* etiam Bononiæ æquivalentem parari posse hodiè inficiatur. Sed scrupulosi, ne dicam, cerebrosi & superciliosi, aut crassæ, imperitæque Minervæ nimis sunt rigidi isti censores. Neque enim non est paranda aliis in locis Theriaca, si non omnia respondent Italicis auris. *Camerarius* sanè in præfatione libri *Marantha* non diffitetur non posse à nobis, ne Italis quidem, Theriacam Neronianam Andromachi vel Galeni fieri, & antequam innotescerent viperæ & alia à recentioribus non ita pridem in lucem protracta, qualis fiebat etiam in optimis regionibus Italorum. Neque tamen ideò Theriaca destituebantur Antidotaria, & officinæ. Si loca primis qualitatibus elementorum æstimanda sunt, quædam absolutè censebuntur calida vel frigida; quædam relatè, qualia sunt etiam in media Italia, possuntque incidere tempora, ut nostra Germania non multum cedat Italiæ, & inveniri regiones non minùs calidæ quibusdam Italicis. Quod si omninò natura nos destituat, arte ingenioque suppleamus ejus defectum, in quo multum nos juvare possunt ἐγχειρήματα Chymica, quanquam superciliosus quidam, qui nihil nisi suum sputum ferre poterat, Chymicas fermentationes & digestiones irrideret. Hac arte fretus *Iohannes Pontanus* insignis Medicus Theriacam in Februario Gothæ composuit, ut de eo scribit *Wittichius* Comitum Schwarzenburgensium apud Arnstadium Thuringię olim Medicus. Vellem vere, æstate, & autumno semper confici posse, ita ut ista tria tempora tota confectioni darentur, id quod requirit etiam ipsa natura, quæ simplicia nostratia istis gignit, & perficit: Sed si collecta sunt omnia ingredientia nostratia ex nostris lecta, exotica aliunde comparata & justo judicio censa, quid obstat, quin etiam hyems, præsertim temperatior, qualis est hæc præsens, & hypocaustis insuper levata, aut Chymicis pyriateriis adjuta, concinnationi impendatur? Viperini Trochisci ex Italia sunt adsciscendi, qui si benè sunt confecti, in quartum annum vires habent, modo serventur in vase argenteo,

Viperini Trochisci durant per annos quatuor.

argenteo, aut alio innoxio, diligenterque à situ detergantur. Possumus & Scillinos inde petere. Vult quidem *Marantha* statim à viperinis perfectis rem aggrediendam esse, sed qui tamen scillinorum preparatione tardiore in finem æstatis & principium autumni differre, rejicereque opus cogitur, quod nobis persuadet etiam simplicium domesticorum ratio. Neque enim citiùs maturescunt pleraque. *Ita excussa sit prima quæstio* de tempore & loco apparatus, quæ si natura non respondent Italicis, Hispanicis, Græcis, &c. arte sunt temperanda potissimumque industria Chymica, quæ efficere potest, ut inter sylvas Franconiæ, Thuringiæ, Misniæ, Saxoniæ, concinnata Antidotus cum Italorum possit certare, sive præparationem & electionem singulorum ingredientium spectes, sive omnium commistionem & fermentationem. *Quæstio altera est*, num in aprico loco, atque adeo in sole sit tum contemperanda, tum fermentanda & subigenda. Dixi *Matthiolum* permistionem in sole probare, autoritate *Galeni*. Eadem leguntur apud *Franciscum Alexandrum*. *Apollo Francisc. Alexand.* item in sole melius misceri scribit. Si in hyeme paratur, hypocaustum potest esse calidius, & vas cum pistillo vel spatha nonnihil calefieri, ita enim facilius subiguntur omnia, & uniuntur postea exactius, ita ut post 4. vel 5. dies subigatur, indeque interjectis 6. vel 7. denuò, donec duo menses, aut dies 40. præterierint. Hoc arripiunt morosi censores, concluduntque non posse Theriacam fieri, nisi sole flagrante, atque ideò æstate, quâ & fermentatio per insolationem fit procuranda. Ego verò vellem tales æstimatores prius navigare Anticyras & cerebrum Elleboro aliquoties purgare, ut liquidius possent judicare. Exercuit tamen ista quæstio etiam Chymicos nostros, putantes in sole distillationem esse meliorem, quia radii & calor cœlestis nescio quid æthereum & nobile inferat, quod non possit præstare calor artificiosus furnulorum laboratori. Verum hos peripateticorum subsellia irrident. Negant enim istum calorem à sole per se venire, quia fit ex motu & affrictu, sequi coactum rationem corporis, cui inhæret, sicut & ignis alimentorum suorum naturam, halitusque & Spiritus imitatur: Deinde quia experientia testetur calorem cœlestem, nisi temperatè admittatur, æquè esse corruptionis autorem, ac igneum elementarem, à quo nihil differat, cum sit in simili materia elementari, quam disputationem ad Physicorum scholas rejicio, interim non negans apricationem in solario industriè disposito aliquibus utilem esse, cum idem etiam vulgus per experientiam didicerit. An autem Theriaca in sole sit miscenda & fermentanda, plurium interrogationum Elenchum habet. Detur misceri & subigi in sole posse: at non ideo etiam in sole fermentanda. Verum in hoc consideranda est regionum natura. Notum est æstivis diebus umbrosa frigere, aprica calere: hybernis contra. Si ergò in Italia conficienda esset calentibus horis seu æstiva constitutione, melius est admittere solem, quia frigus contemperationi, mistioni veræ, atque adeò generationi obstat. Non autem in sole sine omni solertia & artificiosa cura. Satis n. est in sole incalescere, & deindè in umbra subigere, ne Spiritus essentiales evolent, & pro Theriaca viva cadaver relinquant. Nostra Germania solem habet inæqualem, & impeditæ virtutis propter agitationem aëris, nisi serenitate tranquillâ. Quia ergo vix potest regi arte, nisi post fenestras in solario, utimur plerunque officinarum calore, & materiam ahenis contentam prunarum modico igne (neque enim excedere modum debet & fervorem dissipantem Spiritus excitare) calefacimus, moxq; ab igne remotam subigimus, quâ arte etiam aliæ fiunt contemperationes. Hoc autem æstate quidem facilius, & minore cum jactura prunarum fieri potest; sed nec hyeme & autumno deest ejus copia, licet paulo uberiore sumptu, qui tamen à nobis lignorum & prunarum materiâ non destitutis, non curatur. *Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum Aut numerum lupus aut torrentia flumina ripas*, inquit ille Virgilianus, Ars non tantùm imitatur naturam verùm etiam meliora facit, nec refert, inquit *Aristot.* naturalibus in vasis fiat coctio, an artificialibus, modò cætera sint paria. *De fermentatione lis est major. Prima quæstio est quid sit*, ne de re ignota digladiemur: *Secunda*, quas causas habeat, & quomodo hæ sint regendæ, ut benè cedat: *Tertia*, quo tempore peragenda. *Quarta*, quibus vasis: *Quinta*, quo loco: *Sexta*, quoties, quando repetenda subactio: *Septima*, quousq; ubi simul considerandum an non repositionis, & scevasiæ ratio mutanda: Alia obiter incident. Dico primum nostram alexipharmacam fermentationem esse motum massæ Theriacalis, analogiâ justâ commistorum simplicium constantis, ab insito calore & Spiritu per externum proportionatum, excitato, donec fiat omnium inter se alteratorum unio perfecta & homogenea, virtutibus Alexipharmacis pollens. *Motum* dico; quia est actus imperfectus inter fermentans & fermentatum, quorum illud est causa movens, hoc res motu effecta. Nomen unde traxerit, vel Calones officinarum sciunt, quanquam Mysteria artis Chymicæ aliquid interius doceant. Fermentantur musta, & alii succi, dum simul ab excrementitiis separantur, & alterantur, ut inde existat ex musto vinum, ex aliis sua essentia depurata. Pistores exprimunt rem propius suis massis: Pharmacopæi exempla habent plurium misturarum per Electuaria, Succos, Conservas, &c. Chymici non admittunt quicquam non essentiale: natura & ars officinarum nihil facit ex toto. Itaque cum secessu quorundam vulgaris fermentatio semper est: Chymica mystica nullum habet. Videndum tamen ne confundatur cum putrefactione, cui videtur similior esse officinalis fermentatio, propter segregationem, quæ locum non habet in essentiali (putrefactionem non Aristotelicam dico, sed nostram artificiosam.) Digestio & maturatio quoque potius est homogeneorum, quam heterogeneorum, in quibus est non σύγκρισις tantum, sed & διάκρισις. Nostra digestio per pelicanationem seu circulationem procuratur, & quanquam unà evenit, ut aliquid feculenti secedat, tamen nomen habet à perfectione ultimâ & scopo principali. *Causa fermentationis externa, quæ procreans per modum actuandi dicitur, est calor.* Frigus

Quæstio II.

Mistio & Fermentatio.

Chymici pro fermentatione in sole.

Responsio. Calorem cœlestem non differre ab igneo.

An Theriaca in sole miscenda?

Fermentationis aliquot quæstiones.

Quid sit fermentatio.

I. Causa Fermentationis Efficiens.

Frigus enim nequit nisi per accidens ob antiperistasin internum principium actuare. Calor aut humidus est, aut siccus. Humidus magis convenit putrefactioni, cui ideò in arte destinabatur *balneum aquæ, vel vaporis, aut fimus equinus*, aut analoga inventio: Si tamen humiditas est blanda, ut temperiem ad justitiam referat, qualem complexionem veri & sanguini, sanguineisq; tribuunt meliorem judico esse, quam calorem siccum, qui motui obstat. Vellem temperamentum ad justitiam, quod, relatione ad temperamentum ponderis, sit calidius paulo, atque ideò agitantius (ἐνεργητικώτερον) cum moderatione: sed calidum humidum moderatum quoque non respuendum, præsertim in principio. Nam deinceps potest graduari, atque etiam debet, donec ad perfectionem sit perventum, ut fit in physicâ sapientum fermentatione & ut natura requirit in generationibus. Huic sententiæ qui resistunt, vapidam humiditatem, quæ sit putrefactiva, accusant. Sed si Embryonis in utero materno fomenta considerarent, non tam pueriliter hallucinarentur.

II. Causa fermentationis.

Alterum movens seu fermentans est internum, nempe igniculus ille insitus, qui est cum Spiritu & humore analogo. Hic est immediatus mistor & digestor planè naturalis, quod apparet in fermentatione populari, & ex parte Chymicâ: Qui enim volunt liquorem ardentem elicere ex trito frumento, aqua id diluunt, deinde addunt aliquid fecum vini, vel cerevisiæ, aut etiam fermentum, reponuntque totum in loco mediocriter calido. Ita fit, ut Spiritus excitatus cum calore insito omnia permeet, & in actum evocet Spiritum illum ignotum, qui prius latebat. Exemplum hoc saltem esto, ut & pistorum fermentatio, per vini Spiritum, fermentum, feces, stercus columbinum &c. Nam aliâs Chymicæ putrefactioni respondet. Satis autem est, si inde perspicere possumus, quomodo internum principium ab actu externo exuscitetur, ut postea illud ipsum sit prima, veraque causa fermentationis.

Materialis causa Theriacæ. Forma Theriacæ duplex.

De materia jam nihil dico. Nosti enim ipse constare ex speciebus mistibilibus, & vino cum melle competente. *Forma* duplex est: una ipsius motus: altera rei motu effectæ. In illa attendimus agitationem, & materiæ in molem, tumoremque elevationem, ob quam etiam necesse est vasa ita esse affecta, ne violentia rumpantur, nec exundet massa.

Vasa qualia requirantur.

Sint ergò fortia & tertia parte vacua. Quia etiam alieni, crudique Spiritus interim evaporant, spiraculum relinqui debet. Est hoc argumento calorem externum immodicum esse non posse. Nimium enim moveret, & præter crudos halitus dissiparet etiam essentiam. Ideò arte regendus est, sive in solario, sive vaporario, vel hypocausto. Ultimam formam judicant viribus, nigrore, consistentiâ &c. Et tunc fermentatio finem suum habet. *Finis est*, ut mistum homogeneum pro natura mistilium existat, in quo omnia ita sint unita ut planè sint similaria, omnesq; partes earundem virium, quod fieri non potest, ante motus cessationem & quietem. Ideo *Imperatus* noluit quicquam de Theriaca ante completam fermentationem decerpi, quia nondum omnia essent ad unitatem formæ redacta. Sapienti dictum sat esto, Neque enim omnia possunt verbis comprehendi.

Tempus Fermentationis quando?

Quo tempore fermentatio est instituenda? Astrologus responderet, eo, quo optima ad pharmacorum generationem & compositionem in cælo est constitutio: Physicus id eligeret, quod ad generationem mistorum est commodissimum: Pharmacopola & Medicus respiceret etiam ad penuriam. Tunc aliqui instituunt novam Theriacam, cùm vetus est distracta usque ad eam partem, quæ usui annuo possit sufficere. *Vulgares* quærunt de anni partibus. Ego dico *aut naturale tempus respici*, quod cum locorum qualitatibus coincidit, & propter injurias affectionum elementarium in nostris locis est admodum inæquale, nec satisfacit intentioni artis: *aut artificiale*, quod artificialibus adminiculis & cura prudenter accommodatur. Dictum est illud tribus anni partibus definiri, vere, æstate & autumno: vel talibus constitutionibus: hoc etiam hyemes admittit, quicquid morosi censores mussitent, quibus sufficit pœna quam sibi ipsis, proditâ ignorantiâ, & judicii defectu, imponunt.

Quantum

Quantum debet esse ille tempus? Tantum nimirum, quantum à principio ad finem sufficit. Judicium sumendum est à motu materiæ, & signis perfectionis, si non deficiant causæ adjuvantes, & imperfectam relinquant Theriacam, tanquam abortum aut monstrum. Quidam, quia comparant ætatem ejus humanæ, decem menses proponunt: integrum annum *Imperatus*: plerique sex menses, nempè si consideres fermentationis artificiosæ rationem tantum. Nam aliud judicium est de ætatibus & 4. temporibus consistentiæ. Nullum refello, si possit demonstrare se adminicula tàm industriè adhibuisse, ut perfectionem sit assecutus, sive brevi, sive longo tempore, modo non excedat mora. Ita est etiam in animalium generatione: ita in philosophica lapidis & elixyrium præparatione. Nimia festinatio noxia est. Si regis prudenter opus, ipsum per se coquetur, miscebitur, & perficietur suæ naturæ convenienti tempore. Criticos quoque sive scalares numeros ad motum lunæ possis perpendere: quo facto septem, aut novem lunæ circuitus possint sufficere. Solis motum respexit *Imperatus:* qui si in Autumno primo contemperavit mistilia, usque ad idem tempus fermentationem produxit.

Locus fermentationis & repositionis. NB.

Locus motui esto proportionatus, & simul commodus tutæ repositioni. Solarium sit in calidioribus infrigidioribus hypocaustum quoddam, aut officina peculiaris. *Quidam detinent in triclinio* familiæ, quod non probo. Ut enim alia errata (inæqualitatem qualitatum, dum modo frigus dominatur, modo calor est nimius &c. Et quę multa possunt ab improvido servitio evenire) taceam, nolim vapidos spiritus, & crudos, qui inter fermentandum exhalant, attrahi ad cerebrum, pulmones & cor. Sunt enim virulenti propter opii &c. cruditatem. Nosti enim nostrum opium non esse ita purum, ut signis optimi respondeat. Si deest singulare hypocaustum, paretur stufa sicca Chymica moderata, in Crypta, vel officinæ ergasterio, aut concamerato conclavi, in bene conclusa & remota ab injuriis parte ædium.

Agitatio seu Subactio.

Quoties, & quousque massa, quæ fermentatur est agitanda & quo loco, quo aëre? Agitationem seu subactionem habemus duplicem: una fit in ipsa concor-

concorporatione; cujus terminus est omnium æqualis forma: altera in tumore & fermentatione. Hæc non est continuata, sed interrupta, habetque terminum, quando vapidi & aquosi, virulentique Spiritus sunt segregati jamque prodire incipiunt essentiales. Exemplo sit liquoris flagrantis, seu aquæ ardentis ex fecibus destillatio. Nosti tandiu agitari feces in vesica, donec à fundo ebulliant, & surgant Spiritus essentiales, quanquam non sine omnibus vapidis, quæ res postea rectificationem requirit. In sublimationibus idem facimus. Ubi verò mera sunt essentialia, supervacanea est externa agitatio: sed totum in hermeticè clauso vase detinetur in Athanore suo. Ita judicandum de massâ Theriacali. Non potest semper agitari: sæpè tamen subigatur in principio, bis aut ter die, ut tum humiditas elementaris cum halitibus noxiis decedat, tùm mistio fiat accuratior. Interim non desit calor proportionalis. Cum jam essentiales Spiritus apparent; caveat sibi Pharmacopœus à manuali subactione: sed undiquaq; occlusam Theriacam in stufam suam siccam inferat, ibique sinat usque ad finem fermentationis; interim calorem regendo peritè & prudenter. Ita conservabuntur essentiales virtutes, & licet Spiritus eleventur à materia, tamen reciprocè iterum deferuntur, denuoque uniuntur ei, & simul etiam crebro hoc motu eam attenuant, donec tandem omnia simul conquiescant. Ideò & vas rotundum tunc esse debebat, nempè ampulla vitrea magna, quæ stringi hermeticè queat, & simul motum ostendat. Si quid vellet adhærere superficiei, id verso vase facilè rediret ad suum corpus. Non puto ullam Theriacam hac arte factam unquam esse. Ideò nulla est, quin in ea aliquid desideretur. Apparet autem quantum distent Chymicæ præparationes à vulgaribus officinarum, quarum tamen quæcunque proximè accedunt ad Chymicam istam ἐγχείρησιν, eæ etiam vim non inefficacem assequuntur. *Fermentatio Chymica* est merarum essentiarum. Sed sit exemplum Officinalium, & tanquam Eidea perfectionis, in qua non sex, septem aut aliorũ dierum intervalla spectantur, sed judicium ex rebus ipsis sumitur. *Matthiolus* nimis tardè agitat. Melius sentiunt hi, qui crebrius in initio movent, sequentibus mensibus rarius, prout vident materiam intumescere? sed quod ego arbitror evenire, quia non apto loco asservatur. Cum finis motus est, debent auferri externæ causæ agentes, potiusque admitti sistentes. Ideo laudo eos, qui à calore externo Theriacam tunc removent, & in vase lapideo Wallenburgico, aut simili in cella frigida reponunt. Quidam malunt plumbeum, ut in Moscho; sed nimium sunt simplices, & rerum naturæ ignari. Neque enim argentum vivum plumbi; & ramenta seu putredo ejus non vitiant Theriacam. Nolumus etiam nostrum Parmacopolam nimis esse sumptuosum. Regibus ergò permittantur vasa aurea & argentea; noster utatur in asservatione lapideo fictili. At inquiunt quidam, agitatio illa non videtur esse necessaria. Nam cibus in ventriculo per quietem melius & miscetur, & coquitur, & perficitur in chylum, quàm si pistillo immisso agitaretur, & coqui hoc ipsum possunt comprobare. Verum hi quoque non possunt expirationes

Vas subactionis.

NB.

Fermentatio Chymica.

NB.

Finis motus.

Vas repositionis.

prohibere, quas si ars promovet, naturam juvat. Quod autem agitatio etiam post annum repetitur, id puto esse vitiosæ præparationis & repositionis. *Locus subactionis & aër* rectè dicitur moderatè calidus esse debere, qualis est fermentationis, nisi in progressu. Gradus enim sunt, & aliud requirit tenera compositio, aliud media, aliud jam valida. In sole subigere convenit confirmatæ, non teneræ. Nam calor in initio acrior dissipat Spiritus volaticos, antequam uniri cum fixis partibus & corporascere queant. Potest tamen & Sol temperatè admitti. Respexisse *Galenus* videtur ad opii halitus, qui in libero aëre à solis radiis facilius dissipantur, quam in loco concluso, ubi agitatori possunt nocere, qui etiam aversus stare debet. Num satis est agitare indies usque ad dies 40. juxta *Imperatum Maranthæ*? Nihil inquam definio: & in ista re dissentiunt *Galenici ipsi*. Si omnia rectè fierent, tempus ex motu principii interni in materia innotesceret. Inter tot errata, necesse est dissensum esse in tempore. *Quid de ætatibus Theriacæ?* Rideo inquam infantiam, pubertatem, adolescentiam, & senectutem. Si comparanda ista res est ætatibus hominum cur omittitur Embryonatus, pueritia, virilis & constans ætas? Cur Medici pubertatem & adolescentiam tantis intervallis discernunt? Quando suam formam absolutam Theriaca est adepta, & jam finis est motus fermentationis, tota est homogenea. Figmentum est de Opio frigido primis quinque annis. Si ita est, nondum peracta est fermentatio. Quod potest annos 15. aut 30. demum valeat contra omnia venena, somnium est. Si perfecta est primo anno, cur non vires integras habeat? Quis est nostrum, quin etiam extemporaneas compositiones contra venena faciat? Num Diascordium, El. de ovo, &c. sunt servanda 20. annos ante usum? Apage cum istis næniis. Quid quod scribunt quidem ista, sed in praxi observat nemo? Judicetur Theriaca omnibus viribus efficax, cum finis est motus, & mistio omnia ad unitatem homogeneam redegit, sive annus sit impendendus, sive tempus aliud prolixius, prout se habent circumstantiæ. Dissensus de perfecta ætate, dum quidam quinq; alii 15. alii 20. annos determinant, opinionis vanitatem coarguit. *Galenus* annos 12. requirit ad perfectionem: *Saladinus* post 6. menses perfectam ponit fermentationem: ab anno 2. usq; ad 20. ponit calidam: An 30. ait esse senium, quod sit tutior & melior. Quidam ultrà 40. annos vim non extendunt: alii ad 60. perducunt. Annos quinque alii destinant perfectioni, ante quos sit frigida. Utuntur tamen post 6. menses, sed ad somnum tantum. Consule practicos & officinas. Quid opus est somni causa Theriacam facere tàm operosam per annos quinque? Cur non utimur ipso Opio, aut Laudano Opiato? Aut cur hoc statim perfectum prædicant, si Opium non nisi post 15. annos stupefactivam corrigit? Tam indomita res est opium frigidum à tot ferventibus? si quis opium hausit noxium, ei statim succurrit haustus optimi malvatici, aut alterius Vini generosi: In Theriaca negant corrigiante plures annos. Sed ita sentit vulgus Medicorum, quia quidam ante nos sic senserunt. Ideò & morosi judices, nihil habent præter autoritatem

Locus subactionis.

Ætates Theriacæ & aliæ communes assertiones refutantur.

corum, quibus adhærent; cùm postulantur rationes, aut nullæ, aut frigidiores Opio cadunt: si Chymia producitur, aures obstruuntur. Cum talibus carcinomatibus nobis est confligendum. Si *Imperato* post annum tota est homogenea, ita ut pro perfectè misto haberi possit, vires obtinebit perfectas. Si autem in primis & secundis qualitatibus adhuc aliquid desideratur, nondum perfectio est acquisita videturque peccatum in confectione commissum esse. Neque tamen de hoc nimium pugno. Naturales mistiones inspicio. Harum exemplum si debent sequi artificiales materiales, ipse intelligis, quid desit. Chymici facilè concedent nunquam posse absolutam perfectionem contingere, quandiu ista mutabilia & corruptibilia Elementa cum quintis essentiis relinquuntur; & hinc esse temperamentorum & ætatum diversitatem, quæ in essentiatis meris locum non habet. Theriaca infans calida humida debebat esse, quam Galenici communiter faciunt frigidam & humidam ob frigus stupefactivum: quomodo hæc consentiunt? Quam rectè ex tertia qualitate judicatur prima & secunda, vel contra? Inde siccior calidiorque effecta paulatim trigesimum annum attingit, ubi creditur esse status in calore, & siccitate. Quorsum hæ phantasiæ, si Theriaca est Alexicacos qualitate totius substantiæ? Inde senium; nempe quia essentiales Spiritus & æthereа substantia evolavit, jamque corpus vita destitui incipit, donec in cadaver abeat. Hoc non contingit essentiatis, nec naturaliter perfectè mistis. Errata scilicet Officinarum, ut aliis rebus mortem conciliant præcocem, ita & Theriacæ. Volebam tecum & de ingredientibus nonnihil: sed numero obruor, temporeque destituor. Nostro Pharmacopolæ aliquid superest de Trochiscis Viperinis. Projecturus erat omnes: suasi retinendos esse & diligenter depurandos, servandosque pro pulvere serpentino. Potest & compositio fieri. Quid tibi de hac videtur, quæ recipit Trochiscorum Viperin. ℥j. Salis Scordii, Salis Theriacalis ex destillatæ aquæ Theriacalis reliquiis, Salis cornu cervini usti vel extracti ejusdem ana ʒj. Cordis & Epatis Viperini an. num. iiij. Pulv. sem. Dictamni albi decorticati ʒij. Rhinocerotis Bezoar. an. ʒß. Calcis auri solubilis, quam magisterium aut salem vocant, Magisterii perlarum an. ℈ß. Granorum herbæ Paris ℈iiij. M. Fiat pulvis in aurea vel Eburnea pyxide servandus. Ascendit summa fere ad ℥ij. seu doses 48. nisi quid circumstantiæ mutent. Epistolam volui scribere, & confeci libellum. Ita copiosè fluxit vena. Vale. Scriptum 7. Jan. Juliani 1613. Coburgi.

Pulvis Theriacalis.

OBSERVATIO II.

De Camphoræ Qualitatibus.

An Camphora sit calida vel frigida.

SAL. & observantiam &c. De Camphoræ qualitate prima activa acriter non ita pridem inter duos Viros eruditos dimicatum est; quorum alter frigidam, alter verò non manifestè duntaxat (ut Averroës in quinto) sed summè calidam mordicus tenuit. Quod, & quomodo tàm calidos effectus prodat, ego (qui tamen dicto certamini nullus interfui) nondum satis hactenus edoctus sum. Odore ac spirituum tenuitate caloris modo afficere, at reliquis qualitatibus tanquam frigidam lacessere *Renodaeus de Mat. Medica l. c. s. 9. cap. 2.* asserit. Verùm hallucinationem quandam (nisi ego hallucinor) hic non deesse puto: qualis enim est iste Camphoræ odor, quo calor conjicitur? de gradibus ejusdem, an acutus, an verò ignavus sit, non dissero, sed num vel acris, vel acerbus, vel amarus &c. quæ tamen odorum species, eò, quòd homo exquisitam olfaciendi vim non nactus est, minùs accuratè pervestigari queunt. Confusum abitror, & qui vix ac ne vix quidem sub simplici saporis specie demonstrari, nedum hinc caloris afficere modo videri possit. Odor quidem omnis, juxta *Arist. l. de sens. & sensili. c. 5.* mixti corporis qualitas est, à calore producta, eòque duplici interiori & exteriori, quorum ille ceu odoris artifex, humiditatem sicco coquit, temperatamque reddit; hic autem, solis & ignis, odorata copora laxans & extenuans, ut exhalent, efficit. Verùm hinc omnia, quæ odorata sunt, calida pronunciare, iisque frigiditatem in universum denegare, rigorosum nimis foret. Mixtum non datur, quod per calorem (qualemcunque) mixtum non sit, intelligo de eo, quod verè ac naturaliter, non autem artificialiter, seu per confusionem appositionemve, mixtum censetur, at talia miscibilica homogenea esse (h. e. eandem naturam habere) debent, quæ sola non frigus, sed calor congregat, & è contrario heterogenea disgregat. Nullo tamen modo hæc omnia proinde calida dicenda sunt. Nec odoris gradu gradum caloris metiri licet, quippe non quò calor major, eò odor acutior redditur: ferrum enim candens odoris haud est particeps, sed in sicco sapido causa propriè latet; omnis namque res sapida odorata est, insipidam odor deficit, veluti lapis odore destituitur, quoniam nullius est saporis. *Aristol. d. l.* Ita ligna odorem referunt, quia sapore sunt prædita: sicuti quoque in sapore humidum, ita in odore siccum dominatur, quod odoris ratione evidenter in aromatum lignis, ut cinamomo & similibus cernere est, quæ quò ficciora (sapida tamen ut simul sint necesse est) eò magis odora deprehenduntur. Partium tenuitatem non nisi solam caliditatem arguere minus dixerim: hoc quippè si foret, Ol. & Spir. vitrioli, aliaque plura tenuium partium, ut sæpè per se in auram evanescant, calida essent, id quod experientia infringit. Et licet ipsa quoque attenuarent, eoque nomine calida dicerentur, non indifferenter tamen de Attenuantibus censendum, ut quæ crassos humores dividunt, vel sola partium tenuitate, ob quam facilè in intimiores humoris partes sese insinuant, quos ideò motu suo separant, ut acida, vel caliditate simul & partium tenuitate cum siccitate quadam conjuncta: unde acria omnia gustum & olfactum mordentia, qualia sunt aromata, & quæcunque à secundo ad tertium usque gradum cum partium tenuitate calida siccaque attenuandi vim possident. Hinc omnia diuretica, hydrotica, digerentia, discutientia, & obstruentia, menses moventia, lithontriptica, pituitam & melancholiam præparantia, attenuantia habentur, inter quæ sanè non pauca frigida reperiuntur. Simili pacto nec incrassantia (attenuan-

Odor quid.

(attenuantibus contraria) frigida omnia sunt, id quod tamen jure Canonis Logici; Contraria contrariorum &c. esset, ubi quæque Attenuantia non frigiditatem, sed calorem indigitarent. Sæpe igitur numero confundi reor hosce terminos ad invicem; attenuandi vi pollere, & tenuium partium esse, seu spirituum tenuitate insignium, dum illud qualitati, hoc substantiæ attribuendum. Adde quòd vel ipsa Camphora, substantiæ ratione, & tenuis, & crassa inveniatur, illaque à pharmacopolis tanquam bona, hæc ubi simul fusca, nigra & assulis ligni sui implicita (*ut Weckerus Antid. spec. l.1. s.17.* loquitur) extiterit, tanquam mala existimetur. Alii aliter sentiunt, & quod de aceto fertur, isti de Camphora quoque pronunciant, hanc nempè & calefacere, & frigefacere, quæ duo adversa in uno subjecto reperiri Regula Logica, Adversa se mutuò pellunt & destruunt, eorumque uno verè affirmato, alterum negari necesse est; vetat. Nec illationi locum præberem huic (ipsam Camphoram) cum calidis applicitam calefacere & contra, quoniam hujusmodi effectus supereminenti caliditati potius ejus rei, quæ ab attrahentibus Camphoræ partibus exugitur, & quæ ipsius frigiditatem sua virtute & mole calidâ obtundit, acceptus referendus est, eodem prorsus modo, quo Acetum (*Galeni testimonio 1. de simpl. med. fac. c. 9. 4. de simp. med. fac. c.22. lib. de marcore. c.8.* frigidum) cum caryophyllorum flores infusi sunt, majorem, ac per se simplex obtinebat, calefaciendi facultatem induit; vel vinum sublimatum per se calidissimum, ab adjecto papav. err. vel hyosc. semine bonâ parte frigidum redditur. Minus ferit, Camphoram facilimè accendi, & in aquis etiam ardere, eoque nomine maximè calidam esse: ardet enim & accenditur aëriarum partium vi, & propter pinguedinem; quis enim calidissima quæque facilimè protinus ardere asseveraverit?

Experientiam, alterum Medicinæ crus & fulcrum quoque, cui *Avicenna* judicio, si hoc aliud, aliudque ratio indicat, uni innitendum, & cui contradicere non est, nisi τοῦ ἐπιπολάζοντος consulamus. Prodit autem illa, tantùm abesse, ut Camphora calidissima sit, ut circa tertium gradum refrigeret, calidos capitis dolores illita mulceat, incandescentes inflammationes (jecinoris præsertim) restinguat, renes & vasa seminaria ab nimio ardore liberet: contra Erysipelas unguentum Caphuratum & album & rubrum maximè facere quis vel Balneatorum & circumforaneorum nescit? Plurima ipse *Renod. c. l.* & ex aliis *Weckerl. 1. s.17. de gummi & resin. Matthiolus, Avicenna, Serapio, Medici Colon. & alii.* Notatu dignum exemplum non ita pridem sese obtulit; dum fœmina quædam in Leprosorio æstu febrili circa supremum ventrem vehementer agitata, vano vanæ aniculæ suasu faciem aquâ rosaceâ (si rectè memini) cui bona Camphoræ pars adjecta erat, lavit, quo facto paulò post vocem omninò amitit, & tantùm non penitus suffocata est. Num de hac materia quippiam *Problematibus* Excell. T. eruditissimè conscriptis habeatur, nec recordor, neque cùm jam ad manus non sint, inquirendi copia datur.

Præter opinionem Epistola sub manibus crevit: quapropter finio, Te præceptorem meum, quem, ceu patrem, filiali prorsus amore & honore prosecutus sum, & quantum quidem ὁ ἀδάσφαγξ permittet, Dei adminiculo, dum spiravero, avidè prosequar, oro, ut quid Excell. Tua de propositis dubiis (utpotè quorum resolutio non parùm ad muliebres, uterinasque passiones prodest) videatur, mihi proximâ occasione, sive per Dn. Merckium Chirurgum filio sæpiusculè scribentem, sive alio pacto haud gravatim tribus saltem verbis, (quod ajunt) communicare digneris. Faciet næ Exc. Tua cùm in hoc mihi gratificando, tùm præpetita de uterinis affectibus obervata edendo; ut non solùm ego, tametsi τὰ τῆς ὕλης μέτρα πρὸς τὴν χρείαν. Amoris tàm ergà me meosque condiscipulos, quàm ergà totam Rem Medicam συγκήρυξ & buccinator indefatigabilis esse studeam, sed omnium piorum quoque ab obitu tandem tuo (quem longè adhuc Deus, & procul abesse velit) animus in Te Tuosque sit, quem Excell. T. esse vult, & qui esse debet. Felicissimè vive & vale vir Excellentissime, in Nobiliss. Artis nostræ & ornamentum, & emolumentum, nec amore illo Tuo singulari & sincero prosequi cessa

Ex. Tuam

Unicè colentem.

Ludovicum Horniceum Phil. & Med. D. ut & P.L. Cæsar.

Dab. Francofurt. ad Mænum 5. April. Styli veter. 1626.

RESPONSIO.

SAl. Responsum meum ad literas tuas hactenus promissum en! accipe tandem, Vir Clariss. fautor & amice colende. *De Camphora qualitate num calida vel frigida sit*, acriter inter duos viros eruditos dimicatum fuisse scribis: *nec immeritò!* cùm ex utraque parte nec rationes, nec autoritates desint. Antequam verò quæstionis determinationem subjiciamus, de *Camphora* vel *Caphura*, vel quod subtilissimo *Scaligero* magis placere videtur, *Capura* naturâ & origine διάγνωσιν instituamus, ne nobis illud quod prædictus Subtilitatum Magister in *Cardano, Ex.104. Sect.8.* castigat, objiciatur, quasi Medicis ignaviæ numen pro Elysiis campis ostendendum, in cujus sinu beati (non inquirendo quid Camphora sit) conquiescere possint. *Caphuram* veteribus ignotam fuisse satis patet ex *Monardo in Annot. ad Mes.* ubi inquit: res nova (camphora) quam gummi arborum dicunt; quod etiam in *Epist. Med. Epist. 3. Ioh. Baptista Theodosius* repetit. *Matthiolus in l.1. Dioscor. c.75.* veteres Galenum, Dioscoridem, & cæteros istius seculi scriptores, non solùm nihil de Camphora annotasse, sed ne novisse quidem asserit, cui quoque subscribit *Garzias l.1. Arom. c.9.* Sunt autem qui statuunt, Caphuram bituminis esse genus, quâ ratione *Fallopius l. de Thermal. aquis c.5.* Camphoram non immeritò Bituminis speciem aliquibus esse statuit, quod more aliorum in aquis ardeat. *Fuchsius l.1. de comp. med. c.20.*

Caphura veteribus ignota.

An Camphora bitumen sit.

med. c.10. ἀμφίγνωφον est, caphuram bituminis indici genus esse putans, quod scripserit *Serapio*, largioris caphuræ proventum augurium esse, quando cælum frequenti fulgure coruscat, quo tempore terra Sulphuris atque bituminum copiam effundere soleat, contra *Garziam*, qui idipsum ex naturâ regionis omninò negat. Sic *Agricola* Camphoram Succini vel Bituminis cujusdam Arabici florem per sublimationem extractum esse voluit, de quo *Libav. in Com. Alchym. par. 2. l. 6. c. 31.* *Platearius* malè Caphuram herbæ cujusdam succum pronunciat. Sed arboris lacryma est Caphura, inquit *Scaliger c. l.* seu gummi arboris Indiâ nascentis, ut inquit *Matthiolus*, seu ut habet *Garzias*, Caphura est gummi, (non medulla, aut cor, ut Avicenna & alii quidam putârunt) quod in meditullium Ligni cadens deinde extrahitur, aut per rimas exsudat. Arboris Caput dictæ descriptionem innuit *Scaliger*, exactiùs verò determinat Garzias. De qualitatibus medicamenti diversæ sunt opiniones. *Fallop. l. de ulceribus c. 10.* Camphorâ tanquam calefaciente medicamento utitur, contra *Avic. & Serapionem*, qui Caphuram in 3. gradu siccare & refrigerare statuunt. *Matthiol. c. l.* sententiam hanc in dubium vocat, aut nos verâ Camphorâ carere pronunciat: planiùs autem in *Epist. mihi pag. 137.* mentem suam aperit, dum inquit: Camphuram medicamentum frigidissimũ haudquaquam mihi persuaserim; addit rationem, quod non tantùm accensa vehementissimè flagret in aquis, sed etiam sit tenuissimarum partium & acutissimi odoris, ac manducata os excalfaciat & admodum exiccet: hinc frigidiusculis medicamentis admisceri rectè statuit, ut crassorum medicamentorum vires secum ad intimiores partes vehat. *Fuchsius in annot. ad pastil. ex Portul. l. 2. de comp. med.* Camphoram nostram abundè calidam esse pronunciat. *Ioh. Bapt. Theodosius Epist. Med. 49. mihi pag. 453.* Camphoram à prædominio frigidam admodum pronunciat, & tamen, inquit, respectu multi sui odoris oportet confiteri in eâ esse partes calidas, ut dicit *Dynus in 2. canon. c. 3.* odor enim non fit, nisi ex fumali operatione, *ut dicit Arist. in l. de sensu & sens.* talis autem evaporatio non fit, nisi à calore. Huc etiam inclinare videtur *D. Mindererus*, quod postea patebit ex modo quo camphoram alexiterium esse pronunciat. *Rhases de re Med. l. 3. c. 22.* frigidam humidam pronunciat contra *Avic.* imò & *Cardanum*, qui tantam siccitatem eidem tribuit, ut ea propter, semen exiccando, virginum in sinu juvenes reddat impotentes, in quo non immeritò *Scaliger*, eundem quoque refutat. *Garzias c. l.* se Caphuram calidam aliquandiu ob odorem & partium tenuitatem statuisse dicit, sed postea, experimento sese convictum, palmam iis præbuisse, qui frigidam esse probent, ab operationibus ejus. Neque vero huic sententiæ repugnare dicit, quòd odorata sit, quandoquidem ob partium tenuitatem facilimè evaporet & exhalet, qui in superficie est odor, contrà quàm in Santalo & Rosa, quæ ob suam astrictionem odorem in se retineant, *Cratoit. de peste.* Camphoram absque dubio tenuissimarum partium cum calidis calefacere, cum frigidis refrigerare statuit. *Vide consil. à Scholzio edita sub finem p. 1107.* Vides, Amice, non penitùs nullâ difficultate laborare quæstionem præsentem, aliis calorem, aliis frigus Caphuræ tribuentibus, quam ob causam non miror adhuc hodiè inter eruditos diversas opiniones agitari. Cùm autem medicamentum in comparatione ad corpus nostrum dicatur, quatenus illud ipsum alterat, *ut habet Gal. l. 1. Simpl. c. 38.* eatenus camphora quoque considerabitur, non quatenus suæ mixtionis ratione partibus calidis frigidas excedere videtur, sed quatenus corpus nostrum hoc vel illo modo afficit. Alterum fundamentum resolutionis nostræ subministrat *Gal. l. 3. de temp. c. 1. & l. 1. simpl. c. 2.* quod operationes medicamentorum quædam fiant per se, aliæ ex accidenti. Nec negligendum tertium fundamentum, quod sub finem *Ex. 2. Decad. Pharmac.* à nobis proponitur, diversas medicamentorum operationes à diversitate partium non raro dependere. *Camphoram* originis suæ respectu non inscitè quidam calidam pronunciat, cùm tenuium ac penetrantium sit partium, cùm inflammabilis sit more bituminum, cùm odorem exhalet penetrantem ac gravem, caloris sobolem. At hoc posito non sequitur necessariò corporis nostri respectu Caphuram quoque calefacere, quantumvis primo insultu linguam caloris impressione lædere videatur, quia per experientiam constat, refrigerationem potiùs, quàm calefactionem ejusdem usum in corpore nostro subsequi, quâ ratione *Garzias* ophthalmiis, & oculorum inflammationibus, tùm etiam ambustis impositam, nivis frigiditatem retulisse refert. Sic etiam defensionis gratiâ cũ aliis Camphora Collyriis ophthalmicis in variolis commodùm miscetur, repellendo oculorum inflammationes præcavens, quod experientiâ propriâ confirmo. Imò Veneris etiam ardorem Camphorâ restingui plurimorum experientia confirmat, unde communis Versiculus; *Camphora per nares, castrat odore mares*, quamvis idipsum *Scaliger c. l. contra Cardanum* neget. Nec satis est partium tenuitas ad comprobationem caloris, quia non calor compositi, quem tenuitas partium ut plurimum demonstrat, sed effectivus, respectu corporis nostri, quæritur: nec inflammationis promptitudo *Scaligero* sufficit: quis enim dixerit, inquit, calidissima quæque facilimè ardere: non enim similitudine semper evocatus transit ignis in corpora, similitudinem caloris intelligo, sed & allicitur aliqua materia, quæ eum propter raritatem admittere facilè queat. Nec tandem argumentum ab odore graviori deductum sufficiens est, ut ipsemet demonstrasti, cui addo, quod odor ille tàm genuinus non sit in Camphora, quin in aliis etiam exhibeatur, quâ ratione *Baccius l. 5. de Therm. cap. 4.* Camphoræ odorem non tantùm aquæ medicatæ propè Aquarium oppidum Italiæ per *Savonarolam* tributum fuisse dicit, sed id ipsum *Fallopium* quoque statuisse, propterea quod tota Mutinensis regio scateat bitumine, quod Camphoræ odorem æmuletur. *Avicenna* succino quoque odoratam Camphoræ vim tribuit, quod probat *Libavius in Com. part. 2. l. 6. c. 31.* dum inquit: si quis dum oleum Succini conficit, linum bombacinum aqua madidum imponat Alembico, fumum odore Camphoræ emittet.

An sit herbæ succus.

Camphora quid sit.

Qualitates Camphoræ.

Conjungo discepeationes de Camphora inter

Simlerum & Schnizerum in cista Medica p. 305.

Determinationis fundamenta.

Camphora suæ originis respectu calida.

Diluuntur rationes pro calore adductæ.

Veritatis determinatio.

emittet. His præmissis *Camphoram non respectu mixtionis, sed efficienter in corpore nostro refrigerandi potentiâ præditam statuimus*, idque propter diversas partes, quæ in eodem affectu deprehenduntur. Innuit hoc *Libavius par. 1. Apocalyps. c. 15.* dum inquit, Camphora effectu medico ob spiritus inclusos, ut & Halonitrum, frigida est, qua ratione verò flagrat, non excedit genus Sulphureorum. *Querc. l. 1. defens. Hemet. cap. 16.* ex proprietate principiorum camphoræ perspicuum esse statuit, ex ingrato ejus odore (etsi in aquâ ardeat) quod refrigerantem & narcoticam qualitatem habeat: *addit*, quod ejus oleum licet primo insultu igneam quandam qualitatem exhibeat, nihilominus dolorum, sedativum sit præstantissimum, ob quam operationem Camphora Arabibus 3. gradu frigida statuatur. *Repetit idem Quercetanus in tetrade c. 15.* ubi ex odoris indicio Camphoræ sulphur tribuit mitigativum, dolorem sedando, causamque furentem extinguendo. Est autem similis operatio in Opio, quod effectu quoque frigidum rectè statuitur, licet aliâs ob insignem amaritiem cum acredine conjunctam, ob odorem gravem, & quod flammam facilimè concipiat, calidum à nobis pronunciatur, *dec. 9. probl. θεωρητ. q. 2.* Sic ex seminibus papaveris, cucurbitæ, melonum, cucumeris & id genus aliis frigidis extrahuntur *Quercetano c. l.* fragrantia olea, quorum tamen operationes calorem non inducant, sed potiùs quietem & refrigerium. Major adhuc similitudo, quàm ab *Halinitro* deducunt, idipsum declarat, quis enim negabit, nitro præparato, quod lapidem prunellæ quidam vocant, singularem inesse refrigerandi vim, quemadmodum *probl. Med. 3. q. 8.* demonstravimus, cujus operationis encomia plura videas apud *Quercet. in Alexicaco c. 6. mihi pag. 351. Ruland. de luis Vngar. cur. c. 6. pag. mihi 138. Vnzerum de Sale c. 18. & alios.* quamvis volatilis ac sulphurea ejusdem Nitri natura plebeis etiam ignota non sit, unde diversitate partium idipsum fieri verisimile statuitur, quod pluribus declarat idem *Quercetanus l. de prisc. med. mat. c. 3. & 4.* Huc etiam refer, quod habet *Conradus in Medull. destill. p. 1. tr. 21.* ubi confitetur, quod Camphora sit spiritus volatilis, qui mox etiam levi calore sublimetur, quique suis proprietatibus Halinitrum æmuletur. Ponamus igitur in Camphorâ quoque simile Sulphur, calidas expirationes dissolvens, cum insigni siccandi facultate, copiosum esse, quod maximâ penetrandi facultate præditum, intimius sese insinuet, adeoq; non tantùm caliditatem temperet, sed simul etiam subjectum ac focum putredinis ipsummet aggrediatur.

Camphora quomodo tempore pestis conferat.

Manifestum hinc redditur, cur Autores classici tantum infectionis tempore contra pestiferam malignitatem Camphoræ tribuant: quâ ratione *Crato de peste gr. iij. camphoræ cum pauxillo Theriacæ vel Mithridati* commiscet, & in *Epist. 103. ad Dudithium*, omnia remedia Camphoram excellere dicit inter Alexipharmaca. *Zwingerus etiam in Epist. ad Monavium, inter Scholzianas n. 264.* Camphoram cum spir. vini solutam ex sententiâ aliorum commendat, quâ ratione aquam pestilentialem conficit *Cl. Hartmannus*, qui Camphoram cum Spiritu vini solvit, addito pauxillo croco, tàm præservationis, quam etiam curationis gratiâ, tempore pestis. Subscribit etiam *Fernelius lib. 5. Methodi, c. 21.* ubi camphoram malignos vapores calidos extinguere statuit. Egregium Camphoræ Encomium est *Dn. D. Mindereri p. m. l. de pestil. c. 15. dum inquit: nostris laudibus insigniter meritò celebranda venit Camphora, non mirabile modo, verùm etiam forte ac efficax alexiterium.* Quomodo verò suam in expugnando veneno, vim peragat, fortè non omnium eadem est opinio: prædictus Mindererus idipsum eâ ratione fieri suspicatur, quod Camphora assumpta, mox interno calore quasi ignita, more flammæ, exteriùs putridas exhalationes absumentis, in corporis meditullio flagrans, coinquinatos spiritus, eosq; tetros ac fœdo miasmate pollutos, aut inspiratos, veneni labe aliquâ contaminatos halitus cordi jam jam vicinos, ac circa præcordia hærentes, exurat, & sicco planè & igneo calore pervadens, partim dissipet & expellat, partim combustione absumptas, partim corrigat, atque emendet, proindeque camphoram inter pestis Alexiteria fortissima & validissima reponendam sive calida, sive frigida sit, quam tamen siccam omnes confiteri coguntur. Hactenus ex sententia aliorum, ubi tandem patet conclusionem nostram eò usque jam demonstratam esse, nimirùm Camphoram non in sua mixtione considerandam esse pro tempore, sed quatenus corpus nostrum afficit, cumque manifestiores sint effectus refrigerationis (quanquam non contradicamus iis, qui cum calidis eandem simul adhibitam calefacere quoque pronunciant, tenuitate partium suarum instar vehiculi eorundem operationem adjuvando) quam calefactionis, iis calculum adjicimus, qui frigerandi potentiam & effectum Camphoræ concedunt, quantumvis idipsum non actuali frigore, adeoque non actione univoca, sed potiùs æquivoca, imo etiam aliquo modo *κατὰ συμβεβηκὸς* interdum fieri videatur. Plura penes citatos Autores lectio subministrabit. Hisce benè vale, nec non inter turbatos & interruptos labores quotidianos consignata, boni consule. Dabam ocyus Ulmæ, pridiè Cal. Jan. Anni 1629. quem Tibi Tuisque, imò toti Christianæ Reip. pacatum & optatum ex animo precor.

Tuus

Gregor. Horstius, D.

OBSERVATIO III.

De usu laudani Opiati.

Vir Clariss. & Excell.

DN. PETRUS Krauß / Philos. & Medicus D. & Reipubl. Numburgensis Physicus.

GREGOR. HORSTIO, D.

S. P.

Omine felici Tibi sit Lux fausta recentis
ANNI, *Vir, magnos inter amande* VIROS:
Et Te cum COSTA, *Natos, Natasq́ potenti*
Ipse suâ, ducat JESUS JOVA *manu!* A-

Pudet.

PUdet me sanè, Vir Clarissime, Adfinis & Amice medullitùs honorande, ad humanissimas & jucundissimas tuas, ipso die Martini mihi exhibitas, me jam dudum non respondisse, multò minus promissis meis, mittendis observationibus meis singularibus, fidem dedisse. At quis ita cordatus miles, ut inter tot armorum tumultus acstrepitus, inter tanta variorum contagiosorum morborum inquinamenta & miasmata, de exantlatis jamdudum præteriti temporis laboribus, quàm de præsentibus & imminentibus undique periculorum variorum incursionibus, magis sollicitus esse possit? Versati hactenus sumus inter extremas ferè rerum omnium angustias. Contagium dysentericum & pestilentiale non tantùm in vicina, sed etiam intra nostra mænia incrementum cepit: Jam, Deo sic largiente, quodammodo remittens. Versati sumus inter pavores & timores; intra spem & metum adhuc versamur & vivimus. Si ergò aliâs leges inter arma silere solent, quid ni etiam Musæ & Literæ, adeo omnes meditationes seriæ inter tot tantosque variarum angustiarum anfractus & impetus mutæ erunt? Ne tamen abjecta hasta fœnum porrigere, & tanquam κωφὸν πρόσωπον officii & promissorum meorum immemor esse videar; en! offero tibi hac occasione, & pro felici novi anni introitu Prodromum observationum mearum singulariùm, potissimùm de felici Laudani Opiati usu casus aliquot enumerantem, quem boni consulas, serenaque fronte perlegas, etiam atque etiam oro & rogo.

Ut autem fiat initum, notatu dignam judicabis primò sequentem curationem, quæ sic habet.

Observatio 1.

Anno 1603. 24. Augusti. Uxor Stephani Ammans, Citharœdi illius excellentissimi Erphordensis, juvencula certè delicata & formosa, cum lacrymis & precibus me accedit, conquerens, se totos quatuor annos in pudendis, & maximè in collo vesicæ, acerbissimos & ferè intolerabiles cruciatus, cum urinæ ardore & stranguria continua (erat enim valdè calculosa, & urinæ quandoque cruentæ ac purulentæ) perpessam esse. Omnia se quidem tentasse remedia: nullisq; sumptibus pepercisse, at omnia incassum, morbo indies in deterius vergente. Ego ut novellus Doctor de morbi latitantis essentia adhuc incertus, omnia symptomata diligentissimè mecum ruminor. Tandem in collo vesicæ ulcus cacoëthe latitare manifestò deprehendo. Dato prognostico, consilium meum promitto, de auxilio ferè ambigo. Corpore itaque toto ab acribus & salsis humoribus, quibus maximè scatebat, (per modum diversionis & evacuationis) pluries expurgato, ratione Ulceris inveterati varia abstergentia, mundificantia, lenientia, tàm intra, quàm extra præscribo, plura etiam per siphonem in vesicam injicio. Dolorum maximè urgentium demulcendorum gratiâ sæpenumero alterantibus & purgantibus addo Trochiscos Alkekengi, cum & sine opio. Nonnunquam gr. j. Laudani opiati somni tempore cum Syrupo de Portulaca & Violis offero. Imò in casu tàm difficili & desperato, omnibus ferè medicamentis in principio curationis, dolorum demulcendorum gratia, aliquid ex Opiatis admisceo. Tandem ulcere optime depurato, doloribusque omninò sedatis, ad exiccantia & consolidantia pervenio, idque Deo largiter benedicente, tàm felici cum successu, ut curâ hâc quinque menses diligenter & absque intermissione protractâ, misella hæc mulier ad integram & constantem valetudinem redierit, non certè sine magna multorum admiratione, nec non ægrotæ gratiarum actione summâ. Peperit postmodum feliciter, cùm antea concubitum omninò ferre non posset.

Cur tàm multis in hâc ægra muliere usus sim Opiatis, ansam tùm temporis, Anno 1603. 3. Septembr. mihi præbuit Generosus Comes & Dominus, Dn. Philippus, Comes à **Gleichen in Ohrdorff**. Ad hunc enim vocatus, dum de praxi mea sollicitè perquireret, dictum casum Generositati ejus propono. Sciscitatur ille, num Laudanum Paracelsi mihi in usu esset, (erat enim excellens Chymicus, qui multa secreta postmodum mihi communicavit) annuo ego: Et rectè quidem, ille inquit; perge modò, & mirabilia experieris. Ego enim nuper habui quendam Nobilem Aulicum decrepitum ferè: Ille ultra anni spacium lecto affixus, tantos cruciatus Nephriticos & Calculosos, cum perpetuo urinæ ardore & difficultate perpessus est, ut omnes Medici, & alii, ipsum tanquam deploratum planè derelinquerent. Ego misericordia pientissimi hujus viri commotus, inquit Dominus Comes, extremis morbis extrema etiam medicamenta applicanda duxi: Jubeo itaque ipsi singulis diebus initio, postea verò, morbo scilicet quodammodo mitescente, alternis, horâ somni exhiberi granulum saltem Laudani Opiati veri, & quidem cum aquis & Syrupis appropriatis diureticis, lenientibus. Quo facto non saltem magna arenularum copia quotidiè per urinam excreta & dolores ardentes mitiores redditi sunt, sed etiam totum corpus indies vegetius apparuit, omnesq; vires recollectæ, ita ut post mensis spacium ad pristinam valetudinem totus redierit, pluresque annos postea sine omni morbo quietè ac placidè supervixerit. Hæc ille. Vide iterum, quid Opiata verè correcta, & debito modo sæpiusculè administrata in morbis etiam desperatis præstare valeant.

Observatio 2.

Medicamenta autem, quæ in hâc cura, Uxoris scilicet Ammanni, primas obtinuerunt, hæc sunt. Corpore toto per octiduum ritè evacuato, singulis postea septimanis hunc bolum dedi.

℞. *Elect. Lenitivi cum Manna.* ℨß.
Diacatholici.
Conf. Hamech. ana ʒis.
Trochisc. Alkek. cum Opio ℈ß.
Cum Sacchara violato tabulato f. Bolus.

℞. *Rad. Liquirit.* ℥j. *Graminis Alth. ana* ℨß.
Bistortæ. Saxifrag. ana ʒiij.
Herb. Agrimon. Plantag. Portulacæ.
Verbenæ. Hederæ terrestr.
Veronicæ Capill. ven. an. Mj.
Flor. Malvæ Arboresc. Nenuph. Viol. an. Mß.
Sem. Alth. Papav. alb. Violar. Portulacæ.
Anisi. ana. ʒij. 4. *frigid. major.* ʒvj.

Sebest.

Sebest. N. ix. Fruct. Alkek. N. vij.
Cicer. rubeor. ℥ijs. *Hord. non excort.* Mß.
F. decoctio in vase duplici cum s. q. aq. commun. ad remanent. ℔ijß. *quibus adde*
Syrupi ex multiplici infusione violar. solut.
De succo Agrimon. Capill. ven.
Mell. ros. col. an. ℥j.
Arcani Vitriol. ℨß. *Misce.*

Bibat inde singulis diebus tribus vicibus, manè, à prandio & hora somni ℥iij.

Cùm verò dolores in pectine & dorso sævissimi adessent.

℞. *Herb. Violar. Mercurial. Parietar. an.* Mjs.
Flor. Meliloti, Chamam. Verbasci. ana Mj.
Sambuci Mß.
Sem. Lini. Fœnugraci. ana ℥ß. *Alth.* ℨij.

Cum cerevisia dulci cocta applicentur pro fomento.

℞. *Succi Parietariæ rec. express.* ℥j.
Ol. Scorpion. Violar. ana ℥ß. *Lilior. alb. Butyri caprini non salsi ana* ℨiij.

Coquantur ad ignem lentum cum cera f. Linimentum. Octiduo præterlapso sequentia præscripsi.

℞. *Herb. Consolidæ Sarracenicæ. Marrubii, Agrimon. Saniculæ. Aristoloch. long. Pilosellæ. Verbasci cum toto. Hederæ terr. Pentaphylli cum toto. ana* Mjß.
Flor. Hypericon. Rosar. rub. ana Mj.
Sem. 4. frig. major. ℥j.
Rad. Alth. Consolidæ major. an. ℥ß.
Liquirit. rasæ. ℥j.
Hord. non excort. Mj. *Passular. Cibeb.* ℥j.
Coquantur ad 3. p. absumpt. colentur fortiter. ℔ijs.
Add. Syr. de succo Limon. Agrim. an. ℥js.
Mell. Ros. col. ℥j.
Troch. Alkak. sine Opio ℈iiij.

Misc. Bibat inde horis matutinis & pomeridianis. Singulis tribus diebus sumat ℨij. ex sequenti Elect. horâ unâ antè cænam.

℞. *Tereb. elect. cum aq. Equiseti & Plantag. diligenter lota, postea cum Saccharo rosaceo tabulato eousq; exagitata, donec omnem ferè tenacitatem deponat* ℥ß.
Trochisc. Alkak. sine Opio. ℈iiij.
Extracti Liquirit. ℈j.
Gummi Tragac. ℈j.
Laudani Opiati gr. iij.
Cum Syr. de Alth. Comp. f. Elect.

Pro injectione per Siphonem hoc præscripsi.

℞. *Herb. Equiseti. Agrim. Plant. an* Mj.
Rad. Aristol. long. Alth. Consol. major. ana ℥ß.
Sem. Melon. ℨij. *Hord. non excort.* Mß.
Rasuræ Ligni Guajacini. ℥jß.
Coq. ad 3. p. absumpt. prius per noctem infusa colentur fortiter. ℥vij. *adde Mell. ros. col.* ℥j M.

Si dolor & ardor in vesicæ collo urget, cum lacte caprino hoc injiciatur.

℞. *Sarcocollæ prap.* ℨß. *Cerussæ lotæ.* ℨj.
Sacchari Saturni ℈j.
Sacchari rosat. tabul. ℨiij. M. *pro pulvere.*

Pro majori ulceris detersione, doloris lenitione, ardoris urinæ correctione, & ulceris conglutinatione singulis diebus per Siphonem tribus vicibus injicicuravi *Trochiscos Gordonii*, quos describit *Forestus Obs. pag.* 548.

Hisce adhibitis facta sunt omnia remissiora: at cùm urinæ valdè sabulosæ, purulentæ & calculosæ apparerent, corpore purgato:

℞. *Rad. Fœniculi Petroselini. Lappæ majoris Ononidis.*
Liquiritiæ, Alth. ana ℥vj.
Herb. Ceræ folii. Alth. Portulacæ. Parietar. Agrimon. Hed. terr. ana Mj.
Fl. Malv. arboresc. Viol. Linariæ. ana Mß.
Sem. Alth. Melon. Cucurb. Anisi, an. ℨijs.
Fruct. Alkek. N. ix. Pass. Cibeb. ℥jß.
Hord. non excort. Mß. *Cic. rub.* ℥iij.
Coq. ad 3. p. absumpt. colentur. ℥xxiiij.
Add. Syr. de Alth. comp. ℥ij. *de succo Limon Infus. multipl. violar.*
Mellis ros. col. an. ℥j. *Trochisc. Alkek. s. opio.* ℈iiij. *Arcani Vitrioli* ℨß. M.

Bibat inde horis matutinis & pomeridianis. ℥iiij. pro vice. Sæpiùs repetat Elect. ex Tereb. cujus paulò antè facta est mentio. Hæc medicamenta aliquot vicibus reiterata fuerunt, mutatis mutandis, aliis quoque remediis hîc non commemoratis, in eundem tamen scopum collineantibus, simul pro re natâ adhibitis. Tandem ulcere optimè mundato & exiccato, ad sequentia perveni,

℞. *Limaturæ Ligni Sancti* ℥iiij. *Sarsap.* ℥j.
Cort. rad. Eryng. Liquir. rasæ. ana ℥j.
Scorzoner. ℥ß.
Flor. Rosar. violar. an. Mß.
Herb. Agrimon. Capill. ven. Veron. Hederæ terr. ana Mß.
Passul. Cibebar. ℥ij.
Coquantur s. a. ad remanent. ℔ij.

Hoc decocto usa est per integrum mensem, manè ac circa vesperam, atque id summoperè laudavit, Præscripsi etiam sequens Elect.

℞. *Spec. diatragac. frig. Troch. Alkak. s. Opio. ana* ℨj.
Sem. Cydonior. Papav. albi Melon. excort. Alth. Fruct. Alkak. ana ℈iiij.
Succi Liquirit. ℨis.
Boli Armeni veri Or. Troch. de terra sig. ana ℨß.
Laudani Opiati, gr. vij.
Arcani Vitrioli gr. xxx.
Cum Syr. de Alth. Comp. f. Elect. molliusculum.

Utatur hoc sæpiùs hora una antè prandiũ vel cœnam; superhibendo haustum bonum de cocti Cicer. rub. cum pauco

pauco saccharo ros. tabul. (abstersionis & exiccationis gratia) mixti.

Hisce & aliis Topicis, ut & injectionibus convenientibus adhibitis, DEO sic fortunante, præter omnium opinionem integræ sanitati restituta.

Observatio 3.

Sed quid alienis immoror, cùm domi habeam, quod satagam. Ego inter jucundas Amicorum conversationes Anno 1615. mense Decemb. me vino Rhenano forti liberaliùs ingurgitans altero statim die ad Nobilem quendam à **Breitenbauch** proficiscor, Borea acriter flante, cum tempestate nivali, capiteque non probè ad iter munito, totus ferè frigeo & horreo. Hypocaustum ingressus, aëri calidiori me statim expono, prandio simul sumpto lautiore, circa noctem domum reversus, dormio mediocriter: matutinis verò horis gravedinem capitis (quæ aliàs mihi inconsueta) persentio, cum Hemicrania partis sinistræ. Nocte sequenti omnia ingravescunt, odontalgia simul adeò sævissima accedente, ut ob dolorum acerbitatem in spasmum Cynicum inciderim. Vocatur collega meus Dn. Guilhelmus Romanus, Adfinis & Compater meus amantissimus: ille συνδρομὸν symptomatum & eorum gravitatem animadvertens, omnis generis revulsiones, aliaq; ἀνώδυνα, tàm interna, quam externa accelerat. Sed frustrà! Dolores capitis magis ingravescunt (spasmo tamen quodammodo mitescente.) Urgent hæc symptomata vehementissimè ad quartum usque diem, delirio jamjam, ob dolores & vigilias continuas appropinquante, cum extremo vitæ discrimine. Rebus adeò periculosè stantibus, cùm morbis extremis extrema debeantur remedia, circa vesperam capsulam argenteam, quam semper mecum gero, afferri jubeo, sumptaque pillula unius saltem grani ex Laudano meo solari, clementiæ & Benedictioni divinæ me totum committo. Hora una præterlapsa, me quodammodo ad somnum propensum fieri sentio, qui etiam mox consequutus est, initio quidem valdè turbulentus, at temporis progressu magis naturalis (uti conjux mea & reliqui lecto astantes testabantur.) In fine ad sesquihoram placidissimè dormire videor, per totum corpus, & maximè circa caput sudore copioso (id quod proprium est Laudano) prorumpente. A somno excitatus caput totum, quasi ex temulentia aggravatum sentio, doloribus tamen aliquo modo mitigatis. Circa septimam matutinam sumpto jusculo iterum me quieti expono, ad duas horas placidè dormio, & copiosè sudo. Post duodecimam Diaconus noster Dn. M. Philippus Jacobus Lindnerus, compater meus dilectissimus, me accedit, qui lecto assidens de morbi statu ex conjuge & reliquis diligenter sciscitatur. Dum hoc ita fit, ecce forte fortuna fœtor quidam ingratissimus nares ferire cepit. Quæro hæsitabundus unde iste. Negant astantes se aliquid persentiscere. Strophiolo naribus emungendis admoto, magnam copiam sanguineæ ac purulentæ materiæ ex sinistris naribus stillantis simul excipio, cum tanto fætoris gravitate, ut mihi ipsi, & astantibus infensissimus videretur. In momento quasi dolores isti immanes consopiri, caput relevari, omnesque actiones magis magisque recuperari visæ fuerunt. Benè dormivi nocte sequenti. Fluxus iste purulentus ad sex fermè dies perduravit. Errhinis abstergentibus & aliis roborantibus adhibitis, ex usu Laudani mei, Deo feliciter benedicente præter omnium spem & opinionem, rectè convalui, cerebro nonnihil ex hoc morbo defatigato, ita ut frigori & crapulæ crebriori multùm valedicere cogar. Sic graviter dixit *Hippocrates:* Capite dolenti ac vehementer laboranti, pus aut aqua aut sanguis per nares, os vel aures, morbum solvit. 6. *Aphor.* 10.

Observatio 4.

Uxor mea dilectissima, alias hypochondriaca, valdèque catarrhosa, Anno 1621. Mense Decembri, à tertio usque ad quartum imprægnationis mentem vehementissima tussi cum doloribus capitis, quibus aliàs uterum gerens obnoxia est, adeò acerbissimis correpta fuit, ut neque dies neque noctes quieta esse posset. Omnibus, quæ quidem excogitari possunt tentatis remediis, tàm internis, quàm externis, laterem me lavare, imò periculum Matri & Embryoni maximum imminere deprehendo. Tandem ad meum Laudanum, tanquam sacram anchoram confugiens, horâ somni sesquigranum saltem hujus Opiati ipsi deglutiendum offero: tanto certè, Deo sit gratiâ, cum emolumento, ut non modò totâ nocte cum copioso sudore circa auroram optimè dormiverit, verùm etiam dolores maximâ ex parte, cum tussis vehementia, mitigari ceperint. Altero die circa vesperam hoc medicamenti genere, & quidem ad granum saltem unum, repetito, Deo feliciter ita fortunante, omnia symptomata, ad miraculum usque, evanuerunt, beneque habuit, & felicissimè peperit. Sæpiùs postea, imprægnationis præsertim tempore, ratione tussis & cephalalgiæ molestissimæ & pro catarrho exiccando, cum magno successu sequentes pillulas horâ somni devorandas ipsi, & aliis etiam exhibui, quæ

℞. *Mass. pil. ex Aloë lotâ.* ℥j.
Thuris albiss. Mastich. opt. an. ℈j.
Flor. Sulph. gr. v. Benzoini. gr. iij.
Solut. Corall. gr. v. Olei succini alb. gr. ij.
Tincturæ fl. Rosar. g. xxx.
Laudani nostri Solar. g. iij.

Cum aqua Primulæ veris & Tussilag. f. pillulæ, pro dosi. ℨß. cum Syrupo violato. Hæ pillulæ valdè mihi frequentes fiunt in ejusmodi casibus.

Observatio 5.

Filius meus Christophorus à pueritiâ usque dentium dolore vexatur, atque in mense Novembri Anni 1628. tantâ cum vehementiâ, hemicraniâ simul accedente, ipsum dolor invadit, ut præ doloris intolerantiâ caput sæpè ad terram & parietes percuteret. Factis fiendis, per evacuationes, revulsiones, anodyna &c. morbus contumacior evadit, non remissior. Tandem horâ somni unicum saltem granum mei Laudani ipsi offero, quod ipsi adeò ex usu fuit, ut cum multo sudore totâ nocte placidè non saltem quieverit, sed etiam dolores maximâ ex parte sopiti fuerint, tumore simul externo apparente, qui intra biduum cum omnibus reliquis symptomatibus totus evanuit.

Hâc ipsâ horâ dum hæc excipio & scribo, idem malum recurrit, 4. Maij, Anno 1629. sed non tanta cum vehemen-

vehementia, capite leniter evacuato, somni tempore iterum gr.j. mei Laudani exhibeo, felicissimo cum progressu, ita ut seqq. diebus ab omnibus doloribus liber evaserit ac permanserit. Expertum est medicamentum & in doloribus odontalgicis gravissimis & ferè incurabilibus probatissimum.

Observatio 6. Christophori Schumanni civis Numburgensis & chori nostri symphoniaci instrumentalis adjuncti, uxor me accedit, morbum mariti sui Anno 1627. 24. Novembris, cum lacrymis mihi recensens, & meam operam implorans. Omnibus consideratis, deprehendo ipsum pleuritide verâ laborare. Febris siquidem aderat acutissima, tussis continua, sputum cruentum, cum magna omnium virium dejectione. Secta vena, aliisq; tam intra, quàm extra tentatis remediis, febris post novem dies mitescere cepit, sputumque sanguinis cessare: Tussis tamen ex tenui destillatione (ex continuâ enim crapulâ & intemperantia, uti Musici facere consueverunt, magnam cerebri & hepatis dyscrasiam contraxerat) nocte dieque adeò molesta fuit, ut ad aliquot tempus somnum non viderit, cum appetitu planè dejecto, punctione dextri hypochondrii gravissimâ, dolore capitis, vomitu post cibum. Decimo quarto die ad ipsum vocor, video corpus planè exhaustum, faciem Hippocraticam, actum ferè cum ipso erat. Factis fiendis, cùm nihil omninò proficerem, tandem offero ipsi xv. pilulas, tribus vicibus hora somni cum Syrupo contra catarrhos deglutiendas.

> ℞. *Essentiæ nostræ flor. papav. rubei hortensis. gr.vj. Laudani nostri ☉. gr.iiij. Soluti Corallor. gr.iij. M.f. pillulæ num.xv.*

Sumptâ primâ dosi, totâ nocte placidè dormivit, tussis facta est mitior, circa auroram egregiè sudavit, omnes vires vegetiores redditæ sunt, jusculum petiit, cùm tamen totum octiduum ne micam quidem cibi admittere posset, vel assumptam vomitu statim rejecisset. Secundo & tertio die pillulas repetiit, sed in minori dosi, non neglectis simul aliis alterantibus & confortantibus idoneis. Intra paucos dies Natura planè destructa, ita sese, Deo benedicente, recollegit, ut 25. Decembris, templum frequentare ceperit, & muneri mandato præesse potuerit. Vivit adhuc benè ac bellè, licet Hepaticus sit. Mirum quàm egregiè pillulas hasce commendarit & magnifecerit.

Observatio 7. Vocor Anno 1620. 1. Maij. ad Sartoris cujusdam hujus urbis, Gebhart Feigen/ conjugem, quæ longo tempore sævissimis & intolerabilibus ferè arthriticis nephriticisque doloribus, cum affectu simul Scorbutico & Cachexiâ totius corporis graviter laborabat. Corpore καὶ ἐπίκρασιν leniter evacuato (alvus enim prædura erat) & alterantibus appropriatis variis adhibitis & repetitis, morbus nihilominus contumax permansit. Tandem cùm ob dolorum & vigiliarum vehementiam, extremum adesset periculum, sequentes pillulas tribus vicibus horâ somni, cum aq. card. bened seu Sambuci & Cochleariæ (addito pauco Saccharo) illi devorandas exhibui.

> ℞. *Antimonii nostri diaphoretici gr.xiij. Salis Margaritar. Laudani nostri ☉. ana gr.v. f. pil. num.xv.*

Sumsit eas horâ somni tribus vicibus tanto cum successu, ut morbus cùm suis symptomatib. penitus evanuerit: factâ scilicet crisi salutari permultam copiosi ac fætidi sudoris nocturni emissionem. Matutinis horis cum jusculo aliquo pulli vel carnis propinavi ipsi *mixturam simplicem* sive Diaphoreticum Paracelsi in acutis, quod in ejusmodi morbis, uti etiam in omnibus malignis, maximè verò in Scorbuto, mihi admodum familiare & salutare medicamentum evadit.

Hoc ipso anno, sc. 1622. eadem Mulier, ex frequenti forsitan animi incandescentia (valdè enim biliosa & acerba erat) nec non ex victu inordinato, circa festum Paschatos, recidivam gravissimam incurrit, tantâ cum dolorum, vigiliarum, aliorumq; symptomatum, sævitia, ut de vita etiam periculum adesset.

Adhibitis artis methodo medicamentis purgantibus, alterantibus, & diaphoreticis opiatis mineralibus, brevi temporis spacio σὺν Θεῷ ritè convaluit. Vivit adhuc & benè habet, licet aliquando, intemperantiæ, negligentiæ & incuriæ suæ pœnas patiens, ętate jam ingravescente, insultus prioris morbi experiatur.

Observatio 8. Anno 1627. 20. Maji Nobilis cujusdam uxor in vicinia periculosissimè ægrotare cepit, sentiens punctiones circa pectus gravissimas, cum tussi molesta, continua. Petiit consilium Medici cujusdam, qui misit illicò pulverem rubeum in minima dosi, quo sumpto, tantum alvi fluxum & ὑπερκάθαρσιν passa est, ut nihil supra. Vocatus adveniens ægram planè desperatam in extremis ferè versantem deprehendo, tussis inanis, continua, molestissima, vires dejectissimæ, pulsus deficiens, & formicans quasi, extrema frigida, imò & omnes, qui aderant, ipsam agonizantem autumabant. Precibus mariti, liberorum & adstantium commotus, cum prognostico curationem aggredior. Horâ quartâ pomeridianâ statim ipsi propino cochlear unum spiritus violarum purpurearum cum gr.j. Laudani mei Solaris artificiosè commixtum. Jubeo illam quietam servari. Octavam circiter vespertinam iterum dictum medicamentum offero, quo sumpto, totâ nocte quieta fuit, probè dormivit, blandè sudavit, ad mentem rediit, doloribus pectoris & punctionibus omnibus sopitis, viribusque non parùm refectis. Imò manè cum surgerem, omnia in melius versa deprehendi, ut ab Orco quasi in vitam reducta videretur, non citra meam & omnium, qui aderant, magnam admirationem. Præscriptis postea alterantibus, bechicis & confortantibus externis & internis, cum honore ac fœnore, bonâ omnium cum gratiâ, dimissus fui. Vivit adhuc prosperè, ac integrè, nuperque feliciter peperit. Ita extremis extrema exactè debentur remedia, ut inde lippis & tonsoribus quasi notum sit, quantas vires Laudanum nostrum præstare possit, etiamsi ignaris artis osoribus hoc medicamenti genus odiosum ac noxium esse videatur.

Observatio 9.

Rusticus quidam in **Charsdorff / Hans Ziegler** / (Anno 1628. 2. Decembr.) naturâ melancholicus, post magnam animi incandescentiam & crapulam, incidit in vigilias, cum dolore capitis, & hypochondriorum, appetitu dejecto, fit tristis & cogitabundus, indies augetur malum, delirare incipit, ac tandem verus maniacus evasit, ita, ut vinculis cohiberetur. Pastor ejusdem loci de ægroto solicitus, in consilium me vocat. Præscribo purgantia & alterantia vulgaria; sed frustra. Cum alvus omnimodè esset suppressa, mitto dosin mei Catholici purgantis, quod in brodio prunorum dissolvebatur, & ægrotanti per vim infundebatur. Hoc tanto cum impetu ἄνω καὶ κάτω effectum edit, humoribus nimirum variis biliosis & adustis ejectis, ut omnes adstantes satis mirari non possent. Horis vespertinis offero ei Laudanum meum solare aliasque conservas alterantes & confortantes præscribo. Ad miraculum usque ad integram mentem rediit, prosperâ jam utens valetudine.

At cesso, plura adducere exempla, vino siquidem vendibili haud opus est suspensa hedera: si omnem verum veri Laudani usum hoc in loco recensere, viresque ejus mirandas & stupendas ordine amplificare vellem, tempus me deficeret. Est enim summum Anodynum παρηγορικὸν dolores omnes & cruciatus totius corporis enormes, blando introducto somno, mirè consopiens, simul etiam hisce sedatis, vires enervatas maximè respirare facit, ut morbo reluctari, & curationis spacio sufficere valeant, imò morbum simul, dolorum causâ factum extinguit. Unde non minus graviter, quàm verè Doctissimus Hartmannus, in suo de Laudano, Manuscripto: Qui verum & essentiale Laudanum, ritè recteque paratum, ipsi Naturæ convenienter applicare poterit, is meritò gaudebit, se instructum thesauro Attalico, & possidere panacæam, ad obliterandum quoscunque tàm internos, quàm externos cruciatus. Ad id enim in acie Novaculæ, tanquam ad sacram salutis anchoram confugere poterit, nec Colica, Lumbago, Cardialgia, Delirium, Vigiliæ, Febrium inquietudines, Vomitus, Pleuritides, Arthritis, Catarrhus, Uteri suffocatio, Morbus Herculeus, aliique quàm plurimi affectus repugnabunt.

Viro Clariss. & Excellentiss.

Dn. PETRO **Krausen** / Philos. & Medico D. & Reipubl. Numburgensis Physico, &c.
Dn. & Affini suo,

GREGORIUS HORSTIUS, D.
S. P. D.

INter alias notatu dignas observationes tuas singulares, mecum communicatas, in fasciculum colligere placuit, illas, quibus optimè correcti Laudani opiati usum confirmare voluisti. Quid Veteres & Recentiores de Opii usu & qualitatibus statuerint, olim in Academiâ publico examini subjeci, sicuti videre licet in *Problematibus meis* θεραπευτικοῖς *Dec. 9. quæst. 2.* de quo theoremate postmodum tractatum diligentissimum conscripsit, Collega meus, *Dn. D. Michaël Doringius*, nihil non compendiosè proponendo, quod rei difficultas requirere videbatur. Ab eo verò tempore, quo praxin exercere cepi, nunquam non ad usum opii ritè correcti, tanquam ad sacram anchoram, in gravissimis & urgentibus morbis periculosissimis confugere consuevi; de quorum numero, quin aliquos referam, intermittere non potui.

Opiati Laudani successus in Febribus continuis.

In febribus continuis pervigiliâ & inquietudine, viribus ferè dissipatis ad usum Laudani opiati rectè me sæpius accessisse memini, quod vel maximè testatur *observatio 22. libri 1. de febribus* de Nobili Juvene, qui Anno 1610. Coloniæ, desperatus ob lapsum virium, hoc modo somno provocato, pristinam sanitatem recuperabat, dissipatis impetum faciendo spiritibus vicissim recollectis.

In colicis doloribus.

In colicis doloribus vehementissimis, evacuatione per clysterem præmissa, nihil usu Laudani opiati præsentius, quâ ratione Generosum Dn. Rudolphum, Comitem ab Helfenstein, Familiæ istius antiquissimæ ultimum, ante sexennium circiter, per me granis quatuor exhibitis, à vehementissimis doloribus ita liberatum fuisse memini, ut superveniente somno, causâ doloris etiam penitus expugnata videretur.

In hæmorrhagiâ narium.

Quid in *hæmorrhagiâ narium* contumaci præstet idem Remedium, satis superque patet *ex observ. 27. lib. 1. de febribus*, ubi majori etiam dosi cum successu & eventu satis optato præbetur, quâ ratione viro cuidam primario Reipubl. nostræ, frequentioribus hæmorrhagiis obnoxio, tàm interius ad ebullitionem sistendam, quàm etiam exteriùs cum aliquo liquore dissolutum, & naribus attractum, præsentissimum est remedium.

In Mensibus superfluis.

Eadem ratione *menstruis superfluis*, omne reliquum medicamentorum genus eludentibus, dextrè per correctum opium succurritur, quod ante sexennium amantissima mea conjux experiebatur, quæ mortis ferè faucibus hoc modo per DEI gratiam eripiebatur, fervore sanguinis ad temperiem vicissim usu Laudani redacto.

In Dysenteria.

Quæ tormina non tantum, sed etiam dejectiones excedentes sanguinis, nunquam non etiam laudabilis, Dysenteriæ generent notum est, quibus plures naturæ debitum solverent, nisi per opiatorum usum eisdem succurreretur, quod anno superiori nobilis aliqua fœmina Welseriana confirmavit, quæ judicio astantium ad extrema redacta, per grana iij. vel iiij. Laudani nostri sic refecta fuit, ut brevi post sanitati pristinæ restitueretur.

In articulorum doloribus.

In *articulorum doloribus* vehementissimis, totius massæ sanguineæ fermentatione quasi concurrente, nec non affluxu ferventissimo partem affectam affligente, quid melius, quam ebullitionem istam τάχιστα sistere, somnum amicum introducere, & caloris nativi vim adjuvare, qui aliàs vigiliis continuis & doloribus dissipatus extrema minatur? at hoc præstat usus Laudani, cujus ratione podagricum confirmatum ita refectum memini, ut postea somno juvante dolores brevi remiserint, & rariùs redierint.

In ὀδονταλγίᾳ.

Novi virum primarium qui sæpius ὀδονταλγίαν ex affluxu bilioso tam vehementem patitur, ut in consensum trahatur totum, tanta inflammatione sanguinis in quadrato corpore suborta, ut pulsus omninò, propter cordis

vires

vires oppressas, intermittens reddatur: hic etiam aliquoties sumptis Laudani granis iiij vel v. ferocientem fluxum ita domuit, ut somno succedente, dolor penitus evanuerit, vi collecti caloris nativi materia morbifica penitus expugnata. Notabilis est casus Nobiliss. fœminæ, cujus fit mentio in *Observ. lib. 1. p. 2. observ. 24.* hæc enim circa 18. Novembr. 1628. aliquo modo recidivam paritur, torminibus uterinis admodum affligentibus. Mox igitur potiuncula lenitiva præscribitur ex infuso Agarici, cum Rhabar. fol. senæ, &c. cum autem pervigilia, tum etiam tensivi dolores externarum partium continuarent, adeoque timendum esset, ne convulsiones eandem prehenderent, sequens adhibui medicamentum, nimirum Laudani opiati cum magisteriis gr. iiij. Magisterii perlarum ℈ß. Ambræ gryseæ gr. iij. Misce; quo sumpto, nox quietior subsecuta fuit, subinde tamen in somno levibus tensionibus obortis. Die sequenti, cum iterum uterus versus superiora moveretur, Ambræ gr. v. cum Magisterio corall. superius, & inferius linimentum ex Moscho, Zibetho, &c. adhibuimus, tandem venæ saphenæ sectione institutâ, ubi sanguine fluente retenti sanguinis menstrui copiosus fluxus cum eventu optato successit. Quanquam verò desperatis in casibus spem restitutionis nullam habeamus, nihilominus Christianæ charitatis est, dolore vehementissimo ferè ad desperationem afflictis ægris succurrere, quod usu Laudani fieri solet, cum prognostico tamen, quod in talibus intermissio quædam, non tamen ablatio dolorum expectanda. Casum ejusmodi superioribus annis in primaria quadam fœmina habui, quæ cancrosis occultis tumoribus mammarum per multos annos laborans, tandem arthritide vaga scorbutica, qualem in *libro 1. Epistolar. Medicinal. sect. 2.* descripsi, maximè dolorificâ, cum ἀτροφίᾳ totius afficiebatur, hinc & inde tumoribus dolorificis circa periostium costarum, tibiarum, brachiorum, &c. apparentibus, quæ symptomata per appropriatam potiunculam ex lumbricis terrestribus aliquandiu lenire, non tamen auferre potuimus. Summum, solatium hîc erat Nephentes illud nostrum, quo pillularum forma sumpto, dolorum vehementissimorum intermissionem sæpius procuravimus, donec tandem viribus penitus exhaustis, & superius ad maciem, inferius ad intumescentiam hydropicam redacta, naturæ satisfaceret. In Phreneticis quid præstat ex *Observ. 21.* patet, ubi lubet addere casum sequentem: Nobilissimus quidam, in vicinia, fluxioni hæmorrhoidali excedenti aliâs obnoxius cum imminentem fluxum alvi retentione supprimere conaretur. 22. Februar. 1629. post colicos dolores exantlatos in delirium cum febrili dispositione incidit; regurgitante videlicet, sursum sanguine, qui inflammationi meningum occasionem præbebat: vesperi cum adesset somni defectus, & æger furibundus redderetur, præmisso clystere, Laudani perlati gr. v. exhibentur, non neglectis posteris diebus venæsectionibus, purgantibus & alterantibus; quorum beneficio brevi rursus mentis compos fit æger; quemadmodum sub loco casum integrum aliquando publici juris faciam.

In hystericis convulsionibus.

In cancro occulto.

In phrenesi.

In *Melancholicis ad Maniam* etiam inclinantibus, & perpetuis vigiliis afflictis, nihil præsentius, quâ ratione Generosam quandam fœminam præcedenti verno tempore Laudano sæpius ad gr. v. exhibito, præter spem multorum, non tamen neglectis venæsectionibus, & aliis, DEI beneficio bimestri spacio pristino mentis vigori restitui, sicut & alios multos simili morbo laborantes. Miratus sum aliquos Chirurgos, etiam arte sua claros, quod in magnis operationibus, verbi gratia, quando membrum aliquod ense rescindendum est, ne pars sincera trahatur, ægris per biduum nullum somnum concedant, donec ex summâ virium debilitate somno corripiantur, id quod ea propter fieri dicebant, ne convulsiones graves per somnum orirentur. At postquam ejusmodi symptomata per imperfectum somnum accidere statuerem, autor iis sum hactenus, ut exhibito mox primâ nocte Laudano, somnum perfectum provocent; quâ ratione vires non tantùm colliguntur, sed simul etiam sanguinis motus & fervor inhibetur, cujus rei exemplum videre est *libr. 4. Observ. post Observ. 21.* Quo fine novi Chirurgum peritum & Doctum *graviter vulneratis* mox exhibuisse dosin Laudani, tàm quietis conciliandæ causâ, quam etiam eam ob causam, ut inflammatio partium læsarum minor expectanda fit. Imò etiam *exteriùs in compescendo sanguine* vulneratarum arteriarum Laudanum, vel extractum Opii præsentissimum esse remedium *observ. libr. 9.* patet. Noxam quam quidam in opiatis accusant, non admodum veremur, cum hactenus ita correctum habeamus opium, ut nihil tale nobis succedat, quod eò usque malè moratis etiam innotuit, ut ante paucos annos in Italia Latrones inventi & capitali pœnâ promeritâ affecti fuerint, qui potiones opiatas instar vini malvatici dulcoratas sæpius exhibuerunt iter facientibus, quibus in somnum postea procumbentibus, bona sua postmodum abstulerant, excitatis à somno nihil quicquam de sanitate, sed tantùm de marsupio læso conquerentibus. Sed quemadmodum vitalium spirituum dissipatio prædictis modis frequenter præter spem recolligitur, sic ut ex orci faucibus æger ereptus esse videatur; ita contrario modo spiritibus suffocatis in Apoplexiâ, Lethargo, febribus, soporiferis, ebrietate nimiâ, catarrhis suffocantibus, hysterico strangulatu, fumo carbonum, vel vapore vini seu cerevisiæ oppressis, venenis assumptis, &c. præsens etiam à Medico Remedium expetitur. *In Apoplexia* laborans loco lucido, tepidoque locatus, agitandus, vinculis dolorificis extremorum ligandus, theriacali aqua, spiritibus cephalicis fricandus, & omni ingenio spirituum animalium exitus ad sensoria promovendus, exhibitis etiam interius diaphoreticis preciosis, naturam simul roborantibus, quod in Generoso quodam cum successu factum memini, sicuti *lib. 1. Observ. 22. partis prioris* patet. *In Lethargo* nihil præsentius spiritu citri ritè præparato, cujus beneficio filium meum natu tertium, anno superiori, morti σὺν θεῷ ereptum memini, qui Lethargo penitus oppressus hoc unico remedio præ cæteris excitabatur, imminente per dies aliquot omnium

In Melancholia & Mania.

In magnis operationibus chirurgicis.

In graviter vulneratis.

Exterius in sanguine sistendo.

Historias singularis.

Quomodo Spirituum suffocationi succurrendum.

In Apoplexia.

In Lethargo.

 virium

In febribus soporiferis. virium vitalium suppressione: *in febribus soporiferis*, omnibus aliis non juvantibus, vesicatoria palmam obtinent, ut patet ex *Observ.* 18. *citato lib.* 1. *part.* 1. nobilis cujusdam Misnici, quod pronuper etiam confirmabat Generosus Dn. Ortulphus à Tieffenbach / cui frustra, præscriptis aliis, quatuor vesicatoria, nimirum ad utrumque carpum, & malleolos internos, in magna quantitate, supposita commodùm succurrebant, ut præter spem omnium vicissim reconvalesceret. *Ebrietati nimiæ* jamjam suffocanti præsens remedium est vomitus, quem ipsamet natura leviter irritata promovet: imò etiam *Catarrhis suffocantibus & Asthmaticis* extremis vomitorium satis validum succurrit, quâ ratione superioribus septimanis honestam fœminam, jam ex suffocatione expirantem, pulsu formicante, frigidisque sudoribus præsentibus, vitæ restitutam fuisse memini, mox syrupi Emetici ℥j. exhibitâ, cujus operatione postea materiæ tenacis ac viscidæ libræ aliquot rejectæ fuerunt. *In hysterico strangulatu* plurimum præstat aëris ambientis liber aditus, cum extremorum frictionibus, ligaturis, cum cucurbitulis magnis, femoribus appositis, graveolentibus superius & benè olentibus inferius exhibitis, infuso simul spiritu hysterico Camphorato, vel etiam extracto Castorei liquido gutt. v. vel VI. fumo simul, incenso succino, plumis perdicum, rasurâ cornu hircini, similibusque, excitato. Quid noxius carbonum fumus in loco occluso possit, semel atque iterum cum vitæ suæ jactura vigiles nostri nocturni, proh dolor! experti sunt, qui occlusis, ob vehementiam frigoris, tuguriolis suis, manè suffocati reperti fuerunt, cujus læsionis exempla *Marcellus noster Donatus l.* 2. *de hist. Med. Mirab. cap.* 6. plura proponit. Huc etiam pertinent observationes eorum, qui *vapore vini vel cerevisiæ recentis* in cellis reconditis, & minimè perspirabilibus suffocantur, quale deplorandum est exemplum consulis vestri p. m. per literas anno superiori ad me perscriptum, ubi rectè statuis, in cerevisia ratione lupuli, imò etiam frumenti, sicut etiam in musto, per fermentationem sulphureas narcoticas exhalationes evaporare, quemadmodum in fodinis Metallicis & fontibus Medicatis occlusis fieri consuevit. At quomodo protinus talibus succurrendum, hoc opus, hic labor! confestim igitur aër ambiens undiquaque ventiletur, quâ ratione fœminam Illustrissimam hystericis ejusmodi fumis ferè suffocatam, & ab aliis pro Apoplectica tractatam, clausis januis & fenestris iterum apertis, & hominum turbâ remotâ, vires recollegisse memini, quæ jam per decennium ab eo tempore nihil tale passa fuit; os clausum diducatur, eique Theriaca cum aq. vitæ vel spiritu Cephalico dissoluta infundantur; sternutatio pulv. Euphorbii cum pipere provocetur, vomitus usu Syrupi Emetici, decoctové raphani & Asari excitetur; extrema spiritu Liliorum convallium fricentur, & Cardiacis atque Cephalicis spiritus novi creentur, &c. Tandem venenorum præsertim frigidorum assumptorum noxa præsens etiam requirit auxilium, ubi præter appropriata narcoticis contraria requiruntur, quando fungi venenati, cicuta, colchicum & similia lædunt, de quibus multa collegit, & integro *libro* 5. *Medicinal. Curat. in Thesauro suo pharmacentico publicavit Arnoldus Weickardus, Medicus Francofortanus.* Sed abrumpo filum præter spem longius extensum, teque cum familia DEO OPT. MAX. commendo. Benè vale, Vir Clarissime, diutissimè, & felicissimè tibi, tuis & Reipubl. vive. Dabam Ulmæ XVI. Calend. Aug. M. DC. XXX.

In Ebrietate nimia.

In Catarrho suffocante & Asthmato.

In hysterico strangulatu.

In carbonum fumo.

In vapore vini & cerevisiæ recentis.

In venenis.

OBSERVATIO IV.

De Antidotis simplicibus quibusdam miscendis, & aliis.

Clariss. & Excellent. Viro

Dn. ANDREÆ LIBAVIO, D. Philosopho & Medico celeberimo,

SIGISMUNDUS SCHNIZERUS, Med. D. & Archiater Bambergensis.

S. Mitto hîc, *Vir Clariss.* &c. Rad. Drakenæ, & Contrayervæ. Has, una cum aliis, attulit secum Princeps Roma. Est inter alia oviformis Antidotus ex Contrayervæ rad. & lap. Bezoar præparata, magnitudine ovi anserini. Est & antidotum contra venena corrosiva. Sunt multæ essentiæ, balsamum orientale, lapides Nephritici, Bezoar, sem. plantar. quales à prospero Alpino sunt descriptæ, &c. Eboris fossilis, cujus icona nuper misi, mitto frustulum: inventum est in flumine quodam nobis vicino, unde fortè præfractum est. De suspensi brachiis & pedibus sanguinantibus judicium ferre difficile est, nisi de corporis constitutione, & aliis constet circumstantiis. Te aliquando audiam. Vale diu, Ego prius opto mori, quàm tu moriaris Amice. Bamb. 13. Aug. 1613.

P. S.

Infra scriptum balneatorem rotæ impositum aves per multas septimanas non attigerunt; ut hîc verum sit illud *Plinii l.* 2. *c.* 63. Causas reddit *Mercurialis in lib. de Venenis.* Licet enim balneator usus fuerit antidoto, diuturnus tamen corporis venenati usus prævaluit.

Vide Sectionem 6. hujus lib. 2.

Clariss. Viro,

Dn. SIGISMUNDO SCHNIZERO, Philos. & Medico excellenti, amico singulari,

ANDREAS LIBAVIUS,

S. P.

DRAKENÆ radicem ante hâc tantum lectione & picturâ cognitam cum voluptate inspexi. Debeo hanc notitiam amicitiæ erga me tuæ, tibique gratias pro missâ ago. Precium si indicasses, id lubens persolverem, imò ut primum indicium facies, mittam. Radicem Hispanici nominis Contrayervam te conjunxisse, quanquam ante haberem, non minus fuit acceptum. Expectabis à me paria, si unquam copia erit. Cæterùm tàm præclaris simplicibus se offerentibus, compositio non tantùm facilis esse videtur, verùm etiam varia. Illud attendendum, ne curiosius

Cautio in compositione simplicium.

ne curiosius componendo, vim simplicium perdamus, id quod fieri potest, si non habeamus rationem analogiæ, sympathiæ, antipathiæ, & resultantium ex mistione virium, solâ experientiâ innotescentium. Qui de Theriaca superiore Majo Basileæ, prima vice disputavit Johannes Heinricus Frölich. Med. D. thesi. 49. quæstionem movet, *Eadem ne sint compositorum qualitates cum simplicium, an per mistionem, novæ oriantur.* De primis & secundis, ex mente *Galeni*, quæ eadem est & *Aristotelis*, haud difficulter concedit ad æqualitatem aliquam redigi, in tertiis ubi contrarietates sunt negativæ, non positivæ (quales sunt carnem gignere, carnem exedere) & quartis, quibus constant antidoti, habentes contrarias positivas quidem, sed sine certo gradu, difficulter id concludi asserit. Experientiam tamen spectandam censet, idque non absque judicio prudente. Non enim si primarum & secundarum qualitatum gradus novimus, indeque misturas, juxta rationem peragere possumus, id licet etiam in occultis, quarum gradus & diversas ad diversa habitudines non habemus exploratas; Fieri potest, ut in se mutuo agant antidoti simplices, viresque perdant, uti videmus in Syrupo Corallato, Spiritu vitrioli affuso terreis siccis (cornu cervino usto, perlis, coralliis, lapidibus astacorum, Ebori usto, &c.) vel etiam liquore tartari, spiritu urinæ, &c. misto. Dum in se mutuo agunt, exhalant spiritus, intereuntque simplicium vires. Drakenam, Contrayervam; Bezoar, ormusium & similia, per se alexipharmaca quasi generalia, non miscerem ea forma, qua fermentatio posset contingere. Si omnino mistio seu contemperatio, vel compositio aliqua quæritur, pulvis placeret, aut forma tabularis. De Theriaca & Mithridatio judex est experientia. Aliâs de terra sigillata, balsamo, & aliis nonnullis idem quæri posset. Illud spectem in talibus, ut postquam rationabiliter cœtera sunt commista, per basin eorum vires excellentem omnia ad unam formam & virtutem redigantur: veluti si basis debet esse opium, hujus vis prædominetur certo modo: (neque enim excessus debet esse sine proportione) si balsamus, hujus; sin pastilli viperini, horum; aut si trium simul, hæc prius ad unitatem redigantur fundamentalem; quomodo aliquando Diascordium ita paramus, ut Caphura cœtera mistilia proportionabiliter superet. Itaque in Electuario alexipharmaco oviformi, cujus mentionem facis, Drakenam, Contrayervam, Bezoar non temerè commiscenda suaderem; & si commista forent, experientia multa temperamentum explorare juberem, & spectare num compositi vires essent præsentiores viribus simplicium. Si enim non, mistura est inutilis. Eboris fossilis portionem diligenter inspexi. Videntur mihi fibræ & modus concretionis plantale quid referre, quasi debuisset lignum inde fieri. Similis ratio est in terra illa, bituminea ampelitide, quam Altorfii inventam aliquando ad me misit Doldius, ὁ ἐν ἁγίοις. Externo aspectu Ebenum diceres, aut betulæ, aut fagi lignum nigrefactum. Cum frangis, bitumen gliscit. Ebur verum, & quod effoditur, aliâs ejusmodi ductus fibrarum non habet. Congeneum tamen hoc dicas, & est forte non eadem in toto concretio. De cruentatione suspensi cum interrogaret, respondi naturaliter contigisse, in homine corpulento, qui ante mortem fortè pluscûlum vini bibit, & æstivis horis pependit, effervescentiam sanguinis biliosi non esse miram. Quid superstitiosum vulgus sentiat, & loquatur, non est ignotum. Sed ejus opinio non est roboranda, nec imperitæ multitudini in judicio arma præbenda. Si secundum leges est suspensus, liberæ sunt conscientiæ à metu injusti. Novi in celebri oppido quodam, Administratoris Parthenopolitani jussu suspensum quendam ἔνοχον, triduo aut circiter, stillasse sanguine. Nocentem autem periisse, quanquam certis de causis, sine formula judicii publici, scripto demonstratum est.

An qualitates simplicium sint eædem cum compositorum.

De Cruentatione suspensi.

Licet cogitare an non tale quid hîc eveniat, quale in cadaverum cruentatione ab homicidis injustis. Disputavi de hâc re diligenter, neque tamen mihi hactenus satisfacio, quod videatur aliquid occulti subesse. Aliâs quàm multi à latronibus, vel in bello, vel per obscuritatem causæ, ex confessione propriâ quidem, sed mendace, in crucem aguntur, nullo innocentiæ indicio? Fuit, qui tormentis in quæstione adactus, confessus est furtum. Alligatus est patibulo. Non cruentavit. Post aliquod tempus verus fur innotuit, cognitumque est, priorem injustè necatum esse, quantum attinet ad factum. Sanguis fuit in caput ipsius, quô judicio David percussit eum, qui Saulem à se occisum fatebatur, quanquam confessione spontaneâ absque quæstione, 2. Reg. 1. v. 15, 16. Unde judices sapientes confessionibus per tormenta expressis non solent fidere. Verum hæc valeant. Calend. Septembr. 1613. Coburgi.

Vide Dn. Libavii tract. de Cruentatione cadaverum: Item tract. nostrum de casu admirando.

Ad P. S.

Balneatorem illum veneficum narras rotæ impositum ab avibus diu intactum mansisse, idque vi exspirationum venenatarum, quod vero consentaneum, est, argumento peste, aut fulmine interemptorum. Suspicor magum quoque fuisse. Qui in vicinia nostra in cruce pependit, idem à corvis fuit immunis per aliquot dies. Manes ejus, nî velis factores acres, præteracta armenta tumultuari fecerunt.

Viro Clarissimo Doctissimoque
Dn. SIGISMUNDO SCHNIZERO, Philosopho & Medico eximio, amico colendo,

ANDREAS LIBAVIUS, Med. D.

Pergo scilicet, Dilectissime Sigismunde, in quarta mea parte Comm. Chymic. adeò strenue, ut & amicorum literæ suspensæ maneant. Absovi Librum de Igne ad Palmarium, cum Chymia Pharmaceutica: Jam sum in Hypomnematibus, octoque capita de Mercurio consumpsi. Deo gratiam largiente, spero me intra nundinas hoc opus absoluturum. In viperino pulvere aliquot consumpsi capita, quæ leges in Pharmaceuticâ. Addam eis tuas observationes. *Caspari de Hart* nigerrimũ crocũ risimus, ego &

ego & Gener meus, *Pancratius Gallus, Medic. D. Illustrissimo Saxoni Isenaci à consiliis medicis.* Decipit ille mirus homo oculos hominum & loculos. Quis unquam crocum integritatæ naturæ vidit nigerrimum? Crudum Antimonium pro Croco præbere, quæ confidentia? De Croco *Quercetani & Rulandi* habebis in meis Hypomnematis. *Henningi Scheunemanni* tractatus non potest ferre judicium. Qui enim non probat ipsius spinas & τερθρεύματα; statim est Momus, invidus, inscius, & multa alia. Sapiat ergò in suo Theatro, & sine rivali sua amet. Si verò tu me interroges de re, sine nomine autoris, dixerim fatuitatis argumentum esse. Quorsum sunt ista edita, quæ nemo intelligit, nisi ut sint illiciæ pecuniæ, & arrogantiæ stultissimæ symbolum? Pollicetur etiam Momo revelationem. Sed illam fideliter præstabit ad Calendas Græcas. Id hominum genus Proteo est mutabilius, seque momento in myriadas formarum potest transmutare. De peste scribit. Pestis ne grassetur in *Saxonia* nec ne, mihi incompertum. Qui morbus in *Thuringia, Franconia, Bohemia* frequens est, quantum mihi constat, flagellum quidem D E I est, sed non pestis. *Bohemi* febrim seu *Causum Vngaricum* dixêre: nos *Pestilentem contagiosam, cum cephalalgia ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.* Vulgus tamen pestem appellat. Cum hoc sapere volens, ille Pestilentiæ scriptor, *morbum Astralem* vocant, & ridiculè ab astris deducit, quia illum vates Calendariographi inde fore docuerint. At in finibus nostris Sporadicus jam per triennium fuit. Astrales morbi debent esse Catholici, Epidemiales aërei. Incerto fundamento imponit incertiorem medicinam, eamque tantùm suo judicio, notitiâ, & usu probatam. Cœteri sunt stipites. Contemnit *Cathartica vegetabilia*, nec videt, sibi vel tres anticyras deberi. Ita nimirum nummi venandi sunt, clausis prius officinis publicis. Quæ de generatione narrat, sunt sputa Saturninâ; præbet vomitivum pulverem per chymiam astralicè præparatum, Scilicet vomitiva nobis deerant. Astralicum verò nihil est, nisi in furnulis Paracelsistarum coctum, si dignum est credere. Tale astrale est etiam crocus *Caspari de Hart.* Cur non *Quercetani & Rulandi* tot egregias medicinas, jam in publicum datas proponit? Dat vomitivum per os suum: Dat in anum globulos ex sævo minerali, Sympathetica proprietate venena mercurialia & archenicalta (Ita enim scribit) attrahat. Salsè ridet Galenicam purgandi rationem. Nam si illa per proprietatem magneticam tractrix vera est, purgantia non in ventriculum, sed anum mitti debent.

Judicium Libavii de Scheunemanni scriptis.

Astrales morbi quales.

Sed quid est Sulphur mobile, in corde contentum, verum humidum radicale, vitæ balsamus inflammatus? vitalem spiritum voluit designare. Sed is non est idem cum humido radicali. Sed & si idem sit, quomodo sudando ex minerali albo pulvere, (fors Diaphoretico ex sublimato & stibio) potest incendium restingui? Ait pulverem illum esse niveum per Boracem, marte cingente promptum ex nescio quo Tarbasone: fors Turbasone: qui æris pater, quasi marcasita vel stiloyvema. Scilicet videtur calcem ex regulo Antimonii per ferrum factum designare, aut aliquid simile, cui Mercurius accesserit. Modum resi. Vom zwitzlen wird enim Platzregen; & restinguit calorem cordis? Imperfecta verò ista astralis est, quæ vires adeò labefactat, ut vegetabilibus sint instaurandæ. Sudor debet catarrhum efficere: hic in cor illabi, & sic extinguere calorem præter naturam ibi incensum. At suffocabis potius. Diureticum præbet verum astrale fixum *(sunt portenta Paracelsicæ insolentia)* volaticam Halcyonem. *(Paracelso erat Phœnix)* de flavis vaccis, quę dicatur junior Cribtit, deplumatam, intus forisque assam benè: Sed non tamen sine Diuretico; quæ etiam sit talis, ut simul refrigeret calidas impressiones. Esse volaticum & fixum simul: Diureticum & frigidum, refrigeransque, paracelsico spiritu conciliari debent, in uno eodemque opere. Alioquin ex nostro *Quercetano* pillulas benedictas, vel mercurium vitæ ex Glacie (unde Eisvogel) mercuriali poteramus proponere. Nescio an illa res sit ex Sulphure *(de flavis vaccis)* glacialis avis *(ex cinabari)* Cribtit (Ctibric sulphur) deplumata (fixa) assa; (reverberata) ut sit magisterium quoddam ex Cinabari fixa, &c. Sed oportet nos esse Davos. Astrali virtuti succurit venæsectio, ne totum sit astralis medicinę erga astralem morbum. Quantus verò cumulus reficientium proponitur ex vegetabilibus? Ecce tibi magnifica astralium præconia: Unum ferè præterieram, nempe vomitivum, & ejus preparationem. Dicitur Artemisia apud pulchram venerem, sub ejus viridi tunica, niveâ, quæ possit Saturnum & Martem placare; forma pulveris astraliter elaborati. Succurrit mihi *Heliophili de Porcis*, quod & in *Alexicaco Quercetanus* ponit, medicamentum, ex Veneris mercurio, qui foris est viridis. *Quercetanus pag.*487. *Alexicaci*, non vomitivum, sed sudorificum facit, colore calendulæ. Si vomitivum simul est, vide an non cum Antimonio, vel Mercurio vitæ componendum sit. Verum mitto ista, quorum curâ bonæ horæ pereunt. Nolim autem quicquam dictum in autoris personam, cum de morbo & medica materia quæstio sit. Ideò in bonam partem hæc accipies. Quid putas esse illud: Solis Mercurius ex legitima sua aqua ferina, in qua calefactus est, siccus exit: Kibur induit eum panno puniceo, seu purpureo, quem Tartarhan subduxerat albis pennis olerinis? An non est auri in aqua mercuriali solutio, quæ præcipitatur per liquorem Tartari in album pulverem, qui floribus sulphuris mistus incenditur & reverberatur in rubedinem, ut sit vitæ Mercurius purgativus? Hæc ergò sunt medicamina: 1. Purgans Catholicum jam dictum. 2. Vomitivum ex Mercurio Veneris, cum antimonio, 3. Hydroticum ex Calc. Reguli Stibii per boracem, Regulo prius per ferrum facto; 4. Diureticum ex Mercurio vitæ. 5. Balanus ex Regulo vel vitro Stibii, vel etiam arsenico correcto, &c. Verum expecto judicium tuum, neque quicquam in ænigmaticis istis determino. Vale, & istis medicinis non indige. 4. Novembr. Juliani, 1611. Coburgi.

Cribtit. Titbric. Ctibrit.

Viro

Viro Clariss. & Excellentiss.
Dn. ANDREÆ LIBAVIO,
Philos. & Medico celeberr.

SIGISMUNDUS SCHNIZERUS,
Med. D.

S. P.

NOn scripsissem ad te amplius, Vir Clariss. ne institutum tuum cùm operosum tùm fructuosum remorarer, nisi ex literis tuis intellexissem, de Viperino pulvere in eodem opere te acturum. Ut ergò per me potius institutum promoveretur, cogitavi, anne, quæ de albi serpentis conjuratione referuntur, judicio tuo forent subjicienda. Conjurationem illam habeo in manu scripto libro, ubi & alia plurima magica, superstitiosa, delira, &c. de quibus si quando tractare luberet, per otium, librum illum communicarem, non ad docendum, sed dedocendum & absterrendum ab hujus generis idololatriis homines vanos, &c. Eo vero modo & fine, quo multi de Venenis scribunt. Nec est, theologorum hæc tantum esse quis existimet, cum plurima ad medicinam spectent, ut videre est in *Tralliano* (*Galeni* enim liber periisse dicitur) vulgi curationibus, &c. *Scribonius* etiam in idea medicinæ θεραπείαν hanc omninò excludit, in Logicam & Empiricam dividens, & huic characteristicam, similiaque alia subjiciens. *Bricktbius* Anglus medicinam Rameâ methodo conscribere ausus, multorum testimonio perspicuitatem & perfectionem non est assecutus. Tu fac, ut hujus Ideam perfectiorem aliquando videant posteri. Crocus metallorum qualis tibi videatur, libenter audivi. Wirzburgi suo officio satisfecisse quendam ajunt, eundemque esse cum eo, qui nescio, ubi sit, in tua Alchymia, uno excepto. Quercetani crocum & verum, alium esse non dubito, cum etiam in Canthos oculorum instillatus alvum movere scribatur à Quercetano. Quod ego non minùs miror, quam quod idem de *Essentia Cranii humani* scribit in præparationibus spagiricis; eam videlicet purgare pueros epilepticos copiosè, & sine perturbatione. Unde verò, quæso, illi vis Cathartica? De Henningi tergemino pulvisculo ἀντιλοιμικῷ tu optimè. Bambergæ cum esset, folii unius pagina curationem pestis typis excusam proposuit, ubi hæc habet: **Nembt deß besten Ungarischen Golds/ so durch den blauen Weinsteinischen Saltzgeist im Mercurialwasser zu einem lebendigen Quecksilber gemacht/ dasselbige calcinire nachmals in dem Salpeterischen Saltzgeist/ biß es sein guldene Farb wieder bekompt.** dos. 3.4.5 6.g. cum Mithrid. Addit. **Nembt Spieszglaß mit Salpeter wol calcinirt / solches mit dem Vitriolöl vertrencht / dann zu Pulver gerieben / und** ead. dosi, **wie das vorige gegeben.** Sed instituti tui memor, cesso. Benè vale, mi Dn. Libavi, me ama, & in instituto opere graviter & feliciter perge. Dat. Bambergæ, 24. Dec.
1611.

De conjuratione albi serpentis.

Clariss. Viro, Dn.
SIGISMUNDO SCHNIZERO Philos. & Medico eximio,

ANDREAS LIBAVIUS
S. P.

LIteris tuis, Vir præclare, superiore anno 24. Decemb. scriptis respondissem dudum, nisi me fervor progressus in quarta parte Commentariorum Chymicorum, in quam secretoria mysteria hujus disciplinæ congeruntur, itaque explicantur, ut quantum fieri potest, lux effulgeat, & Studiosis plenum fructum ferat, detinuisset. Postquam autem Monadem quartam Heptadis Hermeticæ; Continentem expositionem Elementarii seu Stœchiologici Drebelii Belgæ, absolvi, interspirandum esse, tibique familiari epistolâ satis faciendum judicavi. De viperino pulvere integram tractationem tribus prolixis capitibus comprehensam leges, atque inter alia etiam tuum hypomnema. De albis serpentibus, sub Corylo alba inveniendis, magi Paracelsici multa nugantur. Nunquam tamen vel inquisivi, vel cognovi modum adjurationis, quem si dignum lectu judicas, potes mihi communicare. Modus per verba, Characteres, homunculos, sigilla constellata, & alia Magorum commenta sanandi multorum est superstitiosorum, & inprimis Paracelsitarum nostro tempore, cujus documenta quam multa habemus in tomis & Chirurgiâ Paracelsi. Hîc etiam Berillisticam insanam Magorum justam pronunciare audet, quod in Crystallo, vel Berillo, aut speculo, aliisque gemmis, quas Huyas & Peantidas appellant, non Diabolus appareat, sed ascendens hominis imaginationis directæ, & qui fidem habeat fortem: nec est ulla fabula anicularum tàm pediculosa, rancida & fœtida, quam iste non pro mysterio venditet. Verborum curam etiam Pistorius ille commendavit, fuisseque apud veteres Romanos eandem dementiam in Plinio, Catone de re rustica, & aliis invenimus, ne quid de Nicolao Myrespo dicam, & libro quodam scripto ex Judæi cujusdam Synagoga translato, mihique communicato. De Trithemio, Cornelio Agrippa, Marsilio, aliisque Platonicis nosti. Similia ex oriente perhibetur Postellus attulisse, sed mihi non visa. Quercetani ex Cranio extractum, sublimatamque essentiam, quæ alvum sine perturbatione licet copiosè moveat, ipse miror. Illud patet ex scriptis ejus sæpè nimis profusum fuisse in medicinarum harum commendationibus, quod vitium ex Paracelso traxisse consentaneum est. Ita in Alexicaco scribit de Croco metallorum, quod aliquos vomitu, aliquos alvo purget sine ulla naturæ perturbatione, cum magna ejus ope & subsidio, expugnando febrem omnem pestilentialem, & morbos contagiosos. Id ex eo didicisse videtur Scheunemannus, qui voluit stibium benè per salem petræ calcinatum debere oleo vitrioli imbibi, & dari cum Mithridatio, dosi ad 6. grana. Est quidem alia quoque ratio calcinationis Stibii per halinitrum: sed ego puto de Epate & croco Quercetani sensisse. Hæc si vera sunt, cur tàm plenum

Paracelsicæ nugæ improbantur.

Vide lib. Jacobi Heilbrun. de Dæmonomia contra Pistorium.

Essentia Cranii humani Quercetani.

dedit alexicacum? Quis enim credat illud S.I N E? Si viveret, interrogandus esset, quidnam diceretur in Gallia *sine perturbatione*. Quæ tamen de Cranio in spagyricis asseruit, ea videtur correxisse silentio. Agit de eo in Tetradis cap.18. p.229. & cap.26. pag.324. ubi etiam præparationes aliquot enarrat, sed purgativa illa silet. In Pharmacopœa pag.615. extractum, tanquam Thesaurum preciosiss. proponit. Verum nec hîc Cathartica est. Potest tamen fieri, ut aliqua natura commoveatur medicamento humano fastidioso, & excutiat pondus molestum, præsertim si sal extrahatur, & sublimando magis attenuetur, quod cap. 2. Spagyricorum ex animalibus fieri volebat: Sales purgare quovis modo non difficulter conceditur. De croco metallorum agit fusè adeò, ut videatur delicias quasdam in eo quæsisse, cum longè absit à Rulandi croco, ut intelliges ex edendis meis. In Tetrade cap.25. pag.319. attingit præparationem, & fusam tractationem promittit. Ea fors Lysiponos est, ex regulo & halinitro, pag. 414. Toto cap. 31. licet promittat pag.395. medicinam medicinarum medicinam, & admirandorum miraculorũ miraculum, & mirabile mirabilium (Joco dicere putes; nam sunt ridicula) tamen croci non meminit. In pharm. p.107.108. & seqq. multa sunt de croco & aq. benedicta: plura pag.329. 330. cap. 16. pag.345. ubi Clyster ex eo. Iterum pag. 621. Ubi alia præparatio, quam pag. 107. vocaturque potens vomitivum & purgativum. In alexicaco pag.407. præparatio est, & usus, ut quater repetiverit ejus apparatum. Adeo sibi isto Epate placuit. pag. 408. Croci nomine Lysiponum suum reposuit. pag.477. & 478. Alexicaci, recurrit cum exemplis felicium in peste curarum. Ubi verò in Canthos oculorum instillata ejus aqua scribatur alvum movere, non occurrit. pag.111. Pharmacopoeæ Croci istius drachmam j. vel ij. infundit in aq. fœnic. Euphras, &c. ℥v. vel vj. instillat guttatim in oculos, promittitque miram vim contra Amblyopiam, Amaurosin & suffusionem. Tantam energian esse prædicat, ut exterius oculo applicata alvum ipsam sollicitare possit: & tamen nescit, an sua ophthalmica sit eadem cum Rulandia, quanquam pag. 111. habeat plurima præconia. Mirus modus purgandi per medicinam oculis impositam. Credo te ad hunc locum alluisse. Sed vereor ne quid fumi Paracelsici subsit. Dicit enim, & P O S S I T: num verò etiam potuit? Sed quid sentis de mirabili aqua Antepileptica, quam eodem folio ex Magnesia, seu Antimonio crudo, & crustæ panis pulvere per retortam magno satis igne profflat? Pluris eam facit omnibus ante descriptis, & historiolà confirmat, ubi vermes Epilepsiæ causas dicit exactos fuisse, data aqua ad dies 30. vel 40. sequente alvi purgatione bis, terve, citra perturbationem ullam, aut vomitum, & vermium infinito numero ejecto. Quid simul probare voluerit, ibidem legis. Ista facta sunt ante 20. annos circiter, Anno 1583: Et tamen non pepererunt plura exempla. Mirando fuit ingenio Quercetanus. Henningus ille sapiat sibi. Si meum tractatum de aquis mineralibus me vivo aggressus ita fuerit, ut videatur dignus responso, fortè nosse seipsum discet.

Quando purget.

Quo modo verò ex auro per spiritum salis Tartari argentum vivum velit conficere, equidem videre desiderem. Negant artifices sine Mercurio, vel aqua Mercuriali fieri posse, neque eò dissentio; quanquam aliqui per sublimationes, & alias vias nonnihil polliceantur.

Suctenius certè non credidisset. Sed valeat ille Paracelsi de grege. Non ita dudum apud nos cognita est vis succi ex baccis solani Sylvatici, quod Rustici vocant Diaboli baccas. Quidam scriba emit, succum inspissatum pro Rhob. Sambuci, & cum cochleare plenum deglutivisset, sensit, se insigniter debilitari. Oculi obtenebrati tanquam per nebulam viderunt; mens hallucinata est, ita ut etiam sciens non potuerit sibi temperare ab incongruè dictis, & delirio. Manus, imò & totum corpus concussum tremuerunt: pedes quasi spasmum circa digitos senserunt. Metuit sibi ab Epilepsia præ convulsione. Oculi visi sunt ex orbibus suis exprimi, siccitatem in alvo, œsophago & cerebro percepit: urina exiit guttatim, & copiosior, quam pro potu. Corpus exuccum redditum est. Caput læsum est duplo majus. Evasit tamen, sumtâ Theriacâ cum rutæ succo, cui addi potuisset bonus haustus malvatici. Vale ex sententia. Scriptum 28. Jan. Juliani 1612. Coburgi.

Venenum solani somniferi.

Prædicti veneni Antidotum.

Clariss. Viro, Dn.

SIGISMUNDO SCHNIZERO

Philos. & Medico eximio,

ANDREAS LIBAVIUS

S. P.

QUoniam te delectari Theologematibus Gymnasii nostri intelligo, non committendum est, ut iis careas. Mitto itaque nonnihil, haud ita dudum, in palæstrâ nostrâ agitatum, quod si placebit, benè erit, simulque provocabit plura. Nuper ad me dedit literas, tuus olim Collega Scheunemannus. Legit enim conjecturam meam de tribus contra pestem medicinis, ab ipso Paracelsicè descriptis, quarum unam judicabam factam esse ex Mercurio Veneris, alteram ex Stibio, tertiam ex Sulphure & Mercurio. Ille putat se à me derideri. Sed fallitur. Amicis enim meas cogitationes aperire volui, videoque jam me in prioribus duabus non errasse divinando. In tertia me decepit improba scriptura: quæ est: **den flüchtigen Eyßvogel von den gelben Küchen jungen** cribtic genannt &c. Debuit scribi **von dem gelben Küchenjungen** Cribtit &c. à Citrino culmario ministro, seu calone, & lixa, ut sensus sit, halonitrum, quod ille vocat volatilem Halcyonem, fixum esse per sulphur, quod culinis ministrat: nos salem prunellæ mineralis vocamus, vulgus **Breunstein**. Mirum est, quàm malè habeat hominem, me in Apocalypticis meis ista posuisse. Mitto tibi epistolam legendam, sed quam cum primâ occasione remittes. Descriptam enim cum reliquis Epistolis in publicum dabo. Respondi prolixè, & arte tractavi hominem, ut videbis suo tempore. Apud nos nemo est, qui iter faciat Ascherslebiam. Aliàs scriptas literas ad ipsum darem.

darem. Expectanda itaque est editio, sed nomine occultato, ne putet sibi injuriam fieri. Nuper in agro vicino quidam strangulatus quinto die cruentavit, sanguine per brachia & pedes erumpente. Quæritur quid de hoc sentiendum. Vulgus putat signum injustè suspensi esse. Sed vale. XI. Augusti 1613. Coburgi.

OBSERVATIO V.

De Quibusdam Medicatis Balneis.

De usu Fontis Admirabilis Bollensis in Ducatu Würtembergico.

Ad

Virum Clariss. Excellentiss.

DN. D. MARCUM WOLFHARDUM, Reipubl. Biberacensis Medicum Ordinar.

Gregorius Horstius, D.

Observatio de Elephantiasi curata.

S. Rectè scribis, Vir Clariss. amice honorande, quod Aqua Medicata *Fontis admirabilis Bollensis* in Ducatu Würtembergico, sic etiam olim judicante Medico Experientissimo *D. D. Laurentio Walthero Kuchelio*, Archiatro & Antecessore meo, p.m. in externis affectibus cutaneis, ulceribus rheumaticis, Sordidis, & inveteratis, scabie humida, tinea & Elephantiasi incipiente præsentissimum remedium sit, qua ratione prædictus Antecessor meus primariam virginem, quæ *conclamatâ propemodum Elephantiasi* laboraverit, post accuratam corporis præparationem restitutam, annotavit. Sed notatu dignum est, quod subjicitur, accuratam corporis præparationem præcessisse: memoriæ enim succurrit historia fœminæ cujusdam honestæ, quam propter familiam non nomino, quæ superiori anno M. DC. XXVI. sine convenienti præparatione fontis mirabilis balneo contra leprosam totius scabiem utebatur, ita paulò post exacerbato morbo, propter internæ malignitatis efflorescentiam; ut protinus à sanis penitus separaretur, & paulò post elapsis aliquot septimanis, in Leprosorio nostro naturæ debitum solveret. Sed præter incipientem Lepram, communiter dictam, *Elephantiasin Arabum*, quæ pedem morbus est, (Germanis nostris Oelschenckel oder Dalpfuß dicitur) balneum hoc quoque curat, quemadmodum egregium exemplum refert *D. D. Rentzius in observationibus M.S. de Anno* 1698. de Davide Glock Westerheimensi, qui ulcerata Elephantiasi Arabum in crure dextro laboravit per novennium, maximis doloribus, frustrà thermis Badensibus, & aliis mediis adhibitis, & tandem usu fontis mirabilis, bibendo & balneando, perfectè fuit restitutus, exterius scarificationibus, & venæsectionibus in parte laborante simul administratis. Similem casum idem eodem loco de fœmina Schorndorfensi, 70. annorum ætatis, quæ per 24. annos ejusmodi tumorem exulceratum pedis, insignis magnitudinis, habuerit, & in menstruo spatio restituta fuerit. De *Fistulis, imò etiam cancrosis ulceribus* curatis ab eodem exempla diversa diversis temporibus & annis observata describuntur, de quibus nil addo, nisi tantum, casum singularem Pastoris cujusdam, qui ante triennium præsente me fontis mirabilis balneo utebatur contra *fistulosum ulcus in facie*, quo per annos aliquot laboraverat, unà cum *exulceratione pulmonum* ex defluxionibus oborta, qui sub initium balnei, fontis medicati haustum pleniorem absorbendo, simulque sub finem lotionis, capiti calidam aquam affundendo, præter multorum opinionem à tussi diuturna, fistulosaque ulceratione liberatus, post menstruum spatium ad suos abierit. In *Erysipelatis ardore*, qui aliàs humectationem non patitur, promptè quoque balneum hoc succurrit, quòd aliquoties observavi, dum tutò statim in principio invasionis ejusmodi laborantes in labrum descendere vidi, tàm sudorem respectu totius provocando, quàm etiam ardorem externum digerendo, quâ ratione *partibus ambustis* mox affusa fontis hujus aqua plurimum succurrit. Sed veniamus ad internos defectus, ubi primo *Cephalæam, seu diuturnum capitis dolorem, cum aurium tinnitu*, in Michaele Steudlino Seusensi, Anno 1592. præter spem multorum curatum testatur M.S. D. D. Rentzii, cui lubenter subscribo, qui quo ad posterius idipsum etiam in proprio corpore sum expertus: Cum enim per annuum spatium diuturno, & molesto tinnitu aurium, cum auditus difficultate, & interdum lateris dextri κωφώσει laborassem, præcedenti æstate balneo fontis mirabilis & stillicidio ejusdem ad capitis verticem utens, ita D E I gratiâ molestiam istam expurgavi, ut huc usque per semestre nihil ulterius passus fuerim. *In Oculorum inflammatione* plurimum præstitisse testantur historiæ diversæ prædicti Medici, quondam ordinarii, sicut etiam ipsemet debilitatem visus viri cujusdam docti, propter alios defectus balneo hoc utentis egregiè præter spem & intentionem ante paucos annos correctam fuisse memini. *In pectoris angustia, tussi, & phthisicâ dispositione*, quondam non pauci restituti leguntur: ego ante triennium duos ex αἱμοπτώσει tussientes, & hecticos, cum fructu balneo potuque (sed interdictis acidulis) gaudere vidi. In *diuturno ventriculi dolore* quantam efficaciam habeant aquæ fontis ex historia sequenti patet: Jacobus Renner ex ditione Schorndorfensi per 18. annos molestissimo dolore stomachi, sæpius lypothymiam introducente, cruciatur, cum cibi potusque rejectione, qui anno 1598. balneo hoc utens, infuso medicato simul adhibito perfectè restituitur, frustra per tot annos aliis remediis adhibitis. In *Colicis doloribus diuturnis* ex vermibus aqua fontis pota, balneoque fontis usurpata quid possit sequens confirmat casus: Leonhard Koch Bollensis, 40. circiter annorum, cum diuturnis colicis cruciatibus affligeretur, tandem balneo fontis, ejusque potu utitur, cujus beneficio non tantùm dolores leniuntur, sed alvus etiam ita laxatur, ut cum excrementis fœtidis vermes Ascarides dicti magna copia rejicerentur, pristino sanitatis vigore redeunte. *Quoad Cachexiam & Hydropicam affectionem*, olim optimi successus observati fuerunt, præsertim ubi non tantum potu per vias urinarias & alvum peccans materia, sed simul etiam sudore

Marginalia: *Elephantiasis usu balnei exacerbatio.* — *Elephantiasis Arabum.* — *Fistulæ & cancrosa ulcera.* — *Exulceratio pulmonum.* — *Erysipelas.* — *Ambustio.* — *Cephalæa cum aurium tinnitu.* — *In oculorum inflammatione.* — *Debilitas visus.* — *Pectoris angustia, tussis, phthisis.* — *Diuturnus ventriculi dolor.* — *Colici dolores & vermibus.* — *Cachexia & Hydrops.*

ſudore per habitum corporis abundantia ſeri fuit educta, qua ratione puerum 12. annorum Anno ſuperiori confirmata leucophlegmatia laborantem perfectè reſtitutum memini. *Ictero nigro cum Scirrho Lienis* & Scabie maligna quondam egregiè conveniebat balneum & potus fontis admirabilis, quam hiſtoriam in M. S. ſic refert D. D. Rentzius: Johannes Bollinger Remmingenſis, an. 98. ad balneum accedens refert, quod per ſexennium febrilibus diſpoſitionibus laboraverit, & exinde nigrum Icterum, ac intumeſcentiam Lienis, cum ſcabie maligna contraxerit, qui ſuperioribus annis fruſtrà thermis Badenſibus uſurpatis, uſu balnei & potu, cum intermediis purgantibus, per menſtruum ſpatium ita fuit reſtitutus, ut Deo ac Principi, ſumptibus cujus ſuſtentatus fuerat, ſummas gratias egerit. Idem, ante triennium Ictero nigro laborans Religioſus quidam, me præſente, confirmabat, qui balneo fontis & potu Acidarum Ubenhuſenſium cachexiam iſtam radicatam ita ſuperabat, ut in hunc usque diem optatam ſanitatem in viciniâ noſtrâ tranſigat. In *ſterilitate mulierum* ex ſuperfluâ humiditate proveniente plurimum præſtat, ſicuti recordor honeſtæ fœminæ, quæ poſt uſum thermarum, utero confortato ſuperfluisque fluoribus conſumptis, antea ſterilis, mox prægnans facta fuerit. Imò & *procedentiam uteri*, cum dolore & excoritatione humidâ, feliciter ſolo balneo curatam fuiſſe teſtatur experientia, quanquam malum iſtud, aliàs diuturnum, difficulter expugnetur. Quo ad *Incontinentiam urinæ*, memorabilem caſum Anno M. DC. XXVII. præſens obſervavi, in viro ſeptuagenario, Andrea Bauer/ qui per annos aliquot urinam continère non poterat, ut ſemper vitrum, accommodatum membro, quo viri ſumus, ſecum geſtaret: hic per tres ſeptimanas balneo fontis utens ex voto reſtituebatur, non ſine multorum admiratione, fruſtrà multis aliis per annos aliquot adhibitis. Sed magis adhuc miranda ſequens hiſtoria, quam habet D. D. Rentzius in Obſerv. M. S. Filius Stephani Schmid, ex pago Langenau/ Ditionis Ulmenſium, annorum 15. vel 16. cum à teneris unguiculis doloribus calculi veſicæ laboraſſet, & omnibus remediis fruſtrà tentatis, tandem lithotomiam bis admiſiſſet, in incontinentiam urinæ lapſus & ſatis dolorificam, & Parentibus abominabilem, quam ob cauſam una cum Parente fontis mirabilis balneum adhibet, ipſamque aquam potando ſæpius uſurpat, cujus beneficio non tantùm per ſedes purgatur, & per veſicam plurimum ſabuloſæ materiæ ſecernit, ſed inſuper etiam dolore & intumeſcentiâ circa collum veſicæ, eo in loco, ubi lithotomia facta fuerat, præhenditur, ſuppuratione ſubſequente, nec non uſu fontis medicati ſic deterſâ & conſolidatâ viciſſim, ut duodecimo die per meatum ſine impedimento, voluntariè urinam redderet. In *Iſchiadico dolore* diuturno beneficio balnei fontis mirabilis pulchras ac diverſas obſervationes annotavit prædictus D. D. Rentzius, olim iſtius loci Medicus ordinarius, ut etiam in *corroborandis artubus* à podagricis fluxionibus debilitatis, item in *paralyſi* ex colicis doloribus obortâ, nec non in membrorum *contracturis*, cujus rei exempla diverſa ipſemet etiam obſervavi. Poſterioris defectus egregiam obſervationem ante ſeptennium annotavi in Johan. Martino Bartholomei, juvene 25. circiter annorum, qui poſtquam in Auſtria Baroni cuidam à ſervitiis fuiſſet, in hemiplexiam incidit graviſſimam, à quo DEI gratia, Medicorum diligentiâ reſtitutus, reliquis partibus ſenſu motuque viciſſim præditis, ſiniſtræ manus contracturam patitur, ita ut huc ad ſuos tendens, meam opem imploraret. Ego propter tendinum abbreviationem, digitos omnes verſus interiorem manum convulſos & induratos conſpiciens, de reſtitutione ferè deſperans, ſuadeo Bollenſium aquarum balneum, quo per tres ſeptimanas uſurpato, tendinum induratio ſic emollita fuit, ut huc usque naturali extenſione & contractione viciſſim utatur, ac ſi nunquam p. n. manus diſpoſita fuiſſet. Similiter *indurationem tendinum* in ulnâ feliciter hoc balneo emollitam, & brachium ab ἀτροφίᾳ liberatum in *par. 2. Obſerv. mea. l. 4.* legis: *In Paralyſi* κατεχρηστικῶς ſic dicta, quæ colicos dolores ſequitur, annuatim ſucceſſus feliciſſimi conſpiciuntur, ubi tamen hoc, obſervavi, quod plerique non protinùs, ſed menſe uno atque altero, poſtquam à thermis domum reverſi fuerint, reſtituantur. Mirabilis fuit eventus in honeſta primaria fœmina, quum ante triennium ob intolerabiles diuturnos colicos & uterinos dolores, ſemimortuam ferè, ad uſum fontis hujus admirabilis comitabar: hæc pedetentim balneum fontis adhibens, dolorum ac cruciatuum remiſſionem habebat, appetitu viciſſim redeunte, viribus ſenſim recollectis, ſed paulatim manuum, pedumque paralyſi ſubſequente, quam robore naturæ, beneficio thermarum introducto, factam fuiſſe ſtatuebam, quæ poſtea ſenſim etiam poſt balneum remittebat, ut domum rediens viciſſim ambulare, manibusque in apprehendendo convenienter uti poſſet: quanquam anno ſubſequenti, propter cachexiam viſcerum concoctionis, hydrope vitam finiret. *In corroborandis articulis podagricorum* egregiè ſuccurrit, ita ut in diſpoſitis inter balneandum paroxyſmum excitet, ubi quotidiè cum fructu balneum continuatur, donec dolore, ejusque cauſæ, diſſipentur, quâ ratione teſtatur experientia, Podagricos ad multos annos poſtea ſalvos; & à doloribus immunes fuiſſe. In antiquis doloribus, radicitus extirpandis, reſpectu partium externarum quid poſſit, obſervatio noſtra teſtatur, quam l. 4. poſt. Obſervat. deſcribimus, Obſerv. 23. cui etiam ſuffragatur M. S. D. D. Rentzii, quando refert hiſtoriam de Thomâ Krabat, qui per multos annos cruciatus dolorificos artuum, totiusque corporis ingentes paſſus fuerat, procul dubio propter luem veneream radicatam, à quibus neque decoctis ſudoriferis, neque thermis Carolinis, vel Ferinis liberari potuit: hic ad fontem mirabilem Anno 1597. accedens, eundemque balneando & bibendo uſurpans, primò vehementer per alvum purgatur, poſtea manuum, pedum totiusque corporis intumeſcentia & excoriatio ſordida ſuccedit, quâ menſtruo ſpatio deterſâ, dolores omnes remittunt, ut ſalvus & incolumis viciſſim pedes abiret, ſubtractâ videlicet peccante materiâ, quæ circa perioſtium coagulata, per reſolutionem ad cir-

Icterus niger. — *Sterilitas mulierum.* — *Procedentia uteri.* — *Incontinentia urinæ in ſene.* — *Incontinentia urinæ ex Lithotomia.* — *Iſchiadicus dolor.* — *Podagra.* — *Paralyſis* — *Contractura.* — *Induratio tendinum.* — *Paralyſis poſt colicos dolores.* — *Obſervatio ſingularis.* — *Obſerv. de podagricis.* — *Antiqui dolores.*

ad circumferentiam extracta fuit, partibus simul contra novum affluxum confortatis. Mirum verò quod fontis hujus aqua, sicut etiam de quibusdam aliis medicatis, inprimisque de Piperinis refertur, quosdam homines non patiatur, sed ejiciat, ea ratione, ut submergi, licet manibus pedibusque sese continere conentur, nequeant, quemadmodum præcedenti æstate meis oculis hoc vidi in puella Mundelsheimensi, quæ descendens in labrum protinus innatabat superficiei aquæ, quam ob causam à balneo penitus abstinere cogebatur. Cum autem obstructione mensium & cachexia, cum incipiente tympanitide, laboraret, eidem per 14. dies medicamenta convenientia pro digestione & purgatione cum usu acidularum præscripsi, quorum beneficio mensium apertio subsequuta, quam peracta, balneum optimè, more aliorum, postea sustinuit, primis quidem diebus non sine tensionibus infimi ventris, quæ tamen postea quoque remiserunt, ita ut putarem, factum fuisse idipsum, propterea quòd cachexiæ ratione flatus in infimo ventre copiosissimi contenti, more vesicæ bubulæ inflatæ, totum corpus sursum versus moverint. Hos (ex pluribus) egregios effectus fontis mirabilis Bollensis enumerare placuit, quo certiorem facerem Ex. T. non tantum in externis, sed etiam in internis quam plurimis, non rarò desperatis, aliàs affectibus, commodissimè balneum atque potum harum aquarum adhibitum fuisse, quam ob causam bituminis, succini, Sulphuris, Salis, vitrioli, Boli & aliorum fossilium partim spiritualem, partim etiam materialem communicationem non immeritò iisdem aquis Medicatis tribuunt, de quo liber peculiaris à Clariss. D. Johanne Bauhino p. m. conscriptus olim, plura subministrabit. Hæc sufficiant, donec pluribus naturam fontis mirabilis Dn. D. Georgius Balthasar Rentzius, pro tempore ordinarius ibidem Medicus, uti promisit, ulterius Parentis sui Observationibus illustratis, publicè describat.

Observatio singularis.

Hisce benè vale, Vir Clarissime, & me amare perge. Dabam Ulmæ XVI. Cal. Xbr. 1630.

Vir Clariss. Experientiss.

DN. MARCUS WOLFHARDUS, Medic. D. & Physicus Ordinarius Reipubl. Biberacensis.

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Pro communicatis Observationibus quoad fontem mirabilem Bollensem maximas habeo gratias, Vir Clariss. Ut ut fit, suam certè merentur laudem, potissimùm in Cutaneis & Nervorum affectibus, cujus multam habeo multorum experientiam, quod maximè quoque confirmat historia sequens: Ante annos aliquot Nobiliss. quondam Vir, Joh. Hector à Freyberg. in Hyerbel, brachii dextri paralysi, & inde secuta ἀτροφίᾳ ejusdem laborans, multis frustrà tentatis, brevi Bollensium usu, adjuncto acidularum potu, restitutus, totius quasi corporis simul tremorem, & perennem aurium tinnitum, vel sibilum potius, nescio quo fato, ipsi inopinato, sed felicissimo, evanuisse, multis jactitabat, adeò, ut nova quasi corporis œconomia instructus, multis dein annis sospes vixerit. quæ tuis, Vir Clariss. & in proprio subjecto expertis, ominis fausti confirmandi causa addere debui: plura, DEO lucis usurarum largiente, propediem. De Laubacensibus Balneis, propè Monasterium Bonæ Cellæ, nosti quid Antecessores nostri statuerunt, quod etiam videre licet in Balneario restaurato D. Mart. Rulandi, & in tractat. Germanico Greg. Salsmanni. Cùm autem vobis Ulmensium balneum hoc medicatum sit frequens, certior fieri cuperem, num etiam nostrati cuidam septuagenario, doloribus articulorum, inprimis omoplatæ, brachiorum, manuumque à multo tempore obnoxio, cujus cerebrum serosis & phlegmaticis humoribus abundat, unde crebris destillationibus vexatur, idipsum proficuum esse possit, modestè tamen usurpatum: si enim primo sensorio, si sensibus tàm internis, quàm externis vigorandis tantam præstat ἐνέργειαν, cur non toti nervoso generi, cur non articulis, ligamentis, tendinibus & nervosis partibus idem præstabit? Hæc raptim. Benè Vale cum tuis, &c.

Observatio de usu Bollensium notatu digna.

Laubacensia Balnea.

Viro Clariss. Excellent.

DN. MARCO WOLFHARDO, Phil. & Medico Doctori Biberacensium Ordinario,

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. De Laubacensibus balneis medicatis in vicinia nostra rectè statuis, Vir Clarissime, quod usurpata cum diætâ fluxionibus omnibus ex dyscrasiâ frigidâ cerebri causatis, organa sensus atque motus affligentibus, imò & obstructionibus viscerum ex imbecillitate concoctionis vel post interpolatas febres relictis, tam ad hecticam, quam ex cacochymiâ pleniorem ad constitutionem, subjecto laborantis inclinante, sat evidenter succurrant, quæ omnia propter mixturam temperatam ex Sulphure, Nitro & Alumine modico iisdem tribuuntur, quemadmodum Gregor. Salsmannus, Medicus Ulmensis olim, antè centum circiter annos posteritati scriptum reliquit, & posthac, experientiâ teste, confirmatum fuit. Notabilis est Observatio tua, quod in visu acuendo, nec non auditu vigorando, specificam quandam vim habeant, quemadmodum refers de Agnato tuo, D. D. Uldarico Wolfhardo ICto, & Memmingensium Syndico benè merito, qui singulis annis balneo hoc usus fuerit, & surdaster antea, auditus integritatem recuperaverit. In Hecticâ dispositione cum perpetuis defluxionibus ab imbecillitate capitis provenientibus egregiè succurrit hoc Balneum, quod ante sexennium in primariâ quadam fœmina notavi, quæ consumpta ferè per tussim ac destillationes, balneando cum diætâ per mensem, egregiè fuit restituta, scilicet confortatis visceribus concoctionis, capitis, & membris recipientibus, quo nomine, cum admodum temperatæ sint vires hujus aquæ, nervorum & articulorum affectibus, ex rheumatismis prognatis conveniens est, unde podagricis, arthriticis & paralyticis, inprimis iis, qui ex colicis doloribus tales redduntur, prodesse poterit. Sed rectè subjicis,

Effectus Laubacensis Balnei.

Observatio notabilis in surditate.

Obs. in Hectica catarrhosa.

Quomodo Arthriticis conveniant.

cum diæta balneorum usum esse continuandum, ne viscerum intemperies major introducatur, & antecedens arthritidis causa magis foveatur. Quo ad universalem affectum cautè procedendum est, propterea quod partium principum languor vix unquam restituatur: particularis autem arthritis ex mixtis humoribus, prædominante pituita cum multo sero, plurimùm juvabitur, ubi quis facta diligenti totius corporis purgatione, non neglectis sudoriferis & diureticis ad balneum hoc accesserit. His consideratis quid ægri tui respectu concludendum, non difficulter, me etiam non monente, colligis. Hisce benè vale. Raptim Ulmæ.

DE USU THERMARUM EMBSENSIUM AD LANUM.

Ad

Serenissimum ac Celsiss. Principem ac Dn.

DN. LUDOVICUM, Com. Palat. Rhen. ac Bavariæ Ducem, S. R. I. Electorem, &c.

SErenissime Elector, &c. Si meum consilium de usu thermarum Embsensium, quem jam Celsitudo Vestra animo cogitat, in medium proferre debeam, aliter sentire non possum, quin statuam, anniversariam & multoties repetitam thermarum calidarum visitationem, non modò nullius momenti & utilitatis esse, sed potiùs cum maximo corporis dispendio viriumque jactura, tàm foris, quàm intrà, conjungi. Cùm enim per frequentes balneationes non solùm externa corporis membra præ imbecillitate relaxentur; attrita extenuentur, atque ita disponantur, ut progressu temporis excrementitiæ superfluitates faciliùs & promptiùs in intimos eorum recessus sese insinuare possint, sed etiam crebro aquarum calidarum insessu, renum, hepatis; aliorumque viscerum internorum inflammationes oboriantur, omissis jam aliis nocumentis, quæ ex validis balneorum effumationibus, caput inprimis affligentibus exurgunt, de quibus videre est, Galen. in l. 3. de caus. puls. facilè apparet, quid de iterato sæpè sæpiùs thermarum usu sentiendum sit, eum scilicet in genere non esse conducibilem, nec salutarem, naturis potissimum calidioribus & siccioribus.

Quod autem specialiter Celsitudinis Vestræ corporis temperamentum & constitutionem spectat, ex relatione aliorum Medicorum, percepi, quòd Celsitudo Vestra de nullo gravi affectu, Asthmatis symptomatibus remissis, DEI gratiâ, hoc tempore conqueratur, excepto quodam pruritu, & alicujus humoris serosi ex utroque crure in exiguâ quantitate effluxu, cujus sanandi gratiâ Vestra Celsitudo in thermas Embsenses sese conferre velit.

Quo quidem in casu, rebus ita stantibus, dum meum consilium exigitur, atque ego mihi in memoriam revoco, quòd Celsitudo Vestra antè annum quasi thermas quasdam sulphureas visitaverit, & in iis cum labore & diligentiâ longam moram contraxerit, pauloque antè Embsensium quoque aquarum vires non absque fructu sæpiùs sustinuerit, animo concipere non possum, quare Celsitudo Vestra ad sulphureos fontes hoc anno sese rursus conferat. Licet enim pruritus quidam crura utraque, non sine molestiâ, exerceat, qualis plerunque iis, qui crebrò thermis utuntur, non solum in cruribus, sed in toto quoque corpore accidere solet; reperire tamen nequeo, cur unicus ille pruritus, me judice, sufficiens sit, ad persuadendum, hoc rursus anno thermalium aquarum ingressum, præcipuè cùm aliâs faciliori negotio, minori labore ac tædio, per commodiorem curandi viam averti possit. Et concesso, thermas Embsenses pruritum, hunc, divinâ aspirante gratiâ, probè expugnare posse, periculum tamen est, & metuendum, ne elapso anno recidivantis hujus pruritus notæ, ut aliâs solet, repullulent, iterumque thermarum modò dictarum usum postulent, atque hoc modo Natura anniversariis hisce lotionibus omninò assuefiat, quas absque sanitatis detrimento amplius omittere per totum vitæ curriculum nequeat. Quanta autem molestiarum & tædiorum moles Celsitudinem Vestram obruitura, non dicam oppressura sit: facilè ipsa pro summo mentis vigore, ex supra memoratis in genere causis, conjicere poterit. Præterea considerando illum serosi humoris effluxum, nullus quidem dubito, quin humores excrementitii, in corpore jam generati & collecti, thermarum calidarum virtute resolvi & exiccari, adeoque huic fluxioni omnis occasio, sed saltèm ad tempus, præcidi possit, causam tamen generationis hujus humoris extirpari, & penitùs earundem efficaciâ averruncari posse, ita ut Vestra Celsitudo hâc ratione præservata, omnem ætatem ab hâc fluxione immunem transigere queat, non facilè inducor: imò potiùs existimo, Naturam, Naturæque Directorem, Deum, hanc excretionis viam in summam Vestræ Celsitudinis salutem, existente corpore adeò plethorico, ad relevandum corpus instituisse, per quam effluente seroso humore, symptomata Asthmatis mitigarentur, aliaque gravia corporis symptomata præcaverentur.

Quòd si tamen effluxus hic vehementiùs urgeat, & aliquam sui curam, propter molestias, quas parit, ad se trahat, autor sum, ut vel in uno, vel in utroque crure emissaria, sive fonticuli, in loco cruris commodo inurantur, quibus, divinâ mediante gratiâ, serosus humor ad pedes decumbens, libero motu & impetu, hinc inde non ampliùs vagetur, sed ad certum locum evacuationi aptum divertatur, quo minus postea cruribus dolores, aliaque tædia accersantur, adeoque capiti, pectori, totique corpori benè consulatur. Id quod præsidium nobis etiam monstrat ipsa Natura, quam rectè agentem Medicus imitari debet, planeque mihi persuadeo, hunc evacuationis modum vestræ Celsitudini in longam vitæ incolumitatem, adhibitis simul anniversariis purgationibus, cessuram.

Ultimò Vestræ Celsitudini, annum, in quo jam versatur climactericum, pro judicii mei tenuitate non negligendum esse censeo, sed, quemadmodum prudentes medici in morborũ crisibus medicinas facilè non propinant, ita etiam in annis climactericis, extremâ non urgente necessitate,

necessitate, à magnis & solennibus medicamentis abstinendum esse reor, eâ de causâ, quòd in talibus annis, experientiâ attestante, plerunque criticæ, notabilesve aliæ commotiones, & communicationes venire soleant, &c. Signatum 5. Aprilis, Anno M. D. LXXXI.

Vestræ Celsitud.
subjectiss.
Ludovicus Gravius, Med. D. & Professor in Academia Heidelbergensi.

AD EUNDEM.

Serenissime Elector &c. Consideranti mihi Celsitud. Vestræ totius corporis constitutionem, & singularum partium naturam & temperamentum, offerunt sese duo inprimis viscera naturalia, hepar scilicet & ventriculus, dyscrasia inæquali laborantia. Hepar quidem calore excedens, magnumque existens, ad sanguinis copiosi generationem & collectionem promptissimum est, quô fit, ut propter ejus fervorem immodicum aliquâ ex parte sanguis aduratur, & consequenter in humorem atrabilarium convertatur: ventriculus contra ad frigiditatem declinans tantò frigidior per accidens evadit, quantò hepar calore magis intenditur, succumque ventriculi nativum absumit ac dissipat. Quâ tandem viscerum asymmetriâ hoc evenit, ut continuato vaporum confertim effumantium ascensu, non solùm caput p. n. infestetur, sed horum ipsorum factâ congelatione aut concretione, fluxiones, non tàm in scapulas, brachiaque, quàm in ventriculum & intestina, per ductus & meatus insensibiles, demittat, quæ sensim postea cum chylo permixtæ, seseque in minores jecoris venulas insinuantes, in copiosissimos flatus & fumos, tàm propriæ frigiditatis, tùm loci æstuantis ratione resolvuntur: quorum portio quædam sursum tendens pulmonum inflationem, pectoris angustiam, & spiritus difficultatem conciliat; residuum verò infimo ventri inhærens, ventositates & ventris intumescentiam excitat, venarumque mesaraicarum oppilationes, lateris puncturas, & hypochondriorum tensiones parit; hinc putredo ex mesenterii obstructione genita inflammando hepar ad collectionem bilis flavæ & viridis, cibi fastidium, phlegmatisque in ventriculo congestionem ansam præbet, quâ ejusdem compressio, distensioque, nisi per vomitum aut clysma aliquod rejiciatur, sequi solet: quocunque tamen evaporationes hæ penetraverint ac subsederint, dolores inferunt, & excrementorum varias corporis partes affligentium notas post se reliquunt.

Hæ quoque fuligines secundam concoctionem interturbant, dum hepar chylum à ventriculo præparatum & transmissum accipit, eumque retinet, ipsum tamen plenè planeque non digerit, à quo deinde febres putridæ, crurũ intumescentia, totiusq; corporis cachexia & alia symptomata promptè succedunt, juxta illud, obstructiones omnium ægritudinum matrem, facem, & fomitem esse.

His ita præcognitis pensitandum est, quomodo huic variarum accidentium syndromæ & inprimis hisce mesenterii oppilationibus succurri queat, an hic quoque thermarum usus conveniens sit, ubi meo quidem judicio, iis non admodum ex re & voto esse arbitror, quibus hepar fervet ac æstuat, siquidem thermales aquæ omne, quod ipsis obvium est, sine electione exiccant, arefaciunt & inflammant, atque ita usurpatæ ignem igni adjiciunt: dum enim ventriculo frigidiori caloris fomentum desideranti succurrere laboramus, reliquis visceribus, hepar accendendo, sanguinem adurendo, obstructiones augendo, ex iisque sobolescentes fumos, fluxiones & angustias producendo, maximè nocemus. Ad illud verò, quo quæritur, utrùm thermæ in arthritide, podagrâ, ischiadicâ, cæterisque articulorum fluxionibus conferant, meum hoc est consilium. Principio, in omni arthritide, fluxionibusque ad extrema, externaque decumbentibus, tria in genere respicienda sunt, humor fluens, membrorum imbecillitas, & eorundem lubricitas & relaxatio. Thermæ quidem causam antecedentem & foventem, utpotè fluxiones, aut quicquid hic analogum est, exiccare possunt, interim tamen vehementius in calorem nativum agendo eundem dissipant, ipsumque hepar cum toto venoso genere p. n. calefaciunt & inflammant, unde postea multis effumationibus productis, & in caput ascendentibus novarum fluxionum origo scaturit, quibus hinc inde ad varias corporis partes ablegatis membra lubrica & relaxata, corpore per thermas emollito, & fluxionibus latitantibus resolutis, magis offenduntur, adeoq; ex parvo igne maxima flamma, malo in pejus converso, exoritur. Nec mihi etiam consuetus thermarum usus probatur, dum quidam centum & viginti horas balneo exuperantes sibi imaginantur, se rei, & sibimetipsis non satisfecisse, si non ad dictum usque terminum, repetitis insessionibus, pertigissent, in quo quidem vehementer errant, quòd citiùs balneationes, humoribus excrementitiis jamjam resiccatis, finire debuissent, insuperque longior mora, immaturus item, aut pluribus diebus excedentibus continuatus usus varias corpori noxas imprimat, carnosamque substantiam exhauriendo, nativum calorem resolvendo, humoresque alimentarios absumendo, justâ coctione, humorumque excrementitiorum separatione & digestione præpeditâ, nocivarum fluxionum & superfluarum humiditatum colluviem pariat.

An & quomodo thermæ Arthriticis conveniant?

Quod verò articulos & membra externa, arthritidi quoque occasionem præbentia attinet, antè omnia requiritur, ut excedens humiditas, lubricitatem inducens, in iis exiccetur, frigida intemperies calefacientibus emendetur, & imbecillitas corroborantibus, laxitatem constringentibus, & calorem refocillantibus, corrigatur. Quo in loco balnea thermalia calori nativo forti suâ actione inimica sunt, articulisque ipsis laxitatem conciliant, unde eorundem usum in his & aliis fluxionibus suadere non possum, cuilibet tamen liberum suum judicium relinquens, &c. Datum Wormbs, 26. Jan. Anno M. D. LXXX.

Vestræ Celsitud.
Subjectiss.
W. Rascalon., Med. D.

De

De Balneo Swalbacenſi fontis ſuſurrantis
deß Brodelbrunnen.

Ad

Virum Clariſs. Excellent.
Dn. HELVICUM **Dieterich**/ Philoſ. & Medic. Doctorem, & Archiatrum Haſſiacum digniſs.

GREGOR. HORSTIUS, D.

SQuæ de probatione mineralium Aquarum Swalbacenſium, potiſſimùmque de Balneo fontis ſuſurrantis (**deß Brodelbrunnens**) ad me perſcripſiſti, Vir Clariſſime, Excellentiſs. fautor, & affinis plurimùm colende, magnâ cum voluptate legi, præſertim cùm viderem, conſilium meum in effodiendo fonte novo minimè fruſtraneum fuiſſe. Noſti, quod ante biennium Magnatem quendam Generoſum, potiſſimùm ob uſum hujus balnei, Swalbacum ex his regionibus adduxerim, ubi propter defectum aquæ, iſtius mineralis deliberatio fuit inſtituenda de novâ ſcaturigine, ſimili mixtione mineralium præditâ, non procul à veteri fonte ſuſurrante, diligenter inquirenda, quam etiam, approbante ſimul hanc intentionem Viro Clariſſimo & Excellentiſſimo Dn. D. Petro de Spina, Archiatro & Collega tuo, paucas intra horas, laborantibus aliquot bajulis, iteratis operis, ob evaporationes minerales, unius continuatos labores impedientes, ad votum noſtrum, plenè ſatis, more fontis antiquioris, ſapore, odore, & aliis qualitatibus priori non abſimilem invenimus. Fateor ergo, quod ſcribis, me novi hujus fontis ebullientis & reſonantis Autorem fuiſſe, propterea quod viderem, tot balneis apparandis antiquioris iſtius fontis aquam, reſonantem potius, quam copioſè bullientem, minimè ſufficere poſſe: nec dubitabam, quin, undique circa dictum locum ſcaturientibus venulis acidis, ſimilem originem inveniremus, modò profundiùs inquireretur; cùm antiquior etiam fons reſonans ex injecta terra lapidoſa & arenoſa, cum intermixtis lignis, & nucum putaminibus, incuria incolarum, vel indignatione poſſeſſoris olim iſtius hortuli, repletus circa ſcaturiginem ſuam, ad ulnæ longioris profunditatem ulterius ad liberiorem aquæ exitum excavandus eſſet: ubi eandem profunditatem nactus uterque, copioſè ſatis reſonando & ebulliendo ſcaturiebant, ut poſtea cunctis aqua ſufficiens ſuppeteret: ubi primus fui, qui fontis novi balneando primum faceret periculum, idque bono ſucceſſu, ſimilem operationem in ſudore promovendo & aliis obſervando.

Occaſio novi fontis reſonantis in Swalbaco.

Cur reſonantem fontem hunc, ulterius effodiendum eſſe ſtatuerimus.

Cur reſonantem vocemus.

Reſonantem vero ſeu ſuſurrantem fontem hunc utrumque nominare lubet, quod aqua hæc ebulliens non eapropter ſtrepitum & ſuſurrum hunc edere videatur, quaſi per anguſtas fauces eluctetur, quemadmodum in Garolinis apparet, ut & in Hungaria prope Zepuſium fons eſt, intus murmurans admodùm, antequam exeat, in quibus ſtrepitus, aquæ copiam indicat cum elidente ſpiritu, per vias anguſtas comitante, quæ tamen hujus ebullientis aquæ copia non eſt, ut reſonanti ſtrepitui reſpondere videatur, propterea quod balneis frequentibus conficiendis exhauſtus fons, tardiori tempore viciſſim repleatur. Hinc ergo veriſimile videtur, ſpiritus minerales in ſe invicem pugnantes, in ſcaturigine liberiores factos, ebullitionem & ſtrepitum iſtum reſonantem cauſare, fortaſſis eâdem ratione, ſicuti videmus oleum tartari guttatim ſpiritui vitrioli affuſum ebullitionem & effervefcentiam introducere. Monſtrare vero ſpirituum horum differentiam, hoc opus, hic labor eſt! labor inquám, non vulgaris & exiguus, ſed talis, cujus beneficio de abſtruſioribus interrogati reſpondere poſſumus admirantibus ea, quæ naturæ gremio producuntur: Suſpiciat vulgus, tanquam naturæ miraculum, lacum in Scotiſis, qui vulneribus medetur, ubi naturæ peritus indagator cauſam ex alumine & calce deducit! Ad ardentes fontes in India, Ecbatanis & Cilicia plebs obſtupeſcat, ubi gnaro rerum bitumineum oleum, ſeu aquis commiſtum, ſeu innatans, ſeparatumque parum negotii faceſſit! Ex animo igitur conatibus tuis, Vir Clariſſime, gratulor, dum ſingulari diligentiâ per integrum ferè biennium in probatione Medicati fontis ſuſurrantis Swalbacenſis continuus fuiſti, nec dum etiam, aliorum hac de re judicia ſolerter inquirens, finem feciſti. Lubens autem audio, fontis utriusque tàm antiquioris, quàm recenter effoſſi (quod quidem ſapor & odor, aliaque ſenſibus obvia teſtabantur) naturam eandem eſſe, quod non vanâ conjectura colligebam, antequam effoſſio novi fontis ſuſciperetur. Separationis ſpirituoſæ mineralium ingredientium poſſibilitatem, quam aliqui negant, egregiè demonſtras, dum poſt longas digeſtiones & putrefactiones, integris menſibus in Phiolis Hermeticè clauſis, factas, aquas iſtius fontis bullientis & reſonantis, quem ea propter incolæ **Brodelbrunnen** vocant, utriusque ſcilicet tam noviter effoſſi, quam antiquioris iſtius, à Tabernæmontano deſcripti, deſtillare permiſiſti, primò Spiritum Aluminis & Vitrioli volatilem ſeorſim aſcendere è phiola vidiſti; è cucurbita vero Spiritum nitri rubedine & ſapore ſeſe prodentem obſervaſti, quâ rubedine pereunte, ſulphur in parvâ copia ſublimari, & merè vitriolici & Salini ſpiritus, permixti, cum nubeculis apparere viſi ſunt: tandem Spiritus fixi non aſcendentes alio modo ſeparare tentaſti, ſicque per totum laborioſum operationis proceſſum in probando, fontibus prædictis, 1. Alumen: 2. Sulphur: 3. Nitrum: 4. Salem: 5. Vitriolum: 6. Vitriolum Veneris: 7. Vitriolum Martis: 8. Bitumen: Et 9. Calcem, non levi conjectura, ſed artificioſa operatione ineſſe demonſtraſti. Quibus omnibus à te pro ſingulari genii & ingenii acumine, nec non ἐγχειρήσει Chymiatro digna manifeſtatis, de viribus iſtarum aquarum judicari poſſe ſtatuis, ubi quidem facilimè ſubſcribo, ſed ea ratione, ne protinus omne illud, quod ſimplicioribus iſtis mineralibus & foſſilibus in ſe conſideratis convenit, balneo huic tribuamus, idque juxta Hippocratem, qui libro de Vet. Med. dicit, in homine (& ſic etiam in aliis mixtis) amarum, ſalſum, dulce, acidum, acerbum, inſipidum, aliaque ſexcenta ineſſe, quæ mixtione

Separatio ſpirituum in aquis medicatis an poſſibilis?

Cautio in dijudicandis viribus aquarum medicatarum.

mixtione & mutua inter se contemperatione, neque cernuntur, neque quenquam molestia afficiunt: At, pergit ille, ubi horum quidpiam secretum fuerit, & per se extiterit, tunc & conspicuum fit, & hominem molestia afficit. Id ipsum mineralibus etiam aquis accommodemus necessum est, ubi notis Aluminis, Sulphuris, Salis, &c. apparentibus non protinus concludendum esse videtur, effectus ingredientium, per se consideratorum, etiam aquis istis attribuendos esse, propterea quod alia sit ratio Sulphuris jam beneficio Vulcani separati, & alia quoque tunc temporis, ubi cum aliis mineralibus in aqua balnei naturalis intimè permistum est. Hic igitur ad experientiam cum ratione conjunctam recurrendum erit, quibus amico consensu conclamantibus demonstrativè postea, tàm à priori respectu mixtionis mineralium, quàm à posteriori, per notatas observationes, vires aquarum respectu corporis nostri meritò determinantur. Quin hoc modo fontium Swalbacensium, præsertim resonantium, balneis potissimùm destinatorum, efficacia satis pateat, non dubito, præsertim ubi tot annorum effectus laudabiles diversorum ægrotantium cum hâc Spagyricâ tuâ resolutione & coagulatione conferuntur.

Quum autem singulari DEI providentiâ Balneum hoc salutiferum non procul à Swalbacensium fonte vinoso dulc-acido, tot seculis celebratissimo scaturiat, & hactenus in diversis humani corporis malis commodùm usurpatum fuerit, ita ut hodiè maxima pars eorum, qui sanitatis gratiâ fontem acidulum bibendo cum diæta usurpant, simul quoque balneo prædicto frui cupiant, non immeritò quæritur, quomodo Balneum hoc juxta potum acidularum rectè debeat administrari, & quo bibitionis tempore maximè prosit? recordor ante multos annos non absque successu Balneum hoc unà cum Acidularum potu fuisse conjunctum, præsertim in iis, quibus vel ob paralysin è colicis doloribus obortam, vel ob articulorum imbecillitatem ex diuturnis Arthritidis doloribus contractam, corporis exercitatio denegabatur, quâ ratione quondam me præsente, cùm adhuc professione Medicæ in Acad. Giess. præessem, & sæpius Swalbacenses Nymphas salutarem, Rev. & Clariss. Dn. D. Mentzerus Compater & Affinis meus honorandus, p. m. præmissa tamen convenienti corporis præparatione feliciter potum Acidularum & Balneum susurrantis fontis conjungebat, ita ut in ipso balneo, sat incalescente corpore, portionem acidularum debitam, juxta proportionem consuetam, adsumeret; quo consilio cuidam Magnati, protinus etiam ad exercitationem corporis inhabili, superioribus annis mox ante balneum, acidularum potum, non sine successu, præscripsi. Quandoquidem verò pars maxima eorum, qui potu acidularum utuntur, cachexiâ, minorumque venarum infimi ventris obstructionibus afficiuntur, experientia edoctus, eò hactenus consilia mea, non tantum quo ad eos, qui Swalbacum petierunt, seu etiam quo ad alios, in his regionibus acidularum & balneorum usum expetentes, direxi, quò præparato primùm corpore, per septimanas binas ad minimum aquas

Quomodo balneum fontis susurrantis cum acidulis usurpandum.

acidulas potarent, eorumque virtutem, nisi sponte sequatur effectus, per alvum & urinas, unà simul assumptis purgantibus medicamentis promoverent.

Hoc fine quondam ad Pharmacopolium Swalbacense morsulos purgantes de Mechoaca præscripsi, quibus urgentibus obstructionibus potantes hospites etiamnum ad ℥ß. quantitatem utuntur, haustu consueto acidularum superaddito, qua ratione, magis contumacibus obstructionibus circa Mesenterium & splenis viciniam existentibus, infusa laxativa commodissimè mox ante usum acidularum, præsertim tunc temporis, quando majori dosi sumuntur, exhibere solemus. Hoc modo maximam partem absoluta potatione, balneum quotidianum subjungitur, cujus beneficio (simul tamen ante balnei insessum convenienti acidularum quantitate ebibita) ritè purificatis jam visceribus internis, id quod intendimus, facilius obtinebimus, præcavendo simul internam inflammationem & æstum, quem aliàs balneum solitarium introduceret. Memini similiter in usu thermarum Embsensium ad Lanum magno cum successu, balneantes fonticulum istum subacidum, ad ipsas aquas calidas, è parte Hassiaca, scaturientem, ad satietatem usque bibere, talique ratione non tantùm internas inflammationes præcavere, sed alvi quoque officium promovere, internas obstructiones aperire, peccantesque materias per urinas ciere, de quo videatur dissertatio nostra de Thermis. Quo autem eò felicior sit medicatorum fontium usus, non rarò requiritur, ut omni medicamentorum genere subjecto laboranti, pro ratione naturæ, morbique, succurramus, ubi quæritur num etiam Chymica dicta medicamenta, locum suum habere queant? Encomia Chymiæ non opus est, ut hic recenseam, quia verum est, quod habet alicubi Heurnius: cespitat jam profectò, sine hac arte Medicina, quam ob causam rectè dicit P. And. Matthiolus in Epist. Ausim dicere, neminem Medicum absolutum esse posse, imò nec mediocrem quidem, qui in hac nobilissima destillandi scientia non sit exercitatus; id cum alibi, tum in chronicis morbis est animadvertere, ubi tota massa sanguinea in universo venarum ambitu corrupta est, & referta multorum morborum seminariis; tum hi (inquam) morbi citra metallica devinci vix possunt: Ea enim sola vi ignis ita attenuantur, eamque penetrandi vim acquirunt, ut habitum totius corporis permeent, &c. At verò quid frequentius accidit, quàm ægros, chronicis & contumacibus affectibus præditos, ad thermas & acidulas ablegare? cur igitur à Chymicis, præsertim ex Metallorum Mineralium familiâ desumptis, ritè præparatis hîc abstinendum, præsertim cùm non tantum hîc ea sint adhibenda, quæ majoris activitatis, sed etiam talia, quæ propter homogeneam naturam acidularum potum, thermarumque facultatem promovere poterunt? Non quidem nego, quod indoctis, naturali rerum cognitione destitutis, facilimè quid præter intentionem accidere possit, ubi nec medicatorum fontium ingredientia mineralia, nec chymicorum medicamentorum præparationem & electionem intel-

Purgantia cum potu acidularum sumenda.

Chymiæ Encomium.

intelligunt, qua ratione nitrosis aquis epotis, ab acidulis abstinendum, quod hostes hi duo nitrum videlicet, & Vitriolum, tormina postea generare soleant, quemadmodum ad fontem mirabilem Bollensem sæpius observavi, ubi potus ipsius fontis acidularum vicinarum usum simul non patitur. Sit verbi gratia patiens cachecticus, hydropicus & nephriticus, qui ad usum acidularum eapropter ablegatur, ut hac ratione diuturnas viscerum obstructiones & dyscrasias corrigat: quid obstabit, si eidem usus Mercurii dulcificati cum Cremore Tartari pro purgatione commendetur? quid impediet usum Cremoris Crystalli, Magisterii Tartari Vitriolati, similiumque, majoris apertionis, & digestionis causâ præscriptorum? Sit paralyticus ex colicis æger, quid desiderabit Momus, etiamsi tàm interius, unà cum usu Mineralium aquarum, diaphoretica mineralia Medicus adhibeat, nimirum aurum diaphoreticum, Bezoarticum Minerale, Sulphur Auratum diaphoreticum & alia? quàm si exterius quoque post usum balnei Spiritum Tartari per frictionem membris paralyticis mungat? Sed mittamus pueris etiam, & iis notissima, qui nondum ære lavantur. Quæ porrò desideras de metallorum & mineralium aquarum origine; paucis attingam, cùm vocationis labores vix tantillum otii concedant, ut ea quæ quondam de controversis hisce quæstionibus in Academia docui, recolligam. Triginta jam sunt elapsi anni ab eo tempore, quo facultate docendi mihi concessa Wittebergæ Physicarum Institutionum compendium Auditoribus meis proponebam, ubi metallum in terræ cavitatibus ex halitu humido, vaporis & exhalationis naturâ constante generari dixi, quatenus virtute cœli & caloris subterranei talis materia præparatur, & postea vi frigoris condensatur. Hinc *Scaliger* Metallum vocat aquam terream multo frigore congelatam; quæ propterea non nisi intenso calore in pristinum fluorem restituatur, quod etiam Savanorola lib. 9. Epit. innuere videtur, ubi tamen simpliciter frigori non tribuitur actio, sed potius cum Libavio lib. 1. Metall. cap. 1. part. 2. Alchymiæ statuimus, in ipsâ materiâ metallicâ plasticum principium, cavernis terræ insitum à summo creatore, simul concurrere. Non repeto, quæ tunc temporis apud *Fallopium*, *Agricolam*, *Baccium*, *Erastum*, *Gastonem Claveum*, & alios; inter sese diversas opiniones foventes, me legere memini, præsertim ubi à *Libavio lib. 1. singular. pag. 1. & part. 2. Alchym. lib. 1. de Metall. cap. 1.* inter se conferuntur, declarantur, & partim conciliantur: satis est, quod insufficiens nobis videatur eorum opinio, qui Mercurium & Sulphur commune quasi, Metallorum materiam statuunt, cùm potius iis subscribendum esse statuamus, qui ex terreo quodam succo spiritibus vitriolicis imprægnato, vi prædictæ causæ efficientis in terræ gremio quasi calcinato, soluto, variisque digestionibus ita depurato, ut in solidum metallum, vi ignis fusorii, postea fluat, atq; densetur, generatione deducunt. Nec obstat nobis, quod urgeret, artificio quodam ex omni metallo Mercurium extrahi posse: nostri enim peritiores Chymicos hoc ipsum negare, quemadmodum ex

De Origine Metallorum.

An ex Sulphure & Mercurio fiant?

An ex Metallis Mercurius educatur.

Sala, Poterio, Billichio, & aliis constat, quibus Mercurius emergens artificio è metallis potius ab ipso solvente provenire videtur, non obstante, quod plus interdum Mercurii illius apparere soleat, quam in menstruo fuit, propterea quod Mercurius instar aquæ sese habeat, quæ tincturas aliorum facilè recipit, salinamque substantiam deglutit, indeque ponderosior redditur; ita ut instar aquæ mineralis metallorum solutorum imbibat substantiam, & ingrossetur; in qua operatione Mercurius animatur, hoc est, unitur cum atomis metalli per solutionem adaperti, præviis istis digestionibus, tàm amico, profundoque nexu, ut amplius ab invicem separari nequeant, sed unà Alembicum transvolent, quod Argentum vivum metaphoricè animatum apellari dicit *Claveus in Apolog. Argyr. & Chrysop. p. 91.* propterea, quod sicut in animalium corporibus anima caloris est principium & causa, sine quâ mortua jacerent corpora, sic etiam ipsum metallum in ejusmodi Mercurio, &c. Sed mittamus hoc, & ad illud, quod superest, pergamus, quomodo videlicet thermis & fontibus medicatis qualitates diversæ communicentur? Calorem thermarum pro tempore non attingimus, de quo varias opiniones dissertatione peculiari quondam in Academico conventu publicè diximus, & sententiam *Dondii & Alexandrini* præ cæteris approbavimus; sed ad minerales & metallicas virtutes progredimur, quas duplici ratione potissimùm aquis medicatis communicare posse statuimus, nimirum, vel spirituosâ fossilium substantiâ continuò expirante impraegnantur; vel reali contactu, mineralium, matrices & ἐργαστήρια transeundo, vires à prima metallorum & fossilium materia, nondum in corpus metallicum & solidum compacta, recipiunt: est enim puerile *Libavio lib. 1. de ferm. Tuberan. cap. 3.* sibi persuadere, mineras compactorum foris metallorum adeò solidas esse in specubus, matricibusque naturæ, uti sunt excocta. Dum igitur Archeus ille, seu Vulcanus subterraneus, seu virtus metallifera, cum spirituoso calore ministrante, coöperante corporum cœlestium influxu, materiam proximam metallorum maturare, coquere & perficere conatur, opere continuò durante, prægnantes exhalationes, metallorum originem redolentes, hoc est subtiliores, & magis spirituales mineralium ac metallorum imperfectorum partes, aquas subterraneas tingunt & inficiunt. Porrò quum aquæ diutius vasis æneis & plumbeis contentæ qualitates alienas æris & plumbi imbibant, quo nomine destillationes in plumbeis cucurbitis improbantur; cùm aquæ chalybeatæ, ferreatæ, & similes, extinctione vel diutinâ infusione simplices amplius non sint; quid quæso obstabit, quo minus in terræ cavernis à maturatis metallis realis etiam communicatio fieri possit, sicuti sensus testatur, quod mineralibus succis concretis, nimirum Vitriolo, alumine, sale, sulphure, bitumine, bolo, similibusque præterlabentes aquæ imbuantur? Atque ita uno, vel altero, vel utroque modo conjunctim, aquas minerales fieri posse satis manifestum redditur, tàm ex artificiosâ dictarum aquarum probatione, quâ palmam antecessoribus tuis præripuisse

Quomodo aquis medicatis facultates mineralium communicentur?

præripuisse videris, quàm ex operatione analogicâ, Chymicis instrumentis institutâ, cujus mentio fit sub finem dissertationis nostræ de thermis: nimirum sumatur Retorta terrea, firma satis, quæ collum habeat rectius, una cum tubulo, suo operculo prædito circa ventris medietatem: oblique ponatur in furnum, ut tubulus extra furnum superius emineat: collo inclinato cucurbitam vitream satis capacem, aquâ fontanâ semiplenam, recipientis instar firmiter adjunge, & ignem admove, donec retorta candescat; quo facto, servetur ignis in eodem gradu, & aperto operculo per tubum materiæ cujusdam mineralis particulam, verbi gratiâ, Antimonii, Vitrioli, Sulphuris, Aluminis, Nitri, &c. injicias, clauso mox foramine tubi, (quod simili ferè ratione fieri solet, ubi labore eodem flores Sulphuris & spiritum acidum compendio quodam elicimus) ubi non injucundo spectaculo materia mineralis, vi ignis dissoluta, concitatos spiritus, instar nebularum, in vas recipiens emittet, quarum una crassior, temporis progressu in aquâ subsidet coagulatione, pars autem tenuior & subtilior aquæ insensibiliter admiscetur, cum eâdem cohæret, & asservatur, donec temporis progressu propter spirituosam naturam suam vicissim exhalet, quod in medicatis etiam aquis spirituosis fieri videmus, qualis etiam tenuissima spirituosa mistio est Salsi, subacidi fonticuli, Emsensibus thermis Hassiacis contigui, cujus tinctura post paucas horas protinus exhalat, ut aquam simplicem fontanam esse diceres, &c. Sed quò labor, Vir Clarissime! vela contraham, ubi tantùm obiter hoc monebo, Chymiatriæ beneficio negotium hoc totum absolvi, quæ summa quasi artis nostræ perfectio rectè dicitur, cujus manu ductione thesauros absconditos naturæ deprehendimus; quam, cum indefesso studio permultos annos domi & apud exteros cum Hippocraticâ Medicina conjunxeris, rectè cum Poëta dicere poteris,

——Tentanda via est, quo me quoq; possim
Tollere humo, victorq; Virûm volitare per ora:

eòusque enim solertia & acumine ingenii, quod vel unicum fontis hujus medicati sat exquisitum examen comprobat, pervenisti,

Vt te Parnassi deserta per ardua dulcis
Raptet amor, juvet ire jugis, qua nulla priorum
Castaliam molli divertitur orbita clivo.

Hisce tibi & Reipubl. Medicæ diutissimè, felicissi. Vale, meque, quod facis, amare perge. Dabam Ulmæ Suevorum 12. Jan 1631.

OBSERVATIO VI.

De Chymicis quibusdam & aliis miscellaneis.

Vir Clariss. Excellent.

Dn. JOACHIMUS TANCKIUS, Med. D. & Profess. Acad. Lipsiensis,

GREGOR. HORSTIO, D.

Salutem, &c. Clarissimus Vir, N. N. me, Lipsiam transiens, invisit; lubenter cum ipso de multis contulissem, sed subinde nostrum colloquium interrumpebatur. Oppugnat ille medicamenta ex Metallis parata, quod naturæ nostræ adversa, ideo, quia non iis alamur: sed nec cornu cervi nos alit, neque uniones, aliaque. Quæ nos alunt, impura sunt omnia, & quæ facilem mutationem suscipiunt. Sed continuè agunt in Balsamum naturæ, eum corrumpendo: inde senium. Labefactatis spiritibus nostri corporis, facilè illi reficiuntur vegetabilibus: Sed fixio illa est infixa. Mineralia & Metallia figunt spiritus, purificant & exaltant. Quid de auro potabili? Ergo id nullum: imò maximum. Dico, si ad perfectionem pervenire debent omnia, degenerare tandem in naturam metallicam. Sed de his aliàs: vel ex proximis meis thesibus pleniorem hauries succum. Vale & salve, Vir clarissime, & me, te redamantum, amare perge. Lipsiæ 3. Jan. 1609.

Medicamenta ex Mineralibus præferuntur vegetabilibus.

Clariss. & Celeberr.

D. HENNINGUS ARNISÆUS, Med. D. & Profess. in Acad. Julia,

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Quanquam, quod ad te scriberem, nihil ferè occurreret, Clariss. & Excellentiss. Dn. Doctor, fautor & amice colende, nolui tamen pati, hunc hominem ad vos ire, sine literis meis, quibus saltem amicitiæ nostræ mutuo alloquio, quandoquidem intercapedo locorum non sinit nos arctius familiaritatem colere, satisfacerem. Mitto verò unà exemplar disputationis Medicæ & programma Promotionis, quam non ita pridem institui trium candidatorum. Et fortè antequam revolvatur annus, superaddam adhuc aliam. Studium enim Medicum, Dei gratia, viget apud nos, ut vix ante hac. Et nequid desit, aperui studiosis Medicinæ, meo sumptu, Collegium & exercitium Chymicum, ad quod operas suas mihi condixit Augustus Etzlerus, homo industrius & in artis operibus diu versatus. Ita uno loco conclusa habeo, in domicilio inferiori Laboratorium chymicum, & in superiori Tabulas Anatomicas, ex vivo depictas. Hortus verò Botanicus ambit ædes utrinque. Quanquam verò hæc non sine magno sumptu mihi constent: malui tamen sumptus perdere, quàm ut facultas nostra quicquam perdat suæ famæ, & inveteratæ existimationis. Audio & apud vos Chymiam publicè & doceri & exerceri: quæso quo modo: non puro more illorum, qui sunt mancipia Paracelsi, ita ut omnia, ab aliis verè & solidè tradita, de alto despiciant, ipsi interim intelligendo facientes ut seipsos non intelligant, nedum, ut ipsos alii. Optassem ut cum Illustriss. tuo Principe huc aliquando venires in viciniam. Sed ut eo minus id futurum sperem, novella conjux facit, quâ tam diu fortè abesse non poteris. Deus det tibi felix porrò conjugium, & prolem adjiciat primæ similem, ut tibi sæpius gratulandi occasionem amici habeant. Vale & veterem tuum Arnisæum ama. Scriptum Helmstad. ad d. IX. Aug. 1617.

Studium Medicum florens in Acad. Julia.

Clariss. & Excellent. Viro,

Dn. HENNINGO ARNISÆO, Phil. & Medico celeberr. ac Profess. in Acad. Julia.

GREGOR. HORSTIVS, D.

S. Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Clariss. & Excellentiss. fautor & amice fratris loco colende, non tantùm quod amicitiam nostram refricarent, sed etiam quod studii Medici penes vos incrementum indicarent. Nostri quod olim, ubi commilitones eramus in Juliâ vestrâ Academiâ, Præceptores nostri, Clariss. Dn. D. *Iacobus Horstius,* Patruus meus honorandus, Clariss. *Parcovius, Arnoldus, Sigfridus, & Liddelius* nihil in sese desiderari paterentur, quo studiosæ juventuti poterant inservire, quod eorundum monumenta relicta satis confirmant. Unica Chymia desiderabatur, cujus manuductionem tunc temporis optimus Vir *Duncanus Bornetus* compendiosè nobis monstrabat. Cæterùm conatus tuos laudo, qui nullis sumptibus parcis, quò sarta tecta Facultatis Medicæ existimatio vobis maneat. Exercitium Chymicum Philiatris aperuisti non tantùm, sed etiam ejusmodi collaborantem conduxisti, qui jam dudum suâ diligentiâ multis innotuit. Nos etiam Chymica tractare non ignoras: sed scire gestis quo modo? eo scilicet, qui fini nostro subservire potest, quatenus delectus materiæ medicæ corpori nostro convenientis possibilis est. Sumptus ex parte, nimirum quo ad carbones, Illustrissimus subministrat: quo ad cætera conjunctis viribus philiatri sibi ipsis prospiciunt. Hinc in Vitriolo, Sulphure, Antimonio, Mercurio, Sale, Marte, Saturno, Venere, Jove, similibusque laboravimus hactenus, ne quid addam ex vegetabilium & animalium classe. Quo ad Auri vel Argenti solutionem nihil tentavimus, utpote cum studiosis, uti nosti, facilimè sine labore Chymico talia metalla potabilia reddantur, præsertim hoc tempore, cum adhuc Rhenanum vinum nobilius annorum præcedentium tolerabili pretio haberi potest. Addis præter Laboratorium Chymicum te etiam Theatrum Anatomicum, singulares Anatomicas tabulas vel observationes ad vivum depictas continens, extruxisse: procul dubio non pauca singularia istic habebuntur! tuum erit, eadem aliquando publici juris facere, quò non vobis tantùm, sed aliis etiam inserviant. Ego per annos aliquot huic quoque Professioni præfui, diversasque sectiones Corporum humanorum hic habui, quarum ultima jam fuit absoluta, quam rogatus extraordinariè (cum jam Practicæ professioni vacare cogar) in gratiam Dn. Collegarum prioribus addidi, juxta methodum, quam in publicata tabula vides, omnes demonstrationes ad *lib. 1. de Natura humana* à meeditum accommodando. Hortum tuum Botanicum utinam in flore videre liceret! nosti studium istud olim utrique nostrûm arrisisse. Hortum nostrum Academicum D. Jungermannus excolit, quem Floræ filium esse certò tibi persuadeas, quum etiam plantas somniet. Hisce benè Vale, Vir Clariss. amicorum intime, meque, quod facis, amare perge. Dabam celeri calamo Gissæ Cattorum prid. Calend. Octobr. 1617.

Quomodo Chymica tractentur Gissæ.

Vir Clariss. & Excellent.

Dn. GEORG. BELZAR, Ulmensis, Phil. & Med. D. & Serenissimi Electoris Saxoniæ Archiater,

GREGORIO HORSTIO, Torgensi, D.

S. Tam gratæ & acceptæ mihi fuerunt literæ tuæ, Clariss. & Experientissime Dn. Doctor, fautor & amice plurimùm honorande, ut eas ad pectus meum compresserim, quæ me maximopere exhilararunt, postquam ex iis cognovi, T. Exc. cum totâ familiâ in patria mea non solum benè valere, sed etiam commodè, & felicissimè vivere: Ego hîc in tuâ patriâ, cum meis omnibus, tùm sanitatis, tùm commoditatis causâ, DEO opt. max. gratias debitas satis agere non possum. Ita quævis terra alit suas artes. Cæterùm, quod scire gestis, nostra Officina Aulica remediorum chymicorum varietate satis instructa est, quorum catalogum propediem meus Dominus videbit: & quale specimen nuper in præsentia Sereniss. Electoris Brandeburgici egerimus, ex addito Carmine T. Exc. cognoscit. Rariores quasdam observationes, quibus opus Ex. T. augeri possit, proximè mittam. Interim Curationem compendiosam Morbi Gallici per Mercurium mihi communicari peto, &c. Hisce benè Vale diutiss. felicissimè. Raptim Dresdæ, 25. Februar. ANNO M. DC. XXIV.

Officina Aulica Dresdensis Chymicis instructissima.

IGNES CHYMICI HONORI HONORI

Sereniss. ac Potentiss. Principis ac Domini,

Dn. GEORG. GUILIELMI, S. R. I. Archi Camerarii atque Electoris Brandenburgici, &c.

Ab Ampliss. Collegio Elect. Sax. Medico Dresdæ in officinâ Aulicâ Prid. Id Febr.

ANNO CIↃ IↃC XXIV.

Humilimè accensi,

Metro hoc comprehensi, & Subjectissimæ observat. ergò oblati

à

BALTHASARE Hanen/ D. Aulæ Elector. Saxon. & Reipub. Dresdensis Medico.

QUOD *felix, faustumq́* DEUS *velit esse, Potentis*
SAXONIS *ad terras properat bene-splendidus* HOSPES
SEPTEMVIR ARCHI *&*-CAMERARIUS *ille sacrati*
Imperii Romani præcelsissimus, ille
Angelicus GEORGII GUILIELMI *vultus, & ille*
BRANDEBURGIACÆ *Dominus celsissimus oræ.*
HOSPITIS *adventuî comitatu* SAXO *potenti*
Obvius it, SAXO *suum & excipit* HOSPITEM *amicè,*
Per DRESDAM *ad* DEXTRAM *secumq́ reducit in Aulam.*

Buccina

Buccina (dum hæc fiunt) sonitus & tympana miscent,
Quadrupes atque quatit niveam sonitu ungula terram.
Ædes aula parat splendentes, mensa paratur
Regia, Nectar & Ambrosiam dant fercula, potum
Mensæ, clangorem Cytharaque fidesq́ canorum
Dant, cantum suavem cava buccina, tympana præbent,
Nuptiæ adornantur, choreæ ducuntur, amœna
Ludicra tractantur, vultum Divaque Deiq́
Hiccè vel ille refert, venatio cauta ferarum
Instruitur, trabeam ducit nitidam arte caballus
Cymbalifer. Versus sed plurima supprimit arctus,
HOSPITIS *incelsum qua* SAXO *sancit honorem,*
Hic tamen auditu DIVINUM *ante omnia* VERBUM.
Conventus Medicus cernens hæc, pensitat altè,
HOSPITI *huic tanto, Chymiæ qui gnarus & artium*
Linguarumq́ queat qui promptè subitum honorem
Deferre ingenii promptis pro viribus, hincce
QUINQUAGINTA IGNES *ex divinâ* CHYMIÆ *arte*
Accendit, furnos varios commonstrat, Apertos,
Tectos, Siccantes, Humentes, Philosophorum,
Descendentes, Ascendentes, Balnea Roris,
Mariæ, & plures, varia instrumenta, bacillum,
Forficulas, cyclos (è ferro) cochlear, uncum.
Plurima vasa, metallica, terrea, vitrea, conchæ,
Pyramides, Phialæ, Tegla, Pelicanus, Ahenum,
Ovum Philosophum, tumidoq́ Cucurbita ventre
Monstrantur. Furnus Tincturas conficit unus,
Essentias alius, Serpentes Pneumata spirant.
Calcinat hic Talcum, Cervina reverberat ille
Cornua, hic Humanum Sal conficit, ille Corallos,
Perlas, Cancri Oculos dissolvit, digerit hicce
Essentiam Menthæ, Flores attollit in altum
Benzoinos, Aquilæ. Salis hic penetrantia pellit
Pneumata, Vitrioli hic, Nitri ille rubentia. Vitrum
Saturninum alius fundit, dat Succina pura
Atque alius, Venerem hic tingit, Martem ille colorat
In croceam formam, reliquas pertranseo opellas.
BELZARUS, *quem* SAXO *adamat, quem* SAXONIS *aula*
Miratur, Pugiles certantes reddit amicos
Binos, Mercurium & per se cogit pluere imbrem.
Plura parata ferunt Medici hi, nempe: Hepata,
Mannas,
Bezoar, Essentias, Tincturas, Balsama, calces,
Clyssos, Vitra, Crocos, Gillam, Elixiria, Lunas,
Laudana, Magnetes, Flores, Xenechda, Butyra,
Feculam, Aceta, Soluta, Magisteria, Alcohol, Aurum,
Turpethum, Lapides, Arcana, Volatile, Fixum,
Sublimata, Sales, Mel, Anodyna, Sacchara, Sulphur,
Crystallos, Oleum, Lac, Præcipitata, Cremores,
Struthionis Stomachum, Cretam Entia prima, Rubinos,
Vni-Rosas-Cornu, Panaceas, Pneumata, Spumam
Ignivomam, Astra, Animas, Reges, Calicesq́ vomentes.
Hos IGNES *structos, dextrâ hac* CHYMICAq́ *parata,*
Pharmaca Conventus Medicus monstrare SERENO
HOSPITI, *& ipsius Medico cautissimo. Honorem*
Majorem, ELECTOR, *tibi ferrent. Ferre recusant*
Vires. Si poterunt animis penetrare per alta,
Hoccè opus atq́ tuum facient. Nunc mente SERENA
Lustra accensum IGNEM, *Sacrati commoda sospes*
Romani Imperii genii IGNI *perfice, sospes*
Consule langventi dudum. TE COELICUS IGNIS
Ad Dresdam duxit sospes, TE COELICUS IGNIS
Abducat Dresdâ sospes, TE COELICUS IGNIS
Subjectocùm usui per secula millia servet.

DRESDÆ, primùm impressum.

Viro Clariss. & Excellentiss.
Dn. GEORGIO BELZAR, Phil. & Med. D. atque Serenifs. Electoris Saxoniæ Archiatro,
Dn. & Amico suo,
GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Duplici nomine gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Clarifs. & Excell. fautor & amice plurimùm colende, tàm quod de successu rerum tuarum felicissimo me certiorem redderent, quàm quod constantis amoris mutui testes essent. Inprimis verò gratum fuit Carmen Iatrochymicum Cl. Viri, *Dn. D. Balth.* **Hanen** / Poliatri vestri, quod unà cum aliis, Epistolarum & consultationum Medicarum libro I. addam, quò videant Osores Chymiæ, præter spem ipsorum, quotidiè magis utilissimam hanc artem Magnatibus commendari. Catalogum Chymicorum Medicamentorum apud vos usualium anxiè desidero, qui totis viribus etiam eò allaboro, quò Reip. hujus Pharmaceuticæ Officinæ, aliàs satis instructæ, Chymico auctario simul inclarescant, cujus gratiâ Laboratorium optimè instructum Collega meus, *Dn. D. Sebast. Stromajerus*, in his exercitatus, continuat, de quo carmen hoc additum utrumque, affectione reciprocâ, transmitto. Casus singulares in diuturna tua praxei consignatos, quàm primum ad me mittas, ut ita cum aliis in gratiam Reip. literariæ typis subjiciantur. Curationes in nosocomio Gallico per usum ☿ dulcificati, Sulphuris aurati diaphoretici & panaceæ aureæ, cum successu procedunt, quarum diversas observationes, una cum utendi modo, *brevi* transmittam. Interim hisce vale cum omnibus tuis, & amicos atque fautores meos omnes officiosè saluta. Raptim Ulmæ 19. Aprilis, 1624.

POSTSCRIPTUM.

IN Mercurio præparando T. Ex. laborare satis ex addito Carmine colligo: nec dubito, quin eapropter etiam in desperatis casibus, quibus ☿ appropriatum est remedium, plurima præstare queas. Non miror quod Fernelius, Bened. Victor. Favent. Minadous, Her. Saxonia, Palmarius, Langius *& plures viri docti Mercurii usum, præsertim in lue ♀ rejiciant, cum ea tantum perpendant, quæ ex crudi ☿ minus dextrè præparati noxâ sequi solent. At magis admiratione, vel potius indignatione digni sunt illi, qui per experientiam edocti medicamentum hoc admodum extollunt & commendant,*

 quem-

quemadmodum apud Fracaſtiorum, Nic. Maſſam, Foreſtum, Petronium & alios *videre licet, ſicco pede, quod dicitur, convenientem electionem & præparationem nihilominus prætereuntes, à quorum Claſſe* Quercetanus, *de re medica benè meritus, receſſit, quem nos etiam hâc in parte ſequimur, ſicut Conſil. de lue ♀ apparet, de quo pluribus σὺν θεῷ ſuo loco. Iterum benè Vale.*

EGREGIA

VULCANI REGIS HERMETICI REGIO ET REGIA:

AD QUAM FOELICI NAVIGIO, Neptuno & Æolo faventibus, delatus hoſpes ſoſpes, eidem in Helicone, Phœbi Charitumque ſuaſu, præſens monumentum poſuit:

Planiorem & pleniorem declinationem brevi, Jovâ juvante, daturus.

EXCELLENTISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO,

DN. GREGORIO HORSTIO, Philoſopho & Medico noſtri ævi celeberrimo, & florentiſſimæ Reip. Ulmenſium Archiatro ſolertiſſimo, Amico & Fautori ſuo dilectiſſimo.

HANC BREVEM LABORATORII ET laborum Chymicorum, Vlmæ in tranſcurſu ſuaſu ejus ſuſceptorum, & ſpatio bimeſtri, unà cum Excellentiſſ. & Doctiſſ. Dn. D. Sebaſtiano Stromajero, Chymiatro Vlmenſi, fœliciter abſolutorum

HYPOTYPOSIN

mittit, vel præmittit,

Specialiorem deſcriptionem propediem miſſurus:

M. Daniel Stolcius de Stolcenberg, Bohemus, Medic. Cand. P. Laureâ Cor.

MVſa mihi memora, quônam tàm Sidere fauſto
Contigerit nuper Vulcania cernere Regna:
Tùm quid in his actum, vel quæ memoranda notaſti.
Horrida ceſſerunt tremebundæ frigora brumæ,
Venerat & nitidi gratiſſima gloria Veris,
Iamque liqueſcebat nix frigida in Alpibus altis,
Et Iuno placido luſtraverat æquora vultu,
Attuleratque vagis quàm plurima gaudia nautis.
Hinc ſua pandebant trepidantes vela per auras,
Alter ad has oras, alter properabat ad illas.
Hæſerat interea grato mea cymbula portu,
Quâ locus antiquo Baſiliſci fonte notatur.
Ergò videns undas fluctu ceſſante ſecundas,
Propoſitoque meo Ventos ſpirare faventes,
Ne citò prætereat conceſſi temporis hora,
Auſoniam reputans animo, mea vela reſolvo,
Ac aliquot luces placido feror æquore latus:
Donec Danubius tenebris ſub nocte ſubortis
Nubibus innumeris nitidum velaret Olympum:
Vnde nec optati curſus Cynoſura patebat,
Nec caligantem poteram cognoſcere Phœben.
Sic igitur trepidus variis dum fluctibus erro,
Non procul intueor ſplendentia lumina multa.
Hinc novitate rei commotus, protinus illùc
Velis & remis propero, terramque ſaluto.
Archeus adveniens, lætanti me excipit ore,
Porrectâque manu verbis ſolatur amicis:
Ex quo, quis locus hic? vel quæ ſit terra? requiro.
Inſula Vulcani eſt, quam nunc pede tangis, amice,
Inquit. At hæc, quæſo, quid plurima lumina ſignant!
Noctes atque dies nautarum copia magna
Advolat ad noſtram diverſa per æquora terram,
His iter ut patet, tenebroſa per atria noctis,
Talia ſigna damus, loca lumine noſtra notamus.
Vnde tamen veniant? quid agant? dũ ſingula quæro:
E triplici regno magna tum, ait ille, Parentis
Adveniunt, litemque gerunt, cupiuntque reſolvi,
Namque illos corpus nimiâ dum mole fatigat,
Officiisque ſuis obeundis reddit ineptos,
Ad Solium fugiunt Vulcani, jusque requirunt.
Impatiens oneris magnis hic Spiritus auſis
Accuſat corpus, Vulcano Sceptra gerente.
Clauditur hocce reum juſſu ejus carcere duro,
Afficitur pœnis variis: ſi fortè reſiſtat,
Tunditur & premitur, liquidis quoque mergitur undis,
Scinditur aſt aliud, reliquum comburitur igne.
Torturis aliud levibus ſubmittitur ultrò,
Punitur quodvis, ſua ceu delicta requirunt.
Spiritus exultat tantâ jam mole ſolutus,
Promptior officiis, Vulcania Regna relinquit.
Hæc mihi quando refert, roſeis Aurora quadrigis
Advolat, & terram colluſtrat lumine Titan.
Tum video ad lævam poſitas ſeptem ordine turres,
Quâ facies ſpectat, duo propugnacula celſa,
Et ſpeculam ferro munitam; dextera tandem
Æolium hoſpitium referebat, denique tota
Inſula diverſis opibus repleta nitebat.
In medio ſolium Vulcani, ſplendida viſu
Arx, ſimul ignotis intus fabrefacta latebris,
Quæ ſervant magni miracula maxima Mundi.
Interea tremulis reſonat clangoribus æther,
Lætitiâque fremit Vulcani tota propago:
Scilicet innumeras conſpexit in æquore naves
Cura ſagax vigilium verſis huc tendere proris,
Et vehere optatos dilectæ Matris alumnos.
Ad portum properant gaudentes pectore toto
Hoſpitibus tantis, quos blando ſuaviter ore
Protinus excipiunt, & in atria grata reducunt.
Tres fuerant claſſes, quævis decorata peramplis
Divitiis; quas vix poſſem compendere verbis.
Prima tulit varias radices, munera magna:
Inprimis Rha, quod producit Barbara terra,
Zinziber, atq; acorum, pyretrum, Zedoriam, Aronem

Helleborum

Helleborum nigrum, tum cinnama, denique lignum.
Guajacum, Quernum, Sarsafras, Iuniperumque
Adfuit hic opium, terebinthina, camphora, mastix,
Galbana, myrrha, aloë, Benzoin, Senna, melissa,
Atque Hyperice tui flores, crocus, & rosa rubra,
Fœniculum fragrans, & anisi semen odorum,
Hinc Ebuli baccæ, simul ingens copia Bacchi.
Altera sed cervos vivaces classis habebat,
Inde boves, & oves, Elephantes, castora, gallos:
Hic fuerat Pavo, longeque Ciconia rostro,
Retrogradi cancri, ranæ simul, herbigradæque
Et munia suis concentrans aëra membris,
Tertia classis erat pulcherrima: namque nitebat
Vitriolo, stybio, nitro, sale, sulphure, talco,
Auripigmento, minio quoque, cinnabarique.
Innumeros lapides tulit illa: Corallia, perlas,
Succina, granatos, amethistos, atque rubinos.
Conspicuæ septem fuerant hic ordine naves:
Prima gravis plumbo, stanno altera, tertia ferro,
Quarta sed argento vivo, quinta æris acervo,
At sexta argento, postrema tumebat ab auro.
His bene perspectis, loca visito tradita pœnis,
Intueor graviter tractari membra reorum.
Hospitiis nitidis actores cerno receptos.
Omnia dum lustro, pleno bis Cynthia vultu
Me monet, ut dextris committam carbasa ventis,
Atque iter inceptum peragam, ridentibus auris.

EPISTOLA

M. DANIELIS STOLCII de Stolzenberg-Bohemi, Med. Cand. & Poëtæ Laur. Coron.

Ad

GREGORIUM HORSTIUM D.

De labore bimestri Chymico, unà cum

D. SEBASTIANO STROMAJERO, Physico Ulmens. Ordinario, exantlato.

NUper ut hanc celebrem tetigi feliciter Vrbem,
Tale meo supplex fundebam pectore votum:
Vt mihi contingat salvum te cernere, versu
Vir celebrande meo, Medici decus Orbis & Vrbis,
HORSTI, qui studiis, Virtute excellis, & usu
Tantum alios, quantum splendentia sidera Phœbus.
Te chorus omnis amat Musarum, laudat Apollo.
Applaudunt Charites, metuunt vaga numina Parcæ,
Plebs stupet, & tantos te corpore pellere morbos
Miratur, quisquis peregrinus audit in oris:
Ecce DEUS *placida votum dum percipit aure,*
Intueor grato quæsitum lumine vultum,
Invenio salvum, mihi pectore & ore faventem,
Ergo meæ mecum jam jam gaudete Camœnæ,
Mollia fila lyræ pulsa jam Phœbe *canora,*
Ducite Pegasides *gratas ad plectra choreas,*
Funde Thalia *melos, grates quoque, solve Tonanti*
Quisquis adest, HORSTI *cui Sors est prospera curæ,*
Mecum lætetur, mecum bona cuncta precetur:
HORSTIUS *ut Pylios videat feliciter annos,*
Et salvus semper sortem experiatur amicam
Nunc igitur referam, quicquid, tua jussa secutus,
Præstiterim, vel quid mea Musa *notaverit Vlmæ,*
Quæ benefacta meo sinceri pectoris antro
Condiderim, spatio quo bis vaga Luna recurrit.
Nox erat, ut primum fueram conviva vocatus
A te, ceu notum est, HORSTI *Doctissime, nuper.*
Cœna parata fuit, tum mensæ accumbimus unà:
Accumbit pariter tua dilectissima conjunx,
Denique progenies, mores imbuta Paternos.
Fercula lauta quidem, sed multo lautius illis
Colloquium fuerat, mihi nunc si dicere fas sit.
Nectar & Ambrosiam latices, epulasque Deorum
Mensa dabat, fateor, tanto condita lepore.
Sic quando noctem vario sermone levamus,
Perq; vices aliquid, quod tempora longa videri
Non sinat, in medium vacuas memoramus ad aures,
STROMAJERUS *adest, suavi comitatus Iaccho.*
Vir Medicâ & Chymicâ valdè præclarus in arte.
Hunc ego dum video, Cordis quo nescio motu
Afficior, dudum mihi ceu notissimus esset:
Inscius, una dies, & fermè eadem hora diei,
Quod nos optatæ luci produxerit ambos,
Ille decem quamvis me jam superaverit annis.
Hinc & idem studium, Sors & Natura duobus,
Hinc etiam occulto manans è pectore nexus,
Nexus amicitiæ, quem non longinqua viarum
Compita, nec numerus diturni temporis ullus,
Nec mors ipsa suâ poterit disrumpere falce.
Hunc igitur blando quam primum excepimus ore,
Rursus ad instructam mensam, velut ante, sedemus,
Hospite tam grato gaudentes pectore toto.
Inde cibos iterum, dulci comitante Lyæo,
Sumimus, & captos sermones continuamus.
Ast avidi Sortem, quæ me perduxerit Vlmam,
Noscere dum cupitis, vobis tunc ordine cuncta
Commemoro, quantis terrâque marique periclis
Expositus fuerim, fermè per quatuor annos.
Dum Patriæ miseræ, miser ipse recolligo casus.
Namque videns ejus certas instare ruinas,
Maturè petii Misnenses atque Thuringos,
Hisque pererratis volui cognoscere Cattos,
Integer Annus abit, studio dum ritè medendi.
Marpurgi invigilo: Sed dum Franconia menti,
Visito te inprimis, HORSTI DOCTISSIME, *Giessæ,*
Quando iter Vlmensem lætus meditaris ad Vrbem,
Experiorque tuum sincero corde favorem,
Quem nunc inveni multis rationibus auctum.
Franconicis tandem varias in montibus herbas
Dum lego, tum Chymicorum aliquod cognosco labores,
Contigit interea spacianti cernere celsa
Nobilitate virum, Musis Virtuteque clarum
CUNRADUM de THANN, *tibi qui notissimus* HORSTI.

D. Greg. Horstius Profess. Giessæ visitatur ab Autore.

Strenuum Dn. Conradus de Thann Eq. Franconia.

Scilicet

Idem D. Horstium cum familia honorificè excipit.

Scilicet qui Giessâ te abeuntem, Vlmamque petentem,
In propriam latus tunc introduxerat arcem,
Alloquioque suo, dapibusque levârat honestis,
Mulciberique sui nitidam monstraverat aulam,
Plurima Naturæ miracula, digna notatu:

Monstrat instrumentum, quo Aër destillatur.

Præ reliquis vitrum, pendens quod in aëre puro
Aëreas auras liquidas mutabat in undas,
Perpetuos latices facili pariente labore.
Dum discedebas, metuendo bellica castra,
Te grato comitatu instruxerat, atque caballis.
Inde redux tota Franckfurti æstate quievi.
Donec in autumno properarim latus ad Vrbem.
Principis Hassiaci Cassellas nomine dictam.

D. Johan. Hartmannus, Archiater Hassiacus.

Hic ubi me HARTMANNUS *dura per tempora brumæ*
Detinuit promptus, benefactaque præstitit ampla,
Pro quibus innumeras ipsi nunc debeo grates.
Inde tamen celeres Bremam *descendo per undas,*
Post aliquotque dies Frislandica *littora tango.*

Robert. Fludt, à Fluctibus Eq. & Autor operis Macrocosmici & Microcosmici.

Hinc & ad Hollandos Zelandos, *mox & ad* Anglos,
Per mare per venio, divino numine salvus.
Hic celebresq; Viros, & pulchra palatia cerno
Aônidum, Oxonii, Londini, *denique in Vrbe*
Cantabrigensi, *multos mihi colligo amicos.*

Cornel. Drebbelius Philosophus, Belga.

Inprimis verò te Excellentissime F L U D I:
Te quoq; D R E B E L L I *sic ceu decet ore saluto,*
Et vestrum experior quamvis ignotus amorem.
Oxonii *libros dum totâ æstate revolvo,*
Advenit Autumnus, qui mollem vellicat aurem,
Deserere à toto divisos Orbe Britannos,
Trajectoq; mori mox Gallica *cernere rura:*
Verùm pestifero dum flagrat Gallia *morbo,*
Cogor ad Hollandos *rursus convertere cursum.*
Hinc Franckfurtensem duce Rheno *latius in Vrbem,*
Atque Argentinam *curro properanter; at inde*
O Basilea *tuos fausto pede tango penates,*
Quo possem melius transcensis Alpibus altis
Italiam *optatis tandem contingere votis,*
Quam primum rigidæ transirent frigora brumæ.
Transit hyems; primo Basiléâ *vere recedo,*
Visito S C H A F F H U S A M, *tuaq; ô* Constantia *prata,*
In quibus eximium prædixerat Anser Olorem,
Anser, ad ignivomas crudeli funere flammas,
Dum condemnatus quondam sua facta canebat.
Ecce locus tali casu stupefactus acerbo
Nec segetes ullas nec gramina protulit ulla,
Nec proferre potest fructus populo hactenus ullos
Sordibus innumeris quamvis, cœnoque tegatur:

Iter Tubingam versus impeditur.

Inde Tubingensem *volui deflectere ad Vrbem,*
Vt celebresque viros videam, Musasque salutem:
Sed mea membra gravi votum fregere dolore:
Pes mihi læsus erat: pectus quo nescio pulsu
Conturbabatur, cerebrum fauces que gravabant:
Hinc breviore via, leni pede, solus ad Ulmam

Joh. Faulhaber Mathemat. Ulmensis Ord.

Cogor abire, meus socius R E T Z E R U S *at illuc:*
Dicta sed antè dies fuerat, quâ rursus utrumque
F A U L H A B E R E *tuis conjungat in ædibus Vlma;*
Nam Basiléa *dedit notum te nuper utrique,*
Dicta dies aderat, venit Retzerus in Vrbem,
Æger ego interea neglexi tempus id ipsum:
Ille abit Augustam, dum me non viderat Vlma:
Ast ego nunc ad vos venio doctissima corda,
Viribus ex toto nondum licet usque reversis.
Omnia dum memoro, vobis simul ordine narro,
Quid mihi contigerit peregrinis cernere in oris,
Quales artifices, & quæ miracula rerum:
Tum Medicum & Chymicum quantum juvet illud ad usum
Innumeros tractus & plurima Regna videre.
Interea varios sermones spargimus unà:
Nunc S T R O M A J E R U S *sua quæ memoraret habebat:*
Nunc tu, dum inquiris quam plurima: me quoque tandem
Alloqueris blandis, H O R S T I *Doctissime, verbis:*
Gaudemus, Stolci, *quod multas videris Vrbes,*
Atque viros doctos, & plurima digna notatu,
Quodve ad nos tandem salvus perveneris Ulmam
Innumerabilium per tædia longa viarum:
Gloria sit summo summa cum laude Tonanti
Ille tuis studiis benedicat, te quoque ducat
Quò cupis, ut gratam possis contingere metam

Offertur Autori occasio permanendi.

Si tamen à nobis vel opem, vel forte requiris
Consilium, Patriam dum sors miseranda fatigat:
Consulo, nobiscum, si non tibi displicet Vlma,
Et maculare manus teneras carbonibus atris,
Vnum per mensem, vel binos hicce maneto,
Et nos in chymico nostro relevato labore,
Quo Medicos celebris Medicina paratur ad usus.
S T R O M A J E R U S *adest, locus huicce laboribus aptus,*
Hic te suscipiet, veluti meus alter Achates.
Hospitia hic ægris morbo quocunque gravatis,
Discere multa potes, nostram quoque cernere curam.
Arripe consilium tibi quod benè proderit olim,
Si sapis, ex imis cordis tibi consulo fibris.
Quid facerem, dum me tàm gratâ voce monebas?
Ecce manus victas dederam, tua dicta secutus,
Officium monitis semper præstare paratus.

D. Stromajerus Autorem ducit ad Vulcanum suum.

Altera lux oritur, roscis invecta quadrigis,
Duxerat en proprias me S T R O M A J E R U S *in ædes,*
Vulcanique sui varias monstraverat arces.
Non equidem numeris, nec magnâ mole superbas,
Sed tales ac tot, quot quâ vis scilicet hora
Exciperent blandè tepidis umbonibus omne,
Quicquid ab innumeris Natura venerit oris:
Vel quot sufficerent operi cuicunque parando,

Descriptio laboratorii.

Inprimis verò, si quis pede limen adiret,
Ad lævam pulchro septem stant ordine furni,
Hic ubi carbonum laudes carbone notavi:
Inter quos unus pro vitris quinque paratus,
Quem S T R O M A J E R U S *mirandâ invenerat arte,*
Ingenioque suo: qui si digestio cordi,
Vdum suppeditat votis cujusque calorem:
Vt sit opus nunquam putridum importare fimetum:

Balnea suscipiunt reliqui, cineres, vel arenam,
Ast alii nudum quicquid ponatur ad Ignem
Quà facies spectat, duo propugnacula celsa,
Iam benè, pro lubitu, cuivis adsueta labori.
Sed specula, optantis tantummodò prælia Martis,
Mobilis, hâc illâc varios transfertur ad usus,
Æolium tandem dexter tenet angulus antrum:
Adversam sortem, tempestatumque procellas,
Hic ubi fas cuivis ventis reparare secundis.
Insuper hoc totum retinet varia arma theatrum
Herois nostri, ferro, tum marmore, & ære,
Tum limo & ligno variis monumenta figuris.
Omnia quæ certos tandem adhibentur ad usus,
Nec pariunt propriâ spectacula inania pompâ
Non procul hinc lymphæ saliunt ex fonte profundo:
Cellaque bina capax, carbonibus una tenendis,
Altera pro salibus solvendis, (uda sat undâ)
Atque reservandis rebus quibus indiget usus:
Vt nihil hic desit, quod quisquam fortè requirat.
Singula quando vagus benè perlustrabat ocellus,
Tota dies abiit, nec quicquam incepimus illa,
Præter consilium Medicinæ ritè parandæ.

Exordium laborum Chymicorum.

Tertia sed nitido post quam properabat ab ortu,
Aggredimur nostros, animo constante, labores,
Numinis auxilium per humillima vota vocantes,
Interea rerum, Mater Natura, suarum
E triplici regno nobis quamplurima misit:
Hæc nos excipimus, contenti munere tali,
Atque parandæ aptis Vulcani tradimus aris.
Plura parassemus, si nobis plura dedisset,
Longior aut fluidi si temporis hora fuisset.
Cuncta quidem facili nunc carmine claudere vellem,
Sic ceu præmissus promisit Prodromus antè:
Quæ vegetabilibus, tum animantibus atque metallis
Vsibus humanis fuerint medicamina facta,
Sed quia longa nimis teneras offenderet aures,
Perderet & proprium fortassis Epistola nomen,
Illâ priora duo Naturæ regna tacebo,
Et tantum quædam mineralia pauca notabo.

Medicamenta ex vegetabilibus præparata.

Nam nil præcipuum, vulgaria cuncta fuerunt
Quæ dederant plantæ, variisq; animalia membris,
Scilicet extractum, tum magnam Spirituum vim,
Atq; magisterium, Sal, Sulphur, Mercuriumq;
Omnia quæ Chymico sunt jam benè nota labore,
Quæve etiam melius vitris inclusa videbis,
Quam si verborum longis ambagibus ultro
Carcere difficili veluti captiva teneres.
Enumerare sat est, quod nupera chartula fecit.

Spiritus vitrioli ruber, viridis, dulcis.

Vitrioli *primò vellit mihi* Spiritus *aurem,*
Phlegmate sejuncto rubrum quem vidimus unà,
Ac alia tandem viridem produximus arte,
Reddidimusq; levi suavem dulcemq; labore,
Illius ingentes vix possem dicere laudes
Si mihi tota dies fuerit consumpta canendo.
Viribus innumeris pollet, quod turba virorum
Testatur, cuivis simul experientia monstrat.

Hinc in aquis certis morborum plurima tollit
Agmina, & impurum quodvis in corpore solvit,
Temperiem gratam membris inducere gnarus,
Inprimis verò laus ejus summa notanda,
Si cujus capiti dolor aut Epilepticus hæsit,
Aut cerebri cellas morbus quicunq; gravavit,
Vix aliud medium melius reperitur in Orbe
Tam celeri auxilio ut cuivis succurrere possit:
Id studiosa cohors tibi, Stromajere, fatetur.
Quæris aquas acidas per devia tesqua viarum
Rupibus impuris secum mala multa vehentes?
Tutius hac acidos produces arte liquores,
Proque tuo lubitu gratos facilesque palato
Reddes, Naturæ vestigia docta secutus.

Sal vitrioli emeticum.

Spiritus à nobis fuerat dum ritè paratus,
Purpurei in fundo remanebat massa coloris:
Illa soluta dedit Sal *multis usibus aptum.*
Nam vomitu leni pigram de ventre saburram
Molliter educit, tollendo semina morbi.

Usus salis vitrioli.

Hinc renovata redit facies, viresque resurgunt,
Ventriculusq; simul reparatur mole solutus.
Hoc facilè innumeris poteris succurrere morbis,
Febribus & pesti, tum vermibus atq; catarrhis,
Qui tenerum pectus, pulmonumq; antra fatigant:
Id renum obstructos splenis, jecorisq; meatus
Solvit, & humores corruptos corpore pellit.
Postea conjunctim mira produximus arte

Sulphur Auratum Antimonii.

Auratum Sulphur Stibii, *quod promovet amplum*
Sudorem, at vomitum, nec sedem commovet ullam,
Sit nisi materies impura in corpore toto.

Ejusdem efficacia.

Stromajere graves poteras quo tollere morbos,
Atque animas ipsis fermè revocare sepulchris,
Gallica præsertim quorum serpigo peredit
Membra, vel infecit rabidæ contagio Lepræ,
Totaque fædavit corruptus corpora sanguis,
Vt nihil auxilii fuerit, nec spes magis ulla.

Infortunium.

Illud paulatim dum portabamus in Ignem,
Nescio quo fato ferro scintillula adhæsit,
Corripuitque rudem, Magnetis more potentis
Materiam, & celeres mox protulit inde favillas,
Omniaque obscuras tandem mutavit in auras.
Quales tunc tenebras, quos non conspeximus Ignes,
Quas nebulas celsum Cœli conscendere ad axem,
Vt nitidum Cœli jubar obscurare putasses,
Namque domum totam quædam caligo tenebat,
Non secus ac nostris manibus palpabilis esset.
Indè gravis fætor nares feriebat apertas,
Non aliter terram si quando Terra mephitim
Plena metalliferis emittat ad æthra venenis.

Cautio.

Artifices cautos sic Vulcani arma requirunt.
Nam brevis hora malum quod non reparetur in anno
Ferre potest, nisi sit semper Prudentia præstò.
Nos tamen hic casus non perturbavit acerbus,
Propositum nostrum ne posset tangere metam.
Nam citò materiam reparavimus, atq; laborem
Protinus ad finem cepta deduximus arte.

Regulus Antimonii.

Vnâ operâ nobis celebratus Regulus inde
Prodiit, hunc aliis miscentes ritè medelis
Bezoar tandem minerale paravimus, illud,

Bezoardicum minerale.

Quo nihil est melius, tenues si quando per auras
Sparserit innumeros bubones Ira Deorum,
Pestiferamq; luem rapido revocârit ab Orco,
Quâ pereunt hominum quamplurima millia sæpe.

Observatio.

Stromajere tuæ de debes huic stamina Vitæ.
Nam dum pestiferum rapuit præcordia virus,
Non herbæ, nec te medicamina mixta juvabant,
Nec laudatæ satis tibi potio profuit ulla.
Iam socii de te desperavêre medentes,
A te compositum cum tu medicamen idipsum
Hausisti intrepidus: tum totum corpus in undam
Sic solvebatur glacies ceu quando liquescit
A Solis radiis, tanto sudore madebas,
Qui madidum lecti stratum trajecerat omne,
Et veluti currens sub lecto lympha latebat,
Cum quo tum virus, tum dirus bubo recessit,
Atq; inspirata redii Spes certa salutis,
Auxiliante DEO, cui sit laus, gloria summa!

Spiritus è nitro.

Spiritus è nitro tandem productus in altum
Serviit ad multos varii medicaminis usus.
Hinc Salamandra fuit flammis adsueta ferendis,
Quæ flammas abigat, febresq; è corpore pellat,
Pleuriticosq; levet, sitibundaq; membra retundat,
Auferat ardores anginæ, omnemq; calorem
Tollat, & ad justum concentum membra reducat.

Spiritus salis. Usus spiritus Nitri & salis.

E Sale communi nobis data copia magna
Spirituum, quos si non rectâ feceris arte,
Sal fluet, optatos nec quicquam cedet ad usus.
Queis nihil utilius, nil convenientius unquam,
Si cujus ventrem salsus tumefecerit hydrops,
Sive pedes tantum, vel corpus presserit omne,
Membra vel ingenti flatu distenderit ille,
Aut quæcunque jecur prostratum læserit arte:
Guttæ tres in aquis propriis succurrere possunt.
His usus fuerat curas Paracelsus ad omnes,
Præstitit & multis miracula maxima morbis,
Vt jam non sit opus plures hîc addere laudes.

Spiritus Sulphuris & Flores.

Quid memorem Sulphur, quo Spiritus exiit & flos,
Balsameusq; liquor certâ fuit arte paratus.
Spiritus illâ acidus, sed magno præditus usu,
Quem per campanam Chymici componere suadent,
At breviore potest ratione, citoque parari,
Sulphureusq; simul flos hocce labore videri.
Id loquor expertus: Iam dicite, quid juvat ergo
Ire per ambages, cum sint compendia præsto?

Mercurii præcipitatio per spir. Sulphur. Elix. propr.

Mercurio vivo commixtus Spiritus ille
Ipsum præcipitat, tum proprietatis Elixir
Perficit, atque in se mysteria multa recondit.
Putrida cuncta juvant flores, pestiq; resistunt,
Pulmonum affectus, tussim, simul asthma repellunt.
Sed multò melius tales ostendere vires

Bals. Sulph.

Balsamus ipse solet, cui tandem tanta potestas,
Vt paucis horis ingentia vulnera sanet.

Ol. è talco.

Præterea è talco calcem confecimus Igne,
Hinc oleum Medicis, Chymicisque laboribus aptum,
Id si virgineam faciem fuscârit Apollo,
Aëris impuri vel quenquam læserit aura,
Ritè cutem teneram rursus, nitidamque parabit,
Egregiumque dabit grato splendore colorem.

Rubini factitii.

Ludicra non opus est nostrâ memorare cicuta,
Auripigmento confectos namque rubinos
Præsens vidisti, qui oculis imponere possent,
Vt quis legitimum Naturæ dicere fœtum
Non dubitet: Chymicæ tanta est præstantia laudis.

Mercurii præparat.

Mercurius minio confectus, cinnabarique,
Vtilis innumeros nobis servivit ad usus,
Quos nunc prætereo videar ne longior æquo.

Magist. perlarum: Corallorum.

Porro magisterium perlis, rubeisque corallis
Fecimus innumeris Medici gregis usibus aptum.
Si cujus morbo primaria membra laborent,
Aut Epar, aut cerebrum, vel Vitæ fons & origo,
Aut quocunque modo vires quis sentiat ictas,
Id juvat, & reficit totius corporis artus.

Ol. succini.

Succineum posthâc oleum stillavimus, illud
Latè fragrantes & amicos spargit odores,
Ac relevat miseros collapsis viribus ægros,
Vnde nova rursus redeunt animalibus aura
Spiritibus, capitisque dolor procul aufugit omnis.
Pestiferaque luis depulsa venena recedunt.

Sal Granatorum.

Sal granatorum Chymicâ produximus arte,
Terra Bohemorum toti quos protulit orbi:
Non orientales horis tot in Igne morari,
Flammigerosque pati possunt sine labe calores,
Quàm multis remanent illæsi mensibus illi,
Et retinent faciem propriam, simul atque colorem.
Nec subeunt damnum concessi ponderis ullum.
Hinc aliquis è tantis dotibus amplas
Colligere, ac usu poterit cognoscere laudes
Egregias, melius quam nunc ego dicere possim.

Saccharum Saturni. Observatio.

A Sene falcifero dulcissima Sacchara tandem
Traximus, ingentes quæ prædita viribus æstus
Tollere, & ardentes promptè sopire dolores,
Atque cupidineum facili arte retundere telum.
Hîc memorare lubet, duræque incidere cedro
Insignem casum, factum mirabile, quondam
Quod dedit Aoniis dulcedo talis in hortis.
Phœbe fave, atque mihi tibi notum pandito casum!
Dum Venus Aoniis quondam spatiatur in hortis
Contigit, ut Phœbe longis instructa sagittis
Damas & lepores tunc venaretur in illis.
At quia densa comas pandebat sylva virentes,
Non procul hinc motum strepitum quoque percipit aura.
Ergo feram reputans inter virgulta latentem,
Protinus incertum certo sed pollice telum
Ad partem foliis commotam dirigit illam,
Atque ferit Venerem miserè, quæ saucia clamat,
Et cadit in terram, capiti quia vulnus adhæsit.
Accurrunt omnes illam relevare parati,
Oceanusque Pater cum sollicitudine magna.

Alloqui-

Alloquitur turbam gemebunda voce Deorum:
Ferte precor misero, casus solamen acerbi,
Auxilioque mea jamjam succurrite natæ,
Ne pereat, mortem pariatque suo ipsa Parenti,
Deliciæ nostra, mea Spes, mea vita, decusque!
Adfuit hic Phœbus, *clarus quoque in Arte* Machaon,
Protinus excelsis lectas in montibus herbas
Comportant, unguenta parant, cupiuntque mederi,
Quicquid agunt frustrà morbo graviore laborat
Ipsa Venus; *vitæ nec jam Spes ulla videtur.*
Interea Medicâ pariter clarebat in arte
Lemnius ille DEUS, *cujus dum fama per orbem*
Spargitur, Oceani casu defertur ad aures.
Obsecrat hunc igitur per Olympi minima, summa,
Si quid opis sciret, possit quâ Nata saluti
Restitui, extremis illam ne linquat in horis.
Ille misertus opem (tantum si fata faverent)
Spondet pollicitis, & mox Saturnia regna
Ingreditur, superas secumque reportat ad auras
Falciferi blandos suavi dulcedine succos,
Hos capiti Veneris *circumdat, eique medetur.*
Applaudunt omnes, & tollunt laudibus illum!
At Pater oceanus, *tanto pro munere munus*
Cum nullum, dignè quod reddere posset, haberet,
Lætitiâque fremens, palmasque ad sidera jactans,
Vulcanum coram populo sic voce salutat:
Quas tibi pro meritis potero persolvere grâtes,
ô Vulcane DEûM *soboles? qui* Cyprida *nostram*
Tam facilè optatas poteras revocare sub auras,
Iamque ferè amissam reparare & reddere vitam.
Non tibi si cumulos argenti, aurique fluenta,
Splendentesque feram nitido fulgore lapillos,
Nec si fortè mea quâ perluit ambitûs Vnda
Cuncta darem, satis esse queant pro munere tanto,
Quod superest igitur, tibi nostram spondeo Natam,
Invenio nullum quo munere majus apud me,
Omnes quæ tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchrâ faciat te prole Parentem.
Adspice, nec tantum, quod dat mea dextera, donum
Despice, sed thalamo jam suscipe Cyprida *nostram,*
Cyprida, *quâ munus mihi non præstantius ullum,*
Mec magè quod redamen: Vitâ hac mihi charior ipsa.
Lemnius *exultans, cum non sibi gratius ullum*
Donum exoptasset, grates agit ore Parenti,
Oscula tum Veneri *figit, propriamque fatetur.*
Tum verò in numerum Faunos, Dryadasq; *videres*
Currere, & Undisonas lymphas *celebrare choreas,*
Et propriis flammis consurgere celsius Ætnam.
Pulcher Apollo *chelyn digitis tangebat amicis,*
Ibat & ad numerum celeri pede turba Dearum,
Tum cecinere melos Charites *pia vota ferentes:*
Oceani *tanto sit fœlix nata marito!*
Sis fœlix tantâ pariter Vulcane *maritâ!*
Vivite fœlices in amore! ô vivite læti,
Progeniemque toro teneram producite vestro,
Perpetuò vobis quæ gaudia mille ministret.

Hæreat & mensæ, ceù multa vitibus uva.
Audit vota DEUS, *vivunt feliciter ambo,*
Alter & alterius dextrè solatur amorem,
Percipiuntque tori gratissima dona quotannis,
Iam per bissenos emensi temporis annos.
ô Vivant, vigeant, valeant ad Nestoris annos,
Progeniem videant, charos numerentque nepotes,
Fortunaque suis cognoscant flamina votis.
Postea calce Jovis *nitidum* Sal *cernere nobis* — *Sal Jovis.*
Cura fuit, varios quod possit tollere morbos,
Fœmineumque genus suavi relevare suâ vi:
Præsertim, hysterici graviter si quando dolores
Non tantum ventrem, sed & omnia membra fatigent.
Stromajerus eo fuerat feliciter usus, — *Observatio.*
Fœmina dum quædam magnis cruciatibus olim
Noctes atque dies conturbabatur, ut illam,
Vix retinere duo potuissent, membra moventem,
Præ nimio, quo tunc fuerat vexata, dolore.
Sal Jovis *ecce datum cruciatus dispulit omnes,*
Reddidit & placidam membris uteroq; quietem,
Atque optata salus illi fuit inde reversa.
Præterea nobis notâ detraximus arte — *Crocus Martis.*
Mavorti rubeam Chlamydem, *quæ proderit olim,*
Si mordax ulcus cui intestina fatiget,
Terreat aut quenquam dejectio sanguinolenta,
Si jecur obstructum, vel fel splenisque meatus,
Aut si quâ nimium patiatur fœmina fluxum,
Sive vir effluvium corrupti seminis æger
Sentiat, aut venæ si crudo sanguine stillent,
Hæc medicina juvat: languentem viribus auget
Ventriculum, ut posthac concoctio justa sequatur.
Fecimus interea, captos ducendo labores,
Mercurium dulcem, *qui multo tutior illo,* — *Mercurius dulcis.*
Quem tibi vulgares ostentant sæpe libelli,
Infantes teneri quo possent scilicet uti,
Et gravidæ, morbo vel quacunq; gravati.
Tam levis & blandus, tam solvi molliter alvum,
Vt nunquam cuiquam post se nocumenta relinquat.
Præcipitatorum *miros, variosq; colores* — *Præcipitatus varius.*
Vidimus, ut flavum, viridem, album, denique rubrum.
Mercurii Vitæ *dignas hic dicere laudes* — *Mercurius vitæ.*
Non vocat: ob vomitus multis violentus habetur.
At nos hunc talem produximus, ut modò sedes
Provocet optatas, vomitus nec concitet ullos.
Scilicet est verus naturæ balsamus ille.
Namque lue Veneris fuerint si membra gravata,
Auxilium præsens adfert, Lepramque repellit,
Materiamq; malam tollit radicitus omnem.
Putrida cuncta levat, venas atque ossa repurgat,
Hydropem, tum pleuriticos & febricitantes
Ictericosque juvat, podagram, scabiem, atque venenum,
Pestiferumque malum domat & fœda ulcera mandat,
Vt simile immenso vix sit medicamen in orbe.
Id quod & ægrorum sanata caterva fatetur,
Vrbis & Vlmanæ nosodochia quæque loquuntur,
Quot Stromajerus morbos relevarit eodem,

Infectosque lue veneris revocârit ab orco.

Spir. Vitrioli ex Venere.

Hinc viridem Veneris *licuit cognoscere* pallam.
Usibus hac Medicis miracula maxima praestat.
Ventriculi vires languentes excitat aptè,
Tartareas faces, pestemque, sitimque repellit,
Matricis morbos simul, Ictericosque dolores,
Ventriculi febres, contracturamque resolvit,
Ad cunctos capitis morbos adhibetur: at extra
Pruritum & scabiem tollendo, membra repurgat.

Vitriolum Veneris.

Vitriolum *tandem transparens* Cynthia *nobis*
Deposuit, quod caeruleum spargendo colorem,
Auxilium cerebro summum promiserat aegro.
Praesertim si cui turbent deliria mentem,
Atque melancholicos inducant forte furores,
Aut nimii somni, aut cunctarum oblivio rerum
Excrucient totum corpus, cerebrumque fatigent,
Id praestabit opem, qua non mage certior ulla.
Hinc licet obstructus propriis animalis in antris
Spiritus, exurget, viresque recolliget auctas,
Atque repurgatus phantasmata vana repellet,
Naturae optatam rursus referendo quietem.

Aurum potabile.

Postremò verum potabile *cepimus* Aurum,
Quod morbos abigat, vires restauret, & aegris
Adferat egregium rebus solamen in arctis,
Hic ubi non superest grata Spes ulla salutis.
Non secus ac radiis si quando Phoebus Eois
Illustret Mundum, tenebras noctemque repellat,
Et referat rebus proprios Lux alma colores
Atque novam cunctis faciem & nova gaudia portet.
Sic Aurum nostrum morborum cuncta repellit
Agmina, Naturam renovatis viribus auget,
Laetitiamq́ refert, & tristia ritè resolvit
Foedera, subsidium quo non praestantius ullum,
Excutias magni si singula climata Mundi,
Quod mage conveniat, vel quod miracula tanta
Praestet, & auxilium tam promptè conferat aegris.

Nota veri Auri potabilis.

Id multò melius, multò praestantius illo,
Anglia quod totum nuper dispersit in Orbem.
Tota etenim crudi substantia solvitur Auri,
Cumque liquore suo resoluta levatur in altum,
Digeritur tandem benè, donec rursus in Aurum
Non facilè à quoquam Chymicâ queat Arte reduci.
Tempora sed quoniam digestio longa requirit,
Digeritur tali, quali decet hactenus Igne.
Haec placuit tenerâ tibi commemorare cicutâ,
Per menses binos dederit quos cura labores,
Cum brevis hora vetet numeratas antea plantas
Ordine proposito describere sive animantum
Quae fuerint partes à nobis arte parata.

M. Blossius Profess. Mathematum Ulmae. D. Sebast. Blossius Profess. Tubingensis.

Spectârat nostros Ulmensis Blossius *Ignes*
Ille mathematica Vir valdè clarus in arte.
Adfuit illius Frater, *quem docta Tubinga*
Dictantem Medico mysteria summa theatro,
Solventemq́ graves dextro conamine nodos,
Miratur, colit, observat, veneratur, amatq́.
Ejus at eximius natus (qui magna Parentis
Sat celeri & prompto sequitur vestigia cursu)
Tum loca, tum nostri varia Instrumenta laboris
Lustrabat cupidis oculis, qui forsitan olim
Erga nostrates succensus amore Sorores,
Non metuet rigidas flammâ volitante favillas
Nec detrectabit Vulcania viscere regna.

Joh. Daniel, Dn. D. Cunradi Dieterici filius.

Adfuerat pariter magni spes magna Parentis
Natus Dietrici, *quo non praestantior alter*
Ore monere Viros, Christique accendere amorem,
Qua vaga Danubii properantis labitur Unda.
O Faelix tali prognata propago Parente!
Tuque Pater faelix, & talis prole beatus:
Scilicet illa tuam poterit relevare senectam,
Ingenioque suo Medicam quo fertur ad artem!
Iam senio pressis olim succurrere membris.

D. Exlini Med. Goppingensis celebris Nepos.

Praeterea Exlinus *Iuvenis, cui Delius ipse*
Inspirat magnum Medicae & Chymicae Artis amorem,
Multoties nostros voluit spectare labores.
Ast ego dum vidi, concessi temporis ansam
Ulmâ abii, gratam cupiens spectare Tubingam.

Dn. Lucas Osiander, Theologus celebris, Acad. Tubing. Cancellarius.

Hic ubi supremus me Cancellarius *ille,*
Qui celebri Musis Osiandri *nomine gaudet,*
Colloquio Chymico, verbisque excepit amicis,
Perpetuumq́ mihi posthac promisit amorem
Inde Mathematicus Maestlinus*, canus ab annis,*
Schickhardusque *meus, quo non humanior alter,*
Isengrein *Chymicae cultor fautorque catervae.*
Quid referam reliquos socios, quos tum mihi junxit
Hujus amor studii, latè quod semina spargit?
Haffenrefferus *libri succensus amore*
Etzleri *Chymici, scripta ejus plura requirit.*
Agricola, Hartmanni natus, Greif, Wentzius, atque
Cum Zuckmessero Gerhardus, *& ipse Paternis*
Vestigiis gradiens numero laetatur eodem.
Omnes unanimi consensu multa labore
Excoluere suo, multa invenêre manuq́
Artis Mulciberi virides posuere corollas.
Post aliquot luces fueram inde reversus in Urbem,
Ut tecum captos mi Stromajere *labores*
Continuare queam, gratamq́ imponere finem:
Scilicet optatam laudem mereamur ut omnes.
Tuque, tuiq́ simul, tua tu quibus omnia debes.

Cl. Vir. Daniel Rixinger, Profess. Argentinae.

Inter quos primus Chymica Vir in Arte peritus
Argentinensi RIXINGER *vivit in Urbe,*

Cl. Vir. Joh. Leporinus, Archiatur Wirtenbergius.

Wirtembergiaci retinet Ducis Aula secundum
Nomine gaudentem LEPORINI, *qui tua vidit*
Dum studia ad varios Ignis properare labores,
Mulciberiq́ focos, notissima plurima fecit,
Erudiit multum, & veluti calcaria subdens,
Ut citius curras & quaeras plura coëgit.
Tertius HORSTIUS *est, vera ceu verus amator.*
Qui Chymiae, simul in tuto tua fata locavit,
Liber ut inceptos posses tractare labores.
Accidit hoc multis Chymiam sectantibus usq́
Rosor & osor adest: tu contra audentior isthuc
Perge bonis avibus, quoniam tibi magna paratur
Gloria,

Gloria, non ullis intermoritura diebus.
Tu vero Medici flos & pia cura Vireti
HORSTI, qui tanto Chymicorum rura favore
Prosequeris, studiumq́; juvas: tibi fama perennet,
Qua subit Hesperias nitida Sol lampade terras,
Quaq́; redux proprium jubar aquore tollit Eoo.
Perge favere bonis, Chymiam quoq́; perge fovere,
Perge citò tutò blandirier, atq́; medelis
Perge juvare tuos Patientes rite paratis:
Hinc etiam quondam Chymica non inscius artis
Pro restaurandis Patientum viribus agris
Sape manu propria medicamina multa parasti,
Inq́; tuis libris Chymicorum dogmata prima
Sic depinxisti, sic ordine cuncta locasti
Vt non lucidius possit describere quisquam.
Multoties chymicum detexit Epistola vultum
Evariis transmissa locis, secreta laborum
Et miros referens chymici medicaminis usus,
Hanc avidis oculis & mentis lumine lectam
Compensare tuo responso sapè solebas,
Artis amatores iterum ad nova scripta vocando.
Herbarum extractis, atque inter catera semper
Successu dextro fuerâs mineralibus usus,
Inque lue Veneris, qua plurima turba laborat,
Cum nihil, aut raro, ligni decocta juvabant,
Vel breve post tempus morbus velut ante redibat,
Vlma Mercurium duxisti cautus in usum,
Quo duram morbi sobolem, dirosque dolores
Funditus exstirpâs, radicem tangis & aufers,
Vno mense ferens, quod non dant quatuor illi.
Insuper, & nuper fueras dum vectus ab Vrbe *Observ. in fluxu sanguinis.*
Ad celebrem quendam Generosum nominis ampli,
Cui dare non poterat justam planta ulla medelam,
Non animal vivum, non gemma, nec ulla metalla,
Nec satis expertum medium, certumque repertum
Naribus illius venientem sistere fluxum
Sanguineum valuit, fuerant frustranea cuncta.
Tu tamen, ut nostris aliquod tutamen ab aris
Prodeat, extremo ne collabatur in actu
Viribus orba suis Natura, & deserat agrum,
Surgat & hinc toti Medica ingens dedecus arti,
Laudani Chymici septem modò grana dedisti,
Ex opio atque croco fuerat quod ritè paratum,
Sed sine hyoscíami succo. Mirabile dictu:
Protinus ecce suis, requievit sanguis in oris,
Nec magis effluvium Patiens de naribus ullum
Viderat hacce die, sed vires senserat auctas
Hoc semel oblato medio, paucoque, levatus.
Det DEUS *Omnipotens igitur, qui cuncta gubernat,*
Innumeros hac ut pellant medicamina morbos,
Et videant omnes, quàm tutò & suaviter illa
Succurrant agris, & quàm citò plurima sanent
Germina morborum, viresque releventque gravatas,
Obtineantque super jam catera cuncta triumphos.
Ars Chymica inter nos tandem celebretur, ametur,
Crescat, & illius Medicina innixa columnis,
Proximus hinc ut opem, rebusque levamen in arctis,
Solamenque sui possit cognoscere morbi,
Consilio nostro, simul auxilioque juvandus:
Namque Salus populi Medicorum gloria summa.

Dabam properanter, Ulmâ
jamjam abituriens
5. Maij, Anno 1624.

VIR CLARISS.

JOHANNES BICKERUS, Med. Licentiatus & Physicus Offatiensis ord.

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Mitto tibi, Clariss. Vir, compositionem Tincturæ meæ ex Antimonio, quam parare soleo ex Antimonio crudo selecto, sequenti modo. ℞. Antimoniique vis, cum æquali parte salis nitri, tenuiter pulverisetur, & in porphyritide misceatur: deinde fiat pedetentim in ollâ novâ convenienti calcinatio: sensim cochlear unum post aliud infundendo, sed commodùm semper ollâ occlusâ, ne sulphur Antimonii deperdatur. Tertio, post refrigerationem Antimonium calcinatum, aquâ ferventi solvatur, & optimè misceatur: ubi vicissim in fundo collectum fuerit, aliquid aceti poterit aspergi, & post horas 4. per inclinationem aqua decantetur, vicissim aliquoties affusione aquæ simplicis reiteratâ, donec omne nitrum & sulphur crudum separatum sit, ubi, quod reliquum est de Antimonio, siccari potest, sed absque sole vel igne. Quarto, exiccato Antimonio adde acetum destillatum, & calore cinerum extrahe tincturam: acetum tinctum per inclinationem separa, & hoc ipsum reitera tamdiu, quamdiu acetum affusum tingitur. Quinto, acetum hoc modo Sulphure vel tincturâ Antimonii imprægnatum in cineribus vel arena leniter abstrahe, ad mellis spissitudinem, in fundo tincturâ remanente, quam ad usum repone. Dosis est à sex gutt. ad XII. Sexto, post ℞. caput mortuum, è quo tinctura prolecta fuit, calcina in fornace figulinâ per dies quatuor, donec in cinerem vertatur totum, & nisi probè calcinatum fuerit, adhuc semel uratur & coquatur, donec signum perfectæ calcinationis appareat. ℞. illam materiam calcinatam, extrahe sal suum aceto destillato, donec totum extraxeris. Evocato aceto, sal clarificetur per liquorem appropriatum, quo separato venit in usum. Potest misceri tincturæ suæ, & sic duo principia habes Antimonii, cum liquore Mercurii magis fixi. Sapor tincturæ est instar succi liquiritiæ subdulcis, purgat & movet sudores vehementer. Atque hæc sunt, Clariss. Dn. D. amice & Patrone summâ observantiâ colende, quæ de Antimonii mei tinctura te celare nolui. T. Exc. boni consular. Hisce Vale, & me promovere perge. Raptim Offatii, Anno M. DC. XI. *Tinctura Antimonii.*

Vir Clariss. & Excellent.

Dn. JOACHIMUS KÖPPEN, D. & Medicus Magdeburgensis,

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Succensere te mihi suspicor, Vir Magnifice & Excellentissime, quod tam negligens in scribendo fuerim hactenus, &c. Revoco autem mihi in memoriam colloquium nostrum ultimum, me jam jam à nobis abituro, quo de quibusdam Chymicis medicamentis agebatur. De Antimonio multa tibi prædicare possem, cujus usus hac meâ incipiente praxei mihi non fuit infrequens, nec, DEO laus sit, infelix. Præparatur, ut nosti, ex Antimonio justo modo pp. & salis armoniaci parte æquali teruntur conjunctim in pulverem subtilissimum, bene miscentur & in arenâ, servatis ignis gradibus, sublimantur: sal abluitur ad dulcedinem, ut pulvis Antimonii prorsus insipidus sine acrimonia colore albissimo remaneat, cujus dos. à gr. iiij. ad vj. Nunquam fefellit expectationem meam. Restitui meæ praxeos introitu, DEO annuente, Maniacum unum, cæteris Medicis desperatum, & alium malè sanâ mente præditum, sicut & duos quartanarios. Vomitum quidem movet, sed non tantâ violentiâ, estque operatio trium vel quatuor horarum, quibus elapsis omnia sedata sunt. Nunquam vidi symptoma aliquod ex hoc superveniens, quo terror incuti posset. Si Mercurii Crystallini pp. gran. xij. duo grana hujus addo, fortiter terendo in marmore, ferè sine vomitu per secessum serosa & biliosa educit, &c. Quo ad vegetabilium Extracta, nosti quid additio Tartari per deliquium soluti, vel etiam in minima quantitate præstet, ut simplicia ferè in menstruo suo diffluant: Hinc facilè Vinum Tartarisatum Quercetani quid sit colligitur. De Syrupis quoties sermonem inter nos mutavimus? & quantum ipsis sit fidendum, nosti. Tam enim succi simplicis, quam sacchari subtilior pars igne resolvitur, crassioribus fecibus relictis. Quid si sacchafrum addita parte quadam salis istius detergentis, ut nosti, per deliquium solveretur, ac postea cum tinctura cujuslibet simplicis per S. V. factâ misceretur, evocato vicissim vini spiritu, reliquis igne lento parumper digestis? Sed cur sus Minervam? His in gratiam Tuæ Magnif. iterum me commendo, &c. Vale. Dabam Magdeburgi 21. Martii 1612.

Vir Clariss.

GUILIELMUS FABRICIUS, Med. & chirurg. Reip. Bernensis ord.

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Clariss. & Excell. Vir, &c. Obtulit mihi non ita pridem amicus quidam meus, singulare anti-epilepticum medicamentum, à Chymico quodam, ut secretum maximum, ipsi communicatum, quod ita habet. Aurum raspatum, mixtum cum Mercurio humano, ponatur in vase vitreo, & præcipitetur, oblutato vase sigillo Hermetis; de hoc præcipitato exhibentur ægro decrescente Lunâ singulis diebus grana tria, cum spiritu florum Calendulæ; in apoplexia detur cum extracto Angelicæ. Usus hujus medicamenti sit per menses septem aut octo, vel etiam per annum integrum. Cæterùm, quum quidam ex proximioribus meis amicis aliquot paroxysmos hujus mali habuerit, & nondum 18. annum ætatis attigerit, libenter ipsi succurrere vellem. Hactenus cum fructu usus est purgationibus, & hirudinibus; item aquâ compositâ ex floribus Lil. Convall. Primulæ veris, Tiliæ, Betonicæ, Salviæ, Pœoniæ, Rutæ, & Radicibus Angelicæ & Pœoniæ, infusis cum aqua Betonicæ, & destillatis per alembicum vitreum. Summoperè itaque rogo, ut opinionem tuam de medicamento prædicto candidè mihi communicare, & quid Mercurius humanus sit, & quomodo præparetur, significare velis, tum etiam an loco spiritus florum Calendulæ, aquâ præscriptâ, (quæ jam in promptu est) uti liceat: facies mihi rem pergratam, & vicissim, si Amplissimo Viro aliqua in re gratificari possum, non deero officio meo. Vale Vir Amplissime, & cum tuis omnibus æternùm quàm feliciter vive. Bernæ ex grabato dictabati, 7. Maij, 1624.

Medicamentum Antiepilepticum ex Auro.

Viro Clarissimo,

GUILIELMO FABRICIO, &c.

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. Literas tuas priores, unà cum additis, pro quibus gratias ago, rectè mihi Dn. Kriegius tradidit, Clarissime Vir, fautor & amice pl. colende, sicut etiam postremas sub dato 6. Novembr. cum tractatu germanico, quem de anatomiæ præstantia & utilitate publicum fecisti, rectè traditas esse scias; pro tempore nihil in promptu, quo gratitudinem meam vicissim declarare queam. Brevi σὺν θεῷ completum erit opusculum meum, cujus titulum vides, de quo Exemplar proximis nundinis Francofurtensibus habebis. Interim titulum viris bonis communices. Miror, quod literas meas, Uberkingæ, ad acidulas, datas non acceperis, unà cum Carmine de *Regia Vulcani nostri*, cujus exemplar hîc etiam habes. Pleniorem responsionem in iisdem ad tuas promisi: tempus est, ut fidem redimam. Cæterum singulare Antiepilepticum proposuisti, cujusdam Chymici, nimirum Auri raspati cum Mercurio humano mixturam in vase vitreo ponendam, ac præcipitandam esse, vase sigillo hermetice clauso, de quo præcipitato contra Epilepsiam, lunâ decrescente, singulis diebus grana iij. cum spiritu florum Calendulæ (cum extracto Angelicæ contra Apoplexiam) per menses septem aut octo, vel etiam annum integrum continuando, sic exhibendum. Ut autem paucis meam sententiam aperiam, ingenuè fateor, me non parum hîc desiderare: quanquam enim Auro, tanquam Metallo perfectissimo, procul dubio, etiam in re Medicâ plurimùm tribuendum; ejusdem tamen præparationis gloriosa prædicatio, juxta literas *Chymiatri Clarissimi, Doctoris Hartmanni, Profess. Marp. & Archiatri Hassiaci,* olim ad me datas, facit, quò minus fidei acquirat. Demus autem, singulare totius corroborans hîc latitare:

Inquisitio in Antiepilepticum propositum.

latitare: necessum igitur, ut clavem inquiramus, cujus beneficio solvenda solvamus, quò naturæ nostræ conveniens reddatur.

Talis est hîc *Mercurius humanus*, juxta tuum Autorem, menstruum videlicet, ut mihi videtur, ex Urina humana confectum, quod sequenti modo fieri potest. ℞. Urinam hominis, ejusque pueri X. vel XII. annorum, bibentis vinum, constitutionisque calidioris & siccioris, quam in ollis aliquot benè clausis, in loco tepido, putrescere sinas per spacium menstruum, cujus putrefactionis terminum acerrimus fœtor, nares & oculos feriens, indicabit, ne quid dicam de colore nigro, sutorium atramentum referente. Digestam hanc urinam Balneo, vel lento cinerum calore destilla, sextam tantùm partem abstrahendo, quam in phiolâ sat longâ sublima, cautè procedendo, ut primo sal violatilis colligatur, procedente labore spiritu quoq; seorsim succedente: quibus duobus collectis non dubita, quin menstruum appropriatum ad auri solutionem habeas, quo soluto, non difficulter præcipitatio fieri poterit, ut quasi calcem auri producas, de cujus virtute contra morbum sonticum nullam habeo experientiam.

Præparatio spiritus & salis Urinæ.

Menstruum ad auri solutionem.

Quia verò nuperis meis literis Antiepilepticum *à Clariss. Hartmanno* communicatum promisi, copiam istius hoc modo tibi facere volui. ℞. Vitriol. Ung. opt. lib. ij. calcina ad flavedinem, & ubi adhuc fervet, affunde urinam pueri, talem qualem antea descripsi, sed recentem; misceatur optimè, & per 8. horas digeratur leni calore: postea in duplo adde contusarum ollarum non vitreatarum fragmenta pulverisata, & per retortam aperto igne destilla, & habebis primo spiritum album, & ultimò guttas rubicundas.

Antiepilepticum ex Vitriolo.

Ex capite mortuo per affusionem aquæ calidæ sal extrahatur, quod filtratione purificetur & coaguletur, cui spiritum prædictum affunde, & vicissim per 8. horas digere, postea triplum Boli communis admisce, & per retortam aperto igne pelle, quo destilletur sal cum spiritu repræsentans aquam citrinam, quæ adhuc semel per retortam vitream rectificanda veniet.

Hujus spiritus antiepileptici dosis est 4.5. vel 6. guttarum, cum aquis appropriatis tempore paroxysmi, &c. Hisce benè Vale diutiss. feliciss. & novo hoc anno instante pro voto tuo fruere. Raptim Ulmæ 16. Decembr. 1624.

Vir Clariss.

JOHAN. HORNUNGUS, D. & Med. Ord. Heidenheimensis,

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Mibi, Clariss. Dn. D. Horsti, hîc Göppingæ cum fratre agenti, controversia mota est de præparatione chalybis, ad cujus decisionem tuam opem & operam inclamamus & expectamus. Ego pro diversâ Medici intentione, diversâ chalybis quoque præparatione opus esse arbitror, quâ in re Excellentiss. ille practicus Rodericus à Castro, ex professo nobis satisfacit præ cæteris. Conqueritur autem frater meus de tædiosâ illâ chalybis limaturâ, nec non de vulgaribus Dispensatoriorum descriptionibus imperfectis, ac noxa haud carentibus: imprimis autem illum modum improbare videtur, ubi limaturæ sive scobes Chalybis (seu ferri) ignitæ, aceto imbutæ, & sulphure accensæ rursum in acetum guttatim stillant, quæ portiones, guttatim fusæ, iterum crassescunt & granulescunt, sicuti ex præsenti chalybis stillicidio sulphure accenso, factitatum esse (**aus dem geschmeltzten Stahl**) oculis tuis videbis, in quo sulphuris odorem fortiter prævalere deprehendes. Hoc medicamentum, an ob sulphuris mixturam absque damno corporibus nostris propinari queat, dubitamus. (cum nec flores sulphuris, ob Arsenicale venenum Sulphuris, teste Doctore Camerario in Epistolis M.S. à te mihi communicatis, tutò exhiberi possint) Approbandus videtur nobis modus ille præparandi chalybem à Galliæ Reginæ obstetricæ Lud. Bourgesia præscriptus. Si commodior, compendiosior & utilior modus præparandi chalybem absque noxâ à T. Ex. nobis præscribi & communicari potest, ego, cum fratre, & Dn. D. Junio, tui amantissimo, officiosè rogamus. Quidam rubedinis colorem prædicant, qui ex igne reverberii chalybi conciliatur. Annon absque rubedine æquè efficax? an non multum efficaciæ ex longâ morâ in igne chalybi detrahitur, ut cineri potius, quam medicamento similis efficiatur? de quo dubio cupimus erudiri. Göppingæ 26. Novembr. Anno 1623.

Limatura chalybis cum sulphure præparata an Salutaris? Videatur Dn. D. Hechstetterus, in dec. 3. observat. casu 10.

Viro Clarissimo,

JOHANNI HORNUNGO, D. Physico Heidenheimensi,

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. Cum felici novi anni auspicio, Vir Clariss. fautor & amice colende, maximoperè peto, ne gravatim accipias, quod ad tuas Göppingæ datas hactenus nihil responderim. Jam breviter hoc habe, quod meam sententiam satis proposuerim quo ad usum & præparationem Chalybis in Dec. 7. Problematum θεραπευτικῶν, quæst. 2. in cujus distinctione & præparatione adhuc acquiesco. Nec ab eâdem alienus esse videtur *Rodericus à Castro*, dum interiorem chalybis substantiam aperire dicit, quod in prædictâ quæstione plenius determinatur, ubi idipsum Sali Martis attribuitur, qua ratione simpliciter tantùm calcinatus pulvis Martis, juxta modum in obstetricali libro Lud. Bourgesf. ad aperiendas viscerum & mensium obstructiones continuato usu sumptus, meritò laudatur, quanquam hic modus satis crassus adhuc, ubi vigor innati caloris requiritur, quo medicamentum crudum adhuc actuetur, & à partibus excrementitiis exactius separetur, qua de causâ simul exquisita semper victus ratio tenenda præscribitur, quemadmodum in Roderico videre licet. Nos ejus loco calcinationem per affusionem aceti lubentius adhibemus, cujus modum in observ. lib. 4. proponimus. Cæterùm in Chalybe meritò quoque selectionem habendam esse censemus cum *Libavio*: nuper in affectu hypochondriaco ad imitationem Plateri & aliorum vinum chaly-

chalybeatum exhibui cum successu, cujus descriptionem videbus lib. 3. observ. 18. Melior, adhuc est præparatio sequens, quam aliàs hîc in usu habet Dn. Collega, *D. Stromajerus*, quamque ex amicis meis Cl. V. Dn. *D. Ioach. Köppen* sibi communicatam à Dn. *Greg. Gnanio* ex Galliis attulit. R. Chalyb. Hispanicæ limaturam: irroretur opt. aceto, ut fiat instar pastæ, quæ extendatur super laminam ferream, & brevi vehementer incalescet massa: relinquatur sic per 8. horas. Postea massa optimè teritur, & per setaceum pulvis trajicitur, qui rursus cum aceto irroratur impastatur & post fermentationem teritur, &c. iterum irroratur, & toties teritur, donec fiat instar pollinis seu farinæ volatilis, nec amplius incalescat, quod signum perfectæ calcinationis est. Pulveri affunditur phlegma aceti, post in matracio per horæ quadrantem leviter bulliat, tum clarum separatur à residentiâ, & in B. abstrahitur humiditas, factâ porro digestione cum Spiritu Vini, donec appareant crystalli subdulces, qui pulverisentur. Hujus pulveris q. s. vel in substantiâ, vel etiam in delicatulis per infusionem uti solemus, tàm in contumacibus viscerum, quàm etiam uteri obstructionibus, &c. Hanc præparationem non admodum tędiosam maximè in aperiendo & incidendo convenientem judico, fortè non admodum differentem à balsamo Martis, cujus in quæstione nostrâ fit mentio. Benè Vale, & me ama. Raptim Ulmæ 2. Jan. 1624.

Præparatio chalybis singularis.

Vir Clariss. & Excellentiss.

MARTINUS WALTHER, Siles. Med. D.

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Londini Anglorum, Vir Clariss. & Excell. ad tuam Excell. literas dedi, adjunctis quibusdam, quæ ad *Dn. D. Hartmannum*, à quodam meorum comitum, dabantur, quas redditas esse non dubito. Verùm nec hanc oblatam occasionem intermittere volui, quin mei memoriam tuæ Excell. replicarem. Angliâ relictâ Galliam diu mihi exoptatam accessi, prosperâ, summo DEO gratiâ, fortunâ favente: Parisiis jam per duos menses commoratus sum, Chymicorum ubi turba, Galenicorum corona. Relatum enim mihi à quodam præcipuo Chymico, esse supra quatuor millia eorum in hac Provinciâ, qui omnes quærant lapidem: O auri sacra fames! sed Coryphæus ille Dogmatico Hermeticus superiori septimanâ (ô triste & durum dictu!) obiit: *Quercetanum* dico, virum & nomine & scriptis celebrem, cujus eruditionem, & summam humanitatem mihi mirari, frui diutius non licuit. Accedebam illum, cum huc venissem, de quibusdam cum ipso colloquebar, humanissimas certè accepi responsiones, qui suam operam in adjuvandis meis studiis ultrò offerebat: verùm, ô fati inclementia! obiit vicesimo primo Augusti, stylo novo, eadem septimanâ, quâ sepeliebatur *Andr. Laurentius*, Regis Christianissimi hîc Archiater, qui decimo sexto ejusdem, naturæ quoque debitum solverat. Ecce! vir Clariss. mors Regem ut spoliat Medicis. Centuriam consiliorum sub manibus habebat *Quercetanus*, sicut & alteram Pharmacopœæ, partem, in quâ se totam chirurgiam, aut saltem præcipuos affectus externos, tractare mihi affirmabat. Qui jam futurus sit hæres scriptorum, latet adhuc: unicam enim tantùm filiam habet, quæ nupsit nobili illiterato. Remediorum quorundam *Quercetani* copia hic mihi facta est, quæ aut obscurè, aut omninò non descripsit. Sulphur vitrioli narcoticum, quod basis in Nepenthe *Quercetani*, proximè composuimus (usus enim hactenum sum chymico insigni, qui totam artem pro pecuniâ docet, aut aliquas saltem operationes, pro ut quis cum ipso contrahit) Extrahitur sulphur illud ex Vitriolo Ungarico, optime prius solutione, filtratione & coagulatione purificato, cum laminis chalybis, quibus adhæret ruberrimum: postea extractum illud sulphur rubrum Spiritu vini circulatur; Spiritus vini vicissim abstrahitur, & quod residet, aquis cordialibus abluitur, ubi pulvis manet rubeus: medicamentum est per se etiam datum tutissimum, ut illi experiuntur quotidiè, cum quibus familiarissimè versor. Hæc, oblata hac occasione, me tuæ Excell. rursum commendans, scribere volui. Vale Parisiis, tertio Septembr. 1609.

Obitus Quercetani & Andreæ Laurentii.

Sulphur Vitrioli narcoticum.

Clariss. & Excellent. Viro.

Dn. MARTINO WALTHERO, Silesio, Medic. Doct. solertiss.

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Cum in relegendis amicorum quorundam Epistolis versarer, Clariss. Dn. Doctor, amice plurimùm colende, simul etiam in hanc tuam olim ad me perscriptam incidi, quam aliis CL. W. addere placuit, quò de veteri vinculo amicitiæ nostræ non dubitares. Quanquam enim ab eo tempore, quo te Francofurti reducem ex Galliis vidi, merum inter nos silentium fuit, nunquàm tamen tui erga me amoris obliviscor. Quod scribis Lutetiæ duos istos de re medica benè meritos viros naturę debitum solvisse, non parum me tunc temporis commovit, ob ingenii plura monumenta, quæ ab utroque posteritas adhuc speravit. Idem de quærentibus Lapidem, quod scribis, paulò post acceptas tuas literas, ad me perscripsit etiam CL. V. Dn. D. Joachimus Köppen, amicus meus, horum, inquit, Parisiis degentium, ut à fide dignis mihi relatum est, seque in occulti istius lapidis investigatione macerantium numerus excedit quater millesimum: mirum (subjicit) à tot venatoribus tanto molimine quæsitam prædam adhuc se continere & occultare posse, nisi fortassis hoc causæ subsit, quod pluribus canes minus sagaces sint à latere. Cæterùm præparatio Sulphuris narcotici Vitrioli, quam communicasti, minimè perfecta judicatur, sicuti coràm Francofurti tunc temporis dixi, cum potiùs crocus aliquis Martis esse videatur, id quod ante multos annos subinnuit *Libavius in Epist. Chym. lib. 1. Epist. 35.* dum inquit: crocus est, id quod efflorescit ex superficie metallorum, ubi conspersa fuerint liquoribus & spiritibus acutis: atqui tale est etiam Sulphur istud Vitrioli Quercetani, qua de causa

Quid statuendum de Sulphure vitrioli Quercetani.

de causa non immeritò viri docti dubitant de istius Sulphuris effectu, cum potius alias virtutes posidere videatur, quemadmodum hactenus illa pluribus publicè proposita fuerunt in *Libavio par. poster. Apocalyps. Herm. p. 43. par. prior. pag. 275. & lib. 7. Syntag. p. 361. In Matth. Untzero de Sulphure sub finem, in Minderero lib. de Calcantho cap. 8.* Ego, quanquam Vitriolo Sulphur commune, & Sulphuri vitriolum semper immixtum esse confitear, quorum illud satis superque, sic ut ipsemet nosti, olim propè Schmidbergam, oppidum non procul à Witeberga distans, terra vitriolata flammis Sulphureis per menses aliquot ardens testabatur; hoc autem ex oleo sulphuris acido Calcanthoso colligitur: nihilominus de Sulphure hoc æquivoco cum aliis viris doctis adhuc dubito, & potius opio justo modo correcto tempore necessitatis utor, quam iis, quorum effectus incerti sunt. Sed hæc obiter, tantùm amicitiæ gratia, placuit hîc addere, ne nomen tuum apud me obliteratum esse putes. Benè Vale ἐπὶ μήκιστον. Raptim, Ulmæ 1624. prid. Calend. Septembr.

Terra vitriolata flammas concipiens à Sulphure commixto.

(I.)

De usu chymicorum Medicamentorum.

Vir Clariss. Excellentiss.

Dn. D. HIERONYMUS BESLERUS, Phys. Reipubl. Noribergensis,

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Clarissime & Excellentissime Dn. Doctor, fautor colende, &c. Hac die, quæ erat Dominica Augusti VII. S. V. à Doctissimo Clarissimo Domino Juris Cons. Georgio Remo, Vestrarum rararum Lucubrationum Medicarum, nec non Epistolarum ejusdem fili elegantium accepi volumen: Intellexi munus hoc ab amico & candido, in me redundasse liberale & egregium: Pro qua quidem benefica erga me promptitudine, magnas habeo & ago gratias, relaturus oblata rei occasione. Atqui cum opus hoc dignum sit lectione, & arti Medicę cuivis addicto, procul dubio molestum non erit, id quod ingenuas respicit sententias, audire, vel interrogare, qua Παῤῥησίᾳ fretus non dubito aliquando quærere & mirari, quî fiat hoc seculo, ut quam plurimi Clarissimi, & in arte Hippocratica, Galenica, & horum methodo edocti, promoti, & ad hos summos honores jurati Medici, non vereantur, ad Empyrica Chymica transcendere, in quorum usu longè, lateque Rationalitas absit, nec adhiberi possit. Hinc aliud emergit, quod Medicinæ tyrones à primis studiorum limitibus, Chymicis magis & eorum tractationibus jam invigilent, eoque ipso Galenicam Theoriam relinquant, in praxi jejuni satis prostent & inveniantur; suis præparatis confidentes, non sine enormi ægrotantium incommodo vel potius jacturâ: Id quod deplorandum & hujus defectus causæ meritò amputandæ.

Abusus studii chymici.

Quæ quidem Clariss. Dn. D. ne vestris ingratior sim, & pro accretione benivolentię, hæreã adscribere volui, Vob. me inprimis commendans. Datæ Noribergę 1625. Aug. 13.

Clariss. Excellentiss. Viro,

Dn. HIERONYMO BESLERO, Med. D. Physico ordinar. Noribergensi,

GREGORIUS HORSTIUS, D.

S. Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Clariss. & Excellentiss. fautor & amice pl. colende, ad quas jam dudum respondissem, nisi me Clariss. vestri Remi mors subitanea (de qua, proh dolor! verissima dubitabam) aliquandiu suspensum tenuisset, utpote quo mediante firmiora porrò communis amicitiæ vincula nectere cogitabam. Sed feramus, quod fert divina voluntas. Quod opusculum istud amica affectione transmissum, lubenti animo, hilarique fronte T. Excell. acceperit, lætus intelligo, simulque rogo, ne quid Excell. T. audaciæ tribuat, unà cum Clariss. Camerario, cui meo nomine propter conversationem amicam, olim in Pharmacopolio vobiscum habitam, exemplar quoque communicari debuit, sed munusculum hoc levissimum boni consulat.

Quæstionem quod attinet, quam Excell. T. proponit, brevissimè resumo, nimirum qui fiat hoc seculo, ut quam plurimi Clarissimi, & in arte Hippocraticâ & Galenicâ & horum Methodo edocti, promoti, & ad hos summos honores jurati Medici, non vereantur ad Empyrica, Chymica, transcendere, in quorum usu longè lateque rationalitas absit, nec adhiberi possit, unde subsequatur, quod Tyrones Chymicis magis invigilando, medicinam Theoreticam negligant, & postea suis præparatis confidentes, jejuni satis in praxi prostent, non sine enormi ægrotantium incommodo? Primum quod attinet, non video, cur ab Hippocratis & Galeni placitis, eorumque Methodo laudatissimâ discedant illi, qui jactis Medicinæ dogmaticæ fundamentis, in ipsa praxi, sæpissimè Chymica media, per Empiriam quidem inventa, suis etiam ægrotantibus adhibeant: Cum enim hoc ipsum tantum materiæ medicæ delectum concernat, facilè patior, ut alius febrilem calorem per decoctum radicum Cichorei, vel Acetosæ, quantitate satis magna reiteratum, alius per Spiritum Sulphuris acidum, vel vitriolatum, paucis guttis in conveniente liquore exhibitum, corrigat. Sic vehementem uteri fluxum alius potione longa ex adstringentibus quamplurimis ad nauseam exhibitâ curare conetur, quem tamen usus legitimus Laudani opiati ritè correcti granis tribus vel iiij. oppidò sistet, de quo videas Dec. 9. quæst. 2. Addo, quod Experientia sit alterum Medicinæ nostræ fulcrum, sine quo frustra ratio laborat, & proinde rationis etiam applicatio sit ab experientia deducenda, potissimum quod ea, quæ per experientiam inveniuntur, postea, juxta Methodum dogmaticam, ratione dirigente, secundum cujusque morbi, subjectique laborantis proprietatem, ad usum pervenire debeant. Sint nobis exemplo morbi totius substantiæ, pestis, Lues venerea, Morsus canis rabidi, Scorbutus, &c. in quibus omnibus præter ea, quę manifestis concurrentib. lęsionibus succurrunt, etiam ab iis, qui rerum Chymicarum ignari penitus, appropriata exhibentur, sine quibus radix ejusmodi affectuum

Usus Chymiæ ab abusu distinguitur.

expugnari non potest. Nec tamen indiscretè cuilibet quodlibet, sed ex rationis determinatione juvans appropriatum in substantia & quantitate cuique conveniens, præscribitur.

Cur autem illud ipsum etiam in Medicamentis Chymicis selectis fieri quoque non possit, non video, præsertim cum hîc etiam ratio Dominium habeat, nisi penitus Empiricorum more, sine consideratione subjecti laborantis, ipsiusq; morbi, quodvis cuivis exhibere velimus. Quo ipso vero, dum materiam medicam selectam, & ab alienis qualitatibus depuratam expetimus, minimè fundamenta Medicinæ (quod hodie quidam faciunt) postponenda putamus, cum aliàs etiam selectissima medicamenta penes indoctos sint instar gladii in manu furentis. In eo tamen Excellentiæ tuę facilimè subscribo, quod minimè consentiendum cum iis, qui superciliosè Pharmaceuticas Officinas omninò rident, & ubique nihil aliud, quàm arcana spirant, quo ipso ruditatem & ignorantiam suam palliare conantur, quam ob causam in describendis observationibus, quas auditoribus meis Philiatris olim in Academia communicavi, juxta Methodum, materiam medicam, usu comprobatam, potius indicare volui, rarius illa tangendo, quæ diuturnâ & exquisitâ præparatione ab expertis interdum adhiberi queunt, ne tyrones à dogmaticis præceptis, magnâ studiorum suorum jacturâ, ad aniles Empirias abducantur. Hisce T. Excell. DEO Opt. Max. commendo, maximoperè petens, ut per occasionem Dn. fratrem Basilium, de re botanicâ benè meritum, amicè salutes, ut & inprimis Clariss. Collegam Dn. D. Camerarium. Benè Vale & me amare perge. Raptim Ulmæ, 27. Octobr. 1625.

(2.)

De raris vulnerum et ulcerum accidentibus.

Vir Clariss. & Excellentiss.

Dn. D. SAMUEL CLOSSÆUS, Medicus Metensis,

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Præmissis. p. Mirabilem casum, quem præ manibus habeo, lubet attexere. Mercator quidam è nostratibus à fluxionibus capitis liberari cupiens, ex consilio medicorum Francofurtensium diætæ, ut vocant, Guajacinæ vacat, quâ post quindenam absolutâ, aquis Schwalbacensibus æstuantis jecoris fervorem temperare studet, at illicò à primo earum haustu acutissimos dolores, tum in ventriculi fundo, tùm in Intestinis percipit, qui nonnisi post exitum bubonis permagni in inguine dextro remisêre, è quo per malactica ad suppurandum disposito, ingens puris copia cum fætore pænè intolerabili emanavit, quo facto ad suos remittitur, & ulcus Chirurgo curandum traditur, cumque id fistulosam callositatem acquireret, & indies pus inconcoctum sibilando evomeret, ad ægrum accersor, quem audio conquerentem, sibi intestinorum aliquod perfossum esse, se oryzam comestam, dum in reditu ad urbem esset, Emplastro hærentem reperisse, seque defluvium subterlabentis potus interdum adhuc à pastu persentiscere. Vide quam graviter aliquando in medicando hallucinemur. Ego inspecto ulcere, & circumstantiis omnibus excussis, irridere hominem, monstrareque, imaginariam esse hanc intestini perforationem, mihi quidem semel visam terebrato scilicet colo intestinò à vermibus, ex abscessu vero nunquam: Quam sententiam sequenti potissimum ratione confirmabam, oblæsionem istam, vel in aliquo intestinorum gracilium, vel crassorum contigisse, ex illis chylosam ex his alvinam materiam effluxuram, neutrius autem argumentum adesse. Addebam insuper, hominem inculpatâ admodum valetudine frui, non languescere ad oblata, febriculâ non tentari, benè incedere, egerere alvo & vesicâ, pro assumptorum ratione, atq; uno verbo, integerrimas edere actiones. Persuasionem de exclusâ oryzâ non minus vanam esse, cum potius fuerit putrentis glandulę particula quædam, multò minus fieri poculorum pervulnus rejectionem, sed ab esculentorum potusque copiâ interanea dilatari, iisque extensis succedere contrariam compressionem, in sinubus scilicet fistulosi ulceris, qui sanie turgentes eam post pastum maturius eructarent. Itaque (hæc enim fuit totius dictionis clausula) ampliandam fistulam esse, cuniculos ejus investigandos, parcè vivendum, à vino abstinendum, quiescendum.

Quibus ad unguem sic præstitis, ingens sinus è latere ulceris apparuit, in cujus medio, beneficio styli exploratorii, inventus est alter sinus priore minor, qui rectà in capacitatē Epigastrii ferebatur, & candelam ceream spithamæ longitudine penetrantem admittebat, eâque retractâ, non chylus, non alui fœces effluxêre, sed separatum à chylo alimentum, colorem ingestorum adhuc referens, neque ullius putoris particeps, quale etiamnum per intervalla, & singulis ferè quatriduis prolabitur, unde in pertusi gracilis Intestini cognitionem pervenimus, & ab eo tempore ægro potiones traumaticas propinavimus, bolos etiam ex Balsamo Levantino nebulis involutos, interdum illius loco Unguentum potabile, vel pillulas ex Therebinth. Ab extra v. mel rosaceum, cum æquali portione Balsami Peruviani, mixtum, & per syringam injectum, quibus remediis ulcus hoc brevi consolidationem accepturum speramus. Mirum mercatorem istum in tali valetudinis statu constitutum, tàm benè, tàm commodè sese habere, & quod excrementum istud Intestinale non jugiter, sed per intervalla tantum à Natura extrudatur, cum tamen alvus quotidiè respondeat. Sed de alvinis istis plus quam satis. Hisce Vale. Dabam Mediomatricibus Prostridie Calendar. Jan. anni gratiæ. 1633.

Vir Clariss. Excellent.

Dn. BERNHARDUS ROTTENDORF, Junior, Phil. & Med. D. & Physicus Monasteriensis,

GREGORIO HORSTIO D.

S. P. Excellentiss. Dn. Doctor, fautor & amice perpetim honorande, responsum quod humaniss. tuis litteris

litteris debeo, de industria hactenus distuli, possem istius rei dare causas, ni brevitati studerem: interim à te enixissimè contendo, ne silentium hocce meum, quod sine dispendio amoris fuit, in sequiorem partem interpreteris, quasi quidquam sit imminutum ex illo cultu, quem longum tuæ eruditioni devovi, & ad ultimum usque spiritum religiosè conservabo. Ne autem asymbolus jam accedam, Unicum quod nuper observavi, paucis subnectam. Quidam societatis Jesu ante aliquot menses Ulcus quoddam virulentum circa anum contraxit: quod brevi temporis spatio musculos fœde exedit: Mittitur tandem huc Monasterium, ut nostram operam experiretur, sed re paulo intimius perspectâ, inevitabilis ipsi moriendi necessitas prędicitur: ulcus enim propter perpetuum acrium & mordacium succorum defluxum, omnes circa anum carneas partes ad vesicam & os coccygis usque depaverat, fæces præter voluntatem erumpebant, & miser perpetuo febrili incendio simul exæstuabat, sanè spectaculum, quod omnes in commiserationem trahebat: 28. Decembr. anni præcedentis cepit conflictari horribilibus alvini ventris doloribus, qui in tertium diem, & quod temporis excurrit, extendebantur: his sopitis, prima Januarij hujus anni duo hepatis frustilla per secessum egessit, unum magnitudine æquabat hepar gallinaceum, alterum superabat, utrumque massa pertinaciter cohærente donatum, fibris implicitum, & una parte lævigatum, altera recenter à suo toto avulsum apparebat; nemo prudens grumum sanguinis fuisse suspicari poterat; eodem nisu intestinorum gracilium portiones tres excrevit, una mediam ulnam Brabantinam longitudine adæquabat, reliquæ paulo minores erant, omnes excrementis adhuc turgebant, eâdem operâ & viâ exclusit glandulam instar ovi columbini, materiâ spissâ albicante tandem gravidam, item globulos binos magnitudine nuces moscatas æmulantes, fungosa carne rubeâ intus refertas, extus leni cuticulâ obductos: subsecutæ sunt postea per triduum sedes sanguinolentæ, quæ tandem mortem exceperunt, & sic 5. Januarii optimus Adolescens, rarum patientię exemplar, esse desiit. Hæc quæ scribo verissima sunt, & viris doctissimis ad oculum demonstravi, sed quia mercatores nostri properant, hîc finio: interim Vale, mi optime Horsti, & me tuæ eruditionis admiratorem, in posterum honore inferioris amicitiæ dignare. Præproperè, 22. Martij, 1630.

Vir Clariss. Excellentiss.

Dn. JOHAN. FREITAGIUS, Medic. D. Ratisbonensis,

GREGORIO HORSTIO, D.

S. Clarissime Excellentissimeque Dn. D. fautor ætatem colende. Inter Chirurgos ægros, & etiam illos, quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, ab aliquot annis retrolapsis, hucusque exorta est admiratio & contentio, *Cur hoc Martialii seculo vulnera fere omnia in pejus ruant, difficulterq; curentur?* Hujus rei multi multas afferunt rationes, quas sicco pede prætereundas censeo, cum nihil ad nostrum forum & præsens negotium faciant: sed afferam illa tantum, quæ ratione & experientia comprobantur. Verum si fateri velim, attestor, quod omnia ferè vulnera vel ad mortem, vel insignem putredinem cesserint. Illa autem, quæ in putredinem degenerarunt, facta sunt adeò heterocleta, ut fermè omne medicamentorum genus, quod aliàs familiare & præsentissimum fuit, respuerint. Nostri Chirurgi Castrenses (Feldscherer) nasutuli, αὐτοδίδακτοι Empirici & misomedici, qui non considerarunt partem affectam, vulnus ipsum, corporis habitum & res non naturales, per digestiva vulgaria humidiora, incautè & nimis diu, adhibita vulnus in ulcus sordidum præcipitarunt, per acriora & calidiora, intempestivè usurpata, & symptomatum syndrome, morti præsentissimę patientem tradiderunt: præterea sępiusculè non animadverterunt, an subfuerit suspicio putredinis & malignitatis, ubi suppurantia valdè fuerunt noxia. Quantû ego in praxi meâ pro tenuitate observare potui, statuo quod causa genuina difficultatis curæ in modernis vulneribus, nulla fuerit alia, quam aër vitiosus, ex castrorum sordibus, & habitus corporis cacochymicus, qui in plerisque fuit, vel biliosus, vel depravatus ex morbo gallico, inde fluxus biliosus, serosus & malignus ad partem affectam, qui impedivit curationem, quia natura efficiens causa est consolidationis, sanguis materialis.

Quocirca ubi natura vel facultas fine suo frustrabatur, & sanguis vitiosus & malignus affluebat, curandum fuit, ut pars vulnerata temperiem suam naturalem haberet, & vitiosi humores evacuarentur. Non audiendi fuerunt superstitiosi illi Chirurgi, qui purgationes in vulneribus in totum abhorrebant, moti illa cautela, ne major fieret affluxus ex agitatione humorum, cum potius considerare debuissent, quod calidi, biliosi ac serosi humores ad fluxum magis apti sint, & inflammationes Erysipelata & febres excitent: hæc si superveniant, quod frequentissimè factum, tunc purgationes amplius non commodè institutæ sunt. Statim autem in principio purgatio fuit instituenda, antequam affluxus concitabatur & symptomata accedebant, & hoc debebat fieri non cum exquisite purgantibus, sed cum Manna, syrupo rosarum solutivo, Rhabarbaro, Foliis Senæ, El. de Psyllio, Rosarum Mesues, &c. vel cum clysteribus emollientibus & lenientibus. Chirurgica præsentissima in modernis vulneribus fuerunt applicatio decocti ligni guajaci & Salsis parillæ, decocti ex pyrola, Virga aurea, Sanicula, betonica & arthemisia, decocti ex melle, thure, myrrha & aristolochia rotunda, aquæ destillatæ ex Polypodio, Dictamno & Cichorea: in sordidioribus autem applicatio decocti Passularum Corinthiacarum, cum parum vitrioli, vel aquæ calcis vivæ, cum melle rosato, palmam obtinuit. Inter multa observatu digna referam unicum casum loco multorum, qui accidit Anno 1634. mense Julii, in obsidione Ratisbonensi, in juvene nobili ex Halinis Saxonicis, vexillifero sub Colonello de Bart: Is ex bombarda mosqueta globo plumbeo tactus in vertice, ubi sutura sagittalis cum lambdo de concurrit, & concentratur, globus

mansit sub pileo, & primo intuitu reliquit leve vulnus in pericranio, quod negligentius, contra Hippocratis cautelas, à Chirurgo per aliquot septimanas tractatum, donec Chirurgus peste extinctus, sub autumni finem, decursu vitæ lampada alii traderet, qui vulnus in ulcus sordidum degeneratum, cum labiis prætumidis & duris, nec non ossis nigredinem altè & fixè inhærentem vidit. Hic Chirurgus Dominus Jacob Scholtz nulli parcens labori neque studio, omni nisu allaboravit, quo modo labia prædura & tumida tolleret, Vulnus manifestius redderet, os exiccaret, saniemque copiosissimam absumeret. Verùm cum ossis nigredo neque medicamentis, neque instrumentis posset tolli, & caro suppullulans per suturas animadverteretur, in consilium & me adhibuit, ubi rebus omnibus præmeditatis, & corpore prædisposito, nullum tutius occurrebat remedium, quam ut latiori candenti ferro per intervalla cranium nigrum cauterisaretur, & successive os Occipitis mollius redderetur, nec non beneficio sagacis naturæ, quæ sæpius prævertit Medicum, solveretur.

Hoc mense Maij factum, ubi natura maximum os ponderis civilis lotonum trium vel unciæ unius semis, protrudebat, paulo post sequebatur minus drachmarum quinque: minima ossa numero 83. indies excernebantur, usque ad mensem Augusti, ubi sartus tectus, DEI gratia, patrios repetebat Lares, cum omnium stupore. Particulæ ossium fuêre numero 85. pondere ferè quadrantis libræ, ut in schemate transmisso apparet. Pro propugnaculo, & occipitis firmamento, provida natura carneam massam supraduxit, quæ exorta est ex Hippocrat. διπλοῆ, quam ipse describit l. de vul. cap. Spongiæ similem, & os ipsum in se caruncula multas humidas habere affirmat. His obtentis, Dn. Patiens non amplius de Cephalalgia conquestus est, nec de reliquis antegressis Symptomatibus, & seriò affirmavit, se magis valere memoriâ, quam ante acceptum vulnus: quod paucis septimanis elapsis per literas ex Patria adhuc contestatus est. Hîc intactum non possum relinquere, *an in vulneribus sclopeticis Empyreuma simpliciter negandum?* Respondeo, quod vulnera sclopetorum juxta contusionem cum combustione complicentur, prout cominus vel eminus impressio fiat, & pro copiosioris pulveris & globi impacti ratione: ipse enim expertus sum, si vulnus illatum fuerit cominus, tunc pulveris tormentarii vis non omnis erat dissoluta, sed una cum globulo adhuc calente, ignea comitante vi, adusque vulneratam partem delata fuit, cum granulis cuti infixis, cutisque apparebat livida, & quasi ambusta; vidique etiam vestigia illius in veste & interula: imò labra vulnerum videbantur escharotica dura, parum sanguinis stillantia, quæ etiam comitabatur subita inflammatio in tota circumferentia, cum intensiore siti, quod in aliis simplicioribus contusionibus ex ictu lapidis & alterius corporis durioris nunquam deprehendi. Præterea sanctè affirmare possum, quod ego ipse globos tormentarios majores, in obsidionibus duabus in nostram urbem immissos, per calorem intensissimum non potui attingere: minores, qui post temporis intervallum ad arsenale deportabantur, sæpius tetigi, & semper adhuc inesse calorem sensi, quod etiam manifeste, in plumbeis globulis observavi, in ædes immissis. Meam sententiam etiam confirmat cura, quæ semper auspicanda est ab inflammationem prohibentibus, ubi in circuitu partis vulneratæ saniores Chirurgi studiosè adhibent, Oxyrrhodinum vel poscam, vel unguentum ex bolo Armeno, ol. Rosa. & parum albuminis ovorum, deinde digerentia, mundificantia & cicatrisantia: Interius propinant Salem nitri, vel Prunellæ, cum optimo successu. Quid sentiendum de globulis veneno delibutis norunt Sicarii, & ipsa hostis malitia loquitur. Si pulvis, tormentarius per se esset venenatus, non fieret in febribus malignis & Sclopetorum vulneribus militum præsentissimum & familiare alexipharmacum. Temporis angustia intercludor, ne addam reliqua in Chirurgicis observatu digna. Inaudivi sub prælo fervere tertium librum Epistolarum Medicinalium, cui varia de Peste aliisque gravioribus morbis inseruntur scitu digna: cum T. Exc. placeat, etiam meum conferre σύμβολον, proxima occasione quædam de Peste, nostram urbem ante sesquiannum invadente, addam. Interea feliciter vale cum tuis, Ratisbonæ Idibus Martij, 1636.

Hactenus de Chymicis quibusdam; sequuntur Miscellanea quædam.

Vir Clariss. Experientiss.

Dn. GUILIELMUS FABRICIUS, Reipubl. Bernensis Medicus & Chirurgus Ordinarius,

GREGORIO HORSTIO, D. S. P. D.

EXcudi hîc curavi, Vir Ampliss. fautor & amice æternùm honorande, Meditationes aureas, vereque sacras *Rev. & Clar. Viri, Dn. D. Iohannis Gerhardi*, cum versione Gallicâ *Rev. & Doctiss. Viri Dn. Ioh. Combilloni p. m.* uxori meæ inscriptâ, sed antehac nunquam editâ. Mitto ad te exemplar, quod ut hilari fronte accipere, meque de statu valetudinis tuæ, tuorumque certiorum facere velis, obnixè rogo: propter longum enim silentium non parum de te sum solicitus. Ego, & uxor mea pro ætate nostrâ (illa enim sexagesimum septimum attingit, ego vero superiori mense Junio septuagesimum primum ingressus sum) satis benè, laus DEO, nunc valemus. Subinde in *sexta Centur. Observat. ut & in tract. quodam novo de Ichore & Meliceria Celsi, & Synovia Paracelsi* laboro, sed admodum lentè progredior, propter occupationes scribendi conatum interrumpentes. Non autem intermittere possum, quin addam historiam singularem ad confirmationem eorum, quæ antea inter nos de imaginatione prægnantium agitata fuerunt. Ante menses aliquot matrona quædam optima ac pia hîc puellam podice carentem, & excrementa per vulvam excernentem peperit, quæ & usque nunc quam optimè se habet: quamdiu enim

Casus singularis de imaginatione prægnantium.

excrementa

excremata liquida sunt, facilè per foramen illud parvum, quod ex intestino ad inferiorem partem vulvæ pervenit, excernuntur. Affectum hunc ex imaginatione pervenisse mater ipsa credit. Cum enim advena hîc esset, & ipsa antea Ursas nunquam vidisset, accidit ut quadam die, cum ad speluncam Ursarum staret, & posteriora Ursæ nimis attentè adspiceret, podicemque nullum observaret, sibi firmiter persuaderet, ipsam Ursam podice carere. Habemus etiam hîc puerum, decem circiter annorum, qui in utero materno cataractas ex imaginatione materis contraxit. Sed de his aliâs: nunc plura non licet propter nuncii festinationem. Hisce benè Vale. Raptim Bernæ Helvetiorum 26. August. 1630.

RESPONSUM AUTORIS, Ad præcedentem Epistolam.

S. Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, Senex Veneran-de, non tantùm, quod singularem unam atque alteram observationem communicarent, sed potissimùm eam ob causam, quod te cum amantissima conjuge, sanum & incolumem in hac ætate declinante testarentur. Inprimis verò transmissus libellus Meditationum Sacrarum *Reverend. & Clariss. Viri Dn. D. Iohannis Gerhardi*, olim in Academia contubernalis mei, & amici veteris intimi, singulari lætitiâ me affecit. cujus lectio in lingua vestrâ Gallicâ mihi gratissima erit. Miror singularem sollicitudinem tuam, quâ boni publici gratiâ, tàm in continuandis Centuriis Observationum tuarum, quàm etiam in tractatu de synovia Paracelsi strenuè laboras; DEUS faxit, ut annos Nestoreos Reipublicæ Medicæ vivas, & ipsemet scripta tua utilissima varia in ordinem redigas. Cum autem nihil magis, quam singularium Casuum observationes te delectent, nolo comparere, quin aliquid adferam, quanquam non ex meo, sed aliorum penu. Notabilis est Historia, quam ad me perscribit Clariss. Vir, *Dn. Lud. Schmidt. D. Med. & Archiater Durlacensis* de monstro ibidem nato, quæ sic habet: Monet hodierna dies inquit, (erat autem Dom. 2. Adventus 1628.) ut te de Monstroso partu, quem septimo gestationis mense civis cujusdam nostratis uxor 23. Novemb. edidit, certiorem faciam. Ejus caput, thorax & annexa brachia secundum naturam erant: totum abdomen carebat tegumentis suis omnibus, præter peritonæum, sub quo hepar & lien, utrumque loco suo situm erat, sed illud quadruplo majus, quàm pro ratione corpusculi; hic minimus; fabam majusculam referens Hepar, ventriculus, intestina scatebant atro humore: omni enim per inferiora exitu carebant: aberant etiam penitus pudenda & partes genitales, itemque totum os sacrum. Cutis per dorsum descendens in interfœmineo cum peritonæo unita deinceps utrumque crus decenter investiebat. Sed notandum, licet crura figuram planè naturalem obtinerent, sinistrum tamen perversum habuisse situm, ejusque posteriora antrorsum conversa fuisse, à nate ad calcem usque, quin & hoc non

Monstrosus partus.

omitto, in interna sinistri femoris parte effigiem umbilici, qualis in adulto apparet, affabrè impressam fuisse, quam lente contexisses: vitio ergò magnitudinis & figuræ naturalia laborabant, situ ambulatorio instrumento perverso, genitalibus planè deficientibus. Huic subjicio casum alium ex literis Viri Clariss. & Magnifici, *Dn. Philippi Persii, Philos. Med. D.* & hactenus Procerum Austriæ Superioris Medici Senioris, amici mei veteris, qui sic sese habet: Jam occurrit (inquit ille) mihi casus ille, quem vidi in aperta Matrona defuncta, socru Dn. D. Abrah. Schwartzii / JCti. Hæc ex suppressis mensibus Anno 1612. incidit in hydropem, vacuus & cavus aliàs erat totus venter & abdomen, consumpta omnia, pinguedo in mesenterio nulla, subsidit ventriculus penitus, sed in omnibus intus visceribus stabulabatur ingens aquæ copia, ultra mensuras sexaginta, ipsaque viscera plena erant vesicis duplicatis, veluti in carpionibus eximuntur, è quibus materia viscosa & aquosa sectis erumpebat: ejusmodi vesicis pendulis (numerus excessisset nongentas) scatebant renes, uterus, ventriculus, intestina, cor, pericardium, hepar & lien: mirabamur omnes, cur in tam longa inedia integrum ferè annum perseverare potuerit, antequam expiraret. Tertium casum per literas sub dato 3. *Calend. Febr.* 1630. mihi refert vir eruditè doctus, *Dn. Samuel. Clossæus, Medic. D. & Physicus Metensis*, his verbis: Ex Haga Comitis casum sequentem accepi, quem tribus verbulis propter tabellarii festinationem sic hauri: Mons. de la Grange, vir admodum illustris & strenuus capitaneus nostras, ætat. 47. in obsidione Crollana globulo sclopetico, abdomen paulò supra umbilicum penetrante, icitur; post mensem sanatus est integrè: expugnato verò Buscoduco, colica passione diem obit. Cadavere à D. Rumphio aperto, intestina tanquam folle inflata apparent, partem vero coli superiorem ventriculo proximam, Spithami longitudinem æquantem, ex violentia præcedentis ictus diaphragmate, supra illud hæsisse, atque consolidatam fuisse repertum est. Mirum! hominem toto biennio nullam ex hoc vulnere in naturalibus atque vitalibus functionibus obeundis sensisse læsionem. Hactenus amicus. Similem casum olim Præceptor meus *D. Andreas Scato, Profess. Wittebergensis referebat*, quem in Practica sua *Dn. Sennertus* repetit. Plura non addo, sed te cum amantissima tua, sicut etiam nos omnes DEO Opt. Max. commendo. Dabam Ulmæ.

Hydrops cum innumerabilibus vesicis aqueis.

Vir Clariss. Excell.

JEREMIAS ERHARDUS, Philos. & Medic. D. Reipubl. Augustanæ Ordinar.

GREGORIO HORSTIO, D.

S. &c. Verùm ut scriptioni ulteriori ansam suppeditem, adeoque ignem amoris foveam: En! mirabilem affectum, quo tenetur Mercatoris cujusdam aromatarii apud nos Filiolus, 10. annorum, temperamenti calidi & sicci, sanus aliàs atque ingeniosus. Hic ultra annum sæpius ex im-

Morbus convulsivus singularis.

ex improviso Spasmo quodam oculorum & colli corripitur, ita ut primò nil nisi tenebrositatem sentiat, mox oculorum Spasmus sequatur, ita ut hos nec sursum, nec deorsum, nec ad latera movere queat, tandem verò totum caput & collum retrahatur: momentum tantum paroxysmus hic durat, statimque cedit, nihilque post hunc puer incommodi sentit, sed sæpius ter quaterve in die redit; dolores quidem capitis ingentes finito paroxysmo per aliquot tempus sensit, qui tamen post unam atque alteram purgationem cessarunt, ita ut nunc de illis nil amplius conqueratur. Varias de hoc affectu cogitationes habui, ut & amicissimus Collega meus Dn. D. Hoechsteterus. Putavimus ex consensu inferiorum partium, nimirum ex biliosis stomachi evaporationibus malum hoc oriri, sed post exhibitionem cholagogorum, non cessavit: putavimus è vermibus oriri, sed post exhibitionem medicamentorum eosdem pellentium, nullos vidimus, nec cessavit malum: putavit præfatus Dn. Collega meus, ex humiditate cerebri nimia oriri, (de quo equidem semper dubitavi) sed post usum exsiccantium non cessavit malum: exhibuimus antepileptica, non cessavit malum: exhibuimus antispasmodica intra & extrà, non cessavit malum: exhibui salem è stercore pavonum, cujus ope Quercetanus rusticum quendam in similibus affectionibus miracula præstitisse narrat; sed non cessavit malum: humectantibus cerebrum posthac uti proposui: frustraneus namque prædictorum usus, ex nimia siccitate cerebri affectum hunc ortum ducere ostendit; faxit Deus ut sanitas exinde pristina sequatur, vereor enim, si diutius perseveret, ne in Epilepsiam degeneret. Tu quid de his statuas, quæso rescribe, & si quid medicamenti, singulari tua experientia confirmati, habes, communica. Vale cum tua familia, & me amare perge. Dab. Raptim 16. Martij Anno M. DC. XXIX.

RESPONSUM AUTORIS,

Ad præcedentem Epistolam.

S Temporis angustia exclusus voto meo de casu per literas proposito proximè tecum agere non potui, Vir Clariss. Excellentiss. Fautor & Amice plurimùm colende, nec patiebatur idipsum amica conversatio cum plerisque collegii vestri amplissimi Doctoribus, quibus omnibus ob honorem atque benevolentiam mihi exhibitam plurimùm me obligatum confiteor. Cæterùm mirabilem affectum dicis, quo tenetur Mercatoris cujusdam filius decennalis, temperamenti calidi & sicci, sanus aliàs & ingeniosus. Hunc ultra annum sæpius ex improviso spasmo quodam oculorum & colli corripi dicis, ita ut primò scotomiam, mox oculorum convulsionem, etiam immobilitatem, tandem verò capitis atque colli retractionem patiatur, quem affectum momentaneum, sed de die ter quaterque redeuntem pronuncias. Sanè mirabilis est affectus, si mirabilibus annumerantur illa, quæ rarius ex causis intellectui non protinus obviis occurrunt, qua ratione philosophiam, seu cognitionem rerum omnium, admiratio generat. Similem ferè casum ante triennium circiter in puero decem annorum ætatis, primarii cujusdam filio, hîc habui, qui frequentes etiam convulsivos motus in palpebris, maxillis, brachiis, digitis, aliisque partibus, sed absque dolore, momentaneos patiebatur concurrente semper hypochondriorum inflatione. Cum autem nativâ dispositione genus nervosum debilius esset, concurrente viscerum concoctionis imbecillitate, protinus ad utrumque respiciendum esse duxi, potissimum juxta indicationes, quas in tractatu de Morbo Convulsivo, appendicis loco l. 3. Observat. poster. addito, legis, ubi præ cæteris claretum laxativum singulis septimanis ter, quaterque repetitum, antecedentis causæ respectu, nec non postea Thermarum Dalphingensium usus continuatis ejusmodi juvamentum naturæ præstiterunt, ut huc usque Adolescens omninò liber sit ab ulterioribus invasionibus. Similem dico, non penitus eundem fuisse morbum, quatenus hic omnia sine dolore fiebant, sicut etiam in illa muliere, cujus à me fit mentio l. 2. Observ. prior. pag. 135. non tamen dubito, quin antecedentis causæ respectu maxima sit convenientia: at verò cum frequentius in praxi medicâ indicatio præservativa, quæ causas antecedentes respicit, quam curativa, ad morbum immediatè directa, nobis observanda veniat, non dubito, quin in hoc vestro casu cum successu quoque prædictæ intentiones locum habere queant. Hisce benè vale, Vir Clariss. ac Dn. Collegas per occasionem officiosè saluta. Dabam Ulmæ d. 5. Apr. Anno M. DC. XXIX.

Similis casus.

Vir Clariss. & Excellent.

Dn. JOHAN. ERHARDUS CELLIUS, Physicus Reip. Eslingensis,

GREGORIO HORSTIO, D.

Depluat à verâ vera salute salus.
Ergonè fata meis semper contraria votis?
Ergonè vota animo tantum inimica meo?

QUod enim, Vir Magne, Patrone maxime, flagrantibus diu exoptâram votis, (vivam faciem, vocemque T. Magnificentiæ oculis, auribusque meis usurpasse denuò) id nuper in sinum plenissimè datum: à me nec exceptum nec arreptum: nec benevola compellatio, nec plena salutis comprecatio agnita, nedum eâ, quâ decebat observantiâ excepta à cogitabundo, & de recuperandâ suorum in acidulis Ubenhusanis (quò incitato cursu tendebam) incolumitate solicito. Et eò magis dolui, quò certius postea ex fide Dn. D. Papii, Collegæ mei, potioris honorati, Pharmacopæi & Hospitis relatione diversionem apud nos Eslingæ nocturnam, moramq; insequentis meridiem intellexi. Sed quantū dolui de hoc, tanto majore vicissim gaudio percepi, & immanentem Vestræ Amplitud. Ejusque familiæ transvectæ prosperitatem, & post se relictum nunciandæ salutis comprecationem & faventiam: quæ trina quidem à Referentiū istorum Triga; sed multiplex in se, gratias ex me infinitas & immortales, quas ago, meretur,

meretur, nec benevolæ recordationis à tanti Nominis Viro proficiscentis, nec mentionis honestæ, piæque appreciationis usque adeò digno. Hæc excusationis, compellationis nunc ratio: quæ quod Nobil. Vestr. Præcell. hisce meis fatigo præcipuè unus est, unius mei, Patris instar, Patroni seria, uni mihi concredita, cura.

Observatio in ulceribus mali moris.

Vir quinquagenarius, procerus, corpulentus, habitus durioris, carnosi magis, quam adiposi & plethorici, plethorâ quidem non exquisita, sed ad Cacochymicam cum ætatis incremento subinde magis declinante, catarrhosus admodùm, laborabat ante quadrimestre aliquot ulcusculis in infimo pede dextro minus parentibus, nec admodum sinuosis: binis quidem recentibus circa talum in articulo fermè, binis inveteratis à triennio, infra paulò, in exteriore malleoli regione sitis; nec sordidis, nec verè malignis, dolorosis tamen & insanabilibus.

Quare post præmissa Præparantia in Thermas Ferinas nostri Ducatus in sylva Martiana (quarum usum felicissimum jam aliquoties, tàm corporis universi ad contracturas artuum dispositi, quam pedis adfecti ratione expertus erat) sitas, 11. Junij currentis anni ablegatus est. In quibus malum primis diebus atrocius visum, mox postea fermè omne sublatum. Quare spatio menstrui cursus exacto redux, quoad totum multò vegetior, quoad affectum pedem, sanus propemodum est judicatus. Vetera namque ulcuscula, ut & recens in postica tibiæ parte inferiore, planè coaluisse, & ligamenti lati in solea tumor dolorosus penè evanuisse videbantur, & pes per omnia nativo vigori restitutus: nisi quod major (quasi sanguine fervidiore, acri & pruriente, etsi minus ac antea infarctus) sinistro (ut erat tumidior à multis retrò annis, etsi diminutus paulùm à ferinis) manserat, & illud recens ulcus in ipso Tali articulo exterius prominente relictum. Ut, in quod, cæteris consolidatis, omnis affluxus acris materiæ (qua scatet hucusque) redundabat. Ulcus est angustum quidem (nisi quod acris humor in superficie serpat, ni solicita Chirurgi industrii cura præcaveatur) sed satis profundum; jugiter & nunc parcè satis, mox affluentius, scaturiens. Fonticulus sanè foret felicissimus, nisi inconvenientissimo pone articulum loco, urgente & urente naturâ, locatus. Artificialis quidem emissarius ante triennium, suasu & opera periti artificis, & famigerati Chirurgi, pedes affecti suræ interiori mox infra genu, Cauterio potentiali felicissimè insertus fuit. Et interiori quidem Tibiæ Suralis regioni (licet Ulcus unum tunc inveteratum, ut nunc recens superstes adhucdum, in exteriore pedis infimi parte stagnaverit) infixus: tàm ut (1.) commodiùs ab ipso Dn. Patiente tractari & deligari posset, quàm (2.) jugis ille descendentium humorum affluxus ab Emissario per venulas communicantes, à directa via paulò lævorsum allectus, eructando interciperetur. In ea quidem Tibiæ superioris parte commodiore, ubi (3.) musculi sunt carnosiores, ubi (4.) vena major saphæna transcurrit, & ubi (5.) nullus de lato tendine, ne fortè offendatur, ut in opposita parte, metus. Fonticulus ut feliciter primùm implantatus, ita conservatus hucusque grandioris globuli ex hedera vel gentiana tornati capacissimus; eructando suo muneri & voto nostro (post Ferinas præcipuè, minus ante) satisfaciens. Non tamen ipse potens satis alliciendo, intercipiendoque omnem humorum ad affectum pedem consueto motu irruentium affluxum; quin aliqua portio à parte exteriore rectâ viâ delabatur ad ulcus. Hinc nec plenè resiccari, nec carne repleri, nec consolidari patitur: nec ullis probatissimis utcunque cedit Emplastris. Nec enim Unguento Diapompholyg. nec Gryseo, nec ex usto plumbo; nec Heurnii Mercuriato, nec de succis Arantii, nec Stictico Paracelsi, Crolliano, aliisve opodeltoch celebratissimis à Dn. D. Plachetio, Fautore meo honoratissimo benevolè communicatis. Quibus omnibus frustrà post Ferinas applicatis, & irrevocabili motu materiæ illabentis probè observato, alia est ineunda via. Obvia præ cæteris una: fortè novum Fonticulo priori Fonticulum è regione Pedis ejusdem affecti apponendum esse, & Suræ exteriori (ut interiori prior) imprimendum. Binis de causis: quarum à Ratione prior, quod abs dubio felicior humoris continuò & recta defluentis interceptio fieret, si fonticulus directè foret interpositus. Ab experientia posterior: quâ jam sum edoctus, vetera ulcuscula in inferiore malleoli regione sita coaluisse subitò, postquam à recente (etiamnum durante, quasi naturali fonte) paulò superius pone tali articulum, affluxus acris materiæ fuit interceptus. Quid si nunc paulò supra recens Ulcus figeretur artificiis Emissarius? an non effectus idem sperandus? Facilior fortè, si mox supra Ulcus, & infra suram: sed minus commodus; ob lubricam loci declivitatem & fasciarum decidentiam. Commodissimus inter musculos Suræ carnosiores paulò superius è regione prioris: nî fortè minus tutus; ob Inflammationis ex binis tàm propè locatis Fontibus oriundæ metum. Tutior supra genu ponè femoris extremitatem; nî fortè nimis ab affecto loco remotus. Contuli nuper hâc de re cum binis egregii nominis in viciniâ Medicis: neuter afflicto pedi afflictionem denuò super addendam; uterque verò revulsionis causâ, tàm à capite (fluxionis origine) quàm affecto membro, in Cubito; sed alteruter in dextro, alter in sinistro, non nemo in altero pede Sano, inurendam censuit Fontanellam. Proficiet, (non inficior) sed minus sufficiet (salvo meliore judicio) qualiscunque revulsio. Proficiet (haud ambigo) & capiti fluxionum origini, & infarcto pectori, & affecto pedi avertendo & evacuando: Minus autem (vereor) sufficiet: quia corpus grande, plethorico cacochymicū succis scaret undiq; pituitosis? quia tota sanguinea massa (monstrat ex sectionibus αὐτοψία) acribus ichoribus est refertissima; quia fluxus ad affectum pedem à multis annis Naturæ adsuetus; quia denique pes afflictus eò promptius excipit omne malum undecunque foràs pulsum, quo & Inflammationibus: & Ulceribus, & scarificationibus (quæ sine cucurbitulis factæ levamen adferunt prurienti membro) & venarum sectionibus antehac frequentioribus, hucusque magis debilitatus. Fonticulus & hic & illic (opinor) felicissimè stagnaret: nec tamen Ulcus Emplastris cederet, ni interciperetur affluxus.

Vir.

Vir verò sui negligens, hepatis calidioris, purgatu difficilimus, ut strictioris servandæ diætæ impatiens, ita plurium fonticulorum ferendorum pertæsus. In labyrintheis hisce cogitationum ductibus unum sequi luberet, ceu divinam virgulam, Amplit. Vestræ, exactissimum judicium. Qua re, ut tribus saltem decisivis tres trium dubiorum scrupulos eximat, oro: 1. num ullibi recens Fonticulus inurendus? Quod si; num. 2. affecto pedi inserendus: & quidem priori in exteriore sura è regione apponendus: ut hoc manante prior postliminio reduniri posset? 3. Quod denique expertum Ulceri Emplastrum, quo consolidetur applicandum? Quid in cæteris peragendum, pro benigno favore suo adjungat. Ignoverit Ampl. Vest. (scio) impudentiæ meæ, si agnoverit indigentiam, ex qua proficiscitur illa. Ignoverit indigentiæ, si agnoverit confidentiam in incomparabili Tui Nominis celebritate, inusitata humanitate, & gratificandi promptitudine fundatam. Ego vicissim in eo totus ero, ut si qua potero ratione, meam observantiam & benè merendi promptitudinem, erga Vestram Magnit. faciam pleno ore, & opere testatam.

Vive, Vir Eminentissime, sub alis propitii Numinis felicissimè: nec favore tuo me, nec responso dedignare. Dab. Esslingæ: die 9. Septemb. Anno 1629.

RESPONSUM AUTORIS,

Ad præcedentem Epistolam.

S. Non opus erat longiori excusatione, Clariss. Celli, quò ad nuperam tam absentiam. In voto mihi nihil magis erat, quam non tantum incolumem te videre, quod sanè contigit, sed etiam per horas aliquot amico colloquio nostram amicitiam refricare. Verùm quòd coràm fieri non potuit, literarum crebritate compensare conabimur. Quod casum istum propositum concernit, valdè vereor, ne laterem laves, nisi laborantem invictus ratione reddas obsequentissimum. Fonticulorum usum interceptionis gratia non improbo: parum tamen his ipsis proficies, naturali corporis plenitudine cacochymica non tantùm præsente, sed ipso laborante diætæ strictioris regimen negligente. Non dubito, quin sudoriferum decoctum ad menstruum spatium ordinatum, vino interdicto, similiterque diætâ, non quidem Sanctorianâ staticâ, tenuiori tamen observata, cum intermediis evacuantibus, singulo quatriduo præscriptis, plurimùm præstare possit, quod plenius colligere poteris ex iis, quæ in *Observ. meis post. l. 4. sub finem inter me & Clariss. Dn. D. Fabrum* communicata fuere. Plura non addo, sed te cum tuis Deo Opt. Max. commendo. Dabam ocyus Ulmæ d. 18. Septembr. ANNO M.DC.XXIX.

FINIS LIBRI X.

LIBER VNDECIMVS

CONTINENS

VARIA MISCELLANEA.

OBSERVATIO I.

De inediis miraculosis nostri temporis.

ADmiratione digna sunt illa, quæ *Marcellus Donatus lib. 4. cap. 12.* proponit, quæ majorem fidem apud Lectorem candidum merebuntur, ubi cum iis, quæ mox dicemus, conjungentur. Tales sunt historiæ nostri seculi, de quibus primo audiamus *Langium lib. 2 Epistolarum cap. 27.* ubi triennalis puellæ Spirensis inediam his verbis enarrat.

Historia inediæ Spirensis puellæ.

A partu Christiparæ virginis anno supra mille quingentos, quadragesimo secundo, Reuschi, Lipsensis medicorum, Academiæ decus, dum Ferdinandus Romanorum Rex, una cum sacri Romani Imperii proceribus, ad Comitia, à Carolo Imperatore Spiræ indicta advenisset, consulturus quibus copiis & viribus sæva Solymanni Turcæ tyrannis, atrocis ex professo Christicolarum hostis, labefactaretur, ne adeò impunè in Christi cultores grassaretur: ubi tu quoque aderas: tum fama de triennali puellæ inediâ, quæ in pago cui nomen Rodt, à Spira imperiali civitate in littore Rheni sito, duo milliaria, Spirensis diœcesis, distante nata, passim percrebuerat: quæ dum primum capitis dolore ventrisque torminibus affligeretur, nec quicquam anilia muliercularum medicamenta conferrent, cœpit plus cibum quam potum fastidire, doloreque nervorum in brachiis & cruribus robur relaxari, quod edocta ab anu quadam, radicum & herbarum decocti fomentatione fertur recuperasse, sed unà cibi potusq; omne desiderium amisisse: adeò ut quamvis ab incredulis variis obsoniorum illecebris & bellariis, quibus ætas puerilis oblectatur, attentaretur, frustra quidem nec parentum precibus adigi potuerit, ut quicquam esculenti vel potus, vel primis labris saltem degustaret, quam inediam, quum ultra biennium sustinuisset, nihil excrementorum nec per alvum aut vesicam excrevit: ad nomen tamen matris, & suorum

ſuorum deſiderio, abſens affatim illacrymabat. Pituitæ mucos per nares abundè emungebat, nec ſuæ auribus ſordes deerant. Rex itaque ejusque à conſiliis proceres, tam diuturni omnis alimoniæ faſtidii admiratione commoti, veriti quoque ne quid fraudis (ut olim in Auguſta Vindelicorum urbe, & nuper in Anglia anus prætextu religionis, ſolertis etiam ingenii viros deceperant,) ſubeſſet, illuſtriſſimus inquam Rex Ferdinandus puellulam, nullius ſibi fraudis conſciam, Spiram accerſitam, novis indutam veſtibus, medico ſuo & alteri cuidam ſuorum à cubiculis viris ſpectatæ fidei, nocturno diurnoque tempore, in eorum ædibus obſervandam dedit. Verùm cum nihil fraudis in ea deprehenderetur, cuncta quoque dictis correſponderent, Rex, pro ſua genuina clementia & liberalitate, puellæ miſertus eam virgineo mundo decoratam, parentibus reddidit. Quam vidimus & nos, duodecim annos natam, juſto corporis pro ætate habitu, coma flaveſcente, fuſcam, oculis cæſiis, facie non illiberali: quod ad animi affectus attinet, taciturnam, benignam, & mitis ingenii puellam, parentibus morigeram, ob inexhauſtas jejunio vires deſidem & ſomnolentam. Venter compreſſior, nec quicquam circa præcordia vitii, quod tactu deprehendi poſſet, protuberabat: attamen corpus puſtulis de phlegmate ſcatebat. Sed quod admiratione non caret, crura velut tabe inſumpta gracilia erant: quum aliis diuturnam inediam paſſis, præcipuè ex febre longa craſſeſcant, aut ſaltem tumore inflentur, quod Heſiodus quoque in Ergis hoc diſtichio indicat: *Μη σὲ κακοῦ χειμῶνος ἀμηχανίη καλαμάρψῃ. Σὺ πενίῃ, λεπτῇ δὲ παχὺν πόδα χειρὶ πιέζοις* Cujus tumoris in pedibus cauſam ut Phyſicam, ita quoque veriſſimam Plutarchus reddit: quam, ne animus à puellæ inedia detrahatur, hic reddere conſulto omittimus.

Hucusque Langius, qui ſubjicit poſtea, quod per quam plurimi puellam hanc videntes obſtupefacti ſint, ita ut quidam ſingulari divinæ providentiæ hoc adſcriberent, ſicuti factum in *Helia 3. Reg. cap. 17.* alii præſtigiis dæmonum, & faſcino hoc fieri putarent: alii pharmacis hoc attribuere conarentur. Quibus omnibus opinionibus rejectis ipſe tandem elegantiſſimo diſcurſu propriam aſſertionem proponit, monſtrando primum appetitus naturalis cauſas, iisque declaratis addendo, quod idem appetitus varias ob cauſas proſternatur, & in univerſum etiam aboleri poſſit; primo propter nervorum ſtomachicorum relaxationem, ſuctionis ſenſu penitus pereunte. Quod puellæ huic (inquit) dum crurum, brachiorumque ipſius nervi paralyſi in morbo reſoluti fuerant accidiſſe non temerè ſuſpicari poterimus. Deinde ſubjicit, quod Phavorinus apud *Gellium lib. 16. cap. 3.* ex Eraſiſtrato duas alleget cauſas, per quas priſtinum edendi deſiderium elangueſcit, aut reſtinguitur, videlicet ob vaſa, quæ cibum capere & concoquere debent repleta: aut ob inediam diutina inanitate contracta & conniventia vel obſtructa. Hinc addit, Scythas faſciis latioribus contra famem ventrem conſtringere, quod etiam virgines noſtrates, quo graciliores videantur, faciunt. Sed porrò inquirens, quidnam ſit illud, quod in defectu alimenti per appetitum aſſumpti, naturam noſtram reficiat, præter eſculenta & potulenta duo ponit, nimirum, extra corpus aërem & odores, in corpore, adipem, petuitam ac defluxiones. Quod aëre natura noſtra refici queat, pluribus eleganter conquiſitis probat, quæ cum iis quæ Marcellus habet, conjungantur. Nec alteri probationis membro ſuę demonſtrationes deſunt, quia pluribus exemplis ex brutorum animalium genere, tum etiam ex muliebris naturæ proprietatibus deducit, ejusmodi materiæ collectionem adeſſe poſſe, quæ præſente tali dejecto appetitu, nihilominus aliquandiu naturam ſuſtentare poſſit. Quibus præmiſſis tandem concludit, corpora ſexus fœminei frigidioris eſſe quam maſculorum temperaturæ: ob id pituita & adipe referta & obeſiora inediam quam Græci *ἀσιτίαν* dicunt, facilius diutiusque ferre poſſe; præcipuè ſi effœtas caloris congeniti vires & ſpiritus vitalis robur ſalubris aëris inſpiratio & odor refecerint: ac iis pituita concocti ſanguinis rudimentum & adeps, ut oleum in lampade ellychnio, alimentum & fomentum ſuppeditarint, quod & huic puellę eandem ob cauſam accidiſſe arbitratur. Similis eſt hiſtoria, quam habet *Franc. Citeſius in libro peculiari inſcripto, Abſtinens Confolentanea*, cujus verba ſunt hæc: Puella eſt nata quatuordecim annos, aut circiter Johanna Balam nomine, patre Johanne Bala, fabro ferrario, matre Laurentia Chambella, ſtatura pro ætate juſta: moribus ſubruſticis, Confolento urbe in Lemovicum & Pictonum confinio ad Vigennam oriunda, quæ cum undecimo ſuæ ætatis anno febre continua, circa 13. Cal. Mart. Anno 1599. eſſet correpta, tum graviſſimis aliis ſymptomatis, tùm aſſiduo in primis vomitu per 20. dies conflictata eſt. Febre quoquo modo remittente, obmutuit, & totos 24. dies ſine voce deinceps hæſit. Reddita poſtea voce, quanquam delirii plena, omnium infra caput partium motus & ſenſus torpere & hebeſcere cœpit, adeò ut ipſe quoque œſophagus (cibi potusque in ventriculum via) reſolutus vim ſuam cathelcticam amiſerit, neque hactenus perſuaderi puella potuerit, ut cibum ſumere velit, ne quidem pellecta familiaribus huic ætati condimentorũ & fructuũ fugacium illecebris. Reſtitutus tamen & confirmatus eſt artuum motus poſt ſex fere menſes, præterquam altera coxendice, à qua adhuc ſubdifficilis eſt inceſſus. Sola deglutiendi impotentia remanſit undè & ſummũ omnium eſculentorum & potulentorum odium puella concepit. Interim ei, res mira, univerſum abdomen ſenſim emarceſcere & tabeſcere adeo viſum eſt, ut ab imis coſtis ad pubem usque nihil priſtini aqualiculi ſuperfuerit. Sola ibi nunc à ſterno pendula mucronata cartilago, non aliter quam ſuggrunda, quæ extra perpendiculum ſtillicidia ejicit, ſupra antiquam ventris regionem extat, à qua & notharum coſtarum appendicibus ſuperna cutis non mediocrem tenſionis & divulſionis ſenſum patitur, & ipſo etiam puellæ conqueſtu. Indè omnes muſculos, inteſtina, viſcera, & reliquas ventris partes atrophia conſumptas & contractas patet, ut detractas putes. Saltem ſolæ illarum fibræ & ſtamina reſtant, carnoſa omnis, quæ ſpatia earum infarcit, ſubſtantia periit. Cæteræ corporis partes multo minus exhauſtæ apparent. Nam & pectus amplum

Inquiſitio cauſæ quo ad præcedentem hiſtoriam.

Hiſtoria de Abſtinenti Confolentanea.

& ubera turgidula, brachia & crura modicè torosa, facies rotundula, sed fusca, labia rubella, lingua quidem contractior, expeditus tamen sermo, caput pilis longissimis contectum. Crescunt enim illi & pili & ungues immò totum ipsum corpus. Nulla sui parte excrementa procedunt, non alvo fæces, non vesica lotium, non utero menstruum.

Non est suâ sorde caput obsitum, quod ut in externa cute sic in ipsis sensuum organis suam integritatem testatur, neque (præter tenuem sputationem & nonnullas lacrymas) ullum aut auribus cerumen, aut naribus mucus, aut habitu sudor erumpit: Quin immò universa ferè corporis cutis frigida & sicca tangentibus apparet, vixque ullo motu incalescit, (si alas & cordi vicinas partes exceperis) etiamsi in rem familiarem operam omnem conferat, obsonium è foro petat, pavimenti sordes everrat, colum teneat, fusum rotet, stamina pollice ducat, atque in aliis hujusmodi ministeriis tota sit, nec ullæ sensus aut motus partes desint.

Investigatio causæ juxta Citesium.

His ita præmissis pergit autor prædictus ad inquisitionem causæ tam rari accidentis, & addit, plerosq; mali generationem in pomi ab anu quadam duos aut tres ante menses porrecti vim maleficam rejicere voluisse, quod puella eo devorato nauseam & animi fastidia passa sit. Verum huic opinioni non subscribit, propterea quod nihil supervenerit, unde vim illam tam diu sopitam fuisse non facilè statuendum. Obmutuisse dicit eandem post vomitum propter resolutionem nervorum recurrentium, ortum à resoluta & liquata pituita post ad hos nervos translata, undè suctionis etiam sensum, imò & ipsam deglutitionis vim amitti oportuit. Secundo loco ponit appetentiæ privationem, quod jecur hujus puellæ vitiosorum humorum sarcina adeò obsessum fuerit, ut naturali ejus calore fracto, cum omnibus infimi ventris partibus exaruerit & contabuerit. Tertio loco tabescentibus visceribus infimi ventris extincto febrili calore nativus relictus imbecillior cohibitus est intra corpus astrictiori & densiori cute reddita, quam ob causam propter paucissimam resolutionem pauca quoque restitutione opus fuit. Quicquid autem resolvitur id omne dupliciter posse restitui putat, nimirum aëris inspiratione per pulmonis tubulos ad cor transmissi & in reliquum corpus arteriis mediantibus distributi: dein humore crudo & pituitoso, quem in hoc puellari corpore per ætatis & sexus conditionem uberius succrevisse statuit.

Historia miraculosæ inediæ pueri Brunsuicensis.

Porrò notatu digna est historia pueri decem annorum circiter, qui superioribus annis in vicinia ad Visurgum inter fines Brunsuicensis Ducatus & Westphaliæ per quadriennium sine omni cibo & potu vixit, quæ historia, prout nobis à fide dignis est communicata tali modo sese habet: decubuit puer hic morbo chronico satis diu, ita ut parentes hinc & indè medicam opem implorarent, cumque nihil aut parùm auxilii reportarent, cuidam empyrico circumforaneo rem totam commiserunt. Is igitur ægro puero potionem exhibuit & ab eo tempore puer iste nihil edit, bibitve; cujus rei testes viri nobiles atque plebeji permulti possent adduci, qui diversis temporibus hujus rei videndi causa puerum accesserunt. Fuit autem puer iste admodum macilentus circa ventrem inferiorem. Circa ventrem superiorem nihil defuit, sicut nec in vi intelligendi. Solitus erat in lecto sedere & tempus in fabricandis avicularum caveis ludere, ferè inferiora omnia quasi mortua videbantur. Hic postquam quadriennium impleverat inediâ suâ, die ferè eadem circa festum pentecostes Anno superiori M. DC. XI. ad appetitum naturalem rediit, & pristinâ sanitate, restitutus ipsamet natura Medico, fruitur.

Historia de Puella Tullensi.

Imo & illud fidem meretur, quod exstat *libello de rebus gestis Caroli Magni, Coloniæ apud Birckmannum impresso*, de puella Tullensi 12. annorum, primùm à pane, deinde ab omnibus aliis cibis & potu abstinente & per triennium jejunante. Refert eandem historiam *Schenckjus l.3. Observ.* 40. licet paulo aliter ex alio autore à Marcello proponatur. *Huic subjicit Ioh. Matth. Hessus in enodat. qu. Med. q.6. talem historiam:* notabile exemplum nostra ætate accidit in oppido **Schmidtweiler**/ Electoralis Palatinatus, ditionis Lautreæ, ubi virgo quædam nubilis à nuptiis domum rediens, primum calidos cibos, deindè omnes fastidire cœpit, & in septimum annum neque comedit, neque bibit quicquam, corpus vero usque adeò fuit attenuatum, ut sceletum potius quam humanum & carnosum corpus videretur. Cum hæc res magistratui esset suspecta, & clanculum aliquid devorare putaretur, custodes fuerunt adhibiti, à quibus dies ac noctes observaretur, nec tamen dolus aliquis animadversus fuit. Memorabilem hunc casum non miraculosè, sed ex causis naturalibus contigisse in oratione publica eruditissime à *D. Theophilo Madero* demonstratum fuit. De hac historia videas *lib.* 10. *Miscell. Medicar. Henrici Smetii*, ubi pluribus circumstantiis eadem historia refertur.

Historia de puella in oppido **Schmitweiler.**

Historia puellæ constanensis ex Quercetano.

Recens insuper est historia, quam refert Iosephus Quercetanus sect. 2. diætet. polyhist. c. 4. ubi inquit, se vidisse Constanti paucos ante annos puellam tres aut quatuor annos natam, quę jam per sesquiannum sine cibo & potu perstiterat. Mirabantur omnes (pergit ille) tam stupendum casum, multiq; sibi persuadebant, aliter fieri non posse, quam alimentis clam pascere-tur. Ubi verò ego ventriculum, hypochondria, mesenterii & inferioris abdominis regionem attrectavi, dimovi illos à sinistra opinione, apertè docens in illo abdomine adeò depresso & instar marmorei lapidis indurato nihil colligi posse, cum nihil in illas partes trajici, nec influere queat. Subiit me quoque non levis tam novæ ac stupendę rei admiratio, quî vita perstare posset in organis illis naturalib. omnibus facultatibus atque functionibus destitutis. Tandem meditatus istius rei causas, intuli coagulatas illas partes & prorsus exiccatas non minus subsistere & à corruptione se tueri posse, quam infans ille, qui in utero materno in lapidem conversus, ibi per multos annos citra matris, suiq; corruptionem perstitit, prout omnibus hujus rei nota est historia. Quod autem puella illa frueretur vita citra alimenti aut cibi usum ratio est, quod potissimæ corporis partes, in quibus vita potentissimam suam sedem habet, cor videlicet, pectus & caput admodum vividæ & vitales

vitales perstarent: quæ cum ut alia ignobiliora membra crassum alimentum non desiderent, quale ventriculus, hepar & lien, ut in quotidiana ciborum concoctione animadvertitur: quibus ut vita conservetur, nec non cor, pectus seu pulmones & caput, necesse est, ut in aëream & Spiritualem substantiam à ventriculo & hepate præparentur: alioqui si crassior esset ciborum substantia, ab illis spiritalibus partibus non reciperetur, quæ similibus non aliis oblectari solent. Cum, inquam, eæ partes sint spiritualiores & magis aëreę, Spiritu eam & aëre easdem foveri certo certius inferre licet. *Paulo post*: eandem puellam aliquot post menses, cum per eandem urbem transirem, in eodem statu comperi, ita ut per integrum annum, me aliquando præsente & invisente, talis perstiterit. Referebat illa melancholicum temperamentum, taciturna admodum, ut ne verbum quidem unquam vel vix hisceret: pendente semper capite, reliquis membris, ut brachiis & cruribus moveri nesciis: quod scilicet aëreo tantum & Spirituali cibo fruens, non crassiore, quo crassiores & solidiores partes firmantur, ad motum corporis impotens. At (quod me magis in admirationem rapuit) ab eo tempore, quo mihi visa est, intellexi, illam crevisse, incedere etiam & tandem naturalem edendi ac bibendi appetitum recepisse.

Historia virginis Helveticæ.

Hactenus Quercetanus, qui in eodem loco mentionem facit alterius virginis in Helvetia sine cibo & potu per plurimos annos viventis, cujus historiam nos quoque *in Centur. problematum θεραπευτικῶν Decad. 5. quæst. 5.* primum edidimus his verbis, *cæpit Appollonia Schreseriana*, ut vocabatur, honestorum parentum nec non mediocri fortuna præditorum in pago Gats, ditionis Bernatum filia, sensim panis, deinde ciborum aliorum & fructuum quoque usum aversari: postea aliquandiu jusculis nutrita vivebat: tandem aliquot vini cochlearibus aqua diluti vitam sustentavit: postremo prorsus omnia respuens stomacho ex dolore & cruciatu potum non ferente citra ullius rei ingestionem vixit ad usque illud tempus, ubi eandem in Helvetia invenimus, anno M. DC. VI. approbantibus hęc omnia tum mihi, tum comiti meo, viro consultissimo D. Johanni Hagemeistero, J. U. D. eximio, amico meo suavissimo, multis ocularib. testibus, non plebeis tantum, sed etiam doctis, inter quos fuit *C. L. V. D. D. Paulus Lentulus*, qui occasione hujus historię peculiarem tractatum de inediis edidit. In hoc statu perstitit Apollonia dicta usque ad annum superiorem, ubi circa festum nativitatis CHRISTI quidam appetitus eidem rediit, sensim aliquot cochlearia brodii pisorũ singulis diebus assumendo. Quamvis autem ex mandato Magistratus exquisitissima victus ratio eidem institueretur, ne primis diebus ac septimanis vis appetens rursus excitata, penitus opprimeretur, ita tamen præternaturalis appetitio successit, ut ejus custodia certis hominibus committeretur, ne linteamina trita, similiaque ingereret. Pedetentim concoctiones ventriculi, jecoris, aliarumq; partium à natura vicissim institutæ fuerunt: abdomen, quod antea depressum, atque induratum, naturalem elevationem & mollitiem recepit: excrementa concoctionum omnium per vias consuetas vicissim apertas abierunt, ipsaque robur musculorum, nervorum totiusque compagis ossium vicissim nacta est, ut ambulare, aliaque negotia peragere posset, quæ ultra decennium non solum à cibo potuq; penitus abstinuerat, sed simul etiam ad quemcunq; motum totius vel partium corporis perficiendum inhabilis fuerat. Sed notatu dignum est, prædictam Apolloniam corporis quidem vires recollegisse, non tamen sine gravi mentis jactura, cum succrescentibus viribus corporis, mentis operationes depravatas acceperit, ita ut ἀνοίᾳ vel μωρώσει quadam hactenus affecta sit, quæ per totum inediæ tempus piè, prudenterque vixit. Hæc ultimo loco subjecta ex ore Clarissimi Medici & Chirurgi Guilielmi Fabricii Hildani habemus, cum ante menses aliquot, pro veteris amicitiæ nostræ vinculo, transiens ex patria ad suos, me inviseret, qui per totum inediæ tempus, cum in vicinia Paterniaci viveret, frequenter prædictæ virgini adfuit.

Investigatio propria miraculosi hujus eventus.

In causas ejusmodi miraculosę inediæ doctè & eleganter Marcellus inquirit, cui nos pauca subjiciemus, ad ulteriorem hujus materiæ declarationem inservientia. Cum autem inveniantur, qui τὸ ὅτι negare videantur, ut apparet ex *Valeriola in notis ad paradox. Iouberti*, idcircò notandum ante omnia, quod rationes ejusmodi, quæ à communi corporum nostrorum per alimenta conservatione deducuntur, hic minimè locum habeant, propterea quod rarus effectus necessariò raras quoq; causas obtineat, quod exemplis quam plurimis ex hoc ipso naturæ theatro facilimè probaretur.

Historia singularis illius virginis abstinentis in Belgio.

Alii sensuum & historicorum fide convicti τὸ ὅτι concedunt, sed ad causas remotiores abeunt, Deo vel Angelis hoc ipsum adscribentes, ut supra ex Langio innuimus, quibus immediatè & simpliciter non contradicimus in aliquibus casibus potissimum iis, quorum veritatem sacra pagina comprobat. Imò & huc referri potest historia de puella seu virgine, quæ adhuc hodiè Morsiæ ditionis Magnanimi Herois Mauritii Nassovici, per multos annos sine omni cibo, potuque aliisque hæc consequentibus vivit, ambulans nihilominus hinc & indè pie de negotio religionis & prudenter de rebus aliis discurrens, sanctè affirmans singulo tertio die Salvatorem ipsum vel Angelum adesse, seque ori mellitâ quadam substantiâ inditâ, corroborare, quemadmodum has & alias circumstantias hâc æstate præcedente D. Johanni Lippio, S.S. Theol. D. & vocato Profess. Argentinensi, in illos tractus iter suscipienti, pluribus ipsamet, aliis ob. etiam attestantibus narraverat, qui candido lectori testis ocularis esse potuisset, nisi, proh dolor, proximis nundinis à nobis in patriam abiens in itinere, piè, sed heu præproperè, cum Ecclesiæ Christianæ jactura & parentum senio confectorum extimo luctu vitam cũ morte, maligna pestiferaq; contagione correptus, commutasset. Nec aliena est ab hoc loco historia quam commemorat *Prosper Aquitanus, de prædict. lib. 6. referente Zwingero in Thea. Volu. 2. lib. 4. mihi pag. 367.* quod suo tempore Carthagine puella quędã Christiana, cum in balneis quoddam Veneris simulachrum minus pudicè intuita esset, seq; eidem assimilasset, mox à diabolo fit obsessa, qui

Historia ex Aquitano de obsessa puella.

gutturis meatus occuparit, ut circiter dies ſeptuaginta, noctesque totidem fermè nec cibum, nec potum trajicere potuerit. Parentes, cum nullam levationem animadverterent, puellam ad Eccleſiæ miniſtrum adducunt, eique rem, ut acta erat, bonâ fide exponunt. Unum hoc puella confeſſa addit: noctis medio videri ſibi avem adeſſe quandam & neſcio quid ori ingerere. Tandem in templum ducitur, fiunt preces: & cum ei cœna Dominica porrigeretur, quam ægrè accepit, cacodæmone nimirum reluctante, liberata eſt.

Porro ſunt alii juxta Langium, qui medicaminum operationem accuſant, quod fortè vulgus etiam putat, cui nota eſt hiſtoria de puero Weſtphalo adducta. Quod nos quidem ſimpliciter non negamus, quando de cauſis remotioribus agitur, cum abſurdum non ſit ejuſmodi medicamina dari, quæ paralyſin ſtomachicorum nervorum introducere poſſint. Taceo interim alias violentas actiones appetitionem naturalem corrumpentes. *Laur. Ioubertus Dec. 1. Para. 2.* pluribus eleganti ſermone demonſtrare conatur, ejuſmodi raram inediam accidere poſſe naturaliter quando debilis calor parum appetit, interno nutrimento per collectionem pituitoſæ materiæ ſubminiſtrato, cujus copia olim ſufficere queat, quod parum etiam in ejuſmodi corpore quotidiana caloris actione deperdatur, quo inclinat etiam *Langius & Citeſius*. Quamvis autem *Ioh. Haruetus contra Ioubertum, ut & Valeriola*, nihil obtineant, cum potiſſimum ex illis fundamentis, quæ communi hominum vitæ debentur, ejuſmodi raros caſus refutare conentur: ex toto tamen Joubertus etiam difficultati præſenti ſatisfacere non videtur: quam ob cauſam placet nobis aſſertio Marcelli & aliorum, quod in præſentia maxime ad illam refectionem quoque ſit reſpiciendum, quæ mediante aërea ſubſtantia per reſpirationem communicata perficitur, quam ſuperius ex Quercetani quoque diſcurſu colligimus, quæ *in centur. noſtra probl. Dec. 5. probl. 8.* ad compendium reduximus, demonſtrando, quod membra ciborum & potionum attractioni atque concoctioni deſtinata coagulari & exiccari poſſint, ita ut ſint quaſi emortua, quod ſenſu teſte colligitur etiam ex circumſtantiis illorum hominum, quia venter infimus omnibus eſt depreſſior ac ſubſidens, ut ex hiſtoriis patet. Quod autem vita ſuperſit, illis membris à ſuis operationibus quieſcentibus, hoc fit propterea, quod potiſſimè corporis partes vitam conſervantes, admodum vividæ ſint, & refectionem ab aëre ſibi maximè convenientem habere poſſint, præſertim cum aër ſubſtantiam noſtram ſpirituoſam vitæ primarium inſtrumentum maximè reficiat, quicquid contradicant alii quibus abundè ſatisfacit *Marcellus Donatus*. Vitam diximus ſupereſſe, ſed ſatis debilem, cum bona ſui nutrimenti parte membra propter viſcera concoctionis depravata deſtituantur, quam ob cauſam vires corporis languent, ut rarius ejuſmodi homines ad motum corporis aliaque peragenda prompti eſſe queant. Hinc puella illa Helvetica leviter ac ſenſim reſpirabat, ſubmiſsâ voce loquebatur, ad ſenſum tarda & ad motum corporis inepta erat. Porrò ſi cauſam coagulationis atque exiccationis membrorum coctioni ſervientium inquiramus; *Quercetanus* ad fæces tartareas, denſas ac ſpiſſas, quibus circumquaque viſcera involuuntur reſpiciendum eſſe putat, quæ materia ſtomachicorum nervorum paralyſin non tantùm introducit, ſed ſimul etiam ipſa viſcera contrahit, indurat & omnis ſenſus & alterationis expertia reddit, undè tam diu perit appetitus, donec vel arte vel naturâ ſenſim evaneſcentibus illis excrementis membra repurgantur, & priſtinæ facultates, aliquandiu quaſi ſepultæ, deſtinatas functiones viciſſim obeant. Patet hoc exemplis adductis, ubi diſpoſitiones abdominus perpendimus, nec obſtat, quod Appollonia Helvetica non niſi ſenſu dolorifico tangentibus abdomen exhibere poterat: non enim ſenſus ille doloris fuit ab ipſis viſceribus induratis, ſed à circumjacentibus & inveſtientibus membranoſis partibus per duritiem contentorum affectis. Hinc igitur jam manifeſtum eſt, in ejuſmodi miraculoſis inediis ad tria potiſſimùm eſſe reſpiciendum, nimirum *ad privationem appetitus*, cujus cauſas deduximus, *ad reſtitutionem illius, quod abſumitur* quod aëreâ ſubſtantiâ potiſſimum fieri putamus, etiamſi non negemus, laudabiles humores pituitoſos in corpore collectos, ubi præſentes ſunt, interdum etiam refectionem virium adjuvare poſſe; *ac tandem ad cauſas impedientes viſcerum putrefactionem* atque corruptionem. Non enim ſufficeret appetitus dejectio, quam ſtomachi reſolutio poteſt introducere, niſi ſimul etiam quædam refectio noſtræ ſubſtantiæ remaneret, ubi cor aëream ſubſtantiam attrahit & vitales ſpiritus continuat: nec hoc ipſum cor præſtaret, niſi viſcera concoctionis à putredine & corruptione præſervarentur, cum videamus leviſſimas etiam incipientes putrefactiones non tam in ipsâ ſubſtantiâ, quam cavitate viſcerum exiſtentes protinus noxios & putridos vapores cordi communicare, ejuſdemque nobiliſſimas operationes interturbare. Quocirca concludimus, materiam illam undique viſcera infarcientem commodiſſimè à Quercetano Tartaream dici, propterea, quod cum Tartaro vini convenientiam habeat, nimirùm quod reſoluta coagulari, & coagulata reſolvi poſſit, ejuſmodi præditâ virtute, quâ putredini reſiſtit, ipſamet ad putreſcendum inhabilis, nec etiam partes continentes putrefieri permittens, ob ſalſæ qualitatis naturam ſibi convenientem, cum citius ex tali materia lapis aut tophus, quam abſceſſus putridus generari poſſit, quod natura paſſim in tophorum ac lapidum generatione nobis in podagricis atque calculoſis demonſtrat. Hâc materia diſſolutâ vel abſumptâ naturalem appetitum redire poſſe non eſt dubium, ubi nullus mirabitur caninam quandam appetentiam in Apollonia illa ſubſecutam fuiſſe, qui ſolum obſervavit, quam vehemens interdum ſit appetitus in iis, qui ex febre per ſeptimanas aliquot ob ſtomachi læſionem abſtinuerunt. Nec ratione ſuâ caret, quod prædicta illa Apollonia, mentis per totum inediæ tempus optimè compos, redeunte appetitu μωρώσει vel λήθῃ quâdam affecta fuerit, Latini fatuitatem & amentiam vocant, ubi diminutio diſcurſus & ratiocinationis adeſt, quam *Galenus 4. de præſag. ex pul. 8.* ſcribit, frigiditatis cerebri ſymptoma

Aſſertio Laurentii Jouberti.

Fundamentum deciſionis totius controverſiæ.

Unde in Helvetica abſtinente merosis acciderit.

symptoma esse inseparabile. Deducitur autem hoc symptoma ab Arabibus etiam ex vaporibus & flatibus, quod maximè verisimile videtur, cum videamus ebrios ejusmodi μωρώσει sæpius affici, non aliam ob causam, quam propter vini vel alterius potus evaporationem. Hac de causa dictam Apolloniam quoque ratiocinationem diminutam obtinere mirum non est, cum post longum inediæ tempus cerebrum ad crassiores alimentorum evaporationes inhabile redditum fuerit, ita, ut ejusmodi puritatem spirituum animalium hoc tempore possidere nequeat, sicuti tunc temporis, ubi solo aëris attractu contenta vivebat. Adde quod alimenta non faciant ad reficienda membra spiritalia, nisi primum & ipsa spiritalia reddantur; at verò cum alimentum tum demum parti reddatur simile, cum vi ipsius naturæ tam diu alteratur, ut cum parte convenientiam acquirat, mirum non erit, si etiam respectu causæ efficientis quidam defectus adhuc deprehendatur. Si enim in illis, qui paucis diebus tantùm vel ex indigentia, vel propter morbos inediam passi sunt, non nisi magno suo malo confertim & multa copia reficiuntur, cum sensim calor nativus refocillandus & erigendus esse videatur, ne copia materiæ penitus obruatur; multo magis in tali casu simile quid procedit. Non autem dubitandum, quin conveniente victûs ratione præscripta dictum illud symptoma sensim in Apollonia, Naturâ mediante, corrigi possit, cum in aliis operationibus nihil penes ipsam desideretur, ita ut naturales etiam evacuationes menstruæ statis temporibus eidem supervenerint.

OBSERVATIO II.

De Embryone non putrefacto per multos annos in utero materno gestato.

Cum superiori capite mentio facta sit infantis in utero materno in lapidem conversi, non abs re futurum arbitrabar, si illius historiam subjicerem. Describitur autem eadem à *Ioh. Albosio, peculiari libro cum hysterotomotokia Franc. Roussetì* conjuncto verbis ejusmodi.

Historia ex Albosio.

Mulier Senonensis, nomine Columba Chatry, quæ Ludovico Carita homuncioni (quadrato tamen & bene habito) ex vulgari plebe & sarctori vestiario nupserat, ab annis quadraginta octo, fractâ ætate & valetudine, hic occubuit, Decimo sexto mensis Maij, annum ætatis agens sexagesimum octavum. Hæc ante annos viginti octo, quæ nunquam antea uterum gestarat, licet jampridem nupsisset (nihil de sanitate prius admodum conquesta) certissima habuit inchoati hominis indicia. Nam qui statis periodis erumpere solebant menses, illi statim substiterunt. Pica primis mensibus laboravit, tempestivum Embryonis motum & frequentem persensit, tumore lumborum & abdominis paulatim succrescente, mammisque latè turgentibus. Tandem autem decurso pene veræ gestationis curriculo, labores puerperii graves & abdominis dolores experiri incepit, urina ad aliquot dies suppressa (Medicis tunc varia & dubia de illa κυοφορίας sentientibus) quæ postea currente velut alveo & magna vi erupit, profuso illo ichore, non tam ex vesicæ meatu, ut credibile est, scaturiente, quàm ex mulieris loculis, Amnio tunicâ disruptâ, cum una cum istis serosis recrementis (quas mulierculæ aquas vocant) aliquis concreti sanguinis trumbus emersèrit. Indè autem & mammæ concidere visæ sunt, motus infantis aut ignavus aut nullus, labores mulieris tolerabiliores: Quibus omnibus attonitæ fuerunt obstetrices, quæ antea certissimum puerperium expectassent. A ludibrio autem istius fœturæ, totum triennium lectulo illa decubuit, ad extremam vitæ calcem de valetudine conquesta, de tumore, de duritie, de torminibus alvi (quam obviis quibusque & Chirurgis & Medicis tractandam exhibebat) de inutili & gravi illo pondere, quod pro vario gestantis motu, modò in hanc, modò in illam partem procumbebat. Denique de languente & depravatâ appetentiâ, quam subinde acetariis & absorpto omphacio sollicitabat, alioqui perpetuò ἄσιτος. Illamque, ferunt vicinæ, inter suos sales sæpè dictitasse (ut erat genio satis lepido) se fœtum utero gestare, qui tandem parenti foret exitio, & internecioni, quanquam cum seriò loqueretur, maleficium acceptum potius accusaret. Postquam autem fato esset functa, ejus vir officiosus in uxoris manes (quam tam diu & tantopere excruciatam viderat) accersivit unum atque alterum ex nostris Chirurgis, ambo valentes arte & artis usu, quibus (licet de scirrhoso tantum tumore cogitarent) dissecto mulieris abdomine, & rejecto infrà peritonæo, uterus sese offert, aspectu quidem rugosus & versicolor, ut crista illa pendula, quæ Gallis Indicis ex summo capite prolabitur, vel potius ut operimentum illud cutaneum, quod illorum collum ambit. Tactu autem durus, testaceus & crassus, instar τῶν ὀστρακοδέρμων. Tum novaculam in portentosam illam molem & gypseam injiciunt, quâ ad aciem cultelli renitente, scalprum altius adigunt. Eorum autem alter inflicto casu in cranium vulnere, & in aliquot costas, tandem humerum dextrum impetit, à quo erumpens ossis, caput, certissimam fecit fidem ossium illic latitantium. Ex quo scalpellum alio transferunt, & magna vi, sensim tamen, & recta, uterum secant; diductisque durissimis vulneris labris infantem in orbem implicitum, & ex transverso in utero positum, introspiciunt in penitissimo sinu, & altissimis latebris stabulantem, in suamque veluti Cystin, quam Allantoidem tunicam fuisse puto, callosissimam reconditum. Quo spectaculo inexpectato obstupefacti, Medicos convocant, quos in re inauditâ consulant, adhibeantque in testimonium & judicium rei hujus, quæ penè fidem omnem superet. Interea multis ad novum prodigium accurrentibus, & opus Chirurgorum interturbantibus, venit istis in mentem totam istam molem ex illo veluti antro & manibus & uncis Chirurgicis, quà valerent, vi abstrahere ut arborem ex suo caudice, domumque comportare, ut privatim & apud se accuratiùs corpusculi anatomen sectarentur, & cum peritis de portento novo & inaudito, consilia conferrent. In præcipiti autem & violentâ illâ laniena non licuit opus festinantibus introspicere, quod substratum esset infantulo Chorion, quæ uteri acetabula, qualia umbilici vasa, quis esset Allantoidis cum utero & cum fœtu nexus, cum uterus ipse,

ipſe, præcipuè ad coxam dextram, ad nates, & ad partem ſpinæ dorſi cum cute infantuli omnino coaluiſſet. Situs infantis erat penè ſphæricus, facie ad thoracem affixâ, ſublatis ad nares genibus, unde poſtea eæ patulæ retuſæ & reſimæ conſpecta ſunt. Oſſa capitis tenuia quidem, ſed firma & inſtar cornu nitentia, cute capitis multis in locis piloſa, caput in ſiniſtrum brachium ita procumbebat, ut à protuberante humero auris & os Occipitis impellerentur, quod in cavatum eâ parte introceſſiſſe conſpicerentur. Cubitus ad ſummum humerum reflectebatur, porrectâ ſola manu, quæ in pugnum adeò firmiter contracta, & ſummi digiti ita palmæ hærebant, ut licet apparerent ſeriatim inter ſe diſtincti, reipſa tamen in unum idemque lapideum corpus concreviſſent. Dextrum autem brachium ad umbilicum manum extendebat, quæ ad carpum inadvertenter abſtracta fuit, & in alvo matris relicta. Fœmur, genu, tibia ſiniſtra, dextris incumbebant: quibus tamen erant ita implicita, ut talus ſiniſter pediſque planta in dextrum pedion implantarentur, quibus excavatum cederet, & penè indiſſolubili nexu colligaretur. Utrumque crus in ventrem & pectus reflectebatur, certiſſimamque fœminei ſexus notulam tegebat. Tibia utraque ad nates intorquebatur, pedibus & pedum digitis, ita inter ſe compactis & lapidefactis, ut facto ex oculis & tactu judicio, totum iſtud opus dixiſſes eſſe alicujus Phidiæ, qui vel ex ebore vel ex marmore maturæ ætatis Embryi abſolutiſſimam Iconem expreſſiſſet, maximè cum in ea duritie corporis moles non concidiſſet, imò cum cute nitida integram ſuam & συμμελείαν & πολυσαρκίαν retinuiſſet. Partes autem internæ, viſcera nempe omnia, cor & cerebrum habebant naturaliter, eo dempto, quod ultra modum induruerant, minus tamen quam externæ, ita ut hodie exectum iſtud corpuſculum neque putredinem minetur neque teredinem. Ex quo poſtea dentem exemit inopinanter quidam obvius, qui prodigium contrectabat, ut dentis ſedem in ipſo alveario adhuc conſpicere liceat. *Hæc de fœtus & matris anatome dicta ſunto.*

Inquiſitio quoad cauſas naturales præcedentis hiſtoriæ.

Pro inquiſitione cauſæ tam rari & admirandi caſus prædictus autor problematicam exercitationem ſubjicit, ubi primum quæritur, quî factum ſit, ut corpuſculum illud, quod conſtituta & naturali puerperii periodo inter tam graves cruciatus extinctum fuiſſe conſtat, tam diu in iſtis latibulis aſſervatum non computruerit: deindè qualis nam ſit illa intemperies ſive ſimplex, ſive compoſita, quæ tantam duritiem introduxerit: denique num præter agentem intemperiem aliquid corpori innatum ἐνδιάθετον, & latens quoddam ſpecificum agens huic rei occaſionem præbuerit.

Cur tam diu latens hoc corpuſculum non computruerit.

Ad primum reſpondet Alboſius, illius rationem ex enodatione quæſtionis ſecundæ dependere, nimirum quod infans in lapideam ſubſtantiam concreverit à ſiccitate & frigiditate, qualitatibus occaſioni putrefactionis maximè reſiſtentibus, concurrente ſimul ſeminario quodam indurationis in fœtus illius ſubſtantia latitante, juxta qualitates illas, quæ ἀντιφύεις dicuntur, nec exterius accedunt, quod in corallio patet, coagulato videlicet ab aëre externo, concurrente tamen internâ proprietate, quâ lapideſcere natum eſt.

Idem ferè de hoc ipſo caſu *Sim. Provancherius* innuit, nimirum fœtum hunc demortuum fuiſſe induratum, tum propter ſiccitatem, liquidioribus partibus evacuatis, tum etiam propter frigiditatem, utero videlicet ex irritis laboribus & fœtu mortuo refrigerato, nullâ ſuccedente putrefactione, propter abſentiam ſubjecti putreſcibilis. Hæc omnia pluribus deducta videas in libello citato, tum etiam apud *Maur. Cordaum in lib. 1. Hip. de morb. mulier. com. 7. mihi fol. 356.*

Hiſtoria ſimilis cum priori conveniens.

Extra corpus ex ſingulari proprietate rerum variarum coagulationes fieri ſatis ſuperque patet ex variis ac diverſis hiſtoriis, quæ propoſuit *Iac. Mockius in libello de cauſis concretionum ac diſſolutionum*, ubi inter cætera ſimilis etiam legitur hiſtoria de utero lapideo per literas *Claudii à Sancto Mauritio, Academiæ Dolanæ Profeſſoris*, hoc modo in prædicto opuſculo deſcripta.

Admirandum die 25. Januar. hoc anno præſenti, nobis accidit, in ſectione cujuſdam mulieris 37. annorum, cujus uterum lapideum invenimus, ponderis ſeptem librarum, hepar uno lobo tunica cartilaginoſa, liene ſphærico veſica lapidea peritonæo duriſſimo, quod vix cultro dividi poterat. Quæ omnia nos in admirationem traxerunt, quâ viâ ſpiritus deferrentur per univerſum corpus, & quomodo hæc tam diu vixerit, ſine ulla manifeſta ægritudine, quod animadverti dum eſſet in vivis. Uterum curavi dividi, in cujus apertione ſperabam fœtum lapideum invenire (quoniam nupta erat viro mediæ ætatis) ut alias contigit cuidam Medico Senonenſi, circa Burgundiam, non longè à Lutetia, qui adhuc hodiè curioſè reſervat, iiſque oſtendit, qui naturæ ſtupenda mirantur: mulieris, inquam, fœtum lapideum figurâ quâ utero geritur, qui ſpacio tredecim annorum in utero remanſerat: ſpe fraudatus, totum uterum lapideum inveni, quod dignum tuis auribus (Petre Quenturi Clariſſ.) judicavi, ut nihil dignius in præſentia haberem.

Colophonis loco ſubjiciamus ex *Heurnio libro 1. method. ad prax. mihi fol. 29.* ubi inquit: certè illud affirmare poſſum, me Patavii vidiſſe muliebrem mammam in ſaxum evaſiſſe, quòd, cum mortua jaceret, hæc fonte merſa fuiſſet.

OBSERVATIO III.

De admirandis imaginationis prægnantium effectis.

MAximam eſſe vim imaginationis ex iis, quæ *Marcellus Donatus libr. 2. cap. 1.* pluribus proponit, cuique manifeſtum eſt, pro cujus materiæ pleniori tractatione, pauca de vi & imaginatione maternâ prægnantium ſubjicere placet, idque occaſione recentium hiſtoriarum, quæ tales ſunt.

Recens hiſtoria Pragenſis de puero monſtroſo.

Anno M. DC. X. cum Illuſtriſſimo meo Principi per tempus aliquot in negotiis Imperii Pragæ commoranti tanquam medicus adeſſem, die 18. Julii factum fuit, ut puer incerti patris naſceretur, cui jecur, inteſtina, ventriculus,

culus, lien cum meſenterii maxima parte extra umbilicum nuda penitus propenderent, qui horas paucas vivens vitam ſat miſerè vix incipientem cum morte mox commutavit. Monſtroſus & miraculoſus hic partus poſtquam manifeſtaretur, protinus à Medicis, aliiſque viris doctis de diſſectione deliberatum fuit, ut non ſolùm externa viſcera, ſed etiam interior abdominis diſpoſitio conſideraretur. Quâ de causâ in præſentia Medicorum Cæſareorum D. Thomæ Mingonii, & D. Gulielmi Majoris, D. Johann. Kepleri Mathematicorum Principis, meâ & aliorum corpus paulò ante ſepulturam aperiebatur. Cutis undique erat integra, foramine umbilici excepto, cumque transverſa ſectione divideretur, interius in infimo ventre parvus inveniebatur jecoris lobus, ex quo vena cava ſurſum ac deorſum in corpore progrediebatur, qui continuus erat cum jecore externo & peculiari membrana circumdatus. Externum jecur, per umbilici foramen cum lobo interiori conjunctum, plenariam jecoris formam habebat, venam portæ ex meſenterio quoque recipiebat, & cum ventriculo, veſica fellea, liene cæteriſque partibus conſueto more cohærebat. Ut autem per umbilici foramen gula quoque in ventriculum deſcendebat, ſic inteſtinum rectum eodem itinere cavitatem infimi ventris petebat & extremo gutturi inferiori jungebatur. Cætera interius quod ad renes, vaſa ſpermatica, cæteraque membra generationi dicata juſto modo ſeſe habebant. In reliquis membris nihil ſingulare obſervavimus, niſi quod ejusmodi oblata occaſione, maximè ſic urgente rem ipſam Dn. Keplero, fundamenta monſtraverim, quod infans in utero non propriam ſed maternam tantummodo vitam vivat, ex admiranda vaſorum cordis unione, quatenus ad oculum tunc temporis exhibui anaſtomoſin, quâ jungitur vena cava & arteria venoſa, & proceſſum, cujus beneficio arteria magna & vena arterioſa uniuntur, quâ ratione pulmones in Embryo ſanguinem immediatè ex cava & ſpiritum ex arteria magna recipiunt, ab omni interim operatione corde quieſcente, de quo vide plura *Tom. I. Diſp. 3. Coron. I. Exerc. 12. quæſt. 5. p. 128.*

Cauſa præcedentis monſtroſi partus.

Si quis autem quærat, quænam hujus deformitatis monſtroſæ cauſa fuerit, profectò nullam aliam inveniet, quam imaginationem maternam. Etſi enim non conſentimus cum Empedocle, qui totam effigiei formationem ſoli imaginationi tribuit, à cujus aſſertione non admodum abludere videtur *Arch. Piccolom. lib. I. prælect. Anat. lect. I. & Fernelius lib. 7. phyſiol. c. 12.* nec tamen propterea *Coſtæo & Eraſto* ſubſcribimus, qui nihil omninò tribuunt imaginationi, ſed mediam ſententiam obtinemus, nimirum ordinariam cauſam formatricem eſſe πλαστικὴν δύναμιν, extraordinariam vero vim imaginationis, quemadmodum pluribus patet *Tom. I. Diſp. 3. Coron. I. Exerc. 12. §. 24.*

Hanc imaginatricem in præſentia quoq; monſtroſum hoc accidens produxiſſe patet ex matris relatione, quæ cum à D. Majore & me interrogaretur, num fortè partui tali quandam occaſionem præbuiſſet, cum lachrymis reſpondebat, quod tribus menſibus ante partum vitulum mactandum, cum in agmine militum Paſſavienſi viveret, præter voluntatem detinere coacta, eoq; protinus aperto, procidentibus illico viſceribus abdominis, quodammodo commota fuiſſet. Vides ergò lector, imaginationẽ tantùm hic accuſari poſſe, quam in accidentium mutatione plurimum in prægnantibus valere, quotidiè recens natorũ maculæ, nævi, lituræ, verrucæ, aliaque varia per imaginationis maternæ vehementiorem impreſſionem genita teſtantur.

Cùm ergò phantaſia ſpiritibus & humoribus imperet, iiſdemque motum diverſum imprimat, & formatrice facultate ſuperior ſit, mirum non eſt, quod etiam hujus accidentis cauſa efficiens fuerit, ubi nimirum partibus ſitus præter naturam fuit introductus, quod imaginationis impreſſione fieri potuit, quatenus tunc temporis ritè quidem viſcera formata fuerunt, ſed adhuc mollia minusque firmis ligamentis cohærentia & tenerrimâ cute vix circumdata. Quocirca patet, adfuiſſe cauſam προηγουμένην impellentem phantaſiam, unà cum cauſa ſine qua non, ipſius materiæ patientis habilitate, embryonis ſcilicet mollitie & imperfectione, cujus diſpoſitio cerea, ſubtilisque facilimè depravatæ phantaſiæ maternæ commotionem & impreſſionem ſuſcipit, quatenus infans in utero tanquam pars matris vivit, eandemque ſpirituum & humorum alterationem cum eadem ſuſtinet. Hanc hiſtoriam per effigiem tabula ænea impreſſam compendioſis his verſiculis hoc modo deſcripſimus.

Ecce! puer Pragæ perfectus naſcitur, imis
Partibus exceptis, quas venter continet, ut ſunt
Inteſtina, jecur, ſtomachus, ſplen, Capſula fellis;
Hæc etenim mediam propendent nuda per alvum.
Inquiris cauſam? vix ternis menſibus ante
Partum, mactatum vitulum conſpexerat ipſa
Mater, membrorum mutans phantaſmate ſedem.

Alia hiſtoria.

Hoc ipſum fidem longè maximam apud Lectorem merebitur, ubi ſequens miraculum naturæ cum priori conjunget: etenim in eadem quoque Regia Praga factum fuit ante paucos annos, ut tribus tantum à partu ſeptimanis majus aliquid vehemens imaginatio matris tentaret, idque in puello, quem poſtea genuit, præputio ferè inciſo & inverſo, propter cogitationem vehementiorem, quâ hoſpitem quendam peregrinum tunc temporis obſervaverat, recitantem & exactè deſcribentem Judaicam circumciſionem, cui tanquam rei ſingulari matutinis horis interfuerat. Hujus rei teſtis ocularis eſſe poſſum, utpote qui ad puellum hunc duorum circiter annorum, eodem ferè tempore, quo prior caſus accidit, à Dn. Keplero, Mathematico, propter converſationem ac συζήτησιν amicam inter nos hâc de re obortam, adductus fui.

Alia hiſtoria.

Notabilis eſt hiſtoria, quam peculiari Epiſtola cum aliis hujus generis mihi communicavit Gulielmus Fabricius, amicus meus ſingularis, quam Lector integram habebit in tertia centuria obſervat. chirurg. ejusdem, quæ talis eſt.

Anno 1600. nobis quædam honeſtaq; matrona in Rol ad Lacum Lemanum, cum primò utero geſtaret, & ſub initio ſecundi menſis imprægnationis ante Crucifixi imaginem tranſiret, nec non latronis ad ſiniſtram pendentis

crura

crura confracta, distortaque attentè ac nimis curiosè inspiceret, eam ob causam, cum attonita atque commota fuisset, puellam postea ex dextro crure deformem procreavit. Ego 23. Febr. 1602. in consilium vocatus, rotulam nullam inveni; crus, quod valdè extenuatum, & cum altero crure nullam proportionem habuit, coxam versus retractum fuit, neque extendi potuit. Ossa enim cruris, ossi femoris secundum naturæ ordinem, ut articulũ effingerent, non adjacebant, sed sursum retracta, cavitatem illam, quam inferioris femoris capita efficiunt, adimplebant, ita, ut os coxę aliquo modo promineret. Proindè os coxæ versus genu latum, depressumque, ut solet, minimè erat, neque duobus capitibus aut appendicibus, multò minus intervallo illo inter prædicta capita præditum, sed aliquo modo oblongum & in acutum desinebat. Pes similiter versus suram reflectebatur, ossaque cruris simili modo, ut de ossibus coxæ dictum est, prominebant. Porro etsi ambo articuli facilimè hinc & indè reflecti possent, in sedem tamen naturalem difficulter reponi, repositi verò retineri minimè potuerunt. Idque non solùm ob ligamentorum impotentiam, verùm etiam quod prędicta ossa cavitatibus atque extuberantiis suis, ut se invicem reciperent, omninò destituerentur. Hanc ob causam, cum malum incurabile esse cognovissem, manum adhibere nolui. Post me nonnulli alii vocati fuere, sed frustra. Vivit adhuc puella ista, formosa & reliquis membris optimè constituta est: grallis quin etiam tam eleganter ac dextrè, ut nihil suprà, incedit.

Alia historia.

Addit porrò & aliam historiam, quâ meritò monentur prægnantes, ne rerum novarum avidæ sint, temereque quodlibet perpendant. Coloniæ, inquit, puellam novem annorum ætatis & ex nobili familia oriundam vidi, cui collum uteri, unà cum collo vesicæ confusè propendebat. Urina continuo & involuntariè non sine maxima molestia & dolore effluebat & partes adjacentes exulcerabat. Quapropter ego in consilium adhibitus anodyna, exiccantia, aliaque, quæ prodesse videbantur, præscripsi. Causa autem hujusmodi mali talis fuerat: mater cum utero gestaret, accedit ad eam paupercula, eleemosynamque ab ipsa exposcit, simul & suæ paupertatis causam, & quod propter prolapsum uterum operari non possit, refert. Cum autem, quomodo affectus ille in difficili partu sibi accessisset, narraret, commota atque perterrita fuit prægnans, partumq; postea talem progenuit.

Monstrosi partus origo ex nimio appetitu rei desideratæ.

Præter illam imaginationem fortem ex terrore vel magnâ quâdam animi commotione subortam, non rarò sese offerunt monstrosi quidam effectus in fœtu, quando prægnantes in primis mensibus, ubi malacia & depravato appetitu laborant, eo, quod avidè concupiscunt, defraudantur, cujus rei exempla à *Marcello Donato Hist. mirab. lib. 2. cap. 1.* proponuntur, quibus addi potest sequens istud prædicti quoque Fabricii in eadem Epistola ad me data.

Anno M. DC. VIII. Honesta Matrona Paterniacensis, cum prægnans esset, & quâdam die artalaganos, qui veluti vento inflati sunt, quosque hîc in conviviis pro bellariis parare solent, avidè appeteret, ancillæ vero eos, ut palato satis gratę essent, non parassent, nescio quo mœrore, tædioque correpta fuit, quamobrem reliquum gestationis tempus multis cum doloribus ac molestiis contrivit. Tandem, nimirum 20. Martii puellam, non tantùm supra modum debilem & extenuatam, verùm etiam re expetita signatam peperit. E regione enim ossis sacri tuberculum habebat, quod formam horum artologanorum omninò præ se ferebat, ad ovi anserini magnitudinem elevatum, inæquale tamen, aquâ & flatu, membranâ inclusis, repletum erat, quæ membrana tam tenuis erat atque porosa, ut humor serosus copiosè per eam exudaret. Hinc vires adeò minuebantur, ut quarto die ætatis expiraret. Ante sepulturam cum partem affectam inspicerem, cavitatem, ductumque inter quartam ac quintam vertebram lumborum, non quidem in medio spinæ, sed aliquo modo ad latus dextrum (mater enim cum cibum hunc avidè, ut dictum est, appeteret, dextra locum illum fricuerat) inveni. Rotundus erat ductus ille & communi periostio investitus, ejusque magnitudinis, ut minorem digitum facilè exciperet. Per ductum autem hunc vas quoddam membranosum suis quoque venis capillaribus præditum ex ipso cavo hepatis extra cutem (ubi dilatatum extuberantiam illam efformaverat) descendebat: ad latera alia duo vasa, quæ ex arteria magna proveniebant, tuberculo inserebantur. Hæc ille.

Hinc igitur manifestum est Lectori, prægnantium imaginationem in variatione formationis fœtus maximarum esse virium, non quidem per se, sed ex accidenti, quatenus formatricis facultatis operationem interturbat, atque simul eidem impedimento est quo minus justo modo suum opus perficiat, prout novam alterationem humoribus, spiritibusque introducit, ut videre licet *Tom. 1. Disp. 6. Coron. 4. quæst. 1. pag. 278.*

Cur prægnante perterrita pars illa sigilletur in infante, quam prægnans attingit.

Quî vero fiat, quod pars illa, quam mater attingit in corpore proprio confestim etiam sigilletur in fœtu satis dubium est, licet τὸ ὅτι tàm ex quibusdam historiis Marcelli, quàm quotidiana observatione sit notissimum. Ubi potissimum eò respiciendum esse videtur, quod fætus corpus sit imperfectum, debile, cereumque, quâ de causa motum spirituum atque humorum facilè recipit, citiusque sigillatur, quàm pars aliqua materna, quæ scilicet in esse suo perfecto jam constituta dudum est. Adest ergò subjectæ materiæ patientis habilitas, quam ulterius adjuvat communis spirituum & sanguinis commotio, quâ una cum matre fœtus etiam afficitur, quatenus in utero tanquam pars matris vivit, ut alibi docuimus.

Vide Tom. 1. Disp. 3. Exerc. 12.

Vehemens vis imaginationis in postremis gestationis diebus.

Mirum tamen, quod interdum in postremis quoque gestationis diebus fœtui nihilominus mater, ob vehementem perturbationem, stigma quoddam imprimere possit, quod annis superioribus hîc nobiscum prægnans quædam Sartoris alicujus uxor demonstrabat, quę propter incendii rumorem perterrita protinus partus doloribus apprehenditur, & per triduum difficili partu laborans tandem puellum parit, undique toto corpore maculis, ut vocant mulieres, incendii conspersum. Nec reticenda videtur hic recens historia, quæ in tractu Rhenano inferiori

præcedenti

præcedenti anno, ficut ex fide dignis habemus, contigit, ubi mulier aliqua monomachiam duorum obſervans, eò quod alter ab altero transfoderetur, perterrita, fortè fortuna digito punctim palpebram oculorum petens, paulò poſt puerum genuit mortuum vulnere aperto ab anteriori oculi parte per cranium uſque poſterius percuſſum.

An defectus monſtroſi per maternam prægnantium commotionem geniti curari poßint.

Sed meritò talia mirando rimamur, rimandoq; miramur, quam ob cauſam concludendum erit, ubi primum determinatum fuerit, an etiam ejusmodi defectus per maternam prægnantium commotionem introducti per opem medicam corrigi poſſint?

Vulgus negativam ferè tenet, quemadmodum ex quibusdam hiſtoriis præcedentibus quoq; colligitur. Veruntamen quod non ſemper penitus deſperare debeamus, ex ſubſequenti obſervatione *Foreſti* patebit, quam his verbis *lib.17.obſ.15.* proponit.

Hiſtoria ſingularis.

Aleida de Renes, matrona nobilis, uxor Johannis de Oeſtrū, viri nobilitate clari & quondam urbis arcis Wordenæ præfecti, Anno 1587. Delphis habitans in ædibus Adriani Johannis, Ichthyopolæ, in Platea Flandrica dicta. Quæ quidem prægnans manè ancillis ſuis abſentibus audiens ploratum infantium, ſubitò è lecto ſurgens, per ſcalas admodum præcipites inferius deſcendens, inopinato cecidit ſupra latus dextrum, & dextrum cubitum verſus humerum, & circumvoluta etiam in caput prolapſa eſt, non ſine contuſione ejusdem cum vulnere. At paulo poſt reſtituta ſanitati 8. menſes cum dimidio in Haga Comitis tunc agens in domo Præpoſituræ, Anno 1588. 13. Julii die peperit puellum, cum brachio dextro à cubito usque ad humerum non tantum reſoluto, ſed omnino oſſe non coagulato, ut brachium inſtar lori in omnem partem flexile flaccidumque concideret, ita, ut in brachio à cubito uſque ad humerum os abeſſe videretur: *Pergit porrò Foreſtus*, ſe una cum Chirurgis duobus ad infantem vocatum fuiſſe, ſubjicitque communi conſilio defenſivum & conglutinans, ut in oſſium fractura fieri ſolet, ex bolo armeno, farina volatili, pulvere myrtillorum, oleo roſaceo & albumine ovorum ſe adhibuiſſe; mox ſuper impoſitis ferulis ex charta paulo duriori & craſſiori, inſuper ſuperinductis debitè faſciis à cubito uſque in humerum, ut ita os paulatim coagularetur. Succeſſum natura præbuit, ita ut in tribus ſeptimanis integræ ſanitati puellus reſtitueretur, oſſe indurato & paulatim coagulato nulla motus articulationis noxa ſuperſtite. Cùm ergò malum hoc ex metu prægnantis ob lapſum ſubitò irruente ſuam originem habuerit, manifeſtum eſt, etiam in his caſibus juxta theoremata artium procedendum, atque aliquid tentandum eſſe, quod inſuper ex ſequenti quoque hiſtoria *Gulielmi Fabricii* patet, quam per Epiſtolam hoc modo refert.

Alia hiſtoria ſimilis.

Illuſtris quædam gravida, cum quadam die crepidis incederet & fortè fortunâ vacillaret, aliquo modo commota atq; perturbata fuit. Puellulum poſtea progenuit, cui pes (ſi rectè memini) dexter ita diſtortus fuit, ut digiti verſus talum interiorem, totus verò pes ſuram verſus inflecteretur. Itaque cùm incederet, non planta pedis, ſed potius malleolo exteriori ſolum calcabat. Cùm verò in hoc ſtatu tertium ætatis annum prætergreſſus eſſet, accerſitus fui: medicamenta multa, primò emollientia (jam enim omnia ferè indurata erant) poſtmodum corroborantia applicui, deindè inſtrumenta ferrea adaptavi, quibus paulatim pedem, divino favore ita reſtitui, ut poſtea absque difficultate & erectus incedere poſſet, nullumque hujus deformitatis veſtigium appareret.

OBSERVATIO IV.

De admirando tumore Omenti.

Cum ante paucos annos ſingularis & admiranda obſervatio tumoris omenti ſeſe nobis obtulerit, non ingratum lectori futurum putabam, ſi illus hiſtoriam in *Centur. Probl. Med. therapeut. Dec.6.q.* 10. deſcriptam hic etiam annecterem.

Hiſtoria tumoris omenti.

Vivebat nobiſcum Gieſſæ Anno M.DC.VIII. figuli cujusdam uxor, vivebat inquam, ſed ſatis miſerè, cum ejusmodi ventris tumore, ut aſcitem ingentem mentiretur. Molem hanc ventris per annos aliquot foverat & pedetentim auxerat, fruſtra præſcriptis & adhibitis variis remediis ad reſolutionem atque diſſipationem tumoris à pluribus ordinatis, eò uſque ut ponderis illius extenſione non ſolùm doloribus variarum partium conſumeretur, ſed inſuper compreſſione pectoris ac diaphragmatis ob depravatam ſanguificationem ἀτροφίᾳ reliqui corporis præcedente tandem extingueretur. Hæc paucis ante mortem ſeptimanis tum à me, tum etiam ab aliis anxiè petebat, ut poſt mortem tumorem aperiremus & in ſalutem generis humani ſingularem affectum conſideraremus: id quod plerisque tunc temporis noſtris philiatris & nobis Medicis Profeſſoribus præſentibus factum fuit, Anno M.DC. VIII. d.26. Aug. cum die præcedenti vitam cum morte commutâſſet. Hìc poſt cutis & muſculorum abdominis inciſionem à Chirurgo tentatam, primò inteſtina juxta dextrum latus aſcendentia occurrebant, quibus remotis loco ſecundo tumor ingens propria tunica ſatis craſſa totam capacitatem infimi ventris complens, in conſpectum veniebat, qui parte inferiori, ut & in lateribus facili negotio, ſine reliquarum partium læſione, ſeparabatur: at ſuperius à fundo ventriculi, partibusque circum jacentibus non ſine laceratione divellebatur. Exemptus hic tumor tantæ magnitudinis erat, ut libras quinquaginta ſex penderet, cum omnium adſtantium admiratione & ſtupore. Exterius undique ſatis craſſâ, robuſtâque membranâ conſtabat, quâ diſſectâ primum adipoſa ſubſtantia, poſtea ſcirrhoſus & glanduloſus tumor obſervabatur, donec in medio cavitas fœtidâ, ſordidâque ſanie repleta ſe offerret.

Hæc eſt hiſtoria tumoris monſtroſi, quem in ipſo omento collectum atque concretum fuiſſe probabiliter ex omenti ſtructura, ejusdemq; cum aliis partibus connexione ſtatuebamus, in quo nobiſcum quoque per peculiarem Epiſtolam, additam *cent. probl. Cl. Dn. Caſparus Bauhinus*, Medicus Baſilienſis celeberrimus conſentiebat, per hæc verba: minimè dubitandum, quin omentum fuerit, in quo tumor & ſanies collecta fuit; demonſtrat porrò hoc ipſum à connexione omenti cum fundo ventriculi, cui

ala vel membrana superior adnascitur, vel potius indè producitur, quemadmodum ala inferior, à coli membrana. Deindè formam omenti, marsupio aucupario similem (quam etiam tumor imitabatur) perpendit; ac tandem ex tumoris substantia partim membranosa, partim quoque glandulosa cum substantia omenti convenienti idipsum colligi posse statuit.

Causa tumoris omenti.

Causam generationis hujus tumoris eandem statuimus cum aliis excrescentiis diversarum partium corporis, ubi plus alimenti colligitur in aliqua parte, quam pro nutritione convenienti requiritur. Potuit ergo crassioribus existentibus membranis omenti vasis apertis materia crassior & ad generationem scirrhosi tumoris conveniens sensim colligi, quod fortè per annos quamplurimos factum fuit. Nec mirum vitæ functionibus integris tam diuturno tempore partem illam in ejusmodi molem excrescere potuisse, cum omentum sit pars ignobilior, primariæ cuidam functioni non destinata.

Historia alia.

Etsi vero Practici tumoris omenti mentionem non faciant, verisimile tamen est, non rarò talia accidere, cum experientia quotidiana testetur, sæpius sese cachecticos ægros offerre, qui de gravativo dolore hypochondriorum conqueruntur, ita, ut tumorem interius mobilem percipiant, quem etiam manu exterius de loco ad locum movere solent. Memini paucos ante annos ex pagis Wettaraviæ diversis temporib. me convenisse duos ęgros, puerum videlicet, annorum fortè decem & virginem circiter annorū viginti, quibus utrisq; per annos aliquot tumor aliquis interior circa sinistrum hypochondrium concreverat, qui cum pro commotione corporis de latere in latus moveretur, nec quicquam cum signis intumescentis lienis commune haberet, in omento quoq; concretus videbatur.

Hoc ipsum confirmat etiam *Guilielm. Fabricius, Chirurgus & Medicus peritissimus, in Epistola cum centur. nostra impressa* per historiam sequentem.

Superiori anno videlicet 1607. Bernæ Matronam quinquagenariam, robustam, sanam, obesam & pinguem valde invisi. Illa ante multos annos in difficili partu relaxationem umbilici contraxerat, ex quâ rupto peritonæo & relaxato abdomine paulatim hernia planè monstrosa facta fuerat, quandoquidem magnitudinem uteri, qui fœtum maturum gestat, tumor iste superabat: venter nihilominus suam servabat proportionem. Porro tumorem huncce ex omento prolapsum fuisse verisimile mihi videtur: absque dolore enim, tactuque mollis & undique æqualis erat: colore à naturali non discrepabat: murmur nullum persentiebatur, ut in hernia fit intestinali: in ventrem retrocedebat nunquam, etiamsi alvum exoneraret, vel in dorsum ęgra decumberet, sed semper in eodem permanebat statu. Ex quibus apparet fuisse omentum in ejusmodi molem auctum.

OBSERVATIO V.

De abscessu Mesenterii phthisin causante.

Varios esse morbos mesenterii.

Quamvis veteres de Mesenterii affectibus, unâ inflammatione hujus partis exceptâ paucissima posteritati reliquerint, verisimile tamen est, hujus partis diversos morbos esse posse. Cum enim constet membrana duplici, venis atque arteriis infinitis, maximâque glandularum vasa firmantium copiâ; manifestum est, variorum morborum causas promptissimè circa partem hanc coacervari posse, præsertim cum à nativi caloris fonte remotior sit. Quis ergo mirabitur, quod interdum è ventriculo, jecore, totoque corpore, quod superfluum est, huc derivetur & nova subinde alluvie magis augeatur, tanto partium suscipientium vitio, ut commota materia vomitiones miras, aliaque fluxus symptomaticos excitet, aut coercita, præterque naturam putrescens febres vagas atq; erraticas ipsi Æsculapio vix dignoscendas accendat. Imò pro diversitate materię bibula glandularum substantia sæpius intumescit, venarum, arteriarumq; transitus impeditur, & per consequens cachexia, Melancholia hypochondriaca, Languor totius, ipsaque phthisis interdum oritur.

Pluribus hoc deducit *Sal Albertus, Med. Witebergensis p.m.* in thematibus Medicis, de Mesenterii morbis, una cum quibusdam orationibus ejus Noribergæ impressis. Confirmat illud ipsum *Fernelius libr. 6. Pathol. c. 7.* & experientia illorum, quorum observationes tum à *Marcello Donato libro 4. capit. 7.* tum etiam à *Schenckio lib. observ. 3. observatione 287.* & sequentibus proponuntur, quibus omnibus addere placet historiā. Anno M. DC. X. mense Martio per literas à *Cl. Caspar. Bauhino* nobis communicatam, quæ tales est.

Observatio Tabes ex affectu mesenterii.

Anni quindecim præteriêre, ex quo Mercatoris Basiliensis puer octennis, ab alio quodam puero baculo circa lumbos percussus, aliquot diebus post malè habere cœpit, & septimanis aliquot præteritis, licet ad vitæ tempus ultimum cibo sufficienti nutriretur, Tabe absumptus obiit. Huic licet nec tussis molesta esset, nec febri laboraret, nihilominus à quodam tanquam phthisicus fuit tractatus. Quare parentibus mortis causam intelligere cupientibus, & me, ut cadaver aperirem rogantibus, ipsorum voluntati satisfacturus, cadavere denudato ventrem infimum turgidum reperi, & utrinque circa umbilici regionem ad tactum renitentem: & quia nec tussim, nec febrem ipsi molestam fuisse intellexeram, illicò necdum cadavere aperto astantibus significavi, causam mali in mesenterio latitare. Mox ventre aperto, glandulas Meseræi non solum tumentes, sed etiam scirrhosas reperi & ita conglobatas, ut duorum pugnorum magnitudinem superarent: in thorace verò & pulmonibus vitii nihil penitus occurrit. Causam ergo tabis harum glandularum scirrhum censui. Nam glandulæ hæ, quæ ramorum venæ portæ & arteriæ cæliacæ divaricationibus interjectæ sunt, magnitudinem parem non obtinent, sed proportionem in magnitudine, cum distributis propaginibus servant. Harum tamen maxima ad ipsius Mesenterii centrum, ubi vasa magis collecta sunt & vasorum prima distributio fit, quarum usus, tum ut vasa fulciant & dividant, tum ut eorum compressionem ab aliis partibus inhibeant, ne chyli distributio inhibeatur. Sic ubi hæ & crassiores & duriores redduntur, contrarium faciunt: suâ enim magnitu-

magnitudine & duritie venas comprimentes, chyli in venas Meseraicas & hepatis distributionem & transitum præpediunt, ita ut sanguis eâ copiâ, quæ pro omnium partium nutritione requirebatur, in hepatis venis confici non possit. Et prout sensim glandulæ hæ & auctæ & induratæ, angustior chyli transitus relictus est, sicque sensim tabescere cœpit, usq; dum transitus præpeditus fuit, & sic necessariò ob alimenti defectum, partibus tabidis redditis mors successit, *Hactenus Bauhinus*.

Observatio alia similis.

Similem ferè historiam refert *Schenckius, ex observationibus Thomæ Mermanni*, de virgine quadam in dolores quasi colicos incidente, quæ suborta febri, quotidiè cùm rigore repetente post paucos menses marasmo obiit, in qua, dissecto ventre, magna copia puris, totum mesenterium replens inventa fuit. Quæ observatio differt à priori, quod causa peccans ad putredinem magis disposita fuerit, quam ob causam doloris, ob tunicas mesenterii corrosas ac vellicatas, & febris, propter putridas exhalationes cordi communicatas, expers esse non potuit.

OBSERVATIO VI.

De Quartanæ singularibus.

INter alia Quartanæ febris accidentia tanquam rarùm & singulare numeratur à *Marcello Donato* delirium paroxysmi tempore, quod nos etiam hoc autumnali tempore præsentis anni M. DC. XII. ubi morbus hic fuit frequentissimus, in diversis ægris observavimus, inprimis in viro quodam docto, qui diebus intermittentibus studia sua tractans, paroxysmi tempore non solùm inclinatione ad somnum, sed etiam mentis perturbatione ita corripiebatur, ut judicii, memoriæque læsiones functionibus illarum facultatum depravatis admodum afficeretur. Etsi verò sine dubitatione concludere licet, ejusmodi symptoma suam originem à peccante materia morbifica, succo videlicet melancholico, per evaporationes Palladis arcem afficiente, nancisci posse; meritò tamen raris accidentibus hoc annumeratur, propterea quod periculum subsit, ne per metastasin materiæ gravius quid accidat, cum succi melancholici translationem ad cerebrum Epilepticæ convulsiones atque hujus generis alia facilè subsequantur.

Delirium in Quartana.

Malignitas in Quartana.

Imò & illud in quartanis nostris perquam pluribus fuit singulare, ut aliquid malignitatis obtinerent, quæ præter alios in viro quodam honesto quartana decumbente diligenter observavimus. Hic enim præter rationem symptomatis malignarum febrium ita vexatus fuit per octiduum, obliteratis penitus quartanę proprietatibus, ut nihil nobis superesset, quàm per bezoardica naturæ succurrere, ac sudoris beneficio malignitatis vim expellere. Quod cum semel atque iterum factum fuisset, præsentibus aliàs signis lethalibus sensim vires recollegit, ubi tandem quartana levioribus paroxysmis invadere, deque quarto in quartum levioribus accessionibus eundem affligere perrexit. Imò non solùm subjecti ratione malignitas illa vires opprimere conata fuit, sed ulterius etiam in astantes egit, quam ob causam paulò post duo ejusdem filii morbo eodem decumbere cœperunt, levioribus tamen morbi paroxysmis, quod natura pro fovendo morbo non admodum essent dispositi.

Diuturnitas Quartanæ.

Diuturnum esse morbum hunc supra patet, ita ut longissimus terminus non tantùm sit annus duodecimus, quod *Avicenna* voluisse videtur, sed ulterius quoque malum hoc protenditur. Habet exemplum *Wierus in lib. obser.* agricolam quendam nomine *Henricum Hassen in Steinswert* supra Einbricam ad Rhenum, quartana triginta tribus annis laborasse, ex eaque interiisse, totidem quoque annis *Comite à Morual* quartana decubuisse subjicit. Porrò *Dominum de Role*, Maximiliani I. Oeconomum octodecim annis quartanarium fuisse, eaque liberatum vix annuo spacio supervixisse testis est idem Wierus. Diuturnitatis ratio tàm in proprietatibus quam coacervationibus materiæ peccantis quærenda est, quam ob causam mirum non est, quod pro ratione diversorum subjectorum laborantium, diversaque victûs ratione jam citius, jam verò serius morbus hic Chronicus expugnetur.

An quartana semel tantum hominem invadat.

Præterea communis est assertio, non bis laborare hominem quartana semel sanata, quod Aëtius ex Hippocrate deducere conatur: at hanc assertionem dubiam quoque reddit experientia, quia testatur idem Wierus, *Nobilissimum à Loe, Dominum in Wisen*. licet quartanam in juvenili ætate excoxisset, nihilominus circa annum ætatis quinquagesimum eâ denuò correptum fuisse. Nec deest huic experientiæ ratio: quamvis enim difficilior sit Quartanæ repetitio quam aliorum affectuum, propterea, quod quartanæ causa longam tardamque productionem, substantiæ crassæ, fœculentæque ratione requirat, non tamen impossibilis videtur, cum propter viscera malè affecta paulatim tantus materiæ cumulus regenerari queat, quantus ad inducendam quartanam desideratur.

Limitatio quæstionis.

Sed notandum hîc ex *Mercuriali libro 5. Pract. capite 11.* quod sit distinguendum inter Quartanam legitimam & spuriam: illam semel tantùm invadere statuit, quod fiat ab humore melancholico naturali, ubi juxta *Galen. 2. diff. febr.* nihil fumidi vel putridi relinquatur in paroxysmis: deindè quod ille peccans humor sit in corpore paucissimus, facultatibusque naturalibus maximè adversus, ita ut semel consumptus non facilè rursus colligatur: addit loco tertio quod homines tædio morbi diuturni cautiores reddantur, diligenter præcavendo circa victus rationem, quæ talem affectum fovere solent. In spuriis autem Quartanis frequens esse putat, ut semel atque iterum redeant, cum alias febres plerumque sequantur, & humorem melancholicum præternaturalem facilimè nancisci queant.

Quartana Senibus periculosa.

Etsi porrò securissima dicatur Quartana, quam ob causam *Celsus libro 3. capite 15.* quartanam ex sese neminem jugulare sed potius à multis morbis homines liberare dicit, undè proverbium Italorum, *la quartana non fa sonare campana*: non tamen Senibus omninò tuta dicitur, quod eâdem juvenes sanari, senes frequenter interire videamus. Verùm in præsentia notandum, ætatem non simpliciter sed unà cum virium consideratione perpendendam esse, quemadmodum patet ex *Galeno lib. de præcogn.*

 ad post-

Ad posthumum, ubi Eudemo Philosopho Seni Galenus sanitatem prædixit, etiamsi triplici Quartana propter intempestivum usum Theriacæ laboraverit, propterea, quod videret ex naturæ constitutione, tum etiam ex pulsus observatione tantum adesse facultatum robur, ut illud ad expugnandum morbum sufficere posset. Exempla recentia sunt apud *Wierum lib. obs. & apud Forestum lib. 3. obser. 32.* cum quibus conjungantur illa, quæ habet *Ioh. Baptista Sylvaticus hist. Med. 53.*

Historia singularis de Virgine Gygantea.

Memorabilis & singularis est historia, quam habet Wierus citato loco, de virgine post Quartanam Gygantea per hæc verba: Virginem vidi, quæ ob molem corporis Gyganteam per diversarum regionum civitates circuibat, se velut monstrosi hominis idolum seorsim in conductis ædibus visendam ostentans omnibus, qui stipem numerarent, ex cujus collectione hæc cum matre victum quæritabat. Ad hanc ego quoque ingressus, diligenti inquisitione singula percunctor; doceorque ex matris & grandissimæ filiæ responso, eam ex staturæ brevis parente utroque natam, nec ullum in avita progenie fuisse visum, qui communem aliorum hominum altitudinem superaret; eamque virginem à sui ortus initio, ad annum duodecimum parvæ staturæ vulgaris fuisse; sed eodem tempore quartana correptam, quâ cum mensibus aliquot luctata fuerat, ea prorsus remittente cœpit in eam excrescere molem, cunctis membris æqua dimensione in magnitudine debita respondentibus, ut nihil à justa proportione appareret alienum.

Annum, ni memoriâ fallor, agebat vigesimum quintum, quum eam inspicerem, quo nondum menstruæ fluxionis senserat evacuationem. Illum etenim sanguinem excrementitium, in nutritionem & tantæ molis conservationem requirebat natura. Bonâ interim fruebatur valetudine, formâ non venustâ, colore subobscuro, ingenio simplici & stupido, ac toto corpore torpido. Virtus siquidem animalis ab initio huic corpori à Deo infusa, in ea quæ vulgaris hominis amplitudini debetur, proportione: postea in vasti corporis mole dispersa, æquali potentia sui operis robur nequivit ostendere, quemadmodum in corpore mediocri:

Major in exiguo regnat nam corpore virtus,

Veluti etiam Homerus suum Ajacem, Virgilius Æneam describunt, figurâ parvos, artificio ingeniosos, quum omnes illis dotes corporis quam animi tribuere statuissent. Virtus enim (ut Philosophi loquuntur) coacta seu unita fortior est seipsâ dispersâ. Quæ verò hujus miraculi fuerit naturalis caussa, etsi paulò à speculationis termino remotior, à nobis tamen ea adfertur: quod Quartanæ febres non præcipitem, sed prolixam sui sortiantur generationem. Argumento est tarda resolutio: quæ enim difficulter abolebuntur, facilè privantur ortus progressu, inter ortum enim & interitum est relatio. Videmus enim quartanarios, consumpta affectus sui minera semel, nec citò nec promptè in eundem morbum relabi. Lenta enim & copiosa ejus materia longum coacervationi tempus requirit. Undè etiam illud à priscis Medicis quasi per manus traditum axioma: Qui semel quartanam vicerit, hic tota deinde vita ab ea immunis erit. Eo posito fundamento fœminam hanc dico intervallo longo congessisse quartanam, cujus generatio incrementi sustulit impedimentum: à nativitate enim hæc increvisset continuo: sed vetabat humor ille melancholicus, quo absumpto, naturæ institutum primogenias vires extendebat in corpus jam mundatum ac purum, quum sanguinis alimentum optimum à fæce melancholica segregatum tuto attrahere posset. Exemplum præbent arbores. Eæ enim tabescunt, si vitioso humore surculus aliquis corrumpatur: parte vero amputatâ, vigorem denuò expandit stirps.

Ita etiam corpus nostrum tabidum absumpta ἀτροφίας malitia, avarè admodum haurit, imò deglutit alimentum quò citius perpessum damnum restauret. Undè à convalescentia quartanarios multa devorare, quasi exsatiari possint nunquam, cernimus, ita ut recidivam inducat sæpenumero ingluvies nimia. Natura autem in hac fœmina externo cibo convenientius habuit nutrimentum, sanguinem scilicet menstruum, quem alioqui anno circiter duodecimo expurgari oportuit, quo magis apparere incipiebat moles ista gygantea: at eum jam sibi ad cagistandam ἀτροφίαν reservavit.

Et quia corpora diu extenuata non affatim reficere oportet, natura paulatim retinendis mensibus in nutritionis usum assuevit, ideoque ob alimenti copiam, id corpus in tam stupendam statuam excrevit. Nam cum ejusmodi fluxus ordinatus semel derivatur, vix postea suppletur. Etenim quum quaternarii fere omnes, ubi convaluere, magis increscere comperiantur, nisi ætas aut relicta symptomata impediant: tùm sanè hæc fœmina ejusmodi naturæ motioni magis exponebatur: ex alimenti largioris accessione: & quod auctrix illa virtus consopita ad tempus, postea validius suas exereret actiones: sicut ignis paululum oppressus, liberior mox vehementiori insultu se prodit. Et quid mirum in adolescentia, circa legitimum tempus emptionis menstruorum? Materia & forma sufficiente, quid tantæ molis fabricam remorabitur? Videmus enim corpora non semper eadem increscere & proportione & tenore. Siquidem pleraque primò proceritatem acquirunt, postea verò crassitiem & è contra. Quum autem natura proceritati inprimis sæpenumero incumbat; postea nutritionis subsidio destituta, relinquit corpus improportionatum, debile, & quandoque ridiculum. Tale se vidisse narrat *Iulius Cæsar Scaliger*, Mediolani, in publico nosocomio, post victoriam sub Ludovico rege ad Laudem Pompejam habitam.

Juvenis etenim erat tantæ proceritatis, ut stare nequiret, itaque jacebat, duosque lectos simul junctos explebat; nam ad crassitiem & robur alimentum desiderabatur, deeratque. *Tandem non præter intentionem erit, si lectori sequentem observationem ejusdem quoque Wieri subjiciamus, ubi ex Quartana inter ventris musculos insignis abscessus oritur, quo tandem æger è medio tollitur, cujus verba sunt hæc:* Observationes has enarratione non inutili de quartanario Reverendiss. Episcopo Coloniensi, D. Anto-

Quartana neglecta per abscessum infimi ventris ad mortem terminata.

D. Antonio, ex Comitibus à Schowenburg, finiam. Hic constitutione corporis sanguineâ, circiter annos natus quadraginta, ex alia febre in quartanam incidit, in autumno anni millesimi, quingentesimi, quinquagesimi septimi. A qua ubi circiter vernum tempus nonnihil respirasset, huic neutra adhuc valetudine freto, se insinuat Ambrosius ille magicus, annuis mendacium libellorum, vel si mavis Prognosticorum plaustris notus nimis: qui eum quidem graviter laboraturum prædixit, evasurum tamen, si à medicamentorum usu caveret. Interim venam ille pertundi jubet, balneumque præscribit. Confisus hic prognostico, opem Medicam tamdiu respuit, donec à capite & finitimis partibus primum circa sinistram scapulam decumberet humoris copia: qui neglectus, lento defluxu musculos ventris sinistros intersecuit, ubi excitatâ phlegmone, pus genitum copiosum putidissimumque, continuas partes decubitu sedulò vitiavit, tandemque ad lævum peritonæi latus resedit, tum tumore: qui à Chirurgo sectus, ingentem fœtidissimi puris quantitatem reddidit. Hoc tamen postea non nisi ventre compresso fluxit: quare viribus indies magis ac magis flaccescentibus, post septimanas tres, de ventris inferioris incisione, ex cujus sinu pus defluere existimabatur, ab iis seriò agitatur, qui curationi intererant: rogaturque Princeps noster Clementissimus, Dux Cliviæ Juliæ, &c. ægrotum invisens, ut eundem in sectionis consensum induceret; eo etenim modo promptius, liberiusque sine expressione pus fluxurum sperabant. Se, quid hâc in re proficuum esset, non satis intelligere, respondit Princeps: at se missurum eò suum Medicum, medicinæ & chirurgiæ peritum: cui si incisio probaretur, se quoque calculum addere. Proindè eò ablegatus, vulnere conspecto, corpus emaciatum, viresq; impendio prostratas, cum pulsu debili, ac de hora in horam magis inclinante comperi. Quare nihil spei in sectione ponendum esse, sed extrema imminere judicavi. Hora matutina mortem proximam significavit pulsus interceptus: contra impudentes Fædronis Paracelsistæ calumnias, qui pulsus animadversionem ridet in mendaci famosoque suo libello Germanico. Paulò post hîc in Domino obdormiit, cui ex immensâ suâ bonitate locum in justorum resurrectione largiatur Deus. Ventre circa umbilicum inciso, tanta putidissimi puris copia effluxit, ut ex ventris pleni cavo id exundare jam crederent, qui antea in ea opinione fuerant. At sectionem prosequuti, inter musculos transversos & obliquos uti dictum est, cloacam deprehendimus. In sinistro autem latere cor erat flaccidius, ex gravi & continuo exhalante vapore putido: atro adhæc sanguine nigricabant venæ cor cingentes. In vesicæ collo coctum delitescebat pus album; quare nec urinam continere potuit aliquandiu, quod ad calculi læsionem referebatur; sed aliundè id contractum apparuit. In ventriculo quiddam instar humoris biliosi innatabat. Reliqua viscera, uti & universi corporis partes, videbantur illæsa.

Hactenus Wierus, cujus observatione hac absolvissem, nisi fortè fortuna Diomedis Cornarii observationes ad manus meas pervenissent, ubi capite tertio præ meditationum experimentum securum atque secretum proponitur, cujus successum cum ipsimet etiam observaverimus, operæ pretium esse duximus, illud ipsum subjicere verbis ipsius authoris, nimirum laboranti febri quartana exhibeamus in ipsa paroxysmi invasione seu febrilis accessionis principio tertiam cordis leporis pulverisati partem in vino albo claro, vel aqua cardui benedicti calefacta dissolutam, atque hæc exhibitio ter hoc pacto repeti debet, nempè in reditu secundi & tertii paroxysmi. Post hujus pulveris assumptionem Quartanarius in lecto probè tectus per unam aut alteram etiam horam sudare debet, indè paulatim mitiores subsequuntur accessiones febriles, vixque ultra tres vices amplius invadent. Cor autem leporinum præparetur in officina pharmacopolæ diligenter, v. g. ℞. cor leporis recens in campi aut agri alicujus venatione capti, seca in lata frustula, quæ vino albo odorato probè lava, ut æstivo tempore in sole, hyberno juxta fornacem calefactam paulatim, non subitò, commodè exiccentur; exiccata frustula contunde, cribra, divide in tres æquales partes & utere ut paulò superius annotatum est. Sed medicum oportet accuratè sollicitum esse de universalium præmissione, aliàs inefficax erit hoc, quantùmvis feliciter expertum, remedium, nempè ægrotus quartana febri laborans utatur lenitivo quodam medicamento, syrupis, decoctionibus herbarum, radicum, seminum huic proposito inservientium, postmodum evacuetur. Atque hujusmodi corporis præparatio semel atq; iterum iteranda erit. Nec verò à phlebotomia abstinendum, &c.

Secretum leporinum contra quartanam.

Hujus experimenti mentionem quoque facit Monavius in Ep. Scholthii, Ep. 229. his verbis: unum solummodo subjicere libet, quod ab amico (Diomede Cornario, ceu secretum quid accepi, & in multis casibus non inutile deprehendi; sumatur cor leporis & eo modo; quo pulmo vulpis solet, præparetur, postea in pulverem redactum, atque in tres æquales portiones divisum tribus vicibus exhibeatur, hora una aut circiter, ante invasionem, vino albo aut alio convenienti liquore dissolutum. Vidi ego semel atq; iterum post hujus amuleti assumptionem febrem deinceps non magis apparuisse, aut saltem paulatim evanuisse. Verùm hoc non statim ab initio morbi, sed ubi jam manifesta coctionis signa apparent faciendum est.

Hactenus Monavius: tibi verò, Lector amice, de his & similibus liberam judicandi facultatem relinquimus: nihil enim non pro curatione diuturni hujus affectus tentandum esse putamus, quamvis in principio nullum remedium optimum esse videatur. Antiquum tamen frequenter nihilominus obtinet, ita ut dum aliæ febres depictæ coràm Medicis genua flectunt, bestialis & immorigera Quartana posteriorem partem exhibeat, & qualiacunque Medicorum præsidia floccipendere præ se ferat, juxta Julium Alexandrinum.

OBSERVATIO VII.

De hydropis cognitione & curatione.

GRavissima & multiplex est hydropica passio, cujus inquisitionem ulteriorè in præsentia non immeritò tentamus,

tentamus, ut illa, quæ *Donato Hist. mir. l.4. c.21. à Marcello* dicuntur, eò rectius intelligi possint. Etsi verò communissima sit assertio, generationem hydropis non sine jecoris læsione fieri posse, juxta *Gal. l.5. de locis aff. c.7.* ubi haud quaquam hunc affectum illæso jecore fieri posse statuit, quem sequuntur *Dd. communiter*, ut patet ex *Savanorola tract.6. c.14. rub.9. Valesco de Taranta l.5. c.8. Capivac. l.3. pract. c.18.* & aliis per multis; non tamen hanc assertionem simpliciter veram esse nuperrimè peculiari libello demonstrare conatus est *Sylvius Lanceanus*, inscripto titulo, *hydropem non semper à jecore fieri*, cujus rationes & autoritates, ut ex toto non rejicimus, ita propter falsas quasdã hypotheses penitus etiam non recipimus.

An detur hydrops salvo jecore.

Inquirendum igitur, num detur hydrops jecore salvo, quod inter antiquiores *Aretæus innuere videtur lib.6. capit.1. de Chronic. sign. & caus. morb.* uti quandam hydropis speciem proponit, quæ fiat ex quamplurimis vesiculis aqua repletis & in abdominis cavitate numerosa sobole collectis. Hoc ipsum recentiorum observationes confirmant, ubi consideramus historiam *Cordæi comm.5. ad lib.1. Hipp. de morb. mulier. sen.3. §.9. mihi pag.211.* ubi refert, quandam fœminam hydrope laborasse, quâ tandem Lutetiæ mortuâ per totam infimam ac mediam cavitatem vesiculæ quamplurimæ citrinâ aquâ repletæ duabus investitæ tunicis apparuerunt. Similem ex parte historiam ex observationibus *Eicholtii apud Schenckium l.3. num.115.* videas.

Observ. Cordæi.

Observ. Saxoniæ.

Hercules Saxon. l.3. pract. c.32. hydropem quendam dari asserit, qui fiat absque ullo jecoris vitio quando scilicet serosæ humiditates jam in universum corpus distributæ non possunt recipi in jecur & vesicam, quod confirmat autoritate *Galeni lib.3. de causis sympt. c.2.* ubi dicit, quod ex dicta causa subitanei hydropum status introducantur, tum etiam observatione sequenti, dum inquit: hujus rei exemplum pulcherrimum proponam cujusdam virginis in Cœnobio S. Agathæ, quam pater meus curavit. Cum huic virgini suppressa esset urina & venter pauca egessisset, post aliquod tempus venter intumuit, ut censeretur hydrops à Medicis. Post 15. vel 20. dies ab hydrope incipiente, incepit aqua excerni per porositatem ventris inferioris singulis diebus ad libras quatuor, & referunt aquam fuisse citrini coloris & admodũ fœtidam: obiit tandem cũ vixisset, ut audio, per plures menses cum tali excretione.

Observatio Heintzii.

Memorabilis est historia Ioh. Heintzii Medici, quam refert Schenckius l.3. obs. n.217. ancillam quandam hydropicâ affectione laborasse, tandemq; vitam cum morte commutasse, cujus unica causa fuit testiculorum muliebrium vitium, in quibus, cum virago esset, seminis copia putrefacta, tumor ex utraq; parte satis magnus à peccante materia progenitus fuit. Testes enim ab utraque parte non solùm tumidos ad magnitudinem capituli recens nati pulli, sed etiam lividos, quasi fungosos, plenosque vesiculis aqueis disruptis cadavere dissecto invenerunt, jecore, aliisque partibus secundum naturam constitutis.

Observatio alia ex Saxonia.

Ex sanguine subitò productum hydropem refert Saxonia citato loco dum inquit: præter has species hydropis aliam ego vidi, à nullo descriptum, ex sanguine. Erat quidam religiosus ad S. Spiritum, qui patiebatur herniam, & cum semel factus esset intestinorum prolapsus, derepente factus est hydropicus, & eodem etiam die tabidus. Curæ ejus interérat *Excel. Mercurialis*, præceptor meus: vixit quatuordecim dies, post quas cum invenerint ipsum mortuum, simul invenerunt in vase decem vel quatuordecim libras sanguinis, factâ hâc evacuatione venter ità detumuit, ut nulla amplius moles consisteret. Certissimum signum hydropem fuisse ex sanguine. Porrò subjicit ex ruptura, scil. venarum, hanc speciem fieri potuisse.

Dari hydropes particulares.

Imò dari quoque particulares hydropes vix aliquis negabit, qui hydropem uteri, pulmonum, aquæ collectionem in hydrocephalis & similia perpendit. Quid quæso frequentius est, quàm quod hydrope Oschii & testium puelli laborent, quibus aliter non succurrimus, quàm externis medicamentis exiccantibus ac discutientibus, nullo habito respectu ad jecur, cum potius ejusmodi collectio propter partis habilitatem ad recipiendum, quam alterationem jecoris depravatam oriatur. Notabilis est observatio *Montani Consil.189. de morbis partium mihi in edit. Norib. fol.199.* ubi inquit, se vidisse mendicum hydropicum hâc affectione tantum in brachio laborantem, qui manum admodum distentam habuisse dicitur. Imò & gutturis hydropem lectione curatam ibidem subjicit. Quod ut majorem fidem apud lectorem mereatur, similem historiam cujusdam studiosi nobiscum annis superioribus viventis subjicio. Qui licet corpus totum fluxionibus obnoxium obtineret, maximè tamen in sinistro brachio toto tumore insignis & æqualis magnitudine tripla fere naturalem quantitatem superans conspiciebatur, ob nativam partis imbecillitatem, eò decumbente copia materiæ peccantis. Huic etsi per medicamenta universalia, potissimùm quoque per ligni decoctum, malum habitum in toto corpore non sine successu corrigere conati essemus, nihil tamen in tumore manus totius, ob imbecillitatem innatam, obtinuimus.

Responsio ad quæstionem.

Quamvis autem negari non possit illudipsum, tales hydropicas universales & particulares affectiones absque jecoris læsione fieri posse, notandum tamen ex *Mercato l.4. de intern. morb. curat. c.6. Salio Diverso de affect. part. cap.9.* quod hydrops alius sit propriè dictus, alius impropriè dictus. Ille communiter est intelligendus, ubi Gal. & Hipp. de hydrope agunt, cujus origo semper à jecore dependet, sive jecur primario, sive secundario affectu laboret. Hinc hydropem ejusmodi collectionem aquosæ, simul etiam interdum flatuosæ materiæ dicunt, quæ fiat ob malam jecoris digestionem, undè primum locum inter signa universalia meritò tenent illa, quæ malum habitum alias indicant, quâ ratione videmus propter depravatam sanguificationem hydropicos cachectica signa, quo ad faciei colorem & alia obtinere. Nec subitò talis collectio materiæ fieri potest, quia jecoris imbecillitas sensim ac lentè sanguinem serosum generando talis affectus causa est. His ergò positis, non negamus aliis etiam partibus affectis hydropicas διαθέσεις generari posse, quibus hoc nomen quidem

quidem non incommodè tribuitur, at non juxta descriptiones illas Principum Medicorum, ubi vocabulum hydropis in strictiori significatione pro morbo quantitatis auctæ, πάθος à jecore dependente, juxta superiorem descriptionem intelligunt. Quocirca concludendum esse videtur, prædictas illas hydropis observationes impropriè dictas esse, quatenus illam acceptionem perpendimus, quæ Hippocrati, Galeno, communique scholæ Medicorum in usu est, tum quod in generatione, quo ad causas, tum etiam quod in curatione plurimùm diversitatis habeant, quare easdem ulteriori cognitionis & curationis ergò disquisitione indigere putamus.

Investigatio causæ hydropis. Porrò de causa generationis hydropis autores discrepare videntur, dum quidam magni nominis viri non tantùm à jecoris frigiditate, sed non rarò simul etiam à caliditate verum hydropem fieri statuunt, contra communem assertionem Galenicam, quod videat lector in *Exer. nostris therapeuticis Decade 7. probl. 7.* ubi tandem argumentis in utramq; partem propositis conciliatio ex *Horatio Augenio* adducitur, quod proxima causa quæ sanguificationem impedit, sit frigida jecinoris intemperies in omni hydrope, quamvis nihil impediat, quin antecedens causa possit esse calida, quod etiam *Mercurialis innuit lib. 3. de med. morb. cap. 24.* frigida scilicet intemperies, prout denotat caloris nativi defectum, qui omnem qualitatum excessum præter naturam sequitur. Hinc *idem Augenius* nihil impedire dicit, quin ascites ex acuto morbo fieri possit, propter sanguificationem ex hac causa impeditam.

Dubitatio contra communem assertionem. Sed ne obliviscamur *Hippocratis nostri, qui lib. de veteri Medicina* non tàm calidum, frigidum, humidum & siccum respiciendum esse putat, quàm illud quod in unoquoque genere potentius est, nimirum inter dulcia dulcissimum, inter amara amarissimum, inter acida acidissimum, & quod in re quàque summum est: idcircò veritatis inquirendæ causâ subjicimus, an medicus in caloris vel frigoris actione quiescere debeat, ubi generationem hydropis inquirit? an verò potius respiciendum sit ad collectionem serosæ & tartareæ materiæ in jecore quodammodo coagulatæ, cujus ratione chylus consequenter loco boni sanguinis in ejusmodi salsum & aquosum humorem maxima ex parte convertatur? *Paracelsus de tart. l. 2. tr. 2.* ex sale aluminoso hydropisin fieri asserit. Alibi *in fragm. de tartaro* dicit: hydropisis est passio ex regionibus hepatis orta, ex tartaro aluminoso sub primo corpore per resolutionem propriæ naturæ, deinceps per spiritum membri hujus mineralem &c. *Idem repetit in schol. ad lib. de tartaro.* Imò *in comm. ad lib. 4. paragraph.* ad sensum hoc demonstrare conatur, inquiens: Si ex Rocho est Undimia, id est, hydropisis, totum corpus occupat. *Et paulò post:* hyposarca nihil aliud est, quàm resolutum alumen. Signum. Purgentur leviter, exibit aqua, quæ coaguletur ad ignem & in fundo erit materia aluminosa, & vide quod genus aluminis sit, num de Rocho vel scisso. Provocetur etiam urina cum raphano, pulegio, salvia, & fac ut supra: id fit & in sudoribus, quos provocabis theriaca, maximè si addideris Euphorbium. Quomodo verò præter causam proximam respicienda quoque sit remotior & universalis idem Paracelsus in duplici tractatu de hydropisi persequi conatur.

Hactenus Paracelsus, cujus assertiones quam plurimas superstitione falsisq; hypothesibus extructas meritò, quod alii viri docti quoque faciunt, rejicimus; ita tamen ut nihilominus apes imitemur, qui relictis venenatis succis, id quod mellificio confert arte sedulâ de spinis etiam, inquirunt. Hoc fine dubitationem hanc in problematibus Therapeuticis quoque proposuimus, quod probabile nobis videatur, aliud quid præter illam frigiditatem vel caliditatem jecoris perpendendum esse. Rationes dubitandi breviter ibidem addidimus, quas pluribus hic repetere non erit à scopo præsentis tractationis alienum.

1. Ratio dubitandi. Prima sumitur ab urina crassa, rubra, sæpiusque subnigra, quæ in dispositionibus hydropicis, potissimùm in ascite confirmato deprehenditur. Hanc *Mercurialis lib. 3. pract. c. 24. Herc. Saxon. lib. 3. pract. c. 32.* & alii permulti suam originem ab imbecillitate retentricis & concoctricis jecoris habere statuunt, quod facultas imbecillior à sanguine non ita separet serum, quin urina fiat sanguinea. Quàmvis autem non negemus, quod talis imbecillitas digestionis excretionem ejusmodi tinctam producere queat, sicuti videmus, hoc ipsum accidere in fluxu hepatico, cum aqua loturæ carnis cruentæ similis dejicitur: alia tamen omninò ratio videtur in hac urina hydropicorum, quam ex dicta illa causa minime progenitum esse testatur sensus, ubi levi factâ evaporatione, partibus aquosis resolutis, nihil aliud quàm ingens coagulati salis copia superstes manet. Hinc ergò verisimiliter concludere licet, præter intemperiem, in hydropicis adesse quoque collectionem ejusmodi tartareæ salsuginosæ materiæ quæ resolutione suâ postea vi quâdam augmentandi massam sanguineam simili qualitate imbuit, undè consequenter in morbo hoc confirmato & adaucto tales urinæ per admistionem hujus materiæ prodeunt. Nec te moveat, amice lector, quod libertate quâdam philosophicâ materiæ collectæ quandam augmentandi vim tribuam, quod alias in scholis viventibus tantùm attribuere solemus: eò enim respiciendum est, aliter augmentationem viventium, quæ secundum omnes dimensiones absolvitur, aliter etiam hanc multiplicandi potentiam accipi debere, quæ alias mineralibus convenit, quibus eandem, modo sensibus fidem non derogemus, procul dubio concedere cogimur.

2. Ratio dubitandi. Porrò frequens est apud hydropicos immensa sitis, cujus ab autoribus variæ, atque diversæ rationes adducuntur. *Alexand. in probl. sect. 1. probl. 31.* tres causas adducit: quod humidum in hydropicis putrefactum sit & ratione putredinis salsedinem acquirat: quod in hydropicis febris necessariò conjungatur: tandem quod alimentaris & nativa humiditas plurimùm absumpta sit. *Mercurialis* his addit *obstructiones*, quibus humidum alimentare impeditur, ut substantiam humidam reficere nequeat, & *pectoris angustiam* ob compressionẽ, quâ de re pulmonibus laborantibus calorẽ & sitim augeri statuit. Hic nullus est, qui non sponte suâ me quoq; non momente colligat, ex prædictis rationibus

rationibus nullam eſſe majoris ponderis eâ quæ ſumitur à ſalſâ qualitate peccantis materiæ, quam vix aliquis à frigiditate ſolùm derivabit, niſi ſimul ad peccantis ſubſtantiæ proprietates reſpiciat.

3. Ratio dubitandi.

Addimus loco tertio ſolutæ unitatis hydropicorum difficilem conſolidationem: ſive enim ferri beneficio continuum ſolvatur aut in abdomine, aut in ſuris, aliâq; parte pedum: ſive etiam vi liquoris erodentis abdomen aut pedes exulcerentur, tàm vulnera quàm ulcera non ſolùm ſenſu ſatis dolorifico propter acrimoniam humoris peccantis laborantibus moleſtiſſima ſunt, ſed ſimul etiam impedimento ſunt, quo minus conſolidantia medicamenta ſuum officium peragant. Hinc ergò manifeſtum eſt, non ſolùm ob frigiditatem hepatis imbecillitatem adeſſe, ſed inſuper etiam aliam cauſam pro continuatione peccantis ſalſedinis & acrimoniæ concurrere.

4. Ratio dubitand.

Tandem hydropicorum curatio reſpicienda venit, ex cujus notitia non immeritò cognitionem cauſæ colligimus: at nullus hîc tantùm de frigiditate corrigenda ſollicitus eſt, cum tota curandi ratio potiſſimùm eò dirigatur, ut tartarum coagulatum reſolvatur & poſtea per vias urinarias, ſudores, alioſq; modos unà cum reſoluta materia ſenſim collecta propellatur. Hoc ut magis intelligamus de curandis hydropicis quædam ſubjicienda veniunt, ubi primùm notandum ea, de quibus hactenus diximus, ut plurimùm locum ſuum habere in Aſcite, frequenter tamen ad Anaſarcæ & Tympanitidis generationem etiam inſervire poſſunt; quod quâ ratione fiat ulterius explicatur *Dec. 7. Probl. Med. q. 8.*

De curandis hydropicis.

Ut autem plures ſunt hydropicorum differentiæ, ſic etiam remedia non ſemper eadem præſcribuntur. Quod aſciten attinet, plerumq; ſtatim ad humoris peccantis reſolutionem & evacuationem progredimur, ubi inter ſimplicia commendatur *Gratiola, ſuccus Iridis, cucumeris agreſtis, cortex radicis frangulæ luteus interior, ſoldanella, ſeu braſſica marina*, & hujus generis plurima, quibus ob incidendi, detergendiq; facultatem vis ejusmodi tribuitur, quæ coagulatam obſtruentē ſubſtantiam reſolvere; ſolutamque per vias urinarum & alvi propellere poteſt. *In Conſiliis Scholtii Reſterius ejusmodi præſcribit remedium.* ℞. ſucci Ireos recentis & per reſidentiam depurati ʒvj. Rhabar. mundi & elect. ʒj. infunde per noctem & factâ expreſſione addatur ſucci cyclamini depurati ʒjſ. Syr. capill. veneris ℥j. Aq. cuſcutę ℥ij. Miſce fiat potus, qui cum valdè abſtergens ſit, non ſolùm internos ſed & externos corporis meatus aperit per alvum & ſudorem evacuando. Poſt uſum hujus ſubjicit remedium hydroticum domeſticum (quidam ſyrupum S. Ambroſii vocant) quod tale eſt: ℞. milii excort. ℥ij. Aq. fontis claræ ℔ij. Bulliant in vaſe mundo, donec grana milii quadantenus ſolvantur, cujus decocti percolati ℥v. cum æquali portione vini meracioris miſceantur & jejuno ſtomacho pro ſudore evacuando bibantur. *Wierus in obſ.* pro evacuatione & reſolutione ſeroſorum humorum tale præſcribit remedium in aſcite ℞. Gratiolæ ℥ß. Soldanellæ ℥j. ſeminis aniſi ʒij. paſſularum enucleatar. ℥ß. bulliant cum vino ad ℥v. qui liquor expreſſus & colatus exhibeatur. Præterea ſubjicit & ſequens apozema: quando ſcilicet paulatim venter & hepar exonerari deſiderat, aut propter humoris delinquentis abundantiam, aut viſcerum labefactatam virtutem, aut plurium ſymptomatum concurſum. ℞. Radicis Valerianæ, pimpinellæ, helenii, ebuli ana ℥s. vitis ſylu. ʒij. Medullæ ſem. carthami ʒv. ſem. aniſi ℥ß. fœniculi ʒiij. Her. Gratiolæ Eupatorii veri ana Mj. Veronicæ, Scabioſæ, betonicæ, card. bened. ana Ms. fl. geniſtæ, ſambuci ana p. ij. paſſul. enucleat. vel corynth. inciſi ℥js. ſenæ Alexan. ſ. ſ. ℥s. ʒij. Soldanellæ ℥j. Agarici trochiſ. ʒvj. Decoq. in ℔. v. vini albi muturi, l. a. ſi febris abſit, alioqui in aqua, donec abſumatur medietas in vaſe diligenter tecto, vel potius duplici: à forti expreſſione in decocto denuò bulliat ſaccharum q. ſ. ad conſervationem. Adde Rhabar. in petia ligati ℥ß. cinam. ʒiij. De hoc apozemate quotidiè vel alternis diebus tres vel quatuor unciæ exhibentur ſtomacho jejuno, non tantùm in Aſcite ſed etiam in Anaſarca & tympanitide, cui magis hoc vel ſimile medicamentum convenit, ubi plura flatus reſolventia junguntur.

His ad materiæ reſolutionem & evacuationem per alvum tentatis inter cætera minimè negligenda ſunt, quæ per urinas educunt, ubi quidam oleum è juniperi baccis, præter communia diuretica plurimùm commendant.

Obſervatio ſingularis de pulvere bufonum.

Notabilis eſt hiſtoria *Wieri l. 3. c. 35. de præſtigiis dæmonum, quam integram adſcribere placet.* Narrârat Gisbertus Horſtius, medicus experientiſſimus, Romæ quendam hydropicum diu decubuiſſe, cujus uxor tandem ſumptuum pertæſa veneno illum tollere decreverat, quare bufonis in olla uſti pulverem ægroto propinat, undè ille copioſum reddit lotium: hinc denuò eundem pulverem exhibet, ut citius ei ærumnoſam, ſumptuoſamque vitam cum præcipitē commutaret morte: qui multo uberiore exonerata per veſicam ſaburra aquea convaluit, præter conjugis expectationem. Nam bufo etiam diſciſſus & renib. impoſitus, hydropicorum aquas permeatum urinarium expellit. Eandem calamitatem ipſe Gisbertus alias ſenſit ab iis, à quibus minimè decuit. Quam ſanè hic locum ſuum meretur illud Naſonis Metamor.

——————Non hoſpes ab hoſpite tutus,
Non ſocer à genero fratrum quoq; gratia rara eſt.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti,
Lucida terribiles miſcent aconita novercæ,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Similem aut fortè eandem hiſtoriam refert *Solenander Conſil. Med. ſect. 5. num. 15. ubi inquit:* mulier quædam habens maritum hydropicum, quæ expenderat in eo ſanando omnia ferè ſua, nec profecit quicquam, ut etiam mori ſtatuens, quotidiè mortem inclamaret. Uxor ejus ſperans eum moriturum, accepit bufonem & redactum in pulverem propinabat ei ex vino. Quo facto ſtatim incepit profluere urina & venter aquam reddere: & ſic ſanitati præter ſpem, & quem moriturum ex veneno ſperabat, convaluit.

Etſi verò *Libavius* quoque mentionem faciat hujus rei *l. 2. Batrach. c. 20.* quod quidam uſti bufonis pulverem biberit

biberit

biberit & ab hydrope per excretionem aquæ liberatus fuerit, nullibi tamen additur, quâ ratione sine damno tale pharmacum exhiberi possit. Imò *Forestus lib. 19. observ.* 35. instar miraculi refert, usum rubetarum extra corpus in hydropicis adhibitum, dum inquit: Mirabilis est historia vetulæ mulieris ab hydrope curatæ, quam Cornelius ille Roterodamus Medicus, qui ante me Romæ agebat apud Gisbertum Horstium, mihi communicavit, nempè quod vetula quędam hydropica à medicis destituta, ab altera vetula edocta capiebat ranas, rubetas dictas, easque vivas in ollam novam conjiciebat, superinfuso oleo olivarum, illisque sic decoctis, eo oleo ventrem inungebat, deducendo manus versus inferiora; à stomacho incipiens versus inguina, idque calidè: & secundo die tumor descendit ad inferiora, ita ut mirum in modum intumuerint pedes. Sed cùm prosequeretur inunctionem, tertio die penitus delituit tumor, cum nulla sensibili evacuatione.

Observatio de rubetis contra hydropem.

Subjicit porrò Forestus, ranis etiam facultatem ad aquosæ materiæ attractionem inesse, quâ ratione *Gradus* hydropicis artificialia balnea parat, ranis vivis impositis, ex quo pro confirmatione hujus assertionis refertur, quòd pestis tempore rusticus quidam ranis viventibus scissis & non scissis apostemati pestilenti impositis evacuato hoc modo veneno convaluerit, quod etiam nostri temporis observationibus plebeiorum testari possumus. Cæterùm rubetas sylvestres scissas, & lumbis impositas ad eductionem aquæ hydropicorum per urinas plurimùm inservire *Solenander quoque cum Varignana* statuit. Sed concedamus aliquid in præsentia, præsertim quòd extractionem veneni pestiferi concernit, multò tamen præsentius esse videtur, in urinis hydropicorum educendis ad alia magis experta, tutioraque confugere, quorum sylvam in scriptis practicorum ubique reperimus, præsertim cùm simul illa conjunguntur, quæ chymicâ diligentiâ præparantur, ubi præ cæteris Tartarum vitriolarum commendatur, de quo Problemata θεραπευτικὰ videas.

Imò sudoris provocatio maximè quoque præmissis præmittendis convenit, quod superius innuimus, quem, quâcunque ratione fieri potest, his ægris pauxillo theriacæ in decocto radicis hirundinariæ vel vino cum veronica parato provocamus in lecto, stomacho jejuno: vel etiam balnea sudorifera decoct. fol. & rad. sambuci atque ebuli, absynth. pulegii, marrubii, bac. juniperi, anethi, camomillæ, &c. admixtis sulphure & sale in lixivio paratis utimur.

Verùm non sufficit, ut peccantem materiam tantùm respiciamus, sed opus est ut omni ingenio naturæ, viscerumque robori succurramus. Hîc in Ascite & Anasarca commendantur Rad. helenii conditæ, zingibet in Ind. cond. rad. pimpinellæ cond. conser. absynthii, vel etiam ejusmodi conditum *Wieri.*

℞. *Conser. rad. Enulæ* ℥js.
Absynth. Rom. ℥j.
Spec. Diacinam. ʒjs.
Dialaccæ ʒj.
Ol. Iuniperini ℈ij.
Cum syr. de Eupatorio q. s. F. conditum.

Tomus secundus

in tympanitide rursus ad ea respiciendum, quæ roborant viscera, flatusque discutiunt, ubi Electuarium de baccis lauri, species dianisi, destillatum anisi oleum aliaque præcedentibus adduntur.

Externè *Solenander l. 3. consil. 9.* præter sacculos ex seminibus, sale, sulphure & similibus in ascite commendat Emplastrum sequens:

℞. *Stercoris caprilli*
Farinæ orobi an. ℔j.
Rad. Cucum. asinini
Ebuli ana ℥ij.
Sem. Cymini
Rad. Ireos
Her. Absinth. sicci ana ℥.
Aceti Sambuccini chalybeati ℥4.

Coquantur in lixivii & vini partibus æqualibus ad formam cataplasmatis. Inducatur hoc toti ventri, sed ante cibum auferatur & inungatur venter linimento sequenti.

℞. *Ol. absynth.* ʒj.
Rutacei ʒß.
Anethi stillatitii ʒM.
Sem. Cymini, Sulphuris vivi ana ʒM.
Aluminis usti
Mastychis ana ℈j.
Aceti Sambucini ℥ijß. *Misce, fiat linimentum cum pauca cera.*

OBSERVATIO VIII.

De pulsus intermittentis præsagio.

E*Tsi nulla in re vulgus Medicum magis admiratur & extollit, quàm in futurorum prædictione, cùm nihil in arte Medica mirabilius videatur, quàm per certa signa salutis atq; mortis eventum prædicere; non tamen temerè, sed cautè procedendum esse sæpius Hipp. monet, propterea quòd in acutis subitæ sint mutationes, ubi meritò notanda venit observatio Wieri de curatione febris malignæ, in qua de pulsus intermittentis præsagio disputatur, cujus verba sunt hæc:* Rutgerus à Randraik nobilis, plus quàm quinquagenarius, temperamento biliosus, incidit in febrem summæ malignitatis: quam statim ab invasionis principio comitabatur continuus vomitus materiæ biliosæ, vehemens linguæ ariditas, sitis inquietudo, intolerabilis æstus ventriculi, cum frequenti eructationum repetitione, quæ per intervalla gulæ communicabat angustias, & coarctationem difficillimam, non secus quàm si interiori interpositione meatus fuisset obstructus; adeò ut æger ob causæ morbificæ ignorationem, vereretur inopinatæ suffocationis periculum. Pulsatio arteriarum deprehendebatur valdè & inęqualis, & inordinata, usque ad septimum diem, quo percipi cœpit intermittens: cui quâdam motionis vicissitudine caprizans succedebat. Sed hîc notandum arripui desperationis ansam, licet haudquaquam me lateret Galeni de hoc signo judicium prorsus formidabile. Ad medelam huic affectioni pręstandam accitus, neglectâ sanguinis detractione, quàm hoc anno in quibuscunque malignis & pestilentibus morbis

Observatio pulsus intermittentis in febri maligna.

 etiam

etiam circa Rheni tractum crudeliter grassantibus periculosum compereram: illicò exhiberi jubebam antidotum, cum aq, card. bened. tùm in malis contagiosis familiare, cujus descriptio talis est:

Antidotus contra malignitatem.

℞. *Theriaca electa* ℥iij.
Rad. Tormentilla
Baccarum Iuniperi
Sem. Card. bened. an. ℥jß.
Boli arm. praparat. ℥ß.
Diamarg. frigid. ℈ij.
Sem. acetosa
Citri, Rasura eboris an. ʒj.
Syrupi de acetosit. citri q. s. fiat conditum.

undè provocato sudore abundè miliusculè habuit.

Tertiâ die, quâ primùm accessi ad morbum, penitus ocularis inspectionis fide considerandum: atq; tum observatâ maximâ humorū putredine, & apparentibus incendii adustionisq; gravioribus indiciis, ordinavi decoctum ex hordeo, card. benedicto, & scabiosa confectum admixto sacchàro & aceto in forma syrupi acidi, quo assiduè utebatur; quandoque haustum ex stillaticia card. bened. & oxalidis aqua bibebat. Nutriebatur ptissana subacidâ, avenato in aqua cum pauxillo aceti præparato, ac tandem jusculo pulli gallinacei simplici, in quo vitellus ovi erat dissolutus: assumpsit quoq; succum mali Punici. Quinta die contecto diligenter corpore, exhibitâq; aquâ hordeaceâ dulcoratâ, copiosissimè profluxit sudor: qui mirè ægrotantem sublevabat anxietatis continuæ molestiis. Sextâ, per secessum prodibant excrementa penitus biliosa, cum fœtore magno, adeò ut natura peccantis materię diminutionem paulatim moliri jam videretur: sed impedita fuit ab insultu noctis subsequentis, quâ symptomatum omnium concursus ingruebat tantâ & vehementiâ & celeritate, ut æger condito ultimæ voluntatis testamento, migrationis è vita momento intenderet. Septimâ rediens manè, in acerbo consanguineorum astantiumq; luctu, citra ullam dilationem digitis carpo admotis pulsum percipio intermittentem tertiâ quâq; pulsatione, qui primo quidē contactu terrorem incutit, at examinatis interea cæterorum accidentium præsagiis, indeque certâ convalescentiæ spe datâ, quicquid discriminis portendebat variata illa cordis & arteriarū motio, id totum retuli ad acerrimam naturæ cum vi morbi concertationem. Neq; profectò conjecturam meam eventus rei fefellit: quoniam reliquo diei decursu expultrix facultas occupabatur planè in exonerando stomacho à noxiæ materiæ adustæ multitudine: animadversione primò habitâ ad virtutis corroborationem, odoratui mala arantia, aq. ros. & acet. rosat. obtuli: deindè ad juvandū naturæ conatū in ciendo vomitu, exhibui aquam tepidam cum ol. communi, & arantiorum succo mixtam. Indè serosa quidem recrementa nonnulla remanarunt; sed quū minera mali nondū attingeretur, satis ab imbecilliori hoc medicamento, aut ejus tenacissima malignitas infringeretur: sequēti die (qui octavus numerabatur) deliberato animo, & pulsus intermissione quamvis perseverante, ministravi potionem purgantem sequenti modo confectam.

℞. Rhab. El. pul. senæ laxativi an. ʒjß. Infundantur seorsum in aq. Endivię ℥iiijß. huic deindè post fortem expressionem colaturæ, admisce syr. ros. solut. ℥j. misce. Et quia mentio incidit pulveris senæ solutivi, cujus usum in hac inferiori Germania ego primus introduxi, ejus descriptionem lubenti communicatione obiter subjungam: ut quibus visum fuerit, in suis præparent pharmacopoliis.

Pulvis senæ laxativus Wieri.

℞. *Fol. sena purgata*
Tartari albi an. ℥j.
Sem. anisi
Cariophillorum
Cinamomi
Galanga an. ʒj.
Diagridii ʒij. comminuantur minutissimè, & in pulverem secundùm artis legem, cujus dosis est in substantia ʒij. & ℥ß. in infusione.

Ex supra præscripti pharmaci assumptione sexies æger per alvum excrevit flava, biliosa, adusta, fœtida, cum sedatione omnium symptomatum: ut etiam testaretur sensibili perceptione, sese liberari ab ingenti pondere incensi glomeris, per intestinorum longitudinem à ventriculo delabentis. Postea roborari intrinsecus conservæ rosaceæ exhibitione, foris verò illinitione olei rosacei immaturi. Convaluit probè nobilis hic & optimus vir, post universalem corporis evacuationem: saltem pulsus intermittens perdurabat adhuc in nonum usque diem, quo commutabatur in parvum, rarum, tardum, qui necessariò debilitatem sequebatur ex mutua naturæ & ægritudinis colluctatione natam. Proindè manifestissimè apparet, hanc prædicendi cautionem à Medicis esse observandam, ne animo penitùs perculso & commoto de valetudinis recuperatione confestim diffidant, si quando ejusmodi pulsus sensui occurrat, cùm causæ quidem morbificæ magnitudinem & ancipitem oppugnantis naturæ luctam denotet, non tamen mortis propinquitatem, nisi plurium lethalium signorum tanquam τεκμηρίων accessione confirmetur artificiosa conjectura. Etenim priusquàm ullum ab ore procedat præsagium, duo in considerationem veniunt: naturæ robur & vis morbi. Quia tum demùm animal interitus perceptionem subit, quando illud succumbit, hæc verò insignia victoriæ ostentat. Verbi gratia: statuamus ægritudinem aut parem esse naturæ, aut imparem. Par si fuerit, non apparebit conversio vel ad salutem, vel mortem: quia mutationis omnis proprietas consistit in unius prædominio. Si igitur impar, tum aut morbus vincet aut natura; si natura, evadit æger; sin minus, morietur. Mortem enim invehit defectus naturæ, exuperantia causæ morbificę. Jam pulsationis omnis continuatio significat facultatis vitalis robur: defectio autem ejus imbecillitatem. Itaque si binam pulsationem exhibuerit tactus, bini numerabuntur gradus roboris; si una intermissio, unus gradus morbi. At unus gradus minimè exuperare potest duos, in actionis ordine. Undè pulsus, licet tertia quoque motione intermittens, non arguit imminentis mortis certitudinē, atque sanè multò minus ille qui decem aut viginti dilationum & contractionum repetitiones tantùm sequitur.

Cautela prognosticorum Medicorum.

Siquidem

Siquidem, ut idipsum privatur perniciei suæ exequutione, quo tamen major conspirat efficientis potentia & vicinitas, quinam declarabit operationis efficaciam aliquid pusillum, longèque ab agendo remotum? Talis enim deprehenditur frequenter in febri pestilenti & ægritudine melancholica, frequentius adhuc in palpitatione cardiaca. Qua decepti Galliæ Medici, Marino de Caballis, Reipub. Venetæ ad Francorum Regem legato interitum prædixêre, sinistro de pulsus intermissione judicio irretiti, ideòque suaserunt, ut post impetratam discessus licentiam, in Italiam confestim rediret: atque ibi condito testamento, dispositisque negotiis, tranquillior deinceps sese armaret ad quodcunque mortis momentum. Ille Venetias animo prostrato reversus consultationem instituit, accito Medicorum collegio; ex quo erat Victor Trincavella, celeberrimus facultatis nostræ in Patavino Gymnasio Professor. Qui cùm animadverteret tremorem hunc proficisci tum ex gravioribus curis, tum ex sanguine Melancholico ad cor affatim confluente: promittens amissæ sanitatis recuperationem, crebram consuluit incisionem venæ, quam necessariò postulabat plethorica corporis constitutio. Hinc accedente etiam cordialium remediorum usu, ritè curatus, in hodiernum diem adhuc superstes est clarissimus vir, omnium rerum gnarus, plurium idiomatum peritus, defunctus interea magnificentissimè muniis legationis ad utrumque Imperatorem Turcicum & Romanorum, nec non Patavinæ urbis præfecturâ. Ea mihi narravit filius meus Henricus Wierus Philosophiæ & Medicinæ Doctor: qui propter assiduos studiorum labores Bononiæ incidebat in similem palpitationis Cardiacæ affectum, cum pulsu inordinatè caprizante, & sæpius intermittente: sed venæsectione, victûs lege ritè observatâ, assumptis quoq; iis, quæ ex artis nostræ præceptis conducibilia judicabat, integram sanitatem ex singulari Dei gratia est consecutus.

OBSERVATIO IX.

De suffocatis adhuc viventibus.

Lib.3.c. Marcellus Donatus de miris suffocationibus agit, cum quibus commodè conjunguntur subsequentia, quæ sub fide publica refert Diomedes Cornarius in histor. admirandis, de furibus suspensis, & post ad Anatomiam destinatis reviviscentibus. Historia prima talis est: Anno 1440. 16. die Martii, Decano Facultatis Medicæ existente M. Johanne de Paumgarten, octo fures suspensi fuerunt, ex quibus unus ad Spiritum sanctum introductus est, ac corpus ejus destinatum Anatomiæ, sed quia iterum ope & industria Medicorum Viennensium revixit liber dimissus est. Hæc ita descripta reperiuntur in antiquo Collegii Medici Actorum libro, anni superius allegati.

Fures suspensi reviviscentes.

Hic paulò post ex eodem libro talis subjicitur quoque historia: Anno 1492. Conradi Praitenauers de Puechperg ob furta suspensi & strangulati corpus Facultati Medicæ secandum tradebatur. Animadvertunt Medici aliquem spiritum vitalem in hoc corpore superesse, quamvis morti valdè propinquum esset: proindè ex utraque cephalica sanguinem largum detraxerunt, aliaq; necessaria administrarunt. Apparuerunt in illo symptomata horribilia suffocationem minantia, spuma circa os notabilis aderat & perseverans, propterea Medici *Hippocratis aphorismum 43. sect.3.* allegabant, ubi ait Hippocrates: strangulati & dissoluti, nondum mortui, non reconvalescunt, quibus spuma circa os fuerit. Hunc trium literarum hominem fortissimè constrictum, ob vehementes capitis, pedum, imò totius corporis commotiones (nulla enim in homine erat quies) quatuor personæ fortes athleticæ tenuerunt, alias, ne seipsum denuò interfecisset, periculum fuisset; mente nimirum laborantem. Retulit postea, se non posse in memoriam revocare ea, quæ secum acta fuerant: se tantùm meminisse, quod in prætorio fuerit, sed quid postea factum sit se ignorare. Hic tandem comite pedello ad B. virginem in Oetingen patriam suam ivit, quo in loco hæc historia pro miraculo depicta est. Dicitur etiam post multa nova furta denuò suspensum esse, siquidem quod corvis debetur, vix submergitur.

Ex dictis historiis manifestum, aliquandiu sine sensibili respiratione quendam vivere posse, quando solâ transpiratione calor nativus ab omnimodâ suffocatione defenditur, quod etiam factum fuisse putamus in gravida suspensa, cujus apud Eberum in Calendario mentio fit his verbis: Anno 1567. die 14. Junii inter Dauentriam & Sutphaniam ab Hispanis maritus cum uxore gravida suspenditur. Uxor cum pependisset per horas quatuor, gemellos vivos mortua peperit.

Gravida suspensa peperit.

Pertinet huc etiam altera historia, quam subjicit Cornarius num 15. de matrona, quæ post sepulturam peperit infantem, his verbis: In Hispania Madricii quædam matrona ex familia Don Francisci Lasso oriunda, postquam per triduum in mortis agone decubuisset, existimantibus cognatis eam mortuam esse, deportata est in locum ad sepulturam destinatum, quem Græci κρύπτην appellant, ubi more solito sola relicta fuit occlusa. Post aliquot menses aperto loco, repertum est hoc cadaver in eodem loco, in quem repositum fuerat, habens in dextro brachio infantem mortuum. Hinc apparet, ipsam tum temporis, quando sepulta fuit, nondum obiisse, sed postmodum peperisse infantem, qui una cum matre miserrimè clàm infra terram obiit.

Gravida sepulta peperit.

Nec omittendi sunt in præsentia casus eorum, qui pro mortuis habiti tempore pestis revixerunt, ubi memorabile est exemplum Coloniensium, cujus veritas publico monumento in introitu templi Divorum Apostolorum ibidem conspicitur. Accidit autem anno salutis 1357. peste maximam stragem apud Colonienses agere, ut nobilis quædam matrona Reichmur Adolch nomine, in foro novo habitans, cujus ædes adhuc ibidem conspiciuntur, peste quoq; corriperetur ut pro mortua sepeliretur. In hujus digitis annulum relictum vespillones noverant, quapropter nocte subsequente clàm ad sepulchrum accedunt, loculumque effodiunt. Sed quid fit? sepulta sese erigit, vespillo-

Mulier pro mortua tempore pestis sepulta reviviscens.

vespillonum timore perculsorum aufugientium, relictam lucernam apprehendit, & ad ædes mariti properat, à quo cognita postmodum optima victûs ratione adhibita, convaluit, & tres deinceps filios generavit, quos ministerio Ecclesiastico præesse voluit.

Plures hujus generis historias videat Lector *in Centur. 2. obs. chirurg. Gulielmi Fabricii obs. 95. 96.* Ex quibus simul quoque colliget, fieri posse, ut mulieribus hystericis tale quid accidat.

OBSERVATIO X.

De sectione matricis in prægnantibus, ubi simul etiam agitur de hernia uterina.

Satis notabilis inter alias est historia Viennensis, quam Marcellus Donatus lib. 4. c. 22. refert, de muliere quâdam gravida, quæ ultra quatuor annos fœtum mortuum gestavit, & nihilominus per sectionem ab eodem liberata denuò concepit, & propter iteratam sectionem neglectam unà cum fœtu periit, ubi lector, quò integram habeat historiam, subsequentia Matthiæ Cornacis verba, prout in Enchiridio ejusdem habentur & in observ. Diomed. Cornarii repetuntur, subjiciat. Quod cùm factum esset (inquit ille, nimirum cùm animam prægnans exhalârat) subitò chirurgus prædictus vocatus est, & citissimè ventrem aperuit, statimque infantem perfectum, masculum, omnibus numeris absolutum exemit. Ibi videre erat (supervenerам enim & ego) certamen, (heu nimium ignorantes fœminas) adnitentium puello vitam, quæ paulò antè abierat, revocare, & sufflando omnia tentare spiracula, sed perperam & frustrà omnia fiebant. In promptu causa est eruditis & Anatomiæ peritis: siquidem in confesso est, vitam & motum cordis in infante à duabus arteriis vitalibus matris per umbilicum fœtui, ceu per insitionem insertis dependere, quæ vasa natura fabricavit, pro cordis refrigeratione. Quare cùm arteriarum motus in matre cessat, earundem etiam motum è vestigio in infante cessare necessum est: siquidem fieri minimè potest, ut puer ante præcisionem umbilici, in ipso denique utero involutus tunicis, spiritum per os attrahat. Prætereà esto, quòd continuatio umbilici fœtus à matrice sit libera, ruptis cotylædonibus partus tempore: tamen nihilominus umbilicus secundinæ adhærer, necessariò ab obstetrice præcidendus: vel etiamsi à secundina in utero existente puello umbilicus solutus esset: tamen respirare per os non posset infans panniculis involutus: uteri præterea parietibus inclusus, mucoribus denique & aquositatibus circumfusus: quæ certè sæpè solutos infantes, hærentes tamen diutius in angustiis faucibus ossis sacri, enecant suffocando. Et sanè hic reticere non possum admonitionis gratiâ, umbilicum, cùm egressus fuerit infans, diligenter, justâ longitudine eminentiæ, præcidendum esse, præsertim in masculis, siquidem generationis organū præcipuū in masculo, sequitur umbilici proportionē: & in fœminis, nimis curtè religatus umbilicus, progressu ætatis conatus pariendi potest constringere. Sed hoc obstetricū ergò, quibus intelligentibus abundè satis dictū est. Jam unde digressus sum, redeo.

Cùm ex prædictis itaque necessarium sit, vitâ & motū arteriarum in puerpera cessante, cessare etiam infantis in utero contenti vitam & motum: impossibile est, tàm immediatè exscindi infantem posse, in eo ictu temporis, quo anima ex matre migrat: quæ si semel evolârit, certè revocari humanis præsidiis nullo modo potest. Si autem fortè fortuna exemptio infantis contigerit in agone puerperæ, aut in animi deliquiis, præsentibus adhuc spiritibus vitalibus, tùm censemus omninò supervivere infantem posse, quemadmodum sine dubio de Julio Cæsare contigit.

Ex his ergò omnibus à nobis enumeratis, luce meridianâ clarius liquet. Primò ut supra descripsimus, hanc Margaretham per quadriennium fœcum mortuum in utero gestasse, eundemque exectum esse membratim per abdomen: & quod ipse prognosticatus sum dubitativè, hoc DEUM præstitisse re ipsa, ut quod fœmina ita lacero, sed restituto utcunque utero progressu temporis tandem possit concipere: & nostram hanc denuò concepisse, & gestasse usque ad legitimum tempus partus, benè formatum & perfectum infantem. Qui si etiam exectus fuisset tempestivè, sine dubio supervixisset; cùm tàm robustus, tàm benè habitus, tàm absolutus, (ut ipse diligenter coràm intuitus sum) fuerit, ita ut planè nihil in eo desideraretur, præter vitam. Cujus rei testes multæ personæ utriusque sexus esse possunt, quæ frequentes eò confluebant, hoc miraculum conspecturæ. Quare nemo deinceps dubitare debet, hanc historiam verissimam esse: siquidem apud Deum non est impossibile omne verbum, cui sit laus & gloria, & benedictio in secula. Amen.

Ex hac historia manifestum est, non paucas interire prægnantes, quibus sub extremis irritisq; partus laboribus per sectionem Cæsaream vita cum fætu conservari posset. Cùm enim multoties uteri vulnera sanata superius legantur, uteriq; integri non rarò sine damno viventibus exempti sint, non video, cur in extremo matris, fætusq; periculo per ὑστεροτομίαν aliquid tentare non debeamus, præsertim quod abdominis externæ, internæq; partes, quæ dividendæ veniunt, ita constitutæ, ut lethaliter minimè vulnerentur.

Hæc omnia rationibus & exemplis permultis demonstratur, *à Franc. Roußeto in ὑστεροτομοτοκίᾳ*, quo lectorem ablegamus & in præsentia tantùm subjicimus recens exemplum de admiranda prægnantis uterina hernia feliciter per sectionem aperta, sine fœtûs, alias omni spe exclusionis destituti damno, quam historiam primus publici juris esse voluit *D. Tobias Tadlerus, Profess. Medicus Wittenbergæ in Decade διασκέψεων χειρουργικῶν quæst. 5.* Circumfertur, inquit, in omnium ore hîc Wittenbergæ, quod ante menses circiter novem fœminæ cuidam, victoris conjugi, accidit, quæ dum pro doliorum cingulis fabricandis summâ vi ligna incurvare, virumque adjuvare adniteretur, in abdomine sibi quid rumpi sensit, & paulò post in inguine sinistro prolapsum quendam instar ovi gallinacei primum animadvertit. Quo indies aucto, cum jam utero concepisset, aliorum opem imploravit. Insciis tamen Medicis, quibus hoc revelare malum sibi pudori ducebat,

Observatio de admiranda hernia uterina.

ducebat, varia muliercularum consilia conquisivit & experta, maximè verò medicinarum emollientium, quibus locum fovebat, usum: quo tantùm abfuit, ut fuerit adjuta, ut magis atque magis tumor increverit, uterusq; jam fœtu grandiore distentus, pondere suo descenderit, ac totus è ruptura peritonæi intra cutem prominens instar utris ad genu sinistrum usque propenderit. Hunc igitur uteri ramicem quis non meritò denominaret? Confirmavit hanc assertionem eventus: nam dum XI. Calend. Maij Anno M. DC. X. de consilio nostræ Facultatis Medicæ advocatæ, desperata alias naturali partus in dicta fœmina propter collum uteri contortum & inversum exclusione, Chirurgus ad opem fœtui jam frustra exitum calcitratione quæritanti, matrique supremis partus doloribus conflictatæ ferendam, abdominis cutim incideret, ad uteri sectionem transiturus: ecce! matricis duntaxat è peritonæo prolapsus in conspectum venit, nulla vel omenti, vel intestinorum particula apparente. *Hactenus ille, qui paulò post quæstione sexta de partu cæsareo tractans historiam complet inquiens:* Doliarii hanc conjugem, partui vicinam, sed ob ὑστεροκήλης os uteri comprimentis affectum frustrà parturientem Cæsareus partus ita liberavit, ut & vegetus in lucem puerulus, qui adhuc vitali fruitur aura, fuerit extractus, & mater in 25. usque diem viva permanserit, quæ fortè nisi tacito mœrore propter inopiam & curatorum negligentiam paulatim confecta, insperataque lipothymia foret extincta, diu superesse potuisset. Id enim intimior uteri satis incolumis ac non parum consolidari post obitum sectio & inspectio innuebant. *Hanc eandem historiam pluribus repetit D. Daniel Sennertus, Professf. Med. Wittenb. in suis Institutionibus Medicis l. 2. par. 1. c. 9. quam ob causam eo majorem fidem apud exteros merebitur.*

Observatio de sceleto fœtus mortui per tredecim annos gestati.

Corollarii instar subjiciamus casũ singularem, de muliere quæ per annos tredecim fœtus mortui sceletum gessit, quem Ægidius de Herthoge Medicus peculiari Epistola ad Matth. Cornacem perscripta refert his verbis: Catharina quædam uxor Michaelis de Menne, viri ruralis & pauperis, annis duodecim utero gerit fœtum mortuum, vel potius sceletum fœtus emortui: res penitus monstrosa, ac miraculo digna dici potest. Ita tamen se res habet, sic ut ipso tactu unicuique fuerit manifestissima. Mulieris enim ventrem inferiorem propriis manibus attrectavi, non bis terve, sed pluries. Idem quoq; mecum egere cùm viri, tùm mulieres illustrissimæ, non sine omnium admiratione maxima: quos omnes honoris gratia prætérimus. At vel unius viri hâc in re testimonium oculare sufficere poterit, puta excell. Dn. Henrici Cornelii Matthisii, qui quondam Carolo ejus nominis V. Augusto Medicus fuit domesticus, & hic nunc temporis cum summa laude Medicinam factitat. Hic inquam cum stantem & supinè decumbentem, dictam mulierem crebrius attrectasset, omniaq; ossa fœtus mortui ipso tactu optimè deprehendisset, præ stupore nimio, cum admiratione summa dicebat: Deo & Naturæ nihil impossibile. Fovet hæc mulier suum domicilium in villa quadam Richensaal nomine sub territorio D. de Reulx, quatuor ab hac urbe leucis dissita. Res ipsa uti evenerit, paucis accipito.

Anno igitur Domini M. D. XLIX. eadem Catharina, posteaquam antea enixa esset duos liberos, concepit mense Martio, omnia habens signa felicis imprægnationis: fœtum insuper temporis progressu à quarto Mense conceptus sensit valentem & strenuè sese moventem, usque ad festum D. Andreæ sacrum, eodem anno: quo sanè illi supervenêre dolores partus adeò vehementes, ut jamjam crederet se enixuram. Uterus quoque mirum in modum prominebat, uberaque lacte copiosissimo turgebant: idque magis instante jam partu, quam multis diebus anteà. At cùm ad parturiendum nulla amplius mora expectaretur, accidit, ut vetula quædam malefica & præstigiatrix, ventrem huic utero gerenti attigerit, in aures susurrarit, & in faciem sufflarit, aliaque peregerit: quæ quoniam parum ad rem nostram facere existimo, plurimis non persequor: illius tamen meminisse placuit: nam in vetulam mulier culpam omnem rejicere videtur, quod illi res tàm infeliciter successerit: Ut autem parturientium dolores cum in ventre inferiori, tùm in lumbis sensit, statim acciri obstetricem & mulieres vicinas jubet, quæ dies noctesque aliquot partum præstolabantur: nullum tamen partus brevi futuri signum observat obstetrix: præter illos dolores, quæ toto biduo increbescebant. Quare discedit, reversura, si res ita postularet. Quid multis? Dolores interim nihil remittuntur, sed diebus totis quadraginta & diu & noctu illam sævissimè affligere non desinunt, ut totum id tempus ista misella insomnis egerit. Ab utero interea quidpiam effluxisse, nunquam animadversum fuit. Fœtus vehementissime movebatur, ac calcitrabat, ita ut manifestè illius motus ab adstantibus observari posset; toto isto dolorum tempore, sudoribus quoque copiosissimè madebat. Lac præterea è mamillis uberius fluebat: quod quia acrius, tùm plus justo biliosum erat, omnes ferè partes vicinæ, quas defluens attigit exulcerabantur. Quadragesimo demùm secundo & quarto dolorum die, fœtus tàm validè amplius moveri destitit.

Dictu profectò mirum, quod tanto tempore subsistere potuerit incolumis. Tandem conatu vehementissimo ita fœtus movebatur, ut indè transversim in utero revolutum mater narraret. Dolores ab illo impetu fœtus multò mitiores evasêre, & paulo post planè recesserunt. Post verò diebus quatuor vel sex, cruenta quædam ac nigra per alvum dejicere cœpit, illis similia (ut illa inquit) excrementis, quæ pueruli jam in lucem editi primùm excernere solent: cujusmodi excrementum egerebat diebus singulis ad sex libras.

Cumque antea nullus in utero collisionis ossium sensus voluntarius perciperetur; hic tandem putans misella se ab omnibus ærumnis liberam, unicuique tangenti uterum sese prodere cœpit; ut etiam illam non lateat ossium fœtus mortui situs, quippe cum digito monstret, hîc caput, illic costas, hîc humeros, illic femora contineri. Quod ego & alii complures, me monitore deprehenderunt. Cadaver istud seu sceletum in utero matris jacet transversim, capite

 & cru-

& cruribus introrsum, dorso verò extrorsum prominente. Sub ilio dextro caput reconditur: quod cum profundius quam matris spinam dorsi respiciat, non sine ratione tactus nostri judicium refugit, ibi tamen ossis humeris, caput superius contineri, manifestò constat. Sub ilio sinistro sunt crura & pedes: sed introrsum reflexi, ut attingi minimè possint. Conjectura tamen artificiali & anatomica ita esse, judicare non est difficile: tùm ex situ reliquo corporis, tùm quia ibi os fœmoris apertissimè deprehendatur. In medio ventre dorsum evidentissimè cognoscitur, vertebræque omnes facilimè distinguuntur: costæ quoque majori ex parte, tàm superiores quàm inferiores dinumerantur: turget venter maternus tumore oblongo, qui in pudendum desinit: elevat totam istam molem sursum eandemq́, pro animi arbitrio deprimit, non sine adsistentium summâ admiratione; ossa verò sic satis induruisse sentiuntur, ita ut validiori compressioni difficulter cedere videantur. Venter maternus interea dum attrectatur, nullo dolore angitur: nî id plus quàm par est, fiat diutius. Valet sic satis ista mulier, omniaque sua munia tàm domi quàm in agris unà cum marito suo optimè peragit, hilaris est, prudens materfamilias, & utcunque faceta, annum nunc temporis agens quadragesimum quintum. Corpore gracili, nec habitu illaudabili. Menses cum annis quatuor essent detenti, potiunculis nonnullis illos promoventibus usa, rursum manare cœperunt, in hunc usque diem. At mensibus singulis, dum illorum terminus instat, venter inferior intumescit: illamque dolores invadunt vehementissimi: haud aliter quàm si nunc nunc esset enixura: nec anteà cessant, nî menses omninò eruperint. Quod si mulierem aliquo morbo laborare contingat, iisdem planè doloribus ad integrum morbi terminum corripitur.

Aliud præterea notatu dignum refert, quintum nunc esse annum, ex quo natura quodammodo istius sceleti expulsionem tentârit. Uteri enim osculum hiasse, & indè aliquot ossicula fuisse egressa: quâ de causâ è vestigio accersitur obstetrix: at cùm satis imperita, vel potius rei novitate perculsa, nullum remedium ferre se posse indicaret, omni ope humanâ hanc multis modis longè infelicissimam destituens, recessit. Ipsa verò interim nihilominus intrepido fortique animo, ossicula illa ut in proprium locum retrò cederent, propriis manibus allaboravit, sic ut in pristinum redierint. Ab isto verò, nec anteà, hujusmodi sinistri quid illi accidit. Mirum verò, quantoperè rustica illa flagitet, summisque precibus contendat, ut abdomen ei manu Medica aperiatur, sceletumq; ab utero eximatur. Sic enim seipsam sanitati restitui posse, confidit optimè. At quò minus id tentatum hactenus sit, adhuc sub judice lis est. Benè vale. Bruxellæ in Belgio ipsis Calendis Septembris, anno salutis M. D. LXIII.

OBSERVATIO XI.

De Lumbricis latis vel tæniis.

Cl. & Peritiss. Viro,

DN. SEBASTIANO STROMAJERO, D. & Physico Reipubl. Ulmen. ord.

GREGORIUS HORSTIUS, D.

Squem videndum, & viventem adhuc, & sese contrahentem atque extendentem lumbricum latum misisti, Vir Clariss. Collega & amice pl. colende, diligenter perlustravi, præsertim cùm rarum sit hoc genus vermium, nec non ob longitudinem & conformitatem suam satis admirandum. Die 19. Augusti currentis anni, similem etiam ejusdem penitus conformationis vidi, quem puella rustica, Johannis Deigels, in vico Neuhaus / filia, cum pulverem ex spec. diaturbith, cum Cremore tartari permixtum, pro evacuatione sumpsisset, per alvum rejecerat, cujus frusta quædam, longitudinis aliquot ulnarum, conspicienda mihi mittebantur, in quibus tamen nihil vitæ, vel motûs, observare potui, fortè quod diutius aquâ frigidiori lota fuissent. Laborabat autem unâ prædicta puella febri putridâ, cujus symptomata fortassis, hoc ipso verme cacochymiam augente, propterea graviora reddebantur, quemadmodum experientia confirmat, aliàs etiam in febribus non rarò vermium generationem concurrere, quod superiori Aprili confirmabat pannificus quidam, *Christophorus Strele*, qui quartanâ laborans, post usum pulveris Asari, cum Spec. diaturbith permixti, larga vomitione vermem satis longum, ex rotundorum lumbricorum genere, per os rejiciebat, à quo tempore, reiteratâ potione purgante die intermittente, per usum theriacæ ante paroxysmum exhibitæ, cum Deo, brevi liberatus fuit. Idem in *Nobili Moniali virgine* non ita pridem observavi, quæ tertianâ nothâ laborans, post usum Mors. Purgant. vermem satis magnum, teretem, striatum & rubicantem, per vomitum rejiciebat. Ingenuè fateor, lumbricum ejusmodi latum, seu tæniam propriè dictam, anteà per totum praxeos meæ tempus, me nunquam vidisse, (quanquam ejusdem notæ satis mihi constarent, tàm ex iis, quæ ex multis collegit *Schenckius*, quàm etiam ex diligentissimo tractatu *D. Adriani Spigelii*) antequam huc Ulmam venirem, ubi paulò post adventum meum rustica mulier, cui purgans ob cacochymiam præscripseram, aliquot frusta per alvum dejecta talis lumbrici conspicienda afferebat, perterrita tali dejectione, cui jam tuum, viventis adhuc tæniæ exemplum, nuperumque meum addo.

Lumbricus latus in febri putrida.

Vermis in quartana rejectus.

Vermis striatus in febri tertiana notha rejectus.

Quò autem rem ipsam eò melius intelligas, en! Accipe *D. Adriani Spigelii de lumbrico lato* tractatum, ubi eundem etiam depictum vides, qui ita quadrat ad tuum adhuc viventem, ut ovum ovo similius esse non possit, inprimis cum etiam caudam, minoribus internodiis constantem, ipsemet habeat. Cum hoc conjunge quæ *Schenckius* collegit ex variis autoribus *de lumbrico lato l.3. obs. Med.* 208. ubi statim αὐτοψίᾳ propriâ edoctus facilimè videbis, quomodo quidam ex celebrioribus Autoribus fallantur. Plura non addo. Benè vale, & reliquas circumstantias observationis tuæ ad me perscribe.

Dabam currente calamo prid. cal. Novembr. 1623.

Vir

Vir Clariß.

SEBASTIANUS STROMAJER, D. & Physicus Ulmensis ord.

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Excellentissime & Doctissime Domine Doctor Horsti, Amice, Collega & Fautor unicè colende: *Adrianum Spigelium*, quem mihi misisti de natura & cura lumbrici lati acutissimè differentem, avidè perlustravi, & *Schenckium in observationibus* de eodem varias opiniones & Historias recentiores & antiquas enumerantem diligenter inspexi. Tibi itaq; nunc *Spigelium* tuum remitto, & singulares gratias ago, pro tuo erga me amore, & perpetuo in omnibus juvandi studio: polliceorque bonâ fide, daturum me operam, ut in observatione & annotatione historiarum nostræ Professionis, singularem meam industriam & diligentiam unà cum debita erga tuam πολυτρύλλητον πεῖραν καὶ δόξαν observantiâ semper animadvertere possis. Nunc igitur tres insignes vermium à me observatorum casus tibi ordine referam, & tandem nonnulla huicce meæ Epistolæ coronidis vice adjiciam. Juvencula illa, *Martha* Sonntagin quam longus ille, latusque tyrannus tantoperè divexârat, annos nata 18. febre putrida continua laborabat, ventris torminibus admodum infestabatur, omnium membrorū lassitudinem, gravissimumq; capitis dolorem sentiebat, de prostrato appetitu, nauseâq; perpetuâ, potissimùm verò jejuno stomacho conquerebatur, Urinam crassam, rubicundâ ac turbulentam habebat.

Observatio 1. de lumbrico lato in febri putrida.

Huic igitur sequens Electuarium præscripsi, ℞. Electuar. diaphænic. ℥vj. Fæculæ Bryoniæ, Cremoris Tartari ana ℈ß. cum Saccharo F. Bolus. Sed quid fit? Medicamento illo vires suas exerente, excrevit tandem lumbricum illum ingentem, longitudine 5. ulnarum, qui etiam, te oculato teste, Excel. Spigelii tæniam ad amussim exprimebat, suâq; commotione, ad vesperam usque, vitæ signa proferebat. O miseros nos homunciones, quos etiam vivos vermes arrodunt, ne dum ut illud sepulti demùm expectemus! Verum dixit, qui scripsit: ἄνθρωπεν εἶ καὶ ψυχάριον βαστάζον νεκρόν.

Monstro hoc ejecto, puella in lipothymiam incidit non intermittentibus capitis doloribus, sed lassitudine magis ac magis omnia membra gravante.

Tertiâ itaque die tale medicamentum ipsi exhibui: ℞. Magist. Tartari vitriolati ℈j. Mercurii dulcificati ℈ß. Diagrid. gr. iiij. Conf. violar. vitriolatæ ℥iij. Misce. Hoc sumpto protinus omnia symptomata cessârunt, & ipsa, auxiliante Deo, priori sanitati fuit restituta. Observare tamen in mea absentia neglexit, num postea plures partes vermis istius ejectæ fuerint, præsertim cum in illo oblonga frusto, neque principium, neque finis apparuerit, licet particula quædam forma cucurbitini istius vermis, quem Spigelius ex Cornelio Gemma depinxit, simul egressa fuerit, quæ anne corpori ipsius vermis anteà adhæserit, & tandem à capite, vel à cauda avulsa fuerit, incertus sum.

Sed jam alterum casum: paucis accipe: Puerpera quædam, *Georgii Heerclins*, textoris uxor, 24. annorum, geminos enixa, quartâ die post partum in gravissima tormina unà cum intumescentiâ infimi ventris incidit, gravissimosq; capitis dolores cum delirio passa est: cui meum consilium imploranti, talem potionem præscripsi. ℞. Corallinæ ℨß. Rhab. pulv. incis. ℈ij. Ag. Graminis ℥iij. Syr. violar. ℨvj. M. Ex usu hujus potionis tres lumbricos rotundos, sive teretes, sed rubros & sanguineos, quod summopere mirabar, per vomitum ejecit, & confestim melius habuit. Præterea puer, *Iacob Reischlius* filius 9. annorum, ex usu decocti cornu cervi Usti, unà cum Syrupo citri, vesicam quandam magnitudine nucis juglandis ejecit, quam dum aperui, lumbricum teretem, longitudine suâ dimidiam ulnam superantem, inveni. An hic casus sit rarior, an verò omnes lumbrici ita generentur, nondum satis exploratum habeo. Pari ratione Dn. M. *Daniel Stolcius*, Medicinæ Candidatus, & Poët. Laur. coronatus, amicus noster, epar leporinum, vesiculis, magnitudine lentis, undiquaque refertum, apud Exc. Dn. *D. Hartman. Illustrissimi Principis Mauritii Hassiæ Landgravii Archiatrum*, observavit: quæ apertæ vermiculos convolutos jam integrè efformatos oculis exhibebant.

Observ. 2. Lumbrici singulares rejecti in puerperâ.

Observ. 3. Lumbricus rotundus in vesica comprehensus.

Hæc breviter ex observationibus nostris tibi commemorare licuit. Nunc igitur de generatione & curatione lumbricorum in humano corpore pauca quædam movebo. De materia eorundem licet diversæ sint Authorum sententiæ, in eo tamen quam plurimi conveniunt, ex viscidâ & glutinosâ pituitâ, pro ratione mixtionis diversorum humorum, loci proprii, & caloris insiti, diversas lumbricorum species progenerari: ut si pituita cum multa materia terrestri in intestino recto collecta sit, accedente calore idoneo ascaridas produci: sicut plurimâ bile in intestinis tenuibus cum pituita stabulante, lumbricos teretes gigni: Lumbricum verò latum ex pituitâ lentâ & viscidâ formari. At hæc, ut mihi satisfaciant, vix aliquis persuadere poterit. Cur enim non semper, nec in quovis corpore ita disposito generantur: Cur tantâ varietate figuræ infigniti reperiuntur? An calor ille insitus, qui uno eodemque modo semper agit, tantam diversitatem tribuet? An in sui perniciem & totius corporis destructionem ipsis figuram motui & nutritioni aptam, producet? Propius accedere oportet, & ipsorum ortum plenius ac planius describere, & semen potius illud, quod iisdem pro suâ varietate internam & externam formam tribuit, indagare, id verò, vel in homine, vel in nutrimento inveniemus. Homini vix quispiam adscribet, cum natura sui conservationem potius, quam destructionem intendat, neq; etiam hîc membrum aliquod in eosdem lumbricos transformatum experiamur. Restat igitur, ut in nutrimento quæramus: potissimùm, si consideraverimus quibus nam ferculis delectentur, hâc vel illâ specie lumbricorum oppressi. Jam verò notum est, diversa plantarum & animalium genera, per putrefactionem diversos vermes & insecta producere posse. An igitur quispiam semen illud per spagyricam anatomiam in certis nutrimentis invenire, & quomodo in humanam œconomiam transplantetur, explicare queat, tibi considerandum relinquo.

Quænam sit materia lumbricorum.

In cura-

Dubitatio de usu Mercurii in vermibus.

In curatione lumbricorum *Mercurii vivi* exhibitio à quibusdam summoperè commendatur.

Ast ego, cum eundem crudum nonnihil suspectum habeam, si rectè ritèque præparetur, & Chymico cultello à suis impuritatibus liberetur, simile medicamentum vix inveniri posse affirmo, quod omnis generis vermes in corpore nostro genitos tàm promptè, tutò, citò & jucundè aggrediatur, & specificâ quâdam virtute absque omni periculo funditus expellat: id quod Experientia jam diu satis superque testatum fecit: ita ut meritò rideam omnes, qui pro iisdem trucidandis, vel argentum vivum crudum, vel alia violenta medicamenta exhibent, & miseris ægris sævissima tormina, aut alia gravissima symptomata excitant, qui aliàs à vermibus satis excruciati & debilitati vix respirant. Hujus mirabilis operationis & specificæ in expellendis vermibus virtutis, quam Mercurius exhibet, si causam aliquam suppeditares, ingenti lætitiâ me beares, & ut te ardentius amem, colam, venerer, admirer, efficeres. Plurimi n. nullam aliam rationem, uti arbitror, adducerent, nisi Mercurium, cum pituitam purget, Vermes tanquam ex eadem genitos simul etiam expellere. Sed nondum mihi satisfactum. Hoc n. est, quod hîc desiderio: cur nimirum Mercurius (ita uti decet præparatus) pituitam primariò & specificè purget, vermesq; simul expellat?

Nam in vulgaribus qualitatibus hîc non acquiesco: præsertim cum idem Mercurius easdem omnes in se contineat, & sæpè contrarias facilè unicuique demonstrare queat. Vale vir Clarissime Fautor & promotor semper observande. Dabam Ulmæ, Calend. Decembr. 1623.

PRÆDICTO D. COLLEGÆ,

GREGORIUS HORSTIUS, D.

Sgrata fuit plenior enumeratio diversarum observationum, quas de Lumbricis latis habuisti, Vir Clarissime, Collega & amice pl. dilecte, cum quibus conjungendæ quoque singulares annotationes similes, quas hac de re Clarissimi Viri, *Dn. D. Eckoldus*, *Dn. D. Iunius* & collega, Dn. D. Widemannus, habuerunt, quorum epistolas, ubi transmiserint, communicabo. Colophonidis loco duplicem in literis tuis moves quæstionem, quarum prior de vermium generatione, Posterior de curatione tractat. Quo ad generationem, non negari potest, ex putrescente materiâ pituitosâ, diversimodè cum aliis humoribus permixtâ, vermes *in fieri, conservari & esse* dependere, non tamen absolutè, sed concurrentibus aliis causis effectivis, tàm externis, quàm internis. Illas constituit calor nativus, in putrescentem materiam agens, cujus beneficio separatis homogeneis ab heterogeneis, per æquivocam generationem, vermis in microcosmo producitur: has in ipsa materia quæramus necessum est, ex quâ nunquam producitur vermis, nisi privatio ejusdem, hoc est, absentia formæ ejusdem in subjecto habili, primùm insit. Hinc ex peculiari materiâ peculiares vermes generari testatur experientia, quemadmodum hâc præcedente æstate diversas erucarum species in horto meo diversis in plantis progenitas conspexisti: nosti quòd Brassica rubra longè alias habuerit ab iis, quæ nascebantur in fruticibus Rosarum, hæc vicissim totaliter ab iis differebant, quas Cerasus ex foliis prognatas, aculeum in dorso quasi gerentes, exhibebat: Sic Mori folia Bombyces, equi carnes scarabæos & vespas, mel formicas &c. generant. Hoc est, quod *Aristotelici potentiam materiæ* vocant, quam assertionem ulterius illi declarant, qui certum quoddam semen in materia vermium præsupponunt, sicuti apud *Paracels. & alios* videre licet, de quibus assertionibus non reverâ, sed apparenter tantùm pugnantibus, *Tom. I. Dissert. I. de Anatom. vitali & mortua* egimus. Quomodo verò semen hoc in materia sua sit inquirendum, ulterius dubitas? nón aliter sanè quàm per actuationem potentiæ, quàm, cum calor nativus putrescenti materiæ certis in partibus conjunctus producat, non video, quid ulterius hîc agere possimus, quàm ut ex effectu causam colligamus.

Responsio ad dubitationem de generatione vermium.

Vide Tom. I. Dissert. I.

Per similitudinem alicubi *Paracelsus* vermium generationem in Microcosmo fieri dicit, à concurrente calore simili cum eo, quô in confectis caseis æstivo tempore planè vermiculosam constitutionem producit: hinc alibi *sperma* ponit & *putrefactionem* tanquam causas proximas, quasi scilicet, præter materiam communiter datam, necessarium sit, ut semen potentiâ latens in eadem ad actum producatur, quod putredine concurrente perficitur. Quanquam verò potissimùm in alimentis circa primas vias mutatis causa vermium appareat: non tamen video, cur non etiam vermiculorum aliquod genus in partibus nostri corporis generari possit, quod de Dracunculis scribitur, cum partes putrefieri & alienam naturam induere possint, ubi natura sæpius sui destructionem, respectu totius, tentat. Multa, quæ citato loco de morborum generatione & transplantatione proponuntur, huc pertinent, quibus hæc omnia longè clariora fient.

Responsio ad dubitationem de Mercurii qualitatibus.

Alterum quod quærebatur, curationem attingit, nimirùm quæ causa sit, quod Mercurius non tantùm crudus, quemadmodum Dn. Præceptor p. m. *Platerus, Vid. Vidius, Iohan. Baptist. Montanus, Cæsalpinus Wirsungus*, & alii suadent, quanquam idipsum suspicione non careat, sed maximè ritè præparatus, peculiare vermium antidotum constituat. Quamvis autem Mercurius virtute singulari pituitam, tumores tophaceos, duros & scirrhosos, imò singulari quoque malignitate corruptivâ, totaliter innato calori contrariâ, præditos, attenuet, colliquefaciat, discutiat, & à corpore variis modis expellat, quod quidam calefacientibus & attenuantibus qualitatibus tribuunt; nihilominus negari non potest, specificam operationem diversimodè, pro diversitate præparationis, concurrentem semper observari, quam, ut etiam aliàs occultas medicamentorum facultates, non aliter quàm experientiâ cognoscimus, de quo fortè pluribus erit agendum, ubi morbos occultos & contagiosos per observationes hactenus annotatas σὺν Θεῷ elaborabimus. Hisce benè vale cum familiâ. Raptim Ulmæ prid. Cal. Jan. Anno 1624.

Vir

Vir Clariss. & Excel.

JACOBUS ECKOLDT D. Reipubl. Imperialis Memming. Physicus,

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Quam præsens de Lumbrico lato miræ longitudinis, Vir Clariss. fautor observande, recensui historiam, eam hic ex jussu tuo integram describere lubuit. Virgo 15. annorum, delicatissimæ naturæ multum cachectica, ventris torminibus, inprimis sinistri hypochondrii, vel potius lumbarium partium dolore sæpissimè tentabatur: Ipsa per intervalla doloribus his prehensa, varia incurrebat symptomata, hystericam ferè passionem mentientia: & ut verum fatear, ejus mihi suspicionem movit non parvam, ætas menstruorum eruptioni propinqua, in qua alias ob naturę mutationem, humorumq; motionem, si præsertim in corpore cacochymico circa uteri vasa accumulati & incrassescentes subsistant, varia oriri solent accidentia: verùm interna & externa remedia parum, vel nihil hîc præstabant. Accedebant interdum sinistri humeri dolor insignis, cordis compressio, respirationis interceptio & difficultas, lipothymia, sudor frigidus affatim erumpens, pulsus exilitas, ita ut sæpè epilepticos aut convulsivos insultus jamjam instantes metueremus: quæ symptomata non raro per duas, tresvè horas durabant, quamvis humeri dolor diutius perseveraret, qui multam & continuam fermè molestiam adferebat. Varia præscripsi remedia ad obstructiones reserandas & cachexiam virgineam curandam. Accidit aliquando, ut ab usu pilularum, unà cum copiosis excrementis lumbricum latum excerneret, insignis longitudinis, qui cubitos 6. circiter, aut septem æquabat.

Observatio de lumbrico lato in Cachexia puellæ circa pubertatem.

Ego tum præsens, & in urbe non eram: asservabatur autem cum excrementis lumbricus, quem postero die adveniens, è stercoribus baculo extrahebam, cujus extremam partem vix tandem assequi me posse putabam: totus obstupui: vixerat prius vermis, uti virginis mater & avia, matrona honestissima & prudentissima, referebat. Colore erat albo, in superficie serratus quasi, non valdè absimilis funiculis illis mammilaribus, quibus mulieres mamilliaria sua connectunt, **einer weissen Gollerschnur**/ paulò tamen latitudinis majoris: habebat etiam interstitia pollicis latitudine, aliis in partibus plus à se invicem distantia, quodammodo elevata, ejusdem penè figuræ, sicuti à *Clarissimo Fabricio Cent. 2. observ. Chirurgicarum, obs. 70.* describitur. Post vermis hujus excretionem omnem operam impendi, ut reliquiæ purgarentur, consumerentur, vermiumque generatio præpediretur.

Nihil de iis hactenus deprehensum: valet autem utcunque virgo, quamvis nec nunc quidem cachexia planè expugnata sit, ita ut adhuc interdum rudimenta illa doloris in humero sinistro sentiat: menstruorum fluxus nondum etiam accessit. Hisce vale, vir amplissime, Dn. fautor colendissime: tuque & costula tua acidulis utimini feliciter. Dabam Memmingæ, 6. Calendar. Julii, Anno 1624.

Clariss. & Excellentiss.

JUSTUS JUNG, MED. D. & Physicus Ordinarius Göppingensis,

Ad eundem.

Clarissime & Excellentissime Vir, Dn. Fautor & amice æternùm colende. Quam mihi de latis lumbricis nuper legendam tradidisti Epistolam, eam ego nunc magna cum gratiarum actione remitto, ac simul meam de eadem materia tractantem observationem, uti petiisti, communico, quàm ut benevolè accipias, ac tardiorem tuæ remissionem boni consulas, officiosè rogo. Anno elapso 1621. die 24. Jan. Georg. Hummel, civis Göppingensis, detulit ad me rem mihi, sibi, & multis aliis nunquam ante hac visam, quam à filiolo suo sexenni, cui de ventris torminibus, Epilepticis convulsionibus, & aliis accidentibus gravibus conquerenti, nuper decoctum sebesten. cum tab. diaturb. cum Rhab. exhibueram, hesternâ die excretam refert.

Obs. Lumbricus latus in puero sexennio.

Erat autem id, quod monstrabat, coloris albissimi, latitudinis exiguæ (duorum vel trium ad summum mediocris cultri dorsorum latitudine) longitudinis verò immensæ (quam 15. ulnas Wittenbergicas excessuram, si quę frustratim excreta sunt, conjungi possent, sanctè affirmabant.) Frustum ac pars illa, quam ego prædictâ vidi die, ulnarum circiter 7. vel 8. divisiones habebat quamplurimas, non multum à se invicem distantes, intra sese autem ob corporis compressionem nihil, quod cernere poteram, continebat, licet (quod tamen occupatum me neglexisse pœnitet) sectionem, vel vacuæ hujus tunicæ, aut membranulæ (ut mihi videbatur) non susceperim apertionem.

Initium item, ac finem, ob frusta nunc magna, nunc parva excreta, observare non licuit: imò parentes quoq; non animadverterant. Vita autem & motus contractionis in aqua calida manifestè à me, & patre filioli, observabantur.

Erat puer ille, uti dictum, sex annorum, per biennium malè habens, & qui non nisi lacte frigido, & carne librarum duarum vel trium pondere unicâ visce satiari vix potuit: nunc verò à dictæ potionis, (quam mater illius aliquoties iterum parari rogavit ac curavit) & nostrarum acidularum in balneo & potu usu, nec non excreta Tænia, hactenus nullis, aut antea, divexatur symptomatibus. Hoc tamen adjicere quoque lubet, quod cum hac Tæniæ rejectione multi etiam alii lumbrici ac vermes teretes fuerint, ut parentes recensent, rejecti vel exclusi. Hæc est, Clariss. Vir, de Tænia mea observatio, quam ex meis annotatis de verbo ad verbum transscripsi, quæ simul cum reiterata parentum, adhuc viventium, hodiernâ demùm relatione prorsus congruit. Hisce tuam Excellentiam divinæ protectioni, meque ejus favori commendo. Dabam Göppingæ, 1. Junii, 1624.

Vir Clariss. & Experientiss.

Dn. JOHANNES WIDEMANN, Med. D. & Physicus Ulmensis ordinar.

GREGOR. HORSTIO, D.

S PRÆTERITIS diebus, Nobil. atque Clariss. D. D. Decane atque Collega honorande, cum à te familiariter compellatus fuerim, ut si quid notatu dignum de tæniis habeam, tibi communicare velim, ut tuis, quas sub prælo habes, observationibus insererem. Sed quid anser ego inter olores, cum certior factus sim, has tuas observationes Doctissimorum multorum virorum Epistolis singularibus ornatas prodire.

Quando autem ita placet, ne prorsus ἀσύμβολος hinc abeam, sequentem observationem subjicere placuit.

Fœminam hîc juvenculam, annos XXX. vix attingentem, Jacobi Eberlini, Buccinatoris, civis Ulmensis, conjugem ante biennium mense Majo, medicam opem ferendo, visitavi, quæ gravissimo & capitis, & pedis dolore sinistræ partis torquebatur, non continuè quidem, sed interpolatis vicibus; sæpius tamen recurrente malo: multis (antequam me accesserat) adhibitis medicamentis & purgantibus, & dolorem mitigantibus, ut & venæ sectionibus, nihil quicquam levaminis sensit. Tandem ad me veniens, circumstantiis prius omnibus conquisitis, & maximè quod ab assumpto cibo saturari non posset, sæpeque syncope corriperetur, conjectabam, ex vermibus hunc dolorificum affectum suboriri: Pillulas ex Scammoneæ p.p. & elect. gr. vj. Troch. Albandal. gr. v. Aloës succotrinæ ℈j. & succo absynth. paratas dedi, quo medicamento feliciter operante Lumbricum 16. Ulnarum Ulmensium longum, multis incisuris, seu lineis albicantibus transversis excrevit, quem tamen cum extrahere vellet, in frusta rumpebat. In hujus extractione (ut illa mihi narrabat) non aliter ei visum fuit, ac si chordam, aut funiculum de capite per totum corpus detraheret, quo educto, syncope & colicâ correpta, sed appropriatis adhibitis integrè restituta fuit, &c. Vale Vir Clarissime, & me amantem redama. Dabam Ulmæ 17. Jan. 1625.

OBSERVATIO XII.

De serpentibus in humano corpore, & aliis.

Nobili, Clariss. & Excellentiss.

Dn. MELCHIORI SEBIZIO, Juniori, Doctori Med. & Professori in Academia Argentinensi meritissimo.

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Alienum omninò ab amicitia nostra putabam, Vir Nobiliss. Clariss. & Excellentissime, fautor, amice plurimùm colende, nisi sub initium novi currentis anni te salutarem, tibique cum tuis eundem felicissimum ex animo voverem. Cùm enim singulari providentiâ divinâ proximius conjuncti simus, meritò semel auspicatò ceptam amicitiam nostram literis continuamus. Quanquam verò scribendi argumentum aliud non habeam, nihilominus intermittere nolui, quin occasionem conferendi ex doctissima tua dissertatione de casu pueri, serpentem secum aliquandiu foventis, sumerem, tibique subsequentes observationes dijudicandas subjicerem.

Observatio de serpente deglutito.

Vixit Giessæ Cattorum honesta fœmina, quam benè per multos annos novi, Locum tenentis præsidiarii vidua, quæ vivente adhuc marito in vallo civitatis habitans, aliquandò tempore æstatis in gramine dormiens, per somnium quasi quidpiam, anguis instar, deglutire visa fuit, quo perterrita mox suspicionem concipit, serpentem eidem, hiante ore dormienti, in ventrem irrepsisse. Minimè verò vanam esse suspicionem, subsequentia ventris tormina, ventriculi rosiones, ex vini, lactisque sumptione mitescentes, lipothymiæ frequentes, & alia testabantur, donec tandem rei veritas post menses aliquot oculis appareret, ubi laborans mulier in hortulo, & vehementius exercitata, nauseam & vomitionem quasi strangulantem incurreret, atque unà cum cibis assumptis serpentem satis adultum, ejusdem generis, uti in vallo civitatis frequentissimè conspiciuntur, viventem adhuc, & avidè corpus vicissim petentem, rejiceret, quem protinus palâ, ferro acutiori munitâ, duas in partes divisit, easque demortuas exiccavit, & in scatulâ, pro rei memoriâ, conservavit, pristino sanitatis vigori paulatim restituta, nec quicquam detrimenti per reliquum vitæ tempus sentiens.

Serpentem hunc non in corpore mulieris, aliâs optimâ sanitate præditæ, genitam, sed exterius irrepsisse, satis constat ex circumstantiis. Mirum v. quomodo per somnium quasi deglutitio animalis facta fuerit? an quod fortè serpens minoris quantitatis fuerit, quem postea in ipso corpore majus augmentum acquisivisse verisimile videtur? mirum, quomodo sine suffocatione rejectus fuerit; imò etiam sine læsione? an fortassis robustior natura laborantis, quàm in puero tuo, coadjuvante simul vomitione contentorum, quâ simul etiam ejusdem excrementa noxia rejecta forsan fuerunt? Cæterùm in ipso corpore tale quid etiam generari posse satis constat ex tuis observationibus, ratione confirmatis.

Observatio de lacertis per os egressis.

Recordor bajuli cujusdam Giessensis, hominis aliâs robusti, qui cognomento der Batz vocabatur. Hic ante decennium circiter in ventris tormina, cum atrophiâ totius subsequente incidebat, quibus per menses aliquot graviter excruciabatur, nihil quicquam remediis variis adhibitis sublevatus, semper exclamando, vivum quid interius cor ipsius arrodere, cui tandem viribus omnibus exhausto, & jam agonisanti, lacertæ aliquot viventes, coloribus variegatæ, per os exierunt, quas in ipso vel ex putredine, vel ex seminario principio, per aquam impuriorem haustо, provenisse statuendum erit.

Observatio alia.

Memini à socero meo p. m. mihi relatum fuisse, quod Marpurgi quispiam ex haustu seminarii principii Salamandrarum, fortassis aquaticarum, in puteis quibusdam impurioribus degentium (quas nostri Molch / à lactescente forsitan succo, quem emittunt) talia venenata animalia quam plurima secum genuerit, quorũ veneno ipsemet

met etiam ita infectus fuit, ut undique totum corpus maculis ejusmodi variegatis Salamandrarum scatuerit, quæ tandem quoque per superiora & inferiora rejecta fuerint.

Finirem hisce, Vir Clariss. nisi jam succurreret memorię mirabilis historia, quæ refertur in *libro obstetricali germanico translato Lud. Bourgesia, part. 1. cap. 49.* de muliere, quæ serpentem vivum, mamillam sugentem per 10. menses gestaverit, idq; vobiscum in pago duobus milliaribus ab Argentinâ distante, factum fuisse scribitur. Mirum profectò, si modo verum, quod refertur, de quo Nobilis & Clariss. Dn. Parens tuus, quem officiosè saluto, fortassis nos certiores reddere poterit. Hisce benè vale, Vir Clariss. & me, quod hactenus fecisti, tuò favore & amore amplecti non desine. Raptim Ulmæ scrib. XIII. Jan. 1624.

RESPONSIO
Nobiliss. Clariss. & Excellentiss.
Dn. MELCHIORIS SEBIZII,
Junioris, Med. D. & Profess. in Academia Argentinensi,
AD
GREGOR. HORSTIUM, D.

S. Literas tuas, Vir Clarissime, Fautor & amice plurimùm honorande, accepi. Rogo autem majorem in modum, ne deteriorem in partem accipias, quòd illis tardius respondeam. De historiâ, cujus in libro obstetricali Lud. Bourgesiæ mentio fit, diligenter inquisivi, sed nemo apud nos est, cui aliquid de illâ constet. Ego sanè pro fabulâ eam habeo: non quidem generationis & partûs ratione: sed educationis & nutritionis causâ. Quæ enim, quæso, ex sexu fœmineo, qui naturâ timidus serpentem, animal venenatum, & hominum generi insensissimum, foveret, & mamillas porrigendo nutriret? Quî sine periculo, aut saltem sine dolore, sugere posset serpens, cum virulentiam potissimum in ore contineat? quemadmodum morsus illius testatum facit: & utriq; maxillæ dentes habeat infixos, acus in modum acutissimos, adeoq; maximè pungentes? Quomodo serpens, qui labiis caret, & linguam habet ad apprehendendam papillam planè ineptam, lac exugere valet? Gravidas quasdam, & cum, & sine infante, serpentes peperisse, non nego: imò hoc ipsum in meo discursu historiis benè multis, & ex authoribus fide dignis petitis, confirmavi. Verum serpentes eas post partum lactâsse, fidem superare videtur.

Experientia quippe testatur, plurimùm eas ab illo animali, quod *Plateareis* fratrem Salernitanorum: *Nicolaus Florentinus & Bernhardus Gordonius* Fratrem Lombardorum: *Tornamira* Harpam: *Alexander Benedictus* Harpyam: *Savanorola & Bonaciolus* Feram appellant, abhorrere, & ad illius duntaxat mentionem quasi contremiscere. Cujus rei exemplum in honestâ quadam fœmina æstate præteritâ habui clarissimum. Nam cum puerum mirum in modum emaciatum, qui & aliquot septimanas post partum obiit, esset enixa, triduo post dolores passa est uterinos, similes iis, qui gravidas paulò ante partum affligere solent, tandemq; Harpam justæ magnitudinis, probeque saginatam, excrevit: ad cujus conspectum adeò perterrefacta est, ut tota cohorruerit.

Observatio de molâ vivâ, seu harpa.

Hoc si facere potest harpæ, animalis veneni expertis, intuitus: quid quæso faciet serpentis, bestiæ virulentissimę: à quo scimus humanam naturam alienissimam esse? Historiæ, quas adscripsisti, gratissimæ fuerunt, & lectu jucundissimæ. Percipio, tibi quoque minimè videri absurdum, si serpentes humano in corpore nasci posse statuatur.

Serpentem dormienti viduæ Giessensis Locumtenentis in patulum os irrepsisse, facilè concedo. Hoc enim aliis etiam contigisse in meâ dissertatione ex *Hippocrate, Mizaldo, Trago, Olao Magno & Roterodamo* ostendi. Mirum verò tibi videtur, quod dormiens fœmina serpentem deglutire potuerit. Scribis enim fassam esse, se per somnium aliquid serpenti simile deglutivisse. Mirum quidem: sed tamen ejusmodi, cujus probabilis dari ratio potest. Nosti enim, vir Excellentissime, somnum secundum *Galen. lib. 2. de mot. musc. c. 4.* perfectam & omnimodam animalium functionum cessationem non esse: sed tantùm vigoris quandam intermissionem. Nec te latet, serpentes, quod nulla in corpore habeant obstacula; facile & sese etiam in angustos admodum meatus intrudere posse: idque eò magis, quò sunt minores. Cum ergò animales functiones somni tempore non planè cessent, impossibile non est, ut serpens exiguus, qui in hiantis oris cavitatem sese insinuavit, à dormiente deglutiatur.

Reptatio quippe serpentis organa deglutitionis ad actionem irritat: ipsa verò deglutitio prompta est, & expedita, quia serpens ipse ad sui deglutitionem reptando sese disponit ac promovet. Sed mirum rursus videtur, quod idem serpens adultior, grandiorq; factus, post menses aliquot ab eâdem fœminâ, vomitione, citra lœsionem ullam, & cumprimis, citrà suffocationem fuerit rejectus.

Equidem ita est. Verùm causa est in promptu: quia ventriculi expultrix validissima fuit, & ad subitam excretionem ab animali, orificium forsan ventriculi, cum sursum niteretur, titillante, ejusque excrementis, quæ deposuerat, totâ substantiâ ventriculo inimicis, vehementer instigata. Solent tamen ejusmodi vomitus, quibus magna ejiciuntur corpora, non rarò difficiles esse, & penè strangulantes: quales etiam in tuâ illâ ægrâ fuisse, non obscurè ex historiæ descriptione cernere licuit. Si serpens fuisset crassior, suâque sponte exiliisset, & in faucibus hæsisset diutius, nullus dubito, quin fœmina suffocata fuisset.

Ranas atque bufones, ex geniturâ earum imprudenter inter bibendum cum aquâ, hauftâ, in corpore humano generari posse, certissimum est: & historiæ, quarum multæ apud *Schenckium lib. 3. Observ. 86.* extant, fidem faciunt indubitatam. Nasci quoque in eodem ex ovis lacertarum aquaticarũ, quas nostrates Wassermoll & Wasser Eydexen vocant, cum aquâ ingurgitatis, experientia jamdudum docuit. Ova quippe edunt pisi solùm magnitudine: quemadmodum *Gesnerus ex G. Agricola* memorat.

Verum serpentes in nobis ex ovis eorum, inscienter cum

cum aquâ potis, gigni, res mihi videtur rationi adversa. I. Quia ova eorum, secundum Aristotelem & Plinium, in aquis minimè reperiuntur. II. Quia majora sunt, quam ut citra difficultatem deglutiri queant. III. Quia neminem nisi planè cœcum fugiunt. IV. Quia membranâ connectuntur, &, ut Aristoteles scribit, monile, quo mulieres collum ornant, referant. Imprudenter ergò cum aquis suspectis ingeri non possunt. Atque hæc quidem ad epistolam tuam respondere habui, Vir præstantissime, Amice observande. Te rogo, veniam importunæ loquacitati, & gravioribus fortè occupationibus obstrepenti, concedas: planeque tibi persuadeas, eò animo hæc à me exarata esse, ut intelligeres & magni me literas tuas facere, & ansam atque occasionem tibi præbere, quò iterum dulci earum colloquio frui mihi liceat.

Felicissimè cum tuis vive ac vale. Dabam manu festinâ Argentorati, Cal. April. 1624.

Nobili, Clariss. & Excellentiss. Viro,
Dn. MELCHIORI SEBIZIO, Juniori,
Medic. Doct. & Profess.
GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Gratissima mihi fuit Epistola tua, Vir nobilis Clariss. & Excellentiss. fautor & amice pl. colende, quâ sub initium anni currentis ad quæsita mea respondere voluisti, cumque Molæ viventis, seu Fratris Lombardorum mentionem feceris, intermittere nolui, quin sequentem historiam T. Ex. enarrarem, quam totidem verbis germanicis Vir Reverendus, Dn. M. Joh. Oelmejer, Pastor Würtembergicus **in Wangheim** / per literas ad strenuum & Nobiliss. Christoph. Wilhelmum à Degenfeld, **in hohen Eibach**/ p.m. sub dato 7. August. 1624. refert: Pro tempore (inquit) Vest. Nobil. nihil novi per literas refero, nisi quod 21. Junij fœmina quædam hic Wagenheimii, Anna, Georgii **Webers**/ conjux, monstrum (seu partum admirandum) ediderit, primo quidem magnitudine repræsentans globum ligneum, quo conis ludunt, superficie nigra pilosa, subnigricantibus oculis horrendis, quatuor pedibus, acutis unguibus armatis, quorum unus albus, reliqui nigricantes fuerunt. Quamprimum hoc ederetur, protinus in præsentia fœminarum adstantium, non absq; magna consternatione, tumultuando mensam, & paulo post, altiora quoque parietum loca saltando petiit, mox in momento descendit, & instar talpæ propè januam hypocausti substitit. Cum autem puerperæ maritus, ex perturbatione, deliquium animi incurreret, quilibet eidem suppetias ferre conabatur, ubi monstrum cum insigni fætore penitus invisibile redditum fuit, ita ut etiam diligenter inquirentibus non amplius appareret. His ita peractis, puerpera paulo post fætum perfectum masculinum, absque magna difficultate, peperit, qui Johannes baptisatus fuit. Omnibus hisce de rebus, prout actæ fuerunt, prætor &, ego, cum aliis Judicii assessoribus, juxta fide dignam relationem obstetricis & astantium mulierum, illustrissimum nostrum Principem submissè certiorem fecimus, undè Celsitudinis ipsius nomine mandatum fuit, ut inquireremus, 1. an puerpera, prægnans adhuc, fortassis à conspecta talpa fuerit perterrefacta? 2. quamdiu monstrum in utero perceperit? 3. quàm primum, post editum monstrum, verus fætus subsecutus fuerit? Ad 1. respondit negativè, simul referendo, quod Eslingæ tribus mensibus ante partum à porco, mordicus vestibus adhærente, plurimùm commota fuerit. Ad 2. affirmat, quod, unà cum motu infantis, simul etiam monstrum perceperit, ita ut penitus crediderit, geminos sese gestare. Ad 3. naturalem fætum mox ad exclusum monstrum, absque manuductione obstetricis, subsecutum fuisse.

Monstrosus partus Harpæ.

Tandem cum à me hortaretur, num fortè Satan in specie mariti cum eadem rem habuerit, absolutè id ipsum negavit, addendo, quod quidem menstruo spacio ante partum, spectrum aliquod tumultuando perceperit, non sine horrore. Hactenus ille. Habes hîc casum, Vir Clarissime, de quo procul dubio rumor etiam ad vos perlatus fuit, ubi non dubito, quin hæc etiam mola viva fuerit, cujus in literis tuis mentionem fecisti. Miror autem, quomodo mox evanuerit cum fætore? fortè clam à fæmina quâdam, animosa magis cæteris, monstrum surreptum atque occultatum fuit, quod alibi quoque factum scio.

Cæterùm hâc septimana nobiscum quoque partum monstrosum fæmina quædam, Sutoris cujusdam uxor, edidit, quem obstetrices XIII. Decembr. ad mandatum Nobiliss. & Ampliss. Dn. Consulis, *Dn. Danielis Schaden*, ante sepulturam, ad ædes meas, mihi perlustrandum attulerunt: caput ritè quidem, quo ad aures, nares, oculos, & os conformatum erat, ossibus tamen cranii sub cute, juxta suturarum diversitatem à se invicem distantibus; & post cutis dissectionem suâ sponte separatis, meningibus & ipsa cerebri substantia rectè constitutis. Brachium dextrum rectè formatum erat; at sinistrum brevius, articulatione media cubiti carebat, cum manu, pedem ferè, quatuor tantùm digitis, repræsentante. Sub umbilico venter contrahebatur, & unicum tantum femur exhibebat, nec anterius membra sexus nec posterius anum habens. Femur unicum inferius pedes duos contortos & connatos monstrabat, quorum alter quatuor, alter sex digitos habebat. Abdomen dissectum interius quoque formatricis errorem manifestabat, undique membris, præsertim quo ad vasorum disseminationem, inordinatè connexis, ut sexus differentia nullatenus appareret.

Monstrosus infans Ulmæ natus.

Exterius in dorso satis magnum abscessum habebat, à scapulis ad os sacrum usque, cavitate insigni, purulenta materia plenum, quæ, dissecto eodem, profluebat.

Quæritur, annon hoc ipso tumore, præter naturam adaucto, materia reliquis partibus subtracta, formatrici, propter defectum, ansam præbere potuerit, quò minus plenior conformatio & elaboratio reliquorum membrorum facta fuerit? Sed abrumpo, teque cum tota familia protectioni divinæ commendo, simul felix novi anni auspicium ex animo precor. Benè vale, & Nobilem Dn. Seniorem Parentem officiosè saluta. Dabam Ulmæ, 16. Decembr. Anno 1624.

OBSERVATIO XIII.

De hypochondriaco affectu incipiente.

Nobiliss. ac Strenuus N.N.

Eques Brunsuicensis, &c.

GREGOR. HORSTIO, D.

S. P.

CUm officiosâ benevoli amoris oblatione, Vir Clariss. & Excel. Dn. & amice plurimùm colende, certiorem te facio, quod ex præscripto potum acidularum adhuc continuare contendam, per septimanam unam atque alteram, quò resarciam illud, quod aëris inclimentiâ hactenus neglectum fuit. Dubito verò, num usus accidularum expectationi meæ satisfacturus sit, qua de causa majorem in modum peto, ut pro amicitia nostra non gravatim Dn. Doctor ulterius affectum meum perpendat, utpote qui diuturnus est, & in ascensione scalarum debilitate genuum, pectoris angustia, difficili respiratione, sæpius etiam cordis palpitatione, & subsequentibus dorsi vagi doloribus sese prodit, quemadmodum coràm pluribus idipsum patefeci. Quod si consilium sanitati conducens, ut spero, nactus fuero, grato animo idipsum prædicabo. Benè vale. Raptim Wildungi Waldeccorum, 16. Julii, Anno 1621.

RESPONSUM

GREGOR. HORSTII D.

ad prædictum

Nobiliss. ad strenuum N.N.

Equitem Brunsuicensem, &c.

Hypochondriacus affectus incipiens.

LIteras tuas, Nobiliss. ac strenue Vir, fautor & amice plurimùm colende rectè me accepisse scias, ad quas breviter respondeo, perturbatus adhuc, ob adversitates domesticas, tibi, propter liberorum meorum ægritudinem, qui omnes variolis, sed, Dei gratiâ, non periculosè decumbunt, non ignotas.

Affectum tuum Chronicum quod attinet, illum *hypochondriacum incipientem* esse judicio, cui ansam præbet lienis constitutio calidior & siccior, quæ citò nimis ante completam elaborationem, chylum à ventriculo attrahit, & consequenter serositatum copiam in massâ sanguineâ & quo ad crudiores, crassioresque partes, obstructiones in venis mesaraicis, & splenicis producit. Hinc accidit, ut ejusmodi sanguis, impurus & crudus, *debilitatem & gravitatem in habitu musculoso* progeneret, eapropter, quod liberior spirituum animalium, per musculosas partes momentaneus quasi cursus atque recursus, pro imperio facultatis appetentis necessarius, impediatur. Subsequitur *respiratio difficilis, præsertim in ascendendo,* quatenus motus diaphragmatis liber non est, propter plenitudinem Hypochondriorum: sæpius etiam *cordis palpitatio* præhendit, quod proculdubio maximè post vehementiores corporis exercitationes apparet, ut & post generosioris vini ingurgitationem, idque magis crescente lunâ, quàm alio tempore, propter serum copiosius in massâ sanguineâ ebulliens, cui prædictæ causæ non difficulter ansam præbere possunt. Imò & *vagus dorsi dolor* indè quoque suam trahit originem, quod vel maximè patet modo solutionis, quatenus sudore provocato facilimè cedit: at quid aliud est sudor, quàm seri copiosioris per habitum corporis dissipatio? Quanquam verò dictus affectus, non periculosus sit, nihilominus tamen Chronicus, & penitus non negligendus est, eapropter, quod facilè gravioribus accidentibus ansam præbere possit.

Prognosis.

Indicationes.

Quocirca necessarium ducerem, ut Nobilitas tua sequentes Canones diligenter observet: 1. *Serosæ plenitudinis causa corrigantur.* 2. *Serosa plenitudo minuatur.* 3. *& obstructiones in venis meseraicis & splenicis præcaveantur. Quo ad primum,* observanda diæta, ubi victus ratio talis sit, quæ non augeat prædictam causam. Eligantur ergò alimenta facilioris concoctionis, de quibus vide *cap. 3. lib. 2. de tuenda sanit. Literatorum, & cap. 7. ibidem.* Potus quotidianus sit tenuioris vini & impermixti quod quarta parte decocti sasafras misceri, diluique potest: Cerevisia sit benè defæcata, cui infundatur aliquid Baccarum lauri, rad. caryophyllatæ, helenii &c. *Pro alteratione* quotidiè bis duabus horis ante cibum, conserva Rosarum & Borraginis, cum spiritu sulphuris, & vitrioli ad aciditatem redacta, quantitate nucis juglandis, usurpetur.

Quo ad secundum, sanguinis serosi plenitudo minuatur per venæsectionem, verno & autumnali tempore institutam, cui præmittatur pulvis purgans ex Mechoacannâ selectâ ponderosâ ℈iiij. cum Cremore Tartari ℈j. Post venæsectionem aliquoties in lecto sudor provocetur, idq; commodè fiet, usu Rob. Ebuli, cui ad ℥ß. Mithridatii ℈j. admisceatur, & cum haustu stillatitii liquoris fumariæ manè bibatur. *Quo ad tertiũ,* obstructiones Hypochondriorum, & venarum minorum infimi ventris præcaventur, partim prædictâ diætâ, partim etiam eò respiciendo, ut alvus quotidiè laxa sit, cui maximè conveniet, vinum laxativum ex fol. senæ, Rhabar. passulis min. &c. quorum formulas *lib. 2. de tuenda sanitate* præscribimus. Huic intentioni serviret etiam decoctum rad. cichorei, & passularum minorum in brodio carnis, vel gallinæ, cujus haustus plenior matutino tempore, cremoris Tartari ʒj. admista, ebibatur.

Hæc sunt quæ breviter ad placitum Nobilitat. vestræ consignare volui, cum scirem paucissima quædam, eaque domestica ferè media eandem desiderare, reliqua discretioni præsentium Medicorum committens. Benè valeat Nobilitas vestra, & me amare pergat. Raptim Giessæ Chattorum, 19. Julii, 1621.

OBSERVATIO XIV.

De Antiquatæ Lucis Venereæ curatione.

Vir. Clariss. & Excellentiss.

DN. D. SAMUEL CLOSSÆUS,

Medicus Metensis,

GREGOR. HORSTIO D.

S. En tibi, Amplissime Horsti, fautor honorande, Syphunculum argenteum ad Carunculam; Leve sanè donum, sed accipe vel meâ causâ, est enim animi memoris & affectus in te index, quæ utraque de me tibi potest polliceri. Syringæ hujus usus tibi notus est, stylus ille additus inservit dilatando Unguento per omnes Carunculæ partes, idque post injectionem, extractâ scilicet parte Syringæ impulsori. Historia decennalis luis, quæ mihi (si modò priores meas responsorias ante quindenam datas receperis) enarranda superest, sic habet. Juvenis quidam ex nostratibus perdivitis familiæ unicus hæres Lutetiæ Parisiorum bubonem ex impura Venere contraxit, quo post trimestrem puris eructationem tandem curato uxorem ducit & prolem suscipit sine labe. Paulò post Cephalæa insigni prehenditur, nec non exiguâ quâdam eminentiâ in medio tibiæ osse tàm exquisiti sensus, ut ad contactum miserè exclamaret. Huic nascenti hydræ varia opponuntur extra Rhombum. Tandem re ad *D. Carolum Pisonem* delatâ diætâ Guajacina ad 50. dies longa, more Italico præscribitur, sed absque fructu. Itaque anno sequenti alius exercitatissimus Chirurgus accersitur, inungitur æger septies, octavam frictionem ferina ad pectus defluxio inhibuit. Cessatum est, malo non cessante. Recollectis igitur viribus de novo decoctum Laxativum & sudorificum per sex hebdomadas tædiosè assumitur, intermixtis etiam balneis & pilulis Mercurialibus, quibus omnibus incassum adhibitis ad extremam maciem pervenit. Destitit ergò per annos duos ab ulteriori labore sed doloris acerbitate coactus, qui frontem & tempora pedetentim occupabat, & secundum longitudinem ossis tibiæ dextræ extendebatur; Inunctionem repetiit etiam tertiò, æquè ut prius infeliciter: Urgebat enim dyspnœa durante hydrargyrosi absque sputatione. Reliqui anni in experiundis Empeiricorum Agyrtarumq; variis medicamentis detriti fuerunt, ubi tantùm remediorum devoravit,

Quantum quadrijugi possent agitare juvenci.

Una Anicula solatium aliquod attulisse visa est, cæterum fugax & momentaneum illud, nam bimestre non excessit. Exhibebat hæc per triduum Præcipitatum quoddam album ex Sale & Mercurio conflatum, undè vomitus enormes secessusque plures cum alleviatione. Tandem cum in hac miseria decimum jam annum protraheret, se curæ submisit meæ, quam sic aggressus sum. Aderant pro tempore illo Cephalæa, insomneitas, febris lenta, dolores artuum implacabiles, exostosis in tibia. Cephalæam ptyalismo expugnatum iri speravi, Exostosin (undè continua vaporum virulentorum ἀναδρομὴ ad partes nervosas) apertione. Sed quia salivatio difficilis videbatur in corpore extenuato minusque fluxili, primo euchymis alimentis hominem refeci utcunque, deindè os & fauces excalefeci & ad salivationem disposui, exhibita ʒj. ☿. dulcis in formâ pilulari cum Syr. de Stoech. in corp. idque per quatriduum semel in die. Habuit sedes ex cœruleo viridantes, ut fieri solet in omni Mercurii Cathartici exhibitione. Quo facto juncturas omnes illini curavi unguento Mercuriali (quod habes) octavum litum catarrhus excipit pro solito, sed quia tela prævisa minus feriunt, ei alacriter restiti dato vomitorio ex gr. viij. ☿. vitæ in Syr. conf. cort. citri & aq. communi: Nondum exulceratæ erant gingivæ. Perrexi igitur id frictionibus non solùm oris & dentium ex ☿ dulci cum melle anthos, sed etiam in juncturarum omnium, ita ut 14. in universum sustinuerit. Audacem illum frictionum numerum suaserunt, pulsus validus, εὐφορία, doloris capitis imminutio, & oris fluvus ferè nullus. Restabat tibiæ Tophus, mali fomes, in quo cariem adesse suspicabar, reliquis id negantibus, eo quod in cute nulla alteratio, nulla coloris mutatio appareret, sed hoc in Siphylide locum non habet, siquidem venereum hoc venenum, illæsâ & integra cutè, musculisque ossa ipsa putredine vastat atque depopulatur, ut doctissimè referunt *Palmarius* & *Varandæus* Præceptor olim meus. Admoto igitur Caustico potentiali & periostio utrinque ab osse denudato, tandem comparuit caries, quæ partes ossis etiam, topho vicinas putredine suâ contaminarat & manûs ferè longitudinem adæquabat, quas omnes candentibus quatuor cauteriis exuri curavi, & pulv. euphorbii squamarum ambustarum separationem acceleravi, quibus præstitis sanitatem integram recuperavit. Cæterùm in hac cuta varia accuratâ notatione digna occurrunt: primum uxorem liberosque quatuor, quos toto decennio genuit, ab hujusce luis contagio immunes perstitisse. Secundum, ægrum hunc sanguinei aliàs habitus nullo unquam medio ad salivationem potuisse commoveri, id quod etiam ante in duobus aliis observâram. Reperiuntur enim certæ quædam hominum Crases, quæ ☿ij. vim aut non suscipiunt, aut eludunt: atque in his Ptyalismi defectum, frictionum crebritate compensare soleo, donec sc. per insensibilem διαπνοὴν virus istud integrè evacuatum sit, istâq; viâ ambo illi fuerunt restituti. In tertio tamen quodam, qui suffitum Cinnabaris ad emendanda gutturis & faucium ulcera frustrà perpessus fuerat, nihil & hoc ipsum juvit, sed etiamnum remanet incuratus. Tertium ossium cariosorum exustorumve decidentiam ad diem quadragesimam vel centesimam ad summum ab authoribus præfiniri, quæ tamen ante mensem decimū in hoc subjecto non accidit, nec ullo pulver. Catagmat. aliisve mediis citius potuit promoveri, quorū omnium rationes (ne ego, quod dici solet, Noctuas Athenas) tuæ sapientissimæ disquisitioni relinquo, &c.

Tria notatu digna in morbo Gallico.

RESPONSUM AUTORIS,
Ad prædictum Virum
Clariss. Excell.
DN. D. SAMUEL CLOSSÆUM.

S. Ut juxta commune dicterium unâ fideliâ duos parietes dealbarem, Vir Clarissime & Excellentissime amicorum optime, nolui intermittere, quin ad binas tuas literas conjunctim responderem. Pro transmisso satis accommodato instrumento gratias ago maximas, eoque allaborabo, quò beneficio satisfaciam, reciprocâ promptitudine. Quod dubitationes in prioribus literis consignatas attinet, primò quæritur, quo modo vir iste Juvenis invete-

inveteratâ lue laborans per totum decennium uxorem; liberosque quos genuit, ab infectione liberos habuerit? frequenter hoc inveterato malo fieri testatur experientia, quemadmodum in Observationibus meis apparet in persona Magnatis cujusdam sub titulo Cephaleæ malignæ, qui ante multos annos à Lue venerea imperfectè curatus, doloribus circa vesperum in pericranio vehementissimis & tophis in tibiis, costis, brachiis, ipsoque capite laborans, nec conjugem, nec alios contagio contaminaverat. An quia malignitas vaporosa, qualis est in recenti lue, citiùs inficit per communicationem contactus, quam tunc temporis, ubi malum radicatur in certa quadam parte maximè suppuratione simul succedente, quam ob causam tales ægrotantes minus aliis de symptomatibus internis conqueruntur? Exemplum ejusmodi Generosus quidam subministrat, qui per consuetam nobis curam Dei gratiâ restitutus hodiernâ die vicissim ad suos abibit. Ante multos annos vagis doloribus nocturnis ex suspicione luis is fuit affectus, quibus remittentibus cardialgia successit cum alimentorum assumptorum quotidianâ rejectione per vomitum. Persuasus à Medico suo ante septennium circiter. Acidulis utitur, quarum beneficio symptoma vomitionis remittit, mox tamen capitis dolore quotidiano succedente, quo per tempus aliquod excarnificatus fluxionem tandem ad nares patitur in ulcus cacoethes degenerantem. Hic toto conjugii tempore, quod per decennium fœcundum & prolificum fuit, nihil malignitatis conjugi vel liberis communicarit. Curationem integram ad normam illius ferè direxi, cum Collega meo Dn. D. Stromario, quam sub finem observationum mearum in Epistolica forma Cl. Dn. D. Fabro communicatam videbis. Altera dubitatio notatu digna quoq; censetur, quî scilicet fiat, quod aliquorum naturæ minus promptè Mercurialium Medicamentorum effectum exhibeant, quod non tantùm de salivatione, sed simul etiam quoad operationem per alvum observavimus? an quia fortassis in aliquibus loco salivationis aliæ evacuationes inprimis per alvum succedunt? An quia materiæ cruditas ad resolutionem ineptæ videtur obstare? Quod tertium dubium attinet cariosorum ossium separationem certis diebus minimè determinari posse statuerem, tàm ratione subjecti laborantis cujus τὸ θερμὸν ἔμφυτον in actionibus suis variat, quam etiam pro ratione tenacis & viscidæ materiæ peccantis ad locum affectum affluentis & separationem impedientis; ne quid addam de varietate medicamentorum adhibitorum, quorum diversa actio meritò censetur.

OBSERVATIO XV.

De mutatione morborum per subitas animi commotiones.

Vir Clariss. Experientiss.

GUIL. FABRICIUS HILDANUS,

GREGOR. HORSTIO, D.

Seculum ferè præteriisse mihi videtur, Nobilissime, Clarissimeque mi Dn. Horsti, à quo nullas à te accepi literas, nec meas ad te mittere potui: facit id status turbulentissimus Imperii, in quo viæ occluduntur, literæ intercipiuntur, tabellarii spoliantur, totaque Germania, proh dolor, nefando flagrat bello; ita ut mirum non esset, si amicitiæ vinculum inter amicos mucore atque rubigine planè obduceretur. Sed orandus est DEUS, ut pro immensâ misericordiâ, horum malorum tandem optatum quoque finem imponere, nobisque pacem largiri velit, idque ad sui gloriam, ædificationem Ecclesiæ Christi, nostramque salutem. Nos in hoc parvo angulo Helvetiæ & finibus Germaniæ, hucusque per Dei gratiam dulci fruimur pace: Verendum tamen ne tandem Helvetia quoque propter peccata, & ingratitudinem, quâ pace abutitur, Calicem iræ Divinæ gustare cogatur: atque hæc est prima causa silentii mei.

Altera fuit morbus gravissimus, quo superiori hyeme laboravi, ita ut à 2. Septembr. anni præteriti, usque ad 14. Aprilis hujus anni in publicum prodire mihi non licuerit. Nunc verò, Laus sit DEO, mediocriter valeo, & à sesquianno ab arthritide immunis fui: sine scipione tamen incedere non possum; facit id senectus. Vigesima enim quinta Junii Septuagesimum quartum annum ætatis meæ sum ingressus.

Accessit etiam tertia causa silentii mei, videlicet occupationes circa opuscula mea, ut conjunctìm in unum volumen excuderentur, ubi multa describenda, & instrumenta varia depingenda occurrunt. Omnia, laus sit Deo, feliciter absolvi, & præteritis nundinis Francofurtum misi, ubi proximâ æstate, uti spero, in lucem prodibunt. Interim quidquid scribo, & posthâc scripturus sum, sunt, vel observationes, vel Consilia, aut Epistolæ ad amicos, quæ omnia conjungam, & in libros duos distinguam, quorum primus de affectibus internis, alter de externis aget. Miscellanea hæc cum reliquis, si vixero, lucem quoque videbunt: Ignosce Vir Clarissime, si nugis hisce meis auribus tuis molestus sim.

Observatio de Paralytico ex consternatione curato.

Nunc nihil singulare, & tuis speculationibus dignum habeo, præterquam historiam, meo quidem judicio non minus ratam, quam admiratione dignissimam, quamque hisce diebus apud Nobilissimum ac Doctissimum virum, Dominum *de Aubigni* p.m. historicum fide dignissimum, & olim familiariter mihi notum, in historia sua universali, Gallicè impressam, *tomo tertio l. 2. cap. 15.* legi, quo loco refert, Anno 1588. in expugnatione urbis Niort (quæ civitas est Galliæ in agro Pictaviensi) casum historiâ dignissimum accidisse, refert inquam, civem quendam, Ludovicum de la Riviene, cognomine Hometron, ibidem à tribus annis Paralyticum lecto affixum fuisse. Paralyticum huncce strepitû armorum, & concursum civium, circa secundam noctis, percipiens, & hostem urbem jam invasisse intelligens, è vestigio (ut cum Concivibus suis pugnare, & pro patria sua mori posset) ex grabato suo prosiliisse, & cum reliquis se in hostem projecisse scribit, sed & ab eodem tempore ipsum Ludovicum perfectè sanum vixisse, idem Dominus de Aubigni testatur.

Prædictam historiam verissimam esse, apud me nullum est dubium,

est dubium, cum sit author gravis, & fide dignus, qui ei ipsemet in expugnatione hujus urbis præsens fuit, copiasque Regis Navarræ in aciem duxit. Quibus autem de causis momentanea sanatio hujus morbi inveterati subsequuta sit, non facilè, ut arbitror, est scire: Tuam itaque opinionem hac de re intelligere cupio. Ego in maxima & longè vehementissima illa animi commotione & ira (eo enim tempore cives hujus urbis, & omnes qui in Gallia partes Catholicorum Ligę tenebant, hostili odio, & furialibus armis Regem Navarræ persequebantur) effervescentiam circa cor, (nam iræ sedes à Galeno & aliis in corde ponitur) sequutam, humorem quin etiam biliosum commotum, atque accensum fuisse existimo. Humor ille, cum ob tenuitatem & qualitatem suam calidam & siccam, protinus per totum corpus dispersus & effusus fuisset, nervos omnes excalefecit, obstructiones, quæ in eis erant, reseravit, & suâ caliditate & siccitate causam conjunctam Paralysis, intemperiem videlicet frigidam & humidam absumpsit, & per insensibilem, ut loquuntur Medici, transpirationem evacuavit, ac spiritui animali ad nervos aditum fecit.

Ira non semper noxia.

Hęc Clarissime atque Doctissime mi Domine Horsti, si non probabilia, verisimilia tamen esse mihi videntur. Quamvis enim ira affectio sit omnium perniciosissima, & ut Galenus loquitur, impetus irascentis nihil ab insania, vel à furore differt: quamvis, inquam ira perturbationum animi omnium sit atrocissima, & infinitorum malorum mater fæcundissima, vult tamen post Hippocratem & ipse quoque Galenus, ut in nonnullis ægris excitetur. Sic enim scribit libro sexto de placitis Hippocratis & Platonis, circa finem: At Hippocrates, inquit, dum pravo colori corporis, gracilitatique in habitu perfrigerato medetur, iracundiam dicit studiosè excitandam esse, tum caloris recipiendi gratiâ, tum effusionis humorum.

Hæc Clariss. atque Doctissime Vir, ne nudas planè ad Te mitterem literas, adscribere volui, Tu quæso, omnia æqui bonique consule, & cum Nobilissima & virtute ornatissima Tua conjuge (quam Colinætea mea peramanter salutat) æternum quam feliciter vive. Raptim Bernæ Aventicorum 1. Decembr. Anno 1633.

Viro Experientiss.

GUILIEL. FABRICIO HILDANO,

GREGOR. HORSTIUS, D.

Salutem à fonte Salutis Unico Christo θεανθρώπῳ: Cum felicissimo novi anni auspicio.

PEr breves meas ante octiduum, quin hactenus acceperis, non dubito, Vir Clarissime, Fautor & Amice plurimum colende, queîs pleniores hasce subjicio. Silentium tuum ut pluribus excuses minimè necessarium erat, cum denegata temporis injuriâ scribendi sæpius occasione, constans nihilominus Amoris erga te mei reciprocus sit affectus, qui certò durabit, quam diu, σὺν θεῷ, Spiritus hos reget artus.

Casum, quem addis ex historia Universali Gallicè conscripta, libenter legi; fortè an is ipse est autor, qui refert etiam historiam istius Nobilis Palatini à Hirschhorn, ex putatâ superfætatione, sero nimis, contra Communem partus terminum nati, cum suis circumstantiis, de quo plura videbis in novâ edit. l. de Natura humanâ. A fide dignis audivi, quod Principis cujusdam de sanguine ut vocant in Galliis, adhuc viventis, nativitas posthuma sera quoque fuerit, qui tamen, ita publico scripto, Gallicè edito nomine Medicorum à Frambessario, judicante, legitimus à Parlamento pronunciatus, de quo scripto vel sententia si quid certi poteris expiscari, rem gratam mihi facies: nihil enim hâc de re in operibus ejus latinè editis. Sed hæc obiter: ad rem pergendum. Veram historiam istam enarratam similes aliorum observationes testantur, qualis est, quam refert *Valeriola in Observat.* de consobrino suo, qui contractus pluribus annis, repentinâ ira percitus, ita corpus universum agitavit, ut distentis nervis, poplitibusque laxatis & emollitis, sine ullo doloris sensu mox incederet & erigeretur, quod per sexennium ipsi denegatum fuerat. Sic Athis, Regis Lydię Cræsi filius, mutus à teneris unguiculis, cum hostem Parenti irruentem conspiceret, in vocem erupisse & exclamasse dicitur, his verbis, juxta Solinum: parce parenti meo Cyre, & te hominem esse vel casibus nostris disce. Sic Podagricum virum eruditum, Dn. D. Ellenbergerum p. m. Illustriss. Administratoris Magdeburgici, Halæ Saxonum Archiatrum, in ipso paroxysmo per celebrem Chymiatrum Grasebeccium, tum temporis etiam ibidem praxin exercentem, olim injuriosis Verbis affectum memini, qui per iracundiam de lecto surrexit, & injuriantem sic verberibus excepit, ut fuga se salvare cogeretur, doloribus sævissimis podagricis ita sopitis, ut longum post tempus recidivam non pateretur. Sic in Observ. meis *Tom. 2. lib. 8. Obs. 9. pag.* 410. Generosus Militiæ Præfectus diuturnum brachii dolorem, iracundia subitò superveniente, curabat. Causam ejusmodi eventus rectè deducis ex iracundia natam, quam tecum probabilem omninò judicio, quanquam demonstrativa non est, nec semper effectum hunc producit, quod maximè patet ex historiis iis, quibus asseritur, interdum, iracundiæ commotione linguæ Paralysin obortam, & ex loquentibus mutos factos fuisse, sicut videre licet apud *Valer. Max.* interdum etiam effectu iracundiæ contrario, nimirum per timorem Paralysin quoque curatam fuisse, quemadmodum testatur *Valeriola* de cive Arelatensi, qui resolutione multis annis decumbens, incendii metu, domo lectoque propè conflagrante, saltu præcipitem sese dedit, & probè incedens derepente factus est. Deteriores eventus iracundiæ sunt illorum, qui repentè, præter opinionem, animam exhalârunt, quod de Impp. Nerva, & Valentiniano, nec non de Bohemorum Rege Wenceslao referunt historici. Manifestum hinc est, quod inordinatus spirituum atque sanguinis motus in animi perturbationibus diversis, diversa quoq; Symptomata producere soleat, neq, semper eodem modo, quatenus laborantis subjecti dispositio varia concurrit, de quo meus Marcellus Donatus

Contractura per iram curata.

Mutus ex indignatione fit loquens.

Podagricus injuriis restituitur.

Dolor brachii diuturnus irâ muratur.

Causa præcedentium mutationum.

Ex irâ linguæ paralysis.

Timor paralyticum curans.

Iræ commotiones lethales.

Undè tanta diversitas affectuum animi.

lib. 3.

lib.3. Hist. Med. mirab. cap. 13. sub finem pluribus agit. Sed filum abrumpo, teque cum costa tua DEO Opt. Max. commendo. Benè Vale ex voto felicissimè. Dabam Ulmæ idibus Januar. 1634.

P. S.

MEmoriæ succurrit, quod scribis ante annos aliquot de puella Moërsiensi, quæ per multum temporis spacium absq; cibo & potu vixit, quod tunc temporis adhuc in antiquo statu ediæ fuerit, idque ex relatione Dn. D. Franc. Monheimii, quondam mei discipuli: tum etiam quod refers de Apollonia vestra, quod Dorbergi vivat, pristinæ sanitati constanter restituta. Cum autem Relatio semestris Coloniæ impressa de Anno 1628. referat, cum puella Morsiensi, tandem fucum detectum fuisse, lubens à te scirem, num fortè eidem idem acciderit, quod vestræ, vicissim impediente causâ consumptâ, ciborum appetitu redeunte. Iterum Vale ἐπὶ μήκιστον.

RESPONSUM
Jamjam piè morientis venerandi Senis
Dn. GUIL. FABRICII,
per
Clariss. Virum,
Dn. JANUM SARRACENUM,
Med. D.
AD
GREGOR. HORSTIVM, D.

SAlutem cum officiis. Miraberis procul dubio, Vir Excellentiss. quid causæ sit, quod Ego Excell. T. planè ignotus, hisce à gravioribus negotiis avocare audeam, siquidem & ipse probè noverim auxiliatricem tuam manum, summamq; medendi felicitatem & industriam etiam à Magnatibus certatim expeti, adeò, ut à fastidiosis medicationibus, atque ad exteros patientes excursionibus, vix ac ne vix quidem tibi respirare liceat. Verùm nisi Excellentissimi Fabricii mandata exequerer, hisce T. Excell. non ita temerè obstreperem, & utinam mihi aliud, minusq; luctuosum ad Exc. T. scribendi esset argumentum: cum enim ante paucas septimanas Basileâ relictâ dulcissimam patriam, Genevam scilicet, cogitarem, hâcque transiens Venerandi senis Guil. Fabricii Hildani, Præceptoris mei æternùm honorandi mandata capesserem, à 25. Decembr. lecto affixum reperio, ejus precibus ad moram aliquam trahendam victus & adductus, ulterius non progredior: pii enim & moribundi senis precibus refragari velle piaculum arbitrabar: morbo interim invalescente, viribusque labascentibus, 14. Februarii, asthmate & Senio confectus, post exactas quatuor supra LXX. annos, patientiâ, fide, ac pietate in Deum contestata nobis, proh dolor, ereptus & ablatus est. Hic est magni illius Fabricii ex hâc ærumnosa miseriarum valle felicissimus, nobis tamen maximè luctuosus exitus. Cùm autem per totum ferè biennium se à podagricis doloribus immunem animadverteret, anguem in herba latitare dicere solebat; nec fefellit eventus; ominosus enim est ut plurimùm, artuum affectorum in senibus status præter morem incolumis. Sed ut Excell. Guil. Fabricii, jam verò felicissimi, mandata, quæ moribundus dedit, religiosè exhauriam, Excell. T. omnia fausta & felicia quæq; apprecatum, & exoptatissimas tuas literas accepisse, imò ad ipsarum aspectû exultasse, certiorem facio (quibus si Deus T. Opt. Max. vitam prorogasset, dedisset responsum. Sed Excell. T. plus satis moror; hîc itaque pono stylum, simulque tibi artis Medicæ communi emolumento Nestoris vivacitatem, mihi verò tuam benevolentiam, si mereor, exopto. Raptim Bernæ Aventicorum, proximâ die Genevam cogitans, 18. Febr. 1634.

Viro Clariss. Excell. Dn.
JANO SARRACENO, Philos. & Med. Doctori in Republ. Patria Genevensi, meritiss.
GREGOR. HORSTIVS D.

S. Tuas, Vir Clarissime, mortem communis Amici nostri, Venerandi senis Guilielmi Fabricii, de studio Medico & Chirurgico meritissimi rectè mihi traditas fuisse scias. Utinam occasione magis optatâ tuus erga me candor & affectus Amoris mihi certior factus fuisset: sed ferendum, quod mutari nequit, adeoque fiat voluntas ejus, in cujus manibus sortes nostræ. Quod diu venerandum nostrum senem ab exacerbatione dolorum arthriticorum immunem fuisse scribis, omine malo, facilimè credo, cum experientia confirmet idipsum sæpius, ubi videlicet natura debilior insufficiens est, ut materiam resoluti tartari partes ad extremas ablegare queat in senibus, undè postmodum omnium facultatum languor, & ipsius etiam respirationis difficultas, cum superveniente suffocatione, more asthmaticorum subsequitur; quanquam talis δύσπνοια non tàm collectione materiæ circa membra spiritalia, quàm propter nervorum pectoris motui servientium resolutionem accidat. Quod si superstes nobis adhuc fuisset Experientiss. Fabricius, ipsius judicium de vulneribus ventriculi petiissem: ipso verò piè demortuo, nolui intermittere, quin singularem hunc casum tibi proponerem, ut indè colligas, tuas mihi gratissimas fuisse. Nosti, quæ sparsa fuerint ante triginta circiter annos de rustico quodam Pragensi, qui ferreum cultrum infelici temeritate deglutierit, ita ut non aliter postea, quàm per sectionem, præmissis emplastris attrahentibus ex Magnete & aliis, ab eodem liberari potuerit, quemadmodum pluribus hanc historiam refert *Crollius in Præf. at. Basil. pag.* 64. Simile quid anno currente 1635. factum fuit in Borussia, sicuti peculiari scripto germanico refert amicus meus, *Clariss. Dn. D. Georg. Lothus, Professor in Academia Regiomontanâ*, de servo rustico Nobilis cujusdam, qui 29. Maij, nauseam quandam ventriculi percipiendo, cultrû suum manubrio corneo in fauces eo fine profundè satis immisit, ut vomitum excitaret, infelici successu, descendente videlicet cultro protinus

Dddd ad œso-

ad œsophagum, donec superbibitâ pleniori cerevisiæ copiâ, totaliter ad cavitatem ventriculi perveniret. Hic excarnificatus hoc alieno ventris hospite, tandem ad Medicos Regiomantanos à Nobili suo hero mittitur, qui factâ consultatione, primò laboranti contra dolores ventriculi quotidiè sequentis olei cochlearia aliquot cum jusculis permista præbuerunt, quod ℞. ol. olivar. com. ℔ß. ol. Hypericonis comm. ℥ij. Misce. Exterius Emplastrum Magnetis fuit adhibitum in parte sinistra hypochondriorum, confecto interim balsamo vulnerario, quod ℞. ol. olivar. recent. ℥iij. Terebinth. ℥is. Sum. Valerianæ, hypericonis, Card. ben. an. pjs. Thuris ℥j. Myrrhæ el. Aloës opt. an. ʒiij. cocci infect. ℈iij. Resinæ. pini recent. ʒij. vini Malvat. ℥iiij. Misce, stent. in digest. per horas 4. leniter ebulliant, donec consumptum vinum, colentur & exprimantur. His præparatis 9. Julii sectionem instituerunt per Chirurgum & Lithotomum peritum Danielem Suevum, in superiori peritonæi parte vulnere facto, quatuor transversorum circiter digitorum, per quod ipse ventriculus, & culter etiam in eodem latens, apice deprehendebatur, ubi factâ quoque solutione continui ventriculi, cuspide primum, ac postmodum etiam manubrio totaliter culter extractus fuit, ità ut vulnus ventriculi tantum illius quantitatis fuerit, quæ ad extrahendum cultrum requirebatur, quo extracto, labia vulneris protinus sese contraxerunt. Culter exemptus convenientiam non habuit cum eo, quem olim rusticus Bohemus secum gestavit, quia satis etiam immutatus erat, ac si flammam igneam perpessus fuisset, fortè propter aciditatem vitriolatam, ventriculo quasi naturalem, de qua *vide problem. Dec. 5. quæst. 7.* Feliciter expedito negotio, nec non convenienti diætâ præscriptâ, balsamus prædictus per syringam injectus, atque turundis in eodem humectatis vulnus deligatum fuit, addito primâ die cataplasmate, quod ex bolo, albumine ovi, & alumine, defensionis gratiâ componebatur. Præter corroborantia pauca, vespertino tempore patienti vulnerarim haustum præbuerunt, qui ℞. Her. beton. Saniculæ, Matrisylviæ, pyrolæ ana Mj. tormentillæ Mß. coq. in s. q. aq. ad ℥iij. coletur & adde Syr. de hyssopo ℥ß. sequenti die contusum caponis dederunt, in quo decocta fuerunt sequentia: ℞. Her. Veron. Pyrolæ, Alchimillæ ana Mj. Stratiot. Hypericon. ana Mß. Agrimon Mij. Flor. Cordial. ana pjs. coletur & adde Cons. Scabiosæ, melissæ ana ℥js. Misce, & iterum coletur. His & similibus reiteratis, alvo quoque per lenientia & clysteres emollitâ, brevi tempore vicissim pristinæ sanitati restitutus fuit æger, quemadmodum pluribus in germanico scripto publico demonstratur. Manifestum hinc redditur, ventriculi vulnera non absolutè lethalia pronunciari debere, quanquam idipsum *ex lib. 3. Aphor. 18.* colligatur, ubi tamen notandum, aliam esse rationem vulneris in ventriculo, quatenus diversas ejus partes attingit: verisimile enim est, si vulnus orificium superius nervosum attingat, gravia, & per consensum lethalia symptomata protinus expectanda fore, quemadmodum solutio continui respectu fundi vix etiam consolidari poterit, ob insignes & copiosas venas ibidem insertas. At reliquam ventriculi carnosam substantiam consolidationem admittere posse non negandum, quod non tantum exempla præcedentia, sed etiam subsequens casus testatur. Quidam Culmbacensis Johan. Jacobus Hagen, sub initium Septembris Anno currente vulneratur à militibus in sinistro hypochondrio abdominis, ita ut à vulnere simul pars vulnerati ventriculi prodiret, ex quo chylus semicoctus & assumpta parum alterata quotidiè ferè prodibant: hic per menses duos à Chirurgo ordinario Nosocomii pauperum curatus fuit, ita ut absque difficultate hinc & indè progrederetur, cujus curationis eventum lubens annotassem, nisi pestis contagio vehementissimè grassante postmodum etiam hic æger vi malignitatis abreptus fuisset.

Plura non addo, sed te cum tuis divinæ protectioni commendo. Dabam ocyus sub finem Anni 1635.

OBSERVATIO XVI.

De morbis per incantationem introductis.

Clariss. & Excellentiss. Vir,

Dn. HECTOR SCHLANHOVIUS, Med. D. & Phys. Wormatiensis ordinarius,

AD

GREGOR. HORSTIUM, D.

SAlutem cum officiis. Clarissime Dn. D. *Horsti*, En transmitto observationes & historias raras *Diomedis Cornarii*, quas in nundinis omnium Sanctorum festo proximè habitis Wormatii à me petiisti, quas unà cum tuis novis, raris & admirandis *Marcello Donato*, cujus editionem moliris, addere poteris.

Cæterùm, ne penitus vacuam ad te chartam transmittam, lubet addere subsequentem casum, de quo tuum judicium exspecto. Præteritâ æstate, in foro publico vangionum, puella quædam, octodecim annorum, pro conficiendis infantum pultibus farinam coemptura, à vetulæ cujusdam manu, circa mamillam sinistram, contrectatur. Famula domum reversa, inter prandendum acerbissimos persentiscit dolores, quibus indies ingravescentibus, tertio die sanguis, unà cum frustulo vitri longiore, ex papilla egreditur. Res mihi, Collegæque *D. Fettich*, non parùm suspecta ad Senatum defertur. Vetula multorum opinione habita Saga, carceri inclusa, examini torturæ submittitur. Illa verò ne hilum faciens omnis generis tormenta, statim cum stertore in star Apoplecticæ obdormiscit, non persentiscens virgas nec carbones ignitos nuchæ impositos, nec candelas sub axillis ardentes. Crescentibus tormentis, expergiscitur à somno, nec quicquam de perpessis doloribus conqueritur. Puella verò intoxicata, in utraque mamilla varia habuit tubercula, quibus disruptis nonnulla

Observ. singularis.

Saga tormenta non sentiens.

nonnulla steatomatis formam, reliqua meliceridis ideam repræsentabant. Inter varia adhibita medicamenta, Theriaca, unguentum Cartichteri, & decoctum ligni, cum Scorzonera & vincetoxico, plurimùm valuêre. Brevi, uti spes est, sanitati restituetur.

Μητραδέλφῳ meo, Illustrissimi Principis ac Domini, Domini LUDOVICI LANDGRAVII pastori Aulico, Cl. Dn. D. *Ioh. Vietori* per occasionem librum remitte. Hisce valeas, Vir Clarissime & me amare perge. Dab. Wormatii αὐτοσχεδιαστὶ ex Musæo meo 14. Decemb. Anni exeuntis, 1612.

GREG. HORSTIUS, D.

Clariss. & Excellentiss. Viro

Dn. D. HECTORI SCHLANHOVIO, Physico Wormatiensi.

S. Rectè tues accepi, *Schlanhovi Clarissime*, unâ cum observationibus *Cornarii*, ex quibus unam atq; alteram Mirabilibus Donati, majoris declarationis ergò, addere conabor. Casum singularem, quem addis, libenter legi, qui dubitationem potissimum duplicem mihi movet, nimirum *an per contactum fascinatio fieri possit?* & secundo loco, *num per fascinum introductus morbus, ex methodo mediis naturalibus curari queat?* utrumq; videtur innuere tua observatio, ubi prius, videlicet per contactũ quendam fascino lædi posse, confirmabitur ulterius iis, quæ solent adduci, dum demonstrare conantur, aspectu solo morbos introduci posse: at si aspectu, multò magis etiam contactu, cum hujus operatio magis corporalis fit.

An per contactum fascinatio fieri possit?

Imò marinam torpedinem per arundinem & filum piscatoris manui stuporem inducere confirmat experientia, juxta Philosophum: cur ergò non concedamus, singulari quorundam proprietate, præter communem naturæ cursum, communicatâ, per contactum, dispositionem præter naturam introduci posse.

Petrus Pomponatius lib. de incantationibus mira proponit hâc de re. Scio quid statuat *Biermannus*, *Wierus* & alii, qui nec aspectum, nec contactum vetularum lædere posse contendunt, sed vel effluvium malignum, adeoque contagium, vel persuasionem & timorem accusant, à quo facilimè quoddam incommodum suâ cognitione sibi conflare possint, præsertim ubi seminarium aliquod aluerint, patientes. Verùm cum potens sit diabolus, ex permissione divinâ, non video, cur non sæpius, connivente DEO, per sagas nocere possit, idque mille modis, quod observationes admirandæ testantur, quanquam media externa per se insufficientia, sæpius etiam ridicula, videantur, quâ ratione tactum quoque minus sufficientem judicamus rationibus iisdem, quibus utitur *Baptista Codronch. lib. 2. de Mor. venef. cap. 3.* Astutâ verò promptitudine fieri puto, ut permittente DEO, causis naturalibus excitatos tumores dolorificos, variis & admirandis rebus, majoris doloris excitandi gratiâ, repleat (de quo pluribus agit *in Epist. Langius*) qua ratione primò vitri frustulum longius ex mamilla puellæ secretum fuisse scribis. Recordor historiæ, quam Illustrissimi nostri Consiliarius quidam amicus meus singularis, mihi retulit, de fratre suo, quem ante annos aliquot ex incantatione gravissimâ ophthalmiâ laborasse dixit, quotidie magnâ scoparum minutim incisarum copiâ per oculos egrediente, ita ut scopæ purgandis ædibus destinatæ, vix emptæ, statim amitterentur, quibus ad excruciandum ægrum dœmon abutebatur, quod hîc etiam astutiâ malignâ sagæ cujusdam fieri suspicati sunt. Nosti mirandas observationes, quas hac de re collegit *Marcell. lib. 2. hist. Mirab. cap. 1.* Mirum v. quomodo tormenta, somniantium instar, Dœmoniaci perferant, quemadmodum præter experientiam confirmat idipsum *Wierus, qui l. 5. de præstigiis cap. 11.* plura refert exempla & modos, quibus hæc talia sibi se conciliare credunt. Ut ut sit, experientia confirmat, quod licet absq; sensu torqueantur, non tamen hoc accidit absq; læsione corporis, quam subsequens partium imbecillitas satis confirmat. Quocirca non videtur absonum, vi quâdam narcoticâ principium αἰσθήσεως ita iisdem obturari astu diabolico, ut instar Apoplecticorum nihil quidquam tormentorum percipiant, quâ ratione videmus Epilepticorum corpora omni dolore destituta, licet absq; dolore (quem tamen ob lœsum nervorum principium percipere nequeunt) partes convulsæ non tendantur, undè post remissionem paroxysmi languor totius apparet. Altera dubitatio, quam literæ tuæ subministrant, consistit in eo, *quod intoxicatam puellam per convenientia media naturalia ferè restitutam esse scribas*.

Observatio mirabilis.

Quomodo tormenta perferant Sagæ?

An naturalibus mediis morbus per incantationem introductus curetur.

Quanquam verò non desint, qui potius illicitis mediis, seu, ut lenius loquitur *Crollius*, Magicè & supra naturaliter, juxta *Paracelsum*, procedendo, morbis per incantationem ex permissione divinâ productis, succurrere conentur, ea propter quod talium effectuum causæ altius principium præsupponant; nihilominus potius tibi subscribo, propterea quod incantatio tantùm externę causæ rationem habeat, utpote cum exemplum tuum confirmet, exulcerationem illam mamillarum à naturâ Steatomatis & Meliceridis alienam non fuisse, quâ de causa convenientia remedia suum effectum præstiterunt optatum.

Quemadmodum verò causa externa non, nisi concurrente internâ, morbum producit, adeoque remota, quando morbus productus est, ad sanationem non sufficit: ita hîc etiam interdum, ubi morbus adhuc in fieri est, causis externis lædentibus per ipsas sagas ablatis, ægrotantibus succurritur: ubi verò morbus est factus, internis humorum corruptionibus concurrentibus, ibi media naturalia requiruntur, quanquam dubitat hîc *Bapt. Codronchius lib. 4. cap. 2.* ubi ex professo quæstionem hanc tractat. Verùm hæc obiter ad tuas respondere placuit: tu benè consule, & *Horstium* tuum amare perge.

Raptim Giessæ Cattorum prid. Calend. Januar. 1613.

OBSERVATIO XVII.

Quid sit τὸ θεῖον Hippocratis.

Vir Clarifs. Excellentifs.

Dn. SAMUEL HAFENREFFERUS, Philosoph. & Med. D. in Acad. Tübing.

GREGOR. HORSTIO, D.

ὑγιαίνειν.

DIrum Saturnum lethiferam quidem suam falcem etiam in ædes Excellen. T. immisisse, dulceque conjugium dissecuisse, condolenter percepi, Angelos tutelares tamen Excellen. T. adstitisse, incolumemque tot in ærumnis servasse, nec non ex sacro stemmate prognatam matrimoniali Thoro substituisse intellexi, congratulabundus, hoc votum adjiciens medullitus, Deus ut sospitet hoc conjugium Horstianum semper, fœcundet largiter, abigat ab hoc tàm corporis, quàm animi mala fortiter, benedicat in omnibus abundanter, summâ divinâ suâ gratiâ, conjugium & operas affulgeat clementer.

Cæterum tam diræ luis devastationem, quàm hominum mirandorum symptomatum ratione, hâc ex vita decessionem, altius ponderans, in mentem occurrunt Nostri Hippocrat. verba, quibus monet, non solum affectionum naturam Medico cognoscendam, quantum scilicet vires corporis superent, sed & *si quid Divini in morbis insit*, rimandum. *Libr. prænot. sect.2. mihi p.3.*

Hoc, *Divini* vocabulo, quid sibi velit, cum sit ambiguum, Excellent. T. aliquot sententias atque opiniones proponere placuit, cui verò subscribendum ab Excell. T. cognoscere aveo, suamque mentem aperire ne gravetur, obtestor obnixè.

Cabalistæ summo quidem Creatori regimen omnium rerum & dispositionem adscribunt, curam tamen exequendi, variis ministris beneficis & maleficis, eundem distribuere asserunt, quos Apocalypsis *Angelos* vocat *faventes & nocentes*. De priorum numero sacræ paginæ referunt alloquentem Hagar *Gen. cap.21. v.17.* Raphaëlem comitem Tobiæ, *Tob. cap.5. v.27.* servantem tres socios Danielis, *Dan.3. v.9.* liberantem Apostolos ex carceribus, *Actor.5. v.19.* De posterioribus testatur Cherub. *Gen.3. v.24.* occidens Ægyptios, *Exod.12. v.23.* resistens Bileamo, *Num.22. v.22.* peste torquens Israëlitas, *2. Reg. 24. v.16.* Quodcunque autem per angelos tanquam per ministros exequitur DEUS, idem etiam facere tradunt per cœlos & stellas, tanquam per instrumenta, ut hoc modo omnia cooperentur, in ministerium; ut sicut quælibet cœli portio, & quodque astrum certam terræ plagam, locumve, & tempus, & speciem, in individuum decernit, sic etiam Angelicam illius portionis, astrique virtutem, eisdem loco, tempori, speciei accommodare fas est, undè *Augustinus libr. Quæstion.* Una quæque (inquit) res visibilis in mundo Angelicam habet potestatem sibi præpositam. Hinc *Origenes in libr. Numer.* inquit: Opus est ipsi mundo Angelis, qui præsint exercitibus terrenis, Regnis, Provinciis, hominibus, bestiis, animalium nativitati, & progressui, plantis, Virgultis, cæterisque rebus eam virtutem donantes, quam dicunt inesse proprietate occultâ. Huc alludens noster quoque *Hippocr. inquit sub princip. lib. d. natur. mulieb.* potissimam in rebus humanis causam esse Numen Divinum, *Sect.5. mihi p.124.*

Alterum membrum τοῦ θείου cœlos & stellas dicunt, quarum ortus & occasus tàm Macro- quam microcosmi varias inducunt mutationes, inde *sect.3. aporism. primo*, potissimum morbos generari docet, *l.1. d. victus rat. sect.4. mihi p.7. & lib.3. mihi p.34.* ad vergiliarum exortum vernum tempus indigitat. Aestatem ab hoc ortu ad Arcturi exortum extendit. Autumnum ab Arcturo ad Vergiliarum occasum describit. Hyemis initium à Vergiliarum occasu depingit, finem ad earundem exortum ponit: ultrà dictas de cane observando monet, *sect.4. aph.5.* & secundum temperiem dictorum temporum victus quoque rationem in sequ. edocet, hac regulâ, *victus rationem tempestati accommodare convenit.* Ex hujus autem errore qui nam morbi oriantur hinc indè monstrando longus est; generaliter *sect.2. aphor.17. & 22.* exitium cum curatione demonstrans, hinc *libro de natura hom. sect.3. m. p.7.* mentem clarius aperiens, inquit: *morbi verò partim ex vivendi ratione, partim etiam ex spiritu, quem vivendo trahimus, proveniunt:* hunc spiritum siderum facultate præditum *lib.1. d. victus ratione sect.4. mihi p.11.* demonstrat. Dilucidiorem explicationem producit *Theophrastus Paracelsus Paramir. tract.1. de Ente Astror. super corpora inferiora mihi Tom.1. p.5. & seqq.*

Chymicos si perscrutemur, Nominis θεῖον ad Sulphur nos deducit, θεῖον dictum, διὰ τὸ θεῶδεν εἶναι.

Hippocrati Ignis, loco supra citato. *Fernelio lib. Physiol. lib.4. cap.6. mihi pag.155.* calor innatus, *& lib.2. de abd. rer. caus. c.4. mihi p.148.* cujus vigor & natura *cap. 7. seq.* explicatur satis, hunc Aristoteles respondere elemento stellarum tradit, *lib.2. de generat. animal. cap.3. mihi p.1251.* inquiens, inest in semine omnium, quod facit, ut fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, id quod non Ignis, non talis facultas est, sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur: & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum: Hunc verò nostrum benè temperatum, insitumque calorem, functionum opificem, certâ ratione moderatur atque gubernat ille cœlestis, salutarisque calor, sicque continet, & ad functiones promovet, ut illius complexu, fotuque destitutus calor noster mox pereat, & extinguatur, aut nihil quicquam efficiat; undè *Hippocrat. lib. de morbo sacro sect.3. p.87. ait.* Hic morbus (sacer dictus) nihil mihi reliquis divinius, sed eandem etiam, quam alii morbi naturam & originis causam habere videtur, ejusque natura & causa, ut aliorum omnium divina existimanda est. *Ac sub finem libr. hanc addit interpretationem:* Hic morbus, qui sacer appellatur, ex iisdem causis, ex quibus etiam reliqui originem trahit, ex his nempe, quæ accedunt & decedunt, velut, frigore, sole, ventis, & mutationibus nunquam quiescentibus, atque hæc divina sunt, ut nihil

ut nihil opus sit existimare hunc morbum reliquis divinitate præstare, sed omnes divini, omnesque humani reputandi.

Huic sententiæ, verba Prænotionum, *etsi quid divini insit*, utrum inclusa, num verò cabalistarum opinio locum habeat; num Chymistarum Sulphur, vel calor innatus, veniat subintelligendus, repetitâ superiore petitione ab Excell. Tua cognoscere avidus expecto, & hoc gratissimi officii genus vicissim amicis servitiis recompensandi omni modo me obligatum consecro. Hisce Excell. T. cum familia tutelæ divinæ, me v. meaque studia pristino Amori, Favorique fidelissimè commendans. Raptiss. Tübingæ, 3. April, 1636.

Viro Clariß. Excellentiß.

Dn. SAMUEL HAFFENREFFERO,
Phil. & Med. Doct. in Acad.
Tübingensi,

GREGOR. HORSTIVS, D.

SI Homines sumus, Vir Clariss. fautor, & Amice colende; non igitur quod humanum est, à nobis alienum esse putemus, cum sortes nostræ, quod Christianorum solatium, sint in manibus Domini. Cæterùm quid sibi velit *Hippocrates* noster per τὸ θεῖον *libr. prænotion sub initium*, non una est omnium interpretum, ut rectè scribis, opinio: cum autem Venerandus Senex hoc loco, quod præcedentibus verbis innuitur, maximè de morbis periculosis, & lethalibus ut plurimum agat, ideò non video, cur ab assertione mea, quam olim in Academia docens proposui, discedere debeam, ubi cum *Valeriola, lib.* 4. *Enarrat.* 7. non ambientis non aëris conditionem, cum *Galeno in comm. & aliis, quibus etiam Iul. Cæsar. Claudinus, tract. d. diebus criticis, cap.* 8. *& Christophor. à vega lib.* 1. *prog. in comm.* subscribit, solitariè intelligere possumus, sed majus aliquid, & longè præstantius, nempe adversariam quandam sublimemque, nobisque prorsus ignotam, ac Dei arcano consilio morbo inclusam, pestilentemque naturam, nostra corpora totâ substantiâ dissipantem. Hinc *Ludov. Duretus in Coacis p.* 438. τὸ θεῖον inquit, numeris non absolvitur, sed verbo Dei: & *pag.* 454. τὸ θεῖον naturæ summum jus habere dicit: & quoniam inquit τῆς θείας potentia in natura elucescit, quæ est ipsa vis Dei; Omnes enim morbi principia, causasque ducunt ἢ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἢ ἀπὸ τῶν ἐνεόντων, in quibus accuratè discendum, si quid divini concurrat, quâ ratione *Andr. Cæsalpin. libr. de investigatione Dæmon. cap.* 1. *Galenum* etiam impugnat, investigando, quid in homine, & extra hominem divinum sit, quod morbos producere queat. Eodem modo *Galenum* etiam reprehendit *Cardanus in comm. ad progn. p.* 15. quanquam propriam sententiam ibidem non explicat. *Vallesius in comm.* τὸ θεῖον latius extendit, ubi prævisionem dierum criticorum, morbos ex aëre pendentes, item ex voluntate divina immissos, prænotionem quoque ex insomniis, & si quid habet judiciaria Astrologia, aut ars alia, quod non sit vanum ac superstitiosum, intelligit. Hinc manifestum redditur, quod cabalistarum opinio proposita, tàm quò ad morbos immediatè per Angelos, quam etiam operatione siderum immissos, non sufficiat ad enodandum hoc ζήτημα, quemadmodum Chymicorum Sulphur fictitium, cum calore nativo collatum, æquè sat obscurum est, utpote cujus læsione quivis morbus determinari potest.

Vide Tom. 1. Disp. 4. 5. & 6. cum annex. Coronid.

Quid autem *Autor de morbo sacro* sibi velit, dum omnes morbos divinos, atque humanos pronunciat, & num illud τὸ θεῖον Hippocrat. hîc etiam subintelligatur, ulterius quæris? Ubi respondeo, totius libri lectionem Autoris mentem sat explanare, nimirum dum contra magos, circulatores, expiatores ac arrogantes ostentatores pluribus demonstrat, morbum sacrum dictum, reliquis non diviniorem esse, sed ex naturalibus causis oriri, more reliquorum: satis apparet, quod hîc τὸ θεῖον non accipiatur in eâ significatione, sicut in Prognostic. tandem enim, ubi causas morbi manifestas ex suis principiis deduxit, sub finem subjicit: atque hæc divina sunt, ut nihil opus sit, existimare morbum hunc reliquis divinitate præstare, sed omnes divini (scilicet in hoc sensu) & omnes humani reputandi: quasi dicat per ironiam, atque hæc scilicet sunt illa divina, quasi minimè divina, sicut ex præcedentibus & consequentibus manifestum est. Hæc sunt, Vir Clarissime, quæ paucis ad Tuas respondere volui. Bene vale cum familia ἐπὶ μήκιστον. Dabam Ulmæ, 20. April. Anno 1636.

OBSERVATIO XVIII.

De Urinarum Judiciis.

Vir Clariss. Excellentiss.

Dn. D. JEREMIAS ERHARDUS,
Physicus Augustanus.

GREGOR. HORSTIO, D.
S. P.

POstremæ tuæ, unâ cum inclusis ad Clariss. Dn. Doct. Fabrum, rectè mihi traditæ sunt, Nobiliss. & Excellentiss. Vir fautor & Patrone colende. Illas à Dn. Thoma Müllero, Kornprobsten ad S. Mariam, tradi curavi, non dubitans quin hujus ope prædicto Clariss. Medico ad manus veniant.

Interim Excellent. T. tractatum, vel potius *Commentarium Hieronymi Reusneri, in Iodoci Willichii librum de urinis* transmitto, eâ quâ possum humilitate rogans, ne hunc, vel obiter tantum, percurrere gravetur, sique incongrui quid in eo invenerit, de illo me commonefacere: ne quum antehac laboribus meis (extra Disputationes, quas Basileæ olim conscripsi & habui) nunquam theatrum publicum conscenderim, primo statim ingressu impingam.

Licet enim author horum Commentariorum Medicus fuerit perfectissimus: tamen hoc scriptum (ut antehac etiam monui) tam inordinatè fuit concinnatum, & scoparum instar dissolutum, ut in describendo debitæ

cohærentiæ & methodi sæpius scrupulum mihi moverint: nedum quod ad finem non perductum fuerit. Quod si Excell. T. hoc perlegerit, & luce dignum judicaverit, nec non epistolio Medico adornaverit, mihi remittat; addam ego præfationem & indicem, antequam prælo submittam. Favorem autem & occupationem erga T. Excellent. quâvis occasione & officiorum genere demereri studebo. Vale, tibique me recommendatum habe. Dabam ocyus Augustæ Vindelic. 16. Febr. Anno 1629.

Viro Clariss. Excellentiss.

Dn. JEREMIÆ ERHARDO, Medico D. Augustano,

GREGOR. HORTIUS, D. S. P. D.

Reusneri opus posthumum de Urinis.

Grata mihi fuit prompta communicatio posthumi scripti Reusneriani, de probationibus urinarum, Vir Clariss. Excell. fautor & amice plurimum colende, quod hisce diebus vespertino tempore, recreationis ergò, percurri, nec quidquam dubito, quin magnam penes omnes philiatros gratiam initurus sis, modò propediem editionem operis promovere non desinas. Pagina 94. *Controversiam de origine venarum* attingit Autor, potius cordi, quam jecori eandem tribuendo, quâ in parte Peripateticorum Principem, & alios sequitur, quos citatos esse videas *Tom. 1. Disput. 3. Coron. 1. Exerc. 5. quæstion. 3. pag.* 84. ubi olim in Academia dictam opinionem examinavi, veritatis decisionem proponendo, contrariisque argumentis respondendo; quibus reperitis, etiam num senescens, non video rationes sufficientes, cur ab illa sententia, quam juvenis olim ante multos annos, præ reliquis, defendendam esse statui, discedendum esse videatur. *Pag.* 106. rectè demonstratur, cor graviores affectus p. n. minimè sustinere, quanquam negari nequeat etiam cordi, licet rarò p. n. grave quid accidisse, quod *Tom. 2. lib. 4. Obs. 47. pag.* 236. affirmatur, & paucas ante septimanas, hîc in captivo quodam fuit observatum: Is, nescio quâ mentis perturbatione commotus, seipsum vulnerat, cultro proprio sub mamillâ sinistrâ, rectâ versus cordis regionem ultra manubrium usque adacto, qui per octiduum vivens absque gravioribus Symptomatibus, nonâ tamen moritur. Hoc post mortem aperto, vulnus per lobum pulmonum in capsulam cordis, ipsiusq; cordis substantiam penetrans, observabatur, ita tamen, ut non aliquem ex ventriculis læderet, sed profunditate satis apertâ, in intermedium utriusque ventriculi septum introeunte, deprehenderetur.

De origine Venarum.

Vulnus singulare in cordis substantia.

De expurgatione purulentæ materiæ per urinas in morbis pectoris doctè disserit Autor *pag.* 112. quæ omnia dilucidiora fient, ubi lector ea conjunget, quæ à nobis *Tom. 2. lib. 3. Obs. 15. pag.* 35. de hâc ipsâ materiæ translatione proponuntur. Historiam singularem confirmationis gratiâ subjicio.

Observatio singularis.

Vir quidam nobilis in Hæmoptoicam passionem incidit, cum sequenti pulmonum exulceratione, qui in tertium annum, adjuvante naturâ, conservabatur, sæpius per dies aliquot gravitate circa renum regionem oborta; quam postea purulentæ materiæ per urinam rejectio solvebat, maximè tunc temporis, ubi per Syrupum de Althea natura juvabatur. Manifestum verò signum μεταστάσεως materiæ peccantis è pectore colligebatur ex eo, quod hoc ipso Symptomata, angustia suffocationis, tussis & purulentæ excretiones, maximè lenirentur.

Quomodo fœtus in utero reddat urinam.

Fœtum in utero non per urachum, sed ipsum vesicæ collum urinam reddere *pag.* 222. rectè statuitur, sicut olim *Tom. 1. Disp. 3. Coron. 1. Exer. 12. quæst. 3.* demonstravi, quanquam illa dubitatio, quod in statu p. n. interdum urina per umbilicum reddita, (sicut Observationes Practicorum testantur) hactenus mihi soluta non sit. Pagin. 241. *in febribus Pestilentialibus* æger sæpè tendit ad mortem, urina bona existente in substantia, colore, & sedimento, cujus assertionis ratio non ab omnibus eodem modo declaratur, quemadmodum *Tom. 2. lib. 7. Obs. 31. p.* 345. *videre licet.* Ast ubi junguntur illa, quæ Autor p. 724. proponit manifestum redditur, prius illud absolutè dictum non fuisse, ne manifesta sit contradictio, dum inquit: nostra sententia est, urina in Peste & pestiferis morbis nequaquam similis est urinis sanorum.

Pestiferorum urina sæpè laudabilis.

Porrò notabilis est assertio *de tinctura urinarum*, quam Autor pag. 345. & præcedentibus proponit, nova quidem, sed ingeniosè satis inventa, ubi ruborem sanguinis urinam colorare pronunciat, quod sicuti juxta rationes productas non negamus, ita bilis tingentis concursum, ob causas ubique notas, minimè excludimus, de quo videatur *Sennertus lib. 3. instit. Sect. 3. par. 1. cap. 5.* ubi *Leonem Roganum* hoc ipsum statuentem refutat. Porrò quoad albam urinam rectè dicitur *ex Gentili*, quod in acutis febribus maximam humorum cruditatem indicet, adeoque propter acuitatem morbi, quam natura diu sustinere nequit, periculosa sit.

Quomodo tingatur urina.

At sæpius in ardentibus febribus ejusmodi urinas diutissimè redditas fuisse notavimus, ubi tamen semper delirium & paraphrenisis simul observata fuit, cujus ratione facilimè ratio redditur, non ob solam cruditatem, sed sanguine bilioso sursum vergente, tincturam urinæ desiderari. Verùm quid statuendum in casu sequenti: Vir quidam Nobilis ferè sexagenarius, palpitationi cordi obnoxius, ob cachexiam viscerum sanguificationis, urinas reddit optimè coctas, ad matutinum usque tempus, ubi penitus crudæ ad prandium usque prodeunt: an quod somni beneficio natura confortata serum copiosius collectum abigit, & per vias urinarias à massa sanguinea separare conatur? Contrarium accidit in alio viro literato, jecoris obstructioni & inflammationi obnoxio, qui post prandium ad mediam usque noctem urinas reddit crassas, rubicundas, copioso tartaro rubeo, post residentiam, præditas, quæ matutino tempore mutantur & ferè sanorum urinis simillimæ redduntur: an quia natura debilior concoctione chylificationis occupata, secretricem facultatem in venis minus adjuvat, undè tartarum biliosum resolutum ante perfectiorem digestionem expellitur, quòd matutino tempore non observatur, eapropter, quod virtus concoctrix in somno

Albæ urinæ in febribus unde?

Observatio singularis.

Alia Observatio contraria.

in somno confortata perfectiorem concoctionem in massa sanguinea peregerit. De pilis per urinam rejectis procul dubio vidisti, quæ inter Cl. *Dn. Guiliel. Fabricium* & me fuerint agitata, quorum lectio *Tom. 2. lib. 4. Obs. 53. pag. 248.* plurimùm huc faciet, ut ea quæ proponuntur, planius intelligantur. Pag. 600. rectè monet autor, diureticis propriè dictis non nisi cautè utendum, ubi meritò subscribimus eo modo, quem in *Problem. Therapeu. Decad. 8. Quæst. 5.* proposuimus. Recordor cujusdam Empyrici, qui calculosis diuretica calida sicca continuato usu præscribebat, non absque secretione copiosi sabuli, cujus medicamentis in primario quodam Viro Nobili τόνον ventriculi ita resolutum fuisse memini, ut postea cachexiâ naturæ debitum solveret. Pag. 701. mentio fit urinæ coagulatæ, quam communiter aquâ calidâ rectificare solemus, ubi rectè probat Autor, etiam post coagulatæ substantiæ vi caloris externi factam clarificationem de dispositione corporis judicium fieri posse.

De urina coagulata.

Miror autem, cur non in naturam Tartari hîc magis inquiratur, cum eo ipso plebeis etiam innotescat, urinam de natura Tartari participare, cui proprietas coagulationis atque resolutionis convenit. Imò & illuc huc pertinet, quod in urinis per coagulationem turbaris, multa sæpius, inprimis in febrilibus dispositionibus, observentur, quæ tamen in urina clarâ non animadvertimus.

Natura Tartari in urina.

Hinc accidit, ut sæpius urina sanorum simillima videatur, quæ tamen post turbationem coagulatione factam, dispositionem præter naturam abundè significat, de quo videatur *Heinii tractatus, de urinis Germanicus*, cujus manuscriptum ante multos annos amico *Dn. D. Georgio Fabro*, Medico tum temporis Imperialis Castri Fridbergensis, communicavi, qui idipsum Anno 1620. Francofurti prælo subjecit, cui, hâc in parte *Sennertus etiam in lib. de Chym. Consens. cap. 17. pag. 542.* Calculum addit. Verùm plura non addo, sed obiter, hæc tantum repetere volui, quo videas, me lubenti animo, per biduum hocce, Commentarium hunc utilissimum percurrere debuisse. Nihil superèrit, quàm ut labores hos elegantes atque proximo plurimùm inservientes, prælo quam primùm subjicias, quo ipso, non tantùm apud philiatros, sed etiam exercitatos in arte Machaoniâ plurimùm gratiæ inibis. Benè Vale, Vir Clariss. annotata boni consule, quodque facis, me amare non desine. Ocyus Ulmæ 20. Febr. 1629.

De judicio ex coagulata urina.

OBSERVATIO XIX.

De Fœtore cujusdam Puellæ singulari.

Clariss. Viro

Dn. ANDREÆ LIBAVIO, Phil. & Med. Celeber.

SIGISMUNDUS SNITZERUS Med. D.

S. Tuam, quæso, Vir Clarissime, sententiam exponas, de miro, (ut mihi videtur) fœtoris exemplo, Virgo namque annorum 17. Augusta (unde oriunda est) huc in monasterium sancti sepulchri missa est, ut anno (quem sic suo more vocant) probationis peracto, habitum monialis induta, ordini isti manciparetur. Hæc prædictum monasterium vix dum ingressa, fœtorem cœteris monialibus summè adversum eructare animadvertitur: fœtorem, inquam, quasi putrescentis cadaveris, sive in eodem cum cæteris versetur contubernio, sive in suâ lateat crypta, (quam cellam vocant) hanc enim prætereuntes quoque odorantur: ita ut inprimis hujus virginis σῶμα quasi σῆμα haud immeritò dici queat. Vocatus ego, diligenti habita disquisitione, intellexi putorem istum non ab oris, ventriculi, uteri, aut alterius corporis partis vitio manare, sed eam esse universi corporis ἰδιοσυγκρασίαν, ad quam confugere hactenus libuit, quoties similium effectorum causæ latebant; haud secus fortasse, atque in aliarum causarum ignoratione, ad fortunam. Hoc, ut credam, movet me ipsius corporis constitutio. Colore est florido, omnes functiones benè obit, de nulla corporis parte querela ulla, nulla, referentibus cæteris monialibus, menda. Denique quod hanc sententiam unicè confirmat, Augustæ multis, sed sine fructu, ad hunc eluendum fœtorem, usa est remediis. Duas habet sorores alibi quoque moniales, quarum neutra isto infestatur malo. Cum itaque ut benè dixit *Avicenna*, Dolor & fœtor maximè virtutem prosternant, virginem hanc suo penati moniales restituent, quam primùm hyemis inclementia non nihil desævierit. Simile exemplum hactenus mihi nulla suppeditavit lectio. Singularis εὐωδίας historiam memini me legere de illustri quodam viro, moschum redolente, sed nomen ejus jam non succurrit. De fœtore quid sentias, & an non tale corpus, putidum inquam, putrescenti affinem naturam habeat: & quomodo fiat, ut intra sanitatis limites, nullis oblæsis functionibus corpus humanum putrescenti tam propè accedat? an non pestilenti contagio magis, quam alia, sit expositum? an denique ætatis decursu, mutatâ crasi, fœtorem desiturum spes esse possit; per otium expones. Tibi quod præstem vicissim, non habeo, fateor, nisi te ut amem & observem, quoad vixero. Opt. Vale. Dat. Bambergæ 16. Febr. 1601.

Causa fœtoris istius singularis.

Clariss. Viro

Dn. SIGISMUNDO SCHNIZERO, Phil. & Med. eximio.

ANDREAS LIBAVIUS Med. Doct.

S. De puellâ Augustana cadaver olente mira narras, si mirum est pastillos *Ruffinum* olere, *Gorgonium* autem hircum, idque sive naturali quâdam dispositione, aut alienatione narium nostrarũ, quâ de causâ, non benè convenit nobis cum putorio, hircis & similibus, sive negligentiam culturę, & acquisito vitio, quomodo nobis comptulis & mundulis, sordiduli illi agricolæ & mediastini, sutores, pelliones, &c. non adeò usq; spirant gratum, nec quicquam de Sabæa messe. Intelligo vero illum halitum etiam parentibus & familiaribus ab ortu (opinor) displicuisse, in suâ patriâ,

Ulterior inquisitio in causam istius fœtoris.

patriâ, locoq; natalitio. Benè itaq; ἰδιοσυγκρασίαν producis, verùm ulterius inquirendum arbitror, quænam causa à paterna, familiariq; dispositione ejus naturam decusserit, nec passa sit humanum spirare halitum, sicut parentes, fratres, sorores, quos puto, cæteris hominibus spirando nihil molestiæ, aut offensæ creare. Non sumus ita delicati omnes, ut non queamus ferre contubernales, & in eodem loco congregatam multitudinem seu assidere, versarique ibi, ubi plures. Itaq; proculdubio in nostris naribus non est crimen. *Mufetti* est odorem præcedentis Galenici superbè aversari: Est agminis Persici, unguentis assuetum pedorem Macedonum non ferre. Miror adeò delicatas esse moniales, impatientesque afflictionum ut fastidiant sororculam, minus suaviter olentem, cum persuasum sit posse se fortiter tolerando adversitates, & opera dilectionis præstando, cœlo mereri. Longè sanctius illa matrona gravem viri anhelitum dissimulavit, redditâ causâ, quod putaverit, conjugium non esse deserendũ aut spernendum maritum ob putorem, qui fors esset nativus omnibus viris. Nos non tam emuncti sumus, & fastidiosi. Sed si ἰδιοσυγκρασία est, incepit malum in prima seminis ad constituenda membra mistione, dependetque tàm fœdus odor ex ipsa craseos forma, quasi singularitate sui inexplicabilis commistionum ratio effecisset, ut deinceps, hujusmodi ἄῤῥητος ποιότης sequeretur semper constitutionem, nec deleri posset, nisi solutâ mistione. Sit ita an non, exploratu cognituque est difficillimum, ultraq; captum humanum positum. Proindè affirmans, negansque, pari fruuntur jure, cùm tàm proclive sit negare, quod sine demonstratione dicitur, quam affirmare, præsertim causis in conspectum, & contemplationem venientibus aliis. Quidni enim dicamus, non in crasi fuisse vitium sed accessorium quoddam forinsecus istam substantiæ alterationem induxisse, vel talem aspersisse labem, ut non hominem, sed cadaver spiret? Nec semper brevis ea contagio est, nonnunquam commoritur, usq; ad extremam dissolutionem compagis indivulsus comes. In hoc genere est, contaminato sanguine, semineque, & constitisse, & nutritum esse intra parentem: aliquid passum esse matris nausea, & consternatione, affectuque gravi, quales maculas, nosti inuri indelebiliter, malaciâ correptis matribus, & valido animi motu, quin & membrorum utpote manuum, concussis, spirituque cogitationibus directò in conceptum, aut utero latitantem tenerum Embryonem. Consternata sit illa sepulchro; supervenerit unctioni cadaveris: sordibus putridis ex alvo decumbentium redditis nauseam conceperit, & similibus graviter fuerit affecta. Indè nota infanti esse potest. Memini Epilepticos pueros, oleo succini inunctos sepulchrale quid olere. Cum fæminæ operam dant parturientibus ægrotis, & aliis facilè concipere seminaria, dum uterum gerunt, possunt, ne quid dicam inter menstrua putrida sat diu morari conceptum, aut etiam eo tempore primordia sui accipere potuisse: undè primis fermentationibus graves halitus, sed postea leprositates, & hujusmodi emergunt. Novimus ab utero dispositos ad Gallicum, Cancros, Elephantiasin, &c. nihil spirare jucundum, etiam tunc cum videntur bellè habere. Sed hæc tu melius. Ex crasi esse malum, argui potest & nutrimenti & medicamentorum, cæteræq; curæ temeraria procuratione, quodq; ne ætate quidem ea, qua aliâs solet mutari natura mensibus apparentibus, quicquam introductum sit correctionis, cum in dictis prçludiis magnam vim esse, si non ad abolendum, saltem ad inhibendum, mitigandumq; malum, sit in compertis. Verùm in generationibus ad substantiam ex præexistenti simili actu, nullum habet locum, figmentum istud novæ & singularis mistionis principiorum elementarium. Et si quid eâ de causâ factum est, accessio & intermissio fuit, non mistio ad substantiam. De elementis coëuntibus, & qualitatibus eorum figmenta serere, quorsum attinet, cum id vix in rudibus saxis, ut cunq; ex terra & aqua coalescentibus casu valeat? qui vero calores, quæ siccitates, humiditatesq; & frigora tantùm moliantur? Equus Cameli nec conspectum, nec odorem ferre potest, dissidio totius naturæ, undè Cyri stratagema in acie contra Cræsum. Non ita invisa puella ista hominibus. Et tamen quidam pater in specie nec conspectum nec halitum filii etjam non agniti tolerare potuit, (de quo vide singularia Libavii) sicut multi erga feles sint affecti. Neq; his simile exemplum hoc est. In manifestis enim causis fœtor est, alienans omnes non assuetos putori. Quæris num id corpus putrescenti affine sit habendum. Licet tibi inter se conferre odores cadaverum actu putredinis adhuc tabescentum, & halitum istum corporis suâ constitutione sani: in cæteris nihil video affine, si huic integra, vividaq; natura est, illa quæ putrescunt & fermentantur alieno calore, solvuntur in talem, nec vitæ actum possident. Quæ verò sit causa istius fœtoris exstimanda, si non explicui, saltem obscurè ut potui indicavi. Nec vitæ rationi per se obstat jucundus, malusve odor. Suo unumquodq; delectatur: & nascuntur inter putredines animalia. Quærendum est, num ipsa sibi ipsi fæteat fœmina. Si non est molesta sibi, jucundum puta aut saltem non alienum à se sibi spirare, id quod vitæ non est adversum. Imò si contrarium habitum per vim introducere velis, magis læseris. A consueto enim non est passio. In lipothymian multi incidunt fragrantiâ odorum, quorum adversis assueverant ipsi. Fuit, qui fœno incumbere solitus in lectulum inductus animo deficeret, donec cubiculo suo redderetur. Gaudet sordibus suis Upupa, suaviq; in eis vita fruitur. Pestis violentia non est per se familiarior, olenti malè, quam suaves emittenti spiritus. Neq; enim sordibus aut odoribus opponitur, sed vitæ rationi insidiatur. Hujus κατάστασιν & harmoniam dum expugnat, spiritusq; & calorem dissipat, aut proprietate naturæ alienos à vita reddit, viventes perdit. A malis odoribus non rarò præsidium est naturæ, non quidem quâ mali sunt, sed quâ efficaces, spirituosasque occupant potestates, quibus oppugnare spirituale pestis venenum queant, aut instigare naturam ad expellendum excutiendumq; periculum, antequam vires & incrementum capiat, aut quasi ἀπαθῆ reddere, ut ad venientis impressionem respuat. Itaq; alii nares suas indies olfactu cloacarum benè saturant, alii bituminibus se, suaque expiant,

expiant, & defendunt. At, inquies, putredinis expiratio putredinem invehere potest similem. Finge, inquam, istud; sed dispositione differente, viribusque potioribus etiam una alteram pellere, & tanquam venenum veneno jugulare potest. Num mutatâ crasi virus istud sit desiturum, divinare potius quam certò dicere possumus. Si valet Elementaribus proprietatibus, & aliis mobilibus extra naturę radicem, aliquid speres. Sin minus, manente substantia, vix eradicabitur affectio. In mortuos aliquid juris habent, medicamina. Nosti enim conditturis diu servari cadavera, & a putredine vindicari. Vide num aliquid ex nutrimentis & cosmeticis medicinisq; si non ad extirpandum oletum, saltem ad mitigandum palliandumque reliquum sit spei. Narrant *Alexandrum Magnum* Moschum redoluisse vivum; vix opinor fato functum: & tamen Moschi bestia etiam occisa spirat odorem eundem, donec putredo superveniens, misturæ rationem tollat. Illud vereor, ne nutrimenta dissimilia corpori tandem gravem inducant corruptionem, totumq; corpus in Elephantiasin, vel similia mala præcipitent. Cùm enim tàm fœdus odor vix sit in ratione hominis sub nostro cœlo, ansam dabit velociori in perniciem decursui. Qui verò nudi sub cœlo Americano degunt, non admodum jucundum spirantes, alio naturæ privilegio gaudere possunt. Illud dignius quęsitu est, si viro collocaretur; num concepta prole evasura esset? in aurem tibi insurro, quasdam fœdissimè olere fluentibus uteri purgamentis. Si tunc illa concepta est, nec potest negari sanguinem maternum ad generationem concurrere, penè in propatulum producta est causa, tàm alte abstrusa. Tu non indignum investigatu judicabis, num illa tali tempore, siquidem menses patitur, etiam horridius spiret, & num mutetur virus, an saltem gradu auctum in eodem putoris maneat genere. Difficile est arcanorum muliebrium latebras scrutari. Et tamen, ut causa pateat, non totum, sed & quælibet pars totius fuerat exploranda; & num sudores seorsim urinæque & anima ex pulmonibus emissa communiter cæteris partibus halarent. In vetustis historiis est, quandam, quæ sese sacris addixerat, ut procos arceret, compositâ fraude, intra mamillas gestasse, carnes putridas, quarum fætore nullus fuit, quin adversus fastidiret nuptias, estque istud artificium interdum tam industrium, ut dolus vix, à peritissimis observari queat, ut testantur Paræi Historiæ. Huic suspicioni ne in hac persona sit locus, tua narratio cavit. Seriò enim adhibita Augustæ remedia intelligo. Damnata est sepulchro à suis: & ideo in tale monasterium intrusa. Neque etiam puto menstruo fluxu continuo laborare. Additum vellem, quam pridem inceperit fœtere, & num etiam infans: Et num unquam istum fluxum sit experta, rubrum albumve: Quid aliæ hircosæ spirent; nullo ne remittat putor tempore, &c.

Sed non opus habes monitore: ut meam mentem scires, hæc in tuum effudi sinum. Vale.

Postridiè Iduum Martii 1601.

Rotemb. ad Tub.

Clariss. & Doctiss. Viro

Dn. SIGISMUNDO SCHNIZERO, Phil. & Medic. eximio;

ANDREAS LIBAVIUS, Med. D. S.

PRidem est, quando ad te Vir præclare scripsi, & nisi fallor, argumentum fuit de putore Monachæ apud vos cujusdam. Num ea adhuc puteat, an meæ literæ tibi nauseam, & odium quoddam scribendi attulerint, haud facile divinem. Interim apud nos compertum est, quandam juvenculam in matrimonio viventem tempore fluentium mensium ferè pejus cloacis olere, maritumque tum afflictim degere. Non est difficile judicatu, talem quandam dyscrasiam totum occupare, quæ in sanguine corrupto aliquando existit. Est autem sanguis πρὸς τὸ ὅλον. Quale nutrimentum in utero, tale nutritum; quod cùm primum fuit tam tetrum substantiam reliquit talem, quæ semper simile sibi ex alimento facit, adeò ut muscus fiat in hoc animali etiam beta. De his tu melius. Si quid rari est, fac ut sciam. Vale 12. Octobr. 1602. Rotemb. ad Tub.

OBSERVATIO XX.
De Nivis singularibus.

Vir Rev. & Clariss.

Dn. M. JOH. SEBAST. WIELANDUS, Poëta Laur. Cæsar.

GREGOR. HORSTIO, D.

SAlutem in CHRISTO! & officia cum pl. observantia paratissima! Clarissime Excellentissime Domine Doctor, Fautor omnem ætatem, omni Religionis cultu observande. Potesne ad quadrantem horulæ te mihi dare; potes ne tuas perquam eruditas aures locare? & oculos cum laudabili gravitate decoros? Ecquid possim? inquis. Etenim circa graviora nos sumus occupati, quam tàm impudenter transmissis indulgere literis. At ego inquio, ultro fateor, & si negasso, mihi ipsi iniquus, ne dum alii, fuero. Publica in templo Famæ suspensa, & ab orbe doctiorum obviis ulnis accepta scripta probant. Quorsum verò illa, gravissime vir, quorsum illa scriptitasti? Equidem illis ut prodesse posses, qui illis volunt sublevari. Est ita. Spem concipio: itaque etiam non deeris ipsa tuæ manus scriptione, dum cætera typis exscripta clarescant in luce. Faciam autem ut illi, qui dum sunt abjectioris & conditionis & cognitionis, ut præmisso munusculo in se derivent, majoris existimationis virorum favores attemptant: ita ego hîc. Mitto autem T. Excell. hanc meam patientiam, apud vos exscriptam, & ut singulari favore suscipiat in domum, oro studiosè. Eccam autem mittentis calliditatem! Ferè ut ille, qui dat gallinam, expectat bovem. Juvare me autem ut velis perquam officiosè obsecro. Non possumus omnia omnes. Θεοὶ δὲ τε πάντα δύνανται. Tu qui Philo-

Philosophorum Alpha, quiq; aliis hasta longè præstantior ipse es, pro valdè commendata mihi humanitate, erga sacri ordinis homines, deeris neutiquam. Itaq; responde mihi (à tam celebrioris famæ viro instituti, mihi duco laudi) ad hæc mea qualiacunque, sed non frustra adscripta ζητήματα. Non frustra dico. Etenim dum bis septem jam consumo annos in alpibus, illis inhærendo, ut Caucaso Prometheus, placuit scribere ad pietatem, & profectum (ita loquuntur pii veteres) spiritualem facientes Meditationes Nivales. Imò pridem scripsi. Dum autem recenseo, & ultimam manum admoveo, δεύτεραι γὰρ φροντίδες σοφώτεραι, in venio quod diduci velim. Ad illam diductionem certè nemo te melius juvasset. Quippe: I. (ex Medit. sept.) *cur nix alia citius solvatur, alia terris diutius inhæreat?* II. An verum sit, *nivem antiquius obduratam converti in Crystallum?* Ita quidem D. Prosper Aquitanicus in Psal. CXLVII. fol. mihi 849. Et ego vidi perspicilla ex tali nive obdurata fabricata. *Quæ causa istius obdurationis?* ex Medit. 13.) III. *Cur nix recens citius in massam redigatur quam antiqua?* IV. *An frigida vis paleæ obrutas nives servet?* quæ causa? ita quidem affirmat D. Aug. Lib. XXI. de Civ. c. IV. col. 1270. in his, quia id mihi deficit, quod per te sufficiat, rogo etiam atq; etiam ut satisfacias. Ego non agam fraudulenter, sed cum gratitudine apponam, te Authore me hæc scire, ut scientia meam & plurium avertat inscitiam. Spero etiam Tuam Excell. ante hac à me transmissum Librum Elegiarum & Satyram contra Scultetum Calvinisequam accepisse. Desino: te vir Excell. Fautor Certissime salvere & valere jubeo. Ego quam diu vivo te magnifacere & colere non desistam. Quamdiu vivo dico. Etenim quotiens jam, propter & acerbissimos Hemicraniæ dolores, sinistri lateris, prope fui cymbæ. Hic ô si Podalirius aliquis ex improviso adnecteret levamen, quam mihi gratissima res foret! quam ego redhostirem ore, corde, reapse! quàm proficuum Ecclesiæ, totique familiæ! Kolst. VIII. Maji Anno C. CIↃ. IↃↃ. XXVI.

Viro Rever. & Clarifs.
Dn. M. JOH. SEBAST. WIELANDO,
Poët. Laur. Cæsar.
GREGOR. HORSTIVS, D.

Literæ tuæ gratissimæ, sub dato 8. Maji vix ante biduum mihi traditæ fuerunt, Vir Rev. & Clariss. fautor & amice plur. colende, quæ vel eo nomine fuerunt optatæ, quod constantiam amoris erga me tui testarentur, ne quid dicam de addito munusculo, Patientiæ scilicet meditatione, quâ nihil facilius dicitur, nihil difficilius exercetur. Nivales meditationes tuas nondum vidi: sat autem intentionem tuam intelligo. Nec dubito, licet meteoron mox transiens plerumq; sit nix, quin ansam enucleandi res varias subministret. Recordor nivis immensæ, per septimanas aliquot perdurantis; Anno salutis M. DC. VI, ubi transiens Argentinam Rev. Dn. Doct. Pappum de Nive perorantem audivi, quæ dissertatio procul dubio typis est subjecta. Quærit *autem, cur nix alia citius solvatur, alia terris diutius inhæreat?* nosti nivem antecedentis causæ ratione per calorem fieri, quatenus calor nubem leviter alterat, & ad aqueam systasin disponit, undè nivis descensum frigoris remissio præcedit: at ne pluvia potius, quam nix producatur, frigus tanquam causa proximior præcavet, quod nubem adhuc integram, sed ad pluviam dispositam comprehendit, & in particulas friabiles, lanarum floccis non absimiles, constringit. Non ergò mirum, si nix alia citiùs, alia seriùs solvatur, vel sui ratione, quatenus ejusdem congelatio levior, vel ambientis respectu, quatenus causa solvens activitate majore constat, ne quid addam de variis terræ qualitatibus, incidentem nivem, juxta proprietates suas, alterantibus. *An,* autem (quod secundo loco quæritur) *nivem antiquius obduratam converti in Crystallum, verum sit,* valdè dubito, quanquam post citatum *Prosperum Aquitanicum, Plinius* idipsum habeat, absq; aqua quidem non generatur Crystallus, ut habet *Boetius lib. 2. de gem. & lap. cap. 73.* quia tenuissima terræ portio, ab aqua solvi debet, aut illi aliundè missa commisceri, quæ recedente aqua, tum demum vi πλαστικῇ in crystallum concrescit. Hinc *Dalechampius* ad locum Plinii. *Plinius fallitur. Crystallus fit ex lapidescente perspicuo succo, quem sub terris, aut inter gelidas rupium venas frigiditas vehemens glaciat & durat;* de quo plura videas, *apud Agricolam lib. 6. de nat. foss. Card. lib. 7. de subt. Diodorus* inquit *Cœl. Rhod. l. 1. L. A. c. 10. Crystallum lapidem ex aqua pura concretum dicit, non tamen frigore, sed calore cœlesti, seu ut habent verba, divini caloris vi ideoq; non concretione frigoris vehementioris:*

Testatur idipsum crystalli solutio, quę per calorem non in aquam, sed calcem seu salem peculiarem succedit: testatur insuper illud crystalli usus in medicina varius, de quo citatus *Boetius, Quercetanus, Poterius, & alii.*

Nec obstat Psalmi citati Latina versio, quod *Prosperum* fefellit, cùm κρύσταλλος græcis tam glaciem, quam lapidem crystallinum indicet, ubi tamen *Doctor Luth.* proprietatem rerum potius quam verborum respiciendo, germanica versione potius grandinem intelligit, dum inquit: **Er wirfft seine Schlossen wie bissen.**

Tertium sequitur quæsitum, nimirum cur recens citius in massam redigatur nix, quam antiqua? an quia friabiles magis ejusdem stillatæ lamellæ frustillatim decidentes citius uniuntur, cum nix *Philosopho l. 2. de Gen. an. cap. 2.* spumæ consistentiam habere videatur? adde quod mollities tenuitatem ac raritatem subsequens, cum aliqua viscositate propter cohærentiam conjuncta, major sit in recenti, quam antiquiore nive quâ de causa promtè satis in massam coagulatur. Tandem *Augustini* locum quod attinet, plana res erit, ubi distinguuntur ea, quæ fiunt per se, ab iis, quæ fiunt κατὰ συμβεβηκός: quis paleæ dedit, inquit ille, vel tam frigidam vim, ut obrutas nives servet, vel tàm fervidam, ut poma immatura maturet? at non vi frigoris sub paleis nix conservatur, sed eâ ratione, quatenus impeditur hâc ratione penetrans ambientis calor quo minus

minus coagulatam nivem dissolvere queat, sicut in communi pelliceam vestem æstatis fervorem præcavere dicimus, quod norunt Mercatores, in canicularium fervore iter facientes, ubi lagenas vino repletas, vestibus pelliceis, occasione datâ, involvunt, & à colore defendunt. Sic eâdem palea maturationem promovet, non quod fervidam vim habeat, sed impediendo calorem extraneum, ut insitus calor eò melius, quod adhuc crudum est, concoquat, cum aliâs ambientis calor, evocando calorem insitum, corruptioni præbeat originem, quo fine matres familias ova quoq; paleis involvunt, ac diutius Oeconomiæ conservant. Pro transmissis carminibus quoq; gratias habeo, reciproca affectione, cum aliud pro tempore ad manus non sit, carmen gentilicium, Hebenstreiti nostri Clarissimi accipe, meque quod facis, amare perge. Hemicraniæ dolores chronici quam causam habeant, Augur esse non possum, ni forte per consensum splenis, cum sinistri lateris sint, instar scorbuticæ cephaleæ fiant, causam edoceas, & in mediis præscribendis me promptum habebis; successum verò à Deo Archiatro expectabis. Benè vale cum familia. Raptim Ulmæ X. Calendas Julij Anno M.DC. XXVI.

Vir Rev. & Clariss.

Dn. M. JOH. SEBAST. WIELANDUS, Poëta Laur. Cæsar.

GREGOR. HORSTIO, D.

MAximas gratias ago tibi Clarissimi Vir, Domine pl. observande, Fautor exoptatiss. pro tam fideli, & ingenuâ institutione, quâ me de nonnullis quæsitis Nivalibus erudisti dexterius. Et ego profecto referam illas, ut totus literatorum orbis videat meam gratam mentem. Ignosce autem, si adhuc aliquid aliud quæram. Quodnam est illud, inquis? Hoc: dum negas nivem transferri in crystallum, probas ex crystalli generatione: ex lapidescente perspicuo succo fieri, quem sub terris, aut inter gelidas rupium venas frigiditas vehemens glaciet, & duret. At non quæritur, unde crystallus generetur? sed num nix vel tandem in crystallum lapidescat? potest habere generationem suam crystallus, & tamen in illam nixi transmutari. Testantur hoc, qui viderunt talem nivem Crystallisatam, & ego Stuccardiæ talia perspicilla vidi. Nosti sine me (quod quidem ego addo, ut quantum ineptiam videas & rideas) ex sale tartari arte chymicâ posse educi crystallos, vel salem in crystallum mutari, quod quidem ego non semel ipsus tentavi: ita, ut Crystalli non una eademque videatur esse generatio. Audi sine molestia *Chytræum* canentem *in itinere Veneto pag.* 54.55. ita:

Helvetios Italis dirimit mons asper ab oris,
Pars & Adula, Bernardinum dixêre Mesauci,
Ejus inaccessas nunquam contingere rupes,
Ver potuit, non huc Bacchus, Philomela, Cereśve,
Non æstas adiit: glacies hic matris ab alvo
Excipit, & teneros durat vi frigoris artus
Custodum pecoris: siccos quum Sirius ardens
Urit agros alibi, rigidis incautibus illic
Regna tenet deformis hyems, Carriq; furentes
Bella gerunt, altaq; nives in montibus altis
Extructa terramq; gravant atq; horrida saxa:
Ipse fremens sonitu, caput inter nubila condit,
Phœbeosq; procul scopulis intercipit ignes:
Innumeris circum glacies Crystallina seclis
Indurata riget; per adesas spumea cautes
Unda strepit, mons ipse astris conterminus
albet, &c.

Quid? quod in Hebræo Korcho crystallum suum. Indè Münsterus in radice Karach glacies, fermè idem, quod pruina, nisi quod est solidior & generatur in magno frigore, ut docet *Kimchi Psal.*147. Translator noster vertit Crystallum *Ezech.*1. ubi Chald. nitor rei vertit; *Gelid* gelu. Hæc ille. Forsan quia propter nimium gelu lapidescit & crystallisatur. Sed satis ineptiarum, & nugarum satis. Tu qui in hâc re Argus oculatus es, non ægrè feres, dùm ego cæcutio. Cæterum meos acerbissimos Hemicraniæ dolores quod attinet, exhilarasti me, dum operam tuam in illis sublevandis mihi obtulisti. Certè ipsus metuo, ne per consensum splenis causa illorum promanet. Sum enim morbo melancholico valdè deditus, hypochondriacum dicunt. Et nisi Deus averruncaret, sæpiusculè me difficulter erigerem. Et si hic adhiberentur aperientia, præsertim sub vini medicati nodulò, non frustra fuerit. Ita quidem, ut simul cor, & caput confortaretur. Pillulas usurpavi capitales cum fructu, & soporifera, adhibitâ venæsectione; cum fructu quidem, sed non plenaria eradicatione. Ajunt impossibile esse, me totaliter curari. Et Deus mortuos resuscitare potest, nedum per Experientissimum Med. hosce infestos dolores abigere, Confido autem id per te fieri omninò posse. Tantum est.

Vale Excellentiss. Vir, Fautor Opt. JESUS CHRISTUS nobiscum ab hoc nunc & usque in seculum. Dabam XXVI. Octobr. M.DC. XXVI.

OBSERVATIO XXI.

De Aqua vitæ juniperina.

Vir Clariss. & Excellentiss.

Dn. CONRADUS MITHOBIUS, Phil. & Med. D. Illustr. Ducum Brunsv. & L. Medicus Ordinarius,

AD

GREGOR. HORSTIUM, D.

SALUT. & offic. Clarissime & Excellentissime Dn. Doctor, amice & fautor honorande: cum doctorum hominum, præsertim ὁμοτέχνων, amicitiam & benevolentiam semper plurimi fecerim, non parum, sed ex animo lætor, mihi quoque licuisse ante anni spacium, utrumque apud te consequi; operam itaque daturus sum diligentem, ut hunc thesaurum, pro mea parte, semper sartum, tectumq; conservem, idemq; de tua singulari humanitate & benevolentia mihi planè polliceor.

Cæterùm cum inter alia Colloquia, tunc temporis facta sit mentio Extracti Baccar. Juniperi, cujus præparationem me apud Quercetanum & Biguinum legisse putabam; Verum experior jam, tuam præparationem multum à prædictis differre: majorem itaque in modum rogo, verum præparationis & utendi modum mihi communicare haud gravatim velis, vicissim me gratum & memorem præstabo.

Benè interim vale, salve, & Mithobium, tui amantissimum, amare & fovere perge, ac si quid petere & jubere possum, Clarissimum Dn. D. Jungermannum, & reliquos Collegas, Viros Doctissimos, mihique bene faventes, diu feliciterque valere ex me, plurimumq; salvere jube. Zellis Lüneburgensium 8. Martij, Anno 1619.

Viro Clarissimo & Excellentissimo

Dn. CUNRADO MITHOBIO, Phil. & Medico Celeberrimo, Illustriss. Ducem Brunsuicens. & Lünæburg. Archiatro,

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Gratulor mihi, Vir Clarissime & Excellentissime, fautor & amice plurimùm colende, de continuatione benevolentiæ & amicitiæ sinceræ, quam anno superiori, meis in ædibus contraximus: utinam tunc temporis ea mihi non defuissent media, quibus pro dignitate fuisses excipiendus. Sed boni consules promptam animi benevolam voluntatem, ac cætera temporis incommoditati tribues.

Compositio Aquæ vitæ Juniperinæ.

Cæterùm quod attinet Extractum Juniperinum, cujus obiter tunc temporis facta fuit mentio, non possum non usum ejus admodùm commendare, præsertim cum ipsemet in proprio meo corpore nihil hactenus præsentius adhibere potuerim, contra frequentes nephriticos dolores, ex collectione sabuli provenientes, quàm aquam vitæ Juniperinam, ex eodem cum spiritu confectam, cujus compositionis hæc non admodum operosa est ratio: fit primùm cum selectis baccis Juniperi, per affusionem aquæ ferventis, fermentatio, quò commodè postea spiritus destillatione possit separari; spiritus rectificatus cum rob Juniperino (quod aliàs mel Juniperinum vocant, estque nihil aliud, quàm selectarum baccarum succus, optimè depuratus, & inspissatus) in loco calido per dies aliquot digeritur, donec tincturam instar rubini saturatè tinctam imbibat, adeoque jucundam aquam vitæ matutino tempore cochleari dimidio sumendam, constituat.

Habes ergò Vir Clarissime, liquorem istum Juniperinum jucundum, & instar aquæ vitæ pellucidum, quem in ædibus meis matutino tempore gustandum vobis præbui: boni consule, & Horstium tuum, quod facis, amare perge. Raptim Giessæ Cattorum, Calend. April. Anno 1619.

OBSERVATIO XXII.

De Balsamo Fœniculi.

Vir Clariss. & Experientiss.

Dn. JOANNES WOLFFIUS, Med. D. Archiater Hassiacus, & Med. Profess. in Academia Marpurgensi,

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Clarissime Dn. D. amice honorande. Balsamorum conficiendorum processum, & illud Balsami fœniculi speciale Exemplar, quo pro Illustrissimo Principe meo *Ludovico Seniore, Hassiæ Landgravio*, beatissimæ memoriæ, uti solebam, ad te mitto. Et si fortè periculum ejus præparandi, jam statim facturus esses, Salis fœniculi aliquid addo.

Tinctura enim & oleum ex semine etiam hyberno hoc tempore paratu difficilia non sunt. Pro Scorbuti, & de Morborum Causis tuis tractatibus gratias ago maximas, & vicissim mea officia amica offero, vale Vir optime, & Reverendos Viros, Dn. D. Winckelmannum & Dn. D. Menzerum meo nomine officiosè saluta. Marpurgi, 8. Decembr. Anno 1613.

PRÆPARATIO BALSAMORUM.

Recipe cujusque simplicis, cujus balsamum conficere studes, quantum satis, ut ex eodem oleum elicitur, idque fiat juxta modum cujusque convenientem. Postea vicissim ex recenti materia ejusdem, per spiritum vini extrahatur tinctura, quæ sufficienter collecta filtretur, & per B. M. spiritu vini separato coaguletur ad consistentiam mellis. His peractis, oleum primo linimenti instar cum cerâ albâ misceatur, & deinde convenienti quantitate tincturæ addatur, unâ cum sale cujusque proprio, quod exempli loco patet in *Balsamo fœniculi*, quem hoc modò paramus.

Balsamus fœniculi.

℞. Ceræ albæ tenuiss. rasæ & liquatæ ℥iiij. olei fœniculi destil. ℥iij. Cera liquata in patinam, aut phiolam vitream sensim oleo affundatur, continuò agitando & cochleari sensim in loco frigido miscendo, donec probè uniantur, & instar butyri lenissimi gelata consistant.

Postea sume tincturæ fœniculi ℥xx. & hujus tincturæ cochleare unum post aliud jam dicto butyro successivè addatur, sensim cochleari ducendo & miscendo, donec omnis tinctura cum dicto butyro perfectè mixta, Balsami æqualissimi formam induerit. Tandem ad singulas ℥. Balsami addatur salis fœniculi ʒß. misceatur iterum, & ad usum in loco frigido reponatur.

Viro Clariss. & Experientiss.

Dn. JOANNI WOLFFIO, Medico peritiss. & Archiatro atque Professori Hassiaco Marpurgensi, Domino & amico suo,

GREGOR. HORSTIUS, D.

S. Meritò gratias ago T. Excell. Vir Clariss. & Excellentiss. Dn. & amice plurimum colende, pro communicatione promptâ Balsami fœniculi, quam potissimùm ea propter desideravi, quod viderem hinc & indè penes illustres atque Nobiles personas eundem ex ordinatione T. Excell. frequenter usurpari.

Non dubitò, quin in capitis maximè morbis eò felicior ipsius operatio futura sit, si systasis eidem per oleum Nucis mosch. per expressionem factum concilietur, quo aliàs etiam diligentiores spagyrici utuntur, spiritu vini primùm ad insipidum quasi corpus redacto, per extractionem videlicet saporis aromatici, eidem naturâ aliàs convenientis. Cæterùm, quod inter alia de pulvere Margaritarum præparatarum in albugine oculorum adhibendo communicasti, maximo cum successu paucis abhinc mensibus, cuidam pharmaceuticæ artis discipulo apud nos exhibui, cui post evacuationem, solo hujus remedii usu, visus alterius oculi admodùm diminutus, perfectè rediit, quâ de causâ majorem adhuc fidem apud me T. Excell. observatio meretur, qua sanctè affirmabat penitus ex hac causa cæcam aliquando tali modo restitutam fuisse. Benè valeat Excellentia tua, meque quod facit, amare pergat. Raptim GIESSÆ, 18. Decemb. Anno 1613.

Nota. *Appropriatum in albugine.* *Cæcitatis ex albugine restitutio.*

OBSERVATIO XXIII.

De Oleo saponis in doloribus podagricis.

Vir Clariss. & Excellent.

Dn. ZACHARIAS BRENDELIUS, Senior, Med. D. Profess. in Academ. Jenensi.

GREGOR. HORSTIO, D.

S. Et felicem hujus anni decursum. Magnifice & Consultiss. Vir, Dn. & amice plurimùm colende. Cum obtulisset se mihi ad te scribendi occasio, nolui intermittere, quin te certiorem facerem, quod oleum Reverendo Dn. D. Victori, Concionatori Aulico transmissum, sit oleum Saponis, cujus præparationem docet, nisi me memoria fallit, Nicolaus Metri, Italus, in lib. Medicinali, ex lingua Italica à V.CL.D.Hieremia Martio, Medico olim Augustano, in vernaculam translato. Utor eo feliciter in doloribus Podagricis celeriter mitigandis. Fieri id puto propter vim calorificam & acrem, quâ materia in cavitatibus articulorum, & vicinis tendinibus ac ligamentis impacta ad superficiem evocatur, dissipaturque: quo modo aliàs, materia in superficiem translata, & humorem externum excitante, dolor mitescit. Accidit aliquando, ut post usum hujus cuticulâ à cute separata pustulæ excitarentur, quibus apertis ichor quidam flavus salsus & acris profluxit ad septimanas aliquot, unde diu æger ab invasionibus podagricis immunis fuit. Sed hæc hactenus &c. Benè vale. Vinariæ Kalendas Februar. Anno 1617.

Oleum Saponis.

APPENDIX.

Cum compositorum quorundam medicamentorum Magistralium hinc & inde mentio fiat, ne quid benevolus Lector desideret, eorum descriptionem subjiciemus.

Syr. de Manna laxativus.

℞. *Rad. Polypod. q.* ℥vj.
Ireos Flor. ℥ß.
Paß. Minor. ping. & incis. ℥iij.
Ficuum ping. num. vj.
Dactyl. totidem
liquir. rasæ ℥ß.
Fl. Violar.
Borrag.
Buglossæ ana pj.
Sena s. s. ℥jß.
Cinam. ʒß.
Aq. mulsæ ℔. iij.
Coq. omnia s. a. ad consumpt. lib. j.
Coletur & exprimatur. In Colatura dissolve
Manna Calabr. ℥iij.
Sacch. Penid.
Cand. al. ana ℥j.
Coq. ad syr. consist. addendo in fine aq. Cinam. parum.

Descriptionem hanc annis superioribus communicabat amicus meus honorandus, *Dn. D. Iacobus Eckoldus*, Med. Memmingensis, quo cum pro tempore frequenter utamur, illius etiam copiam tibi, Lector, facere volui.

Syr. de Helleboro nigro.

℞. *Myrobal. omnium* ℥ijß. *Contundantur crassiori modo & fricentur manibus cum ol. Amygdal. dul. deindè infundantur per diem & noctem in aq. fumar.* ℔xij. *Postea coq. ad consumpt. 3. partis.*
adde Cort. rad. hellebor. nigri pp.
glycyrrhizæ mundæ
polypod. q. ana ℥j.
Sem. Citri ℥ß.
Caryophyll. ʒjß.
Sum. fumar.
Fl. cichorei ana Mß.
Borrag.
Buglossæ ana pj.
Bulliant omnia ad remanentiam ℔v. *Postea adde fol. senæ* ℥ijß. *Epithymi Cret.* ℥jß. *Iterum bulliant, donec maneant* ℔iij. *addito Sacch.* ℥xxxij. *decoq. ad consist. perfectam Syrupi.*

Nota. Hæc est descriptio Syr. de helleboro nigro, quem hîc Ulmæ in usu habemus ex ordinatione Clariss. Medici, *Dn. D. Laurentii Waltheri Kuchelii*, p.m. Antecessoris mei.

Morsuli purgantes de Mechoaca.

℞. *Conser. Violar.* ℥j.
Sp. diatragacanth. frig. ʒjß.
Turbith. gummosi,
Mechoacan. albiss. opt. ana ℥ß.
Diagryd. cum ol. fœniculi præparat. ʒij.
Sacch. in aq. fœnicul. solut. ℥xiv.
Ol. Cinam. gutt. vj.
Anisi gutt. iiij. *F. Conf. in Morsulis.*

Compositionem hanc ante decennium *Vir Cl. Dn. D. Tobias Knoblochius*, amicus meus honorandus mihi communicabat. Cum autem in operando segnior esset, Diagrydium, cujus antea tantum ʒj. recipiebat, in duplo, sed prædicto modo correctum, unà cum ol. destillatis, addidi.

El. de Tamarin. cum foliis Senæ.

℞. *Fol. senæ s. s.* ℥v.
Cinam. opt. ʒvj.
Sem. fœniculi ʒj.
Vini Malvat. opt. ℔iij.
Semel ebulliant, postea in loco calido per triduum digerantur vase clauso, fiat deindè colatura cum expressione, quâ extrahatur pulpa passul. min. & major. ana ℥iiijß. *Extractæ massæ per setaceum adde pulpæ Tamarind. Elect. diapruni s. Lenitivi ana* ℥iij. *Cremoris Tartari* ʒij. *ol. Nucis mosch. per destill.* ℈j. *anisi* ℈ß. *M. Fiat Electuarium.*

Nota. Hoc est Electuarium illud lenitivum jucundum, quod olim in Pharmacopæa Soltquellensi frequenter cum fructu præscribebatur, paululum à nobis correctum.

El. Caryocostinum Galeni.

℞. *Diagryd. prep.*
Hermodactyl. ana ʒiij.
Zingib.
Costi aromat.
Caryophyll.
Cumini ana ʒjß.

Omnia separatim diligenter pulverisentur, & cum melle & vino confecto Syrupo incorporentur, diligenti mistione & fermentatione.

Decoctum Phlegmagogum D. Jacobi Horstii.

℞. *Rad. cichorei* ʒiij.
Liquir. rasæ, polypod. q. ana ʒß.
Sem. Anisi ʒj. 4. *frig. major. ana* ʒß.
Herb. Endiviæ, Agrimon. Beton. ana Mj.
Fol. Senæ s. s. ℥jß.
Fl. Borrag. Ros. rub. ana pj.
Turbith. Elect. ʒij.
Passul. min. ℥ij.
Coq. in s. q. aq. ad 3. *post colentur* ℥xxvj.
In Colatura infunde per noctem
Rhabar. Elect. contusi ʒjß.
Spicæ Ind. gr. iiij.
Cinam. El. ʒj.
Manè colentur.

Conserva Diarhyræ fereos, vel de rad. Cichorei.

℞. *Rad. Cich. recent. succulent. q. v. optimè purificentur absque aquâ: deindè minutissimè incidantur:*
adde Sacchar. opt. partem æqualem, fiat Conserva.

Spiritus Ebuli.

℞. *Baccar. Ebuli q. s. exprime succum. Stet in loco calido ad fermentationem sufficientem. Destilletur per vesicam: destillatum in Balneo rectificetur, & Spiritus à phlegmate separetur.*

Diacydon. lucidum purgans cum extr. Diagrydii.

℞. *Gelatinæ Diacydonii lucidi simpl. ad perfectam consistentiam coctæ* ℔j. *Extr. Diagryd.* ʒvj. *Coq. lento igne miscendo ad justam consistentiam.*

Diacydon. lucidum purgans cum gutta gemandra.

℞. *Diacydon. lucidi simpl.* ℔j.
guttæ gamand. præpar. cum Spir. Vitriol. ʒvj.
Misce, fiat Elect.

Pillulæ de Sagapeno.

℞. *Sagapeni pellucidi* ℥j.
Troch. Alhandal.
de Agarico ana ʒj.
Diagryd. cum ol. fœnicul. præparat. ʒjß.
Misce opt. in mortario calido.

Pil. de Terebinth. cum Rhabar. Cratonis.

℞. *Terebinth. Cypriæ* ℥j.
Coq. in aq. Chamæpytios dum albescat, huic adde Rhab. opt. pul. ʒvj.
Ivæ arthetica,
Succini albi ana ʒij.
Extr. glycyrrhizæ ʒj.
M. & fiat massa.

Emplast. Vesicator. de Cantharidibus.

℞. *Cantharidum* ℥j.
Terebinth. ℥ß.
Olibani,
Myrrha,
Mastich.
Camphora ana ʒj.
Ol. rosar.
Cera ana q. s. F. Empl.

Hujus usum felicissimum olim in Austria penes medicum Experientissimum *Dn. D. Iohannem Michelium* p. m. observavi, quod, abjectâ Asâ fœtidâ, quæ ipsius descriptionem etiam ingrediebatur, hactenus cum fructu frequenter adhibere soleo.

Laudanum opiatum.

Sine adjectione sic dictum, quod annis superioribus ultra tria vel quatuor grana non præscripsimus, in lib. 2. Alchymiæ Libavii tract. 3. mox ab initio præ cæteris descriptionibus ponitur.

Laudanum Opiatum cum Magisteriis.

Pro tempore nobis in usu, fit ex Extracto opii cum sp. aceti facto: Extr. Croci per Spir. vini concinnato, & Magisterio Perlarum, æqualibus partibus permistis, addito olei Vitriol. rubicundo q. s. Dosis hujus est à 5. ad viij. grana.

Mercurius Crystallinus vel dulcificatus.

Fit ex Mercurio optimè purificato, juxta Quercetanum in Consil. de luis ven. curâ, addito eodem, justo modo in meteoron redacto.

Balf. Sulphuris Terebinthinatus.

Fit ex Fl. Sulphur. cum Spir. Terebinthinæ digestis & solutis, subsequenti per Spir. Vini convenienti extractione.

Reliqua Cordus & Augustana monstrant.

DEO TER-OPT. MAX. SOLI

Laus & gloria sempiterna.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
IN HOC TOMO SECUNDO
contentarum,

In quo

Numerus paginam, Litera verò a. columnæ partem primam & b. ejusdem partem secundam designat.

juvenum

E.

I.

gravis

K.

L.

lumbricos

Nausea

partus

T.

ventri-

curatio

F I N I S.